MARSILII FICINI FLORENTINI,

INSIGNIS PHILOSOPHI PLATONICI, MEDICI, ATQVE THEOLOGI CLARISSIMI,

OPERA,


Et quæ hactenus extitêre, & quæ in lucem nunc primùm prodiêre omnia, omnium artium & ſcientiarum, maiorumque facultatum multifaria cognitione refertiſſima, in duos Tomos digeſta, & ab innumeris mendis hac poſtrema Editione caſtigata, quorum ſeriem verſa pagella reperies.

VNA CVM GNOMOLOGIA,

Hoc eſt, Sententiarum ex iiſdem Operibus collectarum farragine copioſiſſima, in calce totius Voluminis adiecta.



TOMVS PRIMVS.



PARISIIS,
Apud GVILLELMVM PELE, viâ Iacobæa, ſub ſigno Crucis Aureæ.
M. DC. XLI.

NOBILISSIMO, SIMVL AC *Magnificentißimo in Christo Patri, ac Domino Reuerendißimo, Domino Guillelmo à Popet, Heteriarcho & Abbati in Burgundiæ superiori, Balmæ, Goylæ & Balernæ Monasteriorum, atque aliorum locrum Domino dignißimo, doctißimoque Patrono suo inprimis colendo,*

ADAMVS HENRICVS PETRI S. P. D.



NATVRA sic omnes homines comparati sunt, vt memoriam sui nunquam abolitam velint: Hinc Monarchæ, Reges, & Principes sua palatia, & ædes sumptuosis, & pretiosissimis quibusq; rebus ornare, item templa & sepulchra magnifica extruere cōsueuerunt: quale illud quoque quod in Halicarnasso oppido Artemisia Regina Mausolo marito suo adeò magnificè extruxisse fertur, vt è septem mundi miraculis, ob ingentis operis admirationem habitum sit: quod sanè non ob aliud tentauit, quā vt mariti sui memoriam, quem incomparabili amore prosequebatur, conseruaret. Idem fecisse Ægyptios quoque Reges legimus, qui ad sui memoriam in perpetuum posteris relinquendam, pyramides, labyrinthos & hortos pulcherrimos fabricauerunt, ac coluerunt: nec alia de causa veteres illi templa sua, vrbes item & arces, theatra quoque & amphitheatra ædificauêre, quàm vt sempiternam sibi memoriam apud posteros compararent.

Horum tamen omnium conatus longè excedunt, Philosophorum & eruditorum hominum monumenta, quibus non tantùm sibi nomen & famam, nunquam abolendam comparauêre, sed simul etiam posteritatem plurimùm adiuuerūt, quales apud Ethnicos quoq; non pauci fuere, inter quos primas meritò tribuimus Principi illi Philosophorum Aristoteli, qui præter alias eius nunquam satis laudandas lucubrationes, primus etiam Ægypti Reges docuit libros in ordinem digerere, Alexandrinæq; Bibliothecæ author extitit, in qua aliquot millia librorum collecta fuerunt: qui sanè tantus thesaurus regia opulentia dignissimum monumentum fuit. Cui equidem rei maiorum nostrorum quoque æuo Principes præsertim Ecclesiastici incubuêre, ac etiam nunc hodie multo maximè incumbunt, id quod instructissimæ quædam eorum Bibliothecæ testantur, inter quas, præsertim in Germania, certe non postremo loco numeranda Fuldensis illa Bibliotheca, qua vix vllam aliam vetustiorem & locupletiorem, maximè membraneis & manuscriptis codicibus, inuenire possis: quos digestos fuisse audio in quadraginta & octo classes, quæ omnis generis authores continent, quibus conscribendis & describendis annos plus minus Dcc. insumpsisse cœnobitas legimus. Non autem hæc tantum solertissimis quibusuis Typographis variorum exemplarium copiam facit, sed Italicarum etiam Bibliothecarum diuitię sunt longè maximæ, id quod tot præclari authores nostro tempore primum in lucem editi, ostendunt, quos sola nobis Italia communicauit: inter quos hic quoque noster Marsilius Ficinus, natione Italus, patria Florentinus, Ficini clarissimi Medici filius, Philosophus Platonicus, Medicus, & Theologus, à tinearum & blattarum visceribus vindicatus. Cuius lucubrationes varias (quarum nunc quædam primùm in hominum conspectum veniunt) felicissimè in duos Tomos distinctas, ac parentis mei sumptibus excusas, tuæ nunc cum omni promptitudine, Excellentiæ offero. Prior autem Tomus ea omnia continet, quæ vir ille non illustrando aliorum scripta, sed seorsim propria Thalia varij argumenti opuscula conscripsit. Quæ quidem hoc ordine non sine certo consilio digessimus, vt videlicet primum sibi locum vendicaret insigne illud volumen de Christiana Religione inscriptum, quo certe vix aliud pulchrius & vtilius, magisque homine Christiano dignum reperiri potest. Secundo loco posuimus Theologiam Platonicam de Immortalitate Animorum in qua quicquid iam antea ab antiquis Philosophis tractatum disputatumq; est, plenius complectitur, veluti de essentia diuina, ideis, diuina prouidentia, anima mundi, intelligentiis, sphę-

ris cœlestibus, paradiso, quatuor elementis; purgatorio, limbo, inferno, materia, forma, generibus causarum, casu & fortuna, fato, motu, infinito, loco, vacuo, tempore mundi æternitate, anima intellectiua, animabus brutorum & vegetalium, geniis, dæmonibus, resurrectione, miraculis, in somniis, Prophetis, Religione, & aliis huius generis rebus: quarum sanè tractationem octodecim libris compēdiaria & succincta breuitate conclusit: vbi præter Platonica, maxima etiam mysteria, & quæque reconditissima explicantur, multa quoque arcana è sacris literis, & Christianorum tam veterum quàm recentiorum scriptis eruta elucidantur, eruditisque omnia familiaria redduntur. Tertium verò locum emeruit Comment. illud in Epistolam D. Pauli Apostoli ad Romanos nunquam hactenus visum, in quo præcipua Christianæ totius religionis capita eruditissimè tractantur, veluti nominatim quidem de ascensu in tertium cœlum, de Natiuitate Christi æterna & temporali, rationibus Trinitatis, qualiter diuinum Verbum assumpserit humanam naturam: præterea de mundo, de adoratione, cultu Dei spirituali, de variis sacrificiorum ritibus, virtute Euangelij, fide gemina, charitate, de differentia opinionis, scientia & fide. Item de cultu Gentilium, lege Mosaica, Gentilium impietate, & quomodo Deum diuinitus edocti cognouerint, quomodo inuisibilia Dei per visibilia cognoscantur: Amplius de trina penes Deum causa, de triplici cognitione diuina quasi cœlo trino, quomodo impij de culpa in pœnam, & ex pœna in culpam prolabantur, de infidelium pertinacia, de diuino iudicio, de retributione operum, de pœna æterna, de gradibus ad Patrem, de superba contentione contra Deum, & vindicta diuina, ac innumeris aliis quæ in singulis capitibus prænotantur. Quarto sequitur Sermonum liber elegantissimus simul & Christianissimus, quibus præter pia dogmata, etiam varia Euangelistarum loca explicantur: in iis etiam nihil à se promulgatum vult (quod & de omnibus aliis eius libris intelligendum) nisi quantum Christiana Religio, & Ecclesia Catholica ferre possit & consentiat. Quinto continentur in hoc primo Tomo, libri de Triplici Vita tres. Quorum primus de studiosorum sanitate pertractat, ex quo cognoscere est, quantum studiosos literarum amauerit, & commoda eorum quæsiuerit, ob quod sanè beneficium, meritò magnas gratias agere ei studiosi simul iuuenes atque senes omnes debent, hinc enim edocti euadunt, quomodo possint vitam in literis versantes recte instituere. Secundus, de vita producenda, hoc est, quo remedio vitam extendere debeamus, vt longæua possimus frui prospera valetudine. Tertius, de vita cœlitus comparanda: & hic liber plane expetendus & legendus ab omnibus est, vnde instructi vitam cœlestem in patria superna apud Sacrosanctam & indiuiduam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum aliquando acquiramus & illic, hac mole corporis deposita, vero gaudio fruamur. Hos sexto loco excipit Apologia, in qua agitur de re Medica, Astrologia, vita mundi de Magia, & Magis qui statim Christum Opt. Max salutarunt: in cuius fine etiam Epistola pulcherrima posita est, quod necessaria sit ad vitam, securitas atque tranquillitas animi. Subiicitur deinde huic Antidotus Epidimiarum, quam grauissimus author ille, sua vernacula lingua, hoc est Tuscana, adductus precibus & rogationibus amicorum quorundam conscripserat: tandem & Hieronymo Ricio Ticinensi Latinitate donata: quam si T. E. cum animus à maioribus negotiis quietus fuerit, legere dignetur, erit vnà cum linguæ fœcunditate, elegantia, & ornatu adiuncta voluptas, & commoditas quædam non vulgaris: Docet enim non solum mali ἐπιδημίως grassantis, præsentisque curationem, sed etiam quibus medelis seu medicamentis hæc lues à corporibus arceri possit. In septimum deinde locū reiecimus opus illud Epistolarum duodecim libris distinctum: quibus & alii de variis rebus differentes libelli & Dialogi, vt suo semper loco videre est, inseruntur. Octauum verò occupant locum libri illi duo, prior de Sole, alter de Lumine. Et priore de Sole quidem quamplurima scitu profectò dignissima & iucunda ostenduntur. Veluti, quæ eius natura, vis atque potentia, quomodo se ad alias omnes stellas & planetas habeat: quæ ei etiam cum Deo conditore omnium similitudo, & alia huius generis plurima: de Lumine verò ferè non pauciora, quemadmodum in capitum singulorum inscriptionibus legere licet.

Postremò, felicissimè clauditur prior ille Tomus libro de Voluptate, quem tamen primum omnium (vti fama est) in iuuentute sua, cùm esset viginti quatuor annorum conscripsit: & hoc certè non vulgare ingeniosissimi doctissimique adolescentis specimen fuit, ex quo nobis planè intelligere est, quum iam multum in Philosophia versatum fuisse, plurimosque libros multorum Philosophorum omnium sectarum euoluisse & legisse: in eo enim Platonicorum, Pythagoricorum, Peripateticorum, Stoicorum, Scepticorum, Epicureorum, & aliarum ferè omnium sectarum sententiæ & opiniones iamdudum ab iisdem disputatæ referuntur. Verùm hoc nostro sæculo paucissimos qui se Platonicæ Phi-

losophiæ dedant, & animum ad eam adiiciant iuuenes, reperies, quod dolendum, cùm nulla fermè sit Philosophia, quæ propius accedat ad diuinos Mosis libros, quàm hæc, quorum nec ipse Plato ignarus fuit, quem in Aegyptum profectum ibidem eos euoluisse ferunt. Numenius enim Pythagoricus, quem Origenes non solùm Pythagoricis, verumetiam penè omnibus anteponit Philosophis, cũ & Mosaicos & Platonicos legisset libros, aiebat se in Platone & Mosen agnouisse, nihilque aliud esse Platonem, quàm Mosen, Attica lingua loquentem. In eius enim libris propè eadem, ac Mosis materia, veluti vnum rerum omnium principium esse Deum, mundum à Deo suæ bonitatis gratia procreatum: Deumque in principio cœlum & terram, cum omni ornatu suo creauisse, & hæc omnia ad finem suæ voluntatis permansura. Deum fecisse hominem sibi similem, terrenorum dominum, sui verò cultorem. Ex terra homines esse creatos, atq; sub spirituum diuinorum custodia positos, legem à solo Dei quodam nuncio accepisse, ac demum post mundi cursum (Deo iubente) resurrecturos. In sola Dei fruitione nostram beatitudinem positam: Verbo Dei mundum esse dispositum, Deumque omnium rerum esse mensuram: denique omnibus prædici, siue descenderint in infernum, siue ascenderint in cœlum, diuinum iudicem vbique reperiri. Deum rèrum omnium ducem, causamque, Patrem & Filium esse, atque in eius amore summum bonum constitui, ipsius gratia omnia, eumque causam esse bonorum omnium; deinde beatos hoc ordine distingui Spiritus, vt alij potentiam Dei, velut efficientem causam, alij sapientiam ceu exemplar, alij bonitatem tanquam finem omnium, referant, & alia huius generis, quæ certè omnino consona sunt Mosaicæ doctrinæ. Hæc ergo sunt (Reuerende Pater) prioris huius Tomi volumina, in quibus profectò (quantum scire possum) nihil est penitus quod lectoribus displicere possit, omnia enim & cum sacra scriptura consentiunt, nec quicquam ab ea dissoni habent. Hos autem tanti Philosophi libros Tuæ Dignitati, cùm ob multas & eximias illas tuas virtutes (Reuerendissime Antistes) inscribimus, tum etiam propter eruditionem tuam excellentem, linguarum sacrarumque scripturarum scientiam singularem, quæ valdè in te commendanda est, necnon ob summam illam tuam humanitatem, beneuolentiamque erga omnes, maximè autem eos qui eruditione, doctrina, morum probitate cæteris præstant, quos ad te vltro inuitas, venientes humaniter excipis, liberaliter tractas, honorificè à te dimittis, ad te frequentius redire cupis, & si quos animaduertas ad virtutem, & recta studia currentes, semper in oculis habes, eorumdemque studia pro virili foues, ornas, & tueris.

Porrò hoc denique maximum est quod me commouit, & summum in te esse censeo, quod rectè iudicando perpendẽdoque cognoueris, in quem maximè vsum Monasteria, Collegia, ædificata & instituta sint, nimirum vt essent sacrarum literarum, disciplinarumque, & artium aliarum Ecclesiæ Christi vtilium Scholæ, in quibus adolescentia & iuuentus à cæteris curis & cogitationibus vacantes, optimis tam moribus quàm disciplinis instituantur. Hæc ego tam laudabilia in te non solùm ex relatione præceptoris cum mei, tum nepotum tuorum nobilissimorum Peranorum, V. C. Gilberti Cognati Nozereni, vndequaque doctissimi & tui studiosissimi percepi, sed ipse præsens Balmæ, Salinis & Lonsalinis in ædibus tuis diuersis temporibus perspexi & cognoui. At verò ne longiore oratione aures obtundam tuas, reliquum est, vt obnixè à T. E. petam, vt benignè humaniterque hoc munus suscipias, nec quod datur tanti æstimas, quanti exhibentis animum, id quoque ipsum quæso nunc, haud alio vultu suscipere digneris, quàm qualia amicum exciperes, hocque sic fruaris, quo sit tibi mens sana in corpore sano: dignus enim es qui literatis quàm diutissimè viuas. Vale Abbatum Primarie. Basileæ Idibus Martij, anno à partu Virginis M. D. LXI.

MARSILII FICINI

FLORENTINI, INSIGNIS PHILOSOPHI, MEDICI atque Theologi clarissimi opera, quæ extant omnia: omnium artium & scientiarum, maiorum quoq; facultatum cognitione refertissima, in duos Tomos digesta.

In Tomo primo hæc continentur



MARSILII FICINI FLORENTINI

LIBRI DE CHRISTIANA RELIGIONE, AD Laurentium Medicem patriæ seruatorem,

PROOEMIVM.

Quod inter sapientiam religionemque maxima cognatio est.



ETERNA Dei sapientia statuit diuina mysteria, saltem in ipsis religionis exordiis, ab illis duntaxat tractari: qui veri essent veræ sapientiæ amatores. Quo factum est, vt iidem apud priscos rerum causas indagarent, & sacrificia summæ ipsius rerum causæ diligenter administrarent, atque iidem apud omnes gentes Philosophi, & sacerdotes existerent. Neque id quidem iniuria. Nam cum animus (vt Platoni nostro placet) duabus tantum alis, id est intellectu, & voluntate possit ad cœlestem patrem, & patriam reuolare, ac Philosophus intellectu maximè, sacerdos voluntate nitatur, & intellectus voluntatem illuminet, voluntas intellectum accendat, consentaneum est qui primi diuina per intelligentiam vel ex se inuenerunt, vel diuinitus attigerunt, primos diuina per voluntatem rectissimè coluisse, rectumque eorum cultum rationemque colendi ad cæteros propagasse. Prophetę igitur Hebræorum atque Essęi sapientię simul, & sacerdotio incumbebant. Philosophi à Persis, quia sacris præerant, magi, hoc est, sacerdotes, sunt appellati. Indi Brachmanas de rerum natura simul, atque animorum expiationibus consulebant. Apud Ægyptios Mathematici & Metaphysici sacerdotio fungebantur, & regno. Apud Æthiopas gymnosophistę philosophię simul magistri erant ac Religionis antistites. Eadem in Græcia consuetudo fuit sub Lino, Orpheo, Musęo, Eumolpo, Melampo, Trophimo, Aglaophemo, atque Pythagora. Eadem in Gallia sub Druidum gubernaculis. Quantum apud Romanos Numę Pompilio, Valerio Sorano, Marcō Varroni multisque aliis sapientiæ simul, sacrorumque studium fuerit, quis ignoret? Quanta denique & quam vera doctrina in priscis Christianorum episcopis, presbyterisque quis nesciat? O felicia secula, quæ diuinam hanc sapientiæ, religionisque copulam, præsertim apud Hebræos, Christianosque integram seruauistis. O secula tandem nimium infelicia, quando Palladis, Themidisque (id est, sapientię & honestatis) separatio & diuortium miserabile contigit. Proh nefas, sic datum est sanctum canibus lacerandum. Doctrina enim magna ex parte ad prophanos translata est, vnde vt plurimum iniquitatis euasit & lasciuiæ instrumentum, ac malitia dicenda est potius quam scientia. Margaritę autem religionis pretiosissimæ sæpe tractantur ab ignorantibus, atque ab his tanquam suibus conculcantur. Sæpe enim iners ignorantum ignauorumque cura superstitio potius quam religio appellanda videtur. Ita neque illi sincerè veritatem intelligunt, quæ tanquam diuina solis piorū oculis illucescit, neque isti, quantum in eis est, rectè vel Deum colunt, vt sacra gubernant, diuinarum

humanarumque rerum prorſus ignari. Quandiu duram & miſerabilem hanc ferrei ſæculi ſortem ſuſtinebimus? O viri cœleſtis patriæ ciues, incolæque terræ, liberemus obſecro quãdoque philoſophiam, ſacrum Dei munus, ab impietate, ſi poſſumus, poſſumus autem, ſi volumus, religionem ſanctam pro viribus ab execrabili inſcitia redimamus. Hortor igitur omnes, atque precor, philoſophos quidem, vt religionem vel capeſſant penitus, vel attingant: ſacerdotes autem, vt legitime ſapientiæ ſtudiis diligenter incumbant. Ego quantum hac in re vel profecerim, vel profecturus ſim, neſcio, tentaui tamen, & tentare non deſinam, non meo quidem ingeniolo, ſed Dei clementiæ viribuſque confiſus. Auus tuus, magnanime Laurenti, magnus Coſmus, Petrus deinde pius genitor, me à teneris annis, quo philoſophari poſſem, ſuis opibus aluerunt. Tu nuper volens philoſophandi ſtudium in me, quoad poſſes, ſicut in aliis nonnullis conſueuiſti, cum pietatis officio copulare. Marſilium Ficinum tuum ſacerdotio, & quidem honorificè, decoraſti. Vtinam nunquam mihi ipſe defuerim aut deſim, quandoquidem Dei ipſius, Medicumque fauor, & auxilium nunquam defuit. Vt autem diuinam mihi gratiam magis conciliarem, tibique gratificarer, & mihi ipſe non deeſſem, cum primum ſacerdotij ſacris initiatus ſum, opus de Chriſtiana religione compoſui, quod quidem tibi huius meæ profeſſionis authori, præcipuoque tum ſapientiæ alumno, tum pietatis cultori cenſui dedicandum.

Religio maximè homini propria eſt & veridica.

CAPVT I.

Singulas generis humani dotes videmus in beſtiis quibuſdam ſaltem ſecundum quandam ſimilitudinem excepta religione, aliquando apparere. Nullum bruta præ ſe ferunt religionis indicium, vt propria nobis ſit mentis in Deũ cœli regem erectio, ſicut corporis in cœlum erectio propria, cultuſque diuinus, ita fermè hominibus naturalis, quemadmodum equis hinnitus, canibuſue latratus. At ſiquis curioſius affirmet, beſtias inſuper nonnullas interdum cœleſtia venerari, quod ego minime credo, reſpondebũt Platonici: huiuſmodi beſtias, vel aliud quoduis tunc facere, cum cœleſtia honorare videntur, vel ſi forte honorant, tamen neſcire quid agant, vel ſi ſciunt, illas quoque intelligentiæ, immortalitatiſque participes eſſe. Sed re vera, vt ad propoſitum reuertamur, homo perfectiſſimũ animal, ea proprietate maximè tũ perfectione pollet, tũ ab inferioribus diſcrepat, qua perfectiſſimus, ideſt, diuinis coniungitur. Rurſus, ſi homo animalium mortaliũ perfectiſſimus eſt, in quantũ homo, ob eam præcipue dotẽ eſt omniũ perfectiſſimus, quam inter hæc habet ipſe propriam, cæteris animalibus non cõmunem, ea religio eſt, per religionẽ igitur eſt perfectiſſimus. Si religio eſſet inanis, per eam rurſus homo omnium eſſet imperfectiſſimus, quoniam per eam dementiſſimus eſſet, atque miſerrimus. Siquidem homines multi omnia, omnes certe multa vitæ cõmoda temporalis abiiciunt, & incommoda ſubeunt, Dei vel amore, vel metu. Nullum vero animalium reliquorum præſentibus abſtinet bonis, propter Dei cultum, expectationemque futuri. Adde quod ſcientiæ ſtimulus nos ſolos pungit aſſidue, diuinæ vindictæ, inferorumque timor acerrimè vexat. Si ergo religio, (vt diximus) vana eſt, nullum eſt animal dementius & infelicius homine, eſſet igitur ob religionem homo imperfectiſſimus omnium, per eam tamen pauloante omnibus perfectior apparebat. Non poteſt autem per eandem ſui partem ita contraria pati, vt ſecundum eam tum ſummè perfectus ſit, tum ſummopere imperfectus. Eſt igitur religio vera præſertim quia ſicut non poteſt quicquam ignis propinquatione fieri frigidiſſimum, ita non poteſt homo, quia ſolus hæret Deo ſapientiſſimo beatiſſimoque, ſtultiſſimus ex hoc, miſerrimuſque euadere. Neque etiam poteſt Deus, qui ſumma veritas & bonitas eſt, humanum genus prolem ſuam decipere. Naturalis autem communiſque opinio de Deo inſerta nobis eſt à Deo communi origine, ac principe naturarum. Præterea meminiſſe debemus vaticinium illud, quod à tota aliqua animalium ſpecie fit, quia vniuerſalis, particulariſque naturæ fit inſtinctu, verum exiſtere. Reptilia multa, oriente ſole, è terræ ſinu ſurrepunt, aëris caligo portenditur, cornicum plurima turba veſpere à certa aëris plaga peruolat, venti prænunciantur, & alia eiuſdem generis innumerabilia. Communi quoque hominum vaticinio religio vera eſt, omnes namque ſemper vbique colunt Deum, vitæ futuræ gratia. Verum eſt igitur prouidere nobis Deum, & vitam aliam fore, ſi modo perfectiſſima ſpecies animalium

verissimum habet iudicium illud, quod sibi est maximè omnium naturale. Talem autem esse religionis assertionem apparet, non solum ex eo quod solius omnisque hominis est, verum etiam ex eo quod omnes hominum opiniones, affectus, mores, leges, excepta communi quadam religione, mutantur. Siquis ergo reperiatur omnis religionis penitus expers, quia præter humanæ speciei naturam est, vel monstrum quoddam est ab initio, vel contagione monstri alterius inquinatus.

De diuinitate animi à religione.

CAPVT II.

PLato noster in Protagora, maximum esse vult nostræ diuinitatis indicium, quod soli nos in terris tanquam sortis diuinæ participes ob cognationem quandam Deum recognoscimus, & cupimus, tanquam authorem inuocamus, & amamus vt patrem, vt regem veneramur, timemus vt Dominum. Sicut enim Sol sine Sole non cernitur, & sicut aër sine aëre non auditur, ac plenus lumine oculus videt lumen, plena aëre auris audit aërem resonantem, ita neque Deus sine Deo cognoscitur. Sed animus Deo plenus, tantum in Deum erigitur, quantum & diuino lumine illustratus agnoscit Deum, & diuino calore accensus sitit eundem. Non enim ad id quod supra est & infinitum, nisi virtute superioris, infinitique attollitur, hinc animus Dei templum efficitur, vt Xistus Pythagoricus arbitratur, Dei vero æterni templum nunquam existimat ruiturum. Deum agitat mens humana quotidie, Deo ardet cor, Deum suspirat pectus, eundem cantat lingua, eundem caput, manusque adorant, & genua, eundem referunt hominum artificia. Si non audit hæc Deus, est ignorans, si non exaudit, ingratus, crudelis omnino, si vociferari nos compellit quotidie, quos non exaudit. Deus autem, qui infinita sapientia, bonitas, claritas est, ignorans, vel ingratus, vel crudelis esse non potest. Omnino autem cum superior mens comprehendat inferiorem potius quàm econuerso, si mens humana mentem diuinam attingit, necessarium est à diuina mente humanam comprehendi & gubernari.

Caueant adolescentes, ne facile de religione sententiam ferant.

CAPVT III.

ETsi homo natura in qualibet ætate, exceptis paucissimis, & illis quidem deprauatis, religiosus est, duæ tamen ætates, vt Plato scribit, religiosiores sunt, pueritia videlicet, & senectus. Nam pueri religiosi nascuntur, atque educantur, & in religione firmissimi permanent, quousque in adolescentia ratio excitetur, quæ sua natura singularum rerum causas rationesque requirit, si in hac ætate, aut ea studia capessant, aut in eos sermones incidant, quibus diligenter rerum causæ perquirantur, incipiunt quasi nihil velle asseuerare, nisi cuius ipsi rationem perspexerint. Tunc primum religionem magna ex parte post tergum abiiciunt, nisi forte legibus, seniorumque consilio se committant. Quia diuinorum occultissimæ rationes longo vix tandem tempore exquisitissima diligentia purgata mente perspiciuntur. Adolescentes illi rationes huiusmodi nondum attingunt, & quia nihil fermè asserunt, cuius non videant rationem, si proprio confidant iudicio, religionem quodammodo negligunt. Nonnulli in hac opinione constituti propter superbiam incontinentiamque, Aristippicis voluptatibus sese dedunt, tandem nihil amplius de religione, nisi tanquam de anilibus fabulis cogitantes. Alij vero propter mansuetudinem & modestiam, Pythagoreo ritu mentem purgant à sensibus, per Morales, Physicas, Mathematicas, Methaphysicas disciplinas, ne tanquam superiores illi, lippos adhuc oculos in diuinum Solem subito dirigentes, caligari cogantur, sed gradatim progrediẽtes. Primo lumen diuinum in moralibus tanquam solis lumen in terra prospiciant. Secundo physicis tanquam in aqua. Tertio in Mathematicis tanquam in Luna, Quarto in Methaphysicis tanquam in ipso Sole tam supercœlesti quam cœlesti perspicuè salubriterque perspiciant. Hos appellat Orpheus musarum legitimos sacerdotes, qui tandem in ætate maturiore de religione sentiunt multo melius, quemadmodum legimus apud Platonem in Epistola ad regem Dionysiũ in Phædro, in primo de republica in decimo legum. Monet autem iuuenes diuinus Plato, ne temerè de diuinis sententiam ferant, sed credant legibus, donec ætas ipsa doceat, vel per eos disciplinarum gradus, quos

narrauimus, vel per experientiam, vel per quandam animi à corpore separationem, quam moderata senectus adducit, vt anima in ea ætate res à corporibus separatas, quasi è proximo videns clarius discernat quàm consueuerit. Meminisse verò semper oportet, neque posse in iuuenibus secundum naturam sapientiam esse, neque quicquam vel in iudicando, vel in agendo periculosius esse, quam audacem ignorantiam, & audaciam ignorantem. Sapientia sine audacia prodest quidem, quamuis non satis magnificè, sed obest nunquam: audacia vero sine sapientia est fera quædam indomita, ac penitus effrenata. Quoniam vero de communi religionis veritate, prouidentia Dei, animorum diuinitate, in theologia nostra latissimè disputauimus, hæc de his ad præsens breuiter dicta sufficiant, nam ad Christianæ religionis mysterium properamus.

Omnis religio boni habet nonnihil, modo ad Deum ipsum creatorem omnium dirigatur, Christiana syncera est.

CAPVT IV.

NIhil Deo magis displicet quam contemni, nihil placet magis quã adorari, homines diuinarum legum aliqua ex parte transgressores leuius punit, Rebellantes autem per ingratitudinem, malignitatemque & superbiam, ab eius imperio fulminat. Idcirco diuina prouidentia non permittit esse aliquo in tempore, vllam mũdi regionem omnis prorsus religionis expertem, quamuis permittat variis locis atque temporibus, ritus adorationis varios obseruari. Forsitan vero varietas huiusmodi, ordinante Deo, decorem quendam parit in vniuerso mirabilem. Regi maximo magis curæ est re vera honorari, quam aut his aut illis gestibus honorari. Rex Alexander quot Gentibus imperabat, tot modis, cum vel ipse ad eas proficisceretur, vel legatos mitteret, honorabatur. Totumque id quod in eius agebatur gloriam, quodammodo commendabat, aliud tamen alio habebat acceptius. Idem quasi de mundi Rege est arbitrandum. Coli mauult quoquo modo, vel inepte, modo humane, quam per superbiam nullo modo coli. Incontinentes quidem homines, sed quodammodo subditos, vel corrigit tanquam pater, vel saltem minus affligit, impios autem ingratosque omnino, & sponte rebelles, tanquam hostis exterminat atque excruciat. Cum vero nullum humanum cultum, eius gratia susceptum Deus sicut voluntariam impietatem penitus reprobet, quem tamen maximè omnium, imò solum approbat. Deus in se ipso summum est bonum, veritas rerum, lumen fauorque mentium. Illi igitur Deum præ cæteris, imò soli syncere colunt, qui cum actione, bonitate, veritate linguæ, mentis claritate, qua possunt, & charitate qua debent, sedulo venerantur. Tales vero sunt, vt ostendemus, quicunque ita Deum adorant, quemadmodum Christus vitæ magister, eiusque discipuli præceperunt.

Discipuli Christi neminem deceperunt.

CAPVT V.

SI discipuli Christi decipiendi humani generis gratia, figmentum introducere cogitauissent, rationem certe facilioris persuasionis aliquam habuissent. Contra vero fecerunt, aggressi enim sunt rem tum ad credendum, tum ad obseruandum omnium rerum difficillimam. Adde quot modis etiam difficillimis, si tempora, loca, personasque consideres, in temporibus scilicet eruditis, in vrbibus amplissimis, plenisque omnium doctrinarum, aduersum potentes, principesque, & doctos & multos, cum ipsi debilissimi essent, omnium rerum egeni, rudes ab initio, & paucissimi. Vndecim enim Christus reliquit Apostolos, duo vero illi & septuaginta Christi discipuli ab Apostolis regebantur. Audire licet Paulum Corinthiis ita dicentem: Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundũ carnẽ, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret. Non igitur finxisse credendi sunt, præsertim quia summa inter se bonorum morum, opinionumque concordia, fortiter vsque ad finem in re maximè omnium ardua perseuerauerũt, alioquin nihil obtinuissent, neque præmium tanti laboris vllum in hac vita, vel ipsi præcipiebant, expectabantue, vel populis pollicebantur. Atque hoc est, quod inquit Paulus. Si in hac vita tantum speramus in Christo, miserabiliores sumus cunctis hominibus. Sæpe prædicebant se morituros pro fide, & postea vniuersos, qui eorum disciplinam secuti essent, acerba, & nefanda passuros. Vt obmittam, quod abiiciebant quæcun-

que habentur à mortalibus bona, abiicique iubebant, neque in angulis susurrabant, sed palam vulgo suam doctrinam audacter disseminabant. Siquidem Paulus etiam catena collum vinctus publice prædicabat, vnde scribit ad Philippenses. Quę circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelii, vt vincula mea manifesta fierent in Christo Iesu, in omni prætorio, & in cæteris omnibus. & alibi ait: Euangelium iam prædicatum fuisse omni creaturæ quæ sub cœlo est. Rursus, in Act. Apost. Nihil horum in angulis gestum est. Sic enim Christus præcepit discipulis suis in Euangel. Matth. & Lucæ. Quod dico vobis in tenebris &c. Credebant igitur illi, se vera hominibus prædicare, imò certè quod prædicabant, intelligebant. Hinc illud Petri, Parati semper estote ad satisfactionem omni poscenti à vobis rationem, de ea, quæ in vobis est, spe & fide. Hinc illud Pauli ad Corinthios. Ego sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hinc Paulus & Apollo vbique cum doctis de Christi mysteriis disserentes, Prophetarum volumina in medium adducebant. Iubet sæpe Paulus discipulos suos, præcipuè sacerdotes, profundæ prophetarum intelligentiæ diligenter incumbere. Credebant igitur, intelligebantque, vt dixi, quod prædicabant. Alioquin pro disciplinæ illius assertione nequaquam tam intrepidè, tam libenter se continuis laboribus, periculis, verberibus, & certæ morti supposuissent. Paulus pro Christi gloria annos septem atque triginta, supra quàm credi possit, vsque ad extremum Spiritum omni afflictionum genere continuò laborauit. Laborauit tempus idem & Petrus, laborauit Ioannes Euangelista annos octo & sexaginta, cæterique per omnem vitam similiter.

Quo animo Christi discipuli laborabant.

CAPVT VI.

QVo autem animo Christi discipuli laborarint, declarat Paulus in epistola ad Romanos. Quis, inquit, nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut oues occisionis. Certus sum enim quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Idem postquam Corinthiis enumerauit multa laborum, tormentorumque genera, quæ & tulerat, & ferebat, subiunxit, in his se lætari, gloriari, corroborari. Idem scribit dum Romæ vinctus esset ad Philippenses: In nullo confundar, sed cum omni fiducia, sicut semper, & nunc exaltabitur Christus in corpore meo, siue per vitam siue per mortem, mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est, quid eligam ignoro, coarctor autē è duobus. Desidero enim dissolui, & esse cum Christo, atque hoc quidem mihi multo melius, permanere autem in carne propter vos, necessarium est. Subiungit diuinans in hunc modum. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei, vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos. Et paulo post: Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me. Liberatus autem est, vt prædixit, à vinculis, rediitque ad illos. Idem ad Colossenses. Permanete in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Idem ad Thessalonicenses. Nemo moueatur in tribulationibus istis, ipsi scitis, quod in hoc positi sumus. Nam cum essemus apud vos, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis. Idem ad Timotheum: Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora in Euangelio secundum virtutem Dei. Et paulo post: Ob Euangelium hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositū meum seruare in illū diem. Itē post pauca: In Euangelij prædicatione laboro vsque

ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum, ideo omnia sustineo propter electos, vt ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum cœlesti gloria. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & corregnabimus, si negauerimus, & ille negabit nos. Si verò non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Item, Scis quales persecutiones & passiones sustinui Antiochiæ, Iconiæ, Lystris, & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur. Similiter Corinthiis: Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferimus, vt & vita Iesu in corporibus manifestetur. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Vnde Galatis: Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto Rursus Corinthiis: Puto quod nos Apostolos nouissimos Deus ostendit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus. Et post pauca. Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, scilicet comparandi victus gratia, nunquam enim voluit alieno labore viuere. Et sequitur. Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema, id est, rudera, atque sordes. Idem Romanis: Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam gignit, patientia probationem, probatio vero spem, spes autē non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Similiter Galatis. Absit vt glorier in alio, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifix us est, & ego mundo. Item, Cum Christo affixus sum cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Sed audi rursus quid Romanis dicat. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autē filii, & heredes heredes quidē Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriā, quæ in nobis reuelabitur. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Idem Corinthiis. Si mortui non resurgunt, cur nos periclitamur omni hora? Quotidie morior, propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Quod secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Rursus: Tribulamur fratres pro vestra exhortatione, & salute, quæ operatur in nobis tollerantiam earundem passionum, quas & nos patimur, vt spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum grauati sumus. Item: superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus. Vnde Ephesiis ait: Ego Paulus vinctus Christi Iesu pro vobis Gentibus, obsecro ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ gloria vestra, denique ait se pro Christo legatione fungi catena. Philippensibus ait, se omnia, quamuis maxima, nihili pendere, & vt stercora existimare, vt Christum lucretur, sociusque sit passionis eius, configuratus morti eius, ad eius resurrectionem promerendam. Item, conuersatio nostra in cœlis est. Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem suam, qua possit etiam subiicere sibi omnia. Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi. Thessalonicensibus autem: Vos quoque imitatores nostri facti estis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti. Scitis fratres introitum nostrum ad vos inanem non fuisse, sed ante passos, contumeliisque affectos, sicut nostis in Philippis, magna cum fiducia & solicitudine in Domino vobis Euangelium prædicasse. Facti estis imitatores Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, in Christo Iesu, eadem enim passi estis & vos à contribulibus vestris, quæ & ipsi à Iudæis. Consolati sumus in vobis fratres in omni tribulatione, & necessitate nostra, per vestram fidem, quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino.

Hebræos præterea ita cohortatur. Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vincti compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos meliorem habere, & manentem substantiam in cœlis. Nolite itaque amittere fiduciam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Item, habentes igitur Pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Item, & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circundans nos peccatum, per patientiam curramus propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucē, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Sed nescio quo spiritu ad illa quæ ad Corinthios scribit redire cōpellor. Ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & in ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instātia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor, Deus & pater Domini nostri scit, qui est benedictus in secula, quod non mentior, Damasci Præpositus Gentis Arethæ regis custodiebat ciuitatē Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Laudat quin etiā Corint. quod sustineant, si quis in seruitutē redigit, si quis deuorat, si quis extollitur, si quis in faciē cædit. Quod autem ipse non pro sua, sed pro sola Christi gloria contenderet, sic aperit. Inter vos alius dicit, ego quidem sum Pauli, alius ego ipsius Apollo, nonne homines estis quid enim est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit, itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat & qui rigat vnum sunt. Nemo igitur in hominibus glorietur. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mūdus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Sed audi & illud Charitas non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidit. Huic simile illud Canonicæ Ioannis: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras timorem mittit. Concludamus iam verba Pauli cum Epistola ad Timotheum. In hoc laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuū. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad instructionem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi seculorum, immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula sæculorum. Hæc Paulus Apostolus. Ioannes quoque Apostolus in Apocalypsi se testem & participem passionum Christi appellat, & quosdam populos ad patientiam cohortatur. Multos de patientia valde commendat in Epistolis, similiter & alii Apostoli atque Euangelistæ. Scribit denique Lucas Euangelista, quod Apostoli à Iudæis cæsi, exultantes incedebant, qui digni habiti essent, qui pro Christi nomine iniurias paterentur. Insuper quod constituerunt nihil inter se suosque proprium possideri, & administrationem bonorum ab Apostolis alienam esse voluerunt. Addit, cum Cornelius quidam adorare Petrum voluisset, à Petro increpitum, prohibitumque fuisse. Præterea cum Lycaonienses propter miracula Paulo & Barnabæ tanquam diis immolare vellent, ab ipsis non fuisse permissos. Ioannes quoque in Apocalypsi se adorari prohibuit. Ex quo patet Apostolos non suum commodum, vel honorem, sed solam Christi gloriam quæsiuisse. Siquis igitur finxisse Apostolos suspicatur, is aut hæc, & similia nunquam legit, aut delirat.

Discipuli Christi à nemine fuerunt decepti.

CAPVT VII.

DIcipuli Christi, eorumque sectatores longè manifestiora maioraque miracula viderunt quàm nos, qui quamuis in hac religione nati, educatique simus, tamen non tantum pro re nobis consueta laboraremus, quantum illi pro noua, & quasi, vt ita loquar, monstruosa laborauerunt, quæ quanto monstruosior apparet, tanto clarioribus signis, portentisque ab initio, vt crederetur, indiguit. Nam quis facile credat, adolescentem quendam illiteratum, fabri, (vt putabatur), filium, mendicum, infami supplicio publicè interemptum, esse diuinam ipsam mētem, quæ semper in Deo est, per quam cuncta fiunt semper atque reguntur.

Quod de nullo vnquam alio creditum est, vnde vt Lucas Euangelista scribit, cum Paulus Apostolus hac de re coram Agrippa rege, ac Portio Festo Iudææ præside disputaret, Festum exclamasse, insanis ô Paule, multæ literæ te insanire compellunt. Huc tendit etiam illud Tertulliani ad Romanos iudices, Hæc & nos risimus aliquando, de vestris sumus, fiunt, non nascuntur Christiani. Putandum est igitur illos qui hæc asserebant, & qui fidem asseuerantibus adhibebant, miracula palā Deo digna vidisse. Hinc Paulus ad Corinthios: Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem conuersis Iudæis atque Græcis Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Solis miraculis, & illis quidem manifestissimis adduci potuit Paulus, vir nobilis, potens, sapientissimus, atque fortissimus, vt ex acerrimo Christianorum hoste, repente acerrimus defensor euaderet totque incommodis se sponte subiiceret ob solum Christi amorem, quot nemo queat enumerare. Verè enim apud Lucam Deus prædixit, Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israël. Ego enim ostendam illi quanta oporteat pati pro nomine meo. Nullo igitur pacto credendum est, Christi præcones alicuius præstigiis fuisse deceptos. Scripta enim & gesta tam discipulorum Christi, quàm eorum qui eo tempore subito, & maximo cum periculo, disciplinam huiusmodi recepērunt, testantur apud viros sanctæ mentis, primitias Christianorum fuisse tales, vt neque voluerint decipere, neque decipi vllo modo potuerint. Quid causæ fuit, vt multi tàm Iudæi quàm Gentiles, in quamlibet disciplinam eruditissimi, multique diuites, dimissis rebus oblectamentisque suis mallent cum rusticis illis mendicisque Christi discipulis crudeliter mori, quam cum mundi delitiis viuere? Audiamus diuinum illum virum Tertullianum Carthaginensem in Apologia ad Romanos iudices ita clamantem: Sed hoc agite boni præsides, cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam & proximè ad lenonem damnando Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisita crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ, plures efficimur quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum, omnia impleuimus. Ac si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere, potuimus inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius diuortij inuidia aduersus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remotissimum locum abrupisset à vobis, suffudisset vtique dominationem vestram tot amissio ciuiū, imò etiam & ipsa destitutione punisset, proculdubio expauissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & ob stuporem quendam quasi mortuæ vrbis quæsissetis, quibus imperaretis, nam penè omnes ciues Christianos habetis. Origenes quoque in quarto Periarchō libro inquit, innumerabiles in singulis mundi regionibus homines relictis patriis legibus, Christianam legem subito suscepisse, omniaque tormentorum genera, & mortem in eius gloriam libentissime & quotidie ferre. Iam verò si numerare vellem millia virorum in qualibet doctrina, Philosophia, præsertim excellentium, qui Christi discipulorum discipuli, successoresque fuerunt, & longo ordine vsque ad Iuliani Imperatoris tempora, inter gladios ignēque Christum, sanctimonia, voce, literis, diuturno labore, periculo, morte defenderunt. Opus cogerer haud breue componere, vt de mille millibus Oratorum Philosophorumque taceam, qui apud Græcos, Barbaros, & Latinos post Iulianum totam vitam sanctissimè in Christia-

no opere consumpserunt.

Christiana religio in sola Dei virtute fundata est.

CAPVT VIII.

SI Christiana religio haudquaquam fundata fuit in potentia, vel sapientia humana, vel voluptate, imò vero inuitis & contra nitentibus passim multis potentibus, doctisque viris, & humanis oblectamentis, tam subito exorta est, tam repente per vniuersum obem propagata. Vnde ad Romanos scribit Paulus: fidem eorum in vniuerso mundo annunciari, & ad Coloss. Euangelium in vniuerso mundo esse. Ioannes quoque : Quod natum est ex Deo vincit mundum, hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Necessarium est hanc ipsam religionem in potestate, sapientia, speque diuina fuisse fundatam. Quid quod multis ante seculis longo ordine à plurimis Prophetis atque Sibyllis, singula hæc prædicta fuerunt? quod in sequentibus ostendemus. Quid quod Christus vitæ magister, mortem suam, persecutionem aduersum discipulos suos vbique futuram, propagationem, immutabilitatemque religionis suæ, miserabilem Iudæorum ruinam breui venturam, Gentilium conuersionem, Iudæorum quorundam pertinaciam, vsque ad mundi finem duraturam, tum ipse prædixit, tum discipulos suos inspirauit vt dicerent? Atque id, quod mirabile est, Christus obsidionem in Sabbato futuram, & exitium fame, ferroque à Gentilibus inferendum, atque stragem inauditam, captiuitatem præterea Iudæorum in omnes Gentes, non aliter ante præscripsit, quàm Iosephus scripserit post ruinam. Præterea operæ precium est audire, qua concione vsus est & Iesus, & quisque discipulorum suorum ad auditores persuadendos. Date vestra omnia pauperibus, charissimos vestros respuite, porrigite genas percutienti, benefacite inimicis, vitam hanc omniaque eius oblectamenta pro nihilo habetote, abnegate vosmetipsos, crucem hanc nostram, crucem terribilem sustinete, sequamini nos quam primum precamur. Si enim nos sequemini, proculdubio quæcunque à mortalibus mala existimantur, per omnem vitam subibitis. Hæc illi. O suasionem dissuasionis omnis vndique plenam. An putamus Demosthenem, Ciceronemque hanc ratione quicquam persuadere cuiquam potuisse? Persuasit tamen concio illa, imo concionator subito multis, magnisque viris. At vnde? A Deo factum est illud omni miraculo mirabilius, siquidẽ, vt testantur qui audierunt, loquebatur Iesus non sicut Scribæ & Pharisæi, sed tanquam potestatem habens. Persuasum autem illis vsque adeò fuit, vt Christi sectatores, ipsum plusquam humanæ naturæ secundum se possibile est, semper amauerint, quod quidem nullo modo negabit, qui vacua mente illorum opera, & scripta considerauit, totum verò illud est diuinum. Si quis est qui dubitat, legat, & relegat diligenter Prophetarum, Euangelistarum, Apostolorumque libros, legat & eorum, qui illos eo tempore secuti sunt, commentaria. Veritas huius rei protinus elucebit, in illis enim noua vis est, singularis quoque simplicitas, sobrietasque & ardor, grauitas, profunditas, & maiestas. Quod quidem indicat neque diuinam ab illis vim, flamamque abesse, neque veritatem ipsam verborum fuco, neque vim diuinam humanis machinis indigere. Adde, quod in tot veteris, nouique testamenti voluminibus, nihil vsque nisi consonum reperitur, quod cæteris non est concessum, maximumque est diuinæ veritatis indicium. Habent scriptores illi nescio quid pium & augustum, atque id, quod mirabile est, inter se quidem commune, à cæteris omnibus penitus alienum, quod significat omnibus illis Deum præ cæteris aspirasse. Quid dicemus ad hoc? quod cum cæteri omnes scriptores ambigant, & vacillent, illi tamen nihil vsque dubitant, sed tanta, proh Deus omnipotens! certitudine loquuntur, quanta fortitudine durissima quæque peregerunt. Audi piscatorem illum Ioannem Euangelistam. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita ipsa innotuit, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum, & hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis, quod Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Rursus in iis considera, quanta affirmatione loquatur: Deus testificatus est de filio suo, & hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit

nobis Deus, & hæc vita in filio eius est, qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium Dei, non habet vitam. Hæc scribo vobis, vt sciatis quod vitam habetis æternã, qui creditis in nomine Filij Dei, & hæc est fiducia quã habemus ad Deum, quoniam quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos, & scimus quod audit nos, quicquid petierimus, scimus quod habemus petitiones quas postulamus ab eo, scimus quod qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. Scimus quod ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est, & scimus quod Filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verũ Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna. Item, Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus, & ij tres vnum sunt, & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Nolite mirari fratres, si odit vos mundus, nos scimus quod translati sumus de morte ad vitam. Rursus, in hoc cognoscimus, quod in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, & nos videmus & testificamur, quod pater misit filium suum, saluatorem mundi, & nos cognouimus, & credidimus veritati, quam habet Deus in nobis. Item alibi, Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit, quia vera dicit. Item, Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus testimonium eius verum esse. Sed vide insuper quanta asseueratione proclamet: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Rursus alibi: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum. Nescio quis possit simplicius quicquam pronuntiare simul & efficacius affirmare. Concludemus verba Ioannis cum hac eius indubitata sententia: Ego vos in veritate diligo, & non ego solus, sed omnes qui cognouerũt veritatẽ propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternũ. Iacobus duodecim tribubus dispersis ita loquitur: Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrę patiẽtiã gignit, patientia autẽ opus perfectũ habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes. Si quis autẽ vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hæsitãs. Et paulo post. Omne datum optimũ, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Audiamus & Petri fiduciam: Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Nolite trepidare, sed cõmunicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione eius gloriæ gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Iesu Christi, beati estis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus super vos requiescit. Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, qui & eius quæ est in futuro reuelanda, gloriæ communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneè, secũdum Deum. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriã, in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, consolidabitque, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum Amen. Idem alibi: Non enim indoctas fabulas secuti, notam facimus vobis Dei nostri Iesu Christi virtutem, & præscientiam, sed magnitudinis illius speculatores effecti. Cõsiderare præterea decet spem, charitatem, firmitatemque Pauli, habentes talem spem multa fiducia vtimur. Dominus quidem spiritus est, vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos verè omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Ideoque habentes hanc administrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis cõmendantes nosmetipsos ad omnem conscientiã hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est Euangeliũ nostrum

in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicauimus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos per Iesum. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in faciem Christi Iesu Habemus autem Thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, attenuamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deiicimur, sed non perimus. Et paulo post. Scimus enim, quod qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit cum Iesu, propter quod non deficimus. Sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternū gloriæ pōdus operatur in nobis. Non contēplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, quę enim vidētur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim quòd si terrestris domus nostra huius habitation. dissoluatur, ædificationē ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Hæc ad Corinthios. Timotheum verò sic admonuit: Vigila, in omnibus, & labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto, ego enim iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in posterum reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed omnibus qui diligunt eius aduentum. In his verbis vaticinatus est præsens sibi imminere martyrium, quod breui secutum est. Non possum me continere quin his adiiciam, quam certa asseueratione, quantaque maiestate in epistola ad Hebræos æternam filij Dei generationem, vimque cecinerit. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit, & quæ sequuntur. De eodem filio Dei in sequentibus dicit. Viuum est enim verbum Dei, & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque, & medullarum, discretor cogitationum, & intentionum cordis. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ad quē vobis est sermo. Ad Colossenses Filius est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari, omnia per ipsum pacificans, per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. Sed ne cogar longius progredi per ea quæ de filio Dei miranda in Epistola ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philippenses, ac de Spiritu sancto ad Corinthios, deque cæteris Theologiæ mysteriis alibi tanquam oracula firmissima fundit, vno verbo comprehendam. Siquis diligenter sacras literas legerit, Christianam legem diuina virtute constare fateri cogetur. Siquidem nostri heroes stabiles hærent immobili fundamento, clari mente, voluntate feruentes, verbis simplices, atque certi, actione indefessi, inuicti proposito. Cæteri anxie nimium ratiunculas per ambages aucupantur, atque, (vt inquit Dauid,) tanquam impii, circuitu quodam oberant, neque sui, neque aliorum duces sufficientes. Denique si religionis maximè propria est puritas, hæc certe diuinissima est, quæ neque viles posteriorum Iudæorum superstitiones, & spurcissima Talmut deliramenta, neque obscœnas, & iniquas Gentilium fabulas, neque abominabilem Mahumetensium licentiam, & Alcorani ineptias admittit, quæ neque terrena præmia, vt leges aliæ, sed cœlestia pollicetur, neque aduersarios fidei legisque suæ interfici iubet, quemadmodum iussit Talmut, & Alcoranum, sed vel ratione doceri, vel oratione conuerti, vel patientia tolerari. Quæ vt in primitiis Christia-

norum re ipsa manifestissimè apparuit, non modo amputat vitia, sed extirpat, virtutesque persuadet operando priusquam suadendo. Talis enim illorum conditio sorsque fuit, vt non aliter persuadere potuerint, quàm & virtutes & miracula exercendo. Virtutes præterea non ambitionis aut voluptatis, aut tranquillitatis humanæ, sed Dei solius gratia ardenter exercet, totumque hunc mundum pessundat, & pro nihilo habet, vt mundum alterum consequatur.

Authoritas Christi non ab astris, sed à Deo est.

CAPVT IX.

COmmunem religionem neque à stellis, neque ab hominibus quibusdam, neque à morbo esse, sed à Deo, atque humana speciei communi natura, in Theologia nostra probauimus. In præsentia verò Christianam legem non esse, seruarique à fato quodam syderum, breuiter sic ostendimus. Aduentus Christi tanquam diuinus ab initio mundi prædictus à Prophetis, Sybillisque fuit, non in Astrologia peritis, sed diuinitus inspiratis. Adde quod solent sphæræ cælestes, tanquam causę vniuersales atque remotæ, particulares in terris effectus, non absque commodis quibusdam mediis ad finem perducere. Humana verò omnia, non modo non subministrarunt commodè Christianis, sed annos trecentos prorsus aduersata fuisse traduntur. Vnde cum Paulus apud Lucam Romæ disputans cum Iudæis dixisset, propter spem Israël catena hac circundatus sum, subiunxerunt Iudæi, compertum habemus huic sectę vbique contradici. Ob hoc ipsum sic exclamauit Tertullianus. Cum odio sui cœpit veritas, simul vt apparuit inimica est, tot hostes eius, quot extranei, & quidem propriè ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri, quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus & congregationibus nostris deprimimur. Item, Veritas nihil de sua causa deprecatur, quia nec de conditione miratur, scit se peregrinam in terris agere, ita inter extraneos facilè inimicos inuenire. Cæterum, genus sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere, vnum gestit interdum, ne ignorata damnetur. Quid enim iniquius, quàm vt oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odiū? Item vtrumque ex alterutro redarguimus, & ignorare illos dum oderunt, & iniustè odisse, dum ignorant, Hæc ille. Præterea corporales causæ, leges vel voluptuosas, vel ambitiosas, vel certè non plusquā ciuiles inducunt, Christiana lex omnia hæc damnat, vel superat. Item sphæræ cœlestes non altius infundere desiderium possunt, quam cœlorum. Christiana pietas cœlestes spernit sphæras, atque transcendit, Deumque adorat solum super cœlum, vtpote quæ non nascatur à cœlo, cœlestibusue spiritibus, sed à solo supercœlesti Deo, Innumerabiles homines apud omnes Gentes pro Christi nomine libenter se vulneribus, certæque morti solius diuinæ beatitudinis gratia obtulerūt. Quando alias talia cœlestis motus effecit certamina? Quis sapiens vnquam potuit doctrinam suam sola pietate ad vniuersum orbem spargere? Ac Deus ob solam virtutem, vel aduersante prisca consuetudine, atque potentia, vbique credi. Si hæc à syderibus proficiscerentur, profecto alius quoque eandem aut similem stellarum necessitatem nascens habuisset. Quod nam fatum vniuersi creatorem ipsum esse confirmauit, qui nullam esse fatorum vim docuit, atque docet. Quomodo igitur ipsum fatū sibimet repugnat, & non esse seipsum prædicat? Hæc ita Eusebius confirmauit, qui prædicationis Euangelicæ gratia vel certarunt iam multis annis, vel etiam nunc certant, quomodo ad vnam voluntatem, & fidem, & eandem virtutem animi, viuendique rationem diuersis temporibus, & tam multi nostra memoria compulsi sunt. Quis mētis compos credere vnquam poterit, iuuenes simul ac senes, viros & fœminas, seruos & liberos, doctos atque indoctos, non in vno climate orbis, neque in eadē hora natos, sed vbique terrarū, & diuersis temporibus syderibus coactos, vnā & eandem, nouam atque inauditam doctrinā, & quidem cum periculo mortis, patriis ritibus anteposuisse, & veræ philosophiæ dogmata, duritiemque viuendi, quam delitias maluisse. Hæc Eusebius. Non igitur audiendi sunt impij quidam, & fati fatui assertores, qui in ipso Christianæ religionis initio pronunciauerunt, ipsā cum primum annos trecentos sexaginta quinque impleuisset ruituram, idque etiā quodam oraculo firmauerunt. Neque audeat Astrologus aliquis aliquando eam defecturam pronunciare, quæ non à tēporali cœlorum motu, sed ab æterna Dei stabilitate dependet, quæ ab initio mundi vsque ad

que ad Octauiani Imperatoris tempora in Prophetarum præconiis populorumque expectatione, rerum similitudine constitit. Deinde vsque ad nos annos iam mille & quadringentos septuagintaque & quatuor, inuitis cœlis, terrisque perdurat. Cuius persecutores primos scilicet Iudæos, Deus ob hoc ipsum, vt aliàs ostendemus, exterminauit, quam à diuturna, immanique Gentilium, hæreticorumque persecutione defendit. Nunquam igitur poterit religio hæc aboleri, quæ Deum vindicem habet, atque custodem, etiam si male administretur à suis, & crudeliter impugnetur ab hostibus, stat enim regente Deo, qui non minus à suis male tractatur quam alienis. Denique si prosperè Christianis res humanæ succedent, ceremoniæ non cessabunt, si aduersa multa contingent, crescet tandem hæc religio, atque perficietur. Nam cum extrema quadam, & diuturna aduersitate quondam orta, adultaque fuerit, eadem necessario nutrietur, ac prorsus implebitur.

Christi authoritas absque miraculis minimè fuit.

CAPVT X.

SEd arguendi acriter illi mihi videntur, magnanime Laurenti, qui quotidie tam pertinaciter quam imprudenter noua ad fidem Christi confirmandã miracula exigunt. Si enim rara sunt, prodigia sunt, si frequentissimè fierent, vel artificiosa, vel naturalia videntur. Sufficiat nobis scire, mundum olim non absque manifestis miraculis tam miraculosè, tam miraculosa instituta, & opera cœpisse, & pertulisse. Quid quod Christũ fecisse miracula, Gentiles, Iudæi, Mahumethenses nobis concesserunt. Miracula de stella ab Oriente, Eclypsi Solis, ac terræ motu, tẽplique scissione, & alia multa, multis hominũ milib⁹ manifesta discipuli Christi tã in Iudæa quam alibi palã quotidie prædicabant, atq; scribebant. Atque eo quidem tẽpore, quo innumerabiles adhuc supererant eorũ, qui cũ moriente Christo viui & iã adulti fuissent, redarguere discipulos illos omniũ rerũ egenos, nisi vera dixissẽt, facilimè poterant. Quonã pacto Herodes facinus tã abominabile, & periculosissimũ perpetrasset, quãdo videlicet tot infantes, filiumque suũ interemit, nisi nouo quodã, & stupendo prodigio fuisset perterritus. Quod quidẽ cũ primũ perpetrauit, ad Octauianũ scriptum fuit. Audi Macrobium. Quũ audisset Augustus inter pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, præstat Herodis porcum esse quam filium. Operæprecium est audire primum de terræ motu, inquit enim. Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tyberij Cęsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ prostratis. Forsitan ille terræmotus fuit, qui in Iesu Christi contigit passione, tum quia dicit eum fuisse talem, vt nunquam similis fuerit. Tum verò quia in Asia, & Tyberio imperante, vbi scilicet, & quando passus est Christus, scribit Eusebius, se legisse in commentariis Ethnicorum, quod anno Tyberij decimo octauo, Solis facta est defectio, Bithynia terręmotu concussa, & in vrbe Nicea ædes plurimæ corruerunt, quæ omnia congruunt, quæ in passione saluatoris acciderunt. Scribit verò super his & Phlegro, qui Olympiadum egregius supputator est, in decimotertio libro, ita dicens: Quarto autem anno ducentesimæ secũdę Olympiadis, magna excellens inter omnes, quæ ante eam acciderunt, defectio Solis facta, dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithynia, Nicenæ vrbis multas ædes subuertit, hæc Phlegro. Argumentum huius rei, quod Saluator hoc anno passus sit, Euangelium præbet Ioannes in quo scribitur: post quintum decimum annum Tyberij Cæsaris tribus annis dominum prædicasse. Iosephus etiam vernaculus Iudæorum scriptor, circa hæc tempora, die Pentecostes, sacerdotes primum, locorum quosdam sonitus sensisse testatur, deinde ex adyto templi, repentinam subito erupisse vocem dicentium: Transmigremus ex his sedibus, huc vsque Eusebius. Quod autem Christus passus fuerit anno Tyberij decimo octauo, declarat etiã Lucas Euangelista, qui anno Tyberij quintodecimo Christum baptizatum dicit, anno trigesimo iam propinquantem. Computat autem Eusebius, Christum anno quadragesimo secundo Imperii Augusti natum fuisse, cœpisse vero Euangelium prædicare anno Tyberii quintodecimo. Dionysius Areopagita philosophorum Atheniensium præstatissimus, & Apollophanes insignis sophista naturaliumq; rerum scientia pollens, eo die quo Ies⁹ occidebatur, vnà apud Heliopolim erant. Hic tunc viderunt Lunę globum extra coniunctionis tempus ab Oriẽte Soli mirabiliter incidẽtẽ, atq; ipsum ab

hora nona vsque ad vesperam supra Solis diametrum mirabiliter obsistentem, incidentiamque eiusmodi vsque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum ex aduerso diametri resilisse, considerauerunt. Cum verò hæc præter omnem naturæ ordinem contigisse manifestè cognoscerent, Dionysius prorsus obstupuit, & Apollophanes conuersus ad Dionysium exclamauit, præclare Dionysi, hæ quidem sunt rerum vicissitudines diuinarum. Hæc Dionysius Areopagita scribit ad sapientem Polycarpum, rogatque eum, vt Apollophanem ipsum ad huc viuentem, & nondum Christianum conueniat, qui neque sit negaturus, illa præter naturę ordinem euenisse, neque Christianam veritatem aspernaturus vlterius, sed eam humiliter suscepturus. Lactantius affirmat Christum cruci affixum fuisse Martij die X X. Esculus autem quidam Astrologus, quamuis parum religiosus, asserit tamen Astrologica computatione certum esse, ea die qua Christus cruci affixus est, Solem in primo Arietis gradu, Lunam in principio Libræ fuisse, atque eclypsim secundum naturam non potuisse fieri, tum quia plenilunium erat, oportet autem Solis eclypsim in nouilunio fieri, tum quia ab Oriente incepit eclypsis illa, cum ab Occidente incipere soleat naturalis eclypsis. Alij Solem in Piscibus fuisse volunt, in Virgine Lunam, idem tamen ab his de eclypsi concluditur atque ab Esculo. Idem ostendunt Iudæi, qui lege sic iubente, pascha semper quartadecima Luna celebrauere, & in pascha Iesum immolauerunt, Eclypsis autem fuit, non enim licebat tunc in re tam manifesta mentiri, nam in eodem seculo, & apud eosdem prædicata, scriptaque sunt, in quo, & apud quos miracula eiusmodi euenisse narrantur. Solius autem Christi gratia miraculum illud factum est in cœlo. Quid enim aut tunc, aut aliàs miraculosius quam Christus factum est, vel sub cœlo, vel supra cœlum ? De quo præco eius Paulus: Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Atq; id, quod admirationem exauget, hoc confessa tunc est hominum lingua, postquam in forma serui exinaniuerat semetipsum humilis, & obediens factus vsque ad mortem, mortem autem crucis. Si absque miraculis hominem in eiusmodi habitu ac sorte constitutũ mundus summum esse Deum confessus est, hoc vnum miraculorum omnium vincit admirationem. Ego adduci non possum, nisi miracula multa vidisset, Ioannem Euangelistam scriptorem maximè omnium simplicem, atque sobrium, tam miraculosa voce ausum fuisse clamare: Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Mitto quod Euangelistæ sæpe aiunt, Iesum millia infirmorum simul mirificè curauisse. Docet nos magnus Paulus, qualis illa fuerit Apostolorum prædicatio, qua populi multi conuertebantur, nam Corinthiis inquit: Ego fratres cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, & ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos, & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & potestatis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potestate Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. In alia Epist. eisdem dicit: Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigiis & potestatibus. Sed audiamus eum ad Thessalonicenses scribentem: Scio quod Euangelium nostrum non fuit ad vos tantum in sermone, sed in potestate, & Spiritu sancto, & plenitudine multa. Adeone sui oblitus erat prudentissimus Paulus, aut vsque adeò obliuiosos opinabatur populos, ad quos scribebat, vt commemoraret, se apud eos fecisse prodigia, nisi fecisset, in promptu erat redargutio, & infamia, si forte mentitus esset. De prodigiis à se factis scribit etiam ad Romanos, ex quibus & similibus miracula temporibus illis non defuisse concludimus, quorum virtute ad exemplar, lumenque, imò ad habitaculum nostrum ædificata tunc est domus Dei, quæ, vt ait Paulus, est ecclesia Dei viui, columna, firmamentumque veritatis, & manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Hæc ad Timotheum. Quid igitur garrimus increduli ? quid vlterius procaces efflagitamus ? num quotidie (Deo magno nobis-

cum) sub iudice lis est? num quolibet temporis momento, tum singulis nobis, tum posteris, qui similiter quærent, Deus authoritatem suam redimere miraculis cogitur? & tanquam præstigiator aliquis mercenarius in theatrum prodire ad nutum cuiusque compellitur? Atqui neque etiam hominem animal natura liberum, violentis quibusdam signis compellere naturale ac decens est, sed inspirationibus, doctrinisque allicere, volenti enim virtus, & beatitudo promittitur, non coacto, credendo præcipientis authoritas confirmatur, non perquirendo. Quid? quod pauci sunt, qui miracula videre, paucissimi, qui accipere digni sint. Mirabilia inter homines congrue vt plurimum à Deo fiunt per animas hominum à corporibus valde seiunctas, Deoque coniunctas, tanquam per instrumenta. Immergite igitur vos in corporis lutum animæ miseræ, sic cœlestia cernetis miracula? O quam stulte optatis, inclinato in terram capite videre sublimia, rapi portentis in altum vultis, non virtutum gradibus scandere. Quid miraculosius, quid diuinius in terris, quam animus omnino sui corporis dominus? Imperium hoc experiamur, si possumus, possumus autem, si volumus, tunc non modo cernemus miracula, sed ipsi perficiemus. Ego certe arbitror, nobis etiam non merentibus, sæpe variis in locis mirabilia quædam signa diuinitus fieri, sed non patent omnibus omnia. Multa etiam non scribuntur, vel scripta quidem non creduntur, cuius quidem ambiguitatis occasionem dare videntur nonnulli homines admodum detestabiles, qui imitatione verorum, falsa prodigia introducunt, Imitatio & verisimilitudo necessariò rem veram sequuntur, quam quis imitetur, & repræsentet, non esset introductus nummus adulterinus, nisi quandoque legitimus fuisset nummus, non essent falsa conficta miracula, nisi ex veris miraculis homines ad ipsorum imitationem fidemue inuitati fuissent. Miracula, quæ Aurelius Augustinus se vidisse, & Gregorius narrat, talia sunt, vt fide carere non debeant. Audiui equidem nonnulla nostris seculis, atque etiam in vrbe nostra Florentina, mirabilia simul & credibilia contigisse, sed quædam occultiora. Illud certè multis hominum millibus, qui & viderunt, & adhuc viuunt manifestissimum, quod Anconæ anno Domini. M.CCCC.LXX. factum à multis fide dignis accepimus. Puella quædam propter pessimam quandam neruorum contractionem à primis incunabulis gradiendo natibus pro cruribus vtebatur. Præterea Bindellus, Florentinus propter faucium pectorisque contusionem, multos annos loqui nihil potuit, ambo cum diuæ Mariæ eodem in loco se suppliciter commendassent, sani protinus euaserunt, omni populo multis annis noti fuerant infirmi, & postea iam quatuor annos continue omni populo sani. Noli Laurenti mirari, quod Marsilius Ficinus philosophiæ studiosus miracula introducat, vera enim sunt quæ scribimus, ac Philosophi officium est rationibus propriis singula confirmare. Sunt autem propriæ rerum naturalium rationes, quæ secundum naturam sunt, diuinarum vero quæ super naturam huiusmodi sunt, tum metaphysicæ probationes, tum vel maximè miracula, Deus enim non tantum verbis, quantum miraculosis operibus mysteria sua probat, & præcepta confirmat, vnde illud: Si verbis non vultis credere, operibus credite.

Authoritas apud Gentiles.

CAPVT XI.

Christiana miracula nemo negauit vnquam, licet illa nonnulli ad dæmonum vim retulerint, nescientes dæmones vel sui cultum, vel vitia tandem pestiferasque dissensiones perfundere solere, hęc autem à Christianis illis heroibus alienissima. Atqui quonam pacto potest ea religio ortum à dæmonibus habuisse, quæ dæmonum cultum damnauit, euertitque, ipsosque dæmones & fugauit, & fugat? Vniuersus penè orbis Christum subito coluit, atque colit, exceptis paucis circumuagis fœneratoribus, qui auaritiæ penitus mancipati, de diuinis rectè sentire non possunt. Profecto Gentiles omnes consenserunt, Iesum aut Deum ipsum fuisse, aut certè diuinum. Milesius Apollo consultus, ita commendauit Christum: Mortalis erat corpore, sapiens prodigiorum effector, sed sub ducibus Chaldæis, armis comprehensus, clauis, fustibusque amaram mortem passus est. Porphyrius in libro de responsis inquit, Christum dij maximè pium pronunciauerunt, immortalemque euasisse asseruerunt, benignum admodum de illo testificantes. Adiungit Hecatem deam interrogantibus de Christi anima respondisse: Viri pietate præstantissimi est illa anima, hanc colunt à rigiditate alienam, & post multa subiunxit Hecate: Christus ipse

pius in cœlum sicut pij conscendit. Huic ergo ne derogaueris, concedit ipse Porphyrius, Christum & sapientem & pium fuisse, quamuis Christianos partim indoctos, partim magos nominet, tum veritati, tum sibi ipsi manifestè repugnans. Tertullianus in Apologetico scribit, quod cum Pilatus ad Tyberium imperatorem de Christianorum dogmate referret, Tyberius retulit ad senatum vt Christianorum sacra inter cætera sacra reciperentur. Verum cum ex consulto patrum, Christianos eliminari vrbe placuisset, ex eo quod non senatui, prius huius rei iudicium delatum fuisset. Vetus enim erat decretum, ne quis Deus absque senatus authoritate consecraretur. Tyberius peredictũ accusatoribus Christianorum minatus est mortem, multi senatorum, & equitum Romanorum interfecti. Confirmat eadem Eusebius. Vespasianus, ac Titus, auditis Christi operibus eius potentiam timuerunt. Adrianus, sicut Iulius Capitolinus narrat, statuit Christo templa facere, eumque inter deos recipere, ideoque templa absque simulachris in omnibus ciuitatibus fieri iussit, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab ijs, qui cõsulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optatè euenisset, & templa reliqua deserenda. Alexander Seuerus templa fieri Christo statuit, sed non successit, orabat in matutinis in sacrario suo coram statua Christi. Hæc Capitolinus. Sed audi quod de Adriano referat Eusebius. Quadratus discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis philosophi libros pro Christiana religione Adriano dedere compositos. Et Serenus Granius legatus, vir apprimè nobilis, literas ad imperatorem misit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem condemnari, & sine vllo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus Minutio Fundano proconsuli scribit, sine obiectu criminis Christianos non condemnandos, cuius epistolæ vsque ad nostram ætatem durat exemplũm. Hæc Eusebius. Antonius Pius cum audisset Christianos hoc frequenter vti prouerbio: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, perscrutatus est Christi vitam, eique statuam tanquam Deo sacrauit. Reor equidem ad hoc maximè inductum fuisse à Iustino Philosopho, qui ei librum pro nostra religione conscriptum dicauit. Philippus ex imperatoribus primus Christianus fuisse ab Eusebia traditur, superiores enim Iesum non solum, sed cum cæteris diis colebant, sed si omnes populum suum magis quàm deum veriti fuisse videntur. Constantinus denique cum Christi miracula in rebus suis manifestius fuisset expertus, Deum magis quam populum timuit, solumque Christum & palam adorauit, idolorum templa subuertit, Christo templa passim preciosa ædificauit. Hæc de illo scribit Eusebius qui illius tempore floruit. Principes autem illos, qui atrocius in Christianos sæuiebant, crudeli quadã natura, & temeraria perturbatione potius quam ratione iustitiæ inductos fuisse constat, siquis insanos illos Nerones, Domitianosque, quibus illis temporibus abundauit Roma, consideret. Quibus damnatoribus Tertullianus inquit, sectam nostram gloriari debere, quia nonnisi grande aliquod bonum ab illis damnari potuerit. Tales verò semper insecutores nostros fuisse iniustos, impios, turpes, ab omni populo damnatos. Modestiores vero principes erga Christianos honestius se gessisse. Sed quicunque principes præ cæteris immanissimè sæuierunt, vt Nero Domitianusque, miserabiles pœnas dederunt. Vt obmittam, quod Christi proditor Iudas repente laqueo se suspendit, quod illis temporibus Christi discipuli publicè dixerunt atque scripserunt. Præterea quod Pontius Pilatus Christi condemnator, tandem in multas incidens calamitates se manu propria interfecit, quod apud Græcorum Romanorumque historicos legisse Eusebius asserit. Similis Herodis primi exitus fuit, qui se ipse peremit, similis & secundi, qui statim post Iacobi necem, carceremque Petri, percussus ab Angelo, vt Lucas testatur, periit, atque vt Iosephus inquit, vidit Angelum suo capiti insistentem, exitiique sui ministrum, deinde grauiter cruciatus vitam violenter abrupit. Adde quod Aurelianus Imperator cum primũ aduersum Christianos persecutionem mouisset, fulmine primo territus est, mox occisus. Iulianus quoque apostata in Persas proficiscens, Christianum post victoriam diis sanguinem vouerat, sed in ipso itinere fame, sitique exercitum perdidit, ipse etiam ignominosè est interfectus. Diocletianus seipsum peremit. Maximianus turpiter est occisus.

Neque silentio prætereundum arbitror, quod Celsus Epicureus, Porphyrius quoque & Iulianus Proculusque Plato-

nici, & nonnulli alij doctrina insignes, qui partim insana quadam arrogantia, partim vt suis populis, ac potentibus obsequerentur, contra Christianam pietatem, linguam suam, calamumque impiè armauerunt, dum contra illam potentium, mundique arma sæuirent, proculdubio reipsa declarauerunt, neque illos religionis nostræ patres vllo pacto contemnendos fuisse. Quibus cum certamine congredi illustres philosophi dignabantur, & à quibus conuicti sunt, neque religionem ipsam vi humana fuisse exortam, quæ tam mirabiliter humanam sapientiam & potentiam superauit. Quod apud Esaiam Deus prædixit: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Et Paulus Apostolus confirmauit dicens: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Atque alibi strenuus hic Christi miles in hunc modum clamat: Arma militiæ nostrę non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destruendum munitiones & consilia, & omnem altitudinem extollentem se aduersus Dei scientiam, insuper ad redigendum in captiuitatem quemlibet intellectum in obsequium Christi, atque ad omnem inobedientiam promptius vlciscendam. Merito igitur hæc arma timuit Gamaliel magnus Hebræorum doctor, quando consuluit, ne Iesu disciplinam persequerentur. Si enim ex Deo esset, impediri non posse, si non esset ex Deo, sicut cætera figmenta, quæ illis temporibus contigerant, breui tempore duraturam. Timuit quoque illa diuinus ille Plotinus Platonicorum princeps interpretum, Numenius, Iamblicus & Amelius, qui Christianam theologiam non reprobare, sed ęmulari potius studuerunt. Timuit iisdem fermè temporibus, & multo magis illa Arnobius Aphricanus Rhetor clarissimus, qui cum adhuc idololatra ad credulitatē Christianam somniis compelleretur, neque ab episcopo fidem impetraret, quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersus pristinam religionem, vt Hieronymus ait, luculentissimos libros, ac tandem veluti quibusdam pietatis obsidibus impetrauit.

Christi authoritas apud Mahumethenses.

CAPVT XII.

Mahumethenses Christiani quodammodo esse videntur, quamuis hæretici, Arrianorum, Manichæorumque sectatores, confitetur certe rex eorū Mahumethes, Iesum Christum Dei virtutem, sapientiam, animam, flatum, spiritum, verbumque afflatu quodam diuino ex Maria virgine perpetua natum, suscitasse mortuos, aliaque miracula plurima præ cæteris diuinitus effecisse, fuisse cunctis Hebræorum prophetis sublimiorem, nullumque Hebræos post Iesum habituros prophetam, cunctis quidem viris eum anteponit, Mariam omnibus mulieribus. Addit corpus Iesu incorruptum in cœlum ascendisse, Christianos longo interuallo Iudæis anteponit, Iudæos admodum detestatur. Hæc in libro eius Alcorano omnia. Vnde sectatores illius Iudæos suis sacris non prius initiant quam sacramenta Christianorum antiqua, vera, & bona esse confiteantur. Et qui Mahumethis sepulchrum visunt, nisi etiam Christi sepulchrum viserint, nondum satis purificati existimantur. Qui Christi vel Mariæ nomen contumeliose commemorat, ab eis seuere punitur. Religiosorum genus habent aliud Heliæ, aliud Ioanni Baptistæ, aliud & id quidem præcipuum Iesu Christo dicatum. Celebrant Prophetas & Euangelia, didicerunt enim à Mahumethe in Alcorano, Alcoranum esse Hebraicorum Prophetarum, Euangeliique affirmationem atque declarationem. Legitur ibidem, neminem fore perfectum, nisi testamento veteri, nouoque paruerit, & Alcorano insuper, quod sit congregatio & declaratio vtriusque. Quotiens Euangelium nominat, quod facit sæpe, totiens proprio cognomento librum appellat lucidum, aliquando etiam Euangelium addit esse lumen testamenti, castigationem rectamque viam timentibus Deum. Inducit præterea in Alcorano Deum ita loquentem: Cum Prophetas alios aliis præfecerimus, eosque allocuti fuerimus, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, vim atque virtutem præ cęteris præbuimus. Duo autem præcipui Mahumethis errores esse videntur: Alter quod quamuis in Christo diuinitatem quandam ponat, longè maiorem quàm in cunctis hominibus, vel præsentibus, vel præteritis, vel futuris, videtur tamen alicubi velle diuinitatem

illam esse à Dei summi substantia distinctam atque minorem, quod quidem ab Arrianis accepit, sed in hoc secum ipse pugnat, epitheta enim, quæ Christo attribuit, diuinitatem eius eandum esse, atque summi Dei significant. Alter Mahumetis error, & quidem manifestior est, quod quando satellites illi sacerdotum, qui coniicere manus in Iesum conabantur, ceciderunt, Deus, vt Mahumetes putat, repente, & clam Iesum in cœlum rapuit. Illi cum surrexissent, alium quendam Iesu similem comprehendentes verberauerunt, & cruci affixerunt, hoc à Manichæis accepisse videtur. Nihil opus est, vt errores huiusmodi confutem, quicunque enim Arrianam, & Manichæam hæresim confutauerunt, Mahumetem quoque confutasse videntur. Concludere possumus, Christianam legem apud omnes sectas Gentilium, Iudæorum, Mahumethensium, re vera omnium excellentissimam esse concedi. Quisque enim istorum, quamuis affectione quadam naturæ, consuetudinisque vel fictionis propriam hæresim cæteris proferat, Christianam tamen, excepta sua, reliquis anteponit. Itaque cum sincerè iudicaretur, cunctis absque controuersia præferretur.

De generatione Filij Dei in æternitate.

CAPVT XIII.

OMnis vita prolem suam penes se ipsa prius generat quàm seorsum, & quo præstantior vita est, eo interiorem sibimet generat prolem. Sic vita vegetatiuatam in arboribus quàm in animalibus semen quasi arborem, & quasi animal in corpore proprio prius generat, quàm aut iaciat extra, aut arborem inde, animalue externum producat. Sic sensitiua vita, quæ est vegetatiua præstantior, per phantasiam in se simulachrum, intentionemque rerum parit priusquam membra moueat, & in externa materia fabricet. Sed fœtus ille phantasiæ primus, quia in ipsamet anima est, ideo propinquior est animæ quàm fœtus vegetatiuæ vitæ, qui non fit in anima, sed in corpore. Sic vita rationalis, quæ est excellentior quàm sensitiua, parturit in se ipsa rationem tum rerum, tum sui ipsius, quasi fœtum, priusquam vel loquendo, vel agendo promat in lucem. Primus ille rationis fœtus propinquior est animæ quam phantasiæ fœtus. Vis enim rationalis in fœtum suum, perque illum in se ipsam reflectitur, actum suũ seque ipsã quærendo, cognoscendo, amando, quod non efficit phantasia. Sic Angelica vita excellentior quam rationalis, notiones sui ipsius, & rerum, diuino quodam instinctu promit in se, antequam depromat in mundi materiam, proles hæc interior est Angelo quàm rationi sua, quia neque ab externis obiectis sigillatim incitata est, neque mutatur. Quamobrem diuina vita, quia eminentissima est, & fœcundissima omnium, multo magis prolem sui simillimam quàm reliqua generat, ac eam in se generat, priusquam pariat, extra generat, inquam, intelligendo, prout perfectè Deus intelligendo seipsum & in seipso omnia, perfectam totius sui, & omnium notionem concipit in se ipse, quæ quidem æqualis, plenaque Dei imago est, & exemplar mundi superplenum. Hanc Palladem appellauit Orpheus, solo Iouis capite natam, hunc Dei Patris filium Plato in epistola ad Hermiam nominauit, in epinomide nuncupauit logon, id est rationem ac verbum dicens: Logos omnium diuinissimus mundum hunc visibilem exornauit. Mercurius Trismegistus de verbo, & filio Dei, ac etiam de spiritu sæpe mentionem facit. Zoroaster quoque intellectualem Deo prolem attribuit. Dixerunt isti quidem, quod potuerunt, & id quidem adiuuante Deo, Deus autem hoc solus intelligit, & cui Deus voluerit reuelare. Dei fœcunditas, quod est bonum actu infinitum per immensi boni æternique naturam ab æuo se actu propagat infinite, quicquid autem est extra Deum, finitum est, se igitur Deus propagat in se ipso: vbi certè infiniti patris infinitus est filius. Oportet autem huiusmodi prolem multo magis intimam, vt ita dixerim, esse Deo, quam Angeli notionem illam Angelicę mentis. In Angelo quippe cum sit esse aliud quam intelligere, notio, quæ generatur intelligendo, aliud est quam Angeli ipsius essentia. In Deo autem, quia esse & intelligere idem sunt, notio, quam Deus semper intelligendo seipsum gignit, semper tanquam exactissimam sui ipsius imaginem, idem essentia est, atque ipse qui generat, quamuis mira quadam relatione tanquam genita distinguatur à generante. Deus denique per æternam huiusmodi notionem cognoscens ab æuo seipsum infinitum bonum, per eandem ab æuo infinitum in se ad seipsum spirat amorem. Pater ergo & Filius & Spiritus amatorius, tres à Theologis personæ vo-

cantur: natura quidem diuina inter se conuenientes omnino, ita vt vnicus, & simplex Deus sit, sed relatione quadam incogitabili differentes. Sic in ordine rerum duo habemus extrema, & media duo, in Angelo quidem quolibet vna, vt quidam volunt, persona Angelica est in vna specie suæ naturæ. Atque econuerso: In fœmina vero prægnante plures personæ in naturis pluribus, atque contra, in quolibet animali naturæ in vna persona sunt plures, in Deo autem plures in vna natura personæ. Sed de his satis ad præsens, imò vero nunquam satis, contemplationis autem huius sufficientia non à philosophis, sed ab heroicis illis Christianorum ducibus, & à Deo petenda. Rectè enim Esaias ait: Quod oculus non vidit, quod auris non audiuit, quod in cor hominis non ascendit, Deus iis qui eum diligunt reuelauit.

Ordo cælorum, Angelorum, animarum, circa trinitatem quasi sphærarum circa centrum.

CAPVT XIV.

SVper quatuor elementa, quæ secundum substantiam & qualitatem mutabilia sunt, cœli septem sunt Planetarum, qui non substantia, sed quodammodo qualitate quadam vel dispositione quasi mutantur. Quoniam vero horum motus quasi erraticus est, cœlum illis octauum superponitur, cuius magis ordinatus est motus, sed cœlum illud duos habet motus, ab Oriente scilicet ad Occidentem, atque econuerso. Duas quoque saltem qualitates, candorem scilicet & splendorem, idcirco ab illo ad crystallinum ascenditur, cuius motus est simplex ab Oriente, qualitas quoque simplex, id est candor, sed quoniam motu superior status est, & candore superius lumen, ideo ab hoc ascenditur ad empireum omnino stabile, totumque lucens. Empireum stabilitati lucique trinitatis rectè accommodatur, nouem reliqui, nouem ordinibus Angelorum. Sunt enim quemadmodum Dionysio Areopagitæ placet, hierarchiæ tres spirituum diuinorum, quarum quælibet tres continet ordines. Quilibet ordo, vt Theologi quidam computant, multas continet legiones: legionem ex sex millibus sexcentis sexaginta sex vnitatibus constare putant, totque legiones in singulis ordinibus esse, quot vnitates legio ipsa complectitur. At ego Dionysio magis assentior dicenti: tanquam esse illorum spiritum multitudinem, vt facultatem humanæ computationis excedat.

Vna Dei essentia in ternarium deducitur numerum personarum, ternarium hunc numerum ternarius hierarchiarum, & nonarius angelicorum ordinum, quasi spiritalium sphærarum numerus circuit. Prima hierarchia patri, secunda filio, tertia spiritui attribuitur, in prima Seraphini patrem in seipso considerant. Cherubini patrem pro vt filium generat, Throni patrem cum filio spiritum producentem. In secunda, Dominationes filium in seipso, Virtutes filium à patre manantem, Potestates filium cum patre spiritum producentem. In tertia Principatus spiritum in se ipso, Archangeli spiritum venientem à patre atque filio, Angeli spiritum à filio patreque procedentem. Quamuis autem singuli (sicut diximus) alia & alia ratione præcipuè Deum intueantur, singuli tamen Trinitatem totam, & in ea omnia vident. Habent (vt vult Dionysius) aliam insuper differentiam, quod prima hierarchia liquorem suum à sola haurit Trinitate, secunda per primam, tertia per secundam atque primam. Item Seraphini diuinæ prouidentiæ ordinem in Dei bonitate speculantur tanquam fine. Cherubini in Dei essentia tanquam forma. Throni denique in se ipso, reliqui ad opera iam descendunt. Sed Dominationes velut architecti præcipiunt, quod reliqui exequantur. Virtutes iam exequuntur, mouentque cœlos, & tanquam instrumenta Dei ad miracula facienda concurrunt. Potestates arcent ea quæ ordinem diuinæ gubernationis perturbare posse videntur, cæteri iam magis ad humana descendunt. Principatus publica curant, Gentes, Principes, Magistratus. Archangeli circa singulos diuinum dirigunt cultum, sacrisque intersunt. Angeli minora disponunt, singuli singulis custodes adsistunt. Quemadmodum vero nouem sunt Angelorum ordines, sic in nouem ordines distribuuntur animæ beatorum, quælibet enim ad eum ordinem, eumque spiritum tanquam suum (vt Plato inquit in Timæo) sydus ascendit, cui se in vita similem reddidit. Quamuis enim animæ nostræ dum sunt in corpore quartam sub Luna hierarchiam efficiant, possunt tamen propter liberum rationalis naturæ motum per omnes spiritus benignos ascendere, & descendere per malignos, præsertim cum medium rerum

omnium teneant, ideoque omnium in se quasdam contineant qualitates, quo fit vt latissima sit progressio animarum. Elysiorum finis est Luna, vitæ, mortisque (vt Pythagorici volunt) confinium, sub ea quicquid est morti & inferis deputatur, vbi quasi tot gradus pœnarum sunt secundum malignorum spirituum turbas, quot præmiorum sunt in cœlis secundum ordines benignorum. Nouies enim miseros styx interfusa coërcet, sicut beatos campi elysei nouies amplectuntur.

Generatio filij in æternitate, & declaratio in tempore.

CAPVT XV.

Ante mundi temporalis initium est mundus æternus, mundi quidem huius exemplar. Mundani vero architecti ratio & intelligibile verbum, gloriæ quoque ipsius splendor, & figura substantiæ. Verbum huiusmodi semper penes Deum est, atque est ipse Deus, per hoc diuina potestas ab æterno dicebat ipsa secum, tum seipsam, tum reliqua cuncta, ac dicendo imprimebat intrinsecus. Per hoc aliquando expressa sunt extrinsecus tam secula quam quæ in sæculis omnia. Diuina hæc oracula post mysteria Prophetarum cœlestes illi spiritus, Ioannes Euangelista, & Paulus Apostolus hominibus fudere de cœlo.

Defecit autem à Deo quandoque genus humanum, neque sine Deo poterat vnquam in Deum resurgere, quod ad ima ceciderat. Resurgere autem quandoque mentes humanæ debebant, ne frustra à Deo creatæ fuissent, quæ ab eo creatæ consequendi ipsius gratia fuerant. Per Dei verbum formati quondam homines fuerant, per verbum idem reformari debebant, & merito, per intellectualis enim verbi lucem depellenda erat caligo intellectus humani, per rationem Dei rationale animal emendandum. Ergo statutis à diuina voluntate temporibus, creauit Deus per verbum rationalem quandam hominis animam, quam eodem momento tenero fœtui virginalis vteri per diuinum spiritum concipientis coniunxit. Momento quoque eodem verbum ipsum naturam assumpsit humanam, atque fermè sicut ex anima immortali & mortali corpore homo factus est vnus, ita ex homine illo ac Dei verbo factus est Christus Deus & homo. Sic infinita bonitas, quæ se communicare vult omnibus, tunc modo quodam aptissimo se ipsam cunctis communicauit, quando sibi coniunxit hominem, in quo tanquam in media rerum specie cuncta comprehenduntur, neque mutauit tunc sedem suam diuina maiestas, cum sit semper vbique, neque se ad humana quasi per defectum deiecit diuina sublimitas, sed humana ad se potius eleuauit. Neque infinita diuini Solis lux, ex adiunctione hominis vllo modo infici vnquam potuit, sed homo inde superillustrari, ac perfici, atque vt in homine augeri & minui, sic ad corpus pertinent, vt in animam nunquam penetrent. Ita in Christo humana pati propriè ad hominem pertinebat, in diuinitatem non penetrabat. Christus igitur vt homo patiebatur humana, vt Deus diuina operabatur.

Conueniens fuit Deum se homini iungere.

CAPVT. XVI.

Cvr olim Deus homo factus est, vt homo quandoque quodammodo Deus efficeretur. Deus enim quodammodo fieri potest, qui naturali instinctu cupit, studetque esse diuinus. Non potest autem in Deum surgere, nisi Deus aliquando ita trahat, vt surgat, quemadmodum ante traxerat, vt appeteret. Sed rem hanc ab alio principio repetamus. Summus opifex summum manifestumque debet opus efficere, tale vero illud est, quo maius effici nequit. Tale igitur manifeste Deus summus facere debet opus hoc, vel increatum solummodo est, vel creatum, vel ex vtrisque compositum. Primum quidem illud non manifestum opus est, sed opifex ipse, solus enim Deus est qui ab alio non dependet. Secundum vero cum omnino finitum sit, ab infinito Deo, spatio distat immenso & infinito. In hoc certè spatio, tam ratione interualli ipsius, quam etiam ratione infiniti Dei, opus adhuc aliud, rursusque aliud præstantius semper effici potest. Nulla igitur creatura simplex potest opus illud summum esse, quod nos quærimus, sed ita demum opus huiusmodi summopere reperire confidimus, si quid vnum reperiatur ex summo creatore simul & creatura compositum. Ratione quidem creaturæ illud dicitur esse opus, ratione autem creatoris immensum opus huiusmodi Deus facere potest, & scit, & vult, est enim Deus potentia, sapientia, bonitasque immensa, coniungi igitur quando-

que creatori debuit creatura. Quæ super rationalem animam sunt, solum æterna sunt, quæ infra illam, temporalia solum, ipsa verò partim quidem ęterna, partim etiam temporalia. Deum imitatur vnitate, Angelos intellectu, speciem propriam ratione, bruta sensu, nutritione plantas, essentia carentia, vita. Est igitur anima hominis quodammodo omnia, quod in Theologia nostra latius disputauimus, præsertim cum sit in corpore ex omnium viribus composito, cœlique instar temperatissimo. Decet autem Deo communi omnium duci vniuersam creaturam quodammodo iungi, non quidem sparsim, quia Deus summa vnitas est, imò vero summatim, naturæ igitur humanæ Deus vniatur oportet, in qua sunt omnia. Si enim illis quę supra eam sunt, tanquam creatarum rerum extremis iungeretur, neque ad media rerum, neque ad alia extrema coniunctio eiusmodi pertineret. Similiter si illis quæ infra nos sunt iungeret semetipsum, profecto infinita vnitas opera sua vniuit summopere, & inuicem & ad ipsam, cum ab initio in homine cuncta concluserit, deinde sibi deuinxerit hominem. Forte ob ea quę supra diximus, Propheta Abacuc inquit: Opus tuum Domine in medio annorum viuifica illud, in medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Quia videlicet in media rerum specie, quæ ex vtrique seculis, æuo scilicet, temporeque componitur, opus illud impletur. Addunt aliqui, in medio quoque mundi cursu, volunt enim decem annorum millibus non mundum, sed mundi cursum prorsus expleri, siquidem motus quietis gratia sit institutus, atque in medio hoc mundi cursu, Deum se hominibus ostendisse, vt aduentus eius æquè ab vtrisque seculorum distaret extremis, ne vel expectatio futuri aduentus, nimium protraheretur, vel præteriti memoria prorsus aboleretur. Sed tempora Deus viderit, temporum temperator. Si bonitatis proprium est diffundere, & communicare seipsam, Deus cum sit infinitum bonum, omnes debet communicationis modos implere, ij verò quatuor esse videntur. Secundum pręsentiam, virtutem, vnitatem essentiæ, vnitatem personæ. Primus impletur in omnibus, vbique enim Deus adest. Secundus per omnes formas etiam minimas propagatur, nam omnis forma efficacem à Deo aliquam habet virtutem, materia vero ipsa non habet.

Tertius intra Deum fit solum, non potest enim essentia Dei, essentia alterius fieri, alioquin vel quod infinitum est, finitum fieret, vel quod est finitum, fieret infinitum. Quartus communicationis modus fieri nequit in rebus ratione carentibus, quibus enim natura deest omnino, cognitio, amorque Dei, vnio diuina, secundum personam non conuenit. Ex angelo quoque ac Deo vnam fieri personam non est necessarium, Angelis quippe miseris nullum superest remedium, cum pœnitentia desit, cæteris Angelis satis est ad beatitudinem suam antiqua illa luminis diuini possessio. Quod quidem lumen in Seraphinis, Seraphinum quodammodo fit, in Cherubinis, etiam Cherubinum, similiterque in aliis, perinde atque Solis lumen, dum per vitra diuersorum colorum transit, in colores varios se transformat. Deus autem in homine, hominem reddit diuinum merito. Sicut enim in rebus naturalibus ex materia vltima formaque suprema fit compositũ naturaliũ præstãtissimũ, vt animal rationale, sic fermè in rebus diuinis, ex supremo spiritu, atque vltimo scilicet Deo & hominis animo, efficitur diuinum assumptum omnium præstantissimum. Non satis erat homini ad hoc vt suscitaretur radius menti eius diuinitus infusus, nam propter sensus à mente digreditur. Oportuit igitur in homine quodam, scilicet Iesu, ita diuino ipsi soli animum iungi, vt in corpus ipsius, & ad sensus hominum, copia radiorum exuberaret.

Qualis coniunctio sit Dei & hominis.

CAPVT XVII.

QVoniam vnio Dei ad hominem secundum personam diuinam potius quàm secundum diuinam naturam facta est, ideo cum vnitur homini verbum, non oportet patrem similiter, spiritumque vniri, qui licet natura conueniant, differunt tamen inter se proprietate personæ. Sicut ergo in Trinitate tres personæ in eadem natura existunt, sic in Christo persona vna in tribus existit naturis, Deo animoque, & corpore, atque ibi homo comparatur ad Deum, quemadmodum manus ad animam, imò lingua ad intellectum. Non enim fit Deus proprie naturalis hominis forma, sed homo fit proprium, coniunctumque instrumentum Dei, ad opera Dei propria excellen-

tissimè peragenda. Non sunt autem duæ in Christo personæ, sed vna, scilicet persona verbi coniuncta, non personæ hominis, sed naturæ. Sicut enim rationalis anima in suo esse existit, per quæ eius esse existit & corpus, ita Dei Filius, & multo magis in esse personæ suæ existit, atque ad illud naturam extollit humanam. Proinde quemadmodum verbum nostrū mente conceptum insensibile est, extra vero voce prolatum fit sensibile, ita mentis diuinæ verbum ab æuo in Deo inuisibile permanet, sed per assumptionem hominis factum est visibile. Est igitur Christus verbum, quod ab æuo diuina mens, se omniaque secum intelligendo intra se loquitur, iam spiritu diuino prolatum, & corpus humanum quasi vocem assumens, diuinamque audientibus significans voluntatem. Tantum vero diuinam cuique voluntatem significauit, quantum quisque capere poterat. Cunctis autem quantum si in breui hac vita exerceatur, beatitudinem largitur æternā. Multa quidem præcepta & præclarissima tradidit, sed paucis omnia comprehendit, quando iussit. Te toto Deum ama, homines ama sicut teipsum, quod tibi fieri non vis, aliis facere noli.

Quam decens Dei hominisque coniunctio.

CAPVT XVIII.

NOn minus fermè est deformia reformare, quam formare simpliciter ab initio, siquidem non minus est bene esse quam simpliciter esse. Decuit igitur Deum omnium effectorem perficere quæ defecerant, & quemadmodum per insensibile verbum cuncta creauerat. Quid enim aliud creaturæ sunt, quam cogitationum Dei quasi quædam voces extra prolatæ? Ita per verbum quodammodo iam sensibile factum sensibilia reformare. Quoniam vero Deus cuncta facit potenter, sapienter, beneuolè, decuit ita restituere illa, vt potentiam, sapientiam, beneuolentiamque ostenderet. Quid potentius, quàm extrema in vnam personam, & infinita ad summa redigere? Quid sapientius, quam vniuersi decorem miram primæ & vltimæ rationis copulam fieri? Quid beneuolentius, quam Deum vniuersi Dominum ob serui delinquentis salutem, serui formam assumere? Sic ergo & declarauit & fecit vt nihil esset in mundo deforme, nihil penitus contemnendum cum regi cœlorum terrena coniunxit, atque ea quodammodo cœlestibus adæquauit. Præterea quoniam à Deo ceciderat potentissimo, sapientissimo, benignissimo, idcirco in imbecillitatem, ignorantiam, malignitatemque corruerat, propterea que ex pio prosanus euadens, ineptus iam penitus erat ad diuinam virtutem imitandam, ad lucem cognoscendam, ad bonitatem denique diligendam. Vt ergo homo ex hac ruina rursus ascenderet ad sublimia, congruentissimum fuit, sublimem Deum ex alto huic manum porrigere, hac videlicet ratione, vt seipsum huic visibilem, amabilem, imitabilemque efficeret. Nullus ad hoc aptior modus, quam quod Deus fieret homo, vt homo, qui corporalis iam factus, corporalibus inhiabat, Deum iam quodammodo, & corporalem, & humanum clarius cognosceret, & amaret ardentius, facilius quoque & diligentius imitaretur, fieretque beatus. Postremo homo curari perfectè non poterat, nisi recuperaret mentis innocentiam, Dei amicitiam, suam excellentiam, quæ soli subiecta Deo fuerat ab initio secundum naturam. Neque excellentiam adipisci poterat, nisi curator esset Deus, cui soli homo secundum naturam subest, neque Dei amicitiam, nisi per congruū quendā conciliatorē, qui manū ad vtrunque posset extendere, & vtrisque extremis esset cognatus quodammodo & amicus, nullus est talis omnino, nisi sit Deus simul & homo, neque innocentiam, nisi culpa dimissa, quam dimitti sine satisfactione iustitia non permittit. Satisfacere pro vniuerso hominū genere solus poterat Deus, pati tamen neque decebat, nisi hominem, qui peccauerat, neque Deus ipse poterat. Consentaneum itaque fuit humanum genus per Deum factum iam hominem emendari, proinde neque excellentia comparari poterat, nisi per curatorem excellentissimum, neque amicitia reconciliari, nisi per amicissimum conciliatorem, neque recuperari innocentia, nisi per satisfactorem sufficientissimum. Excellentissimus autem curator solus Deus est, amicissimus conciliator est homo, sufficientissimus satisfactor ille propriè videtur esse, quia pariter est Deus & homo. Valde igitur humanæ curationi congruum fuit, quod Ioannes ait: diuinum verbum humanam induere carnem, vt genus humanum quemadmodum per æternum verbum creatum fuerat, deserendo autem inspiratum verbum, in culpam ceciderat, sic per visibile verbū à culpa redimeretur.

Aduentus Christi dat beatitudinem, fide, spe, charitate.

CAPVT XIX.

NEmo beatitudinem, quæ in diuina consistit contemplatione, consequi potest, nisi Deum ardenter amet, ardenter amare Deum nequimus, nisi speremus eum quandoque assequi posse, sperare non valemus, nisi prius credamus tum Deum esse, tum nos Deo posse quandoque frui. Deus igitur pater hominum & curator, aliquando miris modis indutus humanitatem, se nostris sensibus obtulit, vt per ipsos sensibus, quibus plurimum vtimur & confidimus, corpus eius miraculaque cernentes esse Deum certiores essemus. Hinc fides exorta est scientiæ fundamentum. Qui verò crediderit, eum curandi humani generis gratia in molem corporis descendisse, omnia iam vel maxima se à Deo sperabit impetraturum.

Quisquis tanta beneficia partim videt, partim sperat, nisi penitus vecors, ingratusque sit, non amare non potest. Rursus cum Deum intelligas animo coniunctum fuisse quadam vnione personæ, sperare debes animum posse aliquando Deo coniungi, quadam operationis vnione, in qua summa beatitudo consistit. Desiderare quoque debes Deo præ cęteris inhærere, qui soli hominis animo, corporique se prorsus infudit. Proinde quia Deus homini absque medio se coniunxit, meminisse oportet, nostram felicitatem in eo versari, vt Deo absque medio hæreamus, & quia inter æquales amicitia est, dum consideras Deum quodammodo se homini adæquasse, neque amicitiam Dei erga te negare, neque tuam erga Deum deserere debes. Desinant igitur, iam desinant homines suæ diuinitati diffidere, ob quam diffidentiam mortalibus seipsos immergunt. Reuereantur seipsos tanquam diuinos, sperentque se posse ad Deum ascendere, quandoquidem ad eos dignata est quodammodo maiestas diuina descendere. Ament toto pectore Deum, in quem transformentur, qui ob ingentem amorem se mirabiliter in hominem transformauit.

Aduentus Christi ad peccati grauitatem leuandam vtilis fuit.

CAPVT XX.

VIta corporis anima est, animæ vita Deus. Naturæ ordo exigit, vt corpus animæ, anima Deo pareat, iustitię ordo requirit, vt si à Deo dissentit animus, talionis pœna dissentiat corpus ab anima, atque sensus à ratione. Rebellauit à Deo primi parentis animus, rebellauit corpus ac sensus ab eo, rebellio prima peccatum fuit, secunda; pœna quædam peccati fuit, atque peccatum, quoniam rationi derogauit & Deo. Complexio affectioque rebellis à primo quasi sapor quidam profluxit in omnes, qui inde quasi riuuli à fonte manarunt. Hoc igitur originale vitium est cæterorum malorum animæ corporisque origo, hoc volumina illa Hebræorum testificantur, quorum diuinitatem testificatur summa illorum præ cæteris antiquitas, consensio penè omnium, propagatio per vniuersum, duratio indefessa, concordia, maiestas, sobrietas & miracula. Hinc illa Magorum à Zoroastre descendentium opinio, omnia scilicet corporis mala, à malis animę proficisci, animaque curata cætera mala vitari, hoc Plato in Timęo quidem innuit, in Carmenide verò declarat.

Verum, vt ad propositum reuertamur, rebellio eiusmodi, quoniam infinitæ Dei derogauit maiestati, mortales ad infinitam beatitudinem ineptissimos reddidit, neque dirigi, nisi per infinitum Deum poterant. Dirigendi tamen aliquando erant, ne frustra à Deo fuissent ab initio ad beatitudinem ordinati. Per voluptatem commissum est peccatum, per contrarium voluptatis dolorem purgandum. Peccauit semel omnis quodammodo humana natura in homine illo, qui vicem gerebat omnium, pati similiter semel quodãmodo debet omnis in aliquo, qui vicem quoque omnium gerat, qui longe magis cum Deo consentiat quam ille dissenserit. Omnium vero vicem post Adam solus ille gerere potuit, qui Deo penitus iunctus esset omnium conditori. Fuit igitur Deus simul & homo, Deus, vt omnes complecteretur, infinitamque culpam posset diluere; homo, vt pati pro culpa posset, atque vt pateretur homo, quemadmodum peccauerat homo. Sic & illius hominis pœna meritumque vim aliquam habuit infinitam, in quantum re vera Deo iunctus fuerat infinito.

Infinito autem quodammodo supplicio meritoque opus fuerat, ad infinitam culpam penitus diluendam.

Christus perfectum instructionis genus impleuit.

CAPVT XXI.

DIuina prouidentia nullum erga filios suos institutionis genus prætermittere voluit. Est autem institutio duplex, per doctrinam videlicet, & exemplum. Doctrina perfecta est, de qua iure dubitari non debet, qualis in solo Deo esse conceditur, Misit igitur Pater Deus ad homines præceptorem aliquem, qui Deus esset, ne de doctrina eius dubitare deceret. adde & qui esset homo, vt ipse omnia humana officia verè exequi posset, omnesque pro honesto Deoque perferre labores, quo exemplo homines perfectè instrueret ad virtutem. Opera enim multo magis quam verba mouent, in disciplina præsertim morali, cuius finis proprius versatur in actione. Esse illum Deum declarauerunt miracula, vt fidem apud dociles doctrina eius haberet, esse verò hominem passiones humanæ declarauerunt. Nullus igitur nobis, nisi pertinaces nimium esse velimus, excusationi locus videtur esse relictus, si doctrinã eius quasi minus veram insolenter respuere nitimur, diuinitas miraculaque reclamant, si tanquam nobis supra modum duram, humanitas, laboresque magistri, & ducis illius ostendunt hominibus possibilia esse quæ pertulit homo. Denique quia delictorum summa in eo consistit, quod corporalibus nimium inhæremus, à spiritalibusue discedimus, Christus vitæ magister per doctrinam vitamque suam quasi gladiũ & ignẽ immisit in mundum, hoc est virtutẽ purgatoriam, animique purgati, vt omnes corporalium vitiorum fomites resecaret ad viuum, atque consumeret. Ipse quoque singula vltro libenterque tulit, quæ cæteri fugiunt tanquam mala, peregrinationem, inediam, sitim, nuditatem, infamiam, contumelias, verbera, breuitatem vitæ, ignominiosam mortem & acerrimam. Fugit autem singula quæ tanquam bona cæteri prosequuntur, vt hac ratione nobis ostenderet, neque mala vera esse, quæ mala vocamus, neque bona, quæ vocamus bona, nihilque in rebus corporalibus esse, quod vllius precij censendum sit, sed quicquid præter Deum est, tenuis vmbræ somnium extimandum. Cum autem omnibus, quæ à mortalibus optantur, tanquam bona careret, solis certè miraculis, solus ipse in orbe terrarum in hanc vsque diem meruit, & meruit subito, vt Deus summus existimaretur. Prophetas Hebræi sanctos homines vocant, Gentiles viros excellentes, cum deos nominant, diuinos iam factos & Dei ministros intelligunt. Mahumethenses regem suum Mahumethem filium Abdale, filii Abdal Mutalibis Arabiæ regis, purum quidem hominem, sed Dei nuncium esse credunt, talem quoque ipse vocat in Alcorano. Addit se in vi armorum, Christum in virtute miraculorum missum à Deo fuisse, Deumque hominibus Iesum, & Mariam miraculum effecisse. Merito solus Christus stupendis operibus meruit, quod neque multi Principes hoc tum minis, tum beneficiis contendentes. Neque Zoroaster, Pythagoras, Empedocles, Apollonius Thianæus, aliique multi Philosophi, sapientia mirabili, & longa vita consequi potuerunt. Quamuis Pythagoram, Iamblicus Chalcideus longa disputatione, Apollonium vero Philostratus eloquentia, Porphyrius argutiis, multi Principes fauore pro viribus celebrauerint.

Christus errores expulit, veritatem aperuit.

CAPVT XXII.

ANte Christi aduentum per vniuersum penè orbem plures colebantur dii, imò dæmones, sacerdotesque & illi quidem mali, quod Enomaus Philosophus confitetur. Quis non videat illos fuisse malos, qui nihil de animorum purgatione curabant, de terrenis consulebant solum, ac terrena semper à cultoribus exigebant? Sacrificia iubebant obscœnissima, & crudelissima fieri, responsisque suis discordias quam plurimas seminabant. Colebantur passim deorum, id est, beatorum loco, tyranni viuentes, colebantur animæ partim incontinentium, partim hominum iniquorum, his immanissimis monstris olim genus hominum premebatur. Non Hercules armatus ea, sed Christus inermis tunc extinxit, cum malignorum dæmonum vim retudit. Scribit Plutarchus, Barbarorum opinionem esse, aëreos dæmones, perturbationes, mortemque pati posse. Testimonia quoque multorum adducit, quod certis signis compertum fuerit, Tyberio imperante, Pana magnum dæmonem

dæmonem, multosque alios dæmones manifestè eiulasse, deinde etiā obiisse. Proculus etiā Platonicus esse id posse probat. Nos autem scimus Christum eo ipso in tempore adiisse lymbum, atque resurrexisse. Plutarchus præterea scribit, Oracula temporibus suis vno vel duobus exceptis, toto iam orbe extincta. Audi qua voce de hoc Porphyrius conqueratur. Postea, inquit, quàm Iesus colitur, nihil vtilitatis à diis consequi possumus. Si dii sunt, ô Porphyri, quare viribus suis Iesu virtutem non deprimunt? Sed audiamus magnum illum Tertullianum apud Romanos iudices sic orantem: Agatur huc iudices aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Iussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Æquè producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, nisi omnes eiusmodi spiritus se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua adsistit, nihil suspicari licebit, magia, aut aliqua eiusmodi fallacia fieri. Atqui vt omnis hæc nostra in illo dominatio & potestas denominatione Christi valet, ita & de contactu, deque afflatu nostro, etiam de corporibus nostro Imperio excedunt inuiti, & dolentes, & nobis præsentibus erubescentes, credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem Christianis ad probandam veritatem cogentibus, se deos palam esse negant, neque alium Deum respondent præter vnum, cui nos mancipamur. huc vsque Tertullianus. Lactantius scribit suis temporibus hoc publicè quotidie compertum fuisse, cum Gentiles suis dæmonibus immolarent, si assistebat aliquis cruce signatam frontem gerens, neque poterant dæmones in visceribus bestiarum futura depingere, atque hanc fuisse causam, inquit, præcipuam, malis regibus Christianos persequendi. Non enim animaduertebant signo crucis tanquam potentiore, dæmones tanquam debiliores inde fugari. Meritò Socrates, Plato, & Varro, quamuis latenter propter turbam, superstitiones Gentilium deriserunt. Iesus denique illas perdidit, ne homines perderentur. Græci atque Romani paulo ante Christi lumen cœperant Aristippi, Epicurique contagiosa impietate magis indies magisque corrumpi. Innumerabiles Christi exemplo Martyres vbique Gentium, partim literatissimi, cum præsentem vitam Dei vnius, futuræque vitæ gratia, prorsus contemnerent, contra Aristippicum Epicureumque venenum Medicinam hominibus saluberrimam porrexerunt. Præterea iniquissimæ apud multas Gentes leges extabant. Persæ matres suas nephandis nuptiis cognoscebant. Humanis Scythæ dæmonibus sacrificabant. Massagetæ ac Derbices propinquos & affines suos cum consenuissent immolabant, carnesque eorum epulabantur. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis senes obiiciebant. Scythæ eos qui à defunctis amati fuerant, viuos infodiebant. Tybareni viuos seniores suos præcipitare. Hircani Caspiique rapaci auium generi, canibusque proiicere soliti, illi viuos, isti mortuos. Hæc & multa generis eiusdem prius religiosissimè faciebant. Sola deinde Christi discipulorumque illius prædicatione, vndique truculentissima hæc pestis expulsa, factum est etiam, vt pauciores, vel corripiantur à dæmonibus, vel à se ipsis interimantur. Iudæi ante Christi aduentum (vt plurimum) legis Mosaicæ, Prophetarumque suorum superficiem attingebant, Christus autem eiusque discipuli, perfectissimè docuerunt profundos diuinæ mētis sensus linceis, imò diuinis oculis penetrare. quòd etiam Iudæus Philo testatur, vbi de contemplatione disputans commendat acumen, & sanctimoniam Christianorum. Prisca Gentilium Theologia, in qua Zoroaster, Mercurius, Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras consenserunt, tota in Platonis nostri voluminibus continetur. Mysteria huiusmodi Plato in Epistolis vaticinatur, tandem post multa sæcula hominibus manifesta fieri posse. Quod quidem ita contigit, nam Philonis, Numeniique temporibus primùm cœpit mens priscorum Theologorum in Platonicis chartis intelligi, videlicet statim post Apostolorum Apostolicorūque discipulorum conciones & scripta, Diuino enim Christianorum lumine vsi sunt Platonici ad diuinum Platonem interpretandum. Hinc est quòd magnus Basilius, & Augustinus probant, Platonicos Ioannis Euangelistæ mysteria sibi vsurpauisse. Ego certè reperi præcipua Numenij, Philonis, Plotini, Iamblici, Proculi mysteria, ab Ioanne, Paulo, Yerotheo, Dionysio Areopagita accepta fuisse. Quicquid enim de mente diuina angelisque, & cæteris ad Theologiam spectantibus magnificum dixere, manifestè ab illis vsurpauerunt.

Christus est idea, & exemplar virtutum.

CAPVT XXIII.

QVid aliud Christus fuit, nisi liber quidam moralis, imò diuinę Philosophiæ viuens de cœlo missus, & diuina ipsa idea virtutum humanis oculis manifesta? Huc igitur omnes, huc inquam flectant us oculos, atque mentem, hic veram sapientiam nos docebit, qui rudes olim homunculos subito reddidit sapientes Hic rectam iustitiam, qui nihil possedit proprium, atque quod suum est, Deo & hominibus tribuit. Deo quidem paternam & plusquam paternam venerationem, hominibus verò fraternam beneuolentiam atque curam. Hic magnanimitatem, fortitudinemque præstantissimam, qui nihil in terris concupiuit tanquam magnum, nihil timuit tanquam durum Hic temperantiam singularem, in quo vix primi animi motus (& illi quidem remissi, & decentes) apparuerunt Hic mansuetudinem incredibilem, qua superbiam societatis humanę pestem penitus expellamus. Quis enim mansuetior illo, qui cum summus omnium esset, se infimis adæquauit? Hic ardentissimam in omnes homines charitatem, qui non sibi tantum, verumetiam toti hominum generi vixit, qui & mortuus est libenter, vt cæteros à morte redimeret Hic & contemplandi & agendi regulam perfectissimam qui sæpè curandis hominum erroribus atque morbis sæpissimè rebus diuinis contemplandis incubuit.

Huius vitæ testes nobis sūt scriptores quidem ab initio plures, omniumque grauissimi. Imitatores verò quam plurimi, & mundus denique vniuersus Ostendit se Christus publicè hominibus breue tempus Non enim quoad illum decebat, vltra & illud nobis sufficiebat, tot verò patrauit miracula, vt Ioannes dicat, si scriberentur singulatim, ne mundum quidem ipsum libros capere posse. Vitam eius vtpote celeberrimam, cunctisque mirabilem plures quam quatuordecim scripsisse traduntur. Soli tamen illi in vsu sunt aut aliquando fuerunt, qui non humana, sed diuina scripsere manu Quales sunt Mathæus, Marcus Lucas. Ioannes Matthæus Hebraicè scripsit, cuius textum Hebraicum Hieronymus (inquit) temporibus suis in Bibliothea Pamphili extare sic etiam factam fuisse transcribendi illius facultatem a Nazareis, qui in Bersabe, & per Syriam hoc volumine vtebantur. Panthenus etiam Stoicus Christi martyr cum vsque ad Indiam interiorem Christi verba prædicando penetrauisset, inuenit ibi tum Bartholomæi Apostoli semina, tum etiam Matthæi Hebraicum Euangelium, quod secundum Hebræos appellabatur, probatum satis ab Ignatio, ac Origene & ab Hieronymo ex Hebraica lingua in Græcam Latinamque conuersum. Hæc ab Hieronymo Atque in hoc vel maximè Christiano elucet veritas, quod Christianorum cœtus ab ipso exordio haud temerè quoslibet scriptores admittit, sed sanctos, simplices, sobrios, & quam electissimos. Qui verò ex primis illis in precio sunt, partim Christum ipsum, partim eius discipulos audierunt, qui & si diuersis linguis, temporibus locisque scripserunt, & alter alterius scripta non viderunt, nisi fortè Ioannes, eadem tamen vbique duce veritate confirmarunt. Apparet interdum in illis quasi dissona quædam in rebus minimis dissimilitudo, nunquam reuera contrarietas. Vnde simpliciter videtur alter seorsum ab altero historiam conscripsisse, nullus tamen horum seorsum à veritate. Miracula verò tam multa quàm magna, tam publica, tot annos in Iudæa, & Ierusalem vbi facta dicuntur, prædicauerunt, vt constet illos verissima prædicauisse. Quonam pacto falsa asseuerando obtinere in re tam ardua, inter homines eruditissimos potuissent? Vnde nam admirationi essent, si pugnantia inter se dixissent? Nisi duces illi re vera inuicem conuenissent, Christianum regnum fuisset subitò dissipatum. Euangelistæ, & Apostoli de Christi vita, doctrinaque communiter multa dixerunt, & quisque proprium aliquid in medium attulit. Siue enim quilibet vniuersa dixisset, superfluus videretur numerus cæterorum, siue singuli quædam solum atque noua continuatio, & authoritas historiæ tolleretur. Certè id, quòd mirum est, talia sunt, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Petri, Pauli, Iacobi, Iudæ scripta, vt in rebus principalibus plures testes adsint. Ac si testes omnes audiamus, nihil superfluè, & importunè repetitum videamur audisse.

Authoritas Sybillarum.

CAPVT XXIV.

VArro Philosophus in libris Diuinarum rerum, decem Sybillarum nomina, tempora, patrias diligenter commemorat, atque ad id scriptores multos testes adducit. Affirmat præterea, libros

Sybillinos fuisse apud Romanos in sacrario conditos, vbi à quindecim viris, & quibusdam sacerdotibus ad hoc destinatis custodiebantur. Addit Liuius Romanos sex libros illos Cumeæ, regnante Tarquinio à quadam anicula concrematos, restituisse ex aliarum Sybillarum versibus, quos missis per orbem legatis diligentissimè collegerunt.

Tres igitur libri apud eos erant Cumeæ, reliqui aliarum, Hi verò libri nullo titulo, seu nomine, cuius harum essent, discernebantur, præterquam Erethreæ, quæ carmini nomen suum inseruit. Carmina hæc Romani de rebus maximis consulebant, neque cuilibet licebat aspicere. Maroni tamen Augusti, Lactantio Constantini familiaritate legere permissum existimo, aliisque nonnullis magnis, doctisque viris, Imperatore interdum, & custodibus concedentibus Lactantius ergo Constantini familiaris, testimonia Sybillarum quæ de Christo adducit, ex earum libris, qui tunc extabant, Roma nondum à quoquam expoliata, accipere potuit. Scripsit autem illa ad Constantinum, non igitur illi mentiri licebat, vel docto imperatori, vel cæteris eruditis, quibus tunc tam Italia quàm Græcia abundabat, ac nonnihil adhuc Christianos scriptores, vel in minimis grauiter calumniabantur. Nonne Virgilius in eisdem Sybillarrum libris legit, quæ Prophetæ & Euangelistæ de Christo loquuntur, & quod maximum est, cognouit Cumeæ Sybillæ promissa ex textu, vt opinor, Sybyllæ ipsius illis conuenire tẽporibus, in quibus natus est Iesus, quamuis ille, vt Pollioni adularetur, ad eius filium nuper natum nomine Saloninum, oracula Sybillæ torqueret, quorum nihil Salonino, qui puer obiit, neque egit quicquam, congruere potuit, congruit autẽ quicquid ibi legit de Iesu, qui temporibus illis est ortus. Sed quid illic Virgilius reperit (tali videlicet quodam tempore) quale illud fuit, fore, vt in ipsa vltima expectationis ætate magnus quidam ordo nasceretur ab integro sæculorum æuo dependens, id est, æternus filius ab æterno patre dependens, aliquando etiam nasceretur in tempore. Quando scilicet Virgo floreret, aurea rediret ætas, id est, ex virgine filius pullularet, & ætas veræ beatæque doctrinę vigeret, ac noua progenies cœlo demitteretur ab alto. Hęc verba exponunt antecedentia, cognoscimus enim Sybillam ex Virgine puerum illum nasciturum pręnunciasse, quoniam adiunxit, eam esse progeniem nouam, id est, nouo modo nascentem, neque ex terra sed ex cœlo, id est, Deo, in quo erat ab ęuo prosiciscentem. Carmina ipsa Virgilij huiusmodi sunt.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Arbitror equidem Virgilium huiusmodi carmina ex talibus Sybillę verbis, qualia paulo ante narraui, contexuisse. Subiungit Virg. quę apud Sybillam legisse opinor, scilicet eo nascente, ferream ętatem in auream redituram, atque eo tempore decus ęui futurum. Totum hoc ad purgationem animorum, doctrinamq; Christi pertinere videtur, & vestigia priscæ fraudis irrita fore. Legerat puto apud Sybillam, tunc originalem culpam quam ab initio diabolica fraude concepimus, deleri debere, ipse tamen cum mysteria huiusmodi nequaquam intelligeret, verba Sybillę ita carmine componebat, vt alium quendam sensum præferre viderentur. Subiungit Maro: Quod huiusmodi progenies Deum vitam accipiet, diuisque videbit permixtos heroas, & ipse videbitur illis, Pacatumque reget patriis virtutibus orbem. Videtur ibi legisse, prolem illam fore Deum Deo natum, Dei patris virtute vniuersum mundum gubernaturum, & iudicaturum, nihilque diuinorum sibi fore secretum, ipsumque Angelos omnes ministros habiturum. Addit Poeta, eodem tempore casurum serpentem, & fallacem veneni herbam, & post multa adiicit. Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis. quo sensu hæc Virg. scripserit, nescio, satis est nobis, quòd habuit à Sybilla, quam nequaquam intelligebat, opera prolis illius. Serpentem, id est, malum dæmonem ruiturum, domandāque fore herbam venenosam, atq; fallacẽ, id est, dæmonum vim, quæ ante Christum homines falsa religione, quasi vera fallebat, & ab initio illos serpentis habitu, & plantæ cuiusdam occasione deceperat. Tentat dæmon adhuc animas post Christum, licet non ita consequatur vt ante, & ob hoc dictum fuit. Super fore pauca fraudis vestigia. Porphyrius etiam confitetur mortales à malignis dæmonibus in scelera, falsasque religiones induci consueuisse, idque diligenter in libro de abstinentia disputat. Præterea progeniem illam Virgilius sic alloquitur.

Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores.
Chara Deum Soboles, magnum Iouis incrementum.

Credo Poëtam habuisse à Cumæa hominem illum expectatissimum, sobolem Dei fore, non viri, & id quo nihil maius exprimi potest, Magnum Dei incrementum fore, id est, propaginem Dei æternam, propagationemque ipsius vsque ad temporalia atque sensum, per quam Dei regnum, id est, beatorum numerus cresceret. Tantam fuisse scio in Marone prudentiam & modestiam, vt existimare nequeam, cum tam vasta hyperbole erga infantem filium priuati ciuis Pollionis vsurum fuisse, nisi talia quędã supra modum ingentissima, ex Sybillinis carminibus hausisset. Sybilla etiam de simplici homine, qui non esset Deus, tam miranda nequaquam pronunciasset. Sed audi quàm superbam Virgilius adiungat hyperbolem.

Aspice connexo nutantem pondere mundum,
Terrasq; tractusque maris, cœlũque profundum,
Aspice venturo lætentur vt omnia seclo.

Forté Sybilla scripserat Sobolem illam Dei ab elementis, cœlisque honorandam. Honorauit autem Iesum, cœlum eclypsi, aër, ignisque crinito fulgore, aqua cum dictis eius paruit, pedesque sustinuit, terra motu, cum Tyberio imperante cruci affixus fuit. Postremo exclamat Poëta, quamuis quid petat ignoret. *O mihi tam longè maneat pars vltima vitæ.* Fortè Sybilla, quod & Prophetæ optauerunt, diem Christi videre optabat, ac tum primum vita decedere, quòd cum Symeon optasset diu, fuisset que in senio consecutus, exclamauit. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum & quæ sequuntur.

Testimonia Sybillarum de Christo.

CAPVT XXV.

Libros Sybillinos, sicut in superioribus diximus, Senatus Romanus habebat. In illa Lactantius Imperatoris Constantini familiaris, quædam legit manifestè ad Christum Dei filium pertinentia. Primùm quidem illud Erithreæ, vbi Deum prædicat nutritorem omnium, creatoremque, qui dulcem spiritum omnibus tribuit, ac principem omnium deorum fecit. Rursusque ait: Ipsum dedit Deus fidelibus hominibus honorandum. Et alia Sybilla præcepit, hunc oportere cognosci, dicens. Ipsum tuum cognosce Deum, qui Dei filius est. Hoc est quod legitur apud Danidem: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Item: Ex vtero ante Luciferum genui te. Item: Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et apud Salomonem. Deus condidit me in viarum suarum initio, in opera sua ante secula, fundauit me in principio antequam terram faceret. Et paulò post: Cùm pararet cælos aderam illi, & reliqua. Collegit præterea Lactantius de Christi operibus & morte, ex Sybillinis libris talia: Mortuorum resurrectio erit, claudorum cursus velox, surdus audiet, cæci videbunt, loquentur non loquentes. Quod etiam ita cecinit Esaias. Confortamini manus resolutæ, genua debilia consolamini, qui estis pusilli animi, nolite timere, nolite metuere, Dominus noster iudicium retribuet, ipse veniet, & saluos faciet nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, tunc saliet claudus sicut ceruus, & plana erit lingua mutorum, quia rupta est in deserto aqua, & riuus in terra sitienti, quod Baptismi tempus significat. Verùm sequamur, quod collegit Lactantius ex Sybillis. Panibus simul quinque, & piscibus duobus, hominum quinque millia in heremo satiabit, & reliquias tollens, duodecim cophinos implebit in spem multorum, ventos compescet verbo, sternet insanum mare pedibus pacis, fideque calcans fluctus perambulabit, morbos hominum resoluet, viuificabit mortuos, arcebit dolores à multis, omnia verbo agens, omnem infirmitatem curans, miserabilis, ignominiosus, informis vt spem miserabilibus præbeat, in manus infidelium iniquas veniet, & dabunt Deo alapas manibus incestis, & in puro ore expuent venenata sputa. Dabit verò ad verbera simpliciter sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit, nè quis agnoscat, quòd verbum vel vnde venit vt mortuis loquatur, & corona spinea coronabitur, Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, in hospitalitatis hanc monstrabunt mensam. Ipsa enim insipiens Gens, tuum Deum non intellexisti, ludentem mortalium mentibus, sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi verò velum scindetur, & medio die nox tenebrosa nimis tribus horis, & mortis fatum finiet. Tribus diebus somno suscepto, & tunc è mortuis egressus, ad lucem veniet, primus resurrectionis principio vocatis ostenso. Quando hæc perfecta erunt, quæ dixi, in ipsum omnis lex soluetur. Item alibi dicitur à Sybilla, Iudæorum beatum futurum genus cœlestium, videli-

cet propter excellentiam Christi, cuius gratia multi Iudæi ipsi adhærentes, diuini ante alios euaserunt. Adiunxit Erithrea: Dicent Sybillam insanam, & mendacem, cum autem facta fuerint vniuersa, tum mei meminerint, neque me iam quisque mendacem dicet, sed Dei magni Prophetam. Adducit Aurelius Augustinus multa Erithreæ Sybillæ carmina, in Latinam linguam translata, quæ vidit Græca apud Flaccianum Proconsulem virum doctrina clarissimum, in quorum capitibus talis erat ordo literarum, vt hæc in illis verba legerentur: Iesus Christus Dei filius saluator. In illis carminibus resurrectio corporum describitur, mutatio sæculorum, Dei aduentus ad iudicandum, præmia, & supplicia hominum sempiterna. Talia quædam legunt etiam apud Mercurium Trismegistum. Plato quoque interrogatus quatenus in præceptis eius quiescendum esset, Traditur respondisse, quatenus in terris appareat sacratior aliquis, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes.

De Authoritate Prophetarum, nobilitate veteris testamenti, excellentia noui.

CAPVT XXVI.

DIonysius Areopagita ad sapientem Polycarpum scribit, Persas, Babylonios, Ægyptios in Annalibus suis adnotauisse tanquam miracula, & quasi diuina in sacris suis coluisse, ac colere prodigia illa, quæ Hebræi de statu regressioneque cœlestium à Deo facta per suos narrarunt. Plato Solis retrogressionem & illuuionem aquæ ignisue vastationem non tacuit. Ab Iosepho, Aristobolo, Tertulliano, Eusebio testes adhæc Gentilium multi citantur. Berosus scilicet Chaldæus, Manetus Ægyptius, Hieronymus Phœnicis Tyrij rex, Mendesius, Ptolemæus, Menander, Ephesius, Demetrius, Phalereus, Rex Iuba, Thallus, Appion, Nicolaus Molus, Damascenus, Hesiodus, Ecateus, Elanicus, Acusilaus, Ephorus, Theophilus, Manasses, Aristophanes, Hermogenes, Euemerus, Comon, Zophyrus, Abidenus, Estieus, Sybilla, Eupolemon, Alexander Artapanus, Melon, Theodorus, Philon Gentilis, Aristæus, Ezechielus, Timochares, Polyhistor, Numenius, Chorilus, Sachoniato Africanus, Alpheus, Megastenes Hi singuli fermè singula, cuncti certè cuncta, quæ pertinent ad antiquitatem cæteris priorem, mirabilia gesta, doctrinam summam Hebræorum, & miracula Bibliorum confirmarunt. Ex quibus apparet, quod Clemens Alexandrinus & Atticus Platonicus, & Eusebius, & Aristobolus probant. Gentiles videlicet, siqua habuerunt egregia dogmata & mysteria, à Iudæis vsurpauisse. Sed quæ apud illos historia simplici continentur, ab iis in Poëticas fabulas fuisse translata, quòd Phaetontis ruina, Deucalionque declarat, cæteraque quam plurima. Plato vsque adeo Iudæos imitatus est, vt Numenius Pythagoricus dixerit, Platonem nihil aliud fuisse quam Mosen Attica lingua loquentem. Addit in libro de bono, Pythagoram quoque Iudaica dogmata sectatum fuisse Plato in Epinomide, scientiarum causam inquit fuisse barbarum quendam qui primus hæc inuenit, post addit, ab Ægyptiis, Syriisque cuncta manasse, Iudæa verè ex quadam sui parte, quam Galilæam Plinius vocat, semper in Syria à scriproribus habita est, & ex parte quadam Phœnicia etiam apud priscos appellatur, vt Eusebius probat. Proculus quoque Platonicus, Theologiam Syrianam Phœniciamque ante alias veneratur. Plinius ait, Phœnices literarum, & Astrologiæ inuentores fuisse, qui etiam Chaldæos laudant, Iudæos, qui & Chaldæi nominati sunt (vt probat Lactantius) videntur extollere. Ob hanc, vt arbitror rationem Orpheus inquit, Deum soli Chaldæo cuidam notum fuisse, Enoch vel Abraham, vel Mosen significans. Volunt Platonici, Zoroastrem ab Orpheo significari, hic autem, vt vult Dydimus in Genesis commentariis, filius fuit Cham Noë filij, & ab Hebræis appellatus Chanaan, qui, vt Eusebius probat, tempore Abrahæ adhuc viuebat. Meminisse debemus Iudæorum dotes laudesque transire ad Ægyptios facilè potuisse, vicini enim semperque permixti erant. Alexand. Eupolemonque scribunt: Abraham sanctitate sapientiaque fuisse omnium præstantissimum, hunc docuisse Astrologiam, Chaldęos primum, deinde Phœnices, demum Ægyptios sacerdotes, solitumque dicere, eam se habuisse à successoribus. Enoch, qui eius inuentor extiterit, & Atlas fuerit nominatus. Iulius Firmicus Astronomicus Abraham ob mirabilem sapientiam diuinum appellat. Artabanus quæcunque de Mercurio Trismegisto dicuntur, ostendit fuisse in Mose, & à Mose gesta, eumque Mercurium ipsum fuisse appellatum, insuper esse Musæum. Quod autem à Mose Gentilium doctrina habuerit incrementum, non diffidet, qui Porphyrium audiet dicentem,

Mosen antiqui Saconiatonis testimonio, ante primos Græcorum Philosophos annis mille quingentisque fuisse. Porphyriusque idem in lib. de Responsis, adducit Apollinis oraculum, in quo continetur quod inclyta valdéque sancta gens Hebræa præ cæteris nouit, recepit, & tradidit veram sapientiam, optimum Dei cultum, vitamque beatam. Præterea in libro de abstinentia religiosos quosdam, Philosophosque Iudæorum, quos Essæos vocant, tantis prosequitur laudibus vt eos ante alios omnes & Prophetas, & sanctos, & diuinos ostendat. Ad idem vtitur etiam testimonio Theophrasti Peripatetici dicentis: Eos ieiunio, orationique assiduè operam dare, antiquosque Iudæos natura Philosophos esse. Nec immerito. Libri enim Sybillini Iudæorum genus cœleste beatumque appellauerunt. Clearchus Peripateticus scribit Aristotel. fuisse Iudæum. Calanos quoque Philosophos apud Indos Iudæos fuisse. Megastenes insuper Brachmanas Indiæ Philosophos à Iudæis asserit descendisse. Ambrosius, si rectè memini, Pythagoram patre Iudæo natum ostendit. Mitto quod Iudæorum antiquitatem, sapientiamque Strabo, Iustinus, Plinius, Cornelius, Tacitus tacere non potuerunt. Non igitur paruifacienda est antiquitas Iudæorum, quorum scripta non esse à Gentilibus contempta, imo vsurpata fuisse ex eo coniicimus, quod Aristobolus probat volumina Mosis ante Alexandrum & ante Persarum Imperium in Græcam linguam fuisse traducta, tota verò Biblia, Ptolemæo Philadelpho regnante. Ad quam quidem traductionem (vt testatur Aristæus, qui interfuit) Regem induxit Demetrius Phalereus Peripateticus, qui in Epistola ad Regem ipsum inquit, se legisse quædam Iudæorum volumina iam diu traducta tantæ certè admirationis, vt integra, & diuina sola legum sanctio Iudaica videatur. Idem de ea lege Ecateus Abderita confirmat. Cur innumerabilibus penè muneribus eam traductionem Ptolemæus emit? cur tanto honore translatores, & Pontificem, postquam traduxerant, affecit? qui hoc ambigit, Aristæum legat & Iosephum. Nihil supra. Dic amabo, qualem putas fuisse Ierosolymam, in qua duos & septuaginta viros ex aliorum numero elegit Pontifex præstantissimos, Hebraicæ, Græcæque linguæ apprimè peritos. Merito Plinius Ierosolymam vrbem præclarissimam Vrbium omnium Orientis appellat, amplissimam quoque munitissimamque fuisse Aristæus, Ecateus Philosophus copiosissimè narrauerunt. Adeo verò capacem fuisse monstrat Iosephus atque Eusebius vt in obsidione à Romanis facta, suprà vndecies centena millia Iudæorum in ea vrbe perierint: præterea vltra nonaginta millia venundata fuerint. Verùm non erat propositum nostrum de terrenis vrbis illius, sed de cœlestibus dotibus disputare. Quod quidem siquis cognoscere vult, non modo quæ suprà narrauimus, cogitet, verumetiam & multo magis eorum scripta legat, atque relegat. Reperiet tandem quam grauis sit authoritas Prophetarum, quorum legibus, oraculisque tot sæculis credunt, & parent Iudæi, Christiani, Mahumetenses, & vt summatim dicam, omnes quas terra substinet nationes. Tantum verò superat Christiana doctrina Mosaicam, quantum ciuilem virtutem superat purgatoria. Discurrit in Euangeliis Christus per omnes vitiorum spinas, & quas in ætate illa magis inculta Moses amputauerat (talem enim seruare ordinem docuit) eas ipse prorsus extirpat. Vbi enim qui adulterium, homicidiumque cogitat, adulterum iam homicidamque denunciat, neque dentem vnum pro vno dente extrahi gratia vindictæ permittit vlterius; sed percutienti genam alteram mansuetè iubet efferri, bonaque pro malis retribui. Si te turbat, inquit, oculus tuus, aut dextera, erue, atque abscinde, id est, primum ipsum ad lasciuiam vel vindictam, incitamentum prorsus extingue. Sunt & alia multa generis eiusdem, ex quibus apparet testamentum nouum esse absolutum finem veteris testamenti, tantoque præstantius illo, quantum ea, quæ sunt ad finem, finis excedit.

Testimonia Prophetarum de Christo.

CAPVT XXVII.

SCrutamini scripturas in quibus vitam æternam putatis habere, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Hac voce apud Ioannem aduersum Iudæos maxima fiducia Iesus noster exclamat, vtpote qui sciat testimonia diuinitatis suę quamplurima quærentibus non defutura. Sed admonet, vt non tam cortices diuinorum oraculorum attingant quam medullas perscrutari conentur. Nam apud Prophetam Deus prędixerat. Aperā in parabolis os meum. eructabo abscondita à constitutione mundi. Iudæi duplex habent ab antiquis sacrarum literarum volumen: alterum quidem Hebraicis literis, & oratione Hebraica,

alterum Chaldæa oratione, sed Hebraicis literis scriptum, & vt testatur Rabi Salomon, & Rabi Moses Aegyptius, Chaldæo textui nullus vnquam ausus est contradicere, vtriusque igitur apud illos par auctoritas, sententia quoque eadem: sed quod in altero breuius, vel obscurius est, in altero sæpè latius atque clarius. Eadem ratio est sacrarum literarum apud nos, quas à septuaginta duobus Iudæis in Græcam linguam, & ab Hieronymo rursus ex Hebræa & Græca in Latinam translatas habemus. Sed audiamus iam testimonia Prophetarum.

Ieremias. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, & paulò plus. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster, vbi Hebraicè dicitur (Dauid) Chaldaicè habetur (Messiam) cùm dicit ecce dies veniunt, ostendit absque diuturna mora, post Ieremiam, venturum fore Messiam, quod quidem falsum esset, si adhuc venturus esset. Aperit præterea Messiam fore Deum, nam vbi translatio dicit Dominus, Hebræi habent nomen illud tetragrammaton, id est, quatuor literarum, quod præ cæteris diuinis nominibus adeò apud deos est venerandum, vt nulli creaturæ conueniat, de quo latè disputat Moses Aegyptius in libro de Directione. Vnde Abba Iudæus lib. Tren. vbi quæritur, quod sit Messiæ nomen, respondet, Adonay est nomen eius, ponens ibi nomen illud mirabile tetragrammaton, & adducens illud Ieremiæ, hoc est nomen, quo vocabunt eum Dominus iustus noster. Non autem dicendum vocabit: sed vocabunt, sic enim Chaldæa translatio, & septuaginta Interpretes docuerunt.

Esaias. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Hæc Hebraicè Chaldæus. Illorum textus habet: Infans datus est nobis: & recipiet super se legem ad scrutandum eam, & vocabitur nomen eius de ante, admirabilis consiliarius, Deus fortis, permanens in sæcula sæculorum Messias, in cuius diebus pax multiplicabitur. Ostendit Messiam Deum fore, regnum eius spiritale, mundique alterius. Venturum illum Octauiano imperante, sub quo vniuersalis, & diuturna pax fuit. Monarchia mundi latissima, felicissimaque, & orbis vniuersi descriptio. Quod autem hæc regi Ezechiæ accommodari non possunt, patet, quia subdit: multiplicabitur eius imperium & pacis eius non erit finis. Item, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret vsque in sæculum. Hæc solum ad diuinam animarum pacem & imperium spiritale pertinere possunt. Vnde Moses Aegyptius in Epistola ad Affricanos exponit de Messia puero nato sex illa nomina, scilicet admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Sed cur translatio septuaginta loco sex verborum ponit solum, magni consilij Angelus? Quia cum diuina eloquia Ptolemæo Gentili interpretarentur, sæpè quæ ad Christi diuinitatem pertinent, vel prætermiserunt, vel mutauerunt, ne fortè ille putaret Iudæos existimare Messiam esse Deum in quantum homo, & Deum à summo Deo diuersum, duosque deos esse. Sed Christi diuinitatem Hebraicus textus, Chaldæusque & translatio ex Hebræo declarant. Deridendi verò sunt Iudæi quidam, qui in superioribus Esaiæ verbis dici volunt vocabitque potiùs quam vocabitur. Nam Interpretes lxx. vocabitur transtulerunt, & Chaldæa translatio monstrat, vocabitur esse dicendum.

Micheas. Et tu Bethleem Eufrata nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te enim egredietur, qui sit dominator Israël, & egressus eius sicut ab initio ex diebus æternitatis. Chaldæus textus post egredietur adiungit, Messias, ostendit Messiam tanquam Deum ab æterno fuisse, & tanquam hominem ex Bethleem egressurum. Quisquis ergo de rege Ezechia puro homine & temporali hoc exponit, manifestè delirat. Rabi autem Salomon Messiæ regi accommodat.

Zacharias. Exulta satis filia Syon, iubila filia Ierusalem, ecce rex tuus venit tibi sanctus. (Aliter, Iustus) & saluator, ipse pauper ascendens super asinam & pullum eius, & dispergam quadrigam, & Effrain, & equum de Ierusalem dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem Gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ. Rabi Salomon Iudæus hunc locum exponens dicit, verba hæc non posse nisi de Messia rege intelligi, cui cæteri Iudæi consentiunt. Ex quo patet Messiam venturum fuisse Ierusalem, tanquam inopem, & super asinam, regnumque eius non fore terrenum, & salutem ab eo animarum potiùs quam corporum: & per solam sanctitatem, imo &

mortem: Adiungit enim Zacharias: Tu autem in sanguine testamenti tui misisti vinctos tuos de lacu, id est, antiquos ex limbo. Talia verò de solo Iesu leguntur, quem quidem hominem fore ac Deum Zacharias innuit quando dixit, cum pauperem super asinam imbellemque fore, nullis armis sed sola pacis doctrina vsurum, & tamen saluatorem regemque appellat, vbique regnantem. Dei autem hoc officium est.

Iacob in Genesi: Non auferetur sceptrũ de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Vbi Hebraicus textus habet (dux) Chaldæus habet (scriba) de filiis filiorum eius. Vbi Hebraicè dicitur, qui, Chaldaicè habetur Messias. Vbi dicitur, & ipse erit, & cætera, Hebraica veritas habet Ei Gentes aggregabuntur. Constat autem Iacob de Messiæ aduentu loqui, sic enim Chaldæum declarat volumen, quod sequentes Moses Gerundensis & Chalchadias & Chanihis Iudæi de Messia illic verba fieri confitentur. Iesum verò fuisse Messiam constat, quia Gentiles vocauit, saluauitque sicut Iudæos, & ab illis magis est cultus, ac etiam quia circa illius tempora Iudæorum sceptrum est ablatum. Cumque anni iam illinc vsque ad nos mille quadringenti septuaginta quatuor præterierint, nondum potestas Iudaica restituitur. Neque fingere licet aniculis Iudæorum in Babylonia, vel vltra montes Caspios adhuc eis superesse regnum. Nam contra omnis reclamat historia, quinetiam Moses Aegyptius, cæterique doctores Hebræorum affirmant, nunquam licuisse vel licere posse cuiquam Iudæo extra promissionis terram, quicquam in causis criminalibus iudicare, qui ergo Iudæis extra Iudæam exulantibus regnum tribuit, manifestè delirat. Audiamus

Osee vaticinium. Dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari. Talem esse præsentem Iudæorum conditionem videmus, deque iis temporibus Prophetam fuisse loquutum Interpretes Prophetarum omnes tam Iudæi quam Christiani confirmant. Carere Iudæos hodie legitimo sacrificio, patet, quia lex eorum sola illa Iudæorum sacrificia probat quæ in regione promissionis efficiantur. Obiiciunt Iudæi nonnulli sceptrum de Iuda centum annis ante Iesum fuisse ablatum, quando scilicet in Machabæos sacerdotes potestas rerum translata est, qui non ex tribu Iudæ, sed Leui erant, quod & Iosephus narrat: Iesus autem natus est Herodis tempore, qui Machabæis dicitur successisse. Ad hoc est responsio triplex. Prima quidem, quod cum Machabæi ex tribu Iudæ saltem secundum materniam lineam fuerint, regnantibus illis, non fuit omnino sublata Iudæ potestas. Secunda, quod Propheta Iacob non de tribu hac, vel illa, sed de vniuerso populo Iudaico intellexit. Tertia, quod quemadmodum omnes Iudæorum doctores consentiunt, semper fuit apud illos concilium quoddam septuaginta prudentum ad quorum iudicium rerum grauiorum sententiæ pertinebant. Concilium hoc camedrim appellabant, eratque tanquam senatus, & adhærens viuenti principi, & defuncto principe, principis vicem gerens quod quidem ab ipso Mose fuerat constitutum, & in Babylonica captiuitate assidebat Iudæis ducibus Iudæorum in Babylonia, & post reditum assidebat ducibus illis in patria. Durauit autem concilij huius authoritas vsque ad Regem Herodem, qui ex patre Idumæo & matre Arabe, vt inquit Iosephus, natus erat, & regnum Iudæorum à Romanis accepit, sub quo natus est Iesus. Herodes enim omnes illius collegii viros interfecit, illudque concilium sustulit, quod & Iudæi confirmant in libro Camedrim Ierosolymitano, & in libro Abodazara. Tunc igitur ablatum fuit non solum sceptrum de Iuda, sed etiam scriba de filiis eius, quod Chaldæus prædixerat textus. Quamobrem quando Herodes, qui alienigena erat, regnum assumpsit, & omnes insuper quotcunque reperire potuit ex regia Dauidis stirpe peremit, tunc propriè Iudæorum Regnum funditus est sublatum, denique quando concilium disperdidit, tunc scriba de filiis Iudę sublatus existimatur. Scribit Eusebius, Vespasianum, Domitianumque Imperatores iussisse omnes qui ex genere Dauidis essent interfici, vt nullus Iudæorum regni reliquus foret. Nam & ipsi de aduentu Christi formidabant, sicut ab initio Herodes. Hæc Eusebius accepit ab Egesippo.

Aggæus. Hæc dicit Dominus exercituum, adhuc modicum vnum, & ego mouebo cœlum, & terram, mare, & aridam, & veniet desideratus cunctis Gentibus. Magna erit gloria domus istius nouissimæ magis quam primæ. Modicum vnum, significat nobis hodie iam pridem venisse Messiam, mouebo cœlum, scilicet per eclypsim passionis, ac etiam per stellam illam à Magis visam, terram scilicet per terræ motum in passione. Et ante per terræ motum illum quem Iosephus scribit regnante

Herode in Iudæa, tam terribilem contigisse, vt finitimæ Gentes corruisse omnia Iudææ oppida existimauerint. Nonne tunc vbique terrarum motus facti sunt, quando Iesu nascente, vniuersus orbis descriptus est, edicto Cæsaris Augusti, cogebantur enim omnes vndique in patriam redire, vt singulritè describerentur. Tunc enim ob factionem Iudæ Galilæi contra Romanos, multis cædibus turbatam Iudæam Iosephus asserit Mare, scilicet, quando Christus mari imperauit & ventis, quando subiungit, templum secundum primo felicius fore, intelligit, quia Messiam accipiet, nam in cæteris omnibus vilius miserabiliusque fuit, singula hæc soli Iesu Nazareno conueniunt, præsertim quia venit Gentilibus desideratus, seruauit enim Gentiles magis, quàm Iudæos, quoniam ab illis magis est honoratus. Non expectent Iudæi tertij templi sub nouo Messia constructionem. Nam Aggeus templum secundum nouissimum appellauit.

Malachias: Ecce mitto Angelũ meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis, ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis sustinebit diem introitus eius? Ecce mitto: Et rursus. Ecce venit. Declarat non tantam quantam Iudæi opinantur dilationem, sed citum Messiæ aduentum, non igitur adhuc est venturus. Angelum qui præparabit viam, Ioannem Baptistam præconem Christi significat. Ante faciem meam. Ostendit Ioannem Baptistam ante Christum prædicaturum, & Christum ipsum esse Deum, Deus enim ipse qui loquitur, faciem Christi, faciem suam appellat (Angelus testamenti) nuncium noui testamenti, Messiam demonstrat. Et quis sustinebit? Ambiguitatem designat in cognitione Messiæ, multorumque pertinaciam. Adde Iudæorum ruinam, idololatriæ casum.

Esaias: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei nostri. Hæc fermè superioribus similia sunt & manifesta.

Daniel: Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ (aliter decisæ) sunt super populum tuum, & super vrbem tuam sanctam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum, Moses Tyronensis, & Hyoces, & Dauid, Chalchadiasque, & Abraham Iudæi, sic Danielem exposuerunt, vt anni quadringenti ac nonaginta fluerent à destructione primi tẽpli, ad templi secundi destructionem, & circa huius temporis finem Messias nasceretur. Nicolaus quoque Lyrensis hebdomadas ita computat, vt in illis passus fuerit Christus. Talem quoque probat fuisse Danielis intentionem. Barachias Iudæus in libro de Ordine mundi exponit illud Esaiæ. Proxima est salus mea ad veniendum, & iustitia mea ad reuelandum. Vbi particulam illam, iustitia mea, dicit significare Messiam illum, de quo Daniel dixit, vt adducatur iustitia sempiterna. Similiter Moses Gerundensis verba superiora Danieli ab Angelo dicta exponens, ita dicit: Iustitia sempiterna, & sanctuarium sanctuariorum, vel sanctus sanctorum, non nisi ipse Messias est sanctificatus ex filiis Dauid, hæc ille: & meritò. Cecinit enim Dauid: Orietur in diebus eius Iustitia. Et Hieremias: Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Nempè deleuit Iesus originalis præuaricationis perniciem, & gratiam, iustitiamque tribuit Euangelicam. Sed ne liceat cuiquam fingere, Danielis hebdomadas, vel mensium, vel centenariorum, millenariorum vel seculorum, septenarios numeros esse, meminisse oportet in libro quodam Iudæorum de Ordine mundi apertè omnes eorum scriptores in hoc conuenire, vt illæ annorum solùm hebdomadæ sint. Idem testatur Salomon, & Moses Gerundensis in Commentariis Danielis, confitentes sacrificium Iudaicum in vltima illarum hebdomadarum, in excidio Ierusalem à Romanis fuisse sublatum, atque ipse Salomon hebdomadas Danielis finiri asserit in templi secundi destructione. Prædicitur certè à Daniele, vel in fine hebdomadarum illarum, vel saltem post sexaginta duas hebdomadas illud fore. Sic enim à Daniele prædicitur, & post hebdomadas septem, & sexaginta duas interibit Christus (aliter chrisma, id est vnctio sacerdotum) & iudicium non erit in eo, templum & sanctuarium corrumpet populus duce veniente, & finis huius vastitas. Certè, vt testatur Iosephus, post Herodem sacerdotes nequaquam ex successione sacerdotalis generis, vel perpetuitate vitæ secundũ legem Mosis constituebantur. Sed quilibet etiam ignobilis

simi singulis annis sacerdotium à principe, vel Romanis emebant. Quidam cùm veras Christianorum rationes hoc in loco aliter deuitare non possint, Danielem hic errasse aiunt, cætera vbique bene dixisse. Sed huiusmodi homunculi relinquendi sunt, tanquam qui sibi ipsi repugnent, atque hic & alibi semper errent. Sunt enim inter illos, qui Iesu tempora cunctis notissima audeant permutare, quos arguit Iosephus, vbi de Iesu temporibus scribit, & vbi inquit: Duodecimo Tyberij Cæsaris anno, Pontium Pilatum Iudææ procurationem suscepisse, ibique decem annos continuos permansisse. Cornelius verò Tacitus Gentilis, ait Christum occisum fuisse per Pontium Pilatum procuratorem Iudææ, imperante Tyberio. Cæterùm, vt rem omnem in ordinem redigamus, multæ fuerunt inter Talmuticos, id est, canonicos Iudæorum interpretes de aduentu Messiæ opiniones. Prima Hyocis, qui in libro Cederlophan, id est, de ordine mundi, terminum lxx. hebdomadarum exposuit, quemadmodum supra diximus. Secunda Habaquibe, qui Danielis secutus computationem in destructione templi secundi venturum Messiam existimabat, ideoque sectatus est fatuum quendam, & bellicosum hominem nomine Ventozaram, tunc dicentem, se esse Messiam, quem maxima Iudæorum turba post annos ab excidio Ierusalem, vt ipsi aiunt, octo & quadraginta, secuta est. Igitur penè omnes congregati in oppido Bitera, Romanis rebellauerunt, vtpote qui ducis illius fortunæ, armisque plurimum confidebant. Sed Adrianus Imperator vrbe obsessa, Ventozaram vna cum omnibus sectatoribus interfecit. Hæc omnia Iudæi in libro Demay habent. Tertiam Iudæi opinionem accipiunt à libro Iudicum ordinariorum, qui non paruæ apud illos authoritatis est, ibi tractatur sex annorum millia esse mundi ætatē, duo quidē millia vanitati vel vacuo, tantundē legi, tantūdem Messiæ attribui. Aiunt autē hæc dicta fuisse à discipulo quodam Heliæ filio Sareptæ, quem Helias suscitauerat. At verò secundum Hebraicam computationem ab Adam ad Abraham duo millia annorum fluxerunt, qui anni vanitatis fuerunt. Ab hoc ad Iesum Nazarenum millia quoque duo, qui fuerunt legis anni. Anni igitur qui Iesum sequuntur, à Messia incepisse Iudaica computatione videntur, præsertim quia in eo libro asseritur ab initio mundi ad Messiam quatuor annorum millia intercedere. Secundum verò Hebræorum omnium computationem hodie mundus agit annorum quinque millia & ducentos insuper atque triginta quatuor, iam diu igitur Messias venit. Quarta opinio fuit magni cuiusdam viri, quem Rabi nominauerunt, qui in libro Camedrim ait: Omnes terminos de aduentu Messię assignatos iam periisse, redemptionemque in potentia sola consistere. Hic quamuis fortasse de Christiana potentia non loqueretur, veritatem tamen quodammodo reticere non potuit. Eodem tempore quidam huius authoritate fretus, quia terminos omnes præteriisse crederet, exclamauit: Væ animabus Messiæ terminos computantium. Quinta fuit Chahadie, qui in libro de credendis, diligenti dinumeratione conclusit quendam Messiæ terminum, qui supra trecentos quadraginta annos iam periit. Sexta Mosis Ægyptij, summæ apud Iudæos authoritatis viri, qui quamuis in Deuteronomio Messiæ tempora inquiri prohibeat, tamen in quadam ad Africanos, Iudæos Epistola scribit, se ex certissima antiquorum traditione habere, Messiam nasciturum esse anno à mundi exordio quater millesimo & insuper quater centesimo septuagesimo quarto. Hoc autem tempus ex eorum computatione septingentis sexaginta annis nos antecessit. Septima Mosis Gerundensis, qui in commentariis Pentatheuci, Messiam oriturum affirmat, anno à mundi creatione quinquies millesimo centesimoquę & decimo octauo, cui consensit Leui Benguerson in commentariis Danielis, sed hic terminus pluribus quàm centum annis nos præcessit. Frustra igitur expectant vlterius Iudæi Messiam, imo & quicunque post Iesum expectauerunt decepti sunt. Non enim considerauerunt quod alibi dixit Daniel: In diebus regum istorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non corrumpetur, cœleste scilicet Christi regnum. Dicite quæso Iudæi, cur Magi illi diuini Messiam visuri, statim nato Iesu Ierosolymam profecti sunt, & Herodes sciscitatus à legis peritis Mesiæ tempus, & patriam, infantes illos filiumque suum occidit, quòd testatur Macrobius & Philosophus & Gentilis, nisi quia sapientibus ad Mesiam pertinere loca illa, & tempora videbantur. Vnde multi periti Iesum viuentem tanquam numen venerati sunt Nathanaël & Nicodemus, aliique quos Ioannes Euangelista principes nominat, qui propter Iudæorum metum clam illum venerabantur. Cur multi circa Iesu tempora Mesiam se esse iactabant, licet, vt inquit Gamaliel, tanquam falsi, subito euanuerint. Iosephus narrat sub

Felice Procuratore Iudææ multos extitisse, cui populum sua persuasione deciperent, inter alios Aegyptium quendam Pseudoprophetam, qui plurimis sibi adiunctis in ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis oppressus fuerit. Hæc Actibus Apostolorum consentanea sunt, in quibus Paulo dicitur à Tribuno. Nonne tu es Aegyptius, qui per hos dies excitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum? Tribunus cùm non cognosceret Paulum, suspicabatur, ne fortè esset Aegyptius ille. Surrexit etiam, vt Lucas Euangelista inquit, Iosephusque confirmat, sub Cyrino Syriæ Præside, Iudas quidem Galilæus, tempore conscriptionis census, populumque decepit, sed ille paulò post, & omnes qui sequebantur eum dispersi sunt. Talis etiam Theodas fuit quidam, de quo similia omnino scribunt Lucas & Iosephus, talis Simon Magus, præterea Barchosibas, de quo Moses Aegyptius Iudæorum doctissimus in libro Iudicum inquit Achilayl præ cæteris Iudæis sapiens, omnesque eius temporibus Legisperiti, asserebant, Barchosibam ducem bellicosissimum, esse Messiam, quousque ob eius scelera ab Adriano est interfectus. Hæc Moses. De hoc etiam Eusebius mentionem facit Ariscopellei sequens historiam dicentis: quod ex illo tempore omnis Iudaica natio Adriani decretis etiam ab aspectu Iudææ penitus arcebatur, quodve Ierosolymorum regio, mutato nomine, Aelia, ab Aelio Adriano, cognominata est. Legitur autem in Talmut, id est, peculiari Iudæorum doctrina, libro Camedrin, ipsum Barchosibam annos triginta & dimidium regnauisse, solitumque dicere, se esse Messiam, atque sapientem Achylailem Barchosibe consensisse. Hæc ibi. Necesse est autem Barchosibam Iesu temporibus quàm proximum extitisse. Quid vlterius expectatis homines pertinacissimi, cũ olim omnes vestri generis sapientes Iesu seculum, ad Christum spectare censuerint? Cur paulò post Iesum à Romanis totiens miseri rebellastis, nisi quia tunc finem Prophetarum promissa iam habitura nobis omnibus videbantur? Testatur hoc Suetonius Gentilis. Percrebuerat, inquit, Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti, rerum summa potirentur; atque ob hoc Iudæos rebellasse, & periisse, ait. Nempè tunc expectabatis repentè Christum quendam armatum, perpetuam mundi Monarchiam in Iudæa stabiliturum. Quanto sapientior vobis Virgilius, qui vaticinia Sybillæ de mundi rege temporibus Iesu congruere posse, & consummari existimauit, sed de hoc alias disputauimus. Scribit Iosephus ante obsidionem Ierusalem, Oraculum quoddam in sacris literis repertum, quòd per idem tempus virum designaret ex eorum regione processurum, qui totius orbis potiretur imperio. Cuius Oraculi præsagium quidam Vespasianum declarare suspicatur. Sed Vespasianus nõ aliis quàm illis solis Gentibus, quæ Romano Imperio videbantur subditę, dominatus est, vnde ad Christum hęc oracula referantur, ad quem dixerat Pater: Pete à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et cuius per idem tempus per Apostolos suos in omnem terram sonus exiuerat.

Esaias: Dominus exercituum est, ipsum sanctificate, ipse est pauor vester, ipse est terror vester, & ipse erit vobis in sanctificationem, & in lapidem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel, & in laqueum & ruinam habitantibus Ierusalem, & offendentur ex eis plurimi. Idem: Ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui crediderit in eum, non confundetur. Ex his patet, quòd Christus expectatus est Deus, atque idem sanctas effecit credentium animas, & illius causa duæ domus Israël casuræ erant, scilicet domus regia, & domus sacerdotalis, & quod non omnes, sed plurimi pertinaces erant futuri, & qui credituri erant, confundi non poterant. Neque licet exponere, vt quidem peruertunt, duas domus, id est, duos reges. Consuetudo enim Hebraicorum scriptorum est, totam seriem sacerdotum domum, vnam sacerdotalem cognominare, totam quoque seriem regum, domum vnam regiam, id est, Dauidis domum.

Ieremias. Cumque multiplicati fuerint, & creuerint in terra, in diebus illis ait Dominus: Non dicent vltra Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque illius recordabuntur, nec visitabitur, neque fiet vltra, scilicet quia post Messiam (quod & Mahumethes æquum putat) tam dignitates, quàm cerimoniæ testamenti veteris cessauerunt, neq; id quidem iniuria. Imagines enim erant illę futurorum sacramentorum, præsente verò substantia, quid est opus imagine?

Esaias: Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum. Commentaria Hebræorum antiquissima exponunt, id est, antequam natus fuisset ille, qui Iudæos in seruitutem vlti-

mam redegit, id est, Titus, iam natus Redemptor eorum fuerat. Vnde Chaldæus textus habet: Adhuc non erit ei veniens angustia, & adhuc non veniet ei tremor cum doloribus propter partum, reuelabitur Messias. In hoc ipso Chaldæo textu Hebræus Ionathas inquit: Antequam veniret ei angustia salua facta est: & antequam venirent ei dolores partus, Messias reuelatus est. Similiter affirmat ibidem sapiens Samuel. Ex iis omnibus apparet Messiam ante destructionem Ierusalem ortum fuisse. Concedunt autem plurimi Hebræorum illum eo die natum, quo ciuitas diruebatur. Deinde ad ineptias suo more refugiunt, dicentes illum latere quousque Deus præcipiat, vt se palam cunctis ostendat. Alij in monte Synai cum Angelis eum collocant, alij vltra Caspios montes segregant, alij mendicantem passim, & circumuagum agunt, sua insania & discordia se inuicem confundentes.

Esaias: Dabit vobis Deus ipse signum. Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. In Hebræo est Hahalma, quod puellam absconditam, conseruatamque significat. Emanuel verò significat nobiscum Deus, scilicet quia ille qui nasciturus erat ex illa puella, futurus erat non homo tantum, sed etiam Deus Ex puella inquam semper Virgine, promittitur enim partus huiusmodi tanquam signum quoddam prodigiosum, de quo Dauid: Veritas de terra orta est. Et Esaias alibi ait: Exultent cœli desuper, & nubes induant iustitiam, aperiatur terra, & pullulet saluator, Ego enim Dominus Deus creaui eum. Videmus in humana specie duo extrema, ac media duo, quisque nostrum ex viro & muliere nascitur, Adam ex neutro, Eua ex solo viro diuina virtute, Iesus ex muliere sola diuino spiritu. Mysterium hoc etiam rex Arabum Mahumetes in Dialogo suo admiratur multum, & veneratur, in Alcorano quoque veritate coactus ait: Iesus Mariæ filius, Deique nuntius, suusque spiritus, ac verbum Mariæ Virgini cœlitus missum fuit.

Daniel: Videbam in visu noctis, & ecce in nubibus cœli, vt filius hominis veniens, & vsque ad vetustum dierum peruenit, & qui assistebant obtulerunt eum, & datum est ei regnum & honor, & imperium, & omnis populus, tribus, & linguæ seruient ei, & potestas eius æterna, quæ nunquam transibit, & regnum eius quod non corrumpetur. Omnes enim Iudæi Interpretes hanc parabolam de rege Messia exponunt, quamuis hic de vltimo Christi aduentu tractetur. Et iis verbis significat Daniel, Deum venturum sub hominis habitu, Christique regnum non temporale, sed æternum, & spirituale futurum In quo & Esaias venit, apud quem Christo ita Deus loquitur: Dabo tibi thesauros absconditos, & inuisibiles.

Osee: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam meam, dilectam meam, & non misericordiam consequutam, misericordiam consequutam, & erit in loco vbi dictum est, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. In eis prædicitur conuersio Gentilium, ac pertinacia Iudæoru, qualis fuit circa Iesum.

Esaias: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant. Tota autem die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi In iis idem, quòd & paulo superius est vaticinium.

Dauid: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, à Domino factum est istud, id est, mirabile in oculis nostris, hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. O Domine saluum me fac, ó Domine bene prosperare, benedictus qui venturus est in nomine Domini. Iesus tanquam inutilis reprobatus à prauis, factus est diuina virtute in caput anguli, cui duo annectuntur, parietes, id est, Gentiles, & qui ex Iudæis sunt conuersi.

Malachias: Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus; & sacrificium acceptum non habeo ex manibus vestris, quoniam à Solis ortu vsque ad occasum clarificabitur nomen meum apud Gentes. Ex iis ostenditur reprobatio infidelium Iudæorum, Iudaicarumque ceremoniarum, & approbatio fidelium Gentilium adueniente Christo.

Esaias: Posui te in lucem Gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.

Esaias. Venio colligere omnes Gentes & linguas, & venient, & videbunt claritatem meam, & dimittam super eos signum, & mittam ex iis conseruatos in Gentes, quæ longè sunt, quæ non audierunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in Gentes, & assumam ex eis Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus. Et alibi apud eumdem Deus Messiam sic alloquitur. Parum est, vt sis mihi seruus ad sustinendas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas, dedi te in lucem Gentium. Item: Primus ad Sion dicet Ecce adsum, & Ierusalem Euangelistam dabo, vidi, & non erat vir, nec ex istis quisquam, vt iniret consilium, & interrogans videret Verbum,

Verbum ecce omnes iniusti, & vana opera eorum. Et in sequenti capitulo subdit: Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit mihi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, & iudicium Gentibus proferet, non clamabit, nec accipiet personam, calamum quassatum non conteret, donec ponat in terra iudiciũ, & legem eius Insulæ expectabunt. Rursus alibi: Educam de Iacob semen & de Iuda possidentem montes meos, & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, serui mei lætabuntur, & vos erubescetis, & dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis, & interficiet te Dominus, & seruos suos vocabit nomine alio. Idem alibi Deum sic loquentem facit: Israël me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Rursus, Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos Mittam ex iis conseruatos in Gentes, id est, discipulos Messiæ, qui manus Iudæorum euaserint, ad Gentes conuertendas, mittam & assumam, id est, ex numero Gentilium, qui conuertentur, constituam legitimos Sacerdotes. Ex quo patet, quòd etiam Gentiles ad dignitatem Israëliticam assumi poterant. Vnde Rauanais Iudæus in commentariis Exodi ait: Tempore Messiæ Gentiles conuersi sacerdotes erunt, Domino ministrantes. Parum est vrsis. Per hæc patet, quòd Messias ad salutem non Hebræorum solum, sed etiam Gentilium mittendus erat, sicut Iesus primus ad Sion dicet. Salomon Iudæus Interpres hunc locum exponens, omnia hæc ait de rege Messia, atque vltima redemptione esse intelligenda. Idem aperit Chaldæa translatio Ionathæ. In iis autem Esaiæ verbis apparet, quòd Christus primo, & propriè apud Iudæos prædicaturus erat, & ibi Euangelia, & Euangelistas fundaturus, sed quia praui, & pertinaces futuri erant, adiungit, Non erat vir, atque ideo iudicium Gentibus proferet, scilicet apud Gentiles per discipulos suos, doctrinam Euangelicam diuulgabit. Atque vt ostenderet, quòd iudicia Euangelica in humilitate summa, non magnificentia, in tumultu, sonituque tubarum, sicuti lex Mosi, promulganda erant, adiunxit, non clamabit: In reliquis verbis aperit Esaias, Messiam ex Iacob descensurum, sectatoresque suos, vt plurimum alienigenas fore, qui electi apud Deum futuri erant, nec Israëlitici isti quidem amplius, sed alio nomine, scilicet Christiani nominandi. Aperit etiam Iudæos Messiæ aduersaturos, pœnasque daturos, sicut olim Iesu temporibus contigit, pertinaciam etiam Iudæorum sempiternam, qualem hodie experimur.

Ieremias. Cognouit tempus suum turtur & hirundo, & passeres custodierunt tempora introitus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est incassum, facta est metatura falsa? Scribæ confusi sunt, sapientes trepidauerunt, & capti sunt, quoniam verbum Domini reprobauerunt. Cur Prophetæ quæ futura sunt, sæpè tanquam præterita narrant? quia in diuina mente, cui sunt præsentia omnia illa, tanquam præsentia vident, & postquam viderunt tanquam præterita, id est, manifesta, & iam consummata loquuntur. Sed redeamus ad Ieremiam. Hic in verbis superioribus declarat. Scribas non perfectè cognituros tempus aduentus Christi, tempusque metendi, neque id quidem mirum, difficillima enim est iniustis diuini sensus interpretatio. Huic congruit illud quod in Deuteronomio legitur. Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac stupore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus. Meridies, est lux operum Christi, in qua Iudæi plurimi caligati sunt. Idem Ieremias alibi: Domine Deus meus ad te Gentes venient ab extremis terræ, ac dicent, quæ falsa nostri parentes idola possederint, & non erat in ipsis vtilitas, si faciet homo sibi ipsi deos, non erunt isti dij. In his prædicitur casura idola per Messiam, quod factum est per Iesum. Cui quadrat illud Esaiæ, vbi loquens de Christo inquit: Docebit vos vias suas, & post multa: In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi, ne ea adoret. Idem significat Daniel quando loquens de Christo inquit, quod lapis abscissus sine manibus conteret statuam ex ferro textam, auro argentoque compositam. Lapis abscissus est Iesus, vi Sacerdotum afflictus, hic sine manibus, id est, sine humana violentia contriuit statuã, id est, idololatriam, quæ statuas colebat, statuam, inquam, quadripartitam, nam in quatuor præcipua mundi regna sparsa erat, scilicet Chaldæorum, Medorum, Græcorum & Romanorum. Idem Ieremias alibi: Horribilis Dominus super eos, & exterminabit omnes

deos terre, & adorabit eum vir de loco suo, omnes insulæ Gentium.

Esaias. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, & claudet oculos vestros, & principes vestros, qui vident visiones operiet, & erit vobis visio omnium sicuti verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent, lege istum, & respondebit, non possum, signatus est enim, & dabitur liber nescienti literas, diceturque ei lege, & respondebit, nescio literas Et dixit Dominus: Pro eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & me glorificat labiis suis, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, ideo ecce addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo, peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscondetur. Rursus alibi, Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem. Hæc omnia prædicunt, Iudæos quam plurimos, tam doctos quàm indoctos, propter eorum scelera & impietatem, Christi expectati vaticinia, Christumue præsentem non cogtituros, cuius erroris causa in miseria sunt hodie vsque ad sæculi finem, quod, vt diximus, aliàs cecinit Osee: Dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.

Quoniam verò circa sæculi finem credituri sunt Christo nostro, subiungit: Et post hæc reuertentur filij Israël, & quærent Dominum Deum suum, & Dauidem regem suum. Translatio Chaldæa continet: Et obedient Messiæ filio Dauidis regi suo, & pauebunt ad Dominum. In Hebræo habetur: Et fluent ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimis diebus. Nemo intelligat hæc de Babylonica captiuitate, in qua reges, ducesque pro tempore honoratos habuerunt, quòd quidem quartus Regum liber nos docet, vbi traditur, à rege Babyloniæ regem Iudæ Ioachim in sede regia vnà cum aliis regibus collocatum fuisse, cæterosque generis eius similiter honoratos, quibus honoribus hodie priuati sunt. Carent etiam sacrificio, & altari, cum careant templo Mosaica lege disposito. Carent Ephod, id est, Sacerdotia veste, & Theraphim, quod est instrumentum quoddam idololatriæ ritu ad futura præsagiẽda constructum. Quibus verbis significatur Iudæos, neque Deum verum legitimè, neque idola hodie colere, in cæteris verò temporibus, vel Deum ritè coluere, vel idola. Post multos autem dies & in nouissimis diebus, id est, post multa sæcula, qualia hæc sunt post Iesum, & circa mundi finem, reuertentur, & quærent Deum suum, scilicet patrum suorum, & Dauidem regem suum, id est, Messiam Dauidis stirpe natum, quòd Chaldæa translatio docet. Liberatio verò ex Babylone, non fuit post multa sæcula, & in nouissimis temporibus, nemo intelligat quòd tunc primum venturus sit Messias: ad hunc enim errorem auferendum, Propheta non dixit: Veniet rex eorum, sed reuertentur, & quærent illum, quasi iam pridem venerit, sed illi discesserint, & neglexerint, & tandem quæsituri sint illum. Quod Chaldæa verba declarant, cum dicunt: Obedient Messiæ, vtpote qui antea fuerant pertinaces. De iis Esaias ait: Hæc dicit Dominus ad domum Iacob, non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet, quia cum viderit filios suos sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israël prædicabunt, & sitient errãtes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem. In his tollitur confusio Iacob, quia ex eius stirpe, & quasi filij fuerunt Apostoli, qui Iesum exaltauerunt, quorum doctrina tandem Iudæi omnes credituri sunt Christo. Quòd Paulus in Epistola ad Rom. acutissimè probat. Quamobrem loquens Esaias de primo Christi aduentu ait: In die illa erit germen Domini in magnificentia, & erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur in die, id est, in lucis tempore, germen Domini, id est, Christus Dei filius, in magnificentia scilicet operum ac prodigiorum. (Omnis qui relictus) significat Christi discipulos paucos penè ab omnibus destitutos, sanctas Christi reliquias. Istæ reliquiæ in secundo Christi aduentu cum Christo exaltabuntur. De Iudæis autem interim quid est dicendum, raro & pauci electi erunt, de his enim illud Esaiæ intelligitur. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oliuę duarum aut trium oliuarum in summitate rami. Postquam enim propter illorum perfidiam à naturali arbore, vt Paulus Apostolus inquit, excussi sunt, & ab oliuæ radice separati, adhuc nonnulli vel ibi relicti, vel potius interdum denuo videntur insiti, qualis fuit Euaristus Hebræus vir illustris, qui septimus à beato Petro Pontifex Christianorum fuit, annos plures quàm decem in ea dignitate dignissimè vixit, martyrque obiit.

Præterea, Gothorum tempore, Iulianus Iudæus primum Hispaniæ sanctissimè rexit Episcopatum. Petrus quoque Alphonsus eiusdem generis Dialogum conscripsit contra perfidiam Iudæorum. Alphonsus Burgensis summus Metaphysicus in sexagesimo ætatis suæ anno fidem Christi suscepit, pluraque aduersus Iudæos egregia scripsit. Quid dicam de Nicolao Lyrensi, viro doctrinæ magnæ, viroque sanctissimo. Quid de Hieronymo Physico, qui tempore Pontificis Benedicti contra Iudæos subtiliter disputauit. Fuerunt & alij numero quidem multi, quamuis egregij tam longo seculo pauci, de quibus illud Ieremiæ dictum censeo. Assumam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione (aliter, congregatione) & adducam vos in Sion, scilicet cœlestem. De his diligenter Paulus Burgensis Episcopus Theologus insignis tractauit.

David. Descendet sicut pluuia in vellus, id est, multis ignotus, & addit: orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.

Esaias. Orietur in diebus eius iustitia, & multitudo pacis. Iesus Octauiano imperante natus est, & aduersus originalem iustitiam Adæ radice contractam, Euangelicam gratiam, & iustitiam introduxit. Octauiani quoque imperium iustissimum fuit. Tanta etiam pax eo tempore per vniuersum orbem, vt nunquam vel amplior, vel diuturnior. Hinc Virgilius.

Claudentur belli portæ, &c. Perseuerauit ea pax post Iesum, annos septem atque triginta.

Esaias. Fatigata est Ægyptus, & negotiatio Æthiopum & Saba, viri alti ad te transgredientur, & tui erunt serui, & post te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt, & te precabuntur, quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te. Tu enim Deus es, & nesciebamus, Deus Israël Saluator, confundentur & reuerebuntur omnes, qui aduersantur tibi, & cadent in confusionem. Hæc monstrant quemadmodum Gentilium Imperia, quandoque futura erant Christo subiecta. Item Christum esse Deum saluatorem aliquod tempus incognitum, adoratum postea, atque eius aduersarios, id est, Hierusalem pertinacē, & idololatram, æquè cadere oportere, sicuti contigit. Quod etiam Christus futurus sit homo, sic aperit Esaias: Mittet eis Deus hominem, & saluabit eos, iudicans sanabit eos. Merito Messiam saluatorem nominat, & saluaturum, Iesus enim appellatus est, id est, Saluator, ostendit autem, quòd non violentia, & armis corpora, sed iudicio animos sanabit. Quod rursus Christus sit Deus, Dauid de Deo loquens sic aperit: Misit verbum suum, & sanabit eos de corruptis, propterea Abraham Deum sub forma hominis agnouit, & vt regem omnium adorauit. Similiter Iesu successori Mosi Deus apparuit, Iacob quoque similiter.

Ieremias. Hic Deus noster, & non reputabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto sibi, post hæc in terris visus est, & cum hominibus versatus est. Per hæc Messias Deus & homo monstratur. Idem alibi: Et homo est, & quis cognouit eum, quasi dicat, propter eius humilitatem hominumque superbiam, multi eum ignorauerunt. Nihil mirum est, Iudæos multos parum pios profundum Messiæ mysterium, & Iesu diuinitatem non cognouisse. Multi tamen Iudæi partim pij, partim etiam docti ab initio cognouerunt, multa enim Iudæorum millia ad legem suam Christus conuertit, multo plura discipuli. Eos autem Iudæos, qui Iesu crediderunt, etiam Mahumetes affirmat in Alcorano, à Deo cæteris Iudæis longè prælatos fuisse. Hi simul cum Gentibus Messiam (quod alibi Ieremias vaticinatus est) vocauerunt Dominus iustus noster, & verè vocauerunt, non enim permisisset se falso Deum vocari.

Moses. In numeris orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Per hæc & superiora Messias ostenditur Deus & homo, propterea Ezechiel Deum depingens, collocat eum in hominis habitu super Zaphireum thronum, quia scilicet Deus futurus erat homo. Vnde Rabi Ioanna in commentariis Psalterij dicit, quòd cum Iudæi alias ab aliis ducibus ex captiuitate fuerint liberati, redemptio vltima à Deo sub propria persona est explenda, per hoc Messiam Deum esse concedit, ac de ipso exponit illud, Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis.

Dauid. Loquens de Christo, qui inter cæteros vnctos à Deo (qui ob ipsam vnctionem Christi vocari possunt) excellentior est, dicit: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vbi declarat eum hominem, & paulo ante monstrauerat Deum, dicens: Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui. Quod autem de Messia loquatur, declaratur ex eo, quòd vbi Hebraicè dicitur, speciosus forma præ filiis hominum. Chaldæa

translatio Ionathæ, quæ apud Iudæos Hebraico textui est authoritate æqualis, habet: Pulchritudo tua rex Messia maior, quàm filiorum hominis. Merito translationis huius authoritati omnes cedunt, ordinata enim fuit ab Ionatha viro magno, ex consensu & ore Heliazar & Iosue, virorum excellentissimorum, longo tempore ante templi destructionem. Et antiqui omnes Talmutici Hebræi affirmant illam ab Aggeo, Zacharia, Malachia Prophetis descendisse. Ex superioribus Dauidis verbis, atque similibus Rabi Abba commotus in commentariis Genesis interrogat, quid sibi velit Daniel, quando de Deo dicit: Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est, ac respondet: Hæc certè lux, est lux regis Messiæ, de quo in Psalmo, In lumine tuo videbimus lumen. Hæc ille. Hic fatetur diuinum illud lumen quod semper cum Deo est, & ipse Deus est, lucem esse Messię, ipsumque Messiam. Antiquus etiam ille & illustris Theologus Rabi Neuma in libro, qui Lucidus inscribitur, dictum illud Salomonis exponens in Prouerbiis, Iustus est fundamentum sempiternum, interrogat, quid hoc sibi velit, & respondet de Messia in hunc modum. Quem nisi iustum habet, seu habebit Deus in sæculo suo, qui est sibi dilectus, quia sustinet mundum vniuersum, atque illius est fundamentum, gubernat mundum, atque vt gubernetur ipse efficit, ipse est animarum omnium fundamentum, atque hoc est, quòd dicitur, iustus est fundamentum sempiternum. Hæc ille. Ex quibus aperit Messiam non solum hominem esse, sed etiam Deum. Ipse quoque Dauid alibi idem aperit: Mater Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus, id est, Deus, qui fundauit Sion ibidem tanquam homo natus est, & Sion appellat matrem.

Esaias. Erit in die illa radix Iesse, & qui exurget principari in Gentes, in eum Gentes sperabunt, & erit requies eorum in honore. Et alibi. Exibit Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dei; spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus pietatis, & implebit illum spiritus timoris Dei. Iesse pater fuit Dauidis. Per hæc ergo prædixit Propheta Messiam ex Dauidis stirpe pullulaturum, Gentilibus magis quàm Iudæis profuturum, spiritalibus potius quàm corporalibus armis dominaturum, qualis Iesus fuit. Idem Esaias alibi ex persona Christi sic inquit: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum. Hic declaratur Messiam ex Sancto Spiritu nasciturum, Christum ex diuina solum vnctione nominandum. Item pauperibus Euangelium prædicaturum, remissurum peccata, ignorantiam expulsurum.

Dauid. Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent.

Esaias. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Hæc partim Iesu statim nato facta fuerunt, partim post eius ascensionem, præsertim imperante Constantino ad hæc vsque tempora. Et alibi: Ex Ægypto vocaui filium meum. Rursus alibi: Nazarenus vocabitur. Iesus autem noster ex Ægypto reuersurus, Nazareth habitauit, ac Nazarenus fuit cognominatus.

Zacharias. Ostendit mihi Dominus Deus Iesum Sacerdotem magnum, stantem ante faciem Angeli Domini, & diabolus stabat ad dexteram ipsius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad diabolum; Imperet Dominus in te, qui elegit Hierusalem, & ecce titio eiectus ab igne, & Iesus erat indutus vestimentis sordidis, & stabat ante faciem Angeli, & respondit, & dixit ad circunstantes ante faciem eius: Ferte vestimenta sordida ab eo, & induite eum tunica talari, & imponite cidarim mundam super caput ipsius, & cooperuerunt vestimento, imposueruntq; cidarim mũdam super caput ipsius. Angelus Domini stabat, & testificabatur ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus Omnipotens; Si in viis meis ambulaueris, & præcepta mea seruaueris, tu iudicabis domum meam, & dabo tibi, qui conuertentur in medio horum circunstantium. Audi itaque Iesu, Sacerdos magne, Prophetæ verba, quia futurum portendunt, & hominem designant titionis extincti instar, contemptum primo, ac sordidum, deinde ornatum à Deo, diuinæq; domus Iudicem. Deo Iesu Nazareno congruunt, non Iesu Naue, vel Iesu Iosedech, qui & ante Zachariam fuerunt, & talia nequepassi sunt, neque fecerunt.

Salomon in libro Sapientiæ. Circumueniamus iustum, quoniam insuauis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis, promittit se scientiam Dei habere, & filium se nominat, factus est nobis in traditionem cogitationum nostrarum, grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam

dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ illius, tanquam nugaces existimati sumus ab eo, & continet se à viis nostris, & ab immunditiis, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur se habere patrem Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, contumeliis & tormentis interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, morte turpissima condemnemus eum. Hęc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos stultitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei. Hæc Salomon, quibus nihil clarius. Merito permisit Deus illos qui aduersus Prophetas Messiæ præcones cæci, crudelesque fuerant, tales quoque aduersus Messiam fore.

Esaias. Ecce intelliget puer meus, exaltabitur & glorificabitur, & sublimis erit valdè, quemadmodum super te stupescent multi, ita gloria priuabitur ab hominibus) species tua, & gloria tua ab hominibus, ita mirabuntur Gentes multæ super eum, & continebunt reges os suum, quoniam quibus non est annunciatum de illo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? annunciauimus coram illo, vt infirmus, vt radix in terra sitienti. Non est species illi neque gloria, & vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem, sed species eius sine honore, deficiens præ omnibus hominibus, homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitatē. quoniā auersa est facies eius, inhonoratus est, neq; magni æstimatus est. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos existimauimus illū esse quasi leprosū, percussum à Deo, & humiliatum (aliter in dolore, in plaga, & in afflictione) ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ, in eo liuore eius sanati sumus, omnes vt oues errauimus, homo à via sua errauit, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris, & ipse propter quod afflictus est, non aperuit os, vt ouis ad immolandum ductus est, & vt agnus antè eum, qui se tonderet sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est, generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terrā vita eius. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem, & dabo malignos pro sepultura eius, & diuites pro morte eius, quoniam iniquitatem non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. & Dominus vult purgare eum de plaga. Si dederitis pro peccato animam vestram, videbitis semen longæuum, & Dominus vult auferre à dolore animam eius, ostendere illi lucem, & formare intellectum, iustificare iustum, bene pluribus seruientem, & eorum peccata ipse portauit, propterea ipse hæreditabit plures, & fortium diuidet spolia. Propter quòd tradita est ad mortem anima eius, & inter iniquos existimatus est, & ipse multorum peccata portauit, & propter peccata eorum traditus est.

Quod autem Esaias in verbis superioribus de redemptione vltima, quæ per Messiam accipienda erat, locutus sit, patet per procemium quoddam ab eo iis verbis ita propositum. Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis: Syon regnabit Deus tuus. Et infra: Parauit Dominus brachiū sanctum suum in oculis omnium Gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et infrà: Præcedet enim vos Dominus, congregabit vos Deus Israël. Hæc & alia multa illic similia ad Messiam pertinere omnes tam Iudæi quàm Christiani consentiunt. Deinde subdit, Ecce intelliget puer (aliter seruus meus) quod iste seruus sit Messias. Declarat etiam Chaldæa translatio hunc in modum. Ecce intelliget seruus meus Messias. Rursus quod Messias iste sit Deus, Iudæi Interpretes Talmutici Esaiam hic exponentes sic ostendunt. Exaltabitur plusquam Abraham, eleuabitur plusquam Moses, sublimis erit valdè plusquam Angeli. Quam verò preciosa sit redemptio huiusmodi per Messiam, patet per illud Esaiæ: Israël saluatus est in Domino salute æterna, non confundemini, & non erubescetis vsque in sæculum sæculi. Non igitur corporalis, vel temporalis futura erat per Messiam salus, qualis Ægyptiaca, & Babylonica, & similes, sed spiritalis, & sempiterna. Quamuis autem prophetia illa Esaiæ: Ecce intelliget, ad Iesum nostrum manifestè pertineat, tamen Rabi Salomon peruersæ voluntatis homo, ausus est verba illa peruertere, extorquens ea ad Iudaicum populum in hodierna miseria viuentem. Cui quidem contradicit translatio Chaldæa, sicut diximus. Contradicunt etiam omnes antiqui Iudæi Interpretes Prophetarum, qui seruum illum esse Messiam volunt, Angelis valdè sublimiorem, quæ excellentia plebeculæ huic Iudaicæ vili, & vitiosæ conuenire non potest.

Vnde Rabi Moses Gerundensis, hoc Salomone contempto, secutus est priscos. Itaque in Genesis commentariis di-

cit, regem Messiam cor suum traditurum ad supplicandum pro Israël, ieiunia etiam pro illis, & humillima quæque passurum, adducens illud Esaiæ. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hæc ille. Et quamuis Iudaica fex hodie multum afflicta sit, & quasi vulnerata & attrita eodem penè modo, quo Esaias Dei seruum depingit afflictum, nullo tamen modo Esaiæ verba huic plebi congruere possunt, quòd quidem sex potissimum signa nobis ostendunt.

Primum, & si populus hic grauiter oppressus, non tamen hoc propter Gentium iniquitates, & scelera patitur, ita vt propter Iudæorum passiones & merita, Gentes quæ illos affligunt, à Deo veniam, & salutem consequantur, imò Iudæi omnes vindictam à Deo aduersus Gentes expectant. Cum ergo Esaias de seruo Dei asserit, quod liuore eius alij sunt sanati, & quod Deus in eo iniquitatem cæterorum omnium posuit, certè non loquitur de populo Iudæorum, ob cuius pœnas alij non seruantur, sed vt ipsi asserunt, puniuntur. Secundum signum, Esaias ait, quòd seruus ille Dei iniquitatem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Iudæi autem auaritiæ, & fœnori, mendacio, sceleribusque mancipati sunt. Ac etiam ipsimet concedunt, propter scelera sua in hac miseria viuere, & authoritate Deuteronomij, compulsi fatentur, quòd si deposita prauitate conuerterentur ad Deum, statim liberarentur. Vnde doctores eorum confitentes, ex peccatis suis hanc miseriam prouenire, inquirunt, quæ nam sint illa peccata. Rabi Salomon cultum vituli in deserto fabricati criminatur, quod crimen tamdiu Deus puniuerat, & ignouerat ante Iesum. Alij varia singulorum delicta, alij occultum volunt esse peccatum, cuius culpa supplicia pendunt. Tertium signum. Esaias in fine capituli dicit, quòd seruus ille Dei pro transgressoribus exorauit. Iudæi contra ter saltem quolibet die in execrabilibus sacris suis, Romano Imperio, Ecclesiæ Christi, cunctis Gentibus, præterquam Iudæis, terribilissima imprecantur, atque in Talmuticis constitutionibus suis iubentur, Christianos vtcunque possint, vel vi, vel fraude, doloue lædere. Quartum, quonam pacto eruditio, & disciplina pacis, quam in seruo Dei esse Esaias ait, in hac indocta, & peruersa Iudæorum plebecula ponenda est. Quintum, quonam pacto sublimior est populus ille quam Angeli Dei, qualem esse illum seruum Dei omnes antiqui Iudæi proculdubio consenserunt. Sextum, cum dicat Esaias: Iniquitatibus populi mei ductus ad mortem, quis non videat alium esse seruum Dei illum, qui ad mortem ducitur, alium Dei populum, ob cuius iniquitates occiditur, nisi fortè quis velit Esaiam scriptorem omnium elegantissimum, sic absurdè locutum fuisse, vt intelligi voluerit, ab iniquitatibus populi mei ductus est populus meus ad mortem. Proinde si populus Iudaicus peccatum non habet, falsò hic de populo Iudaico loquitur Esaias, si habent, falsò loquitur statim, quando subdit, iniquitatem non fecit, si modo tunc de populo loquitur, seruus igitur ille Dei nullò modo populus esse potest. Sed operæpretium est verba ipsa Esaiæ in duodecim Conclusiones redigere, quemadmodum Paulus Burgensis Episcopus, Theologus insignis redegit. Prima, Seruus Dei apud Esaiam descriptus cunctis creaturis est excellentior, dicit enim, exaltabitur, & eleuabitur, &c. Secunda, Ipse ab initio fuit paruulus, humilemque habuit ortum, dicit enim, ascendit sicut virgultum, & sicut radix è terra sitienti. Tertia, In suo progressu contemptus est, & pro nihilo habitus, ait enim despectum, & nouissimum virorum vidimus, nec reputauimus eum. Quarta, Vulneratus fuit propter iniquitates nostras scilicet purgandas. Vnde illud: & liuore eius sanati sumus: Et infra, Iustificabit ipse iustos seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit: Quinta, Omnes iusti præter ipsum ex communi lege à via salutis aberrauerunt, ipse autem omnium portauit iniquitatem, id est, pro omnibus pœnas dedit. Hinc illud: Omnes nos quasi oues errauimus, & Deus posuit in eum iniquitatem omnium nostrum. Sexta, Hæc supplicia, & post illa etiam mortem libenter sustinuit, de quo dicitur, oblatus est, quia ipse voluit, & sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente. Iudæi autem non libenti, sed inuito, & ægro animo passiones ferunt. Septima, Id contigit propter scelus, & iniquitates populi, erat autem ille innocens. De hoc ait: propter scelus populi percussi eum, & de eodem legitur infra, qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Octaua, Quia seruus ille Dei, parta victoria, fortium spolia diuisurus erat, ex eo quòd vitam suam morti tradidisset. Huc illud tendit: Ideo disponam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, quia morti tradidit animam suam. Nona, Existimandus erat iniquus, ob hoc ait: Et cum

sceleratis reputatus est. Decima, Seruus huiusmodi licet per illa, quæ tolerauit sufficienter peccata omnium sustinere, ac delere potuerit, non tamen effectu omnium mala diluit, sed multorum, quapropter adiunxit,& ipse peccata multorum tulit. Vndecima, Tanta in eo fuit charitas,vt etiam pro hostibus, homicidisque suis Deum orauerit, ad hoc subdit, pro transgressoribus orauit. Duodecima, Quæ in hac prophetia traduntur, naturalis ingenij vires excedunt,quo circa exclamauit: quis credidit auditui nostro? hæc omnia soli Iesu Nazareno conueniunt.

Hieremias. Spiritus oris nostri Dominus Christus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbra eius viuemus in Gentibus.Item: In illo die non confunderis ex omnibus adinuentionibus tuis, quas ipse egisti in me, quia tunc auferam abs te prauitates iniuriæ tuæ, & iam non adiicies vt magnificeris super montem sanctum meum, & subrelinquam in te populum mansuetum & humilem, & verebuntur in nomine Domini, qui reliqui fuerint Israel. Item: Domine, significa mihi vt cognoscam, tunc vidi meditationes eorum, ego sicut agnus sine macula perductus sum ad victimam,in me cogitauerunt cogitationes dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus è terra vitam eius, & non erit memoria eius amplius. Item, exterrita est quę parit, & tæduit animam, & subiuit sol ei, cùm adhuc medius dies esset, confusa est & maledicta, reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum. Item: Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam in manu inimicorum eius, facta est mihi hæreditas mea sicut leo in sylua, dedit super me vocem suam, ideo odio habui eam. In iis docet Hieremias, quòd Messias capiendus ob purganda nostra delicta erat, & affligendus, quodque vel relicturus erat populum illum Christianorum primum humilem, persequutionibusque subiectum. Reliquias enim Israel Apostolos, Martyresque esse vult. Post hæc etiam ligni crucis mentionem facit, & eclypsis in meridie, patiente Christo. Martyria etiam Christianorum subiungit, vindictamque aduersus pertinacem populum Iudæorum: Denique addit, quòd populus Dei tanquam leo surrexit in Christum tanquam agnum, atque ideo Deus populum illum exterminabit.

Salomon. Si auertimini à me, dicit Dominus, & non custodieritis veritatem meam, reiiciam Israël à terra, quam dedi illis, & domus hæc erit deserta, & omnis qui transibit per illam, admirabitur, & dicet: Propter quam rem fecit Dominus terræ huic, & domui huic hæc mala? & dicet, quia reliquerunt Dominum Deum suum, & persequuti sunt regem suum dilectissimum Deum, & cruciauerunt illum in humilitate magna, propter hoc importauit illis Deus hæc mala. Hæc ille. Quis ergo negabit Iesum Nazarenum fuisse Messiam, hominemque fuisse pariter atque Deum?

Esdras. Hoc Pascha saluator noster est, & refugium nostrum, cogitate quoniam habemus humiliare eum in ligno, & post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis in eum, neque audieritis annunciationem eius, eritis derisio in Gentibus. Hæc ille, Quibus nihil est clarius. Non minus autem eius illud Mosi congruit. Ego sum Deus, ad æmulationem vos adducam, mihi non Gentem in Gentem, insipientem in iram vos mittam. Præ cæteris verbis Esdræ, maximè illa consideranda sunt, quòd Saluatorem, id est, Iesum, qui Saluatorem significat in ligno in Paschæ tempore, Iudæi humiliaturi erant. Meminisse rursus oportet, quòd quartadecima Luna, lex Iudæis celebrare pascha, & agnum præcipit immolare. Vnde Anatolius Philosophus Alexandrinus, subtiliter probat, primò quidem rationibus, deinde lege, ac etiam authoritate Philonis, Iosephi, Agatobuli, Aristobuli, Iudæorum ritum celebrandæ Paschæ Mosaicum, rectum, & consuetum esse mense Martio, postquam & Sol & Luna æquinoctium vernale transierit, ac Luna Soli opposita sit. Hinc Policrates Apostolicorum discipulorum discipulus asserit, Apostolos etiam, eorumque successores solitos celebrare Pasca iuxta Iudæorum consuetudinem quartadecima Luna, quando populus Iudæorum Azima faciebat. Quorsum hæc? vt confirmemus quod aliàs diximus, scilicet eclypsim Solis, quæ Christo patiente contigit, naturalem non fuisse. Quod autem contigerit, Lucianus Antiochenus ante tribunal iudicis sui sic testatus est. Requirite in Annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato Sole, interruptum tenebris diem. Tertullianus quoque clamauit ad Iudices: Hunc mundi casum in Annalibus vestris relatum habetis.

Esaias. Ego Dominus Deus vocaui te ad

iustitiam, & tenebo manum tuam, & confirmabo te, & dedi te in Testamentum generis mei in lucem Gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, & de domo carceris sedentes in tenebris. Hæc ille, in quibus Deus Christum alloquitur. Mittit eum ad Testamentum nouum introducendum, Gentiles conuertendos, non minus quàm Iudæos, ad eos qui in limbo alligati sunt, soluendos, & purganda peccata. Alibi apud Esaiam Christus ita loquitur. Non sum contumax, neque contradico, dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non auerti à fœditate sputorum. Item, in die illa erit radix Iesse quæ erit in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur & erit sepulchrum eius gloriosum, hæc omnia Iesu Nazareno contigerunt.

Amos. Et erit in die illo dicit Dominus, occidet Sol meridie, & tenebrabitur dies lucis, & conuertam dies festos vestros in luctum, & cantica vestra in lamentationem. In die scilicet, quo patietur Messias, occidet Sol, eclypsim Solis in meridie, patiente Iesu, significat, dies lucis, id est, Christus, qui lux lucis est. Post hæc in perpetuam vindictam statuit Deus, vt Iudæi quotidie vexentur, lamentationesque Hieremiæ, & similes quærimonias repetant.

Ezechiel. Exaltaui lignum humile.

Iob. Quis det nobis de carnibus eius, vt saturemur?

Zacharias. His plagatus sum. Item alibi de Deo saluante Ierusalem sic ait: Effundam super domum Dauidis & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & potestatis, & aspicient in me, quem confixerunt, & plangent super eum quasi planctum vnigeniti. Hæc ille. Ipse qui tanquam Deus spiritum gratiæ, & potestatis infundit, tanquam homo configitur, atque idcirco, vt intelligeremus, Christum ex diuersis naturis constitutum, alia ratione mirabilia operari, & ratione alia terribilia pati. Zacharias in prima persona dixit, scilicet effundam, in secunda, super eum effundam, scilicet ego tanquam Deus, aspicient in me quem confixerunt, scilicet tanquam hominem, & plangent super eum, scilicet hominem à me Deo assumptum. Nemini autem licet fingere textum, qui dicat, aspicient in eum, omnis enim Biblia tam Hebraica quam Chaldæa dicit, aspicient in me, plangent, id est, pœnas dabunt in hoc sæculo, & futuro. At quo pacto spiritum gratię infundit, si plangent super eum? certè Spiritus sancti gratiam, & priscorum peccatorum, liberauit enim volentes ab inferis, infudit etiam spiritum potestatis ad incredulos puniendos, hi enim sunt qui plangunt.

Abacuc. In medio duorum animalium cognosceris, existi in salutem populi tui, vt saluos faceres Christos tuos, misisti in capita inimicorum mortem, duorum animalium, id est, duorum Testamentorum, rursus duorum Prophetarum in monte Thabor, Mosi & Heliæ. Iterum duorum latronum in cruce. Fortè etiam duorum brutorum, quando natus est in stabulis in salutem populi tui, vt saluas ab inferis faceres credentium animas. Inimicos vocat pertinaces Hebræos.

Dauid loquitur sæpè sub nomine suo de Messia, quem sciebat è sua stirpe pullulaturum, sic autem inquit: Congregata sunt super me flagella, & ignoraui, dissoluti sunt, neque compuncti sunt, tentauerunt me, deriserunt me derisu, & striderunt dentibus suis super me. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Effoderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt, & viderunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Captabũt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt, & factus est mihi Dominus in refugium. Erues me de contradictionibus populi, constitues me in caput Gentium, populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum. Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam. Dabo tibi Gẽtes hæreditatem tuam, astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehẽdat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in habitaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu misisti persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non

scribantur. Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me. Non erat pauper Dauid rex, sed Messias ex eo pauper nasciturus. De Iuda proditore sic prædixit Dauid. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. De Iudæis iterum: Sic odio habuerunt me gratis, de quibus Apostolus sic vaticinatus est Implebunt peccata sua semper, peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem. Sic ergo prædixit sempiternam Iudęorum, & pertinaciam, & miseriam. At cur prætermissurus, quod Hieremias de Christi venditione à Iuda facta, & pretio, & agri emptione, quemadmodum in Euangelio traditur, apertè prædixit? Inquit enim: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quòd appretiauerunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Adiungit Matthæus agrum illum Christi pretio emptum etiam temporibus suis, sanguinis agrum cognominari. De resurrectione Christi Dauid sic inquit: Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, quia scilicet Christus non putruit. Rursus: Domine eduxisti ab inferno animam meam, ego dormiui, & soporatus sum, & resurrexi, quia Dominus suscepit me. Resurrexi & adhuc tecum sum. Dauidi consentit.

Osee: Sanabit nos post biduum, die tertia resurgemus, vel sic: Venite reuertamur ad Deum, quia ipse cepit, & saluabit nos, percutiet & curabit nos, visitabit nos post duos dies. Die tertia suscitabit nos, & veniemus in conspectum eius. Rursus, Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? scilicet qua per resurrectionem Christi designatur etiam nostri corporis resurrectio. Sicut enim in vno Adam omnes deliquimus, & mortui sumus, sic in vno Christo omnes purgamur, atque resurgimus, sed de hoc Paulus Apostolus subtiliter atque diuinè.

Ionas autem Propheta cur exceptus est vasti piscis ventre, & die tertio redditus luci viuens, nisi vt resurrectionem Christi significaret? Gesta siquidem veteris testamenti, non minus quàm verba figuræ sunt noui. Nouum quippè non aliter veteris finis est quàm adumbrationis cuiusdam coloratio absoluta, & perfecta pictura, ideoque nouum testamentum multo præstantius est quàm vetus.

Dauid ascensionem Domini ita cecinit: Ascendet Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, dedisti dona hominibus. Sancti quoque spiritus missionem ita canit. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Ioel: Et erit post hæc, Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. Seniores vestri somniabunt somnia, iuuenes vestri visa videbunt, & quidem in seruos meos, & ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo. Post ascensionem Christi, non solùm Apostoli, sed & alij quàmplurimi, tam fœminæ, quam mares, tam Gentiles, quàm Iudæi, docti, indocti, senes, iuuenes, Spiritus Sancti dona gratiamque mirabilem acceperunt.

Esaias: In aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic, sed neque sic exaudiet me dicit Dominus. Atque ita quamuis Apostoli ante rudes, accepto Spiritus sancti munere, diuina mysteria subito variis linguis effunderent, non tamen Iudæi omnes crediderunt.

Ezechiel: Spiritum meum dabo in visceribus vestris. Et alibi de Baptismo sic, Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Iudæorum Doctores vbi librum eorum de Ioua interpretantur, & vbi exponunt Talmut, nouas scilicet eorum constitutiones post Iesum factas, adducunt prophetiam huiusmodi, vt probent quòd tempore Messiæ, non modo Iudæi, sed etiam Gentes quęlibet aspiratione quadam aquæ sordes diluent peccatorum.

Esaias in Cantico sic: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius (Saluatoris) id est, Iesu Messiæ, Iesus enim significat saluatorem. Confitemini Domino, quia scilicet vnius Dei cultus adducitur per Christum, cessantibus idolis. Subiungit paulo post Apostolorum prædicationem apud Gentes hoc pacto: Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in vniuersa terra. Quoniam verò Christus nascitur in Iudæa, subiunxit, Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël.

Dauid Propheta multa & manifesta de Christo tractat in Psalmo secundo, tertio, decimoquinto, vigesimo primo, multisque aliis. Sed missio Apostolorum in longinquas nationes per illud ostenditur, in om-

nem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Esaias de Messia, ac de missione Apostolorum sic: Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Afflictiones quoque Apostolorum ita præsensit, & prægustauit. Propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oues occisionis. Origenes in tertio Commentariorum Genesis sic inquit: Thomas sicut nobis traditum est, sortitus est Parthos, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, Ioannes Asiam, Petrus Pontum, Galatiam, Bithiniam, Cappadociam, cæterasque confines prouincias, Iudæis duntaxat prædicans, circuisse deprenditur, & ad vltimum Romæ commoratus est, & vbi crucifixus est deorsum capite demerso, quòd ipse ita fieri precatus est, ne exæquari Domino videretur. De Paulo autem quid dicam, qui ab Ierusalem vsque ad Illyricum repleuit Euangelio Christi, & ad vltimum sub Nerone martyrium duxit. Hæc Origenes. Thaddeus quoque vnus ex septuaginta Christi discipulis, vltra Euphratem profectus, & in Edissena vrbe prædicans Euangelium, totum regnum regis Abagari conuertit ad Christum, ipsumque Abagarum à morbo quodam incurabili mirabiliter liberauit. Sic enim fore Christus per Epistolam Abagaro ante promiserat, cùm ab ipso per Epistolam rogatus fuisset, vt ad eum curandum proficisceretur. Eusebius hæc in publicis historiis Edissenæ ciuitatis, in qua regnauerat Abagarus, Syrorum lingua scripta legit, in Græcamque traduxit.

Solutiones dubitationum circa Prophetas.

CAPVT XXVIII.

Exponenda sunt ad præsens quædam Prophetarum verba, quæ non satis intellecta occasionem pertinacibus, hebetibusque Iudæis præbent, vt Iesum fuisse Messiam, id est Christum verum, nequaquam confiteantur.

Esaias. Erit in nouissimis diebus, id est, vltimis Prophetarum temporibus, & in fine regni, sacerdotiique Iudaici. Non enim in nouissimis diebus mundi, vt quidam somniant, Christum primò vult esse venturum, alioquin fermè inutilis, vel saltem ad breue vtilis foret eius instructio, sed in nouissimis diebus Prophetarum, sacerdotij, regnique Iudaici. Tria hæc sub Iesu Nazareno cessauerunt, & sequitur: Mons domus Domini in vertice montium. Ob hoc quidam Iudæi delirant, dicentes quòd in aduentu Messiæ, Deus transferet montem Thabor, montem Synai, montem Carmeli vsque Ierusalem. Ac super horum verticem montem Sion imponet. Hebetes homunculi incorporalis Dei, incorporaliaque opera semper ad corpora trahunt. At verò multò rectius Esaiam hic exponit Rabi Salomon Iudæus dicens: Montem Sion non altitudine loci, sed miraculorum magnitudine cæteros montes superaturum. Iesus autem noster in eo monte illuminauit cæcum natum, curauit Paralyticum, multaque alia illic miracula fecit, denique ibi spiritum Sanctum è cœlo discipulis suis infudit. Post hæc sequuntur: Et fluent ad eum omnes Gentes, id est, ex omnibus Gentibus multi. Dicunt similiter, omne animal in Noë Arca fuisse, id est, ex omni animalium genere aliqua. Non leuabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Dictio hæc (Vltra) significat non sempiternam mundi pacem, sed vniuersalem, & diuturnam. Fuit autem tanta Iesu tempore pax, quemadmodum aliàs diximus, vt Maro tunc clausas esse portas belli cecinerit. Habent Hebræi in quarto Regum libro. Non venerunt vltra latrones Syriæ in terram Israël. Verumtamen post illud tempus, traditur Syrios frequenter terram Israël inuasisse. Vltra ergo significat vsque ad certum tempus. Eusebius autem tradit post Iesum vsque ad sua, id est, Constantini tempora, non contigisse tot regnorum euersiones, cladesque populorum, quod ante contigerant. Item Esaias idem alibi de tempore Messiæ ait: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Quamuis Eleazarus Pontifex Aristobulusque ante Christum, ac Philo post Christum Iudæorum interpretum sapientissimi sacras literas propter mysticum sensum per allegoriam exponendas esse censuerint, idque etiam ipsi tentauerint, tamen puerilia multorum Iudæorum ingenia, talem omnino, regnante Messia, auream ætatem expectant, qualem Poëtarum verba coloresque depingunt. Satis autem viuente Iesu, fulsit in animis hominum non pertinacium, aurea veritas, tranquillitas mentis, & fructus æternus, atque post illum ob eius opera, & doctrinam, quicumque vult aurea ætate potitur, æterna pax hominibus cum Deo per Iesum conciliata est. Quam-

quam etiam multos annos, lupus, id est, potentior princeps, vel populus, agnum, id est, debiliorem principem aut populum non deuorauit. Erant ante Iesum Gentiles & Iudæi, in omnibus omnino inter se discordes, post illum multi ex Iudæis, plurimi ex Gentilibus, sub illius doctrina concordes moribus opinionibusque viuebant, atque viuunt. Quotidie multis in locis animalium venenosorum morsus, Apostolorum miraculis innoxij reddebantur, singula hæc ad seculum aureum pertinere videntur. Omnino autem aureum seculum in animi potius quàm in corporis fructibus est ponendum. Nugæ verò Poetarum pueris relinquendæ, quod & Rabi Moses indicauit hic enim in libro de Iudicibus ait: Caue ne putes Messiæ tempore mundi ordinem naturaliumque rerum progressionem aliter quàm soleat se habere. Quod autem Esaias inquit, Habitabit lupus cum agno, & cætera, ænigmaticum est, significat enim Israël cum impiis seculi huius hominibus, qui figurantur lupi atque pardi, securum conuersaturum. Hæc ille.

Moses in Deuteronomio. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus, & assumet, atque introducet te in terram, quam possederunt patres tui. Iudæi ob hoc expectantes Christi auxilio congregari, cùm propter Iesum dispersi fuerint, fuisse eum verum Christum non confitentur. Quibus respondendum est: Oraculum hoc tunc impletum fuisse, quando ex Babylonica seruitute liberati fuerunt. Tunc enim, vt testatur Esdras, Cyrus rex, non solùm permisit Iudæos omnes in patriam reuerti, verumetiam munera proposuit reuertentibus. Quod si quis ad Messiam huiusmodi congregationem pertinere conuicerit, dicam satis per Iesum dissipatas propter peccatum animas, quæcunque voluerit in cœlestem patriam congregari, vocatur enim illa à Dauide terra viuentium. Credo, inquit, videre bona Domini in terra viuentium. Vnde Rabi Moses Ægyptius in Deuteronomio, diuinum ipsum bonum, quod intelligibile est, multis dicit nominibus in sacris literis nuncupari, dicitur enim mons Dei, & locus sanctus eius, locus sanctuarij, via sancta, atria Domini, templum Domini, domus Domini, porta Domini. Hæc ille. Rabi quoque Salomon, & Rabi Abba ædificationem templi ab Ezechiele descriptam ad cœlestem pertinere Hierusalem arbitrantur.

Vani sunt igitur qui visibile templum à Messia c[illegible]strui sperant, vani rursus qui populum Israël secundum lobum ab eo congregatum iri expectant, vani tertio, qui Iudæos omnes tempore Messiæ saluos fieri arbitrantur. Audiamus Hieremiam ita dicentem: Conuertimini filij reuertentes, ait Dominus, quia ego Vir vester, & assumam vos vnum de ciuitate, & duos de congregatione, & introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. Hæc ille. Quæ quidem verba de vltima redemptione, quæ per Messiam erat explenda, intelligenda sunt, non autem de redemptione à Babylonica seruitute, sicut aliqui opinantur. Nam in eodem contextu legitur. In illo tempore vocabunt Hierusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini. Quocirca Rabi Salomon in libro Camedrin superiora Hieremiæ verba, scilicet assumam vos vnum de ciuitate, & duos de congregatione, exponit de vltima illa, quæ ab eis expectatur redemptione, sic enim ibi ait: Eligam iustos, & introducam eos in Sion. Ex quo patet in vltima per Messiam redemptione non omnes Israëliticos saluari, sed iustos. Hi autem pauciores admodum sunt iniustis, qui non saluantur, ideo dixit Propheta: vnum de ciuitate, & duos de cognatione (aliter congregatione) quasi dicat, valdè pauci eligentur ex multis. Hæc ille. Rursus ibidem aliquis ex antiquis Talmuticis inquit. Sicut ex sexcentis millibus hominum, qui Ægypto egressi sunt, soli duo, scilicet Caleph & Iosue terram promissionis intrasse traduntur, ita in Messiæ tempore fore. Sic enim apud Oseam scriptum esse, & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis eius ex terra Aegypti. Hæc ille.

Zacharias loquens de Christo inquit: Aedificauit templum Domino. Expectant Iudæi Christum vastissimam in terris ex lapidibus mortuis machinam constructurum. Iesus autem sublime, & cœleste ex viuentibus animorum lapidibus templum diuina nimium arte construxit. Sed isti per superiora etiam confutantur.

Hieremias: In diebus eius scilicet Messiæ, saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Dies illos quos nominat, ad Christum pertinere volunt, cuius manibus in priscum illud, terrenumque regnum reduci sperant, terrenisque opibus ad votum ditari. Nos autem dicimus,

per Christi gratiam & doctrinam, animas volentium tam reliquorum quàm Iudæorum à pristina illa culpa mundari, per quam mundationem habitare corpus cum hac fiducia posset, vt post corporis solutionem ad cœlestia reuolent. Iuda, id est, Genus humanum, quod à Iuda, id est, ab Iudæa totam originem habet, saluabitur, scilicet si volet, sed ex quonam saluabitur? scilicet ex culpa per Adam concepta, & habitabit cœlum. Meminisse debemus Israël in sacris literis interdum significare homines cuiuscunque generis, modo verum cultum Dei Israël sequantur, etiam si ab Israel, seu Iacob secundum sanguinem non descenderint. Quapropter Esaias, vbi agit de propagatione populi Israël, per vocationem Gentium, sub doctrina Messiæ inquit, Effundam spiritum meum super semen tuum, & cætera, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta fluentes aquas. Et in eodem contextu declarat hanc propagationem seminis Israël, seu Iacob non esse solum secundum progeniem corporalem intelligendam. Idcirco subdit: Iste dicit, Domini ego sum, & ille vocabitur in nomine Iacob, & hic scribet in manu sua Domino, & in nomine Israël assimilabitur, hæc ille. Qui dicit, Domini ego sum Israël, ita est secundum carnem, de quo etiam illud additur, & ille vocabitur in nomine Iacob. Quod præter hæc in textu sequitur, ad eos pertinet, qui opinione, moribusque sunt similes Israël, vnde Rabi Salomon vbi interpretatur verba huiusmodi, & in nomine Israël assimilabitur, sic dicit: Isti sunt, qui ex cultu Gentilium ad verum Dei cultum conuertuntur, digni enim sunt, qui Israëlis nomine nuncupentur, hæc Salomon. Quando igitur Prophetæ aiunt, Israël sub Messia saluum fore, non genus hominum hoc, aut intelligunt, sed omnes qui cultu, & vita Israël & Iacob se similes reddunt; quod si velis hoc nomine Iuda, & Israël, in textu illo Ieremiæ peculiarem duntaxat Dei populum significari, esto. At illi qui Dei filium negauerunt, degenerati sunt, à Romanis puniti sunt, qui verò illum ex Iudæis sectati fuerunt, & multi quidem & magni viri, verè erant Israëlis nomine nuncupandi, atque præcipui inter illos, signo quodam à Deo dato, ante Hierosolymæ vrbis obsidionem in regnum Agrippæ regis, qui Romanis amicus erat, aufugerunt seruatique sunt. Vnde Dauid; Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.

Consideratione dignũ est illud non parua, quod verè Paulus Apostolus vaticinatus est: Iudæos videlicet aliquos pertinaces fore, donec Gentiles omnes omnino vndique conuertantur ad Christum, postremo etiam illos in sæculorum fine penitus conuertendos. Adduxit quoque Propheticum illud; Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat captiuitatẽ ab Iacob, & hoc illis à me Testamentũ, cum peccata eorum abstulero. Sic demum statutis temporibus Iuda saluabitur, eritque tunc, quod diuinitus prædictum fuit, pastor vnus, & vnum ouile, tunc implebitur illud Zachariæ: In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum. Illud quoque Sophoniæ: Tunc reddam populis labium electum, vt vocent omnes in nomine Domini & seruiant humero vno. Adde rursus illud Ezechielis: Tunc conuertam captiuitatem Iacob, & miserebor domui Israël. Cui illud est simile: Reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. Sed quando hæc erunt? quotidie ex captiuitate tum peccati, tum hominum liberantur per Messiam Iudæi, quicunque volunt. Apparebit autem hoc præcipuè quando maximè volent, hoc est, in secundo Christi aduentu, propè mundani cursus finem. Tunc Messias armis quibusdam aduersus impios prælia illa mouebit, quæ Zacharias in bello Hierosolymitano futura prædicit, & post subiungit: In die illa erit Dominus vnus, tunc Messias potenter effundet iram super Gentes, & regna, quemadmodum Sophonias Propheta minatur, in quibus subiungit illud: Tunc reddam populis, tunc prælium illud Gog & Magog implebitur ab Ezechiele descriptum, quo finito, redemptionem Israël fore, prædicit Ezechiel, tunc conuertam captiuitatem. Christus ergo in primo aduentu doctrina, exemplo, & opere, suauiter volentium peccata remisit, In secundo rem fortius aggredietur, purgabit acrius, & pertinaces cum duce eorum Antichristo violentia expurgabit, sic enim Dei naturam disciplinæ ordo requirit.

Daniel. Aspiciebam in visu noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat. Propter hæc, & similia expectant Iudæi Christum non humilem habitu, & fortuna sicuti Iesum accepimus, sed magnificum, & potentem, nescientes duplicem eius aduentum esse. Venit humilis olim iudicandus, veniet postremò magnificus iudicaturus. Quòd autem de vltimo mundi iudicio ibi loquatur Daniel, apparet, cum subiungit. Throni positi sunt, & libri

libri aperti sunt. Aduentum verò primum esse humilem multis Prophetarum oraculis, in superioribus demonstrauimus, de quo illud Dauidis. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit in Domino eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum, quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. Spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero, de ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne discesseris à me. Subdit multa ibidem ad idem manifestissimè pertinentia. Nonnulli Iudæorũ cum diuersa de diuerso aduẽtu oracula legerent, duos Messias introduxerunt, alterum filium Ioseph, id est, ex Ioseph patre Effraim longo ordine descendentem, Passioni cædique subiectum. Alterum descendentem ex Dauide, quem Dauidis filium appellare consueuerunt, qui Messiam alteram occisum suscitet, regnumque Israël potenter instauret. Sed hi manifestè delirant.

Sacræ enim literæ ab vno, & per vnum, & ad vnum pendere volunt generis humani salutem, & quando de Messia loquuntur, ferè semper Dauidis, vel inde prolem vocant, Ioseph verò patris Effraim nunquam. Hinc Rabi Moses libro Iudicum adducens præcipuas omnes de Messia sententias, cõcludit Messiam ex Dauidis genere fore, nullamque alterius Messiæ mentionem facit. Insaniunt igitur, qui frustra geminos inducunt, cum sufficiat vnus. Quanto rectius nos per vnum Iesum sufficientes implemus vaticinia omnia, quamuis diuersa, & sufficienter implemus. Ille siquidem Ioseph cuiusdam quasi adoptione, siue fama, & custodia filius, filius quoque Dauidis regis ex matre, quæ descendit ex Dauide, iudicatus est à mundanis semel humilis, semel quoque mundum potentissimè iudicabit.

Esaias. Erit lux Lunæ sicuti lux Solis. Non de tempore primi aduentus hic loquitur, in quo non erat consuetus ordo mundi mutandus, vt alias diximus, sed de sæculo post aduentum Christi secundum. Non enim cessabunt post vltimum Iudicium cœlestia corpora, vel elementa, sed motus, qui genera quietis est institutus, atque erit deinde exuberante lumine pulchrius vniuersum, Adiungit: Tunc sanabitur vulnus populi & præssura plagæ eius, quia destruetur mortalitas propter peccatum primorum partum nobis inducta. Oẽs enim homines ad immortalem vitam resurgent, qui Prophetæ plures apertè prænunciant. Rationes autem resurrectionis in Theologia illa nostra, quam in agro Regniano apud Achatem nostrum Ioannem Chaualcãtem composuimus adduximus, vbi etiam adiunximus Zoroastrem, & Mercurium, & Platonem, resurrectionem corporum prædixisse, Hebræorum verò Prophetas plures hanc prænunciasse nemini dubium est.

Esaias. Videbit semen longæuum.

Dauid. Ponam in sæculum sæculi semen eius. In duobus his vaticiniis Christus promittitur spiritale semen, non corporale, similiter sacerdotium, & regnum spiritale, quando dicitur apud Dauidem. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & ponam thronum eius sicut dies cœli. Rursus, sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui. Et paulo post subiungit etiam quod pertinet ad Messiæ nomen dicens: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Ipse enim excellentius omnibus regibus vnctus, sacratusque est, scilicet quia à Deo, & in æternum. Merito autem suprà dixerat, eum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Hic enim Melchisedech in sacris voluminibus sacerdos fuisse Dei summi refertur, sed qui non oleo communi perunctus sit, neque qui ex successione generis susceperit sacerdotium, sicuti apud Hebræos fieri mos erat. Ideo secundum ordinem illius Christi sacerdos futurus prædicitur qui non olei liquore, sed virtute cœlestis spiritus consecretur.

Nathan quoque iussus est à Deo prædicere Dauidi regi de ipso Messia ex eius stirpe nascituro, talia quidem verba cum impleti fuerint dies tui, dormiẽs cum Patribus tuis, & suscitabo semen tuum post te, quod erit de ventre tuo. Hic ergo, qui post Dauidis mortem nascitur, Salomon esse non potest, imò est Messias rex æternus, non temporalis vt Salomon, & qui non temporale Salomon, sed æternum Deo templum ædificat. Loquitur enim sic Deus ad Nathan: Et reparabo regnum eius, hic ædificabit mihi domum nomini meo, & dirigam thronum eius vsque in æternum, ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, scilicet quia Messias Dei filius magis est quam Dauidis, & paulo post addit: Et regnum eius erit vsque in æternum coram me, scilicet quia in spiritalibus bonis non corporalibus. Ideo subiungit. Et thronus eius erit erectus vsque in æternum. Hoc regnum Mahumetes intelligens melius, quam pertinaces Iudei, inquit in Alcorano. Verbum Dei Iesus-Christus Mariæ filius à creatore

mundi missus est, vt esset Gentium omnium facies in hoc sæculo, atque futuro. Tale fuit Iesu Nazareni regnum, quale à Prophetis Christo promittitur, ideo ipse ait: regnum meum non est huius mundi. Pontificibusque eius successoribus in spiritalibus rebus propriè reliquit imperium, nec vsque ad mundi finem substantialis, & præcipua Pontificum in quantum Pontifices sunt, & Christi vicarij, iurisdictio vlterius se extendit. Rerum verò terrenarum dominatio & administratio pontificibus accessoria est, tanquam accidens, non in quantum vicarij Dei, sed in quantum Constantini Cæsaris sunt hæredes. Hæc autem dicta sunt, non vt authoritatem rerum temporalium Pontifici adimamus, habet enim re vera, quamuis tanquam accidens quoddam, sine quo trecentos annos olim Pontifex verus fuit, atque esse potest, sed vt tela Iudæorum hac veritate facilius deuitemus. Nam vbi Daniel sub quatuor bestiarum figuris, quatuor regna significat, per quartam bestiam Iudæi omnes imperium Romanum intelligi volunt. Quoniam verò Daniel ait quartam bestiam destruendam fore per regnum à Deo cœli suscitandum, exponunt Iudæi Romanum Imperium in aduentu Messiæ destrui debere. Addunt regnum Ecclesiæ idem omnino esse, atque Romanum illud antiquum, licet angustius. Vnde concludunt, Imperium regnum esse, postquam per Messiam ab eis expectatum est dissoluendum. Quod quidem inde confirmant, quia Daniel ait. Ex quarta bestia cornu paruulum pullulare, quod sermones contra excelsum loquatur, qualem volunt fuisse Iesum eiusque vicarium. Huiusmodi verò machinatio falsa est, tum quia regni Romani ratio in rebus corporalibus consistit. Christiani regni ratio in rebus omnino incorporalibus. Diuersa igitur regna sunt. Vnde etiam hodie Imperatorem nostrum à Pontifice diuersum esse videmus, tum quia Daniel dicit, quod illud cornu faciebat bellum contra Sanctos, & præualebat eis. Quod de Iesu, eiusque vicario ei simili, dici nullo modo potest. Adde quod ibidem Daniel prædicit, quartam bestiam perituram, quando veniet ille quasi filius hominis in nubibus cœli. Totum hoc in secundo Christi aduentum est implendum, quando cum maiestate, & potentia summa accedet ad iudicandum. Nullo autem modo in aduentu primo, in quo non potens, magnificusque, sed tanquam lapis abscissus & abiectus venturus à Daniele prænunciatur. Cornu vero illud Antichristus erit, paruum scilicet, quia ex viliori Iudæorum fece Antichristus trahit originem. Annectitur quartæ bestiæ, id est, Tyrannicæ potestati. Bestia enim hæc tyrannidem vniuersam mundi significat, ab initio Romę vsque ad mundi finem, quæ casura est vna cum summo tyranno Antichristo in secundo Christi aduentu ad iudicium, circa finem mundi. Dicit enim Daniel: Iudicium sedit, dicit rursus, statim finis. Sunt qui velint cornu illo non modo Antichristum, verumetiam tyrannicam hæresim, hæreticamque tyrannidem Mahumetis regis Arabum significari, esse enim imaginem Antichristi, quemadmodum Ioannes Baptista fuit imago Christi. Quod autem quarta bestia tyrannidem vniuersam in qualibet mundi parte à Romanis primis exortam vsque ad Antichristum, & mundi finem significet, ex eo patet, quod omnes etiam Iudæi consentiunt per bestiam primam significari vniuersam mundi tyrannidem ab initio mundi vsque ad Nabuchodonosorem. Exitus enim rerum exordiis proportione quadam congruere debent.

Contra Iudæos quod miseri sunt in Christi vindictam.

CAPVT XXIX.

SI quis Hebræorum historias consideret, reperiet eos nunquam graui calamitate oppressos fuisse, nisi quotiens scelus aliquod turpissimum patrauerunt. Ante Babylonicam seruitutē in idololatriam inciderunt, viasque Hierosolymę vrbis Prophetarum sanguine repleuere (quemadmodum in Regum libro legitur) cæteraque similia facinora commiserunt, propterea passi fuerunt seruitutem annorum septuaginta in Baylonica regione. Deinde vsque ad tempora Iesu Christi nostri satis iustè vixere, quem non aliter tractauerunt quam Prophetas ante illum eius gratia missos. Cum verò postquam Iesum interfecerunt, diutius acerbiusque quam vnquam antea puniantur, necessarium est tunc illos scelus idololatria, & Prophetarū cæde immanius patrauisse. Vnde Hieremias: Non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem, ac peius egerunt quam patres eorum. Quod quidem ostendit Iesum verum Messiam, & plusquam Prophetam, & plusquam diuinum hominem, imò Deum re vera fuisse. Dicite quæso Iudæi, cur in vestro illo legum nouarum volumine Talmut, quòd ferè quadringentis post Iesum annis composuisse crudeliores aduersum Christianos leges, quam Ne-

re & Domitianus excogitare potuerunt, statuistis. Cùm autem non à Christianis, sed à Romanis idololatris dispersi fueritis. Cur tam venenosis execrationibus nobis præcipuè ter saltem quolibet die in sacris vestris mala grauissima imprecamini, cùm nos pro vobis oremus Deum, & mitiores etiam quã Mahumetenses erga vos simus. Nũ putatis Christianam legem Mahumetensi ignobiliorem esse, imò præstãtiorem? Verum instigat animos vestros clam, vt arbitror, ipsa natura ad odium Christianorũ, quia videlicet, propter Iesum Christum diuina nos iustitia dissipauit. Videre licet quo pacto Christianæ vindictæ quamuis inscij aditum patefecistis. Profectò, quia inter vos multi propter impiam negligentiam, & ignorãtiam scripturarum inermem Iesum fuisse verum Messiam non crediderunt. Idcirco mox vel expectantes, vt Suetonius inquit, vel iam (vt multi inter vos opinabantur) habentes alium, qui armis potens esset à Romanis audacter rebellauistis, ob quam rebellionem funditus euersa vrbs, homines occisi, dispersique sunt. Hæc habemus à Suetonio. Perditi ergo estis, quia Iesu Christo non credidistis, quod quidem Iosephi vestri verbis possumus confirmare, qui multa diuinæ in Iudæos indignationis adducit signa, & miracula euidentissima, & horrenda, atque affirmat in summa celebritate vestram vrbem Hierosolymam, in quam tunc azymorum gratia tota fermè Iudæa confluxerat, obsessam à Romanis fuisse. Certum est autem iisdem diebus vos Iesum superioribus annis interfecisse. Addit Titum, qui obsederat vrbem, solitum dicere, propter multa portenta Deum ita esse Iudæis iratum, vt timeret, ne ei quoq; irasceretur, si Iudæis ignosceret Itaque, licet Titus non esset, similiterque Vespasianus, tamen impellente Deo, crudelius, imò iustius actum est, quam Romani vnquam aliàs consueuerint. Siquidem in ea vrbe perierunt fame, ferroque supra vndecies centena Iudæorum millia, venundata verò sunt plura quàm nonaginta millia captiuorũ. Hæc Iosephus, qui & interfuit. Atque repetit Euseb. Addit Iosephus hæc: cùm Titus circumiens peruidisset repletos mortuorum cadaueribus vallos, & humani corporis tabo patriam terram rigari, cum ingenti gemitu eleuatus ad cœlum manibus, Deum inuocat testem, hoc suum opus non esse. Deinde ita subiungit: Arbitror equidem, quod etiam si aduersum impios Romanorum paulisper arma cessarent, aut hiatu terræ, aut aquæ diluuiis, aut Sodomitanis ignib. & fulminib. cœlitus missis, mortis suppliciũ ciuitas pependisset, quæ multo infaustiorem illis, qui talia perpessi fuerant, & nequiorem virorum præsentem hanc protulisset Deitatem, pro quibus & omnis Gens pariter mereretur extingui. Idem confirmat Philostratus in vita Apollonij Theanei his verbis: Titus captis Hierosolymis omnia circum loca cadaueribus compleuerat. Finitimæ autem Gentes ob victoriam coronare eum voluerant, ille verò tali honore indignum se esse respondit. Non enim se fuisse talium operum authorem, sed Deo iracundiam contra Iudæos demonstranti, suas manus præbuisse. Hæc Philostratus. Adfuit ea in obsidione Vespasianus, qui cum vrbe deleta, de Iudæis triumphasset, quemadmodum Suetonius narrat, statim coram populo duo fecit miracula. Nam cæcum & claudum tactu solo curauit. Is tamen neque postea tale aliquid fecisse narratur, quasi diuino auxilio miracula illa fecerit, statim cum diuino impulsu Christianum sanguinem vindicasset. Quamuis enim satis iustus esset, non tamen ea vel sanctimonia, vel doctrina, & arte, vt miracula posse facere videretur. Clemens & Egesippus Apostolorum discipuli scribunt: Iacobum fratrem Domini vsque adeò iustitia præstantem opinione omnium extitisse, vt & Iudæorum prudentissimi quique crederent, hanc caussam fuisse oppugnationis Hierosolymorum, sub Vespasiano statim post necem Iacobi consequutæ, quòd in illũ sceleratas manus iniecisent, & Iosephus ita sibi videri per hæc euidenter indicat. quæ omnia, inquit, acciderunt Iudæis pro vindicta Iacobi iusti, qui erat frater Iesu, qui dicitur Christus. quem iustissimum, & piissimum omnium confessione virum Iudæi interfecerunt. Hæc ille. Quod autem Christiani sanguinis vindicandi causa, Deus eos perdiderit, ex eo patet, quòd nullum aliud illis temporibus facinus patrauerunt, cuius causa Deus illis videretur tam acriter indignari debere, indignatus tamen erat omnino, quod Iosephus ipse qui aderat, in septimo belli Iudaici libro sic aperit. Infelici, inquit, plebi deterrimi quidam homines, & deceptores falsa vaticinantes suadebant, vt euidentibus signis, & indiciis iracundiæ, & indignationis diuinæ non crederent, quibus apertè futurum & vrbis, & Gentis portendebatur excidium, sed velut amentes, qui neque oculos, neque animam haberent, spernebant omnia, quæ cœlitus nunciabantur. Etenim stella præfulgens gladio per omnia similis immi-

nere desuper ciuitati, & cometes, præterea exitialibus flammis ardere per totum visus est annum. Sed & ante excidij tempus, ac belli, cum populi ad diem festum Azymorum conuenirent, octaua die mensis Xandicis, qui est Aprilis, noctis tempore, hora nona, tantus luminis fulgor aram templumque circundedit, vt putarent omnes diem clarissimum factum, & permansit spatio horæ dimidiæ, quod imperitis quidem, & ignaris prosperum videbatur. Sed legisperitos, & doctos, & probos quosque Doctores non latuit exitiale portentum. In eadem quoque festiuitate vitula sacrificiis admota, & aris assistens inter ipsas ministrorum manus enixa est agnam.

Sed & ianua interioris ædis, quæ respiciebat ad Orientem, cùm esset ære solido induta, ac perinde immensi ponderis, quæ viginti viris summo conatu impellentibus clauderetur, ferreis immensis quoque vectibus, & seris munita, ac pessulis in altum demissis teneretur obstricta, repente hora noctis sexta, apparuit sponte patefacta. Sed & transacto die festo, post aliquot dies, prima & vigesima die mensis Artemesi, id est Maii, prodigiosus apparuit visus, & fidem penè excedens, quòd certè falsum putaretur, nisi oculorum fidem confirmasset malorum consequuta pernicies, etenim propè solis occasum visi currus, & quadrigæ in omnem regionem per area ferri, & armatorum cohortes misceri nubibus, & vrbes circundare agminibus improuisis. In alio autem die festo, qui Pentecosten appellatur, noctu sacerdotes ingressi templum ad mysteria ex more complenda. Primò quidem motus quosdam, strepitusque senserunt, tum deinde voces subitas audiunt, dicentes. Migremus hinc: Additur iis aliud terribilius, etenim quidam Ananiæ filius, Ioannes nomine, vir plebeius, & rusticus, ante quartum belli annum, cùm ciuitas in pace & abundantia perduraret, in die festo Tabernaculorum repentè clamare cœpit: Væ ab Oriente, væ ab Occidente, væ à quatuor Ventis, væ super Hierosolymam, & super Templum, væ super Sponsos & Sponsas, væ super populum, & indesinenter die noctuque per omnes plateas circumiens hoc clamabat: Vsquequo quidam primores ex populo viri, velut infausti præsagij indignatione commoti, correptum hominem verberibus multis afficiunt. At ille nequaquam pro se aliquid loquens, sed ne eos quidem, qui circunsteterant, deprecans, easdem voces pari obstinatione & clamore repetebat. Tum principes intelligentes (vt res erat) numinis esse motus in viro, perducunt eum ad Iudicem Romanum, apud quem flagris ad ossa vsque laniatus, neque preces, neque lachrymas fudit, sed eadem vocem miserabiliter, & cum quodam vlulatu emittens per singula penè verbera proferebat. Addens etiam hoc: Væ, væ Hierosolymis. Hucusque Iosephus. Sed ante illum Iesus mala hæc ita prædixerat. Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme, neque Sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis neque fuit ab initio séculi hucusque neque erit. Videns igitur ciuitatem fleuit super eam dicens: Si agnouisses & tu in hac die, quæ ad pacem tibi sunt, nunc autem absconditum est ab oculis tuis, quia venient dies super te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circuibunt te, & perurgebunt te vndique, & ad solium deducent te & filios tuos, & necessitas magna super terram erit populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes Gentes. Et Hierusalem erit conculcata à Gentibus quousq; compleantur tempora Gentium. Cùm autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabitur desolatio eius. Prædixit & his alia similia, quæ si quis cum Iosephi historia conferat de Christi diuinitate dubitare non poterit. Quid præterea dicetis ad hæc, ô miseri, quod non semel tantùm afflicti estis, aut ad breue tempus, quemadmodum solent, qui pro delictis humanis pœnas dant, sed tanquam sempiterno Deo pœnas pro læsæ Maiestatis crimine dantes, & vbique, & semper miserabiles oberratis, neque id quidem iniuria. Semper enim peccatis, tum quia pertinaces estis, tum quia mysterio Christi detrahitis. Quamuis autem multæ nationes Christianis obstiterint, rigidius tamen vos quàm alii iure puniti estis, & puniemini, quia olim super cæteros honorati à Deo nimium ingrati fuistis, Prophetas occidistis, & Christum. Primi omnium Christianis, tum in Iudæa rapinis & nece, tum vbique Gentium insidiis aduersati estis. Excitabatis vbique contra eos Gentium vires, vnde & exemplo, & instigatione multorum Iudæorum Christiani passim lacerabantur. Verùm cœlestis dux exercitum suum vndique obtruncatum miris modis instaurabat, & mirificè augebat. Fuisse autem vos in Christi vindictam dissipatos, Mahumetes etiam confitetur, qui ait in

Alcorano: Deum eripuisse Iesu animam ex manibus Iudæorum, reduxisse ad se atque exaltauisse, sectatoresque Christi persecutoribus præposuisse etiam vsque ad mundi iudicium atque finem. Decreuisse insuper, incredulos Iudæos omni vindice tutoreque priuatos in hac vita,& altera cruciantibus summis affligere. Sed audite Mosen vestrum Ægyptium in libro Iudicum ordinariorum ita dicentem: Iesus Nazarenus visus est esse Messias, ac sententia Iudicum interfectus, causa fuit, vt destrueretur Israël gladio, hæc ille. Verum diuina iustitia quamuis statim post Iesum fermè singulis annis vsque ad Titum diuersis, & grauibus calamitatibus, cædibusque vos oppresserit, quòd Florus, Iosephus, Philo, Eusebius, ostendunt, tamen summum illud vestræ vrbis excidium anno post Iesum quadragesimo ideo distulit, vt & vos pœnitentiæ tempus haberetis, & Christianæ legis exordium ex tanta vrbe vestra, & semota rerum temporumque confusione, cunctis sæculis clarius innotesceret. Factum est etiam vt stante vrbe violentius à vobis torqueri Christiani potuerint, exactiusque probari. Puniuit autem vos Christus idololatrarum manibus, non Christianorum, vt ostenderet Christianos suos absque vlla violentia, & viuere debere, & posse regnare. Atque tam miraculosè puniuit vt nihil miserabilius vel vnquam fuisse, vel fore tam Christus prædixerit, quam Iosephus confirmauerit. Legite quintum de his rebus Iosephi librum, videbitis etiam matres fame filios deuorasse. Sed vt breuibus omnia comprehendam, nulla excogitari potest tragœdia luctuosior, atque hanc quidem miseram in Christi vindictam fore plebs olim vestra prædixit. Nam cum Pilatus ait, innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis, illi responderunt: sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Resumptio probationis de Christiana vindicta in tria capita.

QVoniam verò varias quotidie huius vestræ calamitatis causas diligenter excogitatis, quod cædis Christianæ culpam subterfugiatis, rem omnem ab initio repetentes in tria capita colligamus. Tria potissimum in eo scelere, cuius culpa dispersi estis, concurrere oportere necessarium arbitramur. Primum quidem illud, quod ab initio tetigimus, quòd videlicet multo grauius sit, quam ea culpa, ob quam olim in Babyloniam dispersi fuistis, & tanto saltem grauius quanto conditio vestra post Iesum deterior est quam in ea dispersione. Calamitas hæc à cede vestrorum inenarrabili, & vilissima venditione traditur incepisse, sæpè quidem alias, & grauiter ante Titum, & post Iesum, maximè verò Hierusalem sub Tito, & in Mesopotamia sub Traiano, & Biter, sub Adriano, passimque sub Gallo, quod quidem in ea, quæ ante Christum fuit non contigit. Addite quòd Claudio vltra cæteras calamitates etiam fame extrema, vt inquit Lucas, vos Deus oppressit, quam quidem Claudij tempore magnam fuisse in Iudæa etiam Iosephus asserit. Rursus in aliis dispersionibus duces vestri generis honoratos passim habebatis, legitimumque sacrorum vestrorum cultum integrum seruabatis, in hac verò nequaquam. Præterea vos Deus tunc Prophetarum missione consolabatur, qui vel citam liberationem pollicebantur, qualis Hieremias, atque Ezechiel, vel iam instantem monstrabant, qualis Daniel, Esdras, Aggeus, & Zacharias. Ex quo apparet, Deum vos tunc tanquam filios habuisse, non vt hodie tanquam hostes. Nullum enim post Iesum Prophetam habetis, quod vobis minatus est Psalmus: Iam non est Propheta, & vos non cognoscet amplius. Cur Deus vos vita, maxima ex parte, atque Sacerdotio, regno, Prophetis iamdiu omnino priuauit? Vt ostenderet vos omnis diuinæ spei, hæreditatisque expertes, tanquam rebelles iam pridem reprobauisse. Quomodo ergo Messiam ab eo expectare potestis? à quo Messiæ præcones, & similitudines minimè impetratis.

Postremo, aliàs ad breue quoddam tempus, & ad regiones quasdam, post Iesum ad longissimum, imò ad vniuersum, perque omnem orbem estis exterminati, vtpote qui in Deum ipsum, qui semper & vbique est, cum peremistis Iesum, propriè deliquistis, cum occidistis Prophetas, in Dei nuncios peccauistis, cum coluistis idola, regnum Deo quantum in vobis fuit, abstulistis, quid reliqui vobis supererat, nisi vt in personam Dei propriam sæuiretis? Si igitur occidentes Iesum, scelus commisistis, Prophetarum cæde, & idololatria maius, tunc certè sæuistis in Deum, atque è conuerso, si quando manus in Deum impias iniecistis, tunc solum id geri potuit, cum iniecistis in Iesum, qui solus in orbe terrarum solis virtutibus, prodigiisque esse se verum summi Dei filium, Deumque monstrauit. De primo hactenus dictum sit. Secundo verò

loco ad culpam hanc vestram, ob quam miseri exulatis pertinet, vt vobis omnibus, vbique, & semper communis sit, singuli enim continuè vbique Gentium miseram vitam ducitis. Nullum aliud verò scelus excogitari potest, quo singuli, assidueque infecti sitis, nisi quòd vitam Iesu suorumque discipulorum improbatis, cædem verò probatis, quam ob causam Christianæ cędis participes estis, quod quidem ita tetigit Hieremias: Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes enim vos deliquistis in me. Cum verò vitulum in orbe fabricatum, vel Prophetarum cædes, vel alia quæuis maiorum vestrorum immania scelera vituperetis careatisque omni inclinatione, seu ad Prophetas occidendos, seu ad idola fabricanda, sequitur vt nullo modo scelerum illorum propriè participes sitis. Delirant igitur qui vos propter idola culta, vel Prophetas occisos hac calamitate pressos existimant. Tertium verò, quod ad culpam tantæ miseriæ causam attinet, esse videtur, vt occulta sit, vobisque ignota, siquidem in libro illo Talmutico, qui inscribitur Magnila, quæritur cur in Babylonia peregrinantibus, afflictionis terminus prædictus fuit, quod ita Hieremias testificatur. Postquam completi fuerint in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: Peregrinantibus autem post Titum, nullus vnquam miseriarum prædictus est finis. Ad hoc ibi sic breuiter respondetur. Tunc illis finis malorum ostensus est, quemadmodum & culpa, ob quam mala patiebantur aperta, his autem quibus ignota culpa est, ignotus & finis, hæc ibi. Nullum verò aliud commune scelus vestrum omnino est omnibus vobis ignotum, præter id, quòd in Iesum vestri commiserunt, ac vos approbatis. Non solùm enim malum id esse nescitis, sed cùm pessimum sit, optimum esse putatis.

Confirmatio rerum nostrarum ex Iudaicis contra Iudæos de sacris libris.

CAPVT XXX.

CIrcumfertis Iudæi passim, ac semper (Deo volente) Hebraicos Prophetarum libros, ex quibus intelligere licet cuique, Christianos Prophetarum vaticinia non finxisse, quod tetigit Dauid: Deus meus demonstrauit mihi de inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legem tuam, disperge eos in virtute tua. Sic igitur inuiti testes estis nostræ veritatis vbique. Habemus & nos sacras Prophetarum literas à pluribus post Christum translatas in Græcum eloquium, & Latinum. Habemus insuper translationem illam apud Ptolomæum regem factam, annis pluribus quàm trecentis ante Christum, à duobus septuaginta Iudæis, ex omni populo ab Eleazaro Pontifice electis, tanquam omnium præstantissimis. Quod Græcus Aristæus, regis illius familiaris, qui & interfuit, ac Iosephus scribit. Addunt Regem translationis huius gratia, centum millia Iudæorum, qui in Aegypto seruiebant, à seruitute suis pecuniis redemisse, munera incredibilia templo, Pontificique donasse, traductores mirum in modum honorauisse. Qua ego translatione libentius vtor, vt perfidam hanc plebeculam Iudaicam cum egregiis illustrium Iudæorum illorum armis conuincam. Neque putandum est volumina illa à Christianis, quæ iampridem per orbem sparsa erant, vitiata fuisse, à primis præsertim, qui ea tanquam rem cœlitus missam venerantes, eorum mysteria sanguine defendebant.

De miraculis.

VEnio ad miracula, quæ non negàtis quidem, imò in pluribus historiis vestris tam Apostolos quàm Iesum fecisse miracula confirmatis. Sed quidam inter vos aiunt, Iesum mendicum apud Ægyptios in pueritia paucis annis ad summum magiam didicisse, rem supra modum arduam, quam tot, tantique Philosophi illuc vndique confluentes, vt in ætate etiam perfecta, multis annis, vel minima ex parte discere non potuerunt. Quisnam magus aliquis, cum publicè summa cum ignominia comprehensus, occisusque fuerit, assequi statim potuit, vt summus Deus passim haberetur? Quanam magia vsi sunt rudes piscatores illi, Iesu mortuo, quos miracula fecisse necessarium est, alioquin Iesus interemptus authoritatem breui omnem penitus amisisset. Si magi erant, cur non vt solent ambitiosi homines, seipsos potius quàm Iesum prædicabant mendicum, publicè infami morte peremptum. Qua verò arte, aut rustici piscatores illi, Paulum & Apollo Iudæos, hominum omnium doctissimos, multosque alios valdè eruditos, & claros ad sustinendam mortem irretiuerunt? aut Paulus Hierotheum, & Dionysium Areopagitam Philosophos Platonicorum omnium ex-

cellentissimos, cæterosque similes, similiter illaqueauit? quæ iucunditas, quæ vtilitas illis magiæ proposita erat, quotidie non sui, sed Christi amore periclitantibus? Vnde Iustinus Philosophus excellens in libro, quem ad Antonium Imperatorem pro nostra religione scripsit, inquit: Ego ipse sectis Platonicis institutus, audiens vituperari Christianos, ac videns eos impauidos ad suscipiendam mortem, atque omne supplicium tolerandum, considerabam quod impossibile esset eos in malitia, & in libidine conuersari, Hæc ille. Sed audire libet Tertullianum temporibus Iustini propinquum ad Romanos iudices ita clamantem: Omne malum, aut timore aut pudore natura perfuderit, denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, nec torti quidem facilè, aut semper confitentur, certè damnati mœrent, dementant in semetipsos, mentis malæ impetus, vel fato, vel astris imputant. Nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt, Christianis verò quid simile, neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur, si accusatur, non defendit, interrogatus, vel vltro confitetur, damnatus gratias agit. Quid hoc mali est, quod martyrialis mali non habet timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem. Quod hoc malum est, cuius reus gaudet, cuius accusatio votum est, & pœna felicitas. Redarguit præterea Gentilium iudicum temeritatem, quòd Christianos nullo vnquam crimine comperto, ob solum sectæ nomen crudeliter condemnarent. Quid autem huiusmodi secta sentiret, neque ipsi inquirerent, neque vellent à Christianis audire. Denique, vt aliàs dixi, finis huius disciplinæ sanctissimus manifestè declarat, non magia, sed diuinitate Christum, eiusque discipulos miracula effecisse. Extat apud vos liber de Iesu Nazareni vita, in quo legitur Iesum inter alia miracula, quæ illic multa narrantur, etiam mortuum suscitasse, quia videlicet solus rectè pronuntiare sciebat nomen illud Dei proprium, quod est apud vos præ cæteris venerandum, & quia quatuor solum literis constat, & illis quidem vocabulis difficillimè omnium pronuntiatur, sonat autem fermè in hunc modum: Hiehouahi, id est, fuit, est, erit, atque hæc maior Hebræorum pars opinatur. Si ita est, cum nihil apud vos hoc nomine sanctius habeatur, ideoque nequeat prophanum aliquid confirmare, absque dubio diuina est Christi nostri doctrina, quæ sicuti vos dicitis, diuinissimi illius nominis virtute, sicuti autem nos asserimus, Dei virtute, coaluit.

Testimonium Ioannis Baptistæ & Iosephi.

Desinite iam delirare Iudæi tam insani, quàm miseri, creditis ne diuinò illo viro quem totus sine controuersia mundus honorat, Ioanni Baptistæ, qui, vt ait Iosephus, erat re vera, atque publicè habebatur, omnium exemplar virtutum. Ad quem tanquam ad oraculum plurima Iudæorum, cæterorumque turba vndique confluebat Hæc Iosephus vester. Ioannes autem iste Iesum Nazarenum esse Messiam palam proculdubio affirmauit, iussitque omnes eum sequi, alioquin non omnes, qui tunc de Iesu locuti sunt, exordium à Ioannis testimonio, & confirmatione fecissent, cumque miris laudibus celebrassent. Patet autem cuique, vitam Iesu simul, atque Ioannis ab Euangelistis narrari. Horum amicitiam cum etiam Mahumetes non ignoraret, vtriusque scilicet Ioannis Baptistæ, ac Iesu ortum, vitam, laudes in eodem Alcorani capitulo decantauit Appellauit Iesum spiritum, verbumque Dei, Ioannem ibidem ait, magnum esse Prophetam, diuini verbi confirmatorem, & certè ita confirmauit, vt primos discipulos suos Iesus à Ioanne habuerit. Denique audite quid Iosephus vester in libris de Antiquitate Iudaica, quos Græcè scripsit, de Christo loquatur. Sicut etiam antè Constantinum in antiquis tam Græcis exemplaribus, quàm Latinis legebatur, & legitur, quod Hieronymus, Eusebiusque testantur, neque vitiari tantum poterant libri, qui tam latè sparsi erant, & in summa authoritate ab omnibus habebantur, eo præsertim tempore, quo Christiani calumniatoribus vbique maximè omnium subiiciebantur, neque tamen à quoquam inimicorum notatos illos reperio, quod vel Iosephi, vel Prophetarum libros corruperint. Sed veniamus ad Iosephum.

Fuit, inquit iisdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est, erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominum eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt, & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex Gentilibus sibi adiunxit. Christus hic erat, (aliter credebatur) Hunc accusatione primorum nostræ Gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt, vt qui ab initio eum dile-

xerunt. Apparuit enim eis die tertio iterum viuus, quemadmodum diuinitus inspirati Prophetæ, vel hęc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed in hodiernũ die Christianorũ qui ab ipso nũcupati sunt, & nomen perseuerat, & genus, alibi quoque sic ait: Ananias iunior, proteruus, & insolens moribus, fratrem Iesu, qui dicitur Christus, nomine Iacobum, & alios quàm plurimos quasi contra legem agentes accusans, tradidit lapidandos. Qui autem videbantur esse moderatissimi ciuitatis, & circa legis integritatem habere solicitudinem, grauiter hoc tulere, miseruntque latenter ad regem, rogantes eum, vt scriberet Ananię, ne talia perpetraret, cum neque prius rectè fecisset. Hæc Iosephus in vigesimo Antiquitatum libro.

De resurrectione Christi.

CÆtera quidem miracula Iesu, quia sæpè, & multa, & coram populo facta sunt, & decantantur à multis, negare non audetis. Resurrectionem autem, quamuis multi de illa scripserint, tamen quia non omnibus nota fuit, omnino negatis. Hanc tamen à Iosepho confirmatam videtis. An nescitis corpus illud Iesu, quod post resurrectionem immortale diuinũq; omnino fuerat effectum, non decuisse quorumlibet mortalium oculis, sed ab illis duntaxat videri, qui statuti testes aliis à Deo fuissent. Viderunt autem Iesum ex mortuis suscitatum quadraginta diebus sæpè & pluries, neque solùm Apostoli, vel Discipuli, verumetiam plures quàm quingenti fratres simul congregati, quod testatur Paulus Apostolus dicens: multos illorum adhuc, cum illa scriberet, viuere. Resurrexisse verè Iesum non illi solùm testantur, verumetiam mille hominum millia, tam Iudæorum quàm Gentilium, qui sicuti & illi pro sola Iesu publicè, ignominioseque interfecti gloria, certam acerbissimamque mortem libentissimè subierunt.

Deridenda est igitur ficta illa à vobis historia, Discipulos corpus eius, sepulchro surreptum, in hortis inter herbas occultauisse, sed paulò post ab exploratoribus ad hoc ipsum à Pontifice missis, fuisse repertum. O imprudentes nimium & inepti! cur cadauer illud in foro non suspendistis? si delere Iesu gloriam penitus studebatis, sic enim omnes subitò Nazarenam sectam deseruissent.

Confirmatio trinitatis Dei, & diuinitatis Christi ex Iudæis.

CAPVT XXXI.

QVid diuinam Trinitatem vituperatis, vestrorum mysteriorum prorsus ignari? Legite vestrorum Interpretum Commentaria super Psalmum, Deus Deorum, Dominus loquutus est, & vocauit terrã. In illis enim quæritur, quàm ob causam Psalmus ter vocat Deum, atque respondetur, vt videlicet ostenderet, Deum tribus his nominibus seculum creauisse, secundùm tres proprietates, quibus creatus est mundus. Hæ verò sunt, sapientia, scientia, & prudentia, sicut legitur in Prouerbiis Salomonis: Dominus in sapientia fundauit terram, ordinauit cœlos in prudentia, & in scientia sua abyssi erumpunt. Ter quoque nominatur Deus in Exodo. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelator. Ecce tria diuina nomina, secundùm tres Dei proprietates, quibus constituta sunt omnia. Legitur similiter in libro Iosue: Deus Deus Dominus ipse scit: hæc ibi. Similem expositionem in Commentariis vestris in Genesim rapietis, in ea parte præcipuè. In principio creauit Deus cœlum & terram, vbi Rabi Eliazar inquit. Non est creatus mundus nisi per Verbum, vel cum Verbo DEI, sicut habetur in Psalmo: Verbo DOMINI cœli firmati sunt. Et sequitur ibidem, Rabi Symeon inquit, Inspirauit, vel insufflauit DEus spiritum sanctum, & creatus est mundus, sicut in Psalmo legitur: Spiritu oris eius omnis virtus (aliter exercitus) eorum, hæc ibi. Negatis DEum filium naturalem, id est, eiusdem naturæ, habere, Deus tamen in Psalmis ait: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Neque hoc de Angelis, animisq; dici potest, qui non geniti, sed creati sunt.

Non enim de substantia Dei, sed de nihilo processerunt, ideo & si quando dicuntur in sacris literis filii Dei, nunquam tamen à Deo dicuntur geniti. Dixit autem hodie, id est in æterno, hodie scilicet in præsenti illo æternitatis statu, qui neque principium habet, neque finem. Quicquid enim ex substantia Dei est, & intra Deum, æternum est. Ideo in Psalmo, Deus iudicium tuum regi da, vbi manifestè de filio Dei tractatur, de ipso filio dicitur: Erit nomen eius in sæcula, & ante solem permanet nomen eius. Quod autem de filio Dei æterno sit sermo, illud declarat, quod vbi translatio nostra dicit, permanet,

Hebraicus textus habet ynnon, quæ quidem dictio à nyn deriuatur, nyn filius est, ynnon ergo quid aliud significat quam filium, progenitum, natum, atque absolutum. Quod Deus filium habeat, Salomon in Prouerbiis testimonio est. quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius? & nomen filij eius? si nosti. Audite insuper Esaiam ad Deum ita clamantem: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Ter Sanctus trinitatem diuinarum significat personarum, Dominus, in singulari vnicam Dei substantiam. Plena est omnis terra gloria eius, hoc assumptionem hominis è verbo Dei factam significat, nam ibidem Esaias Deum in throno sub figura hominis collocabat. Vt autem ostenderet, vos mysteria huiusmodi non satis intellecturos, adiungit de cæcitate, surditate, pertinacia vestra multa, quæ narrauimus aliàs. Inducit & alibi Deum ita loquentem: Accedite ad me, audite hæc à principio, non in abscondito locutus sum, ex tempore quo facta sunt, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Ille ergo qui à principio, scilicet legis, non est locutus in abscondito, scilicet quia palam in monte Sinai omnibus audientibus, qui & illo tempore ibi erat, videlicet ipse Deus legis author, nunc à Deo mittitur, id est, filius Deus genitus à patre Deo naturam assumpsit humanam. Spiritus etiam Dei hunc mittit, quoniam per Spiritum sanctum facta est Dei, hominisque coniunctio. Quilibet istorum qui mittunt, necessario Deus est, quando qui mittitur est Deus, & quamuis Deus vnus sit, aliqua tamen licet incogitabilis distinctio est inter eos qui mittunt, atque illum qui hic mittitur. Quod autem qui hic inducitur, tanquam loquens sit ipse Deus, patet per antecedentia, dicit enim: Ego primus, & ego nouissimus, manus mea fundauit terram. Patet etiam per sequentia, nam post omnia quæ adduximus, subditur. Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israël. Sed audire licet Dauidem ita clamantem: Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? si ascendero in cœlum ibi es, in quibus verbis Spiritum Dei vbique vult esse, Iudæi autem & Christiani solum Deum vbique esse volunt. Constat igitur Spiritum illum non spirationem quandam extra Deum, sed Spiritum sanctum, Deumque existere, de quo inquit Iob: Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificat me, Facere autem hominem, id est, animum, atque viuificare, solius Dei officium est. Præterea in vestris illis super Genesim commentariis quæritur, quid sit spiritus ille Dei, qui ferebatur super aquas, ac respondetur ibidem, Messiæ hic spiritus est, de quo apud Esaiam legitur, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus. Hæc ibi. Ex quo patet, & spiritum illum Deum esse, & Messiam esse Deum. Item in eisdem commentariis Rabi Simeon dicit: quid est illud quod in Psalmo legitur, spiritu oris eius omnis virtus eorum, & respondet, hoc est, inspirauit Deus spiritum oris sui, & creatus est mundus. Accedit adhæc quòd Rabi Moses Gerundensis exponens, In principio creauit Deus cœlum & terram, inquit in principio, id est, in sapientia, quæ est principium principiorum. Atque ideò in translatione Hierosolymitana loco eius quod est in principio habetur, in sapientia. Quod autem in Deo sit sapientia quædam à Deo concepta ab æuo tanquam proles, Salomon Propheta sic aperit, sapientiam inducens ita loquentem: Audite quia de rebus magnis locutura sum, Deus possidet me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, vsque ad eam partem cum illo eram cuncta componens. Lætabar autem coram ipso in omni tempore. In iis patet, quod sapientia huiusmodi ab æuo non modo concepta erat, sed & parturiebatur, imò tanquam absoluta iam aderat, & lætabatur, & tanquam suo quodam pacto à generante distincta, cum illo erat, & cuncta componens tanquam ipsa sit Deus. Quæ quidem licet à patre gignatur, semper tamen cum patre simul extitit, quæ enim sine motu fiunt, momento efficiuntur, talia verò dum fiunt iam sunt, quemadmodum aër dum illuminatur, iam illuminatus est, & veritas, ratioque rerum dum intelligitur, iam est intellecta. Verbum ergo ratioque ipsa Dei, quia & sine motu & intelligibili modo gignitur, dum concipitur, iam paritur, dum

paritur, simul adest, simulque cuncta componit. Antiquissima apud patres vestros hæc sententia fuit, siquidem Moses ait: In principio creauit Heloym, & cætera, Heloym plurale est, singulare enim eius est Heluel creauit singulare. Nempè quia in vna & simplici Dei essentia est quidam numerus personarum, ideò Moses, & alij multi Hebræorum in solo Deo hoc modo loquendi vsi sunt nomine quidem plurali, & singulari verbo, atque è conuerso vtentes. Significatur similis in Deo numerus etiam vltimo Iosue libro: Non poteris seruire Domino, quia Deus sanctus ipse, Hebraica veritas habet, quia Heloim sancti ipse. Rursus Hieremias Peruertistis verba Dei viuentis. Domini exercituum Dei nostri Hebraica veritas habet Heloym haym, id est, Deorum viuentium. Quod autem sequitur, habet singulare, sicut nos habemus iungitur nomen Dei plurale verbo plurali in Regum libro secundo. quæ est Gens vt populus Israel? propter quam iuit Deus, vt redimeret sibi in populum. Veritas Hebraica dicit, iuerunt Heloym, id est, Dij. Item in Ecclesiaste legitur: Quis est homo, vt possit sequi regem factorem suum. Hebraicus textus dicit: Quis est homo, vt intret post regem, qui iam fecerunt eum.

David cum Deo ipsi dicit: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, nonne differentiam quandam ponit in Deo inter eum qui vngitur, & eum qui vngit, imo eos qui vngunt? Tetigit enim filium, qui vngitur, & patrem ac spiritum, quando de vngentibus dixit: Deus Deus. Quod autem Deo ipsi loquatur, patet ex præcedentibus, prædixit enim: sedes tua Deus. Sed & quando dicit de Domino Deo suo. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, nonne inter eum qui sedet ad dexteram, & eum propè quem sedet differentiam significat personalem? Quod autem duo isti in natura conueniant, translatio Chaldæa demonstrat, dicit enim; Dixit Dominus verbo suo. Apparet etiam per illa, quæ in eodem Psalmo sequuntur: Ex vtero ante luciferum genui te, id est, ante creaturas, ex intima mea substantia, & intrinsecus, quòd soli Deo Dei filio conuenit, duæ tamen personæ monstrantur etiam, cum dicitur, genui te, genitor namque, & genitus persona differunt. Quid vltra vagamur: Moses rem ipsam declarat, inquit enim: Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & subdit, fecit Deus hominem. In hac oratione bis Deo singularem proprietatem attribuit, bis quoque pluralem, vt efficacius declaret in vnitate essentiæ esse numerum personarum. Hinc Deus loquens ad Mosem ait: Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.

Primò vnam Dei substantiam esse designat, deinde trina repetitione ternarum personarum numerum manifestat. Meminisse verò oportet, quòd quamuis in humano artifice potentia, sapientia, voluntas, siue bonitas quodammodo differant, nemo tamen ob huiusmodi differentiam dicit, artifex illi fecerunt, vel artifices illi fecit, quia tria illa personas non constituunt differentes. In solo autem Deo, & quasi semper sacræ literæ cum singulari plurale coniungunt, quia videlicet in illo solo vnica natura est, ac tres personæ, atque in eo non modo sunt tres vires, quemadmodum in artifice, sed tres etiam personę mirabili quodam pacto distinctæ inuicem & vnitæ.

Confirmatio paßionis Meßiæ contra Iudæos, ex Iudaicis.

CAPVT XXXII.

Deridetis nos ridiculi, quòd Messiam ob originalem culpam fuisse passurum existimemus, quòd autem passurus fuerit multa & grauia, primò quidem rationibus, deinde ex mente tam Prophetarum, quàm Interpretum vestrorum in superioribus sæpè monstrauimus. Sed scio quid volebatis, Deum videlicet sua quadam liberalitate, vel clementia absque passione Messiæ delicta hominibus condonare. An obliti estis antiquæ illius sententiæ, quæ apud Doctores vestros semper quamplurimum valuit, quod omnia Deus, præcipuè humana, duplici mensura gubernat, misericordia scilicet & iustitia. Vniuersæ viæ Domini, inquit Dauid, misericordia & veritas, id est iustitia. Rursum: Sanctum, & terribile nomen eius. Mensuram quidem misericordiæ in sacris literis significari vestri interpretes volunt, vbi dicitur: Adonai Dominus, mensuram verò iustitiæ, vbi Eloyn, id est, Deus. Rabi ergo Iosue considerans nominis vtriusque simul iuncti virtutem apud Mosem dicentem Emisit Adam Dominus Deus de horto voluptatis ad excolendam terram, inquit, Cum mensura quadam iustitiæ atque misericordiæ creauit Deus Adam, cum eadem dedit ei præceptum, cum eadem eiecit eum, hæc Iosue. Quia videlicet non in expulsione solum, verumetiam

in creatione, & præcepto Mosis similiter geminat Dominus Deus. Visus est autem Deus in creando Adam iustitia, quia non aliter formauit eum, quam vt congrueret tam eius Ideæ, quæ semper in Deo est, per quam format, quam diuinæ bonitati, cuius gratia format. Visus est rursus misericordia, quia nullis Adæ meritis præcedentibus ei largitus est vitam, & reliqua bona. Misericors in præcipiendo fuit, qui fructuum penè innumerabilium vsum abundè concessit. Iustus insuper, qui minis quibusdam esum ligni scientiæ boni malique prohibuit Par enim erat vt homo lege aliqua, esse se Deo subiectum agnosceret, atque declararet. Denique iustus fuit, quando post præuaricationem expulsione puniuit, sed etiam valdè misericors, quandoquidem finita quadam pœna eum affecit, qui delinquens in Deum infinitum, quodammodo infinitè peccauerat. Nunquid ergo sub Messia Adam, genusque humanum eius prole, creatori Deo, absque illo misericordiæ iustitiæque vinculo, sola videlicet misericordia vultis conciliari? absit. Mementote eius, quod in Deuteronomio quotidie replicatis: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis absque vlla iniquitate, rectus & iustus est. Congruum igitur Dei misericordiæ fuit, vt quandoque sibi genus humanum conciliaret, congruum eius iustitiæ, vt satisfactio aliqua intercederet, ac saltem Messias pro cæteris satisfaceret, de quo Esaias: Omnes nos sicut oues errauimus, & homo à via sua errauit, id est, omnes homines errauerunt, quia pater omnium Adam à via sua errauit. Subiungit de Messia, & Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Scio autem vos obiicere hic ita solere. Absurdum est scelere summo (quòd in occidendo Messia à multis committitur) dilui scelera hominum arbitrari, neque vnius passio peccatis omnium satisfacit, neque iustum est Messiam innocentem pro aliis nocentibus satisfacere. Nos verò in hunc modum breuiter respondemus: Non homicidarum scelere, sed Messiæ virtute in malis perferendis deleta sunt mala, proinde in Christo patiente maior charitas, virtusque fuit, quàm odium vitiumque in omnibus delinquentibus, digniorque Christi vnius vita, quàm vita cunctorum. Quando ergo vitam suam pro omnibus tradidit, longè plus quam satis fuerat satisfecit. Satisfacere autem alter pro altero potest, quod fieri quotidie in rebus ciuilibus cernimus, in actibus enim exterioribus satisfactio consistit, ad hos autem & instrumenta & amici accipi possunt. Quoniam vero pœnitentia in actu mentis voluntatisque interiore versatur, ad ipsum met pœnitentia pertinet qui peccauit, pœnitentia ergo delictorum afficiantur oportet quilibet peccatores. Ita Deum Messiam pro quolibet satisfecisse videtur. Tunc Esaiæ illud impletur. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, attritus est propter scelera nostra, liuore eius sanati sumus. Neque tamen impunes hinc abimus, qui ab initio mundi ad finem ob peccatum illud originale, incommoda multa subimus. In Christo autem breuis passio fuit, virtus & perfectio mira, felicitas sempiterna. Statuerat Deus ab æterno Messiam fore humani generis redemptorem, redemptorem dico, qui à mortiferæ culpæ seruitute redimeret, de quo Esaias: Veniet de Sion redemptor. Atque hæc in Messia excellens dignitas est, qua quidem caruisset, nisi propriæ carnis sacrificio maculas populi deleuisset. Compertum habemus in sacris historiis sanctos viros semper oblatione sacrificiorum, præsertim sanguinis aspersione Deum placare, impetrare ab eo dona, ab imminentibus periculis populum liberare, leges diuinas sancire, semel quotannis peccata populi purgare consueuisse, quod quamuis non legitimè, tamen Gentiles etiam sunt imitati. Sed ad Hebræos in præsentia veniamus.

Primum illud in Genesi legimus, vbi Noë post illud commune diluuium, ædificauit altare Domino, in quo holocausta obtulit, quam ob causam placatus Deus statuit, ne vlterius diluuium huiusmodi mundo contingeret. Sequitur enim ibidem, odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait Dominus ad eum: nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem. Secundum etiam in Genesi, vbi Abraham primum præcepto Dei ad sacrificandum filium suum promptus, deinde à Deo per Angelum prohibitus, arietem denique obtulit, Deoque mactauit. Cuius voluntatis, & victimæ causa, iureiurando interposito, promisit Abrahæ Deus singulare donum, id est, omnes Gentes in suo semine (quæcunque voluerint) saluas fore. Tertium in Exodo reperitur, ibi enim aspersione sanguinis Paschalis agni per postes, liminaque domorum Dei, populus à calamitate Ægyptia liberatur. Videbo, inquit, sanguinem & transibo, nec erit in vobis plaga disperdens. Quartum quoque in Exodo, illic Moses acceptam à Deo legem sancire volens, super populum spargit

sanguinem victimarum, vt fœdus hac ratione inter Deum & homines confirmetur. Sic enim ibi legitur Moses sumptum sanguinem respersit in populum atque ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobi cum super omnibus his sermonibus. Quintum in Leuitico expiationis die tractatur, de quo ibi sic legitur: In hac die expiatio erit, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundabimini. Summus quippè Sacerdos intrans sancta sanctorum semel quotannis, coram Propitiatorio, & super Propitiatorium sacrificiorum sanguinem diffundebat. Atque hoc sanguine ex institutione diuina populi sordes abstergebantur Ratio constitutionis huius illic huiusmodi assignatur, quia anima carnis in sanguine est, & ego sanguis pro animæ piaculo sit. Quinque hæc à nobis narrata, ac etiam iis maiora, complecti debuit purgatio liberatioque populi sub Messia. Meritò igitur obtulit se pro omnibus Deo, proprij sanguinis sacrificium, cuius quidem sanguinis aspersio, tanquam perfectissimum sacrificium in omnibus superioribus sacrificiis, quasi signis portendebatur.

Præsertim in oblatione Isaac à patre facta, & in Pascha. Adde, & in puerorum omnium circuncisione. Noluit autem diuina misericordia, vt omnes homines pro peccatis suis vitam cum sanguine funderent, sed vt pro cunctis vnus sanguinem spargeret, quem ob hoc præ cæteris exaltauit, quæ quidem aspersio, quamuis ratione homicidarum impia cædes fuerit, ratione tamen promptæ voluntatis Christi seipsum libentissimè offerentis, diuinum sacrificium fuisse censetur. Quod quidem quotannis immolatione Paschalis agni in signum vestræ expiationis, salutisque significabatis, ac denique in Paschalis agni immolatione, scilicet mansueti Iesu Saluatoris nostri, est impletum, quod etiam quotidie in Eucharistia quodammodo repetitur. Sic ergo Christus Iesus est Sacerdos in æternum, semel seipsum Deo Patri sacrificans, qui solus mundare alios perfectè potuit, quum neque immundus fuerit, neque sui ipsius mundandi gratia holocaustis indiguerit, quemadmodum cæteri ante illum Sacerdotes, qui non bestiarum sanguine, non impuro, non alieno, sed humano, puro, proprio humanas sordes, familiamque suam perfectè purgauit. De iis diuinè Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos. quamobrem solutio peccatorum decentior fuit passione Christi, quàm si Deus absoluta potentia ignouisset. præter enim id, quod ita fieri ad Dei iustitiam & misericordiam, rursus ad ostendendam excellentissimam Christi virtutem, pertinebat, ad humanam quoque doctrinam mysterium huiusmodi præ cæteris summopere contulit, exemplo videlicet obedientiæ, mansuetudinis, charitatis, magnanimitatis, fortitudinis, mortalium contemptus, desiderij æternorum. Sic Esaiæ illud impletur, disciplina pacis nostræ super eum, ille siquidem fecit, vt pacem cum Deo, atque docuit, vt inuicem haberemus. Liuore eius sanati sumus, non solum videlicet quia pro nobis satisfecit, sed etiam quia doctrina nos, & exemplis instruxit.

Confirmatio peccati originalis, & ob hoc passionis Messiæ, ex Iudaicis contra Iudæos.

CAPVT XXXIII.

CVlpatis sæpè nostram illam originalem culpam, vtpote qui Prophetas vestros interpretari nescitis, ab illis enim nos hæc didicimus. Esaias ad populum ita clamat: Pater tuus primus peccauit, & Interpretes tui præuaricati sunt in me, & contaminaui (aliter prophanaui) Principes sanctos, & dedi ad interitum Iacob, & Israël in blasphemiam. Pater primus scilicet Adam peccauit, quando præceptum diuinum neglexit. quapropter Principes sancti, id est, Patriarchæ, cæterique iusti ab eo descendentes, contaminati, id est, tanquam prophani à diuina visione separati sunt, quemadmodum contaminati à templo separabantur: Transiuit autem primi illius peccati pœna in omnes descendentes ab Adam, siquidem post delictum sic Adæ comminatus est Deus: Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes &c. Ita etiam mulieri: In dolore paries filios &c. Cum igitur in omnes pœna illa transierit, in omnes quoque culpa transiuit. Non enim verisimile est, in cunctis hominibus tam diuturnam pœnam esse procul à culpa. Audite rursus quid apud Esaiam populo Deus dicat. Seruire me fecisti in peccatis tuis, quia Dominus Deus pro sceleribus serui populi expiandis, serui formam accepit, non poterat seruire Deus in quantum Deus, seruiuit igitur in quantum homo. Fuit ergo Messias Deus & homo, quod patet etiam per sequentia: Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis, id est, pœnas propter iniquitatem tuam. Noli timere, serue mi Iacob,

cob, ego sum qui delebo peccata tua, id est, quamuis delictum tuum vsque adò graue sit, vt ab humana specie sola expiari nequeat, ego tamen Deus & homo penitus expiabo. De Baptismo quoque & Spiritu sancto ita subdit: Effundam aquam super sitientem: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Fortè etiam in iis significatur aqua, quam percussum Christi latus effudit, & vitæ spiritus, quem in cruce pro nobis emisit. Legite Antiquorum vestrorum in Genesim Commentaria in ea parte, vbi dicit Moses: Hæ sunt generationes cœli & terræ, cùm crearentur, reperietis ibi res omnes ab initio perfectas omnino à Deo creatas fuisse, sed post parentis primi peccatum statim omnes, humanas præsertim, à sua perfectione degenerasse, neque prius ad statum pristinum reuersuras, quàm filius Phares venerit, id est Messias, qui à Phares descendit. Ex quibus coniicere potestis vitia primorum in posteros fuisse translata, ac per Messiam curanda. Sed aliter in primo aduentu curauit, curabit aliter in secundo.

Multi quoque ex Doctoribus vestris, Prophetas, Sanctosque veteris testamenti Patres, ante Messiæ aduentum ad inferos descendere arbitrantur, quod quidem ex hoc probant, quòd Abrahæ à Deo in Genesi dicitur: Tu ibis ad Patres tuos, ex quo Rabi Rhahamon argumentatur, quia Patres Abrahæ idola coluerunt, vt apud Iosuam legitur, Abraham quando iuit ad illos, ad inferos descendisse. Idem de Isaac in Genesi traditur: Defunctus est Isaac, & mortuus, & additus est ad populos suos. Idem ibidem de Iacob, idem de Dauide in libro Regum tertio: Dormiuit Dauid cum Patribus suis. De his omnibus Rabi Rhahamon similiter argumentatur, cùm ad eorum loca mittantur, qui fuerunt iniusti, & idola coluerunt, sed Christus morte sua sanctos Patres liberauit à morte, scilicet à tenebris animorum. Quod ita tetigit Zacharias: Tu autem in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, id est, sanctos ex lymbo loco arido, scilicet luminis & gaudij vacuo. Non igitur Christianorum inuentum, hoc est, quòd magnus Messias laboribus suis, passionibusque animas Patrum, & succedentium ab inferis fuerit redempturus. Sed multi quoque ex antiquis Iudæis id censuerunt, præcipuè Rhahamon, quem dixi, ac præterea Osuas Hanna, Habba Iuda, qui in Talmuticis disputationibus post multa ad id pertinentia, etiam ad hoc propositum Osee illud adducunt. De manu mortis liberabo eos, de morte reducam eos. Item, illud Isaiæ: Redempti à Domino conuertentur, ac venient in Sion cum laude & lætitia sempiterna super capita eorum. Sion exponunt patriam cœlestem, & meritò, non est enim in terris laus, & lætitia sempiterna. Cum his conuenit Rabi Moses Gerundensis, imò verò omnes Iudæi confitentur, quòd Patriarchæ, & Sancti ante Messiæ aduentum in Paradisum non intrant, sed in eius suburbiis manent, donec veniat filius Phares, id est, Christus Dauidis filius, & hoc quidem propter peccatum Adæ.

Et cum hæc ita sint, nonnulli tamen inter vos, non satis docti, originalem culpam negant in succedentes fuisse translatam, atque expiandam fuisse per Christum, quasi non esse deceat tam diuturnam pœnam in omnibus sine culpa. Proinde cur Moses in Genesi scribit post transgressionem Adæ, Deum collocasse Cherubin atque gladium flammeum, & versatilem, ad viam ligni vitæ intercludendam, nisi vt significet, propter similitudinem quandam, & culpam à parentibus primis contractam, cunctis Paradisi aditum intercludi. Meminisse debemus ingressum cœlestis regni tam arduum esse, tam pretiosum, vt non solùm propriis, quotidianisque singulorum peccatis, sed etiam communi totius naturæ humanæ vitio ab origine primorum nascendo contracto possit, ac debeat impediri. Et quamuis Sancti, ante Christum virtutis humanæ viribus seipsos à propriis peccatis liberarent, atque mundarent, vnde cruciari apud inferos non debebant, nullius tamen virtus vsque adeò sufficiens erat vt obstaculum illud, quod in communi culpa totius humanæ naturæ consistebat, auferre valeret, ac Paradisi aditum patefacere, sed culpa obligatioque huiusmodi passione Christi communiter dissoluta est. Deus enim, vt Isaias inquit, in eo posuit peccatum omnium nostrum, per illum igitur cœlestis patriæ portas aperuit. Hoc mysterium Ieremias ita significauit: Tibi peccauimus, expectatio Israël, Saluator in tempore tribulationis. Quare futurus es sicut colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum. Quare futurus es quasi vir vagus, & quasi qui non possit sal-

nare. Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster Nonnulli inter vos interrogant, cur Christus delendo culpam, non deleuit pœnam illam: In sudore vultus tui, &c. & in dolore paries filios, & similia. Vt videlicet his stimulis quotidie agnoscamus quam pessimum fuit, atque est, Dei mandata contemnere, atque exercitatione moralium virtutum ad beatitudinem consequendam magis proficiamus. Accedit quod redemptio, victoria, libertas, affluentia, pax, quæ promissa fuerunt nobis Messiæ tempore, fortè ad spiritalia pertinebant, quæ ad beatitudinem conferunt, non ad corporalia, quæ vel non conferunt, vel impediunt. Sic passione veraque Christi fide originale illud peccatum ablatum fuit, quantum videlicet ad culpam spectat, quę beatitudinem vltimam impedit, laboriosa verò illa relicta sunt, quæ non modo non impediunt sed conducunt. Sed obiicitis Ezechielis illud: Filius non portabit patris iniquitatem, Nos autem sic exponimus, filium videlicet propter peccatum patris non puniri, si penitus culpæ expers fuerit, omnes autem primæ illius culpæ participes nascebantur. Sicut enim quotidiana vitia à patre in filium imitatione, sic primum transit origine. Neque mirandum est, quòd primi parentis vitium in posteros transiuerit, quotidie namque in pueris tam auorum quàm genitorum gestus, affectus, mores agnoscimus. Sic natura comparatum est, vt corpus & anima proportione quadam harmonica congruant, atque in vno esse conueniant, motusque corporis in animam quodammodo, animæ in corpus, facilè & vehementissimè penetrent. Non educitur anima filij vel à corpore patris, vel anima, sed corpus tale, & cum tali quadam procliuitate, à tali quodam corpore genitoris. Sic vuas acerbas comederunt patres, ac dentes filiorum obstupuerunt, procliuitatis illius anima ob cognationem quandam affectumque erga corpus proprium particeps quodammodo redditur, præsertim secundum vim eius inferiorem, quæ corpori propinquat, multumque consentit. Deinde vis superior animæ naturali quodam amore inferiori sæpè obsequitur, fermè sicut illa corpori, obsequitur, inquam, quasi similiter, sed non æquè. Motus autem qui in anima actio est, fit in corpore passio, qui in corpore passio, fit in animo sensus, atque compassio, affectio quæ in corpore pœna culpæ est, in anima culpa.

Obiicitis præterea hunc in modum. Peccatum adeò est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum. Sed peccatum originale, dicitur macula per originem à genitore contracta. Cum autem in prole non sit voluntaria, non est pecccatum. Imo peccatum est, quum sit obliquitas quædam à recto declinans, & ad finem consequendum inepta, quemadmodum defectus in claudo. Peccatum est, inquam, non tam propriæ naturæ, quàm communis. Voluntarium autem quodammodo fit in prole, in quantum libenter procliuitatem huiusmodi sequitur, voluntarium est insuper non tam voluntate prolis propria, quàm voluntate ipsius Adæ, qui generationis motione omnes, qui ex eius stirpe pullulant, quodammodo mouet, non aliter quàm animæ vnius voluntas membra corporis ad actum plurima mouet. Idcirco quemadmodum pedis motus non voluntate pedis propria, sed communi animæ voluntate, quæ primo membra mouet, dicitur voluntarius similiterque capitis, manusque motus: & reliquorum, sic obliquitas illa homini naturalis, propter voluntatem Adæ quodammodo omnes mouentis potius, quàm propter propriam voluntaria iudicatur. Sunt inter vos, qui contra nos hac ratione argumententur. Si peccatum à primis parentibus ideo in nos transfusum est, quoniam in eis fuimus, ab eisque naturam humanam accepimus, eodem pacto singula peccata singulorum progenitorum ab initio mundi vsque ad eos necessario nascentibus nobis insererentur.

Respondent ad hæc nostri Theologi, nullum vitium vel parentis primi, vel cæterorum in nascentes necessario traduci, præter primum. Homo namque idem secum non numero indiuiduoque, sed specie generat. Atque idcirco quæ ad propriam cuiusque personam propriè pertinent, filiis ab origine non traduntur, sed quæ ad speciem attinent. Non enim Musicus, Philosophusque Musicum generat, vel Philosophum. Homo tamen videns, audiens, bipes, nisi quid impedierit, hominem bipedem generat, videndi audiendique compotem. Vitium verò primum speciei humanæ naturalis captus euasit, cætera aduentitia sunt, fiuntque propria singulorum. Scio vos hic obiicere solere, Adæ peccatum, quia ex actu proprio liberi arbitrij processerit, ad personam propriam potius quàm ad speciem pertinuisse. Ad hoc etiam ex Theologorum nostrorum mente ita respondeo: Ad

personam cuiusque duobus modis aliquid pertinet, vel secundùm ipsam, vel quodam gratiæ munere. Similiter ad naturam dupliciter potest aliquid attinere, vel secundum ipsam, videlicet, quod ex naturæ principiis, elementisque profluit, vel supernaturalis gratiæ dono. Originalem iustitiam humana natura non ex interioribus principiis eius habuit ab initio, sed gratiæ diuinæ dono, quod ab origine toti naturæ humanæ in primo parente traditur fuisse collatum.

Donum huiusmodi ille ob primi delicti culpam amisit. Itaque sicut originalis illa iustitia, nisi ille deliquisset, vna cum propagatione naturæ fuisset in posteris conseruata, ita opposita quædam peruersitas, & obliquitas in successione cum natura traducitur. Idcirco vitium huiusmodi, naturæ potius euasit quàm personæ. Cætera vitia, vel Adæ, vel aliorum naturam quidem, non quantum ad id quod naturæ est, sed quantum ad id quod est personæ deprauant, ideo in filios & nepotes non necessario diffunduntur. Quid ergo nobis Christi passio contulit? obstaculum culpæ originalis auferendo, Paradisi aditum patefecit, quem ante illum ingredi homines sancti non poterant. Nunquid si Adam non deliquisset, tam ipse quam cæteri iusti beati fuissent? Paradisum profecto possedissent, sed terrenum. Cœlestis autem Paradisi, aduentus Dei sub Christi persona nos compotes reddidit, vnde plus lucri in virtute Christi fuit, quàm in Adæ vitio damni.

Vitium Adæ, secundum se, cruciatum nobis quidem non attulit inferiorum, sed abstulit Paradisum duntaxat terrenum, Christi virtus ab inferis tuetur, Paradisum cœlestem largitur. Hinc Paulus Apostolus: Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Omitto minora illa, quòd per Christum diabolus princeps olim mundi huius, id est, hominum mundanorum, eiectus est foras, non vlterius per idololatriam nos deludit, non tot Gentium tam acriter, vt solebat, animos & corpora vexat, nisi interdum certi finis gratia permittatur à Deo, per fidem Messiæ qui iam venit, diabolo resistimus, per fidem Messiæ venturi, sancti ante Christum diabolo restiterunt. Nullus tamen tunc illius manus sic euadere poterat, vt cuiusdam inferni, id est, lymbi deuitaret ingressum. Quod ita cecinit Dauid: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem, & liberabit animam suam de manu inferni? Contra id venenum, atque similiæ, virtus, passio, mysteria, doctrina, exemplar, fides Christi abundè nobis remedia præbent. Præ cæteris Baptismus in virtute Spiritus sancti, fideique Christi, culpam illam, obligationemque in animo eius, qui Baptismo lauatur, dissoluit, procliuitatem vero naturæ corpori insitam non extirpat. Spiritus enim, & spirituale mysterium non corpus, sed spiritum, voluntatemque propriè respicit: hinc fit, vt qui ex baptizati corpore generantur, quia nascuntur immundi, Baptismo ipsi quoque egentes cogantur, singuli quotidie à Christi mysterio donum purificationis agnoscere, perinde ac tritici granum, quod & si arte mundatum est, grana tamen immunda generat, ita vt arte rursus indigeant. Ars enim indiuidui proprietatem potius quàm speciei naturam, vimque generandi mundauerat.

Probatio, quod testamenti veteris ceremoniæ meritò consumptæ, consummatæque sunt adueniente nouo, ex Iudaicis contra Iudæos.

CAPVT XXXIIII.

SI veteris Testamenti regnum, prophetia, sacerdotium, sacrificium tempore Messiæ regis sacerdotisque æterni, finisque Prophetarum, nouo quodam Testamento introducto, auferri ex institutione diuina, sicut aliàs ostendimus, debuerunt, multo magis minutæ illæ ceremoniæ, in quibus parum momenti erat, iure euanuerunt, quod ex nonnullis Prophetarum vaticiniis aliàs declaraui. Illæ siquidem non aliter, res Christianas ceremoniasque, quàm prophetiæ prænunciabant. Consummatis tandem oraculis Prophetarum, meritò consumptæ sunt ceremoniæ. Vos tamen adhuc ea mordicus tenetis Iudæi, præ cæteris pertinaces, illud Mosi in Deuteronomio contra nos adducentes: Et nunc Israël audi præcepta, & iudicia, quæ doceo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum nostrorum daturus est nobis, non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo. Consideranda hæc verba sunt diligenter, Moses ad subiectum sibi gregem loquitur, dicit enim, Israël audi, non dixit, non addatur, vel minuatur ab vllo, sed non addetis vos, neque auferetis.

Abstulit igitur subiecto gregi mutandi potestatem. Deo verò qui supra Mosem

est, vel egregio nuncio, qui à Deo mutandi habuerit potestatem, non abstulit. Hieremias ita reclamat: Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam (aliter consummabo) domui Israel, & domui Iuda foedus (aliter Testamentum) nouum, non secundum Testamentum (aliter pactum) quod disposui (aliter pepigi) Patribus eorum die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt (aliter, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo) & ego neglexi eos (aliter, abominatus sum) dicit Dominus. Sed hoc erit Testamentum (aliter pactum) quod constituam cum domo Israël. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in mentem (aliter in visceribus eorum) & in corde eorum scribam eam, & videbo eos, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in plebem. Et docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient, me scilicet vnicum esse Deum, & sequitur à maiore vsque ad minorem, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum iam non recordabor. In iis promittit Deus aliquando, se nouum pactum Testamentumque dispositurum, nouam traditurum legem ab illa, quam dederat Mosi, postquam Iudæos ab Aegyptiis liberauerat, inscripturum eam non tabulis lapideis & chartis amplius, sed mentibus hominum, quasi prima illa deleri potuerit, non secunda. Ac ceremoniæ veteres, nouo Testamento introducto, secundum spiritalem intelligentiam seruari debuerint. Certè, vt Paulus Apostolus ait, quando Propheta dicit: Pactum Testamentumque nouum, significat alterum consenescere, atque deficere posse. Sed quando hæc fuerunt? quando impletum est illud, videbo eos, & ero illis in Deum? Videt semper Deus homines intellectu, sed oculis insuper vidit, cùm assumpsit hominem, hominem, inquam, qui hominibus re vera Deus habitus est. De quo Dauid, videbitur Deus deorum in Sion, & Zacharias, Tu es Deus, & in te est Deus, nec est absque te Deus. Ex quibus ostenditur Messiæ noui Testamenti, pactique conditoris diuinitas, significatur etiam diuinarum distinctio personarum.

Sed, ne quis turbetur, quod in variis translationibus varia vocabula sint, alibi pactum, alibi Testamentum. Sciendum est vocabulum hoc ab Hieremia introduci, scilicet berith, quod legem, pactum, foedus, Testamentumque significat. Nouam legem Messiæ legem intelligi vestri Interpretes confitentur, vnde Doctores Talmutici legem Messiæ aiunt excellentiorem fore Mosaica. Legite horum Commentariola in Salomonis Ecclesiastem. Hæc ibi reperietis, omnis lex præsentis seculi vanitas quædam est ad futuri seculi legem, id est, ad legem Messiæ: nam in sequentibus sic res declaratur. Omnis lex, quam quis in hoc seculo discit, vanum quiddam est, si ad Messiæ legem conferatur. Hæc ibi. Videtis ergo legem Messiæ esse à lege Mosi differentem, ceremoniasque Mosaicas in Messiæ conspectu penitus euanescere. Vana verò Mosis lex appellatur, non absolutè, sed ad Christi legem, cæteris enim præstantior est. Sed cur vana? quia per ciuiles virtutes tantùm humanum genus, non ad cœlestis beatitudinis finem, sed viam duntaxat dirigere potest. Christiana per purgatorias purgatique animi virtutes ad exemplares virtutes, cœlestemque felicitatem perfectè perducit. Non enim datur perfecta felicitas, nisi animis perfectè purgatis, hoc non Mosaica, sed Christiana lex efficit. Præparatio igitur quædam est Mosaica lex ad Christi legem, quasi formam, habitumque perfectum, cum verò quis possidet habitum, præparatione non indiget. Quod autem sub Mosi lege, Sancti Paradisum non ingrediantur, sed Mesiæ legem, gratiamque expectent, vos, vt in superioribus diximus, confitemini.

Ob hoc, vt arbitror, Moses legem suam seruantibus præmia solùm temporalia pollicetur, non enim potest ea doctrina ad maius aliquid aspirare. Moses in Deuteronomio rem omnem sic aperit: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum similem tui, ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Si quis autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, Ego vltor existam. Nonne videtis Deum Prophetam quendam præter Mosem in populo vestro creaturum fuisse? daturum ei condendarum ab initio legum authoritatem? Huc mutare omnia pro arbitrio licet, mutare, inquam, imaginem in substantiam, vt imperfecta perficiat. Vos ei credere omnia non minus quàm Mosi diuino iussu debetis, & quia neque omnes, neque omnia credidistis, vt minatus est Deus, exterminati estis. Non fingant Arabes Mahumetem regem, imò tyrannum fuisse talem, cuius lex non

coarctauit Mosaicam ex se valdè liberam, sed nimium relaxauit, cui neque tempus, neque locus, neque vlla Prophetarum dicta conueniunt. Sed quonam pacto potuit Mahumetes esse Propheta ille supremus ex Iudæorum populo suscitandus, cum ipse in Alcorano confiteatur Iesum Nazarenum vltimum Hebræorum, summumque fuisse Prophetam. Iudæi quondam, præsertim Africani, his Mosi verbis admoniti, Messiam expectabant nouarum legum conditorem. Sed Rabi Moses scripsit ad illos, non promitti à Deo Prophetam legum conditorem, sed solùm præsagum futurorũ. Volebat, inquit, Deus à Iudæis auguria, quibus vtebantur Cananæi, fugare, hinc eis dicebat: Gentes istæ, quarum possidebis terram, Augures & Diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es, scilicet vt non per auguria, sed per Prophetas à Deo missos futura prænoscas, ideo subdit: Prophetam de Gente tua, & fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Hinc Rabi Moses ad Africanos. Nos etiam affirmamus hæc Mosi verba non aliter exponenda esse, quàm Africanus Rabi Moses exposuerit. Sed consideremus magnum Mosem in eodem Deuteronomij capitulo, in sequentibus ita loquentem: Vt petisti à Domino tuo in Oreb, quãdo concio congregata est, atque dixisti: vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus: Mihi bene omnia sunt loquuti, Prophetam suscitabo eis, de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Si quis autem verba quæ loquetur audire noluerit, ego vltor existam. Videtis ne populum, quando in monte Oreb tradita lex fuit, igni, cæterisque horribilibus signis fuisse perterritum, rogatum deinde Deum, ne vlterius eo pacto ad populum loqueretur. Vnde promisit Deus aliàs se absque vllo terrore per Prophetam quendam, qui verus homo foret, qualis Moses, legem populo traditurum. In superioribus ergo capituli verbis, Moses de Propheta futurorum præcone, quales multi fuerunt. In sequentibus autem de Propheta legum conditore (qualem Iesum Nazarenum fuisse volumus) loquitur. Sed turbat vos nimium scio, quòd iussit Moses semper eius mandata seruari. Mementote à Grammaticis vestris tractari, dictiones ad sempiternum pertinentes duplices esse: aliàs ad sempiternum absolutè, aliàs ad sempiternum cum quadam conditione referri. In primo genere est Cela, & vbi apud nos Psalmus dicit, in sæcula sæculorum laudabunt te, apud Hebræos est Cela. Est etiam in eo genere Necali, atque vbi Psalmus Græcè & Latinè dicit: Viuet in æternum, Hebraicè sonat, Necali. In secundo genere Hebraicè est holam, Latinè sæculum. Hoc pacto in Deuteronomio de seruo emptitio dicit: Erit tibi seruus holam, id est, in sæculum, in sæculum inquam vitæ tuæ, vel serui non vltra, vnde sæculum ibi non totam rerum, sed huius, vel illius hominis durationem significat. Moses autem vbi ceremonias seruari iubet circa Sabbatum, Pascha, Pentecosten, festumque Tabernaculorum, expiationis diem, atque similia, nunquam illis dictionibus, quæ absolutam æternitatem significant, vtitur, sed holam duntaxat, quod certum significat sæculum, id est, totum sæculum veteris testamenti, donec Testamentum nouum per Messiam constituatur, & ceremoniæ veteres dum videbuntur arescere, reuirescant, & in nouis consumentur potius quàm consumantur. Sic Iesus noster impleuit legem, quando quæ fuerant imperfecta perfecit. Atque hæc ipsa legis Christianæ perfectio declarat ipsam Mosaicarum constitutionum finem terminumque durationis extremum existere, quod per Hieremiam prædixerat, vt diximus, Deus legem nouam promittens à Mosaica differentem. Si quis autem qua in re perfectior noua sit quàm vetus, inquirat, consideret quinque præcipuas, quantum ad propositum spectat, nouæ, id est, Christianæ legis excellentias esse.

Prima est, Lex Mosaica in tabulis lapideis corruptibilibusque tradita fuit, Lex noua erat, vt Hieremias ait, cordibus, & mentibus inurenda. Quod quidem significat, nouam hanc disciplinam magis spiritalem esse, adde & æternam, quoniam naturalis legis instar æternis mentibus imprimitur in æternum. Vetus autem temporali subiecta data fuit ad tempus. Secunda, Vetus illa constitutio præter illa, quæ ad legem pertinent naturalem, solum Gentem Israëliticam, (cui data est) obligauit. Hinc Psalmista de Deo dicit: Annuncians verbum suum Iacob, iustitias & iudicia Israël, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Lex autem noua non aliter quam naturalis omnes astringit. Quapropter Esaias de Messia, eiusque doctrina sic inquit: Donec ponat in terra iudicium, & legem eius in-

sulæ exspectabunt. Tertia, Prisca decreta, (his exceptis, quæ ad naturale ius pertinent) etiam subiectum populum, non vbique, sed in sola promissionis regione alligasse dicuntur. Quod ita Deuteronomij verba declarant: Scitis, quod docuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus, vt faciatis ea in terra, quam possessuri estis. Rursus, mihique mandauit eodem tempore, vt docerem vos ceremonias, & iudicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis. Iterum. Tu verò hic ista mecum, & loquar tibi omnia mandata, & ceremonias, atque iudicia, quæ docebis eos, vt faciant ea in terra, quam dabo eis in possessionem. Messiæ autem iura non minus quam naturalia vbique sunt obseruanda, igitur apud Malachiam, Deus quandoque vetera reprobat sacrificia: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Deinde subdit: Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Sacra igitur, quæ in veteri lege in solis terræ promissionis templis, & tabernaculis celebrari licebat, quandoque scilicet sub Messia, vbique Deo grata futura erant. Quarta, Lex vetus sola corporalia, temporaliaque bona pollicetur, & mala minatur, vt in Leuitico, & alibi sæpè patet. Noua, spiritalia & æterna. Quinta, Vetus, ciuiles virtutes communesque duntaxat inducit, quibus perturbationes amputat. Noua, purgatorias animique purgati, quibus affectus extirpat, & obliuioni tanquam igni tradit fomites vitiorum. Sed cur istud? quia Deus rudem adhuc populum, sicuti par erat, leuioribus disciplinis erudiret, manifestioribusque tam bonis quàm malis mouere statuerat, quod etiam Rabi Moses Ægyptius in commentariis libri camedrim confitetur. At verò tempore Christi, populi iam eruditiores euaserunt. Tunc, (vt Esaias inquit) repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris cooperientis. Tunc igitur Deus verioribus præmiis exactoribusque institutis genus humanum prouocauit, atque formauit. Merito igitur, accedente lege noua tanquam forma, vetus veluti præparatio vel abit, vel transit in nouam, impleturque in noua. Quod quidem omnino tacere non potuit Rabi Moses in Deuteronomio, Vbi mundi ætatem in sæcula duo distribuit, sæculum videlicet præsens, seculumue Messiæ. Ac Talmutici Interpretes, sicut aliàs diximus, sæculum præsens, & futurum legis, & Messiæ sæcula esse volunt, vanamque sæculi huius legem, ad Messiæ legem esse fatentur, quasi in sæculo legem Christi, sæculum lexque vetus finiatur, atque expleatur.

Distinctio præceptorum Mosis.

MOsis præcepta præcipua illa sunt, quæ in Decalogo continentur, data enim à Deo sunt absque medio in tabulis lapideis populo vniuerso, deinde tanquam perpetua in arca Testamenti in sancto sanctorum inclusa. Cætera verò minutiora sunt, ac data per Mosem, & ab eo chartis inscripta, atque extra sanctorum sancta posita. Inter hæc autem alia simpliciter moralia sunt, & quia naturæ legem imitantur, sempiterna sunt fermè, sicut præcipua. Alia ad iudicia pertinent, quæ neque in æquitatis arbitrio posita, prout rerum vsus exigit, variantur. Alia rursus ad ceremonias, quæ quidem parui momenti sunt, nam tanquam figuræ quædam Pythagoricorum symbolorum instar, ad aliud portendendum, significandumque referuntur. Qui enim à porco abstinere iubetur, porci vitam vitare iubet, & qui sistere corpus in Sabbato, sistere mentem in contemplando. Hæc & similia ad significatum, effectumque suum per Christum redacta fuerunt. Sacrificare igitur Deo, & quòd fur ablatum restituat, & similia ad ius naturale pertinent, atque morale, ideò semper seruanda mandantur. Sacrificare autem hoc pacto, & die hoc aut illo, talia siue talia, rursus restituere quadruplum, aut duplum, & similia vel ceremonialia vel iudicialia sunt, mutarique potuerunt ac debuerunt, prout locis, temporibus, personisque congruit. In rebus huiusmodi non solum sub Christo mutatio contigit, & iure contigit, verum etiam apud priscos. In prima enim ætate ex institutione diuina, non licuit hominibus vesci, nisi plantis, sicuti nos Genesis docet. In secunda tamen ætate post illam mundi illuuionem, concedente Deo, vesci animalibus licuit, quod etiam in Genesi declaratur, vnde apud vos in libro Beresith Rabba, videlicet in commentariis in Genesim, dum exponitur illud Psalmi: Dominus soluit compeditos, ita dicitur: Omnis bestia, quæ in hoc sæculo, videlicet sæculo legis, habetur immunda, à Deo in futuro sæculo, scilicet Messiæ fiet munda, quemadmodum mundæ fuerunt filiis Noë bestiæ, quæ prioribus mundæ non fuerant. Et sicut Deus concessit antiquioribus solummodo plantas, tanquam mundas, & si-

liis Noë, deinde omne animal tanquam mundum. Sic in sæculo futuro Deus concedet quicquid ante prohibuit, hæc ibi. Ex iis patet in Messiæ sæculo minutiora illa sæculi veteris instituta tanquam inania iam & superuacua soluenda fuisse. Nunquid ad hoc, ô Iudæi, plures adhuc testes exigitis? quamuis non necessarij sint, quosdam tamen è multis, qui supersunt adducam.

Malachias. Testamentum meum erit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei vt timore me timeret, & a facie nominis mei reuereretur, Lex veritatis erit in ore eius, in pace dirigens, ambulabit mecum, & multos ab iniquitate conuertet, quoniam labia sacerdotis custodient scientiam, & legem inquirent de ore eius, quoniam Angelus Domini omnipotentis est. In iis Deus Messię promittit denuo Testamentum suum, Testamentum inquam pacis inter Deum hominesque conciliandæ, ex quo vita hominum prouenit. Vitam rursus illi promittit mitem, & quasi timidam. Sacerdotium quoque, & quod non vi & armis, sed pace, & scientia conuertet homines, non omnes, sed multos. Iterum, quod legem ab eo homines nouam accipient. Cui autem hæc omnia, nisi Iesu Nazareno conueniunt?

Naum. Exterminabo sculptilia & conflatilia, ponam sepulturam tuam, quia ecce veloces super montes pedes Euangelizantis & annunciantis pacem. Celebra Iuda dies tuos festos, redde vota tua; quia iam non adiicient vltra, vt transeant in vetustatem, consummatum est, consumptum est, ablatum est. Ascēdit qui insufflat in faciem tuam, eripiens te ex tribulatione. Hic apertè in aduentu Messiæ protendit idolorum casum, consummationem prophetiarum, ac veteris Testamenti, consumptionem priscarum ceremoniarum, ablationem regni Iudaici, prædicationem Euangelicæ pacis, ascensionem Christi, Spiritus sancti afflationem, liberationem denique à tribulatione, scilicet inferorum.

Micheas. Exibit lex de Sion, & sermo Domini de Hierusalem, & iudicabit inter populos plurimos, & reuincet, & diriget validas nationes vsque in longinquam. Per hæc significatum fuit Messiam nouam doctrinam, legemque vltra Mosaicam adducturum, quæ non ex Synai, vt illa vetus, sed ex Sion procederet, neque solos Iudæos institueret, sicut illa, verum sermone prædicantium Apostolorum passim propagaretur, ac validarum nationum instituta deleret.

Esaias. Hæc dicit Dominus viris Iuda qui habitant in Hierusalem. Renouate inter vos nouitatem, & ne seminaueritis in spinis. Circuncidite vos Domino Deo vestro, & circuncidite præputium cordis vestri, ne exeat ira mea, sicut ignis, & non sit qui extinguat.

Moses. In nouissimis diebus circuncidet Dominus cor vestrum ad Dominum Deum tuum amandum.

Iesus Naue qui Iesu Christi figuram præferebat, ait: Dixit Dominus ad Iesum, fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & sede, & circuncide secundo filios Israël, scilicet cordis circuncisione. His tribus oraculis ostensum fuit corporalem circuncisionem in spiritalem sub Christo fore mutandam, illi extremam pelliculam attingebant, hic vniuersum purgat, & lauat. Ergo quid oportet pueros post Iesum octaua die sanguinem fundere? parcite filiolis vestris Iudæi tam crudeles, quàm superstitiosi, parcite filiolis statim natis. Iesus olim circuncisus totus, pro omnibus sanguinem semel fudit. Quod si circuncisio ceremoniarum prima stabilis futura non erat, non enim ab initio, sed sub Abraham est instituta, & sine illa quandoque iustus esse quilibet potuit, multo minus reliqua. Ergo quid sabbata obseruatis vlterius? Dies profecto vobis dominicus sub sabbato quondam figurabatur. Quid victimas adhuc temporales sacrificatis? illæ omnes in æterna victima Iesu finem habuisse videntur. Quid sacerdotes pristinos frustra quotidie restituitis? qui tanquam minimi Iesum sacerdotem præferebant æternum, ille ille est sacerdos in æternum verus secundum ordinem Melchisedech. Quid denique regem vlterius expectatis, regnum illud vestrum olim temporale in æternum regem Christum est translatum. Et cum dixistis, vel legistis: O miseri, Iesus Nazarenus rex Iudæorum, tunc morientem hominem, viuentem Deum, regem vnicum, vltimum, perpetuum accepistis, quod quidem Moses vester nobis significauerat, quando ritum constituendi Pontificis tradens, per vnguenti cuiusdam mystici sacramentum, eum Christum nominauit. Rursum quando regem sibi successorem constituens, Iesum cognominauit eum, qui prius Auses fuerat nominatus. Ita igitur per gemina hæc appellationis indicia, in altero Pontificij, in altero regni exprimuntur insignia, & Iesus-Christus tanquam qui rex & Pontifex esset, pariter nominatus.

De authoritate doctrinæ Christianæ.

CAPVT XXXV.

DOctrinam Christi multa confirmant. Primum quidem Sybillarum, Prophetarumque prædictiones. Deinde sanctitas, & miracula Christi, & Christianorum. Accedit illa supra modum mira profunditas, & maiestas, quæ in sobrio eorum stylo perspicitur, quia antea rudes piscatoresque fuerunt, Petri præsertim, Iacobi, & Ioannis, atque, vt de Paulo taceam, qui & si ante conuersionem homo doctissimus erat, surgit tamen post in suis Epistolis admodum super hominem. Quid Petri Epistolis augustius, quid venerabilius Epistola Iacobi atque Iudæ? quid de Ioannis Apocalypsi dicemus? qui liber cœlestem præfert faciem, totque habet sacramenta, quot verba. Quid de huius Epistolis? quibus inest absque verborum fuco nectarea dulcedo, sensusque diuinus. Euangelium eius videtur Dei manibus scriptum esse, non hominis, quod cum legeret Amelius Platonicus, per Iouem iurauit, virum illum Barbarum, id est, Iudæum, breuiter comprehendisse, quæ de ratione diuina, principio, dispositioneque rerum Plato & Heraclius disputauerunt. Simplicianus ait, Platonicum quendam audisse dicentem. Euangelij huius prœmium vbique in templorum apicibus literis aureis scribendum esse, denique omnes tales oratione, quales vita fuerunt. Sicut enim in conuersatione fuerunt mitissimi, in periculis autem & laboribus fortissimi, & constantissimi, ita in loquendo humillimi pariter & excelsi. Coniunctiones huiusmodi Philosophi supra naturam esse censent. Sic ergo rusticos illos, & piscatores Magister eorum Christus, quod promiserat, piscatores hominum reddidit. Quodve mirabile est, eos post ascensionem suam in cœlum adhuc rudes è cœlo subito quodam afflatu mirificè docuit, vsque adeo, vt statim coram omni populo, omnibus linguis, doctrinisque pollerent.

Cuius rei signum est, quod ipsi doctos plurimos docuerunt, multique sapientia excellentes, colla sua eorum libentissime subiecerunt. Hierotheus & Dionysius Areopagita, & Iustinus Platonici, quorum scripta omni sapientia plena sunt, crucem Christi vnà cum Apostolus subire. Pantenus præterea Stoicus, Quadratus, Agrippa, Aristides, Lucas, Marcusque Philosophus, Tenas, & Apollo legis Iudaicæ peritissimi. Quid de sapiente Ignatio Christi discipulo Antiochiæ Episcopo dicam, qui dum Romam vinctus deuorandus bestiis duceretur, in ipso itinere de martyrio, doctrinaq; Christiana multas scripsit Epistolas ad Ephesios, ad Magnesios, ad Thraces, Smirneos, Philadelphos ad Policarpum, atque Romanos. Ex Syria Romam vsque pugno bestiis deuorandus, interea nocte dieque ligatus pugno cum decem leopardis, id est, militibus, qui me custodiunt, quibus & cum bene fecerim, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro, promptas mihi esse ad interitum, & allici ad comedendum, ne sicut aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit ego scio. Nunc incipio esse discipulus, nonne iis quæ videntur deficiam, vt Iesum Christum inueniam, ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, totius corporis contritio, omnia tormenta, diaboli arte quæsita, in me veniant, modo Iesu Christo fruar, hæc ille. Cumque iam damnatus esset ad bestias, rugientesque audiret leones, ardore patiendi ait, Dentibus leonum molar, vt panis mundus euadam. Polycarpus etiam Smyrneorum Episcopus, Ioannis Euangelistæ comes, magnus Asiæ doctor, sæpè rogatus à Iudice, vt Iesum negaret, respondit, non posse negare illum, cui octuaginta iam & sex annos feliciter seruierit. Itaque cum Christi amore totus arderet, ignis flammas, mortemque facillimè pertulit. Hæc de illo Smyrnei ad Ponti Ecclesias scripserunt. Iustinus autem ille Platonicus, audito Apostolorum libro, quem pro religionis nostræ defensione iudicibus obtulit, cum multos præclaros martyres numerasset, se quoque martyrio consumptum iri insidiis cuiusdam Crescentis Cynici (imò grassantis) vaticinatus est, dicens: Et ego quidem spero me ab aliquo horum, quibus pro veritate obsisto, insidias esse passurum, spero baculo, aut claua feriendum, certè vel à Crescente hoc, non Philosopho, sed Philopompo Quod & ita factum est, & Iustinus tam fortiter tulit quam manifestè præuiderat. Præuiderat autem Ioannes Euangelista, & in fine Euangelij sui prædixerat, se quamuis extrema pateretur, enecari non posse prædixerat. Et in Apocal inter alias Christianorum calamitates, manifestissimè illam, quæ sub Valerio principe contigit.

De qua Dionysius Alexandriæ Episcopus, temporis illius Martyr inquit: Ioanni reuelatum est, vt diceret, & datum est ei os loquens magna, & blasphemias, & data est ei potestas per menses quadraginta & duos. Vtraque autem complentur in Valeriano, hæc Dionysius. At decebat ante martyres alios consobrinum illum Christi Simeonem, qui post diuturna tormenta etiam crucem sustinuit libens, cum annos ageret centum viginti. Sed ecce se mihi iam offert virorum in quauis doctrina excellentium turba quamplurima, Timotheus, Titus, Clemens Romanus Barnabas, Ioannes senior, Aristion, Sophistenes, Siluanus, Sosipater, Demophilus, Dorotheus, Philemon, Andronicus, Vrbanus, Lucius, Iason, Tertius, Crescens, Linus, Cletus, Paulus, Sergius proconsul Cyprij, Syllas, Egesippus Iudæus, Crispus, Epaphras, Demas, Marcus, Aristarchus, Epaphroditus, Tichicus, Onesimus, Euodius, Papias, Hermas, Iustus, Gaius, atque Mellitus Philosophus Asianus, qui librum pro Christo Marco Antonino Vero composuit, aliique permulti viri admodum sapientes, Apostolorum discipuli, quorum alter alterius crucem aspiciebat intrepidus, suam mox expectabat in domitus, & ferebat inuictus. Imitati sunt istos & sapientes alij, Theophilus, Dionysius, Penitus Cretensis, Tacianus, Philippus, Musianus, Modestus Philosophus, Gardasenes, Syrus, Dialecticus & Mathematicus, Apollinaris Philosophus. Hi duo, Marco Antonino Vero, libros pro nostra religione dederunt, Victor, Hireneus, Rhodon, Clemens Alexandrinus, Milciades eruditissimus qui, Marco Antonino quoque librum pro religione tradidit Christianorum. Apollonius Philosophus Romanæ vrbis senator, & Christi Martyr, qui Commodo Seuero, vt rationem suæ fidei redderet, insigne volumen composuit, Apollonius, Abel, Serapion, Bachilus, Policrates, Heraclitus, Maximus, Candidus, Appion, Sextus, Arauianus, Narcissus, Iudas, Tertullianus doctrinæ fons, qui sub Seuero Imperatore floruit, atque ita contra Iudices exclamauit: Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati, & cruenti vociferamur, Deum colimus per Christum, illum hominem putate per eum, & in eo se cognosci, & coli vult Deus, sententiis vestris gratias agimus, cum damnamur à vobis, à Deo absoluimur. Ammonius Alexandrinus Platonicus nobilis, Leonides sapiens Origenis pater, Origenes vir doctrina, vitaque apprimè mirabilis, quem Porphyrius doctrina omnibus sui sæculi anteponit, qui disputatione Celsi Epicurei contra Christianos octo voluminibus confutauit, totque de doctrina Christiana conscripsit, quot vix ætate longissima quis legere valeat. Hic vt Eusebius inquit, frequentia tormenta, & sæculis omnibus inaudita pro Christi gloria pertulit. Huius illustres discipuli, Plutarchus, Heraclides, Hero, Sereni duo pro Christo martyrio sunt coronati. Sequitur Triphon & Ambrosius, Origenis discipuli, Minutius, Gaius, Berillus, Hyppolitus, Alexander, Iulius Affricanus, Geminus, Theodorus, Cornelius, Cyprianus Afer, martyr, sapientia, & eloquentia præstantissimus, Pontius, Cypriani discipulus, Dionysius, Nouatianus, Marhiō, Archelaus, Anatolius, Alexandrinus Philosophus clarus, Victorinus, Pamphilus martyr locupletissimus, eiusque discipulus, Eusebius Cæsariensis magistro similis, Phierius, Lucianus, Phileas, Annobius, Rethnicus, Metodius Philosophus insignis, qui disputationes Porphyrij contra nos egregio volumine confutauit. Iuuencus, Eustathius, Marcellus, Athanasius magnus, Antonius, Basilius, Theodorus Eusebius, Emisenus, Triphylus, Lucifer, Eusebius Sardus, Acatius, Serapion, Hylarius magnus, Victorinus, Titus, Damasus, Apollinaris, Gregorius Bedicus, Pacianus, Phebadius, Dydimus Alexandrinus vir diuinus, & Ambrosius Alexandrinus eius auditor, Optatus Afer, Achilius, Cyrillus, Cuzonis, Epiphanius, Effrem, Syrus, magnus Basilius, Gregoriusque eius frater, Gregorius Nazanzenus cognomine Theologus, Hic inuectiuis Iuliani Imperatoris in Christianos subtiliter, copioseque respondit. Diodorus Ambrosius, Euagrius, maximus Philosophus, Ioannes Chrysostomus, Gelasius, Theothinus dexter, Amphilochius, Sophronius, & alij penè innumerabiles viri doctrina pręstantes, qui partim ante Iulianum Imperatorem, partim eo regnante inter gladios, igneque, calamo, lingua, vita, morte, Christi gloriã defenderunt, vnde martyres quasi testes Christianæ gloriæ sunt appellati. Adnumerat Hieronymus inter primos illos Christianos, Iosephum, & Senecam & Philonem, duæ quoque & septuaginta acutorum virorum hæreses, statim post religionis huius exordium, partim superbia hominum, partim astutia dæmonum scaturiẽtes, Christum ipsum, quamuis non rectè, vt alij honorauerunt. Iam verò, si vellem Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, Gregorios, aliosque innumerabiles numerare viros, scientia præstantissimos, Græ-

cos, Barbaros, & Latinos, qui post Iulianum apostatam, acutè, ornateque scribendo, & sanctè agendo, diutissimè pro Christi gloria laborauerunt, arithmetica me computatio frustraretur. Tanto saltem Christiana lex cæteris excellentior est, quanto & plures docti, & doctis aliis semper doctiores, eloquentioresq; & sanctiores fuerunt, qui hanc secuti sunt, quam qui alias susceperunt. Si primùm religionis huius fundamentum Dialectici, vel Oratores, vel Poëtæ iecissēt, suspicaremur plebem astutia hominum fuisse deceptam, si docti omnes semper respuissent, iudicaremus eam forsitan contemnendam. Si principes, vel ab initio, vel paulo post huic legi omnino fauissent, opinaremur, quod de quibusdam religionibus arbitramur, debiliores à potentioribus fuisse coactos, successores deinde, vt fit, legem illam cum lacte suxisse. Diuina igitur prouidentia voluit simplicem religionis suę veritatem ab hominibus primo rudibus, & simplicibus primam originem ducere, atque à simplicibus, & rudibus astutos, ac doctos feliciter irretiri. ¶Permisit insuper religionem suam, annos plures quam trecentos à potentibus vbique Gentium crudeliter impugnari, quo maior esset doctorum testium, & fidelium numerus, reique ipsius verior, certior, firmior authoritas, nam in prosperitate fidem pręstare facile est, in aduersitate difficile. Exquisitissimis tormentis cruciatos fuisse Christianos, vt nostras historias prætermittam, testatur Cornelius Tacitus, vituperauit autem Christianos, credo vt sæculis suis adularetur, quem etiam in historia mentitum fuisse Tertullianus ostendit quia dixerit, Iudæos caput asini colere. Atque in eadem historia scripserit, Pompeium arcana Iudæorum speculatum, nullum in eis simulachrum reperisse. Igitur ab hoc vno mendacio disce reliqua. Accedit quod Hiereneus testatur, non ob aliud tunc de nostris suspicio exorta est, tanquam impiis & impuris, quam ob Hęreticorum quorundam Gnosticorum, præsertim vitam incestam prorsus, & execrabilem, sed non in longum durauit infamia, vbi seipsa cœpit veritas aperire. Lucianus Gentilis, Peregrinum quendam sophistam, atque vt ipse describit, & Christianum non legitimum, tanquam ostentatorem iactatoremque deridens, inquit: Hic pręterea mirabilem Christianorum sapientiam didicit à sacerdotibus eorum, atque doctoribus, qui magnum illum virum in Palestina crucifixum adorantes, cæteras religiones spernunt. Ex magistri autem sui lege sibi inuicem fraterna charitate deuinciuntur, sperant se æternos fore, qua spe ducti misselli vitam hanc, eiusque bona contemnunt, & quotidie cædibus se sponte subiiciunt. Hæc Lucianus. Quem de Peregrino odij causa mentitum esse, testis est Aulus Gellius Peregrini familiaris, nam monstrat hunc Peregrinum virum grauem, constantemque fuisse verum Philosophum. Conquestus est Plinius secundus in Epistola ad Traianum, quòd vrbes Christianorum trucidentur, qui nil pręter Romanor. legem agant, nisi quòd antelucanos hymnos canant Christo cuidam Deo. Ad conferendam verò disciplinam vetent homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Rescripsit autem Traianus, Christianos inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere. Cuius sententiam ita Tertullianus confutat: O sententiam necessitate confusam, negat inquirendos innocentes, & mandat puniri vt nocentes, parcit, & sæuit, dissimulat & animaduertit. Quid temetipsam censura circunuenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & absoluis? Rumorem quoque vanum aduersum Christianorum mores exortum, subtilissimè confutat, monstratque, non de crimine vllo, sed de nomine sectę aduersum Christianos actum fuisse. Atque vt aliàs diximus, similiter conquestus est Serenus Granius in Epistola ad Adrianum. Vnde Adrianus scripsit ad Minutium Fundanum proconsulem Asiæ, ne permitteret Christianos innoxios homines perturbari, calumniatoribusque illorum occasionem latrocinandi concedi. Epistolam Adriani integram, Eusebius noster adducit. Mellitus Sardensis Episc. ad Imper. Antoninū Verum, librū pro nostra religione scripsit, in quo refert edictū Antonini ad Asiaticos reprehēdentis eos, quod cultum immortalis Dei, quē Christiani colant, perturbent, vsq; ad mortem Christianos persequētes. Addit in eodem edicto, plurimos ex prouinciis iudices super iis ad patrē suū scripsisse olim, atq; nuper ad se quā plurimos, deniq; statuere se quod & Pater statuerat, hoc est, ne quis Christianos ob hoc dūtaxat quod Christiani sint, insequatur, nisi fortè arguātur aliquid aduersum Rom. regni statum moliri. Arbitror Antoninū ob hoc etiā timuisse Christum, quod frater eius M. Aurel. scripsit, cùm exercitus eius apud Germanos siti periclitaretur, orationibus quorumdam militum Christianorum à Deo impetrasse, subitò contra omnium spes largissimos imbres, quibus & suorū sedata sitis, & hostes ob fulminum impetum effugati, atque ob insignis facti miraculum eam legionē mutato nomine fulmineā appellauit.

Hæc scribit Apollinaris atque Tertullianus. Addit Tertullianus Marci Imperatoris extare Epistolas, quibus apertius de iis indicetur, Eusebius adiungit, miraculum hoc ab historicis quoque Gentilium fuisse relatum, sed quod Christianorum orationibus factum fuerit prætermissum. Calamitas igitur Christianorum vel ex imperito vulgo, vel ex impiis principibus maximè contingebat, quorum principes fuit Nero. Suetonius afflictos fuisse à Nerone Christianos narrat, ob hoc duntaxat quod nouam religionem introducerent, & vt ipse ait, maleficam, id est, magicam, miracula enim multi videntes, demonibus, quod Dei erat, attribuebant. Sed infinita veritas atque bonitas, veritatem suam ex mendaciis hostium declarauit, & mala hominum conuertit in bonum, permittit quoque vsque ad mundi finem sanctorum suorum cœtum, vel ab Hæreticis vel ab hostibus agitari. Non cogit ad salutem Deus homines, quos ab initio liberos procreauit, sed assiduis inspirationibus singulos allicit, quod si qui ad eum accesserint, hos durat laboribus, exercet aduersitatibus, & velut igne aurum, sic animum probat difficultate, qui si vsque ad finem perseuerauerint, tanquam igne aurum, sic tandem diuino lumine feliciter coruscabit.

Quod sacræ Christianorum literæ vitiatæ non sint.

CAPVT XXXVI.

MAhumetes primos illos Christianos valdè probat, confiteturque doctrinam Christianam, id est, Euangelistarum, Apostolorumque libros ab ipso Deo authoritatem mirabilem accepisse, ac Testamento veteri anteponit. Sed hos libros ait post Apostolos à Christianis fuisse corruptos, totumque id machinatus est homo tam callidus quàm bellicosus, quoniam asserit se Christo apertissimis verbis fuisse promissum, qui in Euangelio dixit. Prædico vobis post me venturum esse quendam Dei nuntium nomine Mahumetem, illum videlicet spiritus veritatis, qui docebit vos omnia. Principio machinatio huiusmodi, etsi apud brutos, imbellesque homines (tales enim Mahumetenses sunt) tam vi quam dolo locum habuit, tamen apud magnos, prudentesque viros, nimium ridicula est. Nam ante Mahumetis aduentum nulla causa erat, ob quam Mahumetis nomen potius, quàm Pilati, vel Iudæ, vel Antichristi, vel etiam Diaboli Euangelio subtrahere debuissent. Post autem Mahumetis aduentum, ipse Mahumetes potius cultus fuisset ab iis qui Euangelium colebant, quàm nomen eius ablatum. Sed ipse falsò nomen suum subiungi voluit, vbi apud Ioannem Christus Spiritum sanctum promittit, cuius infusio Apostolis ipsius non multo post Iesum ad resurrectionem promittebatur, non post autem annos sexcentos Arabibus. Promissus est autem non homo, sed incorporalis spiritus atque veritas. Et cunctis Christianorum ducibus consentientibus, præsertim illis qui de promissione verbis literisque testes erant, quinquagesimo post resurrectionem die aspirauit feliciter, & illuxit.

Deinde quonam pacto verisimile est Christianos omnes volumina illa, quæ tanquam cœlitus data summopere eo tempore venerabantur, ausos fuisse mutare. Si qui autem impij ausi sunt, tanquam pauci imprudentesque, à pluribus prudentibus conuicti statim sunt, neque obtinuerunt. Rursus si sacra volumina passim apud omnes Gentes deprauata fuerunt, multi subito animaduerterunt, si alicubi solum cætera exemplaria reclamauerunt. Sed omnino impossibile est libros diuersis linguis, locis, temporibus, editos, tam latè subito sparsos, tam frequentatos, prorsus adulterare. Cur Hæreticorum sectæ diuersæ diuersas expositiones potius quàm textus varios adducebant. Audiuimus à pluribus Æthiopibus, & illis quidem literatis, similia omnino apud illos sacra volumina nostra in Barbaris literis, atque apud Græcos, Latinosque existere. Scribit Richoldus Ebron Theologus, se in Asia omnino eosdem textus apud Iacobianos, Nestorianosque, Christianos hæreticos, atque apud nos legisse. Proinde ipsum testamentum vetus rectum à Christianis seruari patet. quia cum translationes multas habeamus & ante Christum, & post Christum editas, partim liberiores, vtputa quæ à Iudæis ipsis factæ fuerint, partim ad verbum obseruatas, maximè à Hieronymo, vbique tamen præcipua, imò omnia Iesu Christi mysteria fermè similiter reperiuntur. Et translatio Hieronymi ad verbum facta ab omnibus Iudæis tanquam vera admissa est, & ipsa quidem ad Iesum confirmandum sufficientissima.

Verissima etiam illa, quæ à duobus & septuaginta Iudæis ante Christum edita est, & apud Græcos, Latinosque, & Barbaros Christianos similis extat, cuius prima illa exemplaria, & Hebraica & Græca Tertullianus etiam temporibus suis apud

Serapium, in Ptolemæi bibliothecis asserit extitisse. Neque ab Apostolis eorumque successoribus translatio huiusmodi olim vitiata fuit, tum quia difficile erat longè diuulgatos, & ita seruatos codices vitiare, tum quia omnino stultum est credere, tot tantosque viros testimonia Iudæorum adulterasse ad Iesum occisum viuificandum, seipsos verò perdendos. Denique frequentes obiectiones & calumniæ, insidiæque vndique Christianis illatæ, altercationesque sæpius repetitæ admonuerunt Christianos, rectum scripturarum seruare tenorem. Quod si quis vnquam à Mahumetensibus audiuerit aliquid ad Mahumetem pertinens testamento veteri fuisse subtractum, respondeat nullo vnquam pacto Iudæos cum Christianis adhoc agendum conuenire potuisse. Testamentum autem vetus neque apud Iudæos, neque apud Christianos Mahumetensibus quicquam fauet. Sed vt ad nouum redeam Testamentum, hoc ipsum esse syncerum, constat ex Apostolorum discipulis, discipulorumque successoribus, qui & operibus, & scriptis de textus synceritate testimonia perhibent. Constat etiam ex antiquissimis Conciliis sæpè constitutis, vbi ad decem doctissimorum virorum millibus, qui circumferebantur codices ex amussim examinabantur, vnde nihil vnquam admissum est ab Ecclesia absque examine seuerissimo. Garrit præterea Mahumetes successores Apostolorum partem illã Euangeliis addidisse, puta, quod homo ille Iesus summus esset Deus, & verè mortuus. Primò quidẽ hoc in scriptis Apostolorum, Euangelistarumque tam sæpè, & eo ordine, eaque similitudine connexum est, vt nullo modo esse queat adiunctum. Deinde nihil aut difficilius persuadetur, quàm quod homo sit summus Deus, aut dissonantius proferri videtur, quàm quod verus Deus sit, & verè mortuus. Nunquid igitur hoc adiunxerunt, vt facilius quod prædicabatur, persuaderent? nihil fermè, hoc scilicet excepto, ab his dicebatur, quod aut perfidos Iudæos turbaret, qui Dei, hominisque coniunctionem illam non capiebant, aut Romanos offenderet rerum dominos, qui prohibuerant quenquam absque senatus authoritate Deum cognominari, multosque volebant deos, neque illos quidem summos, Iesum verò & summum & solum, Christiani absque senatus approbatione vocabant, atque sciebant ob hoc duntaxat se arduam omnino prouinciam ingressos, apud Iudæos Gentilesque valdè periclitari. quamobrem quod additum Mahumetes inquit, Minimè omnium videtur adiunctum, sed virtute nimium simpliciterque ab initio positum. At ipse videtur omnino profunda Christianorum mysteria, quamuis ea legerit, nequaquam intellexisse. Vbi enim Iesum legit esse Dei filium atque Deum, putat Christianos, deos illic duos inducere, patrem videlicet atque filium Atque hunc in Alcorano binarium deorum numerum detestatur, quod etiam à Christianis est alienum, Deum vnum Patrem, Filium, Spiritumque putantibus. Ipse autem licet nesciat quomodo, tamen miraculis Christi commotus, ipsum Dei filium Deumque fatetur, vbi eum nominat Dei flatum, spiritumque, propriam Dei animam, virtutem Dei, verbum Dei, afflante Deo, ex Virgine perpetua natum. Præterea, quoties incidit in Trinitatis nomen, homo tantæ rei prorsus ignarus, Christianos falsò nimium, & ineptè calumniatur, quod tres deos adorent, nesciens proprietates diuinarum distinguere personarum, ac simul seruare diuinæ substantiæ vnitatem, ipse tamen veritate coactus, Deum vbique in plurali numero de se loquentem inducit, quod & Moses obseruauerat, qui in Genesi Deo, modo singulare nomen verbumque, modo plurale attribuit, certè vnitatem substantiæ in Deo seruans simul ac numerum personarum. Dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, atque alia multa etiam clariora Sed audi quomodo loquentem Mahumetes Deum faciat Mariæ omnium mulierum optimæ, & à nullo vnquam tactæ; Nostram animam insufflauimus, & illam, filiumque suum manifestum miraculum posuimus Item, Cum multos nuntios miserimus, misimus tandem Christum Mariæ filium, cuius sectatorès fideles mansueto, & constanti corde fuerunt. Ei nos Euangelium dedimus, vt per ipsum homines Dei amorem gratiamque assequerentur. Rursus, Christo multam contulimus bonitatem, eumque doctorem filiis Israël præposuimus. Item, Christum ad diuinæ legis cõplementum misimus, Christum Mariamque miraculum fecimus, optimumque in paradiso locum dedimus habitandum, ac sæpè similiter. Quamobrem etsi arrogans fuisse negari non potest, non minus ignorantiæ quam arrogantiæ videtur esse culpandus. Multum enim suam arrogantiam temperauit, cum dixit in Alcorano, se miracula neque fecisse, neque facturum, plurima ignorare, esse purum hominem, quamuis nũcium à Deo inspiratũ, neq; se dare posse veniã peccatorũ.

Vetuit se inuocari, & adorari, confessus est insuper, esse in libris suis nonnulla, de quorum veritate dubitari possit. Ex quo apparet ipsum veritatis spiritum non fuisse, multum quoque Alcorani authoritati detraxit, cùm inquit. Quicunq; Deum vnum adorans honestè vixerit, siue Iudæus, siue Christianus, siue Saracenus sit, misericordiam, salutemque à Deo consequuturum. Authoritatem verò Euangelij manifestissimè confitetur, cum lumen, directionem, perfectionemque cognominat. Vnde & Mahumetis sectatores, eo concedente, fatentur nouo testamento accedente, veteris testamenti ritus magna ex parte meritò cessauisse. Testamentum vetus nouumque eo pacto intelligunt, quo exposuit, mandauitque Mahumetes, quod se vtriusque verissimum interpretem esse asseuerauit, creationem mundi. Adde progeniem, historiamque Hebraicam probant, & Christi doctrinam. Expectant Anti-christum fore pessimum hominem, quem à Christo occisum iri putant. Item, corporum resurrectionem, vltimum iudicium, supplicia & præmia sempiterna, Christum proximum Deo sedentem collocant. Mahumetenses Christi oratione, qua & nos, quotidiana vtuntur ad Deum. Pater noster, & reliqua. Sed vbi nos dicimus, Et ne nos inducas, ipsi dicunt, Deus fuit, & Deus erit, Mahumetes missus à Deo.

Causa erroris Iudæorum, Mahumetensium, Gentilium.

CAPVT XXXVII.

QVæritur igitur, quænam causa sit, quæ Iudæos adhuc multos in perfidia detinet? Propheticorum, Christianorumq; mysteriorum diuina profunditas, & quia diuina, ideo humana intelligentia non penetrabilis atque è conuerso. Rursus ingenium mercenariorum, miserabiliumque Iudæorum incultum prorsus, & pertinax. Auaritia tum eius quod suum est seruandi, tum faciendi fœnoris inexplebilis, naturalis suorum amor, innatum odium Christianorum. Quid autem post beatum Gregorium Barbaros plurimos traxit in hæresim? Difficillima diuinarum literarum interpretatio, Barbarorum genus nimium imperitum, violenta Mahumethis regis Arabum manus, septemque regum ipsi ex eius familia per ordinem succedentium leges. Accessit & licentia largior. Verum quid Gentiles olim à vera Hebræorum religione detorsit? Mandata ambitiosorum principum, ætas parum erudita, profusa licentia, fallacia dæmonum malignorum. Auxerunt errorem deinde blandimenta, adulationesque Poëtarum. Detinet autem omnes facile, in quouis errore mos patrius, & diuturna consuetudo. Non potest consuetudo in errore Christianos legitimos detinere, qui à principio religionem susceperunt ab errore semotam.

Nihil autem opus est, vt longa disputatione confirmem, quæ Christus, eiusque discipuli credenda, speranda, agenda proposuerunt. Satis enim veritatis, authoritatisque habent, cum à diuina veritate procedere iam probauerimus. Maximam igitur Christianorum institutionum, promissionumq; rationem assignauerimus, cum Pythagoricorum ritu dixerimus, Ille dixit. Meminerimus autem turbari non oportere, si horum minus capaces possimus esse, maximum enim diuinitatis signum hoc esse censeo. Nempe si ea mens nostra penitus comprehendit, minora sunt mente, si talia sunt, diuina esse non possunt, si enim diuina sunt, capacitatem omnem humanę mentis excedunt. Fides, vt vult Aristoteles, est scientiæ fundamentum, fide sola, vt Platonici probant, ad Deum accedimus. Credidi, inquit Dauid, & propterea sum loquutus. Credentes igitur, propinquantesq; veritatis, bonitatisque fonti, sapientem beatamque vitam hauriemus.

FINIS.

MARSILII FICINI FLORENTINI,

IN PLATONICAM THEOLOGIAM de Animorum immortalitate, ad Laurentium Medicem,

PROOEMIVM.



LATO, Philoſophorum Pater (Magnanime Laurenti, cum intelligeret quemadmodum ſe habet viſus ad Solis lumen, ita ſe habere mentes omnes ad Deum, ideoque eas nihil vnquam ſine Dei lumine poſſe cognoſcere: merito iuſtum piumque cenſuit, vt mens humana ſicut à Deo habet omnia, ſic ad Deum omnia referat. Igitur ſiue circa mores philoſophemur, animum eſſe purgandum, vt tandem factus ſerenior, diuinum percipiat lumen, Deumque colat. Siue rerum cauſas perſcrutemur, cauſas eſſe quærendas, vt ipſam denique cauſarum cauſam inueniamus, inuentamque veneremur. Neque ſolùm ad id pietatis officium Plato noſter cæteros adhortatur, verumetiam ipſe maximè præſtat. Quo factum eſt, vt & ipſe ſine controuerſia diuinus & doctrina eius apud omnes Gentes Theologia nuncuparetur, cum nihil vſquam ſiue morale, ſiue dialecticum, aut Mathematicum, aut Phyſicum tractet, quin mox ad contemplationem cultumque Dei ſumma cum pietate reducat. Quoniam verò animum eſſe tanquam ſpeculum arbitratur, in quo facilè diuini vultus imago reluceat: idcirco dum per veſtigia ſingula Deum ipſum diligenter indagat, in animi ſpeciem vbique diuertit, intelligens oraculum illud (noſce teipſum) id potiſſimum admonere, vt quicunq; Deum optat agnoſcere, ſeipſum ante cognoſcat. Quamobrem quiſquis Platonica (quæ iamdiu omnia Latina feci) diligentiſſimè legerit, conſequetur quidem cuncta, ſed duo hæc ex omnibus potiſſima, & pium cogniti Dei cultum, & animorum diuinitatem, in quibus vniuerſa conſiſtit rerum perceptio, & omnis inſtitutio vitæ, totaque felicitas, præſertim cum Plato de his ita ſentiat, vt Aurelius Auguſtinus eum tanquam Chriſtianæ veritati omnium proximum, ex omni Philoſophorum numero elegerit imitandum, aſſeritque Platonicos mutatis paucis Chriſtianos fore. Ego verò cum iam pridem Aureliana authoritate fretus, ſummaque in genus humanum charitate adductus, Platonis ipſius ſimulachrum quoddam Chriſtianæ veritati ſimillimum exprimere ſtatuiſſem, ad illa quæ dixi, duo præ cæteris diligenter incubui, ideoque vniuerſum opus Platonicam Theologiam de immortalitate animorum inſcribendum eſſe cenſui. In quo quidem componendo id præcipuè conſilium fuit, vt in ipſa creatæ mentis diuinitate, ceu ſpeculo rerum omnium medio, creatoris ipſius tum opera ſpeculemur, tum mentem contemplemur atque colamus. Reor autem (nec vana fides) hoc prouidentia diuina decretum, vt & peruerſa multorum ingenia, quæ ſoli diuinæ legis authoritati haud facilè cedunt, Platonicis ſaltem rationibus religioni admodum ſuffragantibus acquieſcant: & quicunque Philoſophiæ ſtudium impiè nimium à ſancta religione ſeiungunt, agnoſcant aliquando ſe non aliter aberrare, quàm ſi quis vel amore ſapientiæ à ſapientiæ ipſius honore, vel in intelligentiam veram à recta voluntate diſiunxerit. Denique, vt qui ea ſolum cogitant, quæ circa corpora ſentiuntur, rerumque ipſarum vmbras rebus veris infeliciter præferunt, Platonica tandem ratione communiti, & præter ſenſum ſublimia contemplentur, & res ipſas vmbris feliciter anteponant. Hoc in primis omnipotens Deus iubet. Hoc omnino humana res poſtulat. Hoc cœleſtis

Plato quondam suis facilè, Deo aspirante, peregit. Hoc tandem & ipsi nostris Platonem quidem imitati, sed diuina duntaxat ope confisi, operoso hoc opere moliti sumus. Sed vtinam tanta veritate id perfecerimus, quanta veritatis diuinæ veneratione tractauimus, adeò vt non aliter quoduis apud nos probatum esse velimus, quam diuina lex comprobet. Opus autem ipsum tibi Magnanime Laurenti iudicaui præ cæteris dedicandum, non vt Philosophica tibi aperiam, de quibus iamdiu ita disputas, vt non tam tibi, qui hæc iam videris miro quodam ingenio consequutus, quàm cæteris priscorum arcana videar editurus, sed quod nos beneficio tuo id odium quo facilius philosophari possemus, consecuti simus, & Plato noster hæc nostro erga te officio gratulaturus admodum videatur, quoniam quod ille in magnis quondam viris potissimum exoptat, ipse Philosophiam vnà cum summa in rebus publicis authoritate coniunxeris.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ, DE IMMORTALITATE ANIMORVM.

MARSILIO FICINO FLORENT. AVTHORE.

LIBER PRIMVS.

Si Animus non esset immortalis, nullum animal esset infelicius homine.

CAPVT PRIMVM.



CVM genus humanum, propter inquietudinem animi imbecillitatemq; corporis, & rerum omnium indigentiam, duriorem quàm bestiæ vitam agat in terris, si terminum viuendi natura illi eumdem penitus, atque cæteris animantibus tribuisset, nullum animal esset infelicius homine.

Quoniam verò fieri nequit, vt homo, qui Dei cultu propius cunctis mortalibus accedit ad Deum, beatitudinis authorem, omnino sit omnium infelicissimus. Solum autem post mortem corporis, beatior effici potest, necessarium esse videtur, animis nostris ab hoc carcere discedentibus lucem aliquam superesse. At, si lucem suam humanæ mentes nequaquam respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco, vnde sæpenumero cogimur propriæ diuinitati diffidere. Soluamus, obsecro, cœlestes animi cœlestis patriæ cupidi; soluamus quamprimum vincula compedum terrenarum, vt alis sublati Platonicis, ac Deo duce, in sedem æthercam liberius peruolemus, vbi statim nostri generis excellentiam feliciter contemplabimur.

Cæterùm, vt euidenter appareat qua ratione potissimum mentes hominum mortalia claustra resoluere, immortalitatem suam cernere, beatitudinem attingere valeant, conabimur sequenti disputatione pro viribus demonstrare, præter pigram hanc molem corporum, qua Democritiorum, Cyrenaicorum, Epicureorum consideratio finiebatur, esse efficacem qualitatem aliquam atque virtutem, ad quem Stoicorum Cynicorumque inuestigatio sese contulit.

Supra qualitatem verò quæ cum materiæ dimensione diuiditur, & mutatur omnino, formam quandam præstantiorem existere, quæ licet mutetur quodammodo, diuisionem tamen in corpore non admittit. In ea forma rationalis

animæ sedem veteres Theologi posuere. Hucusque Heraclitus, Marcus Varro, Marcusque Manilius ascenderunt.

Super animam rationalem extare mentem angelicam, non indiuiduam modo, sed etiam immutabilem, in qua videntur Anaxagoras & Hermotimus quieuisse. Huius denique mentis oculo, qui cupit veritatis lumen, & capit, Solem ipsum præesse diuinum, in quem Plato noster purgatam mentis aciem dirigere iussit, docuit, & contendit. Proinde, cùm ascenderimus, hos quinque rerum omnium gradus, corporis videlicet, molem, qualitatem, animam, Angelum, Deum, inuicem comparabimus. Quoniam autem ipsum rationalis animæ genus inter gradus huiusmodi medium obtinens, vinculum naturæ totius apparet, regit qualitates & corpora, Angelo se iungit & Deo, ostendemus id esse prorsus indissolubile, dum gradus naturæ connectit, præstantissimum, dum mundi machinæ præsidet, beatissimum, dum se diuinis insinuat. Ita verò nostrum animum se habere, atque esse talem, rationibus primò communibus, secundò argumentationibus propriis, tertiò signis, quartò solutionibus quæstionum asseuerabimus.

CORPVS NATVRA SVA nihil agit.

CAPVT II.

QVoniam corpus apud Platonem ex materia quadam constat, & quantitate, atque ad materiam extendi & affici pertinet solùm, & ipsa extensio affectioque pasiones quædam sint Quantitas autem aut nihil est aliud quàm extensio ipsa materiæ, aut si quid aliud est, est tamen res quædam talis, vt & diuisioni subiecta sit semper, & materiam sequentibus omnibus subiiciat pasionibus, & nihil effundat in materiam alienam, consequens est vt corpus ipsum quatenus corpus, agat quidem nihil, sed soli passioni subiiciatur. Idem quoque ex eo patet, quod ad actionis cuiusque naturalis perfectionem tria potissimum exiguntur.

Primùm, vt agens in seipso potentissimum sit. Secundùm, vt ad motum promptissimum. Tertium, vt facilè penetret patiens, atque ipsum patiens agenti proximè vniatur. His omnibus moles corporis impedimento esse videtur. Primùm, quia cùm in partes plurimas porrigatur, virtus agens in ea dispersa est, & à seipsa distans & distracta quamplurimum. Virtus verò, sicut vnione augetur, ita dispersione minuitur. Idcirco siccitas vim, tum caloris, tum frigoris auget, quia vnit, humiditas verò debilitat, quia dispergit. Deinde, quo maius corpus est, eo secundum seipsum pigrius est, ineptiusque ad motum. Igitur, quanto magis augetur corpus, tanto magis retardat motum, ac differt diutius actionem. Nempè vis leuitatis sursum tollit scintillam velocius, quàm flammam. Vis grauitatis celerius deorsum trahit lignum si acutum fuerit, quàm si latum. Postremò, cùm corpus quodlibet suum impleat locum, ac locus vnus duobus corporibus nequaquam sufficiat, commigrare in vnum corpora nequeunt, ac etiam soliditate densitateque sua penetrationem mutuam prohibent. Itaque distantia partium virtutem agendi debilitat, molis amplitudo retardat motum, crassitudo penetrationem corporum impedit. Et quod deterius est, si distractas corporis alicuius partes natura coarctet ad augendam ex vnione virtutem, interim crassius corpus ipsum euadit, & ineptius ad ingressum. Ac si rarè faciat ipsum ad acquirendam motus penetrationisque facilitatem, statim virtus agendi dispergitur. Quapropter cum tres esse debeant perfectæ actionis conditiones, corpus aut habet tres alias illis aduersas, aut vnam illarum accipiendo, non accipit aliam. Oporteret quippè breuitatem simul habere leuitatem, & raritatem Quæ quidem tria ad incorporalem quendam habitum corpus ipsum reducunt, vt omnis agendi virtus sit ad naturam incorpoream referenda. Nonne ex ipsa quantitate multitudo partium est tum in agente, tum in patiente, tum in medio horum spatio? At propter primum illud remissior actio est, quæ aliter esset admodum vehementior. Propter secundum paulatim transigitur, quod subitò impleretur. Propter tertium sero peragitur, quod cito consummaretur.

Quapropter ad vim quandam incorporalem pertinere videtur vehemens, cita, & subita operatio. Idem nobis ostendit ignis, qui sua tenuitate præ cæteris elementis naturæ spiritali appropinquat, est autem efficacissimus omnium, momento enim penè facit, quod alia corpora longo tempore, admixtione in se aliorum non patitur, qualem cætera corpora

patiuntur. Scintilla ignis, si datur materia, totum fermè occupabit orbem. Reliqua elementa non tantum, non tam citò, non tam vehementer seipsa diffundũt. Hic autem, quia tenuis est, fit potens. Quia potens fit, latus euadit potius quàm conuerso. Fit etiam luminis quod incorporale dicitur, capax, cuius actio fit momento, & modicus aër in vasis summo, vas in aquæ summo sustinet, etiamsi multorum lapidum pondere oneretur. In fulgure quoque & bombarda planè perspicitur, quantum ignis aërque valeant. Denique cœlum, quantominus crassum est quàm cætera, tanto luce, motu, effectu est mirabilius. Si igitur corpus, quanto propinquius fit incorporeis, tanto ad agendum fit efficacius, quis non videat agendi vim in natura incorporali consistere? Quod hinc etiam intueri licet, quod sicut primum in natura, qui Deus est, agit in omnia, nihil patitur, ita vltimum, quod est materia corporalis, pati oportet ab omnibus, agere verò per se in aliud minimè, cùm nihil sit infra ipsam, quod ab ipsa patiatur.

Ac, si in summa infinitaque vnitate infinita est agendi virtus, in multitudine infinita nulla est virtus agendi, sed infinita patiendi natura. Infinitam multitudinem corpus esse Pythagorici arbitrantur, quoniam absque fine diuiditur. Si quid igitur agere corpora videantur, non ex ipsa sui mole, vt Democritci, Cyrenaici, Epicurei putauerunt, sed ex aliqua vi & qualitate illis insita operantur. Nec iniuria. Vbi enim contrariorum oritur oppositio, ibi naturalium corporum editur actio. Oppositio illa nascitur in genere qualitatum. Adde, quod materia sub omnibus his corporibus vna est, vna quoque interminata dimensio. Si igitur actio à materia proueniret, aut dimensione, vna esset omnium operatio. Nunc verò cùm diuersæ appareant diuersorum corporum actiones, non per materiam dimensionemve vnam, sed per varias ipsorum qualitates quoniã operãtur. Meritò, qua ratione sunt, eadem agunt. Sunt autem non per molem in specie hac aut illa, sed per hanc formam aut illam, per formam igitur operantur. Præsertim, cum agens patienti propinquet per formæ qualitates, prius quàm per terminos quantitatis. Ac per formæ vim transeat in materiam alienam, potius quàm per quantitatis dimensionem, & singula materiæ puncta non dimensione attingat, sed qualitate. Sic per frigiditatem aqua frigefacit. Ignis per caliditatem calefacit potius quàm per molem. Ignis enim non quia amplissimus, sed quia feruentissimus vrit. Ac si totius eius calor, quasi ad punctum sui redigatur, propter maximam vnionem potentissimus erit ad comburendum. Sic beneficio qualitatis, præsertim in angustum coactè prouenit actio. Hinc fit vt causæ naturales effectus producant suos qualitate similes causarum, potius quàm æquales quantitate. Ac si contingat interdum æquales prouenire, necesse est prius apparuisse per similes, quasi per qualitates actio peragatur, postquam necessariò in eis atque per eas effectus causas referunt. Ideo filij statim natpenè omnes complexione & figura parentum similes sunt, æquales autem magnitudine rarius & posterius. Sed quis hæc non viderit? Neque enim si corpori magno propinquas, magnus efficeris, at, si calido, certè calescis, neque vllo sensu percipis quantitatem, nisi prius sensum qualitas mouerit. Quis enim quam magnus sit paries iudicabit, nisi hanc ipsam magnitudinem color lumenque ad oculum vsq; perduxerit? Ac, indicium quantitatis magis priusq; propter distantiam perditur, quàm luminis & coloris, quasi sit efficacia motionis in qualitate. Quod hinc perspicuè confirmatur, quod res quælibet appetitum ratione boni (quæ qualitas est) semper mouet, non ratione magni aut multi. Alioquin semper quæ maiora plurave sunt eligeremus. Nunc verò in iis quæ mala putamus, minora pauciorave eligimus. Qualitas autem ideo corpus esse non potest, quia duo corpora eodem in loco sine mutua offensione omnino conflari non possunt, qualitates verò plures in eodẽ pariter confunduntur. Siquidem in mellis materia color flauus, dulcedo & odor, tres qualitates vbiq; simul reperiũtur. Quæque enim guttula mellis, flaua, dulcis, naribusque suauis est. Accedit ad hæc, quod omne corpus natura sua in longum, latũ & profundum extenditur. Qualitas autem non sua natura videtur extendi. Nulla enim esset qualitas alicubi non extensa. Insunt tamen puncto, vnitati, numero, harmoniæ, virtutibus, qualitates aliquæ non extensæ. Qualitas igitur non est corpus, præsertim quia si naturalis ipsi esset extensio, quanto latior fieret, tanto fieret & robustior. Fit autem dispersione debilior. Igitur qualitas per se quodammodo indiuidua, in corporis dimensione diuiditur. Siquidem, de ratione quantitatis solùm fit diuisio, cùm diuisio ex vno semper deducatur in plura. Seruat tamen qualitas, etiam in corpore quan-

dam indiuisibilis naturæ proprietatem.

Nam, vt Platonici arbitrantur, albedo, quæ est in parte quauis corporis albi, non propriè dicenda est pars albedinis illius, quæ est in corpore toto, imò partis albedo dici debet, potius quàm pars albedinis. Nempè, si album corpus plures in partes diuiseris, in singulis partibus eadem restabit albedinis ratio. Vis quoque & actio similis, non tamen amplitudo eadem vel æqualis. Ideo non ad qualitatem propriè, sed ad corpus ratione quantitatis diuisio pertinet. Ad qualitatem præcipuè in exiguum radactam pertinet actio. Hæc vtique corpus non est, ac maximè cùm ad punctum colligitur, fit incorporea. Quo fit, vt incorporalis naturæ virtute, non ex materia corporum proueniat operatio.

Supra formam diuisam in corpore, extat forma indiuidua, id est anima.

CAPVT III.

IAm igitur à corpore ad qualitatem ascendimus. qualitatem verò more Platonico omnem formam diuinam in corpore appellamus. Sed nunquid in ea Stoicorum Cynicorumque more sistendus est gradus? Minimè. qualitas forma quædam est. Formæ natura simplex, efficax, agilis ad agendum. Vnde forma à Physicis actus sæpè vocatur. Natura huiusmodi in materiæ inficitur gremio, ex simplici diuisibilis impuraque, ex actiua passioni obnoxia, ex agili fit inepta. Ideo neque mera forma hæc est, neque vera, neque perfecta. Non potest hæc prima forma esse, si mera non est. Vnumquodque enim prius sit saltem secundum genus oportet quam inquinetur. Item non potest esse forma prima, si non est vera. Vnde enim mens hanc formam arguit non omnino veram esse? nisi inde vbi ipsa cernit aliquam veriorem, ad quam comparata hæc deficit, & falsa quodammodo esse conuincitur. Vbinam mens veram ipsam videt formam? profectò aut extra se aut intus eam conspicit. Si extra se prospicit: certè alicubi in natura est forma quædam vera, superior qualitate. Si in seipsa mens intuetur eam, non deest menti vera forma: non ergo deest mundo.

Præterea, validior quidem veritas est quàm falsum, cum veritas esse sine falso possit, falsum absque veritate consistere nequeat. Non enim falsum quicquam dicitur, nisi saltem verum sit illud esse falsum. Neque valet quicquam, nisi verum sit ipsum valere, neque verè intelligitur esse falsum, nisi per veritatem. Neque falsum dicitur, nisi quod fallit, neque fallit nisi per imaginem veritatis Si igitur veritas est falso validior & forma minus, vera videlicet qualitas, in ordine rerum est aliquid, multo magis vera forma in rerum ordine reperitur. Præsertim cum quanto intellectus præstantior veriorque est quàm sensus, tanto intelligibilis forma præstantior veriorque quam forma sensibilis esse debeat. Per hæc patuit qualitatem non posse esse primam formam, tum quia mera non est, tum quia non vera Constat idem quoque quoniam non perfecta. Primum enim in quolibet genere, totius generis est principium. Quod est aliorum principium, sequentia continet. Nihil igitur sui generis deest illi quod est in suo genere primum. Quemadmodum Sol si inter lucida primum est, nullo caret luminis gradu. Cætera sub eo lucida, vt sydera atque elementa, non totam capiunt luminis plenitudinem. Quoniam igitur prima forma omnes formarum perfectiones complectitur, atque idcirco imperfecta esse nequit; rectè concluditur, formam illam quæ dicitur imperfecta, primam esse non posse. Adde, quod qualitas quia ita inhæret materiæ, vt cum ea diuidatur, materialis (vt ita dixerim) prorsus euadit, Ac si à materia separetur, corrumpitur. Quocirca seipsam non sustinet, sed à materia tanquam subiecto sustinetur. Quod verò seipsum sustinere non potest, multo minus ex seipso subsistere. Itaque cum in alio iaceat, ab alio certè dependet. Oritur enim qualitas aliquando, cum mutetur & pereat. Nihil autem aliquando oritur à seipso.

Quod enim genito præstat initium, generatum præcedat oportet. Nihil autem seipsum præcedit. qualitas igitur cum ab alio oriatur, & nihil oriri nisi à superiori aliquo valeat, non potest esse naturæ principium. Verum vnde trahit originem? Nunquid à materia? Nequaquam: quoniam cum materia commune & informe subiectum sit, atque idcirco (quantum in se est) semper & vbique ad omnes formas æquè se habeat Vndenam id prouenit, vt aliàs & alibi aliis formis ornetur, nisi ab aliquo superiore, quod eam & alibi & alias aliter afficit? Præterea si materia sibiipsi datura sit formam, quærimus vtrum ipsa virtute sua prius habeat eam

formam, quàm sibi sit præbitura, aut non habeat? Si non habet, neque concipere quidem potest, sin habet, non est vtique materia prima, sed aliquid ex materia & formæ virtute compositum. Atque de hac ipsa virtute similiter inquiremus, nunquid eam habeat à seipsa, an ab alio? Quod si habet ab alio, ab alio quoque habet formam. Sin à se, nunquid hanc similiter habet per aliam virtutem sibi itidem propriam (atque ita in infinitum progrediemur) an potius virtutem illam non per aliam possidet virtutem, sed per essentiam? Si ita est, essentia materiæ idem erit ac virtus siue substantia effectiua formarum, & fons erit formarum potius quàm subiectum, imò erit forma potius quàm materia, & forma omnium præstantissima, forma omnis diuisionis impatiens, neque fluctuabit (vt nunc) labentium varietate formarum, sed per essentiam sempiternam formis erit prædita sempiternis. Ex his colligitur materiam non habere suaptè natura vim vllam formarum procreatricem, quia formare seipsum non potest informe subiectum, cum nihil omnino agere queat, siquidem actio à forma prouenit, à qua prouenit esse. Ac si materia quę subest arti, quamuis forma non careat, non tamen à seipsa, sed ab artis forma ad formam ducitur artificij, certè materia quę naturæ subiicitur, cum sit informis, non à seipsa, sed à natura formæ ad formam ducitur naturalem.

Vnde igitur erit qualitas? forsitan ab alia qualitate, puta quod ignis alius alium generet? Neque id quidem. Nam qualitas quia esse nequit absque fomento materiæ, ideo materiæ suæ non dominatur, multo minus dominabitur alienæ. Non igitur potest corporis alicuius qualitas corpus aliud sola sua potestate formare. Corpus quidem naturale, per ipsam molem, quæ soli passioni subiicitur, agit nihil, per qualitatem verò non agit sufficienter. Hæc enim quandoquidem non habet, sufficientiam existendi, non præstat corpori sufficientiam existendi, non præstat corpori sufficientiam operandi. Profectò quia ignis prius genitus fuit ab aliquo, quàm ipse aliud generaret, prius sibi conuenit vt sit effectus quàm vt efficiens. Effectui conditio hęc innata est, vt pendeat aliunde. Quapropter quoties ignis aliquid operatur, agit tanquam superioris causæ instrumentum. Si enim ignis hic aut ille esset causa generandi, ignis prima, id est, summa, cum à causa alicuius generis prima, genus profluat vniuersum, totum vbique ac semper ignem efficeret. Itaque faceret cum seipsum, tum ignem quemlibet qui ante ipsum fuit, & qui post erit. Cum igitur ignis hic aut ille non sit prima generationis huiusmodi causa, quærimus cuius sit causæ instrumentum. Nunquid ignis alterius? Nequaquam.

Primò, quia æqua est illa causa, non superior. Deinde, quia vel extinctus est iam ignis ille vnde hic ante manauerat, vel remotissimus. An fortè instrumentum est aliorum elementorum? Neque id quidem. Non est enim in dissimilibus & contrariis elementis vlla ignis generandi ratio cui ignis hic alium generaturus tanquam instrumentum subiiciatur. Num igitur instrumentum sit cœli? Minimè Non enim ignis hic remotissimi illius corporis, instrumentum fieri potest aliter quàm per medium. Media verò hæc corpora sunt inepta. Ac potius inter cœlum, siue ignis sphæram, atque dissimilia elementa, ad ignem hunc in terra gignendum, interponendus est ignis aliquid hunc ignem generaturus, quàm conuerso. Similiter in singulis rerum naturalium speciebus argumentabimur. Quamobrem præter omnes huiusmodi formas inesse oportet omnibus & præesse substantiam quandam incorporalem per corpora penetrantem, cuius instrumenta sint corporeæ qualitates. Quo enim pacto qualitates singulæ, quæ suaptè natura instabiles inordinatæque sunt, aut stabilem ordinem in generationis successione seruarent, nisi per ordinem altioris causæ stabilem regerentur, aut ad eosdem effectus statutis temporum curriculis semper reuerterentur, nisi vna eademque causa esset quæ illas quouis tempore ducens, statutis temporibus similiter duceret. Mens humana quotidie à particularibus formis ad vniuersales absolutasque se confert. Item supernaturales formas certis adstrictos materiis per Mathematicas (quibus in certa materia sufficit) ad Metaphysicas (quæ neque certa neque re incta materia indigent) ascendere solet. Præterea à dimensionibus, quæ tam situ quàm partibus egent, ad punctum sine partibus, sed quodammodo circa situm: rursus à punctis ad numeros, qui partibus quidem indigent, situ verò nequaquam, demum à numeris ad vnitatem, cui neque situ neque partibus vllis opus est, sese attollit. Atque vltra vnitatem indiuiduam, sed accidentalem, ad substantialem se vnitatem, id est formam transfert, indiuiduamque essentium, accidentium fundamentum simul atque originem, tanquam ad fixum quendam & in seipso manentem ac-

cidentium per se mutabilium, alterique semper hærentium, cardinem. Si tantam ad ascensum rationalem mens humana potentiam habet, quæ & pars quædam est vniuersi, & corporeis vinculis impedita, multo certè maiorem ad idem in seipso possidet vniuersum, præsertim cum infimæ mentis ordo vniuersi ordine trahat originem. Vbi verò ad agendum potentia maior viget, ibidem naturaliter & magis & citius proditur in actum. Accedit ad hæc, quod si quælibet rerum genera ad vnum quiddam in suo genere quodammodo indiuisibile reducuntur, cuius simplicitate consistunt, vt puta motus tempusque ad momentum, forma naturalis ad gradum minimum naturalem Geometricæ dimensiones ad signum, numeri ad vnitatem, cur non etiam substantiæ genus ad indiuisibilem substantiam redigatur? Vt quemadmodum figuræ omnes quæ inæqualitatis participes sunt, ad circularem omnium æqualissimam referuntur, circularis ad indiuisibile, centrum totius æqualitatis initium, ita formæ accidentales diuisibilesque, ad substantialem diuisibilemque formam, forma huiusmodi ad substantialem & indiuisibilem reducatur. Atque vt vltra qualitatem, quæ non decremento solum, sed etiam remissioni subiecta est, substantialis corporalisque forma est, quæ à remissione est libera, quamuis decrescat, ita super hanc esse debet substantialis forma, quæ neque remittatur, neque decrescat, vt ascensus qui in melius proficit, proficiatur in optimo. Talis erit substantia incorporea, quæ in primis hoc habet, vt natura sua minui nequeat, quam oportet alicubi secundum propriam formam in natura subsistere. Indiuidua siquidem & simplicia diuiduis necessario priora sunt atque compositis. Vnumquodque enim antè sit oportet, quam protendatur & tumeat. Indigent quoque hæc illis, non conuerso. Ab illis enim hæc sumunt exordium, & terminantur ad illa. Quapropter si hæc secundum propriam formam, in rerum natura subsistunt, multo magis oportet illorum quoque genus alicubi secundum formam propriam reperiri. Nempè ex eo quod natura efficacius meliusque materiam suam mouet quàm ars suam, coniicimus principalem formam in natura materiæ suæ magis dominari, quàm principalem in formam arte materiæ suæ. Si dominatur magis, duo concluduntur, tum quod propius quàm ars adest materiæ secundum situm, tum quod magis quàm ars secundum substantiam excellit materiam suam, magisque potest per se sine illa existere. Mouet autem ad idem me talis ratio plurimum, quod qualitates omnes, quia formæ in alio sunt quoties generant, formas in alio generant. Non enim possunt liberiorem prolem quam ipsæ sint gignere, Generat ergo formas in materiæ gremio, materiam verò ipsam, quæ in alio minimè iacet, sola illa facit seruatque forma, quæ non iacet in alia. Materia enim neque ex se est, cum imperfecta sit, & non agat ex se, neque ex qualitatibus, quas antecedit ipsa, sed ex forma quadam quæ materiam antecedit. Talis est penitus incorporea. In talis formæ virtute operationeque fundantur qualitatum virtutes operationesque, postquã in illius opere opera superfundantur illarũ. Sed de hoc aliàs. Nunc autem meminisse oportet, materiam ipsam, vt Mercurius Trismegistus, Timæusque putant, esse informem, non nihil, nihilo proximam, quòd primò infiniteque sit patiens. Vnde sequi Plotinus existimat vt propinqua ipsius materiæ dispositio, id est, dimensio, qualitasque, & vanissimum quiddam sit, & quantulumcunque est, totum sit passio quædam. Dimensiones enim nihil esse aliud quàm materiæ ipsius extensiones, qualitates verò nihil aliud præter eiusdem, affectiones videlicet vmbratiles & labentes, tanquam vmbras quasdam eminentium arborum in torrente. Demum concludit, neque materiam, cum sit primum patiens, neq; dimensiones, qualitatesue, cum sint primi patientis passiones primæ, esse prima actionum principia posse. Ita Plotinus. Alij verò quidam aliter, quamuis ad eundem finem, ita distinguunt. Profectò aiunt materiam ipsam agere nihil posse, quantitatem quoque, si est extensio ipsa passiua materiæ proficiscens à causa quadam materiam extendente, agere nihil, cum sit primi patientis perpetua passio. Sin autem est quasi forma quędam per quam causa materiæ motrix extendit materiam, agere forte nõnihil in illmateriã propriã, quia sit mediũ quo causa la materiã videtur extẽdere, sed in materiã alienã nihil penitus operari, qm̃ semper distare cogit agens à patiẽte, quod impedit actionẽ. Qualitatẽ verò in materiã tam alienã quàm propriam secũdum Peripatet. aliquid operari. quod si à materia quę in neutram agit materiam, ad qualitatem, quæ quodãmodo mouet vtramq; per mediam quantitatem, quæ solum in alteram scilicet propriam quodammodo operatur, nos ratio ducit, nunquid à quantitate, quæ nullo modo mouet materiam alienam, absque medio vllo ad rem illam transibimus, quæ omnino moueat alienam? nequaquam.

Qualitas autem est proxima quantitati. Itaque non est omnino sufficiens qualitas ad extrinsecam actionem. Si ergo claudicat ad agendum, à substantia superiore dirigitur, quæ omnino sit potens. Merito autem qualitas claudicat, quoniam eo ipso momento quo nascitur, spargitur per materiæ latitudinem profunditatemque, & quasi Letheo flumine mergitur. Quo fit, vt antequam ipsa agat quicquam à materia quasi inficiente quodammodo superetur. Nunquam ergo vis eius vincit per se materiam. Idcirco nunquam per se mouebit nisi à superiore causa roboretur. Roboratur profectò & ducitur à vita quadam, quæ etiam ex luto non viuente, quando ranæ generantur & muscæ, vitam gignit ac sensum, ex vna deformique materia fimi varios speciosissimosque procreat flores, per varia & speciosissima semina, quæ cum sæpè non inueuiantur in fimo, necessario in vita ipsa sunt. Sparsas quoque materias cogit in ordinem. Ordo ratione procedit. Ratio consistit in vita, Vita in virtute quadam indiuisibili. Siquidem mors diuisione & resolutione contingit. Rursus ex frigidorum corporum collisione generat ignem. Et quando reflexio radiorum in speculo, aut calens ferrum per qualitatem ignis accidentalem calefacit lanam, vita illa per vitalia ignis semina substantialem ignis speciem producit in lana. Quia denique in nobis putamus esse quod nutrimentum haud violenter consumit, sed suauiter & ordinatè concoquit & digerit? quod tam mirabiliter ad viuam redigit formam alimenta non viua? quod grauia sursum, leuia deorsum, absque manifesta violentia præter imo super illorum naturam, provt vsus vitæ postulat, continuè transfert? Quod pugnantia inter se conciliat, vincitque in vnum (Certè non simplex calor igneus, non alia qualitas vlla pugnantium, non natura diuidua, non nuda naturæ proprietas, imò verò superior quædam & indiuidua & viuifica virtus. Sicut autem in nobis, ita & in vniuerso considera. Atque ex his collige, formas corporales non habere ex se inuicem generationem sufficientem, sed caussam postulare insuper aliquam altiorem. Quæ quidem superior causa si rursus forma esset similiter iuncta materiæ, ab alia iterum substantia superiore descenderet. Tandem ne fiat in infinitum progressio, ad formam aliquam perueniendum est, quæ nullis sit mixta corporibus. Tanta verò est in genere formarum virtus ad id, vt à materia separatæ esse possint, vt etiam si quis illas esse quidem coniunctas ex se dixerit, verum ex ipsa mentium contemplatione seiungi, hinc saltem fateri cogatur, mentes ipsas esse seiunctas, quandoquidem ipsæ alia separant. quod hinc rursus apparet, quia substantia per naturam & dignitatem prior est quantitate, ac reliquis accidentibus. Et quia quod prius est, potest esse à posteriore seorsum, potest esse substantia quædam sine quantitatis diuisione, & si potest, vtique est aliquando, ne desit naturæ ista perfectio, ne frustra sit ista potentia. Nam in his quæ ad præcipuum vniuersi ordinem pertinent, ita se res habet, vt quicquid potest esse, aut iam sit, vt Physici opinantur, ne contingat in æternis mutatio, aut saltem futurum sit aliquando, ne aliquid sit semper inane. Ac si vita, quæ sola origine naturali antecedit sensum, iam nunc per se existit alicubi sine sensu, multo magis substantia, quæ quantitatem tam dignitate quam origine præstat, consistit nunc in rerum ordine seorsum à quantitate, præsertim cum perfectius sit vniuersum, si substantiæ quædam sint solutæ à vinculis quantitatis, quàm quod sint vitæ quædam sensus expertes Auerrois ex Aristotelis sententia probat corpoream substantialemque cœli formam carere materia, quia videlicet ibi nulla sit ad diuersas formas potentia, quæ propria est natura materiæ. Ibi tamen dimensio est, & eiusmodi formam inter naturales formas atque diuinas esse mediam arbitratur, quia naturales formæ cum materia simul quantitateque sint, diuinæ ab vtriusque penitus absolutæ, cœli verò forma vtrarumque media sit, ne ab extremo ad extremum sine medio transeatur. Quapropter eam cum quantitate quidem esse, sed sine materia, consentaneum esse censet. Hinc nos hunc in modum argumentamur. Cum substantialis forma soleat in materia potius quam in quantitate iacere, atque habeat secundum generis naturæque ordinem, maiorem cum materia quàm cum quantitate proportionem, si alicubi absque materia potest esse, multò magis alicubi seorsum à quantitate consistere potest. Præterea, vt Proculo placet, tria sunt genera corporum. Sunt enim quædam (vt eius verbis vtar) materialia simul atque composita, qualia sunt quæ ex elementis quatuor componuntur. Sunt vlterius elementorum sphæræ, materiales quidem, sed quodammodo simplices. Sunt denique cœlestia corpora, & simplicia & immaterialia simul. Tria quoque formarum genera ponit, haud aliter quam Auerrois. Vult enim generalem formarum definitionem eiusmodi esse. Forma est id quo aliquid di-

stinctè & actu est & agit. In hac autem definitione dimensiones omnino nullas includi, subiectum tamen quodammodo fortè significari, dum videlicet dicitur, quo aliquid, & cætera quæ sequuntur. Vnde concludit, si quæ formæ sine subiecta materia sint, sicut cœlestes, multo magis & multo plures absque dimensione esse posse simul atque debere. Item sic Proculus & Sirianus ad idem argumentantur. Quod ab alio semper extenditur, necessario dimensionibus est astrictum. Quod verò extendit, minimè. Materia igitur cum semper ab alio extendatur, necessario dimensionibus obnoxia est. Quia tamen vnumquodque prius in se est quodammodo quàm extendatur, materia potest indiuidua cogitari. Quapropter principium illud à quo extenditur, multo magis potest sine dimensionibus non modo cogitari, sed etiam esse.

Præterea omne diuiduum est quiddam totum vnum ex pluribus partibus constitutum, quæ partes nisi haberent in se vnum aliquid atque idem cunctis commune, nunquam totum illud conficerent. Non enim fit vnum nisi ab vno. Rursus, nisi essent participes vnitatis, nulla partium esset vnum, sed plura in infinitum, & quælibet pars innumerè infinita. Vnum autem in illud partibus insitum, non est diuisum singulatim in singulis, egeret enim ipsum quoque alio copulante. Ergo est idem totumque in singulis. Tale quiddam incorporale esse necesse est. Item cum omne corporale sit vnum quiddam totum ex partibus, quidnam illius vnionis causa est? An totum ipsum vnit partes, vel partes totum vniunt? Vel superius aliquid, quod neque pars sit vllius, neque totum ex partibus partes vnit inuicem, & ad totum? Totum partes sequitur potius, quàm vniat. Ac si admittatur quod vnit partes, incorporeum erit? Si enim sit ipsum quoque diuiduum, eget alio similiter vniente. Si partes vniunt totum, absurdum id quidem, quod à multitudine vnitati opposita fiat vnio, quæ fieri debet ab vnitate. Reliquum est, vt præter partes singulas atque totum adsit aliquid vnum conspirationis illius causa, quod quidem sit incorporeum, ne cogatur ipsum quoque copula indigere, atque ita abeamus in infinitum. Quapropter non est putandum formam aliquam diuisam in corpore, apicem esse naturæ, rerumque principium, præsertim cum oporteat principium rerum vi sua sempiternum fuisse, & fore. Fuisse quidem semper, nam neque potuit ex se aliquando prodiisse (fuisset enim ipsum ante seipsum) neque ex alio, nihil enim ante primum. Reliqua verò non essent vnquam, nisi prius fuisset primum. Fore quoque semper, quoniam extincto principio, corruunt vniuersa, neque ipsum amplius, neque aliud quicquam renasci potest. Habeat ergo necesse est vim infinitam, per quam ex se infinitè viuat, hanc non habebit, si fuerit corporale. Nam si dimensiones habuerit infinitas, nihil erit in rebus aliud præter ipsum. Si finitas, vim quoque finitam habebit. Mitto (quod aliàs ostendemus) neque corpus, neque corpoream formam, & indigam & mutabilem, sufficiens motionis principium esse posse, sed omne corporeum ab alio agitari, atque opificem, qui opificio miscetur inficiturque, non posse operi dominari, opificemque esse perfectum, primumue mundani operis architectum. Ergo formam corpoream transcendamus, & consideremus nunc primam quæ deinceps occurrit, vt sicut à corpore tanquam infimo ascendimus ad formam corpoream quasi mediam, quia habet corporis aliquid, dum dilatatur in corpore. Aliquid verò non habet, siquidem ipsa non est aliquid ex materia & forma compositum. Ita nunc ab hoc medio ad formam sublimiorem incorpoream scilicet, prouehamur, quæ nihil habeat corporis, sed corporibus distribuat qualitates. quæ quoniam per se subsistit, vera forma & essentia nominatur, tertia inquam essentia, quam etiam suo loco rationalem animam appellabimus. quam ita irrationalis anima comitatur, vt corpus vmbra. Essentia illa, & vera & immortalis à Platonicis ideo iudicatur, quia neque partibus indiget, in quas aliquando dissolui possit, & per quas dispersa virtus debilitetur, neque subiecto adstringitur, à quo deserta aliquando euanescat, neque contrariæ formæ miscetur, qua infici possit, neque vel loco clauditur, vel tempori vel motui ob indiuiduam & in se manentem simplicitatem substantiæ subest.

Anima rationalis per substantiam immobilis est, per operationem est mobilis, per virtutem partim immobilis, partim mobilis.

CAPVT IIII.

TErtiæ huius essentiæ naturam qualem esse dicemus? Immobilem ne prorsus, an potius mobilem? Certè non omnino immobilem, quia ipsa fons est qualitatum fluentium in materiam, quæ omni quiete carent. Omnis autem causa secun-

dum naturam propriam agit, ideoque ô-portet in opere vim aliquam & imaginem causæ reseruari. Si essentia illa quæ est causa qualitatum esset prorsus immobilis, quia per naturam suam immobilem ageret, qualitas inde descendens immobilem in se naturam aliquam retineret. Contrà verò contingit. Nam tria in qualitate sunt, essentia, virtus, & actio, hæc omnia versantur in motu. Essentia eius generatur atque corrumpitur, generatio & corruptio per motum efficiuntur. Virtus quoque naturæ suæ intenditur atque remittitur, puta calor magis minusue feruet. Quod autem magis minusue diuersis temporibus calet, proculdubio permutatur. Actio quoque idem patitur. Ignis siquidem actio, calefactio est. Aquam non momento calefacit, sed tempore. Actio temporalis motus ab omnibus nominatur, ideo qualitas omni ex parte subiicitur motui. Quod hinc rursus apparet perspicuè, quòd affectio corporis quæ per qualitates efficitur, non potest per aliquam temporis moram eadem penitus & similis permanere, ac semper tum in aliam atque aliam graduum proportionem, tum in melius vel deterius permutatur. Nempè siquis dixerit corporis affectionem permansisse per horam, Platonici ita interrogabunt illum, hora finita, nunquid par sit tunc in illa affectione virtus, ac in horæ principio? Si non sit par virtus, certè non stetit horam, cum in ea hora sit secundum potentiam permutata. Si par virtus dicatur inesse, affectio illa horam rursus aliam perdurabit. Æquales enim vires æqualia faciunt. Igitur si per tantam vim permansit horam, per æqualem rursus aliam permanebit. Hora secunda expleta, similiter de virtute illa interrogabunt, par ne sit, an impar. Si impar, non stetit. Sin par, stabit quoque tantundem. Deinceps in infinitum similiter procedent, monstrabuntque naturam illam corporis, si modo horam, in horæ dimidium steterit, perpetuo permansuram. Perpetuo verò non viget corporis secundum se vllius complexio, cum breui omnes extinguantur & pereant, itaque vix momentum temporis eædem perseuerant. Et quia in eodem momento incipiunt atque desinunt, in incipiendo autem & desinendo integerrimus existendi habitus minimè possidetur, integro verò existendi actu opus est ad agendum, ideo confirmari videtur quod in superiori disputatione probauimus, non esse in qualitatibus sufficiens agendi principium. Sed vt ad quæstionem hic propositam reuertamur, si est in qualitatibus, quantum ad eas attinet, motio status omnis quodammodo expers, quonam pacto ab ea causa gigni proximè possunt, quæ tanto ab ipsis interuallo distet, vt statum habeat omnis motionis expertem? Si ab extremo ad extremum omnia per media transeunt, vt ab hyeme per ver in æstatem, ab æstate in hyemem per autumnum, certè inter qualitatem penitus mobilem, atque essentiam prorsus immobilem, necessario ponendum est aliquid quod partim immobile sit, partim etiam mobile. Itaque substantia illa qualitatum proximè genitrix, omnino immobilis esse non potest. Quid ergo dicemus? An istam quoque substantiam omnino mobilem asseremus? Minimè. Nam vel esset in genere corporalium qualitatum, in quo tamen genere sistere gradum non possumus. Vel causa quæ in genere superiore locatur, effectum suum sufficienti perfectione non excederet, si substantia quæ qualitatis est causa non minus quam qualitas vacillaret. Quocirca substantia illa partim stat, partim verò mouetur. Tria quidem in se habet & ipse, essentiam, virtutem, operationem. Quid horum stabit? quid mouebitur? operatio quidem stare non potest, si duo præcedentia permutentur. Neque moueri essentia, quin sequentia moueantur. Stabit ergo primum, scilicet ipsa essentia, mutabitur vltimum, videlicet operatio. Sed medium vtrorumque virtus quid? Stabit & ipsa partim, partim quoque mutabitur.

Super animam mobilem est immobilis Angelus.

CAPVT V.

HActenus formam quandam supra corporis complexionem inuenimus, quam rationalem animam appellabimus, cuius essentia semper eadem permanet, quod significat stabilitas voluntatis atque memoriæ. Operatio autem ex eo mutatur, quòd non simul cogitat omnia, sed gradatim, neque momento alit, auget, & generat corpus, sed tempore. Naturalis virtus manet, quia naturalis eius vigor viget perennis, neque remittitur. Virtus acquisita mutatur, quia ex potentia in actum, ex actu transit in habitum, atque conuerso. Hucusque ascendit Heraclitus, Varro atque Manilius, Cæterum altius ascendendum, siquidem forma hæc non potest esse totius naturæ principium. Perfectior enim est operatio stabilis, quę vno momento perfectissimè suum opus absoluit, quam quæ indiget tempore. Integrior est vita, quæ tota simul est vnita secum, à seipsa non distans, quam quæ per diuersa temporum momenta porrecta, secundum actus affectusque intrinse-

cos quodammodo à semetipsa distrahitur. Igitur super hanc formam, cuius operatio extrinseca vagatur per tempora, cuius vita, id est, intrinseca operatio quasi quodam fluxu dispergitur, ponenda est alia quædam forma sublimior, cuius operatio stabilis sit, cuius vita tota simul vnita. Siquidem perfecta semper sunt imperfectis anteponenda, propterea quod sicut perfecta in aliquo genere sunt illa quæ per suam naturam sunt talia; sic imperfecta sunt, quæ per se talia non sunt, alioquin essent integerrimè talia. Si itaque imperfecta non sunt per seipsa, per superiora coguntur esse. Item quod mouetur, ex potentia & ocio prorumpit in actum, & terminum aliquem sui motus ad finem expetit, quasi sibi ipsi minus sufficiet, sed illo egeat ad quod motione sua se confert. At verò super id quod ex ocio migrat in actum, existit aliquid semper quod actus plenus est atque perennis. Super id quod propter indigentiam transmutatur, existit aliquid necessariò, quod quia vel nullius vnquam indigum est, vel iam plenissimum, non mouetur, præsertim cum id quod mouetur, per appetitum proficiendi mutetur, neque possit aliter quàm melioris præstantiorisque naturæ adeptione proficere, neque habeat rem illam quam quærit, per motionem, sed post motum adipiscatur, non quidem à seipso (quid enim mutari oportuisset?) sed ab alio quodam vberiore. Quod enim sui natura caret termino, ab alio perfectiore terminandum est, res mobilis ex se caret termino, quia non quiescit in semetipsa. Ac si res quædam talis sit rerum principium, quia per operationem suam mutabilem efficiet omnia, nullus erit status in rebus. Nunc verò vsque adeo necessarius est aliquis in rebus status, vt etiam motus ipse statu non careat. Nisi enim res quæ per motum aliter atque aliter affici dicitur, maneat in substantia per aliquod tempus, eadem nec mutabit affectiones, nec variabitur paulatim, sed momento tota cessabit. Et ipsa ordinatissima cœlorum circa idem centrum eosdemque polos reuolutio. Motionum æqualitas, syderum restitutio, alicuius status est particeps. Atqui quemadmodum quod stat, stat propter vnitatem, & vnitur in statu (quod aliàs declarauimus) ita quod mouetur, mouetur propter statum & stat in motu. Mouetur inquam propter statum, id est, propter quandam motricis virtutis stabilitatem, quæ nisi in suo vigore maneret, non seruaretur ordo vllus in motu, imò neque motus vel parumper continuaretur. Rursus stat in motu, id est, perseuerat in norma eadem vel æquali vel simili motionis. Multa etiam sunt quæ & si secundum aliquam speciem motus mouentur, tamen secundum species alias non mouentur, partim ergo mouentur, partim verò quiescunt. Adde quod cum prima rerum materia sit sempiterna, quod per substantialem mutatur formam, interea tamen permanere cogitur per materiam. Itaque multo magis quod secundum quantitatem, qualitatem, locum mutatur, manere potest, imò & debet interim per substantiam. Quid plura? quod nullo pacto manet dum admittit statum, totum simul & motum amittere cogitur. Si itaque est aliqua in rebus stabilitas, non potest rerum principium mobile esse. Quare quod mobile est, non est naturæ principium. Igitur est aliquid super animam, vt anima quæ natura sua ad intelligendum & non intelligendum est indifferens, cum vicissim ab altero permutetur in alterum, per eius influxum ad intelligendum determinetur, quod in tali genere semper est actum. Tale est, quod est semper intelligens, siue semper intelligibile actu quod est idem. Præterea quicquid secundum partem tale est, per illud duntaxat tale est, quod tale secundum se totum existit, sicut lignum ex parte calidum, per ignem calescit, qui ex toto calet, quia quod tale est per naturam suam, quia calidum, sicut totum à natura propria comprehenditur, ita totum ab huiusmodi qualitate. Atque contra, quod per partem est tale, non est tale per semetipsum. Tertia verò essentia illa, scilicet anima, non est secundum se totam intelligentia. Habet enim alias quasdam naturas præter intelligentiam, expertes intelligentiæ. Ergo mens in anima, pars quidem est animæ. Pars quoque est mentis quodammodo, mentis inquam altioris, quæ tota solaque mens est. Quippè si anima mentem haberet à semetipsa in animæ substantia ratio propagandæ mentis inesset, vnde & tota anima esset mens, & mens quidem tota atque perfecta, & omnis anima mentem haberet, quia in qualibet anima ratio animæ reperitur. Et sicut mouere corpus, quia per naturam suam animę conuenit, animabus singulis inest, ita intelligendi facultas animabus inesset omnibus, etiam bestiarum, si per naturam suam competeret animæ. Ac si super naturam minimè efficacem, esse efficaciorem aliquam necesse est, & mens quæ est in anima, neq; solo sui actu vllum extra se opus efficit, neque efficaci suæ animæ potentiæ imperat, oportet super eam esse mentem suo actu alicuius operis effectricem, & efficacis potentiæ

tentiæ dominam. Merito ergo ſicut animæ caput eſt mens hæc, pars eius excellentiſſima, ſic mentis huius, quæ non ſui ipſius eſt ſed animæ, non abſoluta, ſed ad animæ huius tracta capacitatem, non clara, ſed obſcura, & quodammodo dubia, huius inquam mentis caput eſt mens quædam, quæ in ſeipſa eſt, liberaque & lucida. In quo ſanè illud Magorum enodatur ænigma, Eſt res vndique lucida, eſt res vndique obſcura, eſt media, lucida partim, partimque obſcura. In ordine corporum res vndique lucida eſt ſtella quælibet ſuper lunam, obſcurus vndique eſt aër, media Luna. In ordine verò ſpirituum mens eſt lumine plena, anima irrationalis vacua, rationalis tenet medium, partem habet intellectualis luminis, parte caret. Ac partem quam habet à Deo, ceu Luna à Sole, alias aliter accipit, mutatque figuram. Ideo merito ſuper eam eſt Angelus, qui tanquam ſtella quælibet ſuper lunam, & totus ſemper & eodem pacto ſui Solis luce refulget. Profecto vbi natura ſuperior tangit inferiorem, ibi ex infimo ſui gradu ſupremum inferioris attingit. Puta infimum ignis aëris attingit ſupremum. Natura verò intellectualis corporali eſt natura ſuperior, tangitque illam adeò, vt quod inter corpora præſtantiſſimum eſt, intellectualis ſit animæ particeps, inferiora vero quæ plurima ſunt, nequaquam. Præſtantiſſima vero corpora ſunt apud Platonicos cœlicolarum, dæmonumque, & hominum. Sed nunquid mentes quæ corporibus huiuſmodi tributæ ſunt, mentium altiſſimæ ſunt? Nequaquam, alioquin natura inferior, ſuperioris abſque medio ſummum conſequeretur Ergo quemadmodum ſub corporibus mente præditis quam plurima corpora ſunt expertia mentis, ita ſuper mentes corporibus inſitas quam plurimæ mentes ſunt nullis attributæ corporibus, atque etiam multo plures ſunt quam corporum ſpecies, quoniam (vt alias oſtendemus) rationales animæ inter æternitatem tempuſque ſunt conſtitutę. Æternitatis verò excellentia videtur exigere, vt plures in ea quodammodo ſpecies perfectioneſque quam in tempore ſint. Mitto (quod alias demonſtrabimus) interuallum inter animas primumque principium, infinitum eſſe ſed ſpatium inter ipſas atque materiam, eſſe finitum, vt nemini mirum videri debeat, ſuper animas plures admodum angelorum gradus, quam gradus formarum infra animas eſſe poſſe. Præterea quando ex duobus fit vnum & alterum illorum quod minus perfectum eſt, reperitur alicubi per ſe manere ſeorſum ab altero, multo magis alterum illud perfectius, & minus egenum, eſſe alicubi ſine altero poterit. Fit autem animal vnum ex intellectuali ſubſtantia, id eſt anima rationali, & corpore. Corpora multa videmus ſine huiuſmodi intellectu eſſe ac viuere. Quid igitur prohibet eſſe mentes plurimas corporibus non vnitas? Tales quidem erunt ſuper animas quæ ſunt vnitæ corporibus. Proinde mentes coniunctæ corporibus, quatenus tales ſunt, ſpeciem animalis ſolæ non complent, ſed compoſitæ ſpeciei ſunt partes, atque (vt plurimum) vt intelligant, in ea quæ ſenſibilia ſunt, aſpiciunt, quare & imperfectæ quodammodo ſunt, & imperfectè agunt. Si igitur ab imperfectis in quolibet genere, ad perfecta quæ priora natura ſunt, eſt aſcendendum, conſequens eſt vt ſuper coniunctas mentes ad ſeparatas ratio nos perducat, quæ & ſpecies ipſæ ſufficienter ſuas compleant, & intelligendo ad illa quæ per ſe intelligibilia ſunt, aſpiciant. Mens ipſa, quia per intelligentiam & voluntatem, non neceſſariò dependet à corpore, & naturaliter formas ſeparat, atque circa ſeparatas verſatur, & quiete potius quam motu proficit, per naturam eſt à corpore motuque libera. Idcirco magis naturæ ſuæ conuenit vt viuat ſeorſum à corpore motuque, quam vt viuat in corpore atque motu. Multæ tamen mentes in corporibus mobilem vitam ducunt, quare multò magis, & multo plures immobilem vitam agunt abſque corporibus. Quis neget incorporeæ ſubſtantiæ ſecundum generis ſui naturam conuenire magis vt extra corpus ſit, quam vt in corpore, ideoque plures illius ſpecies à corpore ſeiunctas quam coniunctas eſſe debere? Quod enim generi cuilibet naturalius eſt, id in eo exiſtit vt plurimum. Tales quidem ſunt Angeli, qui ſi corpora mundi mouent, ipſi, motis corporibus nullo modo mouentur.

Animę tamen dum corpora transferunt, ipſæ quoque feruntur. Motor qui vna cum moto corpore peruagatur, perpetuum ſtabilemque tenorem & ordinem mouendi non ſeruat, niſi præſit illi motor immobilis. Ideo mundanæ reuolutionis perpetuus ordo teſtatur eſſe aliquos ſuper animas motores immobiles. Elementa quoniam ex fluitante materia conſtant, ſeque mutuo ſemper inficiunt, nullum ex ſe ordinem obſeruarent, niſi à lege cœleſtis motus ordinatiſſima regerentur.

Cum vero & cœlum per se sit perpetuò immobile, ideoque indigum, ordo in suo motu stabilis non ex ipso prouenit, sed à superno motore prorsus immobili, atque indiuiduo. Non enim in rebus tam diuersis mobilibusque stabilis vnio perseuerat nisi à stabilissimo & vnitissimo cardine, qui tandem ad vnitatem ipsam statumque refertur. Sanè sicut mobile se habet ad mobile, ita motor etiam ad mototem. Ergo sicut elementum quod mouetur mobiliter, ad cœlum quod mouetur stabiliter, sic motor cœli mobilis variusque ad motorem stabilem vnitumque, stabile denique & vnitum ad statum ipsum vnitatemque reducitur. Profectò motorem sequitur actio illa quæ mouere dicitur, actionēque hanc sequitur illa passio quæ moueri, neque fit contra. Non enim priora à posterioribus ducuntur, sed conuersò. Potest igitur multo magis esse alicubi actio illa quæ dicitur mouere, sine passione illa quæ est moueri, quam passio huiusmodi seorsum ab actione. Tamen passio talis in corporibus est seorsum ab actione. Igitur alicubi erit actio procul à passione, vt sicut corpora mouentur quidem, non mouent, sic Angeli moueant, non moueantur, de quibus inquit Zoroaster.

ὤπῶς κόσμος ἔχει νοερὸς ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς,

Id est, Mundus habet intellectuales rectores immobiles. Igitur sicut qualitates omnino mobiles antecedunt animæ, partim mobiles, partim immobiles, sic animas antecedunt omnino immobiles Angeli. Angelos esse, atque esse multos Aristoteles in libro 11. Diuinorum ita probat. Motum cœli continuum, ordinatum, & quantum in se est, indeficientem oportet à motore fieri, qui neque in se neque per accidens moueatur. Cum vero motus huiusmodi in cœlo sint multi, inter se discreti, specieque & virtute diuersi, oportet eos à pluribus eiusmodi motoribus fieri, qui videlicet neque corpora sint, ne cogantur dum mouentur, ab alio interim ipsi moueri, atque ita in infinitum necessariò procedatur. Neque rursus formæ in corpore, ne eas vnà cum moto corpore moueri contingat. Oportet enim ad motorem perfectissimum id est immobilem peruenire, ne in motibus vlla vnquam transgressio fiat. Motores eiusmodi, mentes sunt, siquidem in formis à materia omnino solutis intelligibile atque intellectus est idem. Hæc Aristoteles. Hebræi, posterioresque Philosophi mentes illas Angelos, nuntiosque nominant, quorum præcipuos non esse pauciores quam decem, alicubi disputat Auicenna, alibi vero multo plures significare videntur. Aristoteles autem haudquaquam pauciores esse quam cœlestes motus, cum quo numerum probabili se ratione computauisse fatetur, quod autem necessarium sit sapientioribus se dimittere. Quasi qui suspicabatur, ne forte mentes illæ secundum actionem suam propriam præcipuamque id est intelligentiam, potius quam secundum actionem communem atque posteriorem, id est motum essent dinumerandæ. Præterea cum illæ sint motionum fines, forte vaticinabatur non esse ad motionum numerum numerandas. Atque posse mentes esse quamplurimas, quæ non sint mouendis corporibus distributę.

Quamobrem non iniuria Angelos esse penè innumeros & supra significauimus, & in præsentia sic ostendimus. Si species rerum naturalium in materia, quamuis in subiecto, angustæque sint, tamen inter se non per subiectum, sed per se distinguuntur, atque in numerum quamplurimum dilatantur, multo magis substantiæ ipsæ quæ super materiam in seipsis viuunt, per seipsas distinctæ sunt, atque mira quadam absoluti generis sui fœcunditate in species quasi innumeras prorsus amplificatæ. Præterea intelligibile genus suapte natura magis multiplicabile quàm corporeū esse videtur. Siquidem numeri, dimensiones, figuræ, proportiones, raritas corporum, velocitas motionum, in ipsis corporibus semper terminata sunt, in mente autem absque termino pro arbitrio protenduntur. Rursus quæ in materia particularia sunt, in mente vniuersalia fiunt. Denique intellectus vltra corpora cuncta, alia pro arbitrio innumeratam incorporea quam corporea cogitat.

Cum ergo intelligibile genus magis admodum quam sensibile amplificari possit, potentiaque tam bona in vniuerso semper inanis esse non debeat, proculdubio iam actu sunt substantiarum species separatarum, multo plures, quam species corporalium, præsertim cum potentia præstantior, & magis & prius in vniuerso actum sibi suum adsciscat, quam debilior. Denique vniuersi ordo cum sub infinito bono quam optime dispositus sit, exigere omnino videtur, vt quæ in ipso sunt meliora, quatenus fieri potest, super deteriorum quantitatem multiplicentur, præcipuè cum inferiora superiorum gratia sint constituta. Quod quidem in ipsis mundi sphæris manifeste videmus. Quo

enim mobilior sphæra est, eo & amplior, adeo vt terra & aqua si ad superiora conferantur, quasi punctum ad circunferentiam sese habere putentur. Quod autem in corporibus est dimensio, id in rebus incorporeis numerus esse videtur. Quapropter consentaneum est, vt intellectuales substantiæ, vtpote quæ optimæ sunt, ac per se existunt, finesque sunt corporalium omnium quæ illarum gratia sunt procreata, longè plures numero sint, quàm & sphærarum motus, & corpora omnia, quod Dionysius Areopagita testatur, dicens plura esse intellectualium species separatas, quam corporalium. Meritò potentissimus vniuersi creator opus sibi suum quam simillimum reddere & potuit & sciuit, & voluit. Simillimum verò in huius imperio potissimum procreauit, quod absolutas mentes (quæ ipsi omnium simillimæ sunt) vltra coniunctas materiæ formas, immenso (vt ita dixerim) spatio dilatauit. Hinc illud Danielis Prophetæ: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebani ei. In distinguendis autem ordinibus angelorũ Dionysius ternario nouenarioque numero in primis, necnon interdum septenario vtitur. Quinetiam duodenarium in Christianorum mysteriis reperimus. Idem & Iamblichus Proculusque Platonici post Dionysium obseruarunt. Supremos enim & medios Angelos, ternario, & nouenaria diuidunt, sequentes autem septenario, postremos vndique duodenario ordinum numerò partiuntur. Quoniam vero apud Platonicos gradus corporum sunt rationalium animarum vmbræ, animarum vero gradus sunt imagines Angelorum, idcirco nonnulli angelorum ordines secundum ordines corporum simul animarumque distinguunt. Sed de his aliàs.

Super Angelum est Deus, quoniam anima est mobilis multitudo, Angelus multitudo immobilis, Deus immobilis vnitas.

CAPVT VI.

Angelum prorsus immobilem esse Platonici arbitrantur essentia, virtute, actione, quoniam semper sit idem, æquè possit, intelligat semper, omnia simul, & velit eadem, & quantum in se est, agat subitò quicquid agit. Hæc Platonici. Quid vero dicant alij, alias dicam. Nondum tum quiescere hic cum Anaxagora & Hermotimo ratio nos permittit, sed altius iubet ascendere. Porro anima, quia mobilis est, ab alio pertransit in aliud. Igitur aliud in se habet, & aliud. Quod hæc habet, habet & multitudinem. Quapropter anima in seipsa multitudo quædam est, multitudo inquam mobilis. Angelus qui proximè hanc antecedit, esse nequit immobilis vnitas, quia duæ quædam huiusmodi res, quarum vna sit mobilis multitudo, & altera immobilis vnitas, longissimè inter se distare videntur. Vnitas siquidem multitudini opponitur, immobile mobili. Quoniam ergo res illæ ab omni parte inuicem opponuntur, proximè sibi non succedunt, sed medio quodam indigent copulante. Animam vero ipsam, quæ est mobilis multitudo, Angelus absque medio antecedit. Ideo non potest Angelus esse immobilis vnitas, ne duo extrema sine medio coniungantur. Immobilis certè est, vt supra probauimus, ergo non vnitas. Restat vt sit Angelus immobilis multitudo, vbi cum anima conuenit in eo, quod ipse multitudo est, sicut & illa. Discrepat autem, quia illa est mobilis, hic immobilis. Multitudinem certò aliquam ponere in Angelo cogimur. At qualem? Qualis conuenit intellectui, hoc est, vt essentiam habeant, atque esse, vim intelligendi, intellectionis actum, rerumque intellectarum species plurimas. Cum vero Angelus non sit simplex omnino, sed habeat numerum, super numerum autem vnitas esse debeat, quia vnitas est numeri totius origo, & vnione non indiget, multitudo autem natura sua indiget vnione, necessarium est super Angelum esse aliud quiddam, quod non modo immobile sit, sed vnum penitus atque simplex. Ille quidem est Deus, tanto rerum potentissimus omnium, quanto est omnium simplicissimus. Siquidem in simplicitate consistit vnio, in vnitate potestas. Deum nemo dicere audeat ex pluribus esse compositum, quia si modo rectè compositus fuerit, ex aliquo constabit quod erit tanquam subiectum, & aliquo quod erit tanquam forma. Itaque non erit Deus vndique perfectissimus, cum in eo sit pars altera imperfectior ipso toto. Non erit agens summum, quia non per se totum aget quicquid aget, sed per partem alteram, id est, formam. Non erit beatissimus, quia non fruetur vbique seipso. Non enim se totũ in membro quodlibet complectetur. Videbit autem in se aliquid aliud præter Deũ, quoniam non idem pars est, & totum. Beatior certè futurus est, si quicquid ipse videbit in se, sit ipse, nusquam sibi desit, sed sibimet totus occurrat vbique. Denique pars illa quæ ponebatur in Deo quasi subiectum,

quia ſecundum ſe cogitatur in formis, ſeipſam formare non poteſt. Pars inſuper altera quæ vicem formæ gerebat, quia non conſiſtit in ſe, multo minus ex ſe poteſt exiſtere, formabitur ergo Deus iſte compoſitus à forma quadam ſuperiore, atque illa potius erit Deus. Hæc autem eſt prima diſcurſio per quam probamus ſuper Angelum eſſe Deum. Præterea quemadmodum ſe habet tuus oculus ad corpus tuum, ſic tua mens ad animam tuam. Eſt enim mens tua animæ tuę oculus. Rurſus, quemadmodum ſe habet lumen Solis ad oculum corporis, ſic veritatis lumen ad animæ oculum. Itaque ſicut oculus corporis non eſt lumen, ſed virtus luminis capax, ita mens quæ eſt oculus animæ, non eſt veritas, licet capiat veritatem. Mens enim tua veritatem quærit. Non tamen quærit ſeipſam veritas, neque admittit veritas falſum, per quod ſæpe tuus animus fallitur. Finge animo, oculum tuum vſque adeò excreſcere, vt totum occupet tuum corpus, & ſublata varia membrorum ſpecie, vniuerſum corpus vnus ſit oculus. Si amplius hic oculus videbit quicquam, non aliud certè videbit, quàm lumen idem Solis, quod anguſtus dum erat, proſpiciebat. Verum accipiet lumen idem vberius, & colores corporum in ipſo lumine conſpiciet vndique, vno proſpectu ſimul omnes, neque vertetur huc aut illuc vt videat, ſed quieſcendo omnes pariter contuebitur.

Aliud tamen adhuc lumen erit, aliud oculus. Si enim viſus ad lumen comprehendendum eſt inſtitutus, aliud viſus eſt, aliud lumen. Et lumini nihil eſt opus viſu, cum ipſi lumini nihil ſit luminis capiendum. Finge iterum mentem tuam vſque adeò ſuper animam inualeſcere vt deletis reliquis animæ partibus ad phantaſiam, ſenſum, generationemque pertinentibus, tota anima mens vna ſit atque ſola, hæc mēs ſola puraque relicta, Angelus erit. Hæc inquam mens ampla eandem veritatem intuebitur, quam anguſta mens viderat, ſed accipiat illam vberius, atque in ea res omnes veras vnico intuitu conſpiciet, vt Platonicè loquar, neque modò vnam aucupabitur, modò aliam. Aliud tamen adhuc mens erit, aliud veritas. Quod ſic aperit Zoroaſter.

Μάνθανε τὸ νοητὸν, ἐπεὶ νόου ἔξω ὑπάρχει,

Id eſt, Scito intelligibile ipſum eſſe extra mentem. Quippe ſi ad veritatem percipiendam inſtituta mens eſt, aliud eſt mens indiga veritatis, aliud veritas. Neque ipſi veritati opus eſt mente, per quam capiat veritatem. Atqui ſi ipſa mens idem eſſet atque ipſa veritas, mens quælibet veridica eſſet, & omne verum particeps foret mentis. Nunc autem & mentes humanæ falluntur, & multæ res veræ ſunt quodammodo, quæ mente carent. Veritas non modo aliud eſt quam mens, ſed & ſuperius aliquid. Eget quippe mens veritate, veritas mente non indiget. Ac latius ſe fundit veritatis quam mentis imperium. Ars enim intellectualis in formis ſingulis inuenitur, in materia verò informi nequaquam.

Verè tamen materia dicitur, & omnium naturalium reuera ſubiectum. At verò ſi veritas eſt ſupra mentem, & quod ſuperius eſt, non caret bonis inferioribus, non deeſt mentis perſpicacia veritati. Neque tamen duo quædam ſunt in ipſa, perſpicacia videlicet, atque veritas, ſed ſimpliciſſima veritas ſeipſā minime latens, perinde ac ſi lumē quāuis non habeat oculum à ſe diſtinctum, tamen non lateat ſemetipſum. Eſt enim Deus perſpicaciſſima veritas, & veriſſima perſpicacia ſiue perſpectio, lux ſeipſa videns, viſus ſeipſo lucens, intellectualis perſpicacię luminiſque fons, cuius lumine, & cuius lumen duntaxat mentis perſpicacia perſpicit. Et ſicut lignū per participationem quandam calidum dicitur, ignis vero ſecundum formam calens, Sol denique excellentiori modo ſecundum eminentem virtutem, cauſamque caloris, ſic anima mentis partem, Angelus mentis formam habet. Deus eſt efficaciſſima mentis origo, atque, vt more Plotini loquar, Deus ipſa intellectio eſt, non in aliquo intellectu tanquam potentia, non veritatis velut obiecti, ſed in ſeipſa, ſuique ipſius exiſtens, quemadmodum ſi viſio neque eſſet in viſu aliquo, neque luminis alieni viſio eſſet, ſed in ſeipſa maneret, ſuique ipſius viſio foret. Vbicunque enim intellectus, quaſi intelligendi potentia ponitur, etiam ſi intelligat ſemetipſum, tamen qua ratione intelligibilis eſt, prior quodammodo ſeipſo dicitur, qua ratione intellectualis conſideratur. Intelligibile enim tanquam prius atque præſtantius, intellectualem virtutem quaſi poſteriorem inferioremque mouet, & format & perficit. Idcirco quidam Deum potius ſiue intelligibilis, ſiue intellectionis quam intellectus nomine nuncupant, quanquam hæc etiam nomina Deo haud propria omnino ratione conueniunt. Sed de his aliàs. Accedit ad hæc, quod animæ opus eſt vitalem motum præbere (ſiquidem ipſa, vita quædam eſt)

mentis autem opus ordinare per formas. Ipsa enim species quædam est, & secundum species operatur, quod in nostra mente conspicimus. Vitalis ille motus per omnia viuentia funditur, rebus carentibus vita non competit. Ordinatio vero per formas, conuenit rebus etiam non viuentibus. Hæ siquidem ordine specieque non carent. Tanto autem interuallo mens animam superat, quanto latius funditur formarum ordo quam vita.

Quoniam vero vltra formarum ordinem est prima illa in formis rerum materia, in qua latent quædam (vt ita loquar) formarum pullulantium semina, mentis munus quod terminatur formis, hæc informia non complectitur. Ipsa tamen materia bona est quodammodo, quia boni id est formæ appetens, quia ad bonum suscipiendum exposita, quia bono necessaria mundo. Semina quoque sunt bona, quia sunt formarum bonarum inchoationes. Tanto saltem interuallo bonitas mentem superat, quantò longius boni quam speciei tendit largitio. Quo enim res quæque potentior est, eo longius operatur. Accedunt ad hæc huiusmodi rationes. Omnia bonum appetunt, mentem verò non omnia, non enim assequi mentem & sapientiam omnia possunt, ideoque multa sunt quæ eam, non appetunt, ne frustra appetant. Si omnia appetenda conuertuntur ad bonum non ad mentem omnia, & quò conuersio rerum est, illinc est & profectio, omnia à bono procedunt, non à mente, quare bonum potius quam mens est causa prima rerum.
Rursus, quæ mentem habent, nondum tamen cessant, sed adhuc bonum quærunt. Mentis enim proprium est nixus quidam ad intelligendum. Aut post hunc nixum deterius se mens habet, aut melius, aut æquè. Non deterius, quia operatio ipsa perfectio quædam est, & ad deterius nihil nisi aut vi, aut inscitia labitur, quorum neutrum in ipsam cadit mentem puram & liberam. Non æquè, frustra enim nititur, quod nihil proficit: & nihil ad id quod habet, adnititur. Ergo vt melius se habeat, conatur, non igitur ipsum bonum est, nihil enim bono melius. Sic mens intelligendo haurit bonitatem, aliunde autem haurit. Si enim in se haberet, non esset nixu opus, vt operando proficeret, Illud vnde haurit bonitatem, ipsum bonum est, quod & super eam extat, cum in eam perfectionis suæ liquorem infundat. Quinetiam sapientiam mentemque solo petimus rationis impulsu, bonum vero etiam ante omne rationis incitamentum, omnisque noster appetitus semper est ad bonum, non omnes semper ad mentem, & intelligentiam ratione boni appetimus, non conuerso. Pluris ergo natura facit bonum, quam mentem, cum & prius & sæpius & potius trahat ad bonum. Vnde nonnulli satis in Philosophia habere se putant, si sapientiam videantur habere, etiam si non habeant, non tamen satis in vita, nisi reuera id possideant quod sibi precipuè iudicant esse bonum.

Si bonum naturali instinctu preciosius mente censetur, censetur & eminentius. Hinc fit, vt id quod intelligere est, non sufficiat nobis, nisi & bene & bonum intelligamus. Sæpe enim ad tempus cognitionem respuimus, si eam suspicamur nobis malam fore atque molestam. Bonum verò ipsum respuere nunquam possumus. Sæpe etiam rerum speculationi anteponimus voluptatem, ipsi autem bono, qua ratione bonum est, nihil vnquam possumus anteponere. Nihil magis necessarium est, quam incitamentum boni, cum bonum ipsum nullus possit nolle. Nihil magis voluntarium est, quam boni incitamentum. Nam propter bonum omnia, imò bonum in omnibus vbique volumus, tam libenter, tanquam iucundè, vt velimus insuper non posse nolle. Cum ergo in bono summa necessitas cum summa libertate concurrat, bonique imperium summopere necessarium sit subiectis, & summopere voluntarium, constat hinc omnia tanquam à patre originem ducere, atque huc omnia tanquam ad patriam adspirare.



THEOLOGIAE PLATONICAE,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM.

EODEM FICINO AVTHORE,

LIBER SECVNDVS,

Vnitas, veritas, bonitas idem sunt, & super ea nihil est.

CAPVT PRIMVM.



Ribus iam argumentis ostendimus esse aliquid super Angelum. Primò quidem esse monstrauimus super ipsum, simplicissimam vnitatem, secundò veritatem, tertiò bonitatem. Tria hæc vnum sunt. Nihil enim aliud est summa vnitas quam summa simplicitas. Propter hanc vnitatis simplicitatem, res quælibet pura veraque est. Verum quippe vinum est, quod purum est vinum. Sic veritas rerum in simplici illa vnitate consistit. Atque propter eandem simplicem puramque vnitatem res quælibet sunt bonæ. Quodlibet enim tunc se habet bene, quando sibi ipsi atque principio suo vnitum est, purum que manet, neque rebus deterioribus commiscetur. Ac si in rebus circa idem consistit vnitas rerum, veritasque, & bonitas, meritò super ipsas idem est primum ipsum vnum, verumque & bonum. Quod in iis sit rerum principium, illud argumento est, quod horum vestigia in cunctis reperiuntur, quasi ab his cuncta manauerint, & omnia hæc cupiunt, vtpote quæ suum principium repetunt. Singula enim vnitatis, veritatis, bonitatis, & participia sunt, & auida. Super vnitatem nihil est aliud, quia nihil est vnitate potentius, quandoquidem vnio perfectionem cunctis præstat, atque potentiam. Verum super eam si vis vt sit aliquid, duo statim sequentur absurda. Si enim vnitas sub aliquo est superiore principio, certè superioris illius particeps. Inferiora enim à superioribus causis semper aliquid capiunt. Sic non erit hęc vnitas ipsa, sed aliquid ex vnitate quadam & vi supernè accepta compositum, eritque multitudo quędam, non vnitas. Ac etiam quod vnitati præponitur, nullius erit particeps vnitatis. Nam superius principium ab inferiori quo ad naturã suam suscipit nihil Igitur erit aut nihil, aut multitudo omniũ penitus vnione priuata, cuius nulla pars vnum aliquid erit. Neque tota multitudo erit vna, neque vlla inerit communio partibus vel ad se inuicem, vel ad totum. Rursus super veritatem est nihil. Nam simili ratione hæc non esset veritas ipsa, sed verum aliquid ex veritate quadam & superioris illius portione compositum. Et illud quod super eam locatur, cum neque sit veritas, nec particeps veritatis falsum est penitus, atque nihil. Neque esse potest veritate præstantius, nisi per veritatis vim verum proculdubio sit, illud esse præstantius. Similiter super bonitatem non est aliquid. Nã & hæc non pura esset bonitas, sed bonum aliquid, ac bonitas quædam commixtione alterius, inquinata. Et illud quod bonitati præponitur, penitus erit malum. Non enim bonum erit, cum sit vltra terminos bonitatis. Neque melius bonitate, cum nihil nisi per maiorem bonitatis portionem sit melius.

Quomodo autem malum excedat bonitatem, non video, cum excessus atque imperium ad bonitatem pertineant, sunt enim appetibilia tanquam bona. Ergo malum per naturam bonitatis superabit bonitatem, & bonitas malo vim præstabit imperii. Præterea si est aliud rerum principium super ipsam bonitatem, ipsum certè aliquod ex se munus rebus impertiet, sicut omnis causa superior solet. Porrò bonitas ipsa munus suũ impertit omnib⁹, id est, vnicuique aliquam bonitatem. Quærimus autem de illo munere quod à superiore descendit principio, vtrum sit bonitate donata melius, necne. Melius quidem esse nequit. Quicquid enim melius dicitur, maiori bonitatis portione melius appellatur. Tamen absurdum est, superioris principii munus non esse melius inferioris causæ munere. Accedit quod cum omnia bonum appetant, si sit aliud principium super ipsum bonum, interrogamus vtrum ipsum appetant, an non. Si appetere dicantur, sequitur quod aliquid expetunt vltra & plusquam bonum. Si negentur illud expetere, stultum id quidem dictum, quod effectus causam primam, qua seruantur, non appetant. Quinetiam ipsa bonitas superius principium cupere compelletur, quod absurdum est. Nam omnis ratio appetendi ipsa clauditur bonitate. Nihil igitur super bonitatem extat, quod amari queat. Nullum ergo est principium super ipsam. Quamobrem ipsa vnitas, veritas, bonitas, quam inuenimus super Angelum, ex mente Platonis, omnium est principium, Deus vnus, verusque, & bonus.

Non sunt dij plures inter se æquales.

CAPVT II.

PRofectò dii plures non sunt, quia nequeunt plura esse principia. Verùm sint (si placet) dii gemini, duo scilicet totius mundi principia, hoc & illud. Quærimus nunquid hoc sub illo sit, an sub hoc illud, an æqualia vtraque? Si alterutrum sub altero sit, quod præerit, planè erit principium, alterum minime. Si æqualia sunt, interrogamus, vtrum omnino inter se differant, an omnino conueniant, an partim differant, partim vero conueniant. Primum non concedetur. Nam saltem in eo conueniunt, quod vtraque sunt, aguntque & rerum principia æquè dicuntur. Ac si nullo pacto congruerent, nulla esset in machina mundi concordia. Si secundum illum admittimus, quod omnino conueniant, non duo sunt iam, sed (vt cupimus) vnum. Sin detur tertium, quòd partim congruant in natura, partim discrepent, tunc sanè quia nequeunt per idem consentire & dissentire, vna quædam inest natura communis vtrisque, per quam conueniunt, duæ præterea in duobus illis naturæ propriæ vltra communem naturam, naturam, per quas discrepant. Ergo neutrum illorum erit simplex, sed vtrunque ex communi natura & proprietate compositum. Neutrum erit primum, quia pendet ex illo qui partes inter se diuersas conciliauit in vnum. Neutrum per se sufficiens, cum & totum egeat partibus, & alia pars egeat alia. Neutrum potentissimum, cum non sit prorsus vnitum. Atqui illa natura communis per quam vtriusque æqualem vtraque habent hoc, vt sint æquè principia, principium erit potius quam illa duo. Imò illud erit principium, quod illis inter se diuersis naturam dedit communem. Nam vna hæc natura quæ in aliis iacet, & aliorum angustiis circunscribitur, ab ipsa profluit vnitate, quæ in seipsa consistens nullo limite coarctatur. Sic ergo natura illa communis & vna vtrisque prouenit aliunde, & ab altiori principio. Quin etiam naturæ illę duæ propriæ per quas differũt, extrinsecus illis adueniunt. Nam præter illas nihil reliquum est in vtrisque, nisi natura communis & vna, à qua si absolutè nascũtur naturæ illę propriæ quę duę adiiciuntur, non amplius erunt diuersæ, vt Metaphysici arbitrantur, sed vna eademque erit vtriusque proprietas, eadem vena scaturiens, scaturiet enim per absolutum meræ naturæ modum, & refluet intro. Si itaque duæ illis insunt absolutæ proprietates, necessariò accedunt extrinsecus. Quapropter vtrunque essentiæ suæ proprietatem accipit aliunde. Et quia propriam sui naturam aliunde sortitur vtrumque, neutrum per se existit, sed fit à principio altiore. In quolibet autem rerum genere illud quod est generis illius summum, vnum est duntaxat. Si enim sunt duæ summæ luces, vtraque in eo quod summa lux est, conuenit, atque est vnum, Quod si etiam duo quædam sunt, per aliam naturam potius quam per lucem differunt. Ergo alia insuper adest natura à luce diuersa, cuius contagione lux fiat opaca, neque sit summa. Sic & summus calor est, qui frigori aut aliis non miscetur, quia si miscetur, vtique impeditur, & vehementior fieri potest, si modo purgetur. Itaque summum in quouis genere, & vnum est

solummodo, & vnius duntaxat illius naturæ. Puta summa lux, & vna est, non duæ luces, & sola lux est, non lux simul & aliud quiddam. Deus summum est rerum omnium, Vnus ergo est Deus, & simplex, nempe vna summa vnitas, vna summa veritas, atque bonitas, Deus vnus. Vnus inquam apud Platonicos triplici ratione. Primò, quia summa est vnitas. Nam quodlibet summum est vnicum, quid magis vnicum est quàm summa vnitas? propria quælibet rerum innumerabilium multitudo ad propriam redigitur vnitatem, multitudo innumerabilium hominum ad vnam humanam speciem, Equorum ad vnam equinam, similiter aliorum. Accipe deinde omnes proprias vnitates, quæ certo sunt numero terminatæ, id est, rerum species, easque ad vnam communem collige vnitatem, scilicet Deum principem specierum, vt sicut multitudines singularium infinitæ ad finitas vnitates specierum, sic vnitates specierum finitæ ad vnicam super species vnitatem referantur. Par est vt sicut proprius quisque rerum ordo ad proprium sui principium vnum dirigitur, sic vniuersus ordo rerum ad vnum referatur vniuersale principium, & sicut singulæ materiæ ad materiam vnam, omnia membra mundi ad vnum corpus, sic omnes mundi naturæ ad naturam vnam, omnes mundi vitæ ad vnam vitam, omnes motus ad vnum motum, omnes motores ad vnũ mundi motorem. Porrò quando plura quædam, & inter se secundum naturam diuersa, ordine quodam vno mutuoque conspirant, necessarium est vt ordo huiusmodi in illis sit propter ordinem quem ad vnum aliquid habeant, qualis est ordo partium exercitus inuicem, quæ est propter ordinem totius exercitus ad ducem vnum. Nam quod alia quę diuersa inter se sunt, nanciscantur hoc, vt communione mutua vniantur, non prouenit ex propriis eorum naturis, per quas sunt diuersa, nam ex iis potius disiunguntur. Neque etiam prouenit ex diuersis quibusdam ordinatoribus. Hi sanè per naturas eorum discrepantes, prout discrepant, ad vnum ordinem non incumbunt. Atque ita ordo ille plurium mutuus, vel casu contingit vel ab vno ac primo ordinatore est institutus ad vnum finem omnia dirigente. Omnes verò partes mundi, quamuis diuersæ, ordine mutuo conciliantur, quia vnum constituunt corpus, mutuant inuicem naturas, & mutuantur. Inferiora corpora per superiora mouentur, superiora per naturam incorporalem. Neque casu contingit hic ordo, quia idem semper & similis est, quia similem semper retexit telam, atque similiter. Deus igitur mundi vnius ordinator est vnus. Vnus inquam prima Platonicorum ratione, quia est vnitas. Est etiam vnus secunda eorundem ratione, quia est veritas. Summa enim veritas vna est. Nam si duæ summę veritates esse dicantur, aut vna earum habet quicquid habet altera, aut non. Si primum datur, vna est, non duæ. Si secundum, neutra est summa. Deest enim isti illud veritatis quod in illa est, & illi quòd est in ista. Iterùm est vnus Deus tertia ratione Platonicorum, quia summa est bonitas. Summa quippe bonitas, quicquid boni reperiri vsquam potest, complectitur. Ergo si duas induxeris bonitates summas, quicquid boni in vna est, est & in altera, alioquin neutra esset summa, & secundum boni ipsius naturam vnum sunt, non duo, neque est aliquid aliud illis admixtum præter bonitatis naturam, quia alioqui summæ non essent, sed inquinatæ. Vnum igitur sunt omnino. Denique si dii duo sunt, & vterque potest æquè mundum hunc totum efficere, aut neuter faciet mundum, ac frustra erit in vtroque potentia, neque vsquàm mundus erit, aut alter creabit mundum, ac frustra erit in altero potentia generandi. Aut generabit vterque totum, atque ita duo erunt mundi æquales omnino inuicem & simillimi, quorum alter sufficiet, superfluus erit alter. Sin alter totum valet conficere, alter verò solummodo partem, qui non valet totum conficere, non est Deus, & frustra generabit mundi partem, quam alter simul cum toto fabricat mundo. Si autem vterque ad dimidiam mundi partem creandam vim habet, neuter cunctorum erit principium. Et quia illæ partes in vno toto ad vnum finem concurrunt communione naturæ, oportebit binos illos Deos ad Deum vnum referri superiorem, vt motus ad vnum, qui fit per duos, ducatur ex communione duorum ab vno quodam superiore deducta. Quod si quis asserat, à diis geminis duos construi mundos omnino inter se diuersos atque dissimiles, cogetur fateri tum Deos illos tum mundos nullo modo inter se conuenire. Quo igitur pacto aut vterque illorum est, atque est Deus vnus? viuit, intelligit, operatur? aut vterque istorum est mundus vnus, opus, & corporale? Itaque conuenient mundi gemini inuicem. At vna natura in qua conueniunt, ab vno tandem principio trahitur, non duobus. Rursus si dij ambo eundem semper finem appetant, aut alter

erit ab altero, aut vterque ab vno superiore, aut saltem in vna substantia ambo. Nisi enim ita congruerent, ad eundem finem minimè conspirarent. Vtcunque sit, vnus solus est Deus. Sin opus idem semper alter vult, alter non vult, sequitur opus illud & fieri simul, & non fieri, esse, atque non esse, si modo æque valet huius Dei velle, atque illius nolle. Ille enim solus esset Deus, cuius semper præualeret affectus. At si modo consentiant inuicem, modo dissentiant, & nunc huius, nunc illius conatus exuperet, est vterque mutabilis. Neque assentiendum est Manichæis Gnosticisque Philosophis duos esse deos asseuerantibus, quorum alter sit bonorum omnium author, alter verò malorum. Nam sicut Deus qui bonorum est author, suum bonum est, mali totius expers, ita contrarius, summũ malum, omni bono priuatum. Hic igitur neque aget quicquam neque cognoscet, neque viuet, neque erit omnino. Siquidem esse, viuere, cognoscere, bona expetendaque sunt.

Non sunt dii plures, alius super alium sine fine.

CAPVT III.

CÆterum concedet forsitan nobis aliquis esse quidem Deum super Angelum, & vnum esse Deum, ita vt non sint dij plures æquales inuicem, esse tamen Deum alium super alium sine fine. Hoc licet arbitremur ex superioribus confutatum, aliis tamen rationibus clarius refellemus. Si dij sic innumerabiles sint, erunt rerum causæ infinitæ, sed gradatim innumerè superantes, siquidem ipsi dij rerum causæ sunt, & innumerè alij aliis præponuntur. Si ita, erunt quoque effectus in mundo innumerabiles. Quælibet enim causa suum aliquem in rerum ordine producit effectum, atque sicut causæ se inter se superant, ita se superat & effectus. Igitur infiniti erunt effectus in descendendo, & innumerè deficient sub se deinceps, si causæ sint infinitæ innumerè se superantes. Et cum superior causa semper longius virtutem suam in producendis effectibus iaciat quam inferior, in infinitum erit iactus effectuum, si causarum fuerit infinitus ascensus. Hoc quam absurdum sit, quis non viderit? Primò quidem, si non sit in rebus primum aliquid, non erunt sequentia vlla. Cuncta enim trahuntur à primo, quod quidem si nusquam extet, non erit vnde effluxus rerum aliunde fluentium vnquam exordiatur. Deinde videmus in rebus alias esse aliis perfectiores, perfectionisque virtutem ascendendo crescere, decrescere descendendo, quo fit, vt vis naturalis rerum descendendo sensim debilitetur. Vnde cogitur alicubi omnino deficere, postquam minuitur paulatim. Ideoque non potest res alia esse sine fine sub alia. Itaque non erunt effectus innumeri. Non erunt igitur innumeræ causæ. Siquidem eo ipso quod ascendendo crescit perfectio, perspicuè constat, illam quandoque ad summum venturam fore. Cur iudicamus animam corpore meliorem, nisi quia sit summæ bonitati propinquior? Si nusquam esset bonitas summa, sed in infinitum de bono ascenderetur in bonum, per infinitum interuallum omnino distaret à summa bonitate corpus, per infinitum similiter anima. Infinitum alterum non est aut amplius aut angustius altero infinito. Neque erit vsque ratio mensuraque idealis, per quam alia aliis præferantur. Quare nihilo vel propinquior vel conuenientior esset anima ipsi bonitati quam corpus, igitur neque melior, neque Angelus melior anima. Proinde quicquid fluit ab alio, natura sua fluitat, quoniam & secundum se nihil est, & per fluxum quendam prodit in esse. Si non sit in rebus primum aliquid, res quælibet emanabit ab alia, omnes igitur fluitabunt, quapropter nusquam erit vnitas, æqualitas, similitudo, status, ordo, & restitutio. Nunc verò quia hæc rebus insunt, oportet rerum ab alio manantium fluxum duci & cohiberi statu cardinis alicuius ab alio non manantis, perinde vt interminatum fluxum corporum liquidorum terminari, necesse est, non alio corpore liquido similiter diffluente, sed corpore solido. Denique superior quilibet gradus in inferiorem aliquid operatur, & à superiore accipit aliquid. Si nullus sit gradus in rebus primus, nullusque sit vltimus, quilibet gradus medius à gradibus infinitis superioribus dependebit, ac rursus gradus infinitos producet inferiores. Quapropter accipiet à superioribus perfectiones innumeras, cũ accipiat à qualibet sui causa boni nonnihil. Et infinita munera inferioribus exhibebit, cuique enim aliquid largietur, quapropter erit immensæ virtutis, & perfectionum plenus infinitarum. Sic res omnes æquè erunt infinitæ, non erit res alia præstantior alia, non erit causa suo opere melior. Vel fortè res quælibet innumerè finita erit, quia innumerè ab antecedentibus excedetur. Rursus erit quælibet infinita, quia sequentia innumerabilia supe-

tabit. Nec erit vsque vlla vera scientia, cum nequeant infinitæ rerum causæ comprehendi. Neque erit vniuerso quod appetitum moueat, aut sistat, si non sit principium primum, vltimusque finis. Huius enim virtute mouetur appetitus omnis, atque firmatur. Vnum igitur omnino sit rerum principium, vocetur vnitas, quia per excellentissimam simplicitatem supereminet omnia. Veritas, quia producendo esse dat omnibus Bonitas, quia producta ad se reuocando præstat & bene esse. Atque vt tradit Ioannis Apostoli Theologia, Theologorum omnium diuinissimi, (quem Platonicus Amelius libenter amplectitur) Vnitatem vocat principium, Veritatem principij rationem, Bonitatem denique, principij rationalis amorem. Atque hæc ipsa substantia, scilicet vnitas, vera bona, seu veritas vna bona, siue bonitas vna vera, sit vnus bonus verusque Deus. Sed quia vnitas est, ideò sit veritas, quia vnitas vera, ideò bonitas. In vnitate implicat cuncta, explicat in veritate, effundit per bonitatem. Cuncta vero postquam inde fluxerunt, refluunt per bonitatem, reformantur per veritatem, restituuntur in vnum per vnitatem.

Dei virtus est infinita.

CAPVT IV.

Sicut in summa dispersione est imbecillitas infinita, sic in vnitate summa infinita potestas. Actus natura sua terminum non includit. Nam subiici termino, passio est, quæ actui est opposita. Actus ergo non patitur terminum, nisi quantum subiecto cuidam, vbi aliquid passiuæ potentię est, innititur. Actus vero diuinus in se ipso subsistit. Virtus ipsa efficax, quatenus virtus est, certum graduum numerum non includit. Quid enim prohibet in alio numero sicut in alio, virtutem ipsam vt virtus est, & cogitari & esse? Quapropter non aliunde graduum accipit terminum, quam vel à passiua potentia cui miscetur, vel à causa terminante. Diuina verò virtus pura est atque summa. Esse ipsum prout absolutò consideratur, est immensum, quia & infinitis rebus & innumerabilibus modis communicari potest & cogitari. Igitur si alicuius esse sit finitum, oportet illud esse finiri, vel per ipsius causam, vel per subiectum. Neutrum contingit Deo. In ipso autem infinito esse ita est infinita virtus, sicut in esse finito, finita. In ipso puro nihilo nullus essendi est habitus, siue verus, siue imaginarius. Quis enim sub essendi ratione definiat nihilum? Ergo in ipso esse puro nihil est vel priuationis essendi, vel potentiæ ad non essendum, aut vera aut imaginaria ratione. Igitur neque potest vel cogi, vel cogitari non esse, quod ad eius spectat æternitatem, neque potest deesse illi virtutis gradus vllus, qui mente queat effingi. Alioquin mens, quæ Dei effectus est, vltra Deum sese posset extendere, quæ quolibet finito graduum numero valet semper ampliorem aliquem cogitare. Imò etiam frustrà ad infinitam progressionem esset mens ordinata, nisi inueniretur terminus aliquis infinitus. Et quia nihil veri bonique veritati ipsi deest, & bonitati omnes in ea gradus insunt quodcunque & intelligi tanquam veri possunt, & appeti tanquam boni. Tales sunt gradus innumerabiles. Omne autem agens tanto est validius, quanto remotiorem ab actu potentiam patiendi producit in actum, maiore si quidem virtute opus est ad aquam calefaciendã quam ad aërem. Sed illud quod omnino non est, infinitè distat ab actu, nec vllam adesse ipsius actum suspiciendum habet potentiam, de quo planius in sequentibus disseremus. Siue igitur Deus aliquid creat nuper ex nihilo, siue continuè materiam primam corporum, atque essentiam mentium animorumque ex nullo antiquiore subiecto edit & seruat, semper ab actu primo, id est, diuino pendentem, proculdubio immensam possidet agendi virtutem. Quid plura? Motus ordoque tam æqualis per tot secula huius tam ingentis tanquam multiplicis machinę docet infatigabilem esse, ideoque infinitam in gubernatore potentiam. Finita namque potentia, tempore infinito, imò etiam longo quamuis finito, fatigatur & claudicat. Ab infinita igitur potentia Dei, intellectus omnes accipiant vt semper firmiterque intelligant, animæ vt sine fine discurrere valeant, materia vt interminatam habeat potentiam capiendi. Motus tempusque vt absque termino fluere possint, generatio quoque rerum (sicut placet Physicis) vt alterna & innumerabili successione queant continuari. Actionem enim motionemque infinitam ab infinita putant virtute originem ducere, & quæcunque vel potentia, vel quomodocũque aliter quodammodo infinita dicuntur esse, per summam actuque existentem infinitam talia esse atque iudicari. Hinc diuina natura ab Orpheo ἀπλήστη τελευτὴ, id est, infinitus finis cognominatur.

Deus est semper.

CAPVT V.

SI res quælibet tanto est diuturnior, quanto virtus, per quam permanet seruaturque, potentior est, Deus per infinitam virtutem suam in infinitum & ipse permanet, & cætera seruat. Item diuina veritas omne rerum antecedit initium, omnium rerum fini succedit, nam & ante cuiusque initium, verum erat initium illud fore, & post omnem cuiusque finem, verum erit finem illum fuisse, quicquid autem aliquando verum est, veritate verum est. Si autem veritas ipsa incepisse dicatur aliquando, longe antea per eandem veritatem verum fuerat, veritatem illam aliquando incepturam. Ac si desinere fingatur, adhuc postea per eandem veritatem verum erit, veritatem illam desiuisse. Veritas igitur neque incipere vnquam, neque desinere cogitari potest, Rursum, si Deus super motum tempusque existit omnino, temporalem mutationem à priore in posterius secundum esse, atque non esse, non suscipit, Accedit, quod si Deus est summa essendi necessitas, quod in sequentibus ostendemus, nunquam potuit poteritue non esse. Denique si quicquid aliquando nascitur, ab aliquo fit priore, & quicquid resoluitur, in aliquid quod antiquius est resoluitur, non potest incepisse aut desinere, quod est primum. Cogitamus sæpenumero mente durationem quandam simplicem absque principio atque fine, appellamusque eam (vt ita loquar) sempiternitatem, quę quidem ipse Deus est, etiam si minimè discernamus. Omnis enim simplex infinitas Deus ipse est. Discernere autem tunc prohibet phantasia, quæ mox sempiternitatem ipsam simplicem atque consistentem fluxu quodam multiplici induit & confundit, itaque fallit nos, nimirum dum ad accidentalem temporis fluxum trahit, quod est substantialis status æternitatis. Atque ita impellit, vt quod Deus est, tempus esse putemus. Deus ergo æternus tunc se nobis offert, sed tempore inuolutus. Nemo verò dubitare debet Deum semper esse, quando Deus est ipsum semper, imò sempiternitas ipsa, est ipse Deus. Et quæ sempiterna dicuntur, illa sunt propriè quæ Deus propagat per seipsum, & in seipsum.

Deus est vbique.

CAPVT VI.

EX superioribus probare possumus vbique esse Deum. Quemadmodum corpus tangit illud in quo est, per quantitatis dimensiones, ita incorporea substantia per virtutem. Quamobrem sicut si esset in natura dimensio corporis infinita, esset vbique, ita postquam est aliqua immensa incorporalis substantiæ virtus, necessariò hæc est vbique. Et quemadmodum particulari effectui adest, ceu ignis ignito ligno, ita vniuersalis vniuersali. Vbicunque igitur reperitur vel cogitatur esse, quod est vniuersalis effectus, ibidem est & Deus, qui vniuersalis est causa.

Vbicunque est opus aliquod, quod per certam causam solam, & sine medio fieri necessarium est, ibidem eius causa debet esse, est autem vbique aliquid, quod per solum Deum modo quodam creationis potest subsistere. Id vero est materia prima in corporibus, essentia in spiritibus. Appetibile est tanquam bonum vbique simul adesse, fermè non minus, quam semper esse, primo autem bono nihil deest boni. Non prohibetur Deus ab aliquo penetrare per omnia, infinitæ enim puritati virtutique resistit nihil. Non patitur natura Dei circa se loci terminum, sicut non patitur in se terminum dignitatis, quia si summa ipsa infinitas nihil finiti patitur, fit vt Deus ita non habeat finitam præsentiam spatii, sicuti non habet vim, actionem, durationemque finitam. Nec putandum est ipsum bonum, minus toti adesse mundo, quam toti corpori animam. Minus enim est mundus ad Deum, quam corpus ad animam, magisque eget Deo mundus, quam corpus anima. Bonum latius est quam vita, quia pluribus conuenit, magis quoque necessarium est mundo quam vita. Vita enim sublata, cessaret quidem mundus moueri, sublato bono, esse desineret. Si ergo in vno mundi corpore viuente, vna quædam vita vbique est, quod alias ostendemus, multo magis vnum ipsum bonum est vbique, etiã extra mundum. Si primum patiens, quod est materia, & essentia, per omnia propagatur, multò amplius per omnia, & vltra omnia sese propagat primum agens, quod est Deus. Non decet mentis machinationem vlterius quam boni præsentiam progredi, illa vero progreditur per immensum. Ac decere Platonici putant, infinitum bonum per immensum exuberan-

do ita ſeſe integrum fundere, vt nullam vel imaginariam immenſi particulam, ſiue in mundo ſit, ſiue cogitetur extra mundum, relinquat ſua præſentia deſtitutam. Quippe ſi natura boni eſt ſeipſum amplificare, infinitum bonum amplificat infinitè ſeipſum. Difficile reperitur vbi ſit Deus, quia nuſquam eſt, quod nullius, vel ſubiecti, vel loci limite cohibetur. Difficilius reperitur vbi non ſit, quia in omnibus eſt illud in quo ſunt, per quod fiunt, per quod ſeruantur quælibet vbique. Deus ideo eſt in omnibus, quia omnia in eo ſunt, quæ niſi eſſent in eo, eſſent nuſquam, & omnino non eſſent. Per Deum hoc ipſum vbi eſt, diciturque vbique. Per Deũ tanquam ducem, & tanquam lucem agit & quærit quodcunque agit quiſque, & quærit alicubi. Non deſideratur vſquam niſi bonum, non reperitur vſquam niſi verum. Deus eſt omne bonum, Deus eſt omne verum. Adde quod Deus amplitudo & plenitudo ipſa eſt. Non video igitur cur non amplificet per cuncta ſeipſum, & ſingula impleat. Si viſibile lumen, quod alicuius eſt, & in aliquo, atque finitum, per totum dilatare ſe mundum poteſt, certè lumen inuiſibile, quod ſui ipſius eſt, & in ſeipſo infinitum, per mundum ſe amplificat, & extra mundum. Lux enim finita ſicut ab infinita nanciſcitur, vt luceat, & vt plurimum luceat, ita etiam vt latiſſimè luceat. Si ergo abſente ad breuiſſimum tempus, ſiue per eclypſin, ſiue per noctem Solis lumine, tam malè ſe res habent, quã peſſimè ſe res, ſi Deus ab eis ſemper abſit, habituras eſſe putamus. Cur non potius ſi abſit per momentum, id quod ipſum eſſe eſt, repentè in nihilum ruituras? Sapienter Orpheus in Saturni hymno inquit:

ὃς ναίεις κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο γενάρχα,

Id eſt, qui omnes mundi partes habitas generationis princeps. Cogitamus ſæpe puriſſimam quandam capacitatem, quam nulli vſquam limites capiant, quæ capiat quæcunque poſſunt eſſe vel fingi. Quoniam verò pura ipſa infinitas nihil aliud eſt quam Deus, quando illam cogitamus capacitatem, tunc Deum ipſum excogitamus, & ſi minus animaduertimus.

Fallit enim mox ſuis nos præſtigiis phantaſia, ſubitò pro diuinis radiis adducens tractum aliquem linearum in longum, latum, atque profundum, atque ita compellens dimenſionem nobis aliquam vel inane videri, quod diuinum eſt lumen. Fallit nos iterum quando conſideramus Deum omnia prorſus implere, tunc enim illa perſuadet eum in rebus quodammodo collocari.

Sed reuera ille ſic vbique eſt, vt in eo ſit illud quod vbique appellatur, imo vt ipſe ſit ipſum vbique, quod capit ſeipſum, & reliqua, & quæ præter illud dicuntur vbique eſſe, ea ſunt propriè quæ illud per ſeipſum amplificat in ſeipſo. Ratio dictat id quod vbique nominatur, nihil eſſe aliud quam vniuerſam naturam rerum, eamque eſſe Deum, ideoque quando dicimus Deum vbique eſſe, intelligi debere eum in ſeipſo eſſe, atque conuerſo. Nuſquam præterea abeſſe Deum, ſi nuſquam abeſt ipſum quod vbique vocatur. Phantaſia verò cum putat naturam rerum eſſe ſolum hanc machinam corporalem, clamat id quod nominatur vbique, nihil aliud eſſe quam totam corporalium rerum extenſionem, quam cum opinetur eſſe ampliſſimam, diffidit Deum hanc omnem poſſe replere. Ratio contra reclamat, corporalem machinam vmbram quandam exilem & exiguam eſſe, quæ innumerabiliter in paruas partes, partiumque particulas diuidatur, habeatque paruitatem interminabilem, magnitudinem terminatam. Magnum autem reuera aſſerit eſſe illud, in quo nihil eſt paruum, in quo quicquid eſt, totum eſt, magnumque ęquè. Et ſicut totum replicatur per omne quod eſt intus, ſic explicatur totum per omne quod extra. Cõſiſtens itaque Deus in ſe, exiſtit vbique. Nec per mundum Deus, ſed mundus per Deum, quatenus poteſt, extenditur. Et ſicut vim diuinam quæ infinita eſt, mundus aſſequitur modo finito, ita præſentiam eius quæ per immenſum vndique fulget, finito quodam ſitu conſequitur. Non progreditur per rectam lineam mundus vt attingat Deum, qui nuſquam abeſt, ſed conuoluitur pro viribus circa illum, imo reuoluitur in illo ibi duntaxat, vbi diuina lege ſitus ei motuſque præſcribitur. Anebon & Abamon Ægyptij ſacerdotes, Plotinus quoque Ambliciuſque & Iulianus Platonici, non Deum tantum, ſed omnem quoque mentem, ſiue angelicam, ſiue animalem, per immenſum ſe integram fundere voluerunt, ita vt huiuſmodi ſpiritus abſque mutua confuſione ſibi inuicem inſint vbique quemadmodum diuerſi habitus virtutum in anima, & diuerſa ſimulachra colorum in aëre, quorum ſententia his fundamentis innititur. Formæ ſpiritu rationali inferiores, quia ex certis terminatiſque materiis oriuntur, iiſdem neceſſario cohibentur. Spiritus autem rationales quoniam nullo pacto pullulant ex materia, ideo neque in ſe certam habent dimenſionem, neque dimenſioni alicui alligantur.

Quapropter

Quapropter cum æquè quamlibet spatij cuiuslibet partem respiciant, aut nusquam sunt, aut sunt in vniuerso, non est dicendum omnino nusquam adesse, quæ reuera existunt, nusquam igitur absunt. Mens omnis aliquo modo æterna est. quod æternum est, quamuis indiuisibile sit, secundum tempus, tamen per omnem cursum temporis seipsum porrigit. Sic rursus, quãuis indiuisibile sit secundum spatium, tamen per omne spatium dilatatur. Et sicut se habet tempus ad æternitatem, ita temporale ad æternum. At momenta temporis momentum æternitatis reperiunt semper, puncta igitur corporis, temporalis punctum vbique spiritus æterni reperiunt. Æterna res quemadmodum extra tempus est semper, ita extra locum esse videtur vbique. Quocunque momenta temporis fluunt, in punctum æternitatis incurrunt. quacunque trahitur linea, punctum attingit. Quacunque tenditur spatium, reperit rem æternam. Quid est potissimum quod potest vbique esse? Id certè cui non repugnat quantitatis dimensio. quid rursus quod potest esse semper? Id maximè quod qualitatis actio non expugnat. Quoniam verò qualitas quantitate admodum efficacior est, quicquid non prohibente qualitate semper esse potest, multo magis potest non prohibente dimensione vbique esse. Localis motus, qui extrinsecus motus est, tanto in re qualibet perfectior apparet, quanto intrinseca rei natura est efficacior. Ideo propagare se per omnia quod motum localem imitatur, exigit, vt in re ipsa prius sit virtus ipsius perpetua conseruatrix, quæ quidem intrinseca perfectio dicitur, & cui hæc intrinseca perfectio competit, consequenter conuenit extrinseca per vniuersale spatium dilatatio. Præstantius autem est semper esse, quod est tanquam intrinsecum, quam vbique esse, quod tanquam extrinsecum est. Idcirco quod potest esse semper, multo magis vbique esse potest. Facilius est enim pigras dimensiones excedere, quam motionem qualitatis & temporis efficacem. Mẽs tam sibi quam aliis præ cæteris significat naturam, consilium, affectum Dei, prodit ergo ex Deo tanquam verbum, imo tanquam verbi significatio à loquẽte Deo. Quoniam vero vbicunque est qui loquitur, illic & verbum, sequitur vt vbique sit mens, sicut vbique est Deus. Mens cogitatione effectuque immensa est, prout immensa machinatur & vult, perque immensum sua operatione discurrit. Non potest autem ibi lucere operarique vbi non est, neque potest operatio talis latior esse quã essentia. Est igitur in immenso. Finis ignis est vltimi cœli concauum. Ideo flammula quælibet, si nihil prohiberet, illuc vsque euolaret, & quando concauum illud attingeret, si dimensionem haberet sufficientem, se per totum illud amplificaret, vt toto eo quod sibi naturale est, frueretur. Quod si esset indiuisibilis, conaretur esse in quolibet illius puncto tota, vt tota frueretur vbique. Scopus finisque mentis est ipsum verum bonumque, id est Deus Huc essentiali quodam instinctu ignis instar currit prius quã vitali, & vitali prius quam intellectuali. Nihil est autem quod obsistat quin essentia mentis vsque ad Deum penetret, corpus enim spiritui non resistit, multoque minus spiritus. Ac Deus omnia penetrat. Attingit ergo mens per instinctum essentialem semper Deum, adde & vbique, nam & ad hoc ipsum nititur, & non habet vel assignatam dimensionem, vel situs alicuius indigentiam naturalem, per quas vbique esse prohibeatur. Et quia vbicunque est, aliquid agit, sequitur vt viuat intelligatque vbique semper in Deo. Quamuis autem sint mentes quælibet per immensum, videntur tamen aliæ ad aliam immensi regionem manifestius actiones quasdam dirigere, mentes quidem Angelicæ gubernando, animales viuificando, perinde ac si multæ candelę in eadem aula accendantur, quarum singula lumina totam impleant aulam, iuncta quidem inuicem, sed non permixta, potest enim lumen à lumine separari. Lumina hæc & si per totam aulam diffunduntur, singula tamen ad candelas singulas diriguntur. Fieri vero potest, vt mens aliqua putet in eo se tantum corpore esse quod regit, licet sit vltra corpus vbique, sicut mẽs nostra quamuis in toto hoc corpore sit, tamen apud multos Philosophos in corde tantum esse se putat. Hæc illi de mente. Nos autem reuertamur ad Deum.

Deus omnia agit & seruat, & in omnibus omnia operatus.

CAPVT VIII.

Esse Deum, & esse vnum, primumque, & infinitum virtute, duratione, spatio, per superiora monstrauimus, ex quibus confirmatum est illud, quod in libro de veritate & opinione dixit de Deo Parmenides Pythagoreus, ὂν ἓν ἀκίνητον καὶ ἄπειρον, id est ens vnum immobile infinitum. Hunc vero Deum agere omnia & seruare, & in omnibus omnia operari, deinceps ita probabimus. Si Deus est vnitas simplicis-

sima, atque hæc vna sola in natura est, quia est summa, quicquid est præter Deum, multiplex est & compositum. Multitudo autem omnis ab vnitate, & omnis compositio à simplicium puritate descendit. Si Deus est summa veritas, & sine veritate esse potest nihil, quomodo enim erit quicquam, nisi & reuera sit id quod esse dicitur, & verum sit ipsum esse, à Deo cuncta proficiscuntur. Si Deus est summa bonitas, atque hæc per sui naturam summopere sese communicat, cunctis sese Deus impartit. Ideoque bonum appetunt omnia, quoniam cum à bono sint nata, suam originem repetunt, vt vnde effecta sunt, inde perficiantur. Res quælibet semper aliquid agunt, atque eo tempore magis, quo meliores in sua specie sunt, & illæ maximè, quæ in meliori sunt specie, & quælibet pro viribus sibi similia operantur, similia etiam, si possunt in specie. Et boni gratia operantur. Quapropter à bono per bonum ad bonum fit omnis in rebus quibuslibet actio. Igitur summa bonitas, quia bonitas est, agit, quia summa, agit semper, quia non est in specie aliqua terminata, sed æquè communis est omnibus speciebus, agit in omnes. Præterea quoniam Deus non miscetur alicui, nullius proprius dux, sed communis existit. Si est communis, commune sibi competit munus. Esse ipsum rebus omnibus est commune. Esse igitur vbicunque sit, pendet ex Deo. Quod mysticè tetigit Zoroaster.

εἰσὶ πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα,

Id est, omnia sunt ex vno igne genita. Insuper inferiora mundi corpora de non esse migrant in esse, & de esse transeunt in non esse. Superiora de alio esse mutantur in aliud, seu de alio essendi modo mutantur in alium. Propterea hæc omnia æquè se habent per naturam suam ad esse atque non esse. Si nihil aliud sit super huiusmodi corpora, vel non accepissent esse vnquam, vel si quando accepissent, iamdudum esse omnia desiuissent: non accepissent, quoniam si æquè se habent per naturam suam ad esse, atque non esse, seipsa adesse, nequaquam determinant. Iam pridem desiuissent, quia cum fluant natura sua, si non ab alio stabiliore detinerentur, iam dudum in nihilum defluissent. Præest ergo mobilibus mundi corporibus substantia incorporalis & stabilis. Hæc si æquè se habet ad esse atque non esse, vt corpora, rursus indiget alio terminante. Tandem ergo vna quædam substantia sit oportet, quæ sit necessario per se ipsam, & hęc simplex erit omnino. Quippe si componerentur ex partibus, non per se esset quidem, sed per partium conspirationem atque per illum qui diuersas inter se partes conciliauisset. Imò æquè dissolutioni partium subiecta foret, ac fuit subiecta connexioni, ideoque non esset ex necessitate, cum per dissolutionem posset etiam quandoque non esse. Talis est vtique Deus, substantia simplex, necessario per se subsistens. Quam ob causam Orpheus Deum appellauit necessitatem.

δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατεῖ,

Id est, fortis necessitas omnibus dominatur. Si summa essendi necessitas Deus est, & quod summum est in quolibet genere, vnum est duntaxat, nulla res præter Deum erit talis essendi necessitas. Nempe si talem quoque esse vis Angelum, ita vt duæ sint summę necessitates, Deus, & Angelus, declarare cogeris qua in re Angelus differt à Deo. Non enim in ipsa essendi necessitate, nam in hac vnum abs te ponuntur esse. Igitur erit aliquid aliud præter ipsam necessitatem in Angelo, per quod à Deo differre queat. Quapropter non erit Angelus summa necessitas, quãdo est non necessitas pura & sola, sed mixta. Quicquid autem est in aliquo genere summum, purã debet habere generis illius naturam, rebus aliis non immixtam, ne minuatur per mixtionem. Cogeris etiam respondere, vnde habeat Angelus illam necessitati additam proprietatem, vtrum à sui ipsius necessitate, an aliunde? Si primum detur, eandem proprietatem habebit Deus à simili sui ipsius necessitate prouenientem. Ergo per illam à Deo Angelus non distinguitur. Si concedatur alterum, sequitur vt aliunde propria Angeli ipsius natura nascatur, quam ab Angelo, quia proprietatem per quam distinguitur, extrinsecus adipiscitur. Quod autem aliunde pendet, non est necessario per seipsum. Non est igitur Angelus, aut aliud quoduis essendi necessitas, sed solus Deus. Si nihil aliud præter Deum existit necessario per seipsum, à Deo cuncta accipiunt esse. Hinc Physicorum quorundam prophana sententia condemnatur, qui materiam, mundum, mentem, non solum semper fuisse opinantur, verũ etiam nullo modo ex Deo secundum essentiam dependere, quãuis secundum actum inde pendeant, moueri enim operarique ad bonum omnia fatentur, tanquam ad finem. Considerare debent, quicquid sibi in operando non potest sufficere, sed ab extrinseco fine sufficientiam exigit, multò minus in essentia sibi posse sufficere, vtpote quod ab extrinseco principio habet essẽtiã.

Quippe si eiusdem est perficere cuius efficere, atque conuerso, sicut omnia bono perficiuntur tanquam fine, sic ab eodem tanquam principio efficiuntur. Et cum essentia in fonte suo perfectissima sit, si quodlibet illorum trium essentiæ suæ fons esset, cuiuslibet illorum substantia æquè perfecta esset tum ad se inuicem, tum ad Deum, neque ad Deum, sed ad seipsa tanquam ad finem perfectionemque suam conuerterentur. Sicuti se habet ars ad naturam, sic & natura ad Deum.

Artium opera eatenus permanent incorrupta, quatenus vi naturæ seruantur. Vt statua constat diu per naturalem lapidis aut æris soliditatem, similiter naturalia quæque eatenus manent, quatenus Dei seruantur influxu. Et sicut natura operibus suis infert motum, sic Deus naturæ præstat esse. Tamdiu opera naturæ mouentur, quamdiu natura mouet. Tamdiu igitur existit natura, quamdiu Deus seruat eam in existendo. Pręterea vniuersum hoc opus Dei, vel fuit semper, vel aliquando incepit esse. Si fuit semper, primum momentum assignari non potest in quo præ cæteris esse à Deo acceperit. Ergo aut in nullo accepit, quod est falsum, aut quolibet momento accipit inde, hoc autem nihil aliud est, quam ab eo continuè conseruari. Si vero esse incepit aliquando, multò magis Deo eget tanquam conseruatore, quo quidem egeret etiam si poneretur æternum. Omnino autem quod alicui secundum naturam suam conuenit, prius conuenit, quam quod aduenit aliunde. Sed operi secundum se quidem conuenit non esse, postquam non accedente causa non fuisset, per causam verò conuenit esse, prius igitur illi vt non sit conuenit, quam vt sit. Quapropter prius illi competit vt à causa seruetur, quam vt à seipso. Et quia quod naturale est, nunquam amittitur, semper tale est, vt submota causæ virtute non perseueret in esse, postquam tale fuit ab initio naturaliter, vt non prodiret in esse seorsum à causę actione. Causam verò propriè Deum vocamus, qui solus rem quamlibet efficit totam, neque cogitur aut alterius auxilio indigere, aut aliunde materiam mutuari, sed cogitur res quælibet inde tota pendere semper, vt à corpore vmbra. Quippe quando causa effectum efficit ipsa totum, atque effectus si ad substantiam causæ comparetur, imaginarium quiddam est & vanum potius quam substantiale, tunc sanè effectus tanquam per se vanus continuo causæ subsidio indiget, & causa quæ fecit totum, conseruat totum. Mundus autem si cōparetur ad Deum, finitus videlicet ad infinitum, vanior est magisque vmbratilis, quam si finiti corporis vmbra finita comparetur ad corpus. Denique summa causa rerū sic rebus penitus dominatur, si res non semel modo ab illa manauerint, sed & assiduè pendeant, sicut imagines à corporibus fiunt, ac seruantur in speculo. Quoniam ergo Deus agit seruatque omnia, ideo in omnibus operatur, id est, causæ rerum sequentes Deum nihil agunt, absque virtute actioneque diuina. Si Deus Angelo esse actumque largitur, & seruat, largitur etiam agendi virtutem, largitur & actionem, atque conseruat. Ita quicquid Angelus naturaliter operatur, Dei operatur virtute, sicuti instrumentum virtute agit opificis Ergo Deus agit non Angelum solum, verum etiam ipsum Angeli opus, & multo magis quam Angelus opus efficit Angeli, cum ipse sit prima actionis origo. Si opus hoc quod est factum ab Angelo, agitet ipsum aliquid, per eandem agit Dei virtutem, per quam & ipsum factū fuit ab Angelo. Quāobrem Dei virtute fit, quicquid vbique fit, à quocunque fiat, pręsertim cum omnia quæ aliquid agunt, esse quodammodo suo operi præbeant. Esse inquam hoc, aut illud, tale, vel tale. Ita cuncta quæ sub Deo sunt agentia, ad vnum communem scilicet essendi concurrunt effectum. Agentia verò plurima & diuersa, in vnum opus quod est esse, non conspirant, nisi quia ipsa sunt vnum, neque vnum sunt nisi quia sub vno sunt, atque ad vnum. Vnius itaque Dei agentis primi virtute agentia reliqua operātur. Nonne secūdum ordinem effectuum, ordinem causarum disponimus? Primum omnium effectum est esse, reliqui siquidem effectus nihil aliud sunt, quam quædam ipsius esse determinationes & proprietates. Prius enim est vnumquodque secundum naturam, deinde est hoc aut illud, tale, vel tale. Adde quod & vltimum quod amittitur, est esse, prius enim amittitur esse tale, quam simpliciter esse. Quare esse ipsum proprius est illius agentis effectus, quod est principium finisque omnium. Atque ad id cætera agentia siquid conducunt, primi agentis virtute conducunt. Et ipsa tanquam inferiora angustiorisque imperij, nihil agunt aliud, nisi quod vniuersalem illam Dei vim actionemque vbique ad esse vniuersale tendentem, distinguunt passim adiuuante Deo, & affectiones quasdam esse ipsius inducunt potius quā essendi naturā. Imo diuina virtus per varia media seipsam ad varios distin-

guit effectus, sicuti Solis lumen, quod per se ad quemlibet colorem æquè se habet, si per duas fenestras vitreas penetrauerit, quarum altera rubra sit, altera viridis, duos in pauimento splendores efficiet, rubrum scilicet atque viridem. Quod quidem vterque sit splendor, simpliciter habebit à lumine. quod vero alter rubeus sit, viridis alter, à lumine rursus habebit, sed quantum per tale vitrum penetrans aut tale, aliter aliterque se format. Concludamus primo, quod causa prima vehementius agit in quouis effectu quam reliquæ causæ, quia vestigium quod ab ea imprimitur, scilicet esse, & prius imprimitur, & posterius deletur, quam reliquarum vestigia causarum, quasi fortius imprimatur. Deinde quod cæterę causæ super vestigium primæ causæ sua firmant vestigia, quæ sicut omnia sua opera necessario in opere causæ primæ fundant, sic virtutes actionesque suas in illius virtute actioneque stabiliunt.

Deus agit per suum esse quicquid agit.

CAPVT VIII.

SEd ne quis Epicureus Deum dicat, si multa egerit, solicitari consilio, & opere onerari, meminisse oportet, Deum quia per suum esse solum opus suum potest efficere, consilio & electione non indigere. Nam si ipsum esse diuinum non tanti esset, vt valeret per se operari, sed consilio quodam quod ab ipso esse sit differens indigeret, nullius certe rei esse per se quicquam operaretur. Nunc autem corporum qualitates agunt in se inuicem absque consilio. Nunquid Sol illuminat mundum, & ignis calefacit, & anima alit corpus per electionem potius quam per esse? Proinde illa etiam, quæ per electionem agunt, aliquid etiam per esse suum faciunt naturale, id est, per virtutem ipsi esse insitam naturaliter. quippe hominis anima licet multa per electionem agat, corpori tamen sine electione ipso esse dat vitam. Nonne etiam electio ipsa quodammodo opus est animi? Atque huiusmodi opus ab ipso esse animæ est absque præcedente electione, ne similiter illa præcedens electio, electione alia indigeat præcedente, & alia rursus alia.

Sic opus quodlibet animæ requireret ante se electiones innumeras priusquam inciperet fieri, neque inciperet vnquam fieri, quoniam infinita transire non licet. Colligamus ita: Si actio quæ per esse ipsum naturale peragitur, inest omnibus, non autem actio illa quæ fit eligendo, quia corpora nihil eligunt, atque etiam actionem ipsam electionis consiliique antecedit semper actio, quæ fit per esse ipsum atque naturam, constat planè actionem hanc quæ ipso esse fit, causæ vniuersali & primæ, qui Deus est, conuenire, vt prima communisque actio primi sit, & communis agentis. Actio quæ fit per esse, fit absque cura atque labore. Sic Sol vno actu facillimè illuminat quodammodo infinita, & gignit illuminando. Ignis plurima facillimè calefacit, anima nutrit corpus, digeritque in ipso multa simul absque solicitudine atque labore. Sic Deus per esse suum, quod est simplicissimum quoddam rerum centrum, à quo reliqua tanquam lineæ deducuntur, facillimo nutu vibrat quicquid inde dependet. Hoc autem interest inter agens primum, & agentia reliqua, quod primum agens ita per esse dicitur operari, vt per esse purum agat, reliqua verò per esse, id est, per virtutem aliquam naturalem, siue vt ita loquar, essentialem. Itaque operationem quæ à consilio proficiscitur, antecedit operatio quæ à virtute essentiali peragitur, hanc rursus illa quæ à puro fit esse. Et quanto quæ virtute fit, facilior est quam quæ fit consilio, tanto quæ puro esse expletur, facilior est quam quæ virtute.

Deus intelligit seipsum primò, ac etiam singula.

CAPVT IX.

INtellectus nunquam fieret rei intelligendæ capax, nisi esset aliqua sibi cum re ipsa cognatio. Quapropter cum sit inter intellectum & rem intelligendam cognatio, qua via aliquid proficit ad hoc vt intelligibile fiat, eadem proficit vt fit intellectus. Sed discessus à materia vnica via est, per quam res quæque eum adipiscitur terminum, vt intelligenda intelligibilisque sit, id est talis, vt propriè possit intelligi, quia tunc propriè res intelliguntur, quando seorsum à materia ac materiæ conditionibus cogitantur. Itaque per eundem discessum ad id peruenire quis potest, vt sit intellectus. Sanè si separari à materia, causa est vt forma quælibet vnum quiddam fiat cum intellectu, multo prius magisque semotum esse à materia, causa est vt res aliqua intellectus sit & intelligens. Quia vero nullus à materia remotior est quam Deus, exactius nullus intelligit. Rursus intelligentia appetibilis est tan-

quam bonum, per eam enim res quæque seipsa frui potest, ac cæteris omnibus, primo autem bono, id est, Deo nihil deest boni. Adde quod causa omnis per formã agit, & quanto amplior causa est, tanto per ampliorem agit formam. Amplissima causa Deus est, amplissima igitur forma est in Deo. Nusquam vero est forma amplior quam in mente. Deus igitur habet mentem. Quod inde etiam probatur, quia non decet mentes instrumenta esse eius motoris qui mente careat. Omnes autem mentes, Dei sunt instrumenta. Ad idem illud quoque confert, quod cum in Deo idem sit essentia & operatio, consequens est vt eius operatio ex earum genere sit, quæ in externam materiam non transeũt, sed in agente manent tanquam ipsius perfectiones potius quam materiæ. Talis est cognitio & appetitio. In Deo igitur saltem cognitio est, intelligentia scilicet, vel eminentior quam ipsa intelligentia. Et quoniam intelligentia Dei, prima intelligentia est, & quicquid est in aliquo genere primum, purum est & solum & in seipso, ideo idem est ibi penitus esse, & intelligere, ne si aliud esse sit, aliud intelligere, cogamur intelligentiam illam in alio, id est, in essentia collocare. Item si prima ibi intelligentia est, est vtique perfectissima. Talis est planè, quę illi obiecto quod est per ipsam comprehendendum, quam proxima est. Sic enim certa est prorsus, nullius indiga, atque plenissima. Illa vero intelligentia rei cognoscendæ est proxima, per quam res intelligens intelligit semetipsam. Propria igitur intelligentia Dei est, vt seipsum intelligat, præsertim quia si ab externo quodam obiecto intelligentia Dei perficeretur, ab eodem perficeretur essentia Dei, quæ eadem est cum illa, fieretque Deus ab alio. Quis dixerit diuinam mentem externa sequi, vt intelligat, cum externa diuinam mentem sequi cogantur vt sint? Quis proprium diuinæ mentis obiectum posuerit extra Deum, cum nulla virtus obiectum suum excedere valeat, Deus autem excedat omnia in immensum? Cum Deo intellectus & intelligentiæ nomen tribuimus, sic accipiendum est, vt huiusmodi appellationes secundũ causam potius, quam per formam intelligantur. Propriè namque Angelum mentem esse putamus, Deum vero supra mentium genus, ita vt mens sit mentium, lumenque luminum. Intelligit verò Deus quicquid intelligit modo quodam super intelligentiam, atque, vt ad rem nostram veniamus, intelligit singula. Nam quicquid intellectus agit, sua agit natura, atque ita agit intelligendo. Ergo quęcunque facit, intelligit, quod patet in artibus & consiliis. Cum ergo Deus per esse suum agat, idque esse non careat intellectu, imo verò esse & intelligere propter summam Dei simplicitatem idem sit, oportet vt operetur intelligendo. Eatenus vero cognitio eius extenditur, quatenus operatio, cum in Deo simplicissimo sit voluntaria cognitio & operatio idem. Operatio per omnia vsque ad res extenditur minimas. Ergo minimas res omnes Deus intelligit, eò maximè, quod quisquis rerum minimarum causas omnes cognoscit, res intelligit minimas, Deus autem nullas ignorat, cognoscit quippe seipsum. Ipse est omnium causa, ergo primam & summam causarum, & rerum omnium causam noscens, noscit omnes. Noscit inquam distinctè atque clarissimè. Nam dum se videt, qui Angeli causa est, videt clarissimè Angelum. Dum Angelum intuetur, per eum, si opus sit, illius opera vt per causam propriam intuetur, per illa rursus opera illorum planissimè. Ita rerum infimarum causam summam, causas medias, atque proximas, ideoque illas clarè dinoscit. Quanquam non opus est vt extra se Deus in causis sequentibus vltimos intueatur effectus, cum ipse sit prima ipsius esse origo, & causa essendi sequentibus omnibus. Idcirco dum se inspicit, totum esse rerum quarumlibet inspicit. Totum inquam esse planè atque distinctè. Nam si seipsum perfectè cognoscit, totam suam potentiam comprehendit. Potentia autem sua per singula dilatatur. Cognoscit itaque singula. Item dum videt essentiam suam, & bonitatem rebus communicandam, videt quot modis sua illa bonitas possit rebus communicari. Res autem tam variæ in natura fiunt, quam variis modis diuina essentia bonitasque communicatur. Igitur per distinctam bonitatis suæ cognitionem distinctas rerum singularum videt proprietates. Nullum enim deesse debet summæ intelligentiæ genus intelligendi. Quapropter non solum intelligentiam Deus habet generum specierumque, vt aliqui voluerunt, sed rerum etiam singularum. Cuiusque enim rei cognitio appetibilis est tanquam bonum aliquod, bonum vero nullum deest Deo. Adde quod virtus superior debet nosse quicquid inferior nouit, & aliquid vltra quod in animis nostris apparet. Quæ enim singuli quinque sensus accipiunt singulatim, phantasia summatim discernit, & aliquid excellentius quod phantasia videt in pluri-

bus imaginibus, intellectus in vna videt, & clarius videt singula quam phantasia; videt insuper rerum rationes vniuersales, quas illa nescit. Ita Deus vnica virtute cognoscit, quicquid nos tribus virtutibus, id est sensibus, phantasia, & intellectu cognoscimus. Ergo & vniuersalia intuetur, & singula. Intuetur inquam omnes essendi modos, qui originem videt essendi, & totam comprehendit ipsius esse naturam. Quod si ita est, inspicit vtique singula, quæ per varios essendi modos inuicem distinguuntur. Hinc Orpheus.

καὶ διὸς ὄμμα τέλειον, ἐπεί γ' ὅσα γίγνεται ἡμῖν
μοῖρά τε, καὶ διὸς οἶδε νόος διαπαντὸς ἅπαντα.

Id est, Iouis perfectus oculus, quoniam quæcunque apud nos fiunt, fatum Iouisque mens per vniuersum inspicit omnia. Nemo igitur Epicuro & Auerroi fidem adhibeat dicentibus rerum vilissimarum notitiam maiestate diuina indignam esse. Deus enim res non in seipsis, sed in seipso, non per earum imagines, sed per suam essentiam intuetur. Non distrahitur circa plurima, sed cuncta conspicit tanquam vnum. Non laborat vnquam quia non quærit, sed possidet. Non diuertitur à grauioribus, vt consideret leuiora, quoniam eodem intuitu hæc videt & illa, instar oculi, qui vno intuitu stellas in cælo plurimas contuetur. An ignoras Auerrois impie, bonum ipsum ordinis vniuersi esse cuiuslibet partis qualitate præstantius? Quippe cum & Aristoteles tuus in libro diuinorum 11. affirmet partes singulas referri ad bonum ordinis qui in toto est, tanquam ad finem. Si igitur Deus aliam vllam cognoscit rem mobilem, quod tu non negas, maxime ordinem vniuersi cognoscet. Ordo huiusmodi non aliter intelligi potest, quam si pretiosiora quælibet & viliora inter se discernantur, in quorum interuallis proportionibusque totus ordo consistit. Memento autem hæc ipsa quæ vulgo vilissima nuncupantur, singula exactissima quadam arte constructa fuisse, quemadmodum & illa quæ habentur pretiosissima, rursus quæ dum sola considerantur, minus formosa videri solent, in ordine tamen hoc toto, & in ipso totius ordinatore, tam sibi quam cæteris aptissimè consonare. Totum hoc ita in Apollinis hymno cecinit Orpheus.

ἔχεις δέ τε πείρατα κόσμου
παντὸς, σοὶ δ' ἀρχή τε, τελευτή τε ἐστὶ μέλουσα,
παντοθαλὴς, σὺ δὲ πάντα πόλον κιθάρῃ
πολυκρέκτῳ ἁρμόζεις.

Id est, Tu habes mundi terminos vniuersi. Tibi curæ est principium, atque finis, per te virescunt omnia. Tu sphæram totam cithara resonante contemperas.

Deus intelligit infinita.

CAPVT X.

VEra nos ratio docet, Deum non solum singula & infima quæque, verum etiam infinita cognoscere. Si Deus potentiam suam perfectè cognoscit, nouit distinctè omnia ad quæ potentiam habet. Nam potentiæ quantitas secũdum eorum quæ potest quantitatem consideratur. Virtus autem Dei cum sit infinita, ad innumerabilia se extendit. Innumerabilia igitur Deus cognoscit. Dei cognitio per omnia illa se penitus porrigit, quæ esse dicuntur, quomodocunque sint aut esse dicantur. Itaque oportet vt planè intelligat non modo illa quæ actu existunt, verum etiam quæcunque potentia esse dicuntur. In rebus autem naturalibus sunt nonnulla, & si non actu, saltem potentia infinita. Capacitas videlicet materiæ, progressio motus ac temporis, generationis successio, diuisio, continui multiplicatio numeri. Deus igitur plane intelligit infinita, quemadmodum vnitas quæ est principium numerorum, infinitos videret numeros actu, si eos numeros qui in ea secundum potentiã sunt, videre. Est enim vnitas secundũ potentiã numerus omnis. Deus per essentiam suam quasi quoddam exemplar, omnia conspicit. Cum vero in hac essentia sit perfectio infinita, innumerabiles ad eius similitudinem res exprimi possunt, ita vt per innumerabiles perfectionis gradus in melius paulatim progrediantur, quia neque vna res quædam inde formata, neque quantalibet finita rerum huiusmodi multitudo, infiniti exemplaris integram vsurpare potest perfectionem. Atque ita semper absque fine vllo nouus superest modus quo aliquid aliud vltra exemplar ipsum valeat imitari. Deus igitur per innumerabiles infiniti exemplaris gradus, innumerabiles intuetur imagines. Esse in Deo atque intelligere idem est omnino, ideoque sicut esse eius infinitum est, ita intelligere infinitum. Cum intellectus humanus vim habeat ad ea cognoscenda quę sunt potentia infinita, potest in infinitum species numerorum multiplicare & in aliis multis absque fine pro arbitrio progredi. Quod si intellectus diuinus res actu infinitas non intelligit, sed certum duntaxat

numerum intuetur, quæro nunquid vlterius intelligere queat, an nequeat? Si potest, Deus non intelligit illa actu omnia ad quæ intelligenda vim possidet. Si non potest, intellectus humanus plura cognoscere valet quam diuinus. Vtrumque absurdum est. Res igitur actu infinitas intelligit. Quapropter diuina mens cum sit infinita, meritò nominatur ab Orphicis ἄπειρον ὄμμα, id est, oculus infinitus. Ex his eorum Philosophorum impius error arguitur, qui finita duntaxat videre Deum existimarũt; quia quæcunque videntur ab eo comprehendantur, & quæ comprehenduntur, necessario finiantur. His in præsentia respondemus, idem esse Deum, & quæ in ipso Deo videntur ab ipso. Quisquis ergo dicit hæc à Deo comprehendi, nihil aliud quam hæc comprehendi à semetipsis. Absurdum quidem esset rem infinitam ab alio comprehendi. Comprehendi autem à seipsa non est absurdum. Hoc verò nihil est aliud, quam ipsa per se porrigi, & sibimet penitus adæquari. Non ergo finit se infinitus Deus, cum se modo infinito inspicit infinitum, imò suam confirmat infinitatem. Neque absurdum est Deum innumerabilia cernere. Non enim cernit ea gradatim enumerando, sed intuendo summatim. Et sicut plura videt tanquam vnum, dum illa per vnam speciem actu vnico speculatur, sic infinitam multitudinem videt tanquam finitam, id est, tanquam rem quandam essentia omnino simplicem, sed quodammodo ratione multiplicem, quia formam suam re vera vnam, vigore & respectu quodam considerat omniformem, perinde ac si Solis lux, colorum fons omnium, quæ (vt ita loquar) vnicolor est, se tanquam omnicolorem percipiat.

Deus voluntatem habet, perque illam extra se efficit omnia.

CAPVT XI.

OMnis causa per aliquam agit formam, & agit effectum suum in forma quodammodo similem, ideoque oportet effectus formam à causa comprehendi. Cum verò Deus sit omnium causa, necessarium est in eo omnium formas esse. Est ergo Deus essentia omniformis. Vnde Orphicum illud ζεὺς εἶδος πάντων, id est, Iupiter species omnium. Quemadmodum vero in potentia pura, id est, materia, sunt omnes naturales formæ secundum confusam quandam potentiam, sic oportet in actu puro, id est, Deo, omnes secundum actum distinctum formas esse. Sed nunquid hæ formæ in Deo distinctæ sunt secundum quendam naturæ modum, quemadmodum in igne lux, calor, siccitas, leuitas, perque eas agit ductus quadam naturæ suæ necessitate? nequaquam.

Prima ratio, Deus cum omnia faciat, si per formas huiusmodi operatur, multo magis multiplex cõpositusque erit, quam quæuis alia causa, siue illæ formæ in eo essentiales sint, siue accidentales, oportet autem illum esse omnium simplicissimum, proinde neque essentiales esse possunt. Nulla enim essentia vsque minus vna in se esset, quam diuina, neque rursum accidentales. Nam quo pacto potest Deus capere qualitates? Non aliunde, cum pati aliquid ab aliquo nequeat. Non à seipso, quippe si à se illas accipit, quantum eas dat, vicem gerit efficientis, quantum capit, gerit subiecti vicem. Conditionem verò subiecti subire non potest agens primum purusque actus, cui subiecta sunt omnia. Item substantia non dependet ab accidente, quamuis accidens dependeat à substantia. Quod non pendet ex alio, seorsum ab alio quandoque existere valet. Igitur potest substantia quędam seorsum ab accidentiũ conditionibus limitibusque existere. Quicquid libertatis bonique esse potest vsquam, id totum per summi principis boniquepotentiam esse potest. Quamobrem Deus iam actu illa ipsa substantia est, quæ potest esse, imò quæ est ab accidentibus libera. Conducit ad idem quod effectus modo quodam pręstantiore in superioribus causis quam in seipsis esse reperiuntur, atque idcirco in causa summa modo aliquo præstantissimo. Cum vero effectus Dei in seipsis substantiæ sint, nullo modo in Deo tanquam accidentia esse debent. Non tamen illic multæ substãtiæ sunt itaque sunt illic vna quædã, id est, ipsamet Dei substantia, quandoquidem oportet in Deo cuncta modo quam perfectissimo inueniri, atque vniri illi, sibique inuicem perfectissime. Nequeunt autem modo sublimiore in Deo esse, atque sublimius vniri tum Deo tum sibi ipsis, quam si in Deo sint ipse Deus. Non sunt igitur in Deo rerum formæ secundum modum naturæ distinctæ, per quas naturali quadam necessitate non aliter ducatur ad operandum quam ignis ad comburendum.

Secunda ratio. Natura cuiusque est vna quædam forma, virtusque ad vnum quoddam opus certo modo determinata, toto suo impetu agiens quicquid facit, & fa-

ciens necessario. Natura siquidem ignis calida vnum quoddam, caloris videlicet, opus facit præcipuè, atque eodem semper calefacit tenore, & quantum in se est, omnes caloris gradus exercet vbique. Igitur quod vno gradu ab ea calefiat materia hęc, & duobus gradibus illa, non ex agentis ordinatione procedit, sed ex ordine graduum qui in præparationibus materiarum reperiuntur. Itaque ignis toti operi non dominatur. Non enim author est ordinis graduum qui sunt in opere. Ac si calores duos generaret extra subiecta, quia se toto ageret vtrosque, essent ęquales vtrique, imò & nunc in subiectis omnino similibus similes omnino ęqualesque generat. Potest vtique natura vel per diuersa media vel ex diuersis materiis diuersa facere, sublata vero mediorum materiarumque diuersitate, vel vnicum vel simillimum operatur, neque potest quando adest materia, non operari. Deus autem solus materiam primam corporum, & essentias mentium animorumque quam plurimas absque medio subiectoque procreat, quæ quidem inter se longè diuersæ sunt, multisque perfectionis gradibus inter se discretæ. Merito autem Deus quia primum agens est, vsque adeo vniuerso ipsius operi dominatur vt ipsemet & formas, & formarum ordinem, graduumque distinctionem efficere valeat. Nullum verò agens effectus & pauciores & minus varios faceret quam Deus, imò vnitum prorsus ageret Deus, si per solum meræ naturæ modum operaretur, cum diuina natura sit omnium simplicissima. Non ergo naturali instinctu impellitur ad agendum.

Tertia ratio. Si intelligentia in nobis est efficax, & in Angelis efficacior, oportet intelligentiam in Deo efficacissimam esse. Idem in Deo est natura eius atque intelligentia. Idem quoque operationis naturalis modus atque operationis intellectualis vbique esse solet. Siquidem tam natura quam intelligentia per formam agit, & simile aliquid operatur in forma. Non ergo dicendus est Deus aut per nudam naturam, aut per aduentitiam intelligentiam operari, imò per naturam intelligentiam naturalem Deo, quia causa prima communisque & felicissima est, operatio conuenit naturalis, quæ cæteris prior est, communior, & facilior. Rursus, quia causa preciosissima est, conuenit operatio intellectualis, quæ prior est dignitate in nobis, quamuis non tempore, ideoque est in rerum ordine prima, & tanquam preciosa præstantioribus duntaxat congruit speciebus. Propria igitur operatio Dei, est operatio vtraque. Est autem apud Platonicos vnica diuinæ essentiæ prout Deus est, proprietas. Est igitur vtraque in Deo eadem operatio.

Quarta ratio. Natura nuda bonum hoc respicit aut illud, natura intellectualis vniuersale bonum. Causa igitur quę per nudam agit naturam, ita comparatur ad causam quæ per naturam agit intellectualem, sicut particularis causa ad vniuersalem, & minister ad architectum. Mundi itaque architectus per naturam intellectualem, quâtum intellectualis est, operatur. Quinta ratio. Illa præ cæteris operatio Deo congruit, per quem Deus neque ex suo statu neque ex sua simplicitate labatur. Talis in primis est operatio mentis. Operatio enim naturalis ab agente quidem incipit, sed desinit in id quod patitur, sicut calefactio ab igne in lignum. Intellectualis autem vtrumque terminum retinet in agente. Per hanc enim Deus dum se speculando versatur secum, vndique versat externa, atque vt Parmenides Pythagoreus inquit, rerum orbem mobilem rotat dum se seruat immobilem. Oportet præterea Deum esse penitus vniformem, quia super omnium formas existit. Imò & omniformem, quia formator est omnium. Quod vniformis simul & omniformis esse queat, sola intellectualis natura facit, per hanc enim formam Dei seipsam intuendo, se concipit tanquam propriam formarum omnium rationem. Videt enim in se quicquid est cuique proprium, dum cernit quo gradu diuinam formam quodlibet imitari queat, quoue deficere, vt ecce dum intelligit formam suam per modum vitæ, non autem cognitionis, vt ita loquar, imitabilem concipit formam ideamque plantarum. Dum vero imitabilem per modum cognitionis quidem, sed non intelligentię propriam animalis ideam, atque cæteras eodem pacto. Et profectò in omnibus quæ non casu, sed vel natura vel proposito fiunt, necesse est effectionis finem esse effecti operis formam. Causa verò agens actionem ad formam non per aliud quicquam dirigit, quam per formam in ipsa manentem. Neque ad certas dirigit formas aliter, quam vel per certas formas, vel per certas formarum rationes in seipsa conceptas. Cum igitur mirabilis ordo mundi casu ordinis expertè constare non possit, necesse est in opificis ipsius intelligentia formam esse, ad cuius similitudinem sit effectus. Et quoniam Dei proposito vniuersi ordo potissimus est, principalis

penes illum idea, est idea ordinis vniuersi. Ratio verò ordinis atque totius haberi non potest, nisi rationes propriæ partium omnium ex quibus totum construitur, habeantur. Quemadmodum architectus ædificij speciem non potest concipere, nisi proprias partium eius conceperit rationes. Propriè igitur in Deo sunt omnium rationes, neque aliunde rerum species habent vt distinctæ sint, quam vnde habent vt sint. Neque diuina simplicitas ob idearum multitudinem minus est simplex, cum per formam vnam vnoque intuitu omnes contueatur. Neque dicitur idea diuina essentia, prout simpliciter est essentia, sed quantum huius speciei vel illius est exemplar. Quocirca quatenus rationes ex vna essentia plures intelliguntur, eatenus plures dicuntur ideæ. Respectusque huiusmodi quibus multiplicantur ideæ, non à rebus ipsis efficiuntur, imò ab intellectu diuino suam ad res essentiam comparante, neque sunt (vt ita dicam) reales respectus huiusmodi, quales illi quibus personæ distingui dicuntur, sed potius intellecti. Sub vna autem idea multa & cognoscuntur, & fiunt. Nonnulla etiam per ideam aliorum perspiciuntur, vtpote per idem boni atque habitus, malum atque priuatio, & vt quidam putant, per ideam formæ materia. Proprietates quoque substantię per ideam substantiæ cognoscuntur, qualitates verò cõmunes propriis designantur ideis, quẽadmodum Architectus per domus ipsius formam omnia efficit accidentia quæ domum à principio comitantur, sed quæ domui iam factæ contingunt, puta picturæ atque similia, per alias disponuntur ideas. Sed iam diffusius quam proposuimus, de ideis hic quasi casu quodam occasionem nacti tractauimus. Hæc autem est, & si canes quidam aliter latrant, certissima Platonis nostri Platonicorumque sententia. Quod & supra tetigimus, & aliàs latius declarabimus.

PRobauimus hactenus primam causam varios effectus suos per multiplicem sapientiæ ordinem operari, potiusquam per nudæ simplicisque naturæ necessitatem. Probabimus deinceps, volente Deo, non operari eum externos effectus per meram intelligentiam, nisi accedat voluntatis assensus, quod quidem disputationis huius erat propositum. Prima ratio. Causa prima omnia per se (vt in sequentibus ostendemus) ad finem optimum per vias rectissimas modo congruentissimo dirigit. Hoc facere nequit, nisi per intellectum anticipet finem, discernat vias, metiatur proportionem, quæ inter vias est, ac finẽ, per voluntatem rursus finem approbet, ac viam talem præ cæteris eligat. Hinc Plato in Timæo, Phædone, Philebo, Politico, illos Philosophos detestatur, qui naturalium rerum causas vel ad fortunam, vel ad ipsam siue materiæ siue naturæ necessitatem referunt. Ipse verò naturalia quidem existimat instrumenta quædam intelligentiæ potius, quam agentia, singulosque effectus præcipuè ad finalem, efficientem, formalem causam vbique reducit. Quamobrem si quis quærat quam ob causam terra sit rotunda, respondet, quia videlicet rotunditatis idea participat, ad cuius similitudinem sapientia mundi artifex idcirco terram disponit, quoniam iudicauit voluitque boni ipsius gratia fore melius ita sese habere.

Secunda ratio. Quod comitatur quicquid est, id enti, quantum ens est, conuenit. Quod tale est, in eo quod primum ens est, reperiatur oportet. At quicquid est, hoc habet, vt & absens bonum appetat, & in præsenti bono libentissimè conquiescat. Profectò natura sensus expers per inclinationem quandam facit, sensus per appetitum, intellectus per voluntatem. Ergo cum Deus sit (vt Peripatetico more loquar) ens primum, quis diuinum intellectum negabit præsẽs bonum suum, quod est omne bonum, per voluntatem libenter amplecti? Sicut enim in sua veritate videt omnia vera, quæ ipsa illuminante fiunt vera, ita in sua bonitate vult bona omnia, quæ & ipsius propagatione nascuntur, & ipsa perficiente fiunt bona. Mens autem quælibet volendo facit opera potius quam videndo. Videndo enim replicat formas intus, volendo eas explicat extra, videndo respicit verum, cui propria puritas est, volendo attingit bonum cui propria est diffusio.

Tertia ratio. Sensus, intellectusque ipsius cognitio, quia tanquam imaginarium quiddam in creaturis est, nullum substantialem effectum efficit, nisi per affectum, quod essentiale quiddam esse videtur, vnde quanto esse vehementius afficitur, tanto potentius operatur. Quod quidem indicat quodammodo Struthij oculus auidissimè intentus in ouum. Si intelligentia Dei in creando efficacior est quam Struthij intuitus in fouendo, imò si immensæ est efficaciæ (quod patet ex eo, quod neque subiecto neque instrumento, neque tempore indiget in creando) coniectari possumus, voluntatis affectum esse in diuina intelligentia potentissimum. Adde &

iucundissimum, si modò intelligentia quæ perfectissima est, quæque integerrimo & perfectissimo obiecto semper & vndique, suauissima esse debet.

Quarta ratio. Vbi non est voluntas, quæ est inclinatio mentis ad bonum, ibi non est mentis voluptas, quæ est dilatatio voluntatis in bonum, & quies voluntatis in bono. Si non est ibi voluptas vbi est ipsum bonum, nusquam voluptas erit, quæ vbicunque est, fit ratione boni. In ipso igitur bono voluptas est, & voluntas. Affectus huiusmodi si in creaturis est generationis initium, certè in creatore ipso est creationis origo.

Quinta ratio. Si agentia omnia tam secundum naturam quam secundum artem, opera sua semper ad finem, id est, ad bonum ordinant, & bonitate sua id iaciunt, accipiunt autem operandi ordinem ab agente primo, atque illud est ipsum bonum, constat ipsum opera sua ad finem optimum ordinare. Si enim bona particularia quia bona sunt, & quia ordinantur à summo bono, ad bonum aliquod ordinant singula, quanto magis vniuersale bonum ordinabit ad bonum cuncta, videlicet ad vniuersale bonum? Deus igitur ad seipsum tanquam finem ducit omnia. Nullus enim actionis diuinæ finis est extra Deum, quoniam finis in eodem ordine locatur vnà cum eo quod agit ad finem, estque bonum quiddam, & causam mouet agentem. Nihil autem in eodem ordine cum Deo locatur, nisi ipse Deus. Deus alieno non seruit bono. Nunquam enim particulari bono seruit omne bonum, Deus insuper non mouetur ab aliquo. Si Dei finis est ipsa sua bonitas, Deus suo modo suam appetit & diligit bonitatem. Cum vero & Deus sit intellectualis & bonitas eius intelligibilis, intellectuali dilectione diligit eam. Dilectio huiusmodi in voluntate versatur. Deus igitur vult seipsum. Vult inquam se tanquam finem sui ipsius, & omnium. Ex voluntate autem finis prouenit operatio circa illa quæ diriguntur ad finem. Quapropter diuina voluntas (vt Plato in Timæo inquit) creaturarum omniũ, est initium. Idem apud Mercurium Trismegistum sæpissimè legitur. Putant enim principium vniuersi perfectissimum actionis modum habere debere, id est, vt voluntate sua omnino sit effectionis Dominus, qui omnino est Dominus effectorum, Dominus inquam libera voluntate disponens. Nam si necessitate vel naturæ vel intelligentiæ ageret, ageret simul omnia atque infinita simul, singula quoque cogeret, & momento raptaret.

Voluntas Dei necessaria simul & libera est, & agit liberè.

CAPVT XII.

Satis probatum arbitror. Deum non necessitate naturæ aut intelligentiæ, sed voluntatis imperio singula procreare. quemadmodum verò voluntas eius necessaria simul & libera sit, in præsentia demonstrandum esse censeo.

Ratio prima. Caueat quisque diligentissime, ne in tam temerariam impietatem fortuito incidat, vt aliquando suspicetur Deum ita esse operarique, vt fortè contigerit. Si nulli vnquam rei forte contingit esse operarique, id quod naturaliter est operaturque, puta igni non contingit fortè, sed oportet quod calidus sit, & calefaciat, summo autem enti naturale est vt sit, & summo actui naturale est vt agat, sequitur, Deum qui summum ens, & plus quam ens, & summus actus existit, nullo modo secundum contingentiam esse vel agere. Si vbi plus est rationis, ibi sortis est minus, in Deo, qui summa ratio est, vel fons rationis, nihil potest cogitari fortuitum. Si fortuna non efficit rationem, cum ei contraria sit, imò si priuationis siue defectus, quonam pacto producit aut Deum, aut diuinam aliquam actionem qualibet ratione superiorem? Si Deus est illa ipsa regula, ita rerum omnium ordinatrix, vt ab eis quæ proximè sequuntur, eam omnem contingentiam auferat, quomodo eum sorte quadam contigit sic esse vel operari? Quamobrem Deus non vt contingit ita existit & agit, alioquin nullus vsquam ordo reperiretur vnquam, sed vt decuit, imò vt decet. Decet autem, quia decorum. Ipse verò decor est ipse Deus, à quo & per quem omnia decentia fiunt. Imo vero est agitque vt necesse est, inquã per ipsam necessitatem. Necessitas autem ipse est Deus, per quem & cætera necessaria sunt quæcunque sunt necessaria. Igitur ita est Deus, vt est. Ita agit, vt agit. Et quoniam necessitati nulla præest necessitas, ideo ibi est summa libertas. Libertas est appetibilis tanquam bonum. In summa vero bonitate est quicquid vsquam desiderari potest tanquam bonum. Liber est quicunque viuit vt vult. Viuit vt vult præ cæteris ipsa bonitas, cuius vitam vult voluntas omnis, preter quam nihil aliqua vult voluntas. Est Deus id quod est, ita vt aliud non potuerit esse, (quia est, vt ita dicam omne

ens, omnisque potestas) imò neque voluerit, quia est omne bonum. Posse autem aut velle aliter se habere, imbecillitas esset insipientiaque, in deterius imò in nihilum ruitura.

Ratio secunda. Si incitamentum boni in singulis maximè omnium necessarium est, & maximè omnium voluntarium spontaneumque, certe in ipso bono summa naturæ necessitas vna cum summa voluntatis libertate concurrit, vt alias probauimus. Atque ibi naturæ necessitas voluntatis confirmat libertatem, & libertas necessitati consentit, vsque adeo vt necessario liber voluntariusque Deus sit, & voluntariè necessarius. Ratio tertia. Quandiu res aliqua boni ipsius quasi est expers, tamdiu sibi displicet, & aliud quiddam præter se expetit. Quando verò fit boni particeps, iam sibi ipsi placet, seque vult, & talis est iam, qualis vult esse, & quo magis hoc assequitur, eo magis sibi placet, magisque talis est, qualem se esse vult ipsa. Quapropter ipsum bonum in primis hoc habet, vt se velit summopere, sibique placeat, & tale sit omnino, quale vult ipsum.

Ratio quarta. Si quanto magis aliqua Deo propinquant, tanto minus seruilia sunt, magisque sui iuris euadunt, Deus sui iuris est maximè, vt non modo qualis ipse suapte natura est, talia velit, verum etiam qualiter vult, talis sit omnino, rursus qualia vult, talia quoque faciat, & cuius vult gratia, nullumque agens vsquam vel suæ actionis liberum principium erit, vel finem suæ actioni præscribet, nisi principium finisque vniuersi, & suę actionis sit Dominus, & finem suæ statuerit actioni. Sed ad propositum redeamus. Ratio quinta. In quibus tria hæc, scilicet esse, intelligere, velle, reipsa inter se discrepant, in iis non est absoluta libertas, quoniam in rebus huiusmodi modus volendi sequitur intelligendi normam, hæc essendi conditionem, esse denique sequitur eum qui dedit esse. At in Deo idem est re ipsa, esse, intelligere, velle. Quamobrem ita est per voluntatem suam intelligentiæ essentiæque suę compos, vt non modo sicut est & sicut intelligi suapte natura, ita quoque velit, verum etiam sicuti vult, ita intelligat, atque existat. Ob hanc forsitan rationem Zoroastris sectatores tradunt Deum quodammodo agere semetipsum. Quod in hunc fermè modum quem dicam, Plotinus exposuit. Deus est actus, non alterius, non circa alterum, sed suimet, & circa seipsum: Est enim actus intra se manens. Quoniam vero actus est propter naturam infiniti boni infinitè fœcundus, ideo non caret acto, id est, genito, acto scilicet infinito. At quoniam & per actum intimum, & solus Deus est infinitus, quod inde actũ, id est, genitum est intra Deum, est ipsemet Deus. Deus est actus peruigil, atque perpetuus, ex se, in se, circa se penitus. Ergò vt agit & vigilat, ita prorsus existit. Totus nixus diuini actus circa se vertitur. At dum sibi innititur, quodammodo seipsum agit, id est, gignit, quia si respexerit alio, se perdet. quapropter esse diuinum, actus est ad seipsum, quando non esse diuinum, foret actus ad aliud. Deus vult seipsum. Velle autem & agere, imò etiam esse, idem est omnino. Igitur se volendo, se agit, id est, producit, imò se iam ponit vel signat in esse. Ex his confici vult Plotinus, Deum non ita esse vt forte contigit, vel vt coëgit necessitas, sed vt vigilat, agit atque vult ipse. Sed hęc Deus ipse viderit. A nobis verò id tantum vbique affirmari optamus, quod Deo sit dignum, quale est quod antè proposuimus, in Deo videlicet cum summa necessitate summam congredi libertatem.

Ratio sexta. Sola diuina bonitas est absolutum diuinæ mentis obiectum. Nã quælibet vis æquari obiecto potest, excedere minimè. Nihil autẽ extra Deum est, quod Deus excedere nequeat. Vult autem seipsum Deus absoluta quadam voluntatis necessitate. Vltimum namque finem suũ necessariò volũt omnia. Diuina bonitas Dei finis est vltimus, cuius gratia vult quicquid vult. Aut ergo fatendum est Deum nihil velle, atque esse gustus omnis expertem, quod est absurdum, aut affirmandum, si quid vuult, necessariò velle seipsum, præsertim cum in Deo esse ac velle sit idem. Volendo se, vult reliqua omnia, quæ prout in Deo sunt, sunt ipse Deus, prout ex Deo manant, sunt diuini vultus imagines, atque ad diuinam bonitatem referendam comprobandamque tanquam ad finem præcipuum ordinantur. At verò ille diuinæ voluntatis actus, qui prout diuinam respicit bonitatem, absolutè necessarius est, ille inquam prout respicit creaturas, à quibusdam non absolutè necessarius appellatur. Nam quamuis voluntas finem ipsum necessario velit omnino, ea tamen quæ diriguntur ad finem, conditionali quadam necessitate vult, imò etiam nonnunquam nulla necessitate vult, si quid ex illis est, sine quo finis possideri queat. Diuina autem bonitas non indiget creaturis.

Ratio septima. Conducit ad hæc, quod Deus volendo propriam bonitatem, non

ob aliud vult alia bona, nisi tanquam ipsius imagines. Cum autem diuina bonitas immensa sit, innumerabiles ad eius exemplar effingi imagines possunt, innumerabiles inquam, præter eas insuper quę in his seculis effinguntur. Itaque si ex eo quod propriam vult bonitatem, necessario esse vellet singula quæ imitari eam possunt, certe vellet infinitas creaturas existere, infinitis modis diuinam bonitatem repræsentantes. Si autem vellet, vtique essent. Sed in hac re meminisse oportet, vt placet diuino Thomæ Aquinati nostro, splendori Theologiæ. Quanquam diuinę voluntatis actus secundum conditionem positionemue quando dici potest rem hanc aut illam necessariò velle, videlicet postquam semel eam voluit, cum sit diuina voluntas non aliter immutabilis quam essentia, ipsum tamen suapte natura non habere eum necessitatis absolute respectum ad effectus suos, quem ad seipsum habet.

Ratio octaua, si Deus est perfecta entis causa, atque ens proprius est effectus Dei, eousque saltem Dei actus amplificare se potest, quousque entis potentia potest amplificari, præsertim cum passiuam potentiam ab actu superiore duci oporteat. At in huiusmodi potentia entis continetur quicquid rationi entis non aduersatur, quemadmodum in potentia corporalis naturæ sunt quæcunque naturam non auferunt corporalem. Nihil enim effingi potest quod entis rationi repugnet, nisi eius oppositum, hoc est, quod dicitur non ens. Contradictio sola rationem non entis includit. Quæcunque igitur contradictionem nullam includunt, vt Peripatetici putant, in entis potentia includuntur, atque ea omnia potest Deus efficere. Quod inde confirmatur, quod mens exclusa contradictione potest per omnem, imò per immensam entis latitudinem se porrigere. Non debet autem effectrix Dei potestas minus ampla esse, quam mentis potentia machinatrix. Adde quod si diuinus intellectus bona innumerabilia intuetur, voluntas autem eius ad omnia illa se potest conuertere quæ intellectus offert tanquam bona, consequens est vt voluntas Dei finitis obiectis non adstringatur, igitur & potestas eius ad infinita se porrigit. Quorsum hæc? Vt intelligas, quicquid contradictionem non includit, diuinæ potentiæ subiici, atque cum multa non sint in natura rerum, quæ tamen si essent, contradictionem nullam inferrent, (quod patet præcipuè circa numerum, magnitudinem, interuallaque stellarum) scias plurima sub diuina potentia contineri, quæ tamen in rerum ordine nunquam reperiuntur, & cum Deus eorum quæ potest quædam faciat, quædam non faciat, eum nulla vel naturæ, vel intelligentiæ, vel voluntatis necessitate, sed libera voluntatis electione talia operari.

Ratio nona. Non iniuria Deus electione (vt ita dixerim) quadam operari dicendus est. Siquidem agentia omnia quæcunque per aliud agunt, ducunturque ad operandum, reducenda sunt ad agens primum, quod ita per se agat, vt seipsum ad agendum ducat, ergo vt in actionem suam penitus se conuertat, ergo vt intelligat, velitque operari aut non operari, rursusque ita vel aliter operari. Quæ autem hoc modo proficiscuntur à Deo, nullus ignorat electione libera proficisci. Nullus tamen sapiens nescit electionem in Deo ab essentia non differre. Verum ne putet forte aliquis diuinam voluntatem si ad creata respexerit, singulis vim inferre, meminisse oportet voluntatem Dei male vniuersi bonum quam apparens alicuius particulæ commodum. Nam in illo bono expressior fulget diuinæ bonitatis imago, bonumque illud in ordine quodam videtur consistere. Exactus autem ordo requirit vt omnes rerum gradus in vniuerso contineantur, ita vt quædam sint causæ stabiles, quædam mobiles, & illę quæ mobiles sunt, effectus producant insuper magis vagos, & quodam variabili modo. Nam effectus proximarum causarum modum potius quam remotarum imitari videtur. Deus autem non modo res ipsas vult esse, verum etiam essendi modos qui ad eas per consequentiam requiruntur. Cum verò rebus quibusdam secundum naturæ suæ modum conueniat vt sint quodammodo contingentes, Deus eligit aliquid (vt Theologi quidam inquiunt) quodammodo secundum contingentiam euenire. Nihil tamen ita præuaricatur, vel ordinem vniuersi perturbet, vel ordinatoris effugiat præuidentiam.

Deus amat, & prouidet.

CAPVT XIII.

SI Deus sibi ipse placet, si amat seipsum, profecto imagines suas & sua diligit opera. Diligit faber opera sua, quæ ex materia fecit externa. Amat multo magis filium genitor, quem ex materia intrinseca generauit, quãuis eam prius acceperit (dũ comederet) aliunde. Amat Deus ardentius

sua quælibet opera, cùm non acceperit aliunde materiam, sed ipse idem materiam creauerit, qui & formauit, quo fit vt & solus, & totius operis causa fuerit. Si Deus vsque adeò amat opera sua, bona illis vult, quod verò vult consequitur. Igitur bene illa disponit, & sūma sua bonitate disponit quam optimè. Sicut enim fœcunditas procliuitasque ad agendum agentibus omnibus, ab agentis primi fœcunditate ingenita est, sic diligentia in custodiendis operibus inserta est singulis à diligentia prima agentis primi omnium tanquam filiorum procuratoris. In quo, quanto maior fœcunditas est quàm in cæteris, tanto & diligentior prouidentia. Rursus, Deus sui gratia facit cuncta, quia si ad alium finem præter seipsum ageret, ab illo fine penderet actio Dei, ergo & ab eodem agendi voluntas, ab eodem quoque Deus, cùm idem sit Deus, Deique voluntas. Si ad sui finem facit omnia, atque ipse summum est bonum, ad bonum (vt Plato vult in Timæo) cuncta disponit, ita vt singula pro natura sua diuinam capiant bonitatem. Præterea, cùm omnia bonum appetant, bonique appetitio bona sit, & ideò ab ipso sit primo bono, vnde sunt bona omnia, sequitur vt à diuina bonitate intellecta, diuinam appetant bonitatem.

Quis igitur negauerit Deum res gubernare, cùm eas ad bonum dirigant finem? Elementa membraque mundi, contraria sua inter se natura formæ virtutisve pugnantia, quo pacto coirent in vnum, ac manerent tamdiu inuicem copulata, mutuarentque sibi vicissim naturas motusque, & mutuarentur, nisi ab aliqua excellentiori virtute connecterentur? Porrò, si mundi gubernatio his membris eius inter se contrariis relinquatur, hæc ponderibus librata suis, locisque disiuncta, inuicem non miscebuntur. Ac si misceantur, nihil aliud agent quàm calida, frigida, sicca, humida, arida vel densa, & reliqua generis eiusdem. Ordinem verò formarum, figurarum, reuolutionum nullum constituent. Siquidem & in artibus huiusmodi ordinem non materia facit, non instrumenta, sed sola artificis cogitatio. Et si cœlum quodammodo elementa regit, non tamen ita regit quin ipsum aliunde regatur. Tanta enim in ipso diuersitas formarum, virtutum, motionum, non ab ipsis cœli corporibus suaptè natura diuersis mobilibusque, sed à virtute quadam superiore per se vna prorsus & stabili, in ordinem vnum stabilemque dirigitur. Denique naturale agens, siue elementale, siue cœleste, tum quia mobile est, ideoque egenum imperfectumque, semper aliunde dependet, tum qui necessitate naturæ seque toto agit quicquid agit, ideo mensuram modumque agendi per certos gradus certo fini conuenientem à rectore quodam superno sortitur. Calidum enim siue secundum formam siue secundum virtutem, simpliciter vbique & omnino dissoluit, frigidum verò condensat. Quod igitur tam illud vtiliter conuenienterque dissoluat, quàm hoc simili ratione condenset, idque continuè & ordinatissimè faciant, non à natura simplici, non à casu, sed à causa superna suscipiunt. Et quia sphæræ continuo motu continuè à præsenti habitu digredientes, in seipsis non quiescunt: ideo & sunt & mouentur ab alio, penes quem sit finis, cuius gratia mouentur & agunt, siquidem finis, motiones ad finem, intentione quadam necessario antecedit. Hinc Aristoteles in libris diuinorum ait: Sicut ordo partium exercitus ad inuicem & ad totum, procedit ex ordine totius ad ducem vnum, ita ordo mundanarum partium ad inuicem, & ad totum, pendet ex ordine totius ad Deum. Vnde concludit, sicut exercitus ordo est in duce, ita mundi totius ordinem esse in Deo, vno tantum principe mundi. Proinde partes mundi & corpuscula quælibet ad certum finem per viam ordinatissimam & commodissimos modos aut plurimum ita proficiscuntur, vt peragant sæpissimè opera sua quanto melius effici possunt, perinde ac si artem intus haberent, & artem quidem absolutissimam. Imò tam mirabili ratione progrediuntur, vt humanam artem rationemque expuerent. Et cum ipsa corpora sui motus ignara sint, ac propterea finem ad quem non casu sed necessario tendunt, sibi ipsa præscribere nesciant, habeant tamen præscriptum (alioqui non ad hunc magis finem quàm ad alium peragerent) constat eis ab alio quodam finem præscribi quem appetant, cuius sapientia ita ducantur ad finem, sicuti sagittæ ad signum à prudentia sagittarij diriguntur. Vbinam hæc sapientia est? Si in summo Deo, prouidet rebus Deus, cum conciliet inuicem repugnantia, ne se vicissim interimant, atque ad fines optimos cuncta perducat. Sin in alia quauis infra Deum angelica mente vel anima, scito Deum omnia quæ infra se sunt, mouere. Quare si angelica mens aut anima quædam regit mundum, ducitque ad bonum, certè & ducta à Deo & Dei virtute id agit. quapropter Deus primus ac summus est rector, qui prouidere potest omnibus, si potest per intellectum omnia facere, cum

præstantius sit per intelligentiam facere, quam considerare & conseruare iam facta. Scit etiam regere cuncta, si facere non nesciuit. Vult denique gubernare & custodire quæ sua sunt, quæ fecit ipse, quibus non inuidet bene essendi dona, postquam non inuidit munus essendi. Gubernat autem quęlibet facilitate mirabili. Neque enim alienas tractat materias, quas acceperit aliunde, sed suas, quas facit ipse. Neque attingit extrinsecus, sed intrinsecus agitat. Inest namque rerum omnium penetralibus. Neque laborat circa plurima, sed per ipsum esse suum, qui vniuersalis omnium cardo est, sequentes versat cardines, id est, essentiam, vitam, mentem, animam, naturam, materiam. Atque (vt Platonicus aliquis diceret) per cardinem quoque cuiusque ordinis proprium, ipsum proprium versat ordinem, id est, per vnam essentiam, essentias omnes, per vitam vnam, omnes vitas, per vnam mentem, omnes mentes, per vnam similiter animam, singulas animas, per naturam naturas, per materiam verò materias. Neque eius decreto aliquid reluctatur quia immenso interuallo superat omnia. Diuinè de diuina natura ita cecinit Orpheus.

Ἀενάῳ στροφάλιγγι θοὸν ῥύμα δινεύουσα,

id est, perpetuo cardine velocem impetum voluntas. Compertum est esse in animali neruum quendam circa nucam, quem qui trahunt, cuncta simul animalis membra ita mouent, vt singula propriis motibus moueantur. Simili quodam tactu scribit Aristoteles in libro de mundo, à Deo mundi membra moueri. Vbi prouidentiam asserit apertissimè. Quam in decimo quoque moralium significat, & in Physicis, vbi probat naturam certum vbique optimumque finem respicere, operaque ipsius opera esse intelligentiæ, non errantis. Vidimus Florentiæ Germani opificis tabernaculum, in quo diuersorum animalium statuæ ad pilam vnam connexæ atque libratæ, pilæ ipsius motu simul diuersis motibus agebantur, aliæ ad dextram currebant, aliæ ad sinistram, sursum atque deorsum, aliæ sedentes assurgebant, aliæ stantes inclinabantur, hæ illas coronabant, illæ alias vulnerabant. Tubarum quoque & cornuum sonitus, & auium cantus audiebantur, aliaque illic simul fiebant, & similia succedebant quàm plurima vno tantum vnius pilæ momento. Sic Deus per ipsum esse suum (quod idem reipsa est ac intelligere atque velle, quodque est simplicissimum quoddam omnium centrum, à quo, vt alias diximus, reliqua tanquam lineæ deducuntur) facillimo nutu vibrat quicquid inde dependet. Taceat igitur Lucretius Epicureus, qui casu fieri ac ferri vult mundum, & constantem formosissimi ordinis habitum ex instabili desormique priuatione ordinis proficisci existimat, perinde ac si quis ex insipientia sapientiam, & ex tenebris nasci lucem arbitraretur. An tu Lucreti quoties casu absque consilio & proposito fine moueris, toties vno quodam recto tramite ad certum eundemque terminum proficisceris? nequaquam, sed hac & illac oberras. An quando absque arte & præscripto fine tractas lapides, tunc ordinatissimis & contextis inuicem parietibus ædificium construis, & aspectu pulcherrimum, & vsui commodissimum? nequaquam, sed deformem inutilemque congeriem. Considera plantas & animalia, quorum membra ita disposita sunt, vt alterum alterius gratia sit locatum, alterum seruiat alteri. Certè vno sublato, tota fermè compago dissoluitur. Cuncta denique membra, totius compositi gratia sunt digesta, & compositum ipsum, scilicet, planta & animal, conuenientibus instrumentis instructum ad opera naturæ propriæ necessaria omnibus alimenta, loca, temporaque prouisa, terra & aqua his elementa parant, cœlum temperat aquam ac terram. Tandem partes mundi cunctæ ad vnum quendam totius mundi decorem ita concurrunt, vt nihil subtrahi possit, nihil addi. An si tu omni consilio fuisses arboribus & animalibus prouisurus, aliter prouidisses? Non aliter, sed neque tam bene. Consilium igitur consilio tuo melius hæc disponit. Alioquin videres quotidie quam plurimis tam membra quædam sua, quàm instrumenta vbique deesse, item ex equi semine nasci canes, ficus ex malis, & membra hominis annexa leonibus, hominibus asinorum, cadere stellas, ascendere lapides. Nunc verò quia singulæ mundi partes certis seminibus ortæ, distinctis figuris prędità, recta via, congruis temporibus & ordinibus pulcherrimè & commodissimè certos petunt terminos atque repetunt, consequens est vt eodem modo moueantur, quo & illa quæ arte & consilio mouentur humano. Si modo eodem, ergo eadem penè arte, eodemque consilio, & tanto præstantiore, quanto pulchrius & stabilius ordinantur. Consilio inquam non ambiguo & mobili, sed certo penitus atque subito, & intuitu potius quàm discursu. Si enim in opere non est mora, vel transgressio vsquam, vel retractio, non est ambiguitas in opifice. Intuitum huiusmodi translationem quandam consilium appellamus, non quod ibi alia inuestigentur ex aliis, sed

quòd alia aliorum gratia fiant. Solent incertes homines de artificiis consultare. At verò qui artem perfectè callet, nihil consultat amplius, sed ita habitu facit, sicut natura formis. Quod si est ars alicubi perfectissima, ibi certè est, vnde mirabile hoc opus mundi disponitur. Artem huiusmodi in natura fortasse locabis sensus omnis expertem. Ego verò sensu carere te dicam, si tam fueris alienus à sensu, vt non sentias, si bestiolæ quæque terrenæ sentiunt, oportere multo magis totum mundum & artificem omnium naturam sensum habere, sensum, inquam, rationalem, si rationabilius sua opera ordinat, quam hominis ratio. Admirationem autem minuit diuturna consuetudo. At si parentes tui te clausa vndique domo sic ab infantia educauissent, vt mirabile hunc mundi decorem ante annum ætatis trigesimum non vidisses, & tunc repentè tibi aperta domo monstratus fuisset, proculdubio nouum harum rerum spectaculum esses vsque adeo admiratus, vt quamuis ante ambiguus, postea tamen nunquam ambigere potuisses, quin cuncta vnius sapientissimi artificis prouidentia fiant atque regantur. Fateamur igitur necessarium est Lucreti, quod cum partes effectusque mundi constanti ordine procedant, non potest totus ipse mundus præter constantiam ordinemque vel nunc procedere, vel ab initio prodiisse. Fateamur denique, quod neque sua sponte mouetur mundus sine vita, neque tam diu tam æqualiter voluitur sine potentissima vita, neque tanto ordine sine sapientissima mente, neque tam optimè & commodissimè absque summo bono, sed vita quædam vna, regina vnius mundani corporis, potentia, sapientia, bonitate præcellens, mundum prouidentissime & ab initio & continuè perducit ad optimum. Hæc vel summus est Deus, vel Dei summi pedisequa. Si summus est Deus, Deus prouidet certè. Si Dei pedisequa, Deus etiam prouidet, quoniam primum principium sui ipsius gratia agit, mouetque cuncta. Diuinè de Ioue dixit Orpheus.

πάντων γενέθλ' ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή.

id est, omnium genitor, principiumque & finis. Ideo si vita mundi prouidet, profectò ducta à Deo, ad Dei prouidet finem: igitur ad Dei bonitatem omnia denique diriguntur. Atqui hæc bonitas cum totius operis sui habeat curam, certè partes negligit nullas. Ex singulis enim constat optimus totius compositi status & habitus. Totum hoc Orpheus sic expressit.

πάντ' ἐσορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, πάντα τε βραβεύεις,

id est, omnia intus inspicis, omnia intus audis, omniaque distribuis. Quoniam verò tota mundi compago gratia diuinæ bonitatis referendæ instituta est, & partes mundi gratia ipsius compagis appositæ sunt, non est in toto hoc opere summa prorsus perfectio requirenda, sed quanta sufficit ad sublimiorem authoris perfectionem pro viribus iudicandam. Neque exigenda est in quauis mundi parte quælibet partis illius perfectio, sed quæ cæteris partibus concinnat, totique conducat. Sic licet nonnunquam aliqua particulæ alicuius mundanæ conditio videatur per se esse culpanda, si tamen ad totius statum comparetur, inueniemus non aliter mundum posse bene disponi, quam ita. Sanè vniuersi conditor non totum ipsum ad partes vllas, sed partes potius ad totum refert. Merito igitur quæ alicubi circa partes vel mala videntur vel deformia, denique in totius ornamentum bonumque euadunt. quapropter apud Orpheum Deus vocatur.

ἀίδιος ζωή, ἠδ' ἀθανάτη τε πρόνοια,

id est, sempiterna vita, immortalisque prouidentia. Hanc prouidentiam Mercurius esse dicit generis humani tutricem, & Plato in quarto legum libro inquit, Deum continere principia, media, finesque omnium, ambire cuncta, ac rectè disponere singula. Mitibus religiosisque viris esse propitium, superbos impiosque punire. Neque tolli putat per diuinam prouidentiam nostri arbitrij libertatem, imò seruari, quod aperit in decimo libro de Repub. in libro etiam de regno, & in Critia, quia Deus non tam sciendo facit quàm volendo. Alioqui simul cuncta fecisset & faceret, faceret quoque mala. Item sicut in præscientia Dei, futuri scripti sunt rerum euentus, ita & euentuum causæ, modique agendi. Et sicut opera nostra nota sunt Deo, ita & nostra voluntas, quæ nostrorum est operum causa & modus liber agendi. Sicut enim præuidet te id facturum, ita præuidet te ita, id est, voluntariè libereque facturum. Quare diuina præuisio si conditionis alicuius positione, reddit necessaria nostra opera, reddit necessarium, id est, confirmat similiter agendi modum, hoc est nostri iudicij libertatem, quoniam Deus naturarum omnium temperator cuique rei conseruat non subtrahit naturam quam dederat. Sic dum regit cuncta, singula pro singulorum regit natura, ascendentibus elementis ad ascensum conducit, descendentibus ad descensũ. Si regit animalium motum, quia ille natura sua pro-

gressurus est, confert ad gradiendũ. Si cœlos ducit, quia ob rotunditatem natura volubiles sunt, confert ad circuitus ambitum. Si animos pulsat, quia illi sursum deorsumque liberè volubiles sunt, pulsat, & liberè, ita vt alliciat, non trahat, non cogat, sed persuadeat. Quod Zoroaster ita testatur.

πατὴρ οὐ φόβον ἐνθρώσκει, πειθὼ δ' ἐπιχέυει,

id est, Pater non incurrit metum, sed persuasionem inducit. Quoniam verò motor primus præualere debet & dominari, ideo sic animos (vt Plato vult) quasi cogit ad bonum, vt bonum ipsum nolle non possint. Bonum enim necessariò volunt omnia, cuius ratione volunt quicquid volunt, sicut necessario malum ipsum nolunt, cuius ratione nolunt quicquid nolunt. Nam si adæquatum appetitus obiectum est ipsum bonum, certè bonitas est ratio ipsa appetendi quicquid appetat, ita vt in omni re quam appetit non aliter bonum appetat, quam visus in omni colore videt lumen. Ac, si appetat vlterius nihil appetere, hanc quoque appetendi vacationem eligit tanquam bonam. Animus igitur necessario fertur ad bonum. At quia Deus debet naturam animo propriam reseruare, ideo iudicium ipsi relinquit liberum per quod de agendis suo more consultet, atque è multis sibi propositis aliud alio melius iudicet, & quod aptius ad bonum consequendum censuerit, eligat.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

LIBER TERTIVS.

Descensus per quinque gradus fit, per quos est factus ascensus, qui gradus inuicem congrue comparantur.

CAPVT PRIMVM.



Ascendimus hactenus à corpore in qualitatem, ab hac in animam, ab anima in Angelum, ab eo in Deum, vnum, verum & bonum, authorem omnium atque rectorem. Corpus appellant Pythagorici multa, qualitatem multa & vnum. Animam vnum & multa. Angelum vnum multa. Deum denique vnum, quia corpus ad quamlibet speciem indeterminatum est, & suaptè natura sine fine diuiduum, cuius materiam in infinitum fluxuram inquiunt, nisi eam forma sistat & vniat. Qualitas ad materiam specie terminandam confert, & est per se quodammodo indiuidua, sed per admixtionem corporis fit diuisibilis. Anima materiam specie terminat, neque per se, neque per inquinationem corporis est diuisibilis, sed mobilis multitudo. Angelus receptaculum specierũ est, & multitudo immobilis. Deus super species immobilis vnitas. Deũ aiunt per se omnino indissolubilem esse, quia ipsa vnitas statusque sit, corpora verò ex elementis composita, prorsus dissolubilia, quoniam in eis & multitudo vnitatem, & motus superat statum. Sed Angelos, animas, sphæras, & stellas dissolubiles quidem videri quodammodo, quatenus partes habent, esse tamen indissolubiles, propterea quod in ipsis vnitas statusque multitudinem motumque exuperant. Hic autem est nodus ille diuinus, quo Deus (vt Timæus putat) hæc per se solubilia, semper indissolubilia conseruat.

Tam potens est vnitatis ipsius statusque

mutus, vt in infimo solùm vniuersi gradu excedi ab oppositis videatur. Sed tamen interim ibi quoque quodammodo vincat, siquidem materiam ipsam infinitæ multitudini mutationique subiectam, semper custodit in vnitate substantiæ, atque ordinis permanentem. Est vtique Deus vnitas, vt probauimus. Est & immobilis, quia neque ab alio mouetur, cùm nihil sit illo validius, neque à seipso, quia ad melius se trãsferre nequit, cùm sit ipsum bonum. Ad deterius autem nihil sua sponte se mouet. Ac si Deus fluere de alio dicatur in aliud, quæremus nunquid nouum aliquid assequatur, an nihil. Si nihil assequitur nouum, neque mutatus est quidem. Si noui aliquid, ante non omnia possidebat. Quod non possidet omnia, non est Deus, ex eo quod est vbique, non mutat locum, ex eo quod est omnium finis, circa aliud non mouetur, ex eo quod est simplicissimus, etiam in se est immobilis. Nam si moueatur in se, aut partem ipsius alteram ad alteram admouebit, aut saltem noua quædam in seipso cum veteribus congregabit. Erit enim per substantiam, quod erat ante, ac nouam insuper induet formam, neque esse poterit simplicissimus. Denique Deus ipsa vnitas est. Vnitas autem status ipsius est fundamentum, quia sicut in multitudinem motus progreditur, sic vnitati status innititur. Illud enim in quauis natura stare dicitur, quod vnum in ea continuè habitum ita possidetur, vt ab eius naturæ vnitate non discedat. Fundamentum verò status omnis quis dixerit esse mutabile. Possumus autem rationes huiusmodi per argumentationem illam numeri Pythagorici confirmare. Quicquid, inquit, secundum præteritum futurumque mutatur, priuationem quandam habet admixtam, futurum enim nondum est, præteritum non amplius est. In Deo autem, cum ipse sit primum ens, actusque summus, nulla est priuatio, est igitur immutabilis. Angelus quoque immobilis est, quoniam à Deo totius bonitatis fonte bonũ per seipsum haurit absque medio, & vno æternitatis puncto impletur inde, ac permanet semper bonitate plenissimus. Quoniam verò omnis effectus extra causam suam productus, aliquid causæ seruat & inferior etiam euadit quàm causa, ideo Angelus proximè Deo creatus, aliquid Dei seruat, amittit & aliquid. Deus quidem vnitatem habet & statum, retinere vtrumque non potest Angelus. Esset enim Deus ipse, non Angelus. Neque etiam amittit vtrumque, ne proximum ac primum Dei opus euadat opifici dissimillimum. Quid ergo? vnitatem ne solam retinebit? an statum? Solam vnitatem nequit sine statu. Vnitas enim ipsa est prorsus immobilis. Itaque retinebit statum, sed à simplici decidet vnitate, vt Angelus sit immobilis multitudo. Neque iniuria multitudinem Angelo assignamus, quia si sit perfecta & absolutissima vnitas, erit summa & interminata potestas. Siquidem virtus in vnitate consistit. Interminata potestas vnus ipse est Deus. Porrò si corporis proprium est suscipere atque pati, naturæ autem incorporalis proprium dare & agere, in natura corporali dicitur esse potentia, potentia scilicet (vt aiunt Theologi) susceptiua atque passiua, in natura incorporali actus, id est, efficacia ad agendum. Ideo qualitas quia per se quodammodo incorporalis est, aliquam agendi vim habet, vnde & actus cognominatur. Quia verò in materia suscipitur & diuiditur, fitque inde quodammodo corporalis, hinc non merus est actus, sed passione corporis inquinatus. Constat igitur qualitas ex actu atque potentia. Anima autem licet sit à materia separabilis, atque ob id actus dicatur, & à passione corporis aliena, tamen nondum merus est actus, est enim mobilis. Si mouetur aliquid, per motum nanciscitur quo ante caruerat, vt carebat, potentiam illam habet, quam susceptiuam & quodammodo passiuam potentiam nuncupamus. Vt agit mouendo nonnihil, est actus, & dum acquirit aliquid, etiam actus efficitur.

Est ergo anima ex potentia & actu composita. Sed nunquid Angelus actus est merus? Minimè. Deus planè, quia distat penitus à materia, in qua passiua potentia est sine vlla agendi virtute, ideo merus esse intelligitur vigor agendi seorsum à suscipiendi patiendique natura. Si Deus est purus actus, nequit Angelus esse talis, quia quod vnum in se est, nunquam fit plura, nisi per alienæ naturæ additamentum. Vnica est ipsius puri actus natura & definitio, quæ in Deo quidem est, vt patet. Quod si etiam in Angelo dicatur esse, interrogabimus, nunquid in Angelo sit aliquid aliud præter actum, necne. Si nihil, vnus solummodo restat actus purus. Siquidem nihil differt actus qui tribuitur Angelo, ab actu Dei, cum nihil insit vtrisque præter actum, & actus ipse sua ratione sit vnus. Sin additum est aliquid Angelo præter actum, non amplius est Angelus purus actus, sed infectus permixtione, & actus non absolutus, sed talis potius, aut talis. Sicut non est pura lux quæ viridis est, vel rubens, sed est & lux simul & qualitas elementorum aliqua, per

quam rubens sit vel viridis. Quapropter Angelus quoque ex actu componitur & potentia. Atque hoc est quod in Philebo vult Plato, vbi ait Deum esse rerum omnium terminum infiniti expertem, res autem alias præter ipsum omnes ex termino & infinito componi. Terminum vocat actum, infinitum verò potentiam quæ secundum se indeterminata terminatur & formatur ab actu. Sed vt ad rem veniamus, potentia quidem Angeli in essentia sua est, quæ prius quodammodo fit à Deo quam ab ipso formetur. In primo namque creationis suæ momento Angelus est solummodo, in alio ab authore illustratur vt sit intelligens atque formatur. Idcirco essentia illa principio informis est quodammodo, & tanquam passiuum subiectum quoddam exponitur ad actum intelligendi, & formarum idearumque ornatum suscipiendum, de quo Zoroaster ait.

πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέσχηχε δευτέρῳ,

id est, omnia perfecit pater, & menti præbuit secundæ. Est igitur Angelus multitudo cum constet ex pluribus. Multitudo inquam immobilis. In illo certè Deo inferior est, quod non est vera vnitas, sicut Deus. In hoc propinquat quod est fermè (vt ita loquar) sicut Deus immobilis. Rectè post Deum immobilem vnitatem ponitur Angelus immobilis multitudo. Post Angelum anima, quæ longius etiam distat à Deo, quia est mobilis multitudo. Multitudo quidem est, cum nihil post Deum esse queat vnitas simplicissima. Est quodammodo mobilis, quia longius recedens à Deo propinqua fit corporum qualitatibus quæ penitus agitantur. Si omnino immobilis esset vtique Angelus, si omnino mobilis esset qualitas. Medium tamen aliquod inter Angelum esse oportet & corporum qualitates, ne omnino immobilis Angelus mobili qualitati sit proximus, sit itaque partim etiam mobilis. Stabit eius substantia, neque in maius minusue, aut hoc aut illud mutabitur. Fluet autem operatio, & modo hæc, modo illa, atque aliter & aliter operabitur. Qualitas autem anima inferior est, quandoquidem per essentiam operationemque mutatur. Qualitate inferius corpus. Qualitas enim mouetur & mouet, mouet enim corpora. Corpus mouetur quidem, mouet nihil. Angelus quidem quod sit vnum quiddam, & quòd sit actus, non à seipso habet, sed à Deo verè vno, actuque purissimo.

Sed quòd sit multiplex per potentiam suscipiendi & patiendi, habet ex seipso, quantum extra Deum productus, à productoris perfectione degenerat. Multitudo igitur naturalis est Angelo. Anima quoque quòd vna quædam substantia sit, & quod sit actus stabilis per essentiam, non à seipsa, sed à Deo sortitur actu vno & stabilissimo. Quòd verò multiplex sit & passiua, ex seipsa possidet, quia sub Deo locatur. Quod denique mobilis, ex seipsa rursus quia sub Angelo. Sicut igitur vnitas naturalis est Deo, & Angelo multitudo, ita motus naturalis est animæ. Lux Dei producit Angelum, sub Dei scilicet vmbra, lux Dei animam sub vmbra producit Angeli. Angelus à Dei vno actu vnitatem stabilem adipiscitur, sub Dei vmbra cadit in multitudinem, anima Dei luce statum nanciscitur, sub vmbra Dei multitudinem, sub Angeli vmbra mutationem. Fons vnitatis Deus, fons multitudinis Angelus, fons motionis est anima. Deus per seipsum vnitas, Angelus per Deum est vnus, per se multiplex. Anima per Deum vna, per Dei vmbram, id est, quia sub Deo est simul cum Angelo, multiplex per seipsam mobilis. Qualitas per superiora habet vt moueat aliquid, per se habet vt materiæ misceatur. Corpus per qualitatem habet vt agat, per se solum vt patiatur. Qualitas vno gradu excedit corpus, quod mouet ipsum, vno saltem cedit animæ, quod mouetur ab illa. Anima saltem vno excedit qualitatem, quod ex seipsa mouetur, vno cedit Angelo, quòd mutatur, Angelus animam vno quod manet, Deo cedit vno, quod multiplex est. Deus tamen per hoc vnum abit super omnia in infinitum. Quod ita cecinit Zoroaster.

ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασεν
οὐδ᾽ ἐν δυνάμει μὲν νοερᾷ, κλείσας ἴδιον πῦρ,

id est, Pater per seipsum rapuit, neque in mente quidem quæ illum sequitur, proprium inclusit ignem. Quasi dicat, nullam habet cum cæteris comparationem. Corpus ab alio mouetur solum, nihil enim natura sua facit. Qualitas mouet aliud, & mouetur ab alio. Anima mouet quidem aliud, sed à seipsa mouetur. Angelus mouet alia, id est, agit in alia, ipse quidem stabilis, sed non stabilis per seipsum. Nam per diuinam stat vnitatem. quid enim aliud stare est (vt diximus) quam in naturæ suæ vnitatē perseuerare? Mouet quoque per Deum. Virtute enim primi actus agunt agentia omnia quicquid agunt, Deus per se mouet agitque omnia, ipse quidem stabilis per seipsum. Sanè quia omnia quæ per aliud talia sunt, reducuntur ad primum aliquid quod est tale per semetipsum, idcirco quæcun-

que stabilia sunt, & mouentia per aliud, retulimus ad Deum per se stabilem, & per se mouentem. Et quæcunque mobilia sunt ab alio, puta corpora & qualitates, retulimus ad animam mobilem per seipsam, per se inquam mobilem, quia si à Deo descendas per Angelum, tam Deus quàm Angelus stare tibi videbitur, & primum quod mobile tibi occurret, est anima. Quicquid autem primò tale est in aliquo genere, per se est tale, puta quod primò est lucidum aut calidum, per se lucet & calet. Sic anima quoniam est primum mobile inter omnia quæ sunt mobilia, est vtique per se mobilis. Cuius rei signum est, quia corpora quæ carent anima, impulsu solum agitantur externo, quæ animam habent, sua sponte mouentur, & in quamlibet loci partem. Et quoniam anima id præstat corporibus, vt per se quodammodo in partem quamlibet moueantur, sequitur vt ipsa sit verè & primo mobilis per seipsam, primumque mobile, postquam per eius præsentiam apparet in corpore, imago aliqua per se mobilis facultatis, fitque ibi motus in omnem partem, quod significat animam esse fontem motus, vnde libera & vniuersalis effluit agitatio. Per hæc solutum arbitror Pythagoricum illud ænigma à Xenocrate vsurpatum, scilicet animam esse numerum se mouentem, numerum, id est, naturam multiplicem, se mouentem, id est, sua proprietate mutabilem. Talem verò naturam esse alicubi oportere, multa nobis (vt significauimus iam) declarant.

Primum, quòd omne quod per aliud tale est, reducitur ad aliquid quod per se fit tale. Secundum, quia cum sint multa quæ mouentur ab alio, si omnia talia sunt, vel in infinitum vagabimur, vel circulo reuoluemur eodem, vt idem sit primus motor & vltimus, causa idem atque effectus, neque in rebus ordo sit vllus. Quocirca ad motorem aliquem peruenire compellimur, qui iam non moueatur ab alio. Sed motor ille qui proximè præcedit corpora quæ mouentur ab alio, non est prorsus immobilis, longius enim distant duo hæc, quod ab alio mobile, quod omnino est stabile, medium eorum est, quod ex seipso est mutabile. Tertium, quia si tanto melius res quælibet mouetur, quanto est motori propinquior, & ad optimum motum perueniendum est, oportet alicubi esse aliquid in quo eadem sit mobilis & motoris essentia. Quartum, quia si mouendum est aliquid, oportet vel motorem ad mobile ipsum conuerti, vel contrà, vel vtrunque vicissim. Ponantur igitur in natura Angeli Deusque solum & corpora. Illi adhæc non accedent, quia sunt immutabiles, neque hæc ad illos, quia suaptè natura torpent. Ergo nec vllus erit motus in rebus. Sit ergo necesse est natura quædam sua sponte mutabilis, quæ per se accedens ad corpora, torpentia ea suscitet, & ipsa peruigil vires suas in seipsa prius experiatur, quàm edat in corpore, vt sicut à spiritali substantia fit substantia corporalis, sic à spiritali motu corporalis motus efficiatur. Quod quidem intellexisse Platonem in Legibus arbitror, vbi inquit: Si nunc stent omnia, & paulo post moueri aliquid debeat, quid primò mouebitur? Ipsum videlicet quod per seipsum agile est ad motum, tanquam mouendi virtuti propinquius, cuius motum cætera quoque motui subiecta sequentur. Id vocat in Phædro fontem & principium motionis. Fontem, quia ex se eam habet, principium, quia effundit in alia. Sed hic oritur dubitatio: Si Deus & Angelus mouent aliquid, atque anima illis subiicitur, ab illis vtique agitatur, quomodo igitur à se mouetur?

Respondeamus in hunc modum. Cum inspiceret pratum Apelles, conatus est ipsum coloribus in tabula pingere. Pratum quidem totum subito se monstrauit, & subito appetitum Apellis accendit. Demonstratio huiusmodi & accensio, actus quidem dici potest, quoniam agit aliquid, motus verò nequaquam, quia non peragitur paulatim. Motus enim est actus per temporis momenta discurrens. Actus vero considerandi atque pingendi qui in Apelle fit, motus ideo dicitur, quoniam transigitur paulatim, modo enim alium florem inspicit, modo alium, pingitque similiter. Pratum profectò facit vt anima Apellis videat ipsum, & appetat pingere, sed vt subito. Quòd autem per diuersa temporis momenta nunc herba vna, nunc alia videatur, & similiter exprimatur, non ipsum efficit pratum, sed Apellis anima, cuius ea natura est, vt non simul inspiciat varia, referatque, sed paulatim. Ergo motionis huius quæ in videndo est atque pingendo, initium & finis est pratum. Inde enim pictoris cœpit consideratio, eodem tendit & appetitio. Sed fons per quem talis actus paulatim fit & tempore, motusque dicitur, est pictoris ipsius anima. Similiter apud Platonicos anima rationalis perpetuo quodam lumine Deum quodammodo & Angelum cogitat siue auguratur, seque ipsam appetit ad eorum similitudinem pingere, tum speculationem, tum moribus atq; actione

sese paulatim formando, se mouet. Motio hæc ex animæ ipsius natura effluit propriè, tanquam fonte proprio motionis, id est, operationis, scilicet temporalis, incitatur autem à supernis tanquam ab extrinseco initio atque fine Infusio quæ à supernis manat in animam, vna stabilis subita fit & æterna, & quantum in se est, similia quoque in anima operatur, id est, subita, & stabilia, & æterna. quod autem operationes animæ & opera paulatim tempore fiant atque mutentur, ex propria animæ natura supernis imbecilliore procedit. Sed rem totam hoc accipe exemplo. Sol ex seipso lumen habet, infundit ipsum momento in Mercurium, Mercurius quoque momento totum suum accipit lumen, manetque semper, deinde plenissimus. Sol idem lumen momento infundit in Lunam, Luna non suscipit ipsum momento, sed tempore. Nam provt aliàs aliter in Solem vertitur, ita aliàs aliter accipit lumen, & per naturam suam vicissitudine luminis variatur. Sol Deum, Mercurius Angelum, Luna significat animam. Quod autem de Mercurio dico, de omnibus similiter super Lunam stellis dictum intellige. Sicut enim illæ ad Solem, sic ad Deum Angeli referuntur. Anima verò sola sicut Luna ad Solem, ita se habet ad Deum. Quapropter nihil obstat quin anima à diuinis descendat, capiatque diuina, & tamen per naturam propriam moueatur, semperque moueri possit & viuere.

Anima est medius rerum gradus, atque omnes gradus, tam superiores quàm inferiores connectit in vnum, dum ipsa & ad superos ascendit, & descendit ad inferos.

CAPVT II.

CÆterum, vt ad id quandoque veniamus, quod cupimus, in quinque gradus iterum omnia colligamus. Deum, scilicet & Angelum in arce naturæ ponentes, corpus & qualitatem in infimo, animam verò inter illa summa & hæc infima mediam, quam merito essentiam tertiam ac mediam more Platonico nominamus, quoniam & ad omnia media est, & vndique tertia. Si à Deo descenderis, tertio descensus gradu hanc reperis. Tertio quoque ascensus gradu, si suprà corpus ascenderis, huiusmodi essentiam in natura summopere necessariam arbitramur. Quoniam Angelus quidem, vt Platonici dicunt, verè est, id est, stat semper, qualitas fit, id est, mouetur aliquando, ideo qualitas omnino differt ab Angelo, tum quia hæc mouetur, ille manet, tum quia hæc fit aliquando, ille est semper, ergo opus est medio, quod partim cum Angelo, partim cum qualitate conueniat. Quid illud? nunquid quod est, id est, intrinsecus manet aliquando? Non. Tale enim aliquid non reperitur, nam quod per tempus aliquod intrinsecus, id est, vel ex se vel ex statu proximè manet, manet & semper, Itaque medium erit illud quod semper fit, id est, mouetur. Quod quia semper est, cum Angelo congruit, quia mouetur cum qualitate. Vnde sequitur esse oportere essentiam tertiam horum mediam, quæ semper moueatur & viuat, suoque motu vitam diffundat in corpora. Rectè dicitur à Platonicis, super id quod est in parte temporis, esse quod est per omne tempus, super illud rursus esse quod est per æuum, denique super illud æuum existere. Sed inter illa quæ sunt æterna solum, atque illa quæ solum sunt temporalia, esse animam quasi quoddam vinculum vtrorumque. Cui quidem hac in re similes quodammodo sunt partes corporis mundani præcipuæ. Sunt & qui cœlum Empyreum tanquam prorsus immobile in æternitate ponant, cæteras verò sphæras in æternitate simul & tempore, composita denique in tempore tantum. Similiter quoque puros intellectus in gradu primo, sed intellectus animales in secundo, tandem animas corporales in tertio. Verum vt ad propositum reuertamur, omne opus quod constat ex pluribus, tunc est perfectissimum, quando ita ex suis membris conglutinatur, vt vnum fiat vndique, sibi constet & consonet, neque facilè dissipetur. quod liquido in quatuor elementorum temperamento corporalis natura demonstrat, vbi terra & ignis longè distantes, per aërem copulantur & aquam. Multo magis in vniuerso Dei opere connexio partium est ponenda, vt vnius Dei vnum quoque sit opus. Deus & corpus extrema sunt in natura, & inuicem diuersissima. Angelus hæc non ligat. Nempè in Deum totus erigitur, corpora negligit. Iure perfectissima & proxima creatura Dei, fit tota diuina, transitq; in Deum. qualitas etiam non connectit extrema, nam declinat ad corpus, superiora relinquit, relictis incorporeis, fit corporalis. Hucusque extrema sunt omnia, seque inuicem superna & inferna fugiunt, cōpetentia carentia vinculo. Verum essentiali illa tertia interiecta, talis existit vt superiora teneat, inferiora non deserat, atq; ita in ea supera cum inferis colligantur.


Est enim immobilis, est & mobilis. Illinc cum superioribus, hinc cum inferioribus conuenit. Si cum vtrisque conuenit, appetit vtraque. Quapropter naturali quodam instinctu ascendit ad supera, descendit ad infera. Et dum ascendit, inferiora non deserit, & dum descendit, sublimia non relinquit. Nam si alterutrum deserat, ad extremum alterum declinabit, neque vera erit vlterius mundi copula. Profecto idem facit, quod aër inter ignem & aquam medius, qui cum igne in calore, cum aqua conuenit in humore. Illic cum igne calet semper, hic cum aqua humet. Illic tenuatur, & clarescit vt ignis, hic vicissim hebescit vt aqua. Imò vero idem facit quod Solis lumen. Id enim à Sole descendit in ignem, & ignem implet, neque deserit Solem. Semper Soli hæret, semper implet & ignem. Perficit quidem aërem, & infecto aëre non inficitur. Similiter oportet essentiam tertiam & diuinis simul hærere, & implere mortalia. Dum diuinis hæret, quia spiritaliter illis vnitur, & spiritalis vnio gignit cognitionem, illa cognoscit. Dum implet corpora, intrinsecus illa mouens, illa viuificat, est igitur diuinorum speculum, vita mortalium, vtrorumque connexio. Sed quomodo corporibus iungitur? Nam fortè cum corpus aliquod ingreditur, vnum quoddam illius corporis tangit punctum, atque ita dicitur vnita corporibus? nequaquam. Vniretur enim puncto, non corpori, neque totum corpus illud viuificaret, sed punctum viueret vnum, toto corpore vita carente. Imò verò si in vnum semper collecta punctum, ita sibiipsi vnita perseueraret, idem esset quod Angelus, qui longè distat à corpore. Vel saltem diuinis eo modo hæreret quidem, corpora verò relinqueret. Igitur non vni duntaxat corporis puncto coniungitur, sed pluribus, atque ita partes corporis implet. Sed nunquid ita implet, vt albas carnes albedo? & omnino quæuis qualitas materiam propriam? Minimè. Sic enim esset idem quod qualitas, atque relictis diuinis ad corpus penitus declinaret. Albedo ita in tota est carne, vt cum ea æqualiter in partes plurimas extendatur & diuidatur, & pars albedinis secundum Physicos in parte sit carnis, & in maiori carnis parte, pars maior albedinis, in minore sit minor. Sic albedo facta est corporalis. Idem pateretur essentia illa quam tertiam esse putamus, si non aliter quā qualitas ista funderetur in corpus, atque ita ad alterum naturæ extremum tracta esse desineret copula mundi. Quamobrem cum corpus ingreditur, singulis corporis particulis tota sit præsens, neque diuiditur distrahiturue in partes vllas ad hoc vt partibus corporis à se inuicem distantibus adstet. Nam per vim indiuiduam tangit corpus, non per latitudinem quantitatis. Igitur integra remanens atque simplex, singulis partibus tota & indiuisa fit præsens. Quemadmodum tota vox significatioque quodammodo simul in singulis domus est partibus, cum tota penè simul audiatur & intelligatur in singulis. Neque impossibile est hanc essentiam, cum sit indiuiduum quiddam in seipso existens, amplæ corporis moli sic totam esse præsentem, imò verò ex eo quod & indiuidua est, & non clauditur loco, potest tota totum quicquid in loco est penetrare & comprehendere. Extensio enim quantitatis vbicunque reperitur, talem vim & præsentiam prohibet, ita vt res extensa per quantitatem, nequeat tota esse simul in pluribus. Quinetiam res illa quæ licet indiuidua sit, est tamen alicubi affixa corporis quantitati (sicut punctum quod tanquam lineæ terminus signatur in linea) nequit tota esse simul per partes quaslibet corporis. Sic punctum quod est alicubi in linea aliqua circuli designatum, neque in omnibus lineis aliis inest, neque per totam diffunditur lineam aut circulum. Punctum vero quod circuli centrum est, nullius lineę proprium, in omnibus quodāmodo lineis reperitur, quæ inde ad circunferentiam deducuntur. Et cum nullum punctum quod in circunferentia designatur, totum circulum æquè respiciat, centrum tamen quod in nulla circunferentia propriè figitur, vniuersum circulum æquè circunspicit. Non potest igitur esse tota simul in pluribus res illa quæ diuidua est, neque etiam res illa quæ licet sit indiuidua, certum tamen in re alia diuidua habet situm. Tertia verò illa essentia neque extensa est, quia esset qualitas, neque in extensione sita alicubi, quia non per se ac liberè moueretur, si non subsisteret per seipsam.

Quapropter est instar puncti alicuius in seipso viuentis, & ab omni quantitate & situ penitus absoluti. Ideo ambit æquo omnem corporis situm, & quando corpus ingreditur, quia ipsa non est proprium quantitatis alicuius punctum, non adstringitur ad punctum aliquod corporeæ quantitatis. Quippè cum sit extra quantitatis genus, non determinatur ad tangendum punctum aliquod quantitatis, sed est vt centrum in lineis omnibus, & circulo toto. Hinc etiam illud sequitur, vt hæc essentia & diuidua sit simul, & indiuidua. Diuidua,

quia per diuisionem corporis vitalem sui vmbram diffundit, dum diuersis partibus corporis se communicat. Indiuidua, quia integra simul adstat & simplex. Diuidua inquam, quia vmbra eius in toto corpore est diuiduo. Indiuidua, quia ipsa per modum indiuiduum est in qualibet corporis parte tota. Indiuidua rursus, quoniam stabilem habet vnitamque substantiam. Diuidua, quoniam per operationem in plura diuiditur, dum per motum operatur & tempus. Indiuidua tertiò, quia suspicit superiora, quæ admodum sunt vnita. Diuidua, quia ad inferiora declinat, quæ plurimum diuiduntur. Talis quædam natura in ordine mundi videtur summopere necessaria, vt post Deum angelumque, qui neque secundum tempus neque secundum dimensionem diuidui sunt, ac supra corpus & qualitates quæ tempore dimensioneque dissipantur, sit medium competens, quod temporali quidem discursione quodammodo diuidatur, non tamen sit dimensione diuisum. Neque rursus in sua quidem natura collectum maneat semper vt illi, neque in partes discerpatur vt ista, sed indiuiduum sit pariter & diuiduum. Hęc illa ipsa essentia est quam Timæus, Locrus & Plato in libro de mundo constare dixerunt ex indiuidua diuiduaque natura. Hæc illa est quæ seipsam inserit mortalibus, neque fit ipsa mortalis Sicut enim seipsam inserit integram, non discerptam, ita & integram retrahit, non dispersam. Et quia dum corpora regit, hæret quoque diuinis, corporum domina est, non comes. Hoc maximum est in natura miraculorum. Reliqua enim sub Deo vnum quiddam in se singula sunt, hæc omnia simul. Imagines in se possidet diuinorum, à quibus ipsa dependet. Inferiorum rationes & exemplaria, quæ quodammodo & ipsa producit. Et cum media omnium sit, vires possidet omnium Quod si ita est, transit in omnia. Et quia ipsa vera est vniuersorum connexio, dum in alia migrat, non deserit alia, sed migrat in singula, ac semper cuncta conuersat, vt merito dici possit centrum naturæ, vniuersorum medium, mundi series, vultus omnium, nodusque & copula mundi.

Qualis sit tertiæ huius essentiæ natura, satis (vt arbitror) diximus. Quod autem hæc ipsa sit propria rationalis animæ sedes, facillimè inde conspicitur, quod huiusmodi est rationalis animæ definitio, Vita & intelligens discurrendo, & corpus viuificans tempore. Hæc eadem est essentiæ illius conditio. Nam viuit, intelligit, corpori præstat vitam. Quòd viuat, apparet, quoniam ea in terris viuere dicimus, quæ sua quadam interiori virtute per omnem partem mouentur, sursum, deorsum, ante, retro, ad dextram & sinistram. Ita plantæ mouentur & animalia. Vbi igitur est motus intimus & communis, ibi vita. Vita, inquam, ibi est vis ipsa interna mouendi. Vis huiusmodi ibi est præcipuè, vbi totius agitationis fons est & origo, primusque motus. Maximè enim est motus intimus atque communis, vbi est primus. Primus autem motus in tertia illa essentia ponitur. Ibi igitur vita est: vita, inquam, talis vt eius participatione corpora viuant & moueantur. Nam est vita corporibus per naturam quàm proxima. Illa igitur essentia tertia est vita viuificans corpora. Est etiam intelligens. Quippè si motus alicubi perfectus est, perfectissimus certè est, vbi primus. Nulla enim perfectio in posteriores motus nisi à primo descendit. Igitur motus est in tertia essentia motionum omnium perfectissimus. Is est autem qui à fonte suo discedit quàm minimum, qui suo fundamento maximè iungitur, qui vnus & æqualis est summopere, qui seipso sufficiens est, qui figuram perfectissimam imitatur. Talis autem est circuitus, vt cuique constat, qui etiam solus omnium motionum est sempiternus. Alij quippè motus aliquem attingunt terminum, vltra quem non liceat progredi, cum nullum sit vsquam spatium infinitum. Circuitus autem vt semel eadem repetit, ita bis ac ter & quater, simili petit ratione, idemque in eo finis est atque principium, ideo cum finiri videtur, tunc incipit. Circuitus igitur sempiternus est essentiæ, tertiæ proprius, ita vt per motum in seipsam circulo reflectatur. Merito autem si mouetur ex se, mouetur & in seipsam, vt finis aliquis motionis fiat, vbi aliquod est principium. Siquidem ipsa motionis causa quodammodo sui ipsius gratia edit motum. Igitur essentia illa à seipsa incipiens, perpetuo in seipsam reuoluitur, vires suas à summis per medias ad infimas explicando, ac rursus infimas per medias ad summas similiter replicando. Si ita est, seipsam, & quæ possidet intus, animaduertit. Si animaduerterit, certè cognoscit. Cognoscit autem intelligēdo, dum essentiam suam spiritalem & à materiæ limitibus absoluta agnoscit. Talium namque cognitio dicitur intellectio. In nobis profectò videmus cognitionem nihil esse aliud quàm spiritalem vnionem ad formam aliquam spiritalem. Visus per suum spiritum spiritali colorum imagini iunctus videt. Iunctus verò materię, nihil cernit quod patet, si quis super acié oculorum solidum aliquod corpus posuerit.

Mens quoque nostra spiritali virtute in corporalibus rerum speciebus rationibusque vnita res ipsas intelligit. Similiter cum essentia tertia (quæ quidem spiritalis est) sibiipsi coniungitur, spiritali modo seipsam animaduertendo cognoscit atque intelligit. Intelligit etiam diuina, quibus spiritali modo hæret quàm proximè. Intelligit & corporalia, ad quæ declinat etiam per naturam. Cognoscit, inquam, temporaliter discurrendo, cùm per operationem sit mobilis. Ex omnibus his colligitur talis quædam essentiæ tertiæ definitio, scilicet vita quæ corpora per naturam viuificat. Cognoscit quoque seipsam & diuina & naturalia per discursum. Quicunque verò non viderit eandem esse animæ quoque rationalis diffinitionem, is anima caret rationali. Quapropter anima rationalis in essentia tertia habet sedem, obtinet naturæ mediam regionem, & omnia connectit in vnum.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

LIBER QVARTVS.

Tres sunt animarum rationalium gradus: in primo, est anima mundi: in secundo, animæ sphærarum: in tertio, animæ animalium, quæ sphæris singulis continentur.

CAPVT PRIMVM.



Rincipio quinque gradus accepimus ascendendo, deinde eos descendendo inuicem comparauimus, tertiò in eorum medio rationalem animam collocauimus. Deinceps animæ huius gradus, sicuti solent Mercuriales Theologi perscrutabimur. Generatio principium est nutritionis & augmenti. Nusquam enim aut nutriri, aut augeri absque partium quarundam generatione quicquam potest. Exploratum autem habemus, vbi generationem nutritio & augmentum sequitur, ibi vitam animamque inesse. Terram verò videbimus seminibus propriis generare innumerabiles arbores, animantesque & nutricem augere. Augere etiam lapides, quasi dentes suos, & herbas quasi pilos, quamdiu radicibus hærent, quæ si euellantur & extirpentur è terra, non crescunt. Quis fœminæ huius ventrem vita carere dixerit, qui tam multos sponte sua parit fœtus, & alit? qui sustinet seipsum? cuius dorsum dentes promit & pilos? Eadem est de aquæ corpore ratio. Habent igitur animam aqua & terra. Nisi fortè quis dixerit, viuentia illa, quæ nos cum seminibus propriis carere videantur, ab anima terræ fieri dicimus, aut aquæ, non ex tali anima nasci, sed ex influxibus cœlestium animorum.

At verò Platonici negabunt influxus illos, cùm sic accidentia quædam à suis vitalibus substantiis longè seiuncta, posse vitalem hic substantiam generare: quia nequeat accidens generare substantiam, nisi tanquam instrumentum substantiæ subiiciatur, substantiæ, inquam, proximæ. Nam instrumentum seorsum ab artifice non mouetur ad artis formam. Sic influxus ille vitæ cœlestis ab ipsa vita remotus, vitalem formam non generabit. Meritò cœlestis instinctus, quia communis est cuilibet elemento, in quolibet

determinatur ad vitam aliquam in ipso elemento gignendam à communi totius elementi vita, eique subditur vt instrumentum. Sed neque etiam vllo pacto generabit ipse. Cum enim nihil vltra proprium agat gradum, nullo modo potest accidens generare substantiam, sed materiam duntaxat accidentali quadam præparatione disponere. Oportet autem elementis hanc vitam inesse, intus fabricatricem, ea ratio persuadet, quòd & ad substantiam generandam substantia est opus agente, & ad perfectam actionem opus est perfecta agentis ipsius præsentia. Quando verò substantia corporalis corporali substantiæ admouetur ad aliquam actionem, quod in agente ipso substantiale est, remanet extra, quod penetrat intro, est prorsus accidentale. Opus est autem substantia penetrante, vt substantia fiat inde, fiatque perfectè. Substantia talis incorporea est, & viuens.

Præterea causæ naturales, quia per naturam suam agunt, ideo ad certum effectum non aliter quàm certa naturæ suæ ratione feruntur. Alioquin non magis ad hunc effectum vergerent, quàm ad illum. Quo fit, vt quatenus operi faciundo quadrant, eatenus operentur, atque contra. Quapropter herbæ animantesque quæ sola putrefactione nasci videntur in terra, non minus à propriis causis oriri debent, quàm quæ propagatione nascuntur. Sed vbinam sunt hæ propriè causæ? Proculdubio in terrena vita sunt terrenarum vitarum causæ propriæ. Nam & si eas cœlestibus animis attribueris, oportebit tamen cœlestes communesque instinctus ad terrenas particularesque animas per vniuersalem terræ animam contrahi, vt à cœlesti communique ad oppositum, id est, terrenum particulareque, per medium competens, id est, terrenum communeque progrediaris. Rursus si causas illas quæ propriæ dictæ sunt, in multorum agentium concursu posueris, cogeris denique vnam quandam proprij ordinis determinatam causam assignare, quæ causas varias, & hinc atque illinc confluentes, ad effectum proprium ordinet atq; determinet. Erunt igitur illę causæ in anima terræ, quę per naturalem ideã rationemq; vitis, vitæ per muscarum rationem, muscas efficiet. Faciet, inquam, talia in materia, sic prius, aut sic ab anima ipsa disposita, dum ad eam disponendam, sic aut sic contrahit mundanos instinctus. Proinde si ars humana nihil est aliud quàm naturæ imitatio quædam, atque hæc ars per certas operum rationes fabricat opera, similiter efficit ipsa natura, & tanto viuaciore sapientioreque arte, quanto efficit efficacius, & efficit pulchriora. Ac si ars viuas rationes habet, quæ opera facit non viuentia, neque principales formas inducit, neque integras, quantomagis putandum est viuas naturæ rationes inesse, quæ viuentia generat, formasque principales producit & integras. Quid est ars humana? Natura quædam materiam tractans extrinsecus. Quid natura? Ars intrinsecus materiam temperans, ac si faber lignarius esset in ligno. Quòd si ars humana quamuis sit extra materiam, tamen vsque adeò congruit & propinquat operi faciendo, vt certa opera certis consummet ideis, quanto magis ars id naturalis implebit, quæ non ita materiæ superficiem per manus aliaue instrumenta exteriora tangit, vt Geometræ anima puluerem quando figuras describit in terra, sed perinde vt Geometrica mens materiam intrinsecus phantasticam fabricat. Sicut enim Geometræ mens dum figurarum rationes secum ipsa volutat, format imaginibus figurarum intrinsecus phantasiam, perque hanc spiritum quoque phantasticum absque labore aliquo vel consilio, ita in naturali arte diuina quædam sapientia per rationes intellectuales vim ipsam viuificam & motricem ipsi coniunctam, naturalibus seminibus imbuit, perque hanc materiam quoque facillimè format intrinsecus.

Quid artificium? mens artificis in materia separata. Quid naturæ opus? naturæ mens in coniuncta materia. Tanto igitur huius operis ordo similior est ordini qui in arte est naturali, quàm ordo artificij, hominis arti, quanto & materia propinquior est naturæ quàm homini, & natura magis quàm homo materiæ dominatur. Ergo dubitabis certorum operum certas in natura ponere rationes? Imò verò sicut ars humana quia superficiem tangit materiæ, & per contingentes fabricat rationes, formas similiter solum efficit contingentes, sic naturalem artem, quia formas gignit siue eruit substantialis ex materiæ fundo, constat funditus operari per rationes essentiales atque perpetuas. Plurimæ animantes, tum in terra, tum in aqua, sola putrefactione nascuntur absque vllo semine corporali. Quamplurimæ ex seminibus procul iactis ab animali, diu postea, partim fomento quodam extraneo accedente, sine manifesto fomento pullulant. Herbæ omnes, arboresque, quanquam vel serendo, vel plantando

plantando plerunque propagantur, tamen quotidie multis in locis absque semine vel germine corporali sponte nascuntur, vt omittam quod multi Philosophi post aquarum miranda diluuia etiam animalia perfectiora ex terra existimant procreari. Oportet tamen certa quædam ex certis quibusdam seminibus exoriri, & quæ ex potentia in actum transeunt, per causam quandam in actum perduci talem, quæ ipsa iam in setalem vel æqualem, vel præstantiorem habet actum. Neque sufficere putandum est si vniuersalis remotaque causa tantum sit præstantior, alioquin imperfectissimæ quæque apud nos causæ possent in virtute cœlestium perfectissima quæque producere. Hæc omnia significant adesse vbique per terram & aquam in natura quadam artificiosa vitalique spiritalia & viuifica semina omnium quæ ipsa per se gignant vbicunque semina corporalia desunt, semina rursus derelicta ab animalibus foueant, atque ex putrido vinaceo semine (cuius & vna & vilis natura est) variam, ordinatam, preciosamque generent vitem, viribus videlicet suis variis rationibus preciosis. Eadem natura vitalis substantialis elementorum formas è fundo materiæ ipsius educit, quo non penetrant substantiæ corporales. Elementales insuper qualitates, quæ per se vrerent solum, frigefacerentque, & similia, ad colorum figurarumque speciosissimam ducit varietatem, vitæque vigorem.

Præterea quando ex frigidorum corporum collisione fit ignis, vbi non præerat ignis nisi potentia quadam, & illa quidem remota ab actu, ipsa per rationem ignis efficacissimam generat ignem. Et vbicunque solæ apparent qualitates accidentales ad generationem conferre nonnihil, quæ tamen per se absque substantia quadam effectui congrua nequaquam sufficiunt, ipsa vicem genitricis substantiæ gerit. Quinetiam corpora mixta, quæ propter terrenam vel aquaticam crassitudinem secundum se pigra sunt & vilia, admirabiles aliquas actiones extollit, imò etiam ad animos hominum & fascinandos & roborandos, quod absque virtute animi, & quidem potentioris, effici nequit. Virtute enim naturæ viuacis, & sapientis, quæ his ipsis est infusa corporibus, herba hierobotanon, vt magi inquiunt, confert diuinationibus Medicorum. Achates fouet visum, obtundit venenum, præstat vires atque facundiam, præsens Adamas Magneti quod rapit, aufert. Corneola sanguinis sistit fluxum, & mitigat iras. Onyx accendit iras, terret in somniis. Corallus denique (vt testantur Metrodorus & Zoroaster) insanos terrores amouet, fulgura repellit & grandinem. Animis certè nostris tempestatibusque natura illa præstat, cuius virtute talia fiunt, quam esse oportet infusam corpusculis infimis, vt infima secum preter ipsorum naturas ad supernorum eleuet actiones. Esse vitam huiusmodi mundo infusam, Strato & Chrysippus confitebuntur, sed ipsam esse summum Deum asseuerabunt.

Platonici id negabunt, quia super eam vitam quæ alicuius est, & in aliquo, esse decet eam vitam, quæ suiipsius est & in seipsa consistit. Vita verò mundanæ alicuius sphæræ non minus familiaris est sphæræ suæ quàm humano corpori animus sit humanus. Quapropter vita sphæræ, siue alicuius, siue totius, neque prima est vita, neq; Deus. Deus enim summus summa est vnitas. A summa vnitate secundũ Platonicos multitudo forsitan aliqua statim proficisci potest, non tamen tanta diuersitas discordiaque sese inuicem corrumpentium qualitatum. Rursus summæ bonitati pulchritudinique nihil mali & deformis est proximum, mala verò multa deformiaque contingunt circa materiam. Præterea si Deus est ipsum esse, non potest esse forma materiæ, talis enim forma non esset ipsum, sed essendi principium. Et quia Deus est esse, vt ita dixerim, adeò absolutum, vt non sit in essentia aliqua, multo minus est in materia. Item cum Deus sit prima efficiens causa, agit sua omnia primò, forma verò materiæ non agit primo omnia. Compositum enim primò agit potius quàm pars compositi.

Rursus compositi partes in potentia quadam sunt ad ipsum totius actum. In Deo autem nulla est ad vlteriorem actum potentia. Non ergo ex ipso & materia fit animal vnum, vt stultè putant Almariani. Animal quippè rationale ex seipso mouetur, vnde moueri potest & non moueri, atque tum velocius moueri, tum tardius. Quod autem tale est, non perseuerat in motione perpetua & æquali, nisi lege alicuius superioris, quod nullo modo moueatur. Deus igitur non est globi alicuius anima, ne ex ipso & globo animal vnum conficiatur, cogaturque habere supra se ducem. Sed nunquid sphæræ vitam esse Angelum concedemus, naturalesque formas ab ideis mentis Angelicæ proficisci? nequaquam. Corpus enim

sicut per talem aut talem essentiam ad vitam talem aut talem, ita per talem vitam ad mentem talem necessario præparatur. Ideo Plato in Timæo, Deũ, inquit, mentem animæ, animam corpori coniunxisse. Quasi nõ possit clara mens opaco corpori aliter quàm per animam perspicuam copulari, sicut & lucidum corpus denso per diaphanum, id est, perspicuum iungitur, vt quod & lucem per se habet, & aliis exhibet, ei quod luce caret, & impedit lucem, per naturam mediam coniungatur, quæ licet per se careat luce, non tamen impediat lucis ingressum. Ac si mentis nostræ operatio per quandam à materia separationem perficitur, operatio mentis Angelicæ, quæ in genere intellectuali perfecta est, longè semota est à materia. Cum verò Angelus ipse nihil aliud sit quàm mens, & qua ratione mens est operando, materiam fugiat, quonam pacto Angeli substantia materiæ proximè inhærebit? Decet, vt quemadmodum particulares hominum mentes, particularia ipsarum corpora per animas proprias, id est, per animales vires attingunt & mouent, ita communes sphærarum mentes communia corpora per animas complectantur & ducant. Sic enim & Sphæræ illæ vitam insitam possidebunt, & mentes diuinæ è sublimi statu nequaquam deiicientur, & super vitas sphærarum, quæ intellectuales sunt simul & animales, erunt Angelicæ vitæ, quæ solum intellectuales existunt. Super has autẽ erit Deus vita vitarum. Adde, quod si mens Angelica indiuisibilis immutabilisq; est, & super locum tempusque omnino, nulla ratione quadrabit corpori diuisibili, mutabili, loco temporique subiecto, aut formas in eo tales efficiet, nisi anima intercesserit, quæ quia indiuisibilis est, superque locum, formatur ab Angelo siue ducitur: quia verò mutabilis est, & aliquid habet temporis, congruit cum materia, & formas acceptas desuper deducit in seipsa ad mutabilem temporalemque naturam, per quam facillimè transeunt in corpus quoque mutabile, atque in ipso diuisibiles iam euadunt.

Placet ergo Platonicis, Deum per seipsum formare Angelos, per Angelos animas, per has postremò materiam, formasque à summa vita & actu gradatim degenerare vsque adeò, vt in materia iam neque efficaces appareant. Nempè à Deo in Angelum, ex vna essentia transeunt in multiplices qualitates, ab hoc in animam, ex statu in motum aliquem efficacem. Ab hac in corpus ex vitali actioneque motu in mutationem mortalis naturæ passiuam. Quamobrem, si aquæ terræque vita insita est, neque tamen, hæc est Deus, ne immensus actus vilissime potentiæ sit addictus, neque Angelus, ne clarissima mens obscurissimæ naturæ sit proxima.

Consequens est ergo vt aqua & terra animas habeant, quarum artificio hæ sphæræ rebus pretiosissimis exornentur, quemadmodum & animulæ quæque animalium aquaticorum & terrenorum, videlicet duce sphæræ suæ anima, corpuscula sua per insita semina gratissimè pingunt atque figurant. Globo terreno vna anima sufficit, quoniam ipse vnus est omnino, partibus in molem vnam continuatis. Vna quoque anima orbi sufficit aquæ. Necesse est tamen geminas esse horum duorum animas, specie inuicem differentes, quod ostendunt ipsorum corporum naturæ diuersæ specie, qualitatibus & effectibus. Si globi tales propter crassitudinem à spiritus puritate remoti, atq; angusti, propriis animabus viuunt, viuunt & multomagis globi omnes superiores, qui & puriores sunt, & ampliores admodum, quorum fomento terra & aqua parturiunt. Animam suam habeat aër, suam ignis, eadem ratione qua terra suam, & aqua. Similiter octo cœlorum globi animas octo, tot enim apud veteres erant cœli. In terra multa sunt animalia, quæ propriam habent animam à communi anima terræ distinctam, quia mouentur loco, quod terra non facit, quia separata cùm sint à terra, viuunt, quod lapides & plantæ non faciunt, quæ per animam viuunt terræ, non suam, quia se à terra vel volatu, vel ædificiis & machinis tollunt in altum. In aqua rursus plurima sunt animalia viuentia propriis animabus. Si ergo à Deo fœcunda & ornata facta est aqua & terra, cur non aër & ignis præter communes animas, suas etiam animas multas contineant, & animalia propria? Idem de cœlorum sphæris argumentare, vbi stellæ cùm sint inter se quantitate, luce, virtute, motuque diuersæ, & singulæ proprios circuitus peragant, specie quoque diuersas animas habent. Quæ quidem stellæ ita cœlos ornant, vt aquam aquatica, & terrena animalia terram. Animalia illa cœlestia ob maximam lucis copiam clarè perspicimus, terrena quoque & aquatica, quia & propinqua sunt nobis, & sua crassitudine oculis sese monstrant. Aërea verò & ignea non videmus, quia

neque etiam ignis & aëris cernimus elementa, cum neque lucis ingentissimæ beneficio, neque molis crassitudine appareant oculis terrenorum. Animam ipsam terræ rationalem esse, necessarium est, quandoquidem animalia quædam terræ ratione non carent, præsertim cum opera terræ pulchriora sint quàm hominum opera. Si anima huius infimi globi ratione capta non est, neque etiam superior globorum animæ sunt rationis expertes. In terra & aqua talis est distinctio partium, quòd terrenorum corporum quædam sunt minus pura, quædam purissima. Illa animas irrationales habent, ista rationales. Idem in aqua, vbi sunt pisces irrationales in luteis partibus aquæ. Sunt etiam dæmones aquei quos Nereides vocat Orpheus, in quibusdam sublimioribus exhalationibus aquæ, quales sunt in hoc aëre nubiloso, quorum corpora videntur quandoque acutioribus oculis, præsertim in Perside & Affrica, vt existimat Zoroaster. Adiungit Porphyrius illos dæmones videri solum, in quorum corporibus præter aquæ exhalationem ignis abundat, idque in oriente contingere, atque meridie. Illos insuper tangi, in quibus præterea multum est terræ, quales fuisse temporibus suis apud Tuscos inquit. Sed in globis omnibus super aquam non sunt animantes nisi compotes rationis, quoniam non diuiduntur globi illi in partes crassas & tenues, & quicquid ibi est, aqueis exhalationibus longè est purius. Sed liceat hic vna cum Pythagoricis parumper confabulari. Quoniam verò omnis multitudo maximè ad paucum est numerum colligenda, paucus numerus ad paucas vnitates, vnitates paucæ ad vnitatem vnam, ideo innumerabilis animarum turba in qualibet sphęra mundi viuentium, ad paucas animas in ea ipsa sphæra præstantiores, puta principes duodecim est reducenda. Sed cur ad duodecim principes maximè, quia sicut vnum mundi corpus duodecim apud priscos continet artus, hi verò articulos plurimos, sic vna mundi anima, animas duodecim, hę plurimas, sed hæ ita continent plurimas, vt duodecim primò contineant principales: Cur? Quia cum anima cuiusque sphærę ex primo duodenario animarum numero selecta sit, & accommodata sphęræ, merito recurrit rursus in duodenarium, cuius numeri signum in sphæra prima habemus & vltima. In prima quidem per Zodiacum cernimus animalia sydera duodecim. In quolibet autem illorum stella quędam est principalis tanquam cor animalis illius in cœlo picti. In quo quidem corde vitam agit anima totius syderis principalis. Illic igitur animæ diuinę, duodecim a Pythagoricis collocantur. In Arietis corde Pallas. In corde Tauri Venus. Geminorum Phœbus particularis Cancri Mercurius: Leonis Iupiter particularis. Virginis Ceres. Libræ Vulcanus. Scorpionis Mars. Diana sagittarij. Capricorni Vesta. Aquarij Iuno. Piscium verò Neptunus. In vltima quoque sphæra scilicet terra duodecim vitæ sunt hominum. Quippè vitam agunt homines per rationem cerebro assignatam, per iram cordi, per concupiscentiam iecori attributam. Si quis nulla harum virium vti dicatur, ne spirabit quidem. Si quis ratione sola, non amplius erit homo, imò impossibile est animam corpori coniunctam sola incedere ratione. Sola quoque irascendi vi vti nequit, quia hæc semper vel rationi seruit, vel cupiditati. Sola etiam cupiditate non potest, hęc enim roboratur semper vel à ratione deprauata, vel ab iracundia. Ergo necessarium est aut per omnes illas vires incedere, aut per duas. Prima igitur humana vita erit, quæ ratione vtitur magis, ira minus, concupiscentia minimè. Secunda, qua ratione magis, minus concupiscentia, ira quam minimum. Tertia, quæ magis ira, ratione minus, libidinè minimum. Quarta, quæ ira magis, cupiditate minus, ratione minimè. Quinta, quæ libidine multum, ratione param, ira paululum. Sexta, quę multum libidinè, ira parum, paulum ratione. Ita ex communi trium virium vsu sex vitæ conficiuntur. Nascuntur sex aliæ ex vsu duarum. In prima ratio superat iram, in secunda è conuerso, in tertia ratio superat concupiscentiam, in quarta contra, in quinta ira dominatur concupiscentiæ, in sexta è conuerso. Si in sphæris mundi duabus extremis duodenarius numerus obseruatur, obseruatur in mediis. Quamobrem sicut incepimus paulo ante, plurimas animas in qualibet sphæra viuentes, ad duodecim principales in eadem viuentes sphæra per ordinem reducamus. Accipiamus iterum duodecim principes in vna quauis sphærarū duodecim. Tot enim apud priscos sunt sphæræ mundi, referamus illas ad duodecim animas illarum sphærarum communes. Duodecim rursus sphærarum animas ad vnam ipsius vnius materię animam. Quoniam verò anima est mentis particeps & super naturam participem oportet esse naturam per se plenam, ideò animarum genus ad mentes extollitur liberas, mentesq; tandem ad vnam mentem. Et vna mens, quia & mens est & vnum, ad vnum simpli-

citer est erigenda, quod non sit vnum hoc, vnũ illud, ceu vel vna mens, vel vna anima, sed vnum ipsum, quod vocat Pythagoras vniuersalem Apollinẽ. Vult enim ἀπόλλωνα dici, quasi ἄπλον, quod significat simplicẽ, & quasi ἀπὸ πολλῶν, quod significat semotum à multitudine. Idem vocat τ'ἀγαθὸν, id est ipsum bonum, quoniam bonitas & perfectio cuiusque in eius vnitate consistit, vt si in rebus idem est bonitas atque vnio, supra res quoque idem sit ipsum primum vnum, primumque bonum. Quapropter primum vnum bonumque, proximè vni præest menti, vna mens multis mentibus primum, fortè duodecim ducibus mentibus, duodecimque sub illis duodenariis, plurimisque deinceps præest, denique & animæ mundi vni. Vna anima mundi duodecim animabus sphærarum duodecim. Animæ duodecim, præsunt duodecim duodenariis animarum. Cuiusque scilicet sphæræ anima præest animabus duodecim in sphæra sua præstantioribus. Duodecim denique duodenarij præsunt innumerabilibus animabus. Nam in qualibet sphæra duodecim illæ principes animæ, alias illius sphæræ ducunt animas Hæc autem Musarum chorea cantat saltatque perpetuo, vt ait Orpheus, Musicis modulis ad Apollinis ipsius imperium,

οὐδὲ πάντα πόλον κιθάρῃ πολυκρέκτῳ ἁρμόζεις,

id est. Tu totum cœlum canora cithara temperas. Sed satis hactenus cum Pythagoricis confabulati sumus. Ad institutum iam Platonicum ordinem redeamus. Sphæras mundi viuere, vna ratione probauimus, pergamus ad aliam. Cum videamus sphæras mundi moueri, & motores aliquos illarum excogitemus, sciamus præterea esse non posse sphæram aliam super aliam aut motores alios super alios absque fine, fateri cogimur esse aliquã sphæram quæ moueatur primo. Si primo mouetur, principio certè mouetur intrinseco. Nempe (vt suprà tetigimus) quod primò calet, & friget, calore & frigore intrinseco calet & friget. Semper enim quod per aliud est tale, ad aliquid diximus reducẽdum quod sit tale per semetipsũ. Ac si minima quæq; corpuscula mũdi habent quodammodo in seipsis suorũ motuum operũque virtutes, quod in partibus elementorũ & herbis apparet atq; animantibus, quantomagis sphæræ mundi amplissimæ in seipsis possident cõuersionum suarum principia, principia, inquam, familiarissima, quibus sphæræ coniunctiores sint, quàm nostris animabus corpora nostra. Siquidẽ motus tanto naturalior efficaciorq; est, quanto mobile est motori coniunctius. Motus autem cœli cæteris à violentia alienior est naturalior, efficacior. Sed quę nam illa principia sunt? num qualitates aliquę? puta sicut grauitate & leuitate partes elementorum moueri videntur, atque calore operari & frigore, ita mũdi sphæræ per qualitates huiusmodi reuoluũtur? nequaquam. Qualitas enim, quia situ & partibus terminata est, atq; vni cuidam est addicta materiæ, agit etiam terminatè, fatigaturque vt nequeat, aut semper aut eodem modo mouere, & quælibet qualitas vnicũ opus agit, & ad vnicum mouetur terminum. Quid calor agit, nisi calorem, frigus frigiditatem? Leuitas sursum trahit solũ, grauis verò deorsum. Nunquam igitur qualitas contrarium aliquem effectum principalis sui operis faciet natura sua, nunquam ad locũ vnde discessit, sponte redibit, nunquam inde discedet sponte, quò se naturaliter cõtulit. Cœlum autem mouetur semper æqualiter, variosque & inter se contrarios producit effectus, atque ad hanc diuersitatem contrariis modis materiam disponit inferiorem. Figurationes varias inducit, nec vllum habet certum in suo circuitu terminum, sed quodcunq; signaueris punctũ super cœli dorsũ, ad illud innumerè quælibet cœli pars accedet, rursusq; recedet facilimè non per aliquã violentiam. Quod enim est violentũ, neq; diuturnum est, neque super idem & ordinatum. Adde quod cũ cœlum contrariis simul motibus reuoluatur, si qualitate duceretur, certè contrariis qualitatibus moueretur. Non tamen illic esse possunt contrariæ qualitates atq; naturæ, vbi nulla est pugna, nullus interitus. Item, cũ natura determinata sit, ideoq; nõ queat indeterminatũ diuersumq; finẽ, qualis est motus, appetere, quietis gratia tantùm mouet, motus autem circularis secundùm se, non dirigitur ad quietẽ: ergo neq; à natura agitur, neq; si quãdo quiescat, sistitur à natura. Præterea, qualitas extensa in corpore, in seipsam reflecti nõ valet cum sit corpori alligata. Quonã igitur pacto dabit qualitas cœlo reuolutionem in semetipsum, quæ in se non habet sui ipsius reflectendæ virtutem? Itẽ, cùm corpus nihil per naturã agat suam, sed per qualitatem, & qualitas nõ suo ductu vim præstet corpori, sed quatenus ipsa aliunde mouetur, si qualitas aliqua mouet cœlum; ipsa interim aliunde mouetur? quid illud est quod ipsam mouet? Deus ne? Minimè, natura prima causa cum infinitè excedat omnia, nulli corpori familiaris est, sed æquè omnibus est communis, & ab omnibus absoluta.

Si enim Deus esset proprius alicuius corporis agitator, non esset amplius omnium. Ideo, vt sit omnium, non est rector proprius alicuius. Sphæræ tamen familiarissimos (vt diximus) motores requirunt. Ac etiam quia discretæ sunt inuicem, & diuersis motibus agitantur, alios atque alios motores proprios exigunt, quandoquidem esse debet inter motorem motumque proportio. Neque probanda est eorum sententia, qui motores sphæris ita distribuunt, vt Deus primæ accommodetur, reliquis reliqui intellectus. Nam cùm secundùm proportionem distributio fiat, sicut sphæræ in natura ordineque conueniunt inuicem, ita inuicem congruent. Deus & intellectus, nec superabit Deus reliquos intellectus, nisi quantum prima sphæra superat reliquas, nec erit immensus. Erit quoque compositus ex natura communi, qua cum aliis congruet, atque ex propria, per quam, distinguetur. Præterea, si Deus ipsa bonitas est, hæc autem rem quamlibet mouet tanquam appetibile appetitum, Deus cœlum mouet tanquam finis. Corpus autem ad finem extrinsecum non mouetur, nisi per interiorem aliquam formam, finis quidem ipsius cupidam, effectricemque motionis. Ergo inest cœlo forma bonitatis primæ cupida, effectrixque motus. Quæ quidem auiditas neque cæca est, vt lapidum, neque irrationalis, vt bestiarum. Quomodo enim auiditas primæ veritati sapientiæque propinqua, cæca irrationalisq; erit? Præsertim cum maiori ordine moueat suum corpus quam nostra ratio nostrum. Non igitur Deus mouet cœlum proximè, sed forma quædam cœli propria, vitæ rationisq; compos, & diuinæ cupida bonitatis. Ac si quis dixerit temperatione quadam moueri cœlos, sicut æneæ quondam Archimedis voluebantur sphæræ, compelletur eam ipsam temperationem non minus substantialem, vitalem, rationalem esse fateri, quàm sit temperatio qua terrenorum animalium membra mouentur, postquam illa primæ substantiæ, vitæ, rationi propinquior est, & apparet tum natura sua, tum motibus æquabilior. Sed nunquid illa est Angelus? Nequaquam, vita enim ipsa cœlestis familiarissima est cœlo, & vnà cum suo corpore quodammodo circuncurrit. Angelus neque familiaris motor est, neque mouetur. Nempè super motorem mobilem esse decet motorem alium qui sit immobilis. Rursus, Angelus est penitus stabilis. Ab eo verò quod stabile est omnino, tam repentinus tanquam varius motus non prouenit. Si ergo Angelus stabilis est omnino, cœlum vero ab alio mobile, aliquo certè medio indigent quod sit mobile per seipsum. Nam rei omnino stabili succedit proximè res per seipsam mobilis, & huic succedit res per aliud mobilis. Siquidem res mobilis per seipsam ex eo quod mutatur, conuenit cum re illa quæ permutatur ab alio. Ex eo autem quod seipsam regit, quia sic in sua natura se sistit, neque è sua sede delabitur, conuenit cum re illa quæ penitus permanet. Quid tandem est istud per se mobile, quod proxime cœlum voluit? Nihil est aliud præter animam. Hæc enim est quæ & per seipsam est mobilis, & talis motionis vestigium præstat corporibus. Nam & si dicatur semotus motor aliquis mouere cœlum, non prius tamen cœlo dabit motionis actum, quàm vim motricem cœlo coniunctam infuderit. Vis autem huiusmodi vnà cum cœlo extensa esse non debet, alioquin à seipsa discederet, ideoque cœlo facultatem ad seipsum redeundi perpetuo præstare non posset. Igitur erit indiuisibilis, non tamen adstricta dimensionibus, sicut punctum, quia non posset seipsam & dimensiones ab eodem in idem liberè voluere. Est autem in toto cœlo vbique tota, vt moueat efficacissimè totum. Est itaque vis illa coniuncta indiuisibilis, libera vbique, æqualis est rationalis anima. Illius præsentia viuit cœlum, cuius motus viuificus est, cum viuificet omnia.

Denique, cum in animalibus instrumenta illa viuant, per quæ animæ viuentia generant, quis dubitabit viuere cœlum? Siquidem vitæ alicuius instrumentum est ad viuentia generanda. Nonne motus (vt ita loquar) spontaneus, vbicunque est, vitæ interioris est signum? Talis autem maximè est, vbi naturalis est circuitus. Quid enim magis spōte mouetur, quàm quod in seipsū naturaliter recurrit, & circa naturalē cardinem, atq; intra naturalem superficiem se volutat? Nulli ergo corpori vita magis intrinseca est, quàm mundi sphæris. Neque diffidendum est animal vnum fieri ex sphæris animisque diuinis, quia cùm proprium sit materiæ quidem adsciscere formam, formæ verò complecti materiamq; atque ducere, idque totum ibi fiat magis, vbi tam materia quàm forma præstantior est, quis neget ex animis illis qui nostris præstantiores sunt atque ex sphæris, quæ nostris corporibus simpliciores diuturnioresque sunt, continent quoque nostra trahuntque & generant, animal vnum & indissolubile confici? Nonne corpora illa propter mirabilem simplicitatem te-

nuitatemque quasi spiritalia sunt. Ergo præsentibus spiritibus facilius animantur, quam præsente igne sulphur accenditur. Sic enim excellentissimè, id est, intellectuali, coniungitur vsque adeo, vt nunquam dissoluantur. Si ergo corpora mixta, quanto magis discedunt ab intemperantia elementalium qualitatum, acceduntque ad cœlestium corporum temperantiã, tanto magis vitæ cognitionisq; capacia fiunt, proculdubio cœlestia corpora vitæ cognitionisque capacissima sunt. Genus autem mentium sublimius est quàm cœlum, & cœlo cognatius est quàm terræ. Ergo cum multæ sint mentes terrenis coniunctæ corporibus tanquam formæ, necessarium est mentes & plures & prius & magis cœlestibus corporibus quàm terrenis tanquam formas esse coniunctas.

Non solùm autem cœlos, verumetiam elementa viuere Platonici arbitrantur, vt diximus. Nam cùm videant omnes sphæras mundi, & multa insuper quæ his annectuntur composita, motu intrinseco moueri absque extrinseco impellente, animas iudicant illis inesse. Ac siquis quærat de ascensu & descensu elementorum atque compositorum, respondebunt Platonici, illum quoque, per animam inquam sphæræ suæ, quæ sicut magnes ferrum, ita particulas sphæræ suę reuocat ad seipsam. Vnde fit etiam vt motus lapidis descendentis ab alto, quo magis terræ propinquat, eo fiat velocior, & flammæ motus similiter ascendentis, quo fit cœlo propinquior, eo euadit rapidior. Quippè cum anima sphæræ è propinquo rapiat vehementius, trahit quoque ad idem anima mundi. Et quemadmodum si homines ferri quidem ipsius motum videntes, magnetem non viderent, ferrum ex seipso moueri putarent dum trahitur à magnete, ita nunc qui sphærarum animas non intelligunt, corpuscula quælibet credunt ex se moueri. At enim cum nulla mens artificis tam rectè aut membra sua aut instrumenta moueat, quam corpuscula illa mouentur in mundo, necessarium est illa corpuscula non ab inerti qualitate solummodo, verumetiam ab artificiosa natura moueri & duci. Porrò naturalis motus elementorum est, qui cancellos naturæ naturalisque loci non transgreditur, idest, perpetuus circuitus in suo loco atque sphæra naturali, figuræ suæ persimilis. Circuit ignis & aër, vt Luna, quod crinitarum indicat reuolutio. Circuit aqua iugiter refluendo. Terra si (vt voluit Ægesias) moueretur, in circulum moueretur, quæ vt volunt plurimi manet per superficiem. Circuunt partes eius mundi centrum quodammodo, prout se inuicem circa ipsum vndique sempiterno coartant annixu. Ascensus autem aut descensus non propriè naturalis est motus, sed ad locum motumque naturalem subita per rectam lineam restitutio, quæ quoniam ab alio terminatur, perque vnicum semper dirigitur tramitem, liquido nobis ostendit elementorum partes ex seipsis minimè agitari. Nam alioqui & sponte quiescerent, neque agerent viam semper eandem, & aqua posset interdum aërem proximum non frigefacere, aut in præcipitium non defluere. Nam & si animæ sphærarum eundem semper tenorem seruant, non tamen putandum est animulas, id est, vires proprias elementalium partium, si tanquam motrices illis insint, talem ordinem seruaturas, quandoquidem animæ nostræ non seruant. Augmentum verò Plantarum atque saxorum est ab anima terræ, ideo solum quamdiu hærent terræ, crescunt. Corpora brutorum & hominum seiunctè à sphæris viuunt, quia proprias habent animas, quod indicat illorum figura variis instrumentis munita, figuræ sphærarum penitus dissimilibus, indicat & complexio à sphærarum complexione alienissima. Sicut se habet mobile ad mobile, ita motor ad motorem. Ergo vt corpus ad corpus, sic anima se habet ad animam. Itaque corpora seiuncta inter se per situm, naturam, figuram, quantitatem, motumque & speciem seiunctam habent & animam, coniuncta verò, coniunctam. Vna tamen est super singulas mundi anima. Vnius enim viuentis opificis vnum debet esse opus viuens. Non est vnum viuens, nisi per vitam vnam. Non habet vnam vitam, nisi vnam habeat animam. Merito cum lateat (vt plerique disputant) in omnibus sphæris vna prima & informis per se materia, vna illius est anima. Quidnam in causa est quod licet contraria inter se sint mundi membra, in vnum tamen conspirant, & alias aliis vires suas communicant, nisi quia vna anima huius ingentis animalis humores quamuis diuersos contemperat, ac membra per situm seiuncta & qualitatem, vitæ & motus conspirationis continuat? Vndenam fit vt inferiora nutus sequantur superiorum, & omnia mundi membra (vt ita loquar) compatiantur inuicem, nisi ab vna communi natura, vna verò natura ab vna fit anima? Neque minus vnitum esse oportet diuinum hoc animal, quàm sit quoduis aliud animal, siquidem est omnium potentissimum. Ergo si inter cætera animalia quodlibet corpus per vnam quandam suam animam gubernatur, multo ma-

gis mundani huius animalis membra per vnam animam vinciuntur. Quæ si ita se habent ad corpus suum, sicuti nostra ad nostrum, non aliter ipsa in qualibet mundi parte est tota, quàm anima nostra tota in qualibet nostri corporis parte, alioqui non posset vniuersum perfecté connectere, viuificare, mouere. Sicuti se habet natura ad corpus, sic anima ad naturam. Ergo quemadmodum in vniuerso corpore natura vniuersalis est vbique, ita in vniuersa natura vbique vniuersalis est anima. Quod autem sphærarum animæ sint rationales, ostendit dispositio motuum mundanorum, semper ad id quod est melius & pulchrius proficiscens. Sicut enim motus tam velox, liber, & diuturnus, ab intima vita fit, sic tam mirabilis ordo mouendi, tamque artificiosa progressio, à sapientissima quadam arte ipsius vitæ procedit. Nam quod sphæras ad idem semper per eadem dirigit, non necessitas quædam est vita carens, vt vulgo videtur, sed ars integra, & sapientia felix, quæ quoniam non errat in consultando, quemadmodum mortales solent, motu & opere non vagatur. Denique cœlum ab intelligentia quadam moueri, id quoque nobis argumento est, quod cœli corpus motibus suis ita ordinat elementa, disponitque composita, vt animę intellectuales compositis corporibus infundantur, hæ verò corpore cœlestibus valdè præstantiores sunt Corporea igitur natura cœli cum per se supra speciem suam neque agat quicquam, neque disponat, certè in hac ipsa actione dispositioneque vbi ad speciem mentis perfectæ conducit à mente diuina tanquam instrumentum ab artifice ducitur, quæ quidem mens animæ suæ inest, quandoquidem pręstantissimi corporis anima, præstantissima est animarum.

Tres sunt præcipui (vt Magi putant) principes super mundum, Oromasis, Mitris, Arimanis, id est, Deus, Mens. Anima Dei proprium est vnitas, mentis ordo, animæ motus. A Deo solo prima ipsa fit in mundo vnitas partium & totius. A mente virtute Dei fit ordo partium vnitarum. Ab anima superiorum virtute fit motus operis ordinati Mouet anima mundum mutabiliter per seipsam, mouet ordinatè per mentem, perseuerat semper in vno hoc officio per vnitatem Dei ipsius æternam. Sic illorum trium principium tria hæc (vt dixi) in mundo videntur vestigia, quod Plato videtur in Epistola ad regem Dionysium tetigisse, quem locum in libro de amore latius declarauimus. Mitto quod quælibet species naturalis à Deo habet vt sit, vnaque sit, à Deo per mentem ordinem, ab vtroque perpetuitatem, sed ab anima cœloque habet, vt multiplex per singula sit, atque mutabilis: Mens enim & anima quoniam à causa omnino immobili per ipsius substantiam proximè procreantur, substantia immutabiles prorsus euadunt. Naturales autem species quoniam à stabilibus causis, id est, Deo & mente per causas actione mobiles, id est, animas cœlosque manent, etiam substantia quodammodo sunt mutabiles, quamuis causarum stabilium munere per continuam singulorum successionem perpetuæ videantur. Vnde enim mobiles causæ motionis perpetuitatem habent, inde & harum effectus continuam generationis successionem. Cœlestes sphæras habere animas, non modò Platonici, sed omnes etiam Peripatetici confitentur, quod Aristoteles docet libro de cœlo secundo, rursus 7. & 8. naturalium 2. de anima vndecimo diuinorum. Theophrastus etiam discipulus Aristotelis libro de cœlo. Quod Auicenna & Algazales summopere confirmarunt. Augustinus Aurelius in Enchiridio, & Thomas Aquinas in libro contra Gentiles secundo, tradunt nihil quantum ad Christianam doctrinam spectat, interesse cœlestia corpora animas habere, vel non habere. Sphæras autem elementorum viuere, & si planè constat apud Platonicos, de his tamen Peripatetici veteres nihil disseruerunt, recentiores autem nonnulli ambigunt, quia elementa videantur compositorum gratia instituta fuisse, atque esse tanto compositis viliora, quanto sunt propinquiora materiæ. Sed ad hæc Platonici respondebunt, integras quidem elementorum sphæras totius mundi gratia institutas fuisse, non gratia huius compositi, vel illius, particulas autem elementorum, quæ & segregantur ab elementi totius integritate, & miscentur in hoc aut illo composito corpore, corpusculi talis causa commisceri. Et quamuis harum particularum qualitates sint primæ materiæ proximæ, integra tamen elementa quia in ordine principalium mundi membrorum connumerantur, valdè propinqua sunt tum mundi totius formæ, tum summi opificis exemplari vniuerso atque proposito, tum diuinis cœlestium mentium sphærarumque influxibus, qui in particulas & corpuscula mixta non aliter quàm per integra defluunt elementa. Atque hoc pacto elementorum globi digna receptacula fiunt rationalium animarum. Sunt præterea in igne & aëre, propter situm perspicuitatemque ipsorum cœlis conuenientem, partes aliquæ quasi è regione syderi-

bus respondentes, quæ directis quibusdam nobilitate influxibus, sufficienter præparantur ad mentes suscipiendas. Partes autem siue aquæ terræque crassiores, siue ignis aërisque in terris diffusi, à globis propriis segregare animos non merentur, quia & globorum amittunt dignitatem, & propter impetum corporum externorum simplicitatem suam puritatemque non seruant. Quòd si diligentius miscentur inuicem, quousque diuturna qualitatum temperatione æqualitatem quandam recuperent similem sphærarum æqualitati, primum quidem mirabiles operationes quasdam consequuntur in mixtis, deinde vitam in plantis, tum sensum, denique rationem. Si quis autem diuinorum animorum nomina nosse desideret, sciat Orphei Theologiam sphærarum animas ita partiri, vt quælibet vim geminam habeat, vnam in cognoscendo positam, alteram in sphære corpore viuificando atque regendo. Ergo in elemento terræ illam vim Plutonem Orpheus nominat, hanc Proserpinam. In aqua Oceanum illam, hanc Thetin. In aëre fulminatorem Iouem, atque Iunonem. In igne Phanetã & Auroram. In anima sphæræ lunaris illam Bacchum Licnitum, hanc aliam Musam. In anima rursus Mercurij sphæræ illam vim Bacchum Silenum, hanc Euterpen. Veneris Lysium & Erato. Solis Trietericum, & Melpomenen, Martis Bassareum, atque Clio. Iouis Sabasium, & Terpsichoren. Saturni Amphietum, Polyymniamque, Octauæ sphæræ Pericionium, & Vraniam. In anima verò mundi vim primam vocat Bacchum Eribromum. Secundam Musam Calliopen. Quapropter apud Orpheum singulis Musis præest Bacchus aliquis, quo vires illarum diuinæ cognitionis nectare ebriæ designantur. Ideo Musæ nouem cum Bacchis nouem circa vnum Apollinem, id est, circa splendorem Solis inuisibilis debacchantur. Sed hæc de nominibus diuinorum animorum dicta sufficiant. Verùm hanc omnem disputationem hac ratione breuiter concludamus, vt antiquorum more dicamus eos esse penitus deridendos, qui partes elementorum impuras, ex quibus animalia constant, vitam & rationem habere fatentur, tota verò puraque elementa negant, quasi pars toto sit melior, & mundum vita carere volunt & sensu, qui tamen vitam dat plantis, quæ non fiunt ex semine, sensum dat animalibus quæ per coitum non gignuntur. quamobrem tres rationalium animarum gradus colligimus. In primo, fit anima mundi vna. In secundo, duodecim sphærarum animæ duodecim. In tertio animæ multæ, quæ in sphæris singulis continentur. Hæc omnia quæ ad sphærarum animas pertinent, ex Platonicorum opinione narrata, tunc demum affirmentur, cum Christianorum Theologorum concilio diligenter examinata placuerint. Nam & Plato in Epinomide, vbi sub propria persona ipse loquitur, de his sub diuisione sic inquit: Impossibile est, terram, cœlum, stellasque omnes, & quæ ex his constant moles, nisi anima singulis aut insit, tam exquisita ratione annis, mensibus, diebusque circumuolui, nobisque omnibus bona omnia facere.

Animæ sphærarum mouent sphæras per legem fatalem, & mouent in circulum, quia ipsæ sunt circuli.

CAPVT II.

QVonam pacto cœlestes animæ sphæras suas mouent? Profectò (quemadmodum placet Platonicis) sicut corpus tuum, anima tua per appetitum, quia appetitus illic quoque à cogitatione excitatur, cogitatio ibidem à fatali illius animæ lege. Ideo Plato in libro de Regno inquit: Cœlum mouet fatum, ex innata cupiditate. Quod accepisse videtur à Zoroaste, à quo omnis manauit Theologorũ veterũ sapientia. Ille enim vbi de cœlo loquitur, inquit:

Αιδιῷ βουλῃ φέρεται, ἀεὶ τρέχει ἔργῳ ἀνάγκης,

id est, sempiterna voluntate fertur, semper necessitatis opera currit. Quod perspicuè intelligemus, si ita rerum ordinem considerabimus. Est aliquid quod dicitur super omne, est aliquid quod sub omni. Quod dicitur super omne, Deus est, qui non potest esse propriè omne, quoniam est simplicissima vnitas super numerum. Sub omni hæc corpora singula. Oportet igitur inter id quod est super omne, & id quod sub omni, esse aliquid mediũ. Id autem est omne ipsum totumque, & rerum omnium cumulus. Erit autem triplex omne, siue totum triplex. Primum quidem omne proximè ab ipsa Dei vnitate dependet. Idcirco eatenus vnitum esse necessarium est, quatenus fieri potest, cum fiat ipsi vnitati simillimum. Esse verò potest aliquid tribus modis vnitum, essentia, puncto atque momento. Essentia scilicet, vt vna substantia sit, non ex substantiis pluribus composita. Puncto, vt non dispergatur in partes plures, per quas cogatur in plurima distrahi puncta locorum. Momento, vt quicquid habere potest vnquam, nutu oculi nanciscatur,

neque per varia temporum momenta sit varium. Ergo illud omne quod statim ex Deo est ipsi similius omnibus his modis est vnitum. Is est Angelus, qui quamuis prout pendet ex alio, mutabilis quodammodo dici possit, tamen quia infinito Dei statui præcipuè proximus procreatur, in ipsumque conuertitur sine medio, stabilis prorsus euadit.

Sequitur secundum, omne, quod quia secunda quadam intentione pendet ab vno, vnum iam modum vnitatis amittit, retinet duos, vnum quidem restat essentia atque puncto, sed momentis fit varium. Talis est anima. Tertium omne est materia mundi, quæ vna substantia est, sed non solùm momentis variatur, vt anima, sed etiam diffunditur per puncta locorum. Sed cur in hoc descensu tempus reperitur priusquam locus? Tum quia tempus spiritalis actionis alicuius comes est, locus comes est corporis, ideoq; tempus ad spiritum efficaciamque propius quàm locus accedit. Tum quia ab vnitate in multitudinem gradatim est descendendum. Quoties verò rei essentia localem multitudinem subit, toties & operatio eius temporalem patitur numerum, non è conuerso. Essentia enim operationem vnione & perfectione superare potest, contra nequaquam. Membra denique mundi quælibet non omne, sed sub omni dicuntur esse. Quapropter Angelus continet in se omnes rerum omnium rationes, omnes, inquam, habitu simul & actu. Anima rursus omnes, sed habitu quidem, non actu. Materia omnes quidem potentia, non tamen habitu, neque actu, sed per successionem suscipit omnes. Oportet profectò animam ipsam esse quodammodo omnia, de qua Zoroaster ait:

καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων,

id est, mundanorum sinuum multas plenitudines comprehendit. Nam si inter sublimia & infima est media, necessario in se continet sublimium illorum munera & imagines, infimorum autem vires & exemplaria. Sed ea parte qua cum angelica mente communicat, euadit Angelo similis, alia parte dissimlis. Igitur sphærarum animæ in mentibus suis ideas cunctas simul habent habitu atque actu. In suis potentiis infimis motricibus corporum, cuncta iterum habent generandorum semina, possessione & habitu simul, non actu. Media pars illarum, scilicet ratio, sequitur mentem, quia corpora illarum perfectissima, ac fermè nullius egena, sola animę infima parte reguntur satis. Ideo media pars cœlestium animarum, quæ sua natura mobilis est, quia ocium agit ab opere corporali, absorpta à mente fit stabilis.

In nobis verò, propter nostri corporis indigentiam, media quoque pars mouetur vt infima, difficili & operosa nimium administratione corporis ita cogente. Apparet etiam quodammodo motus (vt vult Plotinus) aliquis in ipsa rationali cœlestium animarum parte. Cùm enim à Deo omnium vnitate, tum per vnitatem suam (quæ suæ mentis est caput) tum per mentem suam (quæ caput rationis est) effluat, refluitque quoque per mentem vnitatemque suam in Deum omnium vnitatem. Siquidem hæc Deum ipsum primò naturaliter appetit, secundò intelligit, tertiò intellectualiter amat, quartò amatoria quadam vnione consequitur. Actionem verò quæ ad terminum quendam per media transit, motum Platonici nominant, ac si tempore transit, temporalem motum, sin verò momento motum appellant æternum, qualis est in animarum cœlestium ratione. Licet autem media hæc pars illarum in mentem conuersa, omnes simul videat rationes, tamen pars illarum infima, vtpote mutabilibus corporibus cognatissima, non tantæ virtutis est, vt valeat vno actu ferri in semina vniuersa, cupit tamen ferri actu omnia, ne frustra sint in eius potentia omnia. Fertur enim in illa nixu multiplici, & modo hæc actu consequitur, modo illa, sed priora amittit actu, cùm incurrit in alia. Non ergo complectitur simul cuncta, semper autem ad omnia nititur. Currit itaque semper, & huiusmodi cursus est motus primus. Huius autem cursus interuallum tempus primum est. Ad cursum illum currit mundus. Ad tempus illud fluunt tempora mundi. Hunc ego esse arbitror ipsum (vt est apud Orpheum) mutantem Prothea formas. Cùm verò semina illa certo sint numero terminata, & anima currat semper, certo temporis spatio transit omnia, quibus peractis, vel quiescere cogitur, vt nobis videtur, vel recurrere paulatim per omnia denuo, atque eandem in mundo telam generationis retexere, vt placuit Zoroastri, qui iisdem aliquando causis omnino redeũtibus, eosdem similiter effectus reuerti putat. Qua quidẽ ratione tã ipse quàm alij multi successores eius humanorum corporũ resurrectionem confirmauerunt. Circuitus autem vniuersi interuallum annis solaribus sex & triginta millibus expleri voluere Platonici, quem magnum ac mundanũ appellant annum. Huius finem Mercurius mundi senium vocat, Plato in lib. de Reg. mũdi, restitutionẽ,

Sed vt mouendi cœli planius modum intelligas, exemplum accipe. Cogitat Euclides nocte Megaris abire Athenas Socratem auditurus, accipitque laternam. Totum illud iter in primis communis cogitatione præscribit. Ex hoc vniuersali proposito non fit proprius passus aliquis, nisi particularis cogitatio intercedat primum passum designans. Ergo laterna primum ostendit passum, hunc ipsum statim cogitat imaginatio, hunc eligit appetitus, hunc peragunt pedes. Quo peracto laterna passum secundum monstrat, mox illum cogitat Euclides, appetit, peragit. Similiter tertium atque alios. Eadem ratione in anima sphæræ fieri arbitrantur, vbi mens ratioque ipsius communiter statuit totidem in cœlo figuras, & in materia formas per cœli motum effingere, quod videt ideas & conceptus in Angelo per Dei ipsius effingi virtutem, vt tale ipsa pro viribus mundanum opus efficiat, quale Deus facit Angelicum, atque ita primum imitetur artificem, non tamen incipit mouere cœlum, aut aliquid suorum seminum genus promat præ aliis, & quasi oculis offerat Cum primum vis generis alicuius seminum cæteris seminibus præualet, imaginatio ipsa, quæ infimæ huic potentiæ annexa est, illud cogitat, idem & appetit, idem explicat in cœlo, format in elementis. Eodem modo fit per seriem successionis in seminibus aliis. In hac serie successionis fatalis consistit lex, in illa cogitatione cupiditas. Sic cœlum mouetur à fato & innata cupiditate, eodem quasi modo quo in nobis spiritus & humores à vehementi cogitatione affectuque vibrantur atque formantur. Neque putes tam nouos in mundo effectus, tam varias in cœlo figuras mouentis singulis explicari nisi per nouas variasque animarum illarum affectiones. A causa enim quæ stabilis est omnino, stabile fit & opus. Neque arbitrandum est cœli animam fatigari mouendo, si nostra non fatigatur. Motores enim qui cum mobili extensi non sunt, fatigari non solent, videlicet si infinito statui motionum omnium fini sint proximi. Preterea quàm ineptum est infimum terrenumque corpus ad motum, tam est agile sublime corpus. Quod si & leuis aura puluerem agitat, & ventus inclusus terræ visceribus quassat montes, miraberis sublimes animas tenuissima corpora nutu leuissimo voluere? Præsertim cum ea circa naturalem cardinem & in ambitu proprio moueant, atque ipsa ad motum huiusmodi naturali instinctu magis conducant, quàm terrenum corpus ad descensum, quando anima nostra corpus suum per decliuia ducit. Profecto cœli corpus ita æquè se habet, & facilè ad quemlibet situm circa centrum, sicut elementalis materia ad quamlibet formam. imo vero multò magis. Proinde sicut animæ conuenit efficacia ad mouere, ita corpori procliuitas ad moueri. Corpus enim quoniam ab actu fit, in actu est, ad actum dirigitur, idcirco naturam habet, vt per formas suas semper exerceatur. Quoniam verò & substantiam & qualitatem diuisibilem habet, cogitur quicquid aut agit aut patitur, secundum modum diuisibilem, id est, secundum motum agere atque pati. Confert autem cœlestium motus eiusque varietas ad generationem, generandarumque rerum diuersitatem. Variis enim figuris cœlum exornat, cœlestesque vires vehementius in elementa transmittit. Mouet elementa, cogitque vt multis inuicem modis commisceantur, eorumque globum vndique vicissitudine quadam æquè illustrat & fouet. Præterea ipsa mundi materia, neque omnes simul in cœlo figuras, neque formas sub cœlo omnes simul potest habere (siquidem inter se multæ contrariæ sunt) vbique tamen appetit omnes, tanquam naturæ suæ perfectiones. Hinc ad sempiternum motum procliuis efficitur, vt quod non potest statu consequi, successione saltem quodammodo consequatur. Verum cur in circulum maximè sphæræ rotantur? quamuis id modo significauerim, altius tamen exordiamur. Deus circulus vnus est, quoniam à se est, circuli instar, & seipsum, pro- vt non habet extra se principium sui vel finem, sed in se incipiens, desinit in seipsum. Angelus duplex est circulus, tum quia illuc redit vnde manauit, dum suum intelligit & diligit authorem, tum quia considerat semetipsum. Anima est triplex circuitus, quia respicit Deum, quia seipsam considerat, quia à causis rerum ad effectus descendit, rursusque ab effectibus ascendit ad causas. Si circuunt tres hi cœli motores, quid obstat quo minus cœlum quoque in circuitum rapiatur? Et postquam cœlum imitatur causas supernas in figura & substantia sua, cur non etiam in motu operationeque imitetur? Mobili animæ subiicitur cœlum, inde ipsam moueri incipit. Vt semel cœpit moueri cœli pars vna, propter continuationem trahit aliam secum, pellitq; aliam, seque inuicem necessariò reflectunt in gyrum. Stare nequit cœlum, quandoquidem eius anima nescit quiescere, neque tamen locum sui naturalem relinquere vult. Ita fit vt circa idem reuoluatur, & in eodem cœlum semper mobile est, siquidem terra (quæ maximè ab eo distat) est semper im-

mobilis.) Quod mouetur semper, necessariò ad idem reuertitur. Nullus enim rerum corporalium spatium infinitum est. Praeterea Plato in libro de Regno inquit: Solis rebus omnium diuinissimis conuenit status omnino mutationis expers. Mundus autem quia corpus est, iamque à diuinorum dignitate degenerat, immutabilis prorsus esse non potest. quoniam verò diuinis proximum est, consentaneum fuit circulari ipsum motione moueri, quae cum in eodem, circa idem, secundum eadem, simili iugique continuatione voluatur, quam minimè fieri potest à locali stabilitate discedit. Haec ille. Adde quod sicut inter omnes species motionum solus localis motus, quia quasi extrinsecus est, subiecti sui substantiam qualitatemq; naturalem mutare non cogitur, sic circuitus inter locales motus, quia solus non mutat locum, dici posse videtur quasi non motus. Si stare quis coelum velit, figat ipsum Saturni coelum in cardine quandocunque lubet. Tunc semicirculus ipsius sphaerae alter super caput Antipodum. Cum verò partes omnes huius sphaerae sine vlla naturae discrepantia inter se simillimae sint, nulla est ratio per quam alia pars hic sit magis, illic alia. Ergo inferior semicirculus, quia cùm loco nostro aequè conuenit, ac cum regione Antipodum, ita nitetur hic esse, sicut ibi, & superior semicirculus propter eandem conuenientiam ad locum illum contendet esse illic, sicut & hic erat. Ex hoc nixu pars altera pellet alteram, dum quaelibet pars propter aequalem conuenientiam volet vbique pariter esse Est vtique octauae sphaerae concaua superficies, locus naturalis sphaerae Saturni. Ibi deuexum Saturni sphaerae concauum tangit octauae. Quaelibet particula huius sphaerae quia aequè conuenit cum qualibet octauae particula, omnes affectat particulas illius attingere. Si quiescat, singulae tangent singulas, non quaelibet cunctas. Currendo autem fermè assequitur, quod assequi quiescendo non poterat, tanta est huius sphaerae ad illam auiditas. Praeterea sphaerae Saturni anima tota simul est in quibuslibet sphaerae punctis. Sphaera haec animae fruendae cupida, ideo currit, vt per omnes sui partes vbique tota anima perfruatur. Aduolat rapidissimè, vt quod fieri potest, vbique sit tota simul, vbicumque tota simul est anima. Et quia nusquam reperit stantem animam, quiescit & & ipsa nusquam. Et sicut anima assiduè circa Deum quasi centrum conuoluitur, ita corpus tractum ab illa semper circum animam reuoluitur quasi centrum. Stat autem in eodem cardine coelum, quia & anima propter mentis participationem quietis alicuius est particeps. Id agunt omnes rationales animae in corporibus suis. Id omnia corpora agunt ad animas, siue de sphaerarum ac syderum animis loquamur, seu daemonum atque hominum. Quod si minus in nostro hoc crasso corpore apparet, fit tamen in aethereo animae indumento, (de quo disputabimus aliàs) quod voluit *Zoroaster* in nobis assiduè volui. Denique hanc de motu coeli disputationem hac sententia concludamus. Neque corpus coeli mobile, neque motorem, qui ad motum coeli mouetur, esse praecipuum motionis huius principem atque finem, ne in huiusmodi motu labor transgressioque contingat. Motus enim ad stabile & circa stabile efficitur semper & regitur.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

LIBER QVINTVS.

Omnis rationalis anima est immortalis. Prima ratio, quia per se mouetur, & in circulum.

CAPVT PRIMVM.



HAs omnes animas in ordine essentiæ tertiæ collocamus, atque hac ratione communi esse volumus immorta les, quod primò mouentur, & quia mouētur primò, mouētur in circulum. Quia igitur primò mouentur, mouentur & semper. Ibi enim perpetuus motus est, vbi primus. Nam si fons motus aruerit, nihil vltra mouebitur in natura. Item, quod primo mouetur, sibi ipsi præbet motum internum atque externum. Internus motus vita est, itaque sibimet vitam suppeditat. Et quia nunquam deserit seipsum, cùm in qualibet natura insit amor sui ipsius perpetuus, nunquam desinit viuere. Si enim quod mouetur ab alio, quamdiu adhæret motori, tamdiu mouetur, multo magis quod à seipso mouetur, quia idem est atque motor, nunquam à motore desertum, moueri desinit nunquam. Præterea, si fingatur interire quandoque, aut prius esse desinet quàm moueri, aut contra, aut simul. Non datur primum, quia motus non potest seorsum ab essentia remanere. Non secúndum, quia spontaneus motus, non assiduus comes est eius quod motum sibimet exorditur. Non tertium, quoniam perniciosa mutatio non potest ipsi ab intrinseco vnquam erumpere, ex quo motus vitalis viuificusque exoritur. Sed neque continget extrinsecus. Non enim fons motionis aliunde mouetur. Hæc est vtique essentiæ tertiæ proprietas, in qua cùm sint animæ omnes rationales ex communi quadam definitione, illis quoque omnibus eadem conuenit proprietas. Sunt etiam ex eo immortales, quia per naturam essentiæ tertiæ primique motus circulo agitantur. Nam si mouentur in circulum, nunquam desinunt. Circuitus enim non effundit vires, sed sua quæque recolligit in seipsum, & cum deficere putatur, se renouat, vt rationem illam Pythagoræ ad præsens prætercam, quæ ostendit nullum esse in sphæra principium aut finem. Ideoque illum qui mouetur in sphæram, neque cœpisse moueri vnquam, neque desinere. Esse autem rationales animas sphæras quasdam spiritales, & circuitum in seipsis facere spiritalem, postquam corpora ipsa quæ illarum vmbræ sunt, figuram talem habent & motum. Itavt sphæræ circuitusque visibiles sphærarum & circuitum inuisibilium vmbræ sint, ac si vmbræ sint perpetuæ, multo magis substantias illas fore perpetuas, quæ per virtutem termino carentem motionis actum peragunt sine termino. Nec est illis contrarium aliquid, à quo perimantur, sicut & motui illarum qui circuitus est, nullus est motus contrarius.

Secunda

Secunda ratio, quia stat per substantiam.

CAPVT II.

ATque ita immortalem esse animam, per motum eius ratio superior demonstrauit. Idem quoque per statum animæ demonstratur. Quando animam nominamus, rationalium animarum genus intelligi volumus. Nam irrationales vitas non animas propriè appellamus, sed idola & simulachra animarum. Si essentia illa tertia (de qua tam multa diximus) licet per operationem moueatur, manet nihilominus per substantiam, sequitur vt anima quæ eadem est quod essentia illa, per substantiam non mutetur. Quod autem tale est, esse desinit nunquam.

Tertia ratio, quia hæret diuinis.

CAPVT III.

AC si duo quædam in infimo naturæ gradu locata, materia, scilicet, & quantitas, sunt passiua, & duo alia in supremo sunt actiua, Deus & Angelus, anima & qualitas, quæ mediam inter passiua & actiua obtinent regionem, quomodo se habebunt? Sic profecto vtraque particeps passionis euadit. Sed qualitas, quia patientibus inhæret, omnino per operationem & essentiam suscipit passionem. Anima verò, quæ distat longius, etsi in operandi facultate corporalem aliquam percipit passionem, in essentia tamen passionis est expers. Et sicut corpus ex materia & quantitate passiuum, inhærentem sibi qualitatem reddit subiectam corruptioni, ita Deus & Angelus actiui, animam sibi proximam & à corpore segregatam, diuinitate sua efficiunt immortalem.

Quarta ratio, quia materia dominatur.

CAPVT IV.

SEd & in hoc maximè immortalitas eius apparet, quod oportet primam ipsam rerum materiam quæ mouetur & formatur ab anima, perpetuam esse. Naturam ars imitatur. Ars opera sua hoc facit ordine, videlicet in subiecta quadam materia, formas alias & alias imprimit, quarum nullam sibi propriam habet materiam. Nullam enim propriam vasis alicuius formam habet lutum, sed varias vicissim capit à figulo, & fractis vasis superest lutum, ex quo alia reparentur. Ergo & ipsa natura rerum artifex subiectam quandam sibi materiam habet omnium expertem formarum, ad omnes suscipiendas pariter præparatam, quia sicut in gradu rerum summo est actus purus, nullius indigus, formarum omnium effector, ita in infimo esse aliquid debet, quod sit pura potentia, omnia egena, & ipsa per se informis sit formarum omnium susceptiua. Sic vniuersali artifici atque naturæ subest vniuersalis materia formarum, quantumlibet indifferens susceptaculum. Hæc prima vocatur materia, quæ elementorum aliorumque corporum formis æquè subiicitur. Et modo hanc à vi naturali accipit, modo illam, neque vllam natura sua habet propriam. Non enim esset infima, si quam haberet perfectionem, & agendi facultatem sibi ex forma propria naturalem, nec esset ad aliam formam formæ suæ repugnātem idonea. Nam si frigiditas materiæ propria naturalisque sit, quonam pacto calorem suscipiet? & si humiditas, quomodo siccitatem? Animaduerte mutuam elementorum commutationem, si cupis latentem hanc materiam inuenire. Nam quando cernimus vbi prius terræ species fuit, ibi aquæ postea speciem apparere, dicere non possumus aquæ formā quæ nuper aduenit, in terræ forma recipi, hæ namque oppositæ quodammodo sibi inuicem sunt, quippe cum terra siccitatem, humiditatem aqua contineat. Non igitur forma terræ formam suscipit aquæ, sed accedente aquea specie, abit in cahos. Forma autem aquæ sine subiecto esse non potest, neque nouum subiectum in aquæ generatione accessit. Eadem ergo materia quæ terrenæ formæ subiecta fuerat, aquæ iam subit formam. Atque hæc est argumentatio qua Timæus Pythagoricus vtitur. Item, quando sol radiis suis mare percutiendo, aquam in fumos extenuat, & ex aqua generat aërem, aliquam certè aquei corporis portiunculā ex aquæ elemento detraxit. Quærimus ergo vtrum portiunculam istā aquæ in nihilum primo redegerit, postea genuerit aërem an seruauerit aquæ nonnihil? Si aquam in nihil omnino deduceret, ad malum esset naturæ intentio (quæ tamen est semper ad bonum, cùm à summa Dei bonitate regatur) Atque esse ipsum, quod æterni Dei peculiare donum est, quandoque ex rebus à sequentibus post Deum causis subtraheretur, quod fieri non potest, cùm Deus semper, quod semel dedit, suo conseruet influxu, cui nullius agentis opponitur violen-

tia. Nam res Deo inferiores, quia non habẽt esse absolutum omnino, sed esse aliquod, & tale esse vel tale, ideo non habent vim ad esse omnino auferendum, sed esse hoc modo potius aut illo. Sequeretur etiam vt Sol nouum illum aërem generaret ex nihilo, si totam aquæ prioris portionem in nihilum consumpsisset. Ex nihilo autem aliquid facere agentia naturalia nequeunt. Facilius enim est ex qualibet re existente aliquid facere, quæ ex nihilo. Non possunt autem ex quolibet semine rem quamlibet generare, nunquam ex tritico pyra, ex milio ficus, ex hominis semine aquilam. Multo minus poterunt ex nihilo aliquid generare. Hac ratione monstratur Solem non potuisse portionem illam aquæ mari detractam in nihilum vertere. Ergo in ea naturæ prioris aliquid restat. Quid illud? Aqua certè illa frigida erat & humida. Abscessit frigiditas, humiditas restat, vt placet Platonicis, quæ aëri & aquæ est communis. Si restat humiditas, restat & materia aliqua humiditati subiecta. Humiditas enim non est forma à corporibus separata. Itaque materia quæ prius sub aquę frigore latuerat, iam sub aëris calore eadem delitescit.

Cum verò ex aëre fit ignis, humiditatem quoque amittit, & accipit siccitatem. Materia huiusmodi quæ tantum extenuata rarefactione in formam ignis ascendit, vicissim densitate descendit, turgescit in aërem, postea densatur in aquam, denique grauescit in terram. Vides materiam vnam omnes vicissim indui formas, dum & ascendit rarefactione, & densitate descendit. Quæ ideo vna est, tum quia vna vni sufficit mundo, tum quia cum sit informis, non habet quicquam per quod in se discerni possit in plura. Quod si vniuersum in vnum formabile desinit, consentaneum est ab vnoquoque incipere formatore, totumque illi subesse. Sed de hoc aliàs & diximus, & dicemus. Materia verò hæc ideo nunquam corrumpitur, quia totius naturæ corporalis est fundamentum, quo diruto omnis mundi machina corruet. Neque in partes dissoluitur vnquam, quia non est per naturam suam ex partibus constituta. Partes enim per quantitatem fiunt, materia verò quantitatem præcedit. Est enim quantitatis qualitatisque subiectum. Subiectum verò semper rem illam quæ in ipso iacet, antecedat oportet. Neque per accessum alicuius contrariæ qualitatis interimetur. Nulla quippè ipsi est contraria qualitas, quia æquè omnes suscipit per naturam, atque nulla forma quæ indiget materiæ sustentaculo ipsi repugnat. Sibi namque met repugnaret, si suum destrueret fundamentum. Neque indiget materia alia quadam sede, qua fortè subtracta decidat in profundum. Ipsa enim est primum omnium sustentaculum, ac si qua violentia illam destruat, aut eam deducet in nihilum, aut in aliquid aliud transmutabit. Primum fieri nequit. Nam quicquid agit aliquid, ex naturali appetitu perfectionis propriæ propagandæ inducitur ad agendum, vt aliud quiddam sibi pro viribus simile generet, quod in elementis, plantis, animalibus est perspicuum, vbi apparet appetitum naturalem ad bonum, videlicet ad vitam, ad esse, atque similia, non ad contraria dirigi, quia à summo bono (vt diximus) omnibus sequentibus est insertus. Vnde enim sunt, inde mouentur, & illuc feruntur omnia. Igitur omnis omnium appetitio operatioque à bono exoriens, tendit reflectiturque in bonum. Quinetiam qui materiam funditus tollit è medio, nequit nouum opus suum alicubi stabilire, cessante formarum omnium generabilium fundamento. Ita & perderetur illa, & noui nihil generaretur, id enim quod denuo faciendum est, si eget materia, iam fieri non poterit, illa sublata, si non eget materia, ab ea liberum est, quod est à materia liberum, eamque supereminet ab authore suo seorsum à materia procreatur. Itaque ipsius author dum ipsum agit, quoniam fabricat ipsum ab illa lõgè semotum, nullam ex hoc illi violentiam infert, neque in ipsius generatione illam vllo modo mouet, qua non indiget opus conficiendum. Igitur quod nouam rem gignit, qualiscunque ea sit, siue materiæ indiga, siue aliena ab illa, materiam non perducit in nihilum An fortè in aliquid aliud commutabit, ita vt pars vna supersit materiæ, pars verò perierit? Minimè. Simplex enim illa est, quia neque ex materia & forma componitur, cum sit prima informisque potentia, neque certam quandam partium congeriem ad suam existentiam exigit, cum naturali origine præcedat quantitatis dimensiones. Præterea si illa ita mutetur, vt expleta mutatione supersit aliquid, quid istud erit? Materia ne? Si materia, nondum in aliud permutata videtur, cum supersit. Si quantitas, aut qualitas, absurdum id quidem, quia non possunt hæc absque illa manere. Si forma quædã supersit materiã supereminens, quid opus erat materiam perdere vt forma hæc alienissima fieret, quæ nullo modo ex ea fit, & longè procul ab illa producitur?

Imò verò, quia omnino aliud est materia, aliud forma ab ea semota, nihil per hoc materiæ reliquum est quod illa commutata forma semota restat. Sic igitur colligamus. Materia nequit ex eo quod est, aliter permutari, quàm si vertatur in nihilum. In nihilum verti aliquid natura non patitur. Materia ergo nō interit. Multo minus interibit vis ipsa naturalis, quæ est materiæ domina. Domina illius est vis ea efficiens, quæ format ipsam. Hāc format vis ea quæ primùm mouet. Fons motionis est anima rationalis, cui qualitates ad mouendam materiam seruiunt vt instrumenta. Atque omnis anima rationalis per naturam essentiæ tertiæ, vniuersæ materiæ præsidet. Sed de hoc aliàs. Materiam quidem producit vnitque Deus, firmat (vt Platonicis placet) & ordinat Angelus, mouet formatque anima immortalis. Vnitas Deus est, qui immortali materiæ dat vnitates. Immortalis ordo est Angelus, qui immortali materiæ ordinem exhibet. Immortalis est anima, quæ mouendo immortali materiæ præbet vitam.

Quinta ratio, quia est à materia libera.

CAPVT V.

QVatuor naturalium rerum causæ à Physicis numerantur, efficiens, finis, materia, & forma. Efficiens hominis causa est natura vniuersalis & homo: Finis humana fœlicitas: Materia, corpus: Forma est anima. Quoties aliquid per se esse dicitur, esse intelligitur sine causa. quoties esse per aliud, esse per causam. Solus Deus ita per se existit, vt per nullam sit causam, quocirca omnino per se est, quia quatuor excludit à se genera causarum. Corpus naturale omnino per aliud est, quia quatuor simul includit. Infrà Deum nihil esse potest quod efficiente careat atque fine. Quippè Deus vnus effector est omnium, atque finis, quare nihil præter Deum inuenictur, quod ita per se esse sit dicendum vt efficientem causam finemque non habeat. Non tamen omnia sub Deo esse decet per aliud, vt sint omnino per aliud. Nempè duo hæc omnino per se, & omnino per aliud, interuallo à se inuicem distant longissimo, quare inter hæc aliquo vtrisque similiore opus est medio. Cùm enim omne agens ex sua agat natura, necesse est opus proximè ab ipso factum, quia statim ex agentis natura depromitur, illi quàm simillimum apparere. Ergo quod proximè, & principali (vt ita loquar) proposito fit à Deo, Deo dissimillimum non debet euadere. Sunt ergo inter Deum & corpus aliqua, quæ non omnino per aliud esse dicantur. Talis apparet qualitas, quæ non per quatuor, vt corpus, causas fit, sed ex tribus solummodo pendet causis. Corpus materiam habet & formam, vt sui causas, efficientem etiam atque finem, qualitas formam non habet, vt formalem causam. Ipsa enim forma quædam est. Forma verò nulla, quantum est forma, formatur, efficitur tamen ab aliquo qualitas, & ad finem quendam ab agente dirigitur, atque etiam à materia pendet. Vt causa siquidem ex prægnante materiæ aluo talis fœtus in lucem educitur, & cum ipsa extenditur atque diuiditur, quapropter qualitas gradu vno superat corpus, quod aliquo modo per se dicitur, cùm non formetur ab alio. At, cur non etiam essentia tertia, quæ qualitate sublimior est, vno saltem gradu superet qualitatem, sicut qualitas vno superat certè. Sed quomodo? Non eo quod essentia efficiente careat aut fine, cum hoc Deo soli conueniat. Non hoc etiam, quod essentia hæc formam sui causam non habet, idem namque possidet qualitas. Solum ex eo restat vt superet, quòd à materia non dependet, quod minimè conuenit qualitati. Ita oportet à quatuor oppositis in quatuor opposita per tria & duo gradatim procedere, vt sicut super quatuor corporis causas, in tres causas qualitatis ascendimus, ita super tres causas qualitatis in duas essentiæ tertiæ causas ascendamus. Quapropter essentia hæc solùm efficientem & finalem habebit causam, formam verò & materiam non habebit. Denique Angelus vno hanc essentiam superat, quoniam Angelus neque à materia dependet, neq; ad materiam inclinatur, cùm à Deo proximè occupetur. Essentia tertia, licet à materia non dependet, tamen à Deo facta longinquior, & propinqua materiæ, ad eam quodammodo inclinatur, ob quam inclinationem anima nuncupatur. Et licet inclinetur, non tamen ab ipsa dependet, quod multis rationibus demonstrauimus. Prima est, quam assignauimus. Secunda est, quia si hæc essentia esset immersa materiæ, nunquam emergeret in diuina, quæ sunt à materia remotissima, atque ita non esset competens mundi nodus, quia non connecteret infima cum supremis. Tertia est, quia cum moueatur primò, necessario mouetur per se liberè in circuitum. Si per se mouetur, per se vtique operatur. Si hoc est, etiam per seipsam, nullis addicta corporibus. Si mouetur

liberè non est alligata materiæ. Si voluitur in circuitum, in seipsam se recipit, relicta materia. Quarta est, quia si materiæ dominatur mouendo illam primum, atque formando, materiæ non miscetur. Per hæc apparet essentiam illam, quę est animæ sedes, quam etiam animarum pateram Plato nominat in Timæo, nullam habere originem à corporibus, atque etiam neque ex partibus quantitatis constitui. Partes siquidem huiusmodi solis corporibus & qualitatibus insunt, non autem formis à corpore separatis. Non igitur ob id anima dissipabitur, quòd in partes aliquas dissoluatur. Sanè nullam habet distantiam partium, quoniam in corpore non diuiditur, neque ex eo deficiet vnquam, quod à suo aliquo sustentaculo deseratur, nullo quippè eget corporis fundamento essentia illa quæ per naturam suam est domina corporum, neque etiam per hoc interibit, quod contrariæ atque inter se pugnantes elementorum vires aliquando eam turbent, hæ siquidem in materia pugnant. Anima verò est à Deo super materiam, vt eam non attingat elementorum procella, & iniquitas certantium qualitatum. Nunquam rursus ex eo inquinabitur, quod alienam aliquam & naturæ suæ aduersam quandoque suscipiat qualitatem, quæ noxiam ipsi inferat passionem. Primum namque subiectum passioni expositum, materia est, per quam & quantitas ipsi immersa, & qualitas quantitati cohærens, exponitur passioni. Quocirca essentia illa quæ est à materia separata, id est, potentia separabilis nullam habet in seipsa potentiam, per quam alienum quicquam & hostile suscipiat, vnde passioni subiiciatur.

Sexta ratio, quia est indiuidua.

CAPVT VI.

PRæterea cum indiuisibilis sit, diuisibiles & corporeas non suscipit qualitates. Non enim quod diuisibile est, tangit indiuisibile. Nam si indiuisibile tangi ab eo quòd diuisibile est, dicatur, quæremus vtrum res hæc diuisibilis puncto quodam sui ipsius tangat rem illam indiuisibilem, an parte quadam sui diuidua. Si primum admiseris, tunc punctum est duntaxat quòd rem illam tangit, atque ita non res hæc diuidua, sed indiuiduum aliquid tangit rem illam indiuisibilem. Sin autem dixeris quod parte quadam sui diuidua tangit, tunc ita ratiocinamur. Si res hæc diuidua tangit illam quam tu indiuiduam vocas, per partem sui aliquam diuisibilem, necesse est & illam per partem sui similiter diuisibilem tangi. Quomodo enim hæc illam tangit, nisi & illa tangatur? & quomodo per plures sui partes tangit hæc illam, nisi illa quoque per partes sui ipsius tangatur? Siquidem quatenus hæc tangit, eatenus illa tangitur. Quapropter res illa quam tu indiuisibilem affirmabas, tunc primum esse cogitur diuisibilis, quando à re aliqua diuisibili tangi conceditur. Itaque essentia illa animæ indiuidua nunquam tangitur ab aliqua diuidua qualitate. Non tangitur inquam per rectam lineam, neque etiam per reflexam. Non per rectam, quia ipsa anima qualitatem ex aduerso occurrentem non excipit. Non per reflexam, quia cum à corpore sit exempta, feruentibus in corpore qualitatibus illarum impetu & furore non rapitur, ideoque à nulla corrumpitur. An forte ab aliqua indiuisibili, quam facilè susceperit, corrumpetur? Minimè. Susceptio namque indiuisibilium qualitatum perficit illud quod suscipit, non corrumpit. Quod patet per eas indiuisibiles rerum imagines, quæ ab aqua, speculis, anima, tum per sensum, tum per rationem suscipiuntur. Propriè verò non alia ratione hæc res agit in illam, nisi vt hæc illi suam formam exhibeat. Siquidem omnia propter suæ naturæ propagationem ducuntur ad operandum. Nulla verò res corporea potest aut nititur formam sui corporalem in animæ essentia generare, quæ ita est à materia segregata, vt in ea nullum habeant formæ corporales ingressum. Sed nunquid Deus vel Angelus formam nouam inducunt in animam, per quam anima perturbetur? Nequaquam, quia si illi aliquam formam creant per se subsistentem, illam seorsum creant ab anima, non ergo per illius creationem anima perturbatur. Sin autem vim aliquam infundunt in animam, vis huiusmodi benefica est, cum ab optimis causis venerit animæ ipsius conseruatricibus, ergo per ipsam non interit anima, sed seruatur.

Septima ratio, quia esse suum habet in sua essentia.

CAPVT VIII.

ALiud essentiam vocamus, aliud esse. Essentiam quidem dicimus rationem rei, quæ definitione comprehenditur. Esse verò actum ipsius essentiæ, & quandam eius in rerum natura præsentiam. Exemplum accipe de Crinita, essentia Crinitæ est ratio hæc ipsius & definitio, vt puta vapor siccus in aëre summo accensus ab igni, perque aërem ordine cir-

etiens. Quæ quidem definitio hodie vera est, etiam si nusquam hodie Crinita effulgeat. Esse verò crinitæ huiusmodi quiddam dicitur vt videlicet talis illa natura crinitæ, quæ per definitionem quotidie designatur, iam nunc alicubi luceat. Esse hoc absque certo loco & tempore non sit. Non aliter enim fit illa essentia præsens, quam hîc vel ibi, hac hora vel illa. Igitur esse naturalium rerum certo loco eget & tempore, essentia iis non indiget. Vera enim est crinitæ ratio illa, etiam si ad præsens crinita nusquam caleat. Imò si definitio illa certum includeret tempus & locum, puta hodie hîc, aut cras ibi, in eadem vtique hora, eademque aëris plaga, in qua vna crinita existit, cunctæ simul essent crinitæ. In singulis enim crinitis inest communis crinitæ essentia & ratio eadem. Quòd si ratio hæc certo sit loco, temporique adstricta, ad eosdem terminos loci & temporis crinitæ omnes adstringerentur, quemadmodum rationalis potentia cum in definitione hominis includatur, singulis hominibus conuenit. Essentia itaq; & esse naturalium rerum hoc inter se differunt, quod esse certo loco temporique adstringitur, essentia verò quantum in se est, ad omne tempus fermè, omnemque locum æquè se habet. Siquidem humanitas ipsa non minus seculis aliis quàm nostris, aut in Oriente, minus quàm Occidente potest consistere. Plato verò & Socrates hoc aut illo, vt sint & viuant, loco egent & tempore. In ipsa humanitate essentia designatur, in singulis istis hominibus esse conspicitur. Igitur essentia à singulis temporis & loci limitibus est exclusa. Quapropter ad sui cõseruationem per sui naturam, nullo indiget loco, neque terminos habet temporis, quibus aliquando excedatur, quandoquidem ab huiusmodi terminis est exempta. Vbique ergo viget, & semper. Essentia igitur omnis secundum seipsam dicitur immortalis. Talis autem est per naturam suam formæ cuiusque essentia. Verum cum omnium author formarum gignit essentias, atque illas in esse producit, alias ad tale esse determinat vt existant in corpore, vnde esse talis essentiæ siue formæ talis, ad corporales conditiones ab agente contrahitur. Quando esse ad corpus contrahitur, iisdem quoque essentia limitibus coarctatur. Conditiones naturalium corporum sunt; vt locum impleant, & tempore moueantur. Idcirco forma illa quæ per se super certum tempus locumque fuisset, tempus iam proprium subit & locum. Quia tempus subit, ideo incipit paulatim, mutatur, & desinit. quia locum, ideo dum corpus ipsum in quo illa iacet, contrarias quotidie suscipit qualitates, illa quoque qualitatum huiusmodi tempestate turbatur, fitque mortalis. Tales sunt formæ qualitatesque corporum. Alias autem formarum essentias author ille ita in esse producit, vt ipsum suum esse non in alia quadam re aut materia sortiantur; sed in seipsis contineant. Tales sunt formæ omnes à materiæ commercio alienæ. Esse namque suum in seipsis habent, non in materia. Quicquid autem ab aliquo capitur, pro captu eius quod capit, accipi solet, atque ad eius trahi proprietatem. Essentia verò quælibet per se immortalis est. Ergo esse quòd ab ipsa essentia capitur, quoniam à re immortali per modum capitur immortalem, efficitur immortale. Quapropter forma quæ est à materiæ societate seiuncta, vndique, idest, tam secundum esse suum quàm secundum suam essentiam est immortalis. Talis est essentia tertia rationalium fons animarum.

Octaua ratio, quia esse proprium habet, & nunquam à sua forma discedit.

CAPVT VIII.

GEneratio & corruptio ita sibi inuicem opponuntur, vt ad contradictoria tendant, & generatio via quædam sit ad esse, corruptio via sit ad non esse. Vnumquodque autem ex eo tendit ad esse, quod certam quandam accipit formam. Ad non esse verò ex eo, quod formam suam amittere cogitur. In artibus nullum opus tale est propter materiam, sed propter formam. Æneus equus aut homo non propter æris materiam talis dicitur, quippè cum æs ad omnium animalium figuras suscipiendas æquè sit præparatum, sed propter equi aut hominis formam quandam similitudinemque ab artifice profectam. Hæc pars æris æquus dicitur, illa homo. In natura similiter materia quidem non illud est per quod Plato est homo, aut ficus est arbor. Eadem quippè mundi prima materia hominibus, brutis, arboribus est communis, ac multa ante Platonem sæcula, multa etiam post Platonem, materia illa eadem extat, Plato verò nequaquam. Igitur non propter materiam Plato humanam habet speciem, sed propter complexionem corporis talem, atque animam, quæ formæ dicuntur. Similiter de aliis iudicandum, ac summatim concludendum, quodlibet à forma habere proprium suum esse, nam-

ram,& speciem ab aliis differentem. Quapropter quicquid esse desinit, ipsum esse suum amittit, ex eo quòd à forma propria separatur, sicut esse antea cœperat quando formam propriam fuerat consequutū. Ideo res ex materia formaque composita, puta ignis ex mole sua & naturali caliditate cōpositus, interit quando à sua forma seiungitur. Potest autem frigus aquæ vel terræ se materiæ ignis insinuare, atque inde naturalem caliditatem ignis formam expellere, qua expulsa desinit esse ignis. Sic ignis ille ex materia & tali quadam caliditate compositus, esse amittit caliditatem, suam, inquam, substantialem formam cum eius proprietatibus, quam nunc (quoniam manifestum nomen habet) caliditatem disputandi causa nominamus, caliditas autem ipsa quando esse suum amittit cum sit forma, & à forma sit esse. Quando videlicet ex materia depellitur. In rebus enim compositis naturaliter esse tribuitur toti, non partibus. Nempe esse ignis ipsius, compositi est propriè, non materiæ solius neq; caloris. Nam cum calor in ignis generatione ab agente naturali ex materiæ semine eductus fuit, ea conditione fuit per omnem materiam ignis extensus, vt inde omnino penderet, neq; esse proprium sibi calor haberet, sed per ipsum commune esse totius ignis, calor quoque esse diceretur. Esse autem illud commune tunc cessat, quando duæ illæ partes à se inuicem disiunguntur. Quando esse commune cessat perit & forma quæ per esse commune vigebat. Materia verò non perit, quoniam subito aliam suscipit formam, per quam existat, ita vt dum certum amittit calorem, esse igneum amittat. Dum certam quandam frigiditatem accipit, vel humiditatem, esse capiat terreum aut aqueum. Conclude, rem compositam, vt ignem & aquam, tunc interire, quando à sua forma seiungitur, formam verò illam perdi quando à formantis lege discedit. Sol, qui genuit ignem, ignis formator extitit. Is ea lege calorem ex fomite materiæ illius eduxit, vt in ea materia iacens sub esse compositi totius cōtineretur. Hanc legem transgreditur, quando ex illa abit materia. Abit, quando fugatur à frigore. quod ergo neque à sua forma, neque à formantis lege discedit, quonam pacto interit, cum esse cuiusque à forma procedat, & formantis lege seruetur? Anima vero propter tertiæ illius essentiæ proprietatem mera quædam forma est, non composita ex materia & forma, neque recubans in materia. Ideo in seipsa permanens, quicquid in se est, nihil est aliud præter formam. Ipsa igitur sua essentia non formatur per aliud quicquā, sed suiipsius est forma, id est, ipsamet forma est. Nihil est autē quod per se à sua essentia separetur, quia nihil à seipso discedit. Omnia siquidem naturali instinctu nixuque perpetuo seipsa seruant pro viribus, sibique inhærent. Igitur anima si nunquam à se disiungitur & ipsa sui forma est, nunquam à sua forma disiungitur. Itaque nunquam desinit esse, cum esse à forma semper hauriatur. Sua quidem sponte à se non separatur, vt diximus. Sed neque etiam ab extrinseca violentia cogitur, vt à seipsa secedat, quoniam quicquid extrinsecus accipit suo quodam accipit modo. Ipsa planè spiritalis est, atque à loco & tempore absoluta, ergo spiritali modo & absolutè accipit omnia. Spiritalia verò & absoluta quando ab aliquo capiuntur, nequaquam interimunt. Spiritalis namque susceptio cum fit in corporibus, corpora ipsa licet sibi dissimilia non corrumpit, vt simulachrorum susceptio in aqua & speculo. Multo ergo minus corrumpet rem spiritalem sibi persimilem.

Præterea cum absolutum illud quod ab animæ essentia suscipi fingebatur, æternum sit, cur susceptaculum suum interimat? An vt ex illius materia seipsum alat? Non, cùm alimento non egeat illud quod est æternum. An vt seipsum propaget, generetque ex illius materia sibi simile aliquid? nequaquam. Non enim eget propagatione, quod semper idem manet, neque etiam potest ex re corruptibili perpetuam generare. Non ergo corrumpit quicquam, vt perpetuum aliquid sibi simile generet. Nullo itaque modo potest quicquam animæ essentia capere à quo perdatur. Merito non potest capere omnino noxium quicquam, cum materia careat, quæ primum & proprium passionum talium dicitur receptaculum. Imò verò si ista essentia sui ipsius est forma, inter eam & formam suam nihil vnquam intercidet. Nam si quid medium aliquando inter ipsam & formam suam caderet, fieret profectò illud ipsius formę propinquius, quàm ipsa eius essentia. Essentia verò ipsa est ipsamet eius forma. Ita fieret ipsi aliquid propinquius, quam ipsa sibi, quod est omnium absurdissimum. Quapropter nihil se inter eam eiusue formam inserit medium. Si ita est, illa à sui forma nullo interueniente disiungitur. Sed neque etiam sponte seiungitur sua, quare nullo modo à seipsa suique forma discedit. Neque etiam à formantis discedit lege. Ea siquidem lege creata est, vt in seipsa consisteret. Semper autem ita permanet. Ex eo enim statu à nul-

lo deiicitur. Non à seipsa, nam res quæque speciem & dignitatem suam pro viribus sibi conseruat. Non à superioribus causis, quia illæ qua lege eam produxerunt, in eadem & continent. Non ab inferioribus. Superius enim ab inferiori non vincitur. Quamobrem anima, quia mera forma est, ideoque neque à sui forma, neque à formantis lege discedit, permanet proculdubio immortalis.

Nona ratio, quia sibi per se conuenit esse.

CAPVT IX.

QVod alicui per se conuenit, nunquam separatur ab ipso. Rotunditas suaptè natura circulo inest, atque ideo nullus vnquam sine rotunditate est circulus. Ligno autem quandoque rotunditas inest, non quia lignum est (omne enim lignum alioqui rotundum esset) sed quia ab artifice figuram accipit circularem, quam rotunditas comitatur, ideo tunc rotunditatem capere cogitur. Desinit aliquando lignum esse rotundum, cum primum esse desinit circulare, deinde restat lignum, sed non rotundum. Figura verò circularis ita necessario rotunda est, vt si desierit esse rotunda, esse etiam desinat circularis. Similiter calor igni per se conuenit, humor aquæ, Soli lumen. Non aliter & formæ esse per se conuenit. Nam quicquid est in aliqua specie, id certè quod est à propria quadam forma sortitur ad talem speciem conducente. Quoniam igitur esse proprium cuique per formam propriam competit, sequitur vt esse communiter & simpliciter per genus ipsum formæ conueniat. Vnde oportet ipsam formam fontem dici essendi, & per se esse. Quòd si per aliud esse dicatur ab aliquo, interrogabimus vtrum illud per quod forma dicitur esse, naturam formæ habeat, an materię; non materiæ, quia videmus in compositis singulis esse cuiusque proprium, non sequi materiam. Ergo neque in hac ipsa forma per quam res compositæ sunt, illud per quod ipsa est, vim habet materiæ, ergo formæ. Ita quæstio redit in idem. Vtrum forma illa alia per quam forma est, per seipsam sit, an per aliud quippiam? Si per se, tunc constat formam fontem essendi dici debere. Sin per aliud, tunc quæremus vt antè, atque in infinitum erit progressio. Quapropter formæ per se conuenit esse. At enim formarum conditor ad certum operis mundani finem integritatemque, formas ea distinctione producit in esse, vt singulas naturaliter ad certum esse determinet, & alias quidem ad esse in corpore, alias ad esse in seipsis absque materia. Forma impressa materiæ, non propriè est, neque proprium habet esse, sed dicitur id, quo compositum ipsum est, & ipsa per commune esse totius existit. Si esse formæ per se congruit, hæc certè forma quæ est in corpore, quia & ipsa forma est, id habet, vt & ipsi esse per se conueniat. At quomodo, cum à materia pendeat, & sub esse totius compositi contineatur? Attende, esse per se conuenit illi, id est, per se sequitur illam; sequitur inquam per se; id est, secundum naturam suam. Quid enim aliud per se significat quàm per sui naturam? Natura sua talis est qualem sibi suus opifex assignauit. Opifex autem statuit vt materiæ inhęreret. Hæc itaque natura, suæ est inhærere materiæ. Per hanc naturam esse eam sequitur. Ergo esse eam sequitur per se eam inquam, materię inhærentem, ita prius quodammodo illi competit materiæ infigi quàm existere. Quare tamdiu existit, quandiu hæret materiæ. Non hæret autem semper, quia materia omnibus parata formis, locum sæpè dat formis contrariis priores formas inde pellentibus.

Non ergo existit semper. Forma verò illa quæ ita à conditore est ad esse determinata vt in seipsa consistat seorsum à corpore, etiam quia forma est, habet illud, vt esse sibi per se conueniat, per se, inquam per naturam suam. Natura ipsi assignata est sibimet ipsi hærere. Igitur esse suum eam sequitur quantum sibi hæret, id est, existere suum eam sequitur ex subiecto minimè pullulantem. Et quoties dicis esse per se sequitur eam, toties dicis, esse eam sequitur sibiipsi hærentem. Nihil autem à seipso discedit. Quid enim intercidit inter se, & ipsummet, quod separet ipsum à semetipso? Si quatenus hæret sibi, eatenus est, quia hæret semper, est & semper. Talis quidem forma est anima. Est igitur immortalis. Sed potest aliquis huic rationi sic obiicere, quòd quemadmodum ignis per se calet, calet semper dum est, non tamen est semper ex quo etiam non calet absolutè semper, ita etiam animæ essentia quia propriè & verè forma est in seipsa subsistens, ideo per se est, & quia per se est, ideo est & semper, scilicet dum est. Non tamen semper est. Ergo non est semper. Hæc obiectio duabus de causis ridicula iudicatur. Primò sibimetipsi repugnat, quando ita contexitur. Forma illa per se est, ergo semper est, dum scilicet est, non autem est semper. Quatuor enim hic orationes sunt, quarum secunda illa quæ dicit. Ergo semper est, posteriori huic con-

tradicit quæ infert. Non autem est semper. Deinde obiectio huiusmodi abundat superfluis, quando addit: dum scilicet est. Istud siquidem, dum est, non potest dici aliud est quàm primum illud vbi dicitur, semper est. Sic enim esset eadem in re geminum est, & geminum esse, neque existeret res vna quædam, sed duæ. Hinc sequitur vt illud est quod ponitur quando additur: Dum scilicet est, sit illud idem quód iam erat positum quando prius dicebatur, Est semper. quæ sunt eadem, eadem sunt ratione tractanda. Idcirco si primum est, absolutè profertur, ita secundum est, absolutè proferri debet absque illa dictione: Dum scilicet est. Ergo dici oportet. Est, semper est, est non tantum addēdum, dum scilicet est. Vel si addis illi primo est, illud postea, Dum scilicet est, adde & huic secundo est, quod sequitur post, dum scilicet est. Rursus illud dum scilicet est, & huic tertio est, rursus dum scilicet est, atque ita in infinitum, neq; vsquam reperies primam essendi radicem, per quam competat illi rei quod sit, sitque semper. Quod autem radicem essendi non habet, nihil est omnino. Age iam siste pedem. Forma illa separata, qualis est anima, per se est, ergo est semper. Quinetiam, si idem prorsus existeret esse atque calere, quando ita componis, Ignis quia per se calet, calet semper, adderes protinus: Calere & esse idem est, ergo est, & semper. Nunc autem non potes eo modo concludere, quia non idem est esse, atque calere, alioqui quodcunque sunt, calerent, & quicquid calere desinit, desineret esse quod non accidit. Itaque ignis semper dum est, calet, quia prius quodammodò est, & postea calet. Et quia esse est ante calere, & aliud quàm calere, ideo per aliquod medium videtur calor essentiæ ignis inesse, ita vt primò ponatur ignis essentia, secundò eius esse, tertiò loco calere. Imò verò essentia ignis sortitur esse per id quod hæret materiæ. Prius enim quodammodo latet in materiæ sinu, quàm edatur in lucem. Et sicut latuit antequam existeret, sic etiam hæret postea, vt non cesset existere. Sortitur quoque calere per id quod possidet esse. Quapropter calere desinit, quando desinit esse, desinit esse, quando desinit inhærere. Sed animæ essentia, quoniam est forma soluta, esse sortitur per semetipsam, & in ea ipsum esse est primus & proprius actus essentiæ, nec vllum vinculum est per quod esse cum essentia connectatur, quo soluto accidat dissolutio. Ac licet tam calere quàm esse per aliquam conditionem conueniat ignis essentiæ, animæ tamen essentiæ non conuenit esse per conditionem vllam, sed absolutè. Idcirco, licet ignis cum certa quadam conditione sit, & caleat semper, anima tamen semper est absolutè.

Decima ratio, quia per se, refertur ad Deum.

CAPVT X.

SI qua tamen videatur esse conditio cuius virtute anima sit semper, ea non est per respectū aliquem ad corpora quorum adiumento non eget, sed respectum ad causam primam, vnde descendit Sed & respectus huiusmodi quoniam per ipsammet animæ naturam completur, nihil prohibet quin anima per se & absolutè & absque conditione semper. Quod quidem hac ratione inuestigabimus, quoniam à prima rerum causa cuncta dependent, eatenus singula in suo esse permanent, quatenus ad primam causam referuntur. Respiciunt autem illam vt aliquam ipsius similitudinem gerunt. Causa illa actus purissimus est, ab omni materiæ proprietate alienissimus. Huic actui res inferiores non ex sua materia, sed ex forma potius (quæ actus quidam existit) similes iudicantur. Quo fit, vt per formam suam omnia primam respiciant causam. quare quæcunque ex materia & forma composita sunt, vt elementa, & mixta, non per se, neque per totam sui naturam, sed per partem illam sui duntaxat quæ forma dicitur, causam primam respiciunt. Argumentare hunc in modum. Vt ad primum principium referuntur, ita sunt, referuntur autem per aliud, ergo per aliud sunt. Quæ sunt per aliud, stabilia non sunt, in seipsis enim relicta, in nihilum euanescunt. In se ergo sunt nihil, quæ sunt per aliud quicquid existunt. Talia profectò sunt naturalia corpora. Corporales verò formæ quales? Certè similes. Forma enim corporibus insita, excellentiam quidem amisit suam, & corporalis prorsus euasit, siquidem omnes conditiones corporis iam subiuit.

Conditiones corporis duæ sunt, secundùm locum extensio, & secundùm tempus mutatio. Forma verò immersa corporibus, cum latitudine corporis dilatatur, & mutatur corpore permutato. Quoniam igitur facta est penitus corporalis pristina excellentia destituta, per se quidem minimè est, vt diximus aliàs, & esse nullum habet proprium, sed ita cum mate-

ria copulatur, vt vnum sit esse totius. Si ergo per se non est, per se certè non agit. Ideo si refseratur ad primam causam, per aliud aliquid referetur, per illud videlicet, per quod est. Est autem per formam aliam sublimiorem, à materia liberam, à qua etiā pendet in materiam continuè, quemadmodum à vultu hominis imago in speculum, per quam ad primam causam assiduè quoque refertur. Si ergo omnino per aliud est forma corporea, cum etiam ad primum principium per aliud referatur, quidnam est illud per quod tam corpus naturale quàm eius forma refertur ad primum? Sanè est essentia illa tertia, quam supra corporum qualitates iam pridem locauimus. Essentia verò huiusmodi eodem modo ad Deum refert corporum qualitates, quo eas efficit in materia. Efficit autem operatione sua, operatio sua est mobilis. Per agitationem igitur generat, per agitationem & refert. Itaque refert mirabiliter. Hinc sequitur, vt naturalia corpora, eorumque formæ, quia per aliud perque motum referuntur in Deum, neque per se sint, neque stabilia sed vacillent prorsus, & pereant. Essentia verò tertia quia suiipsius est forma, imò ipsamet forma est, & forma à materia libera, idcirco per se refertur in Deum. Vt refertur, ita est. Ergo est etiam per seipsam. Refertur autem per essentiam suam, illa stabilis est. Quapropter ad stabilem Deum, per stabilem sui ipsius essentiam relata, stabilis permanet. Nempè essentia hæc relationis suæ causa est, ratio perfectionis. Seipsam verò nunquam deserit, nunquam ergo desinit seipsam referre, nunquam seipsam perficere referendo. Deus quidem semper exuberat, illa semper haurit. Igitur tum ex parte hausti, tum haurientis, semper quidem esse ipsum bibit, ac permanet immortalis.

Vndecima ratio, quia non componitur ex aliqua potentia in quam possit resolui.

CAPVT II.

SIcut generatio fit per coniunctionem formæ cum materia, ita per separationem formæ à materia fit corruptio. Vbi non est harum rerum coniunctio, non accidit separatio. Talis autem compositio non est in anima. Sed rationem hanc latius prosequamur. In corruptione cuiusque rei perditur ipse rei actus, sed post illum superest aliquid quod suberat illi actui, veluti potentia aliqua susceptiua, ne fiat corruptio in nihilum, sicut non fit ex nihilo generatio. Res quidem ex forma materiaque composita, resoluitur in materiam. Forma quoque illa, quæ ex materiæ fomite educta fuerat, reducitur in materiæ fomitem. In anima verò actus ipsius est ipsum suum esse. Essentia verò & substantia eius est illa ipsa potentia quæ essendi actui subest. Non enim est in formis absolutis fermè alia compositio, quàm ex essentia atque esse, aut similis. Essentia locum materiæ & potentiæ tenet, esse verò locum formæ & actus. Si corrumpitur anima, perditur eius esse omnino. Sed nunquid etiam essentia? nequaquam. Nulla enim res in nihil resoluitur, quia res quæ vsque adeo est simplex, vt non aliter resolui possit, quàm in nihilum, etiam talis est, vt sit à Deo facta per creationem ex nihilo. Quæ autem talis est, soli authori suo subest Deo, Dei verò influxus vitalis atque beneficus nihil interimit. Itaque si anima destruitur, licet amittat esse eius, tamen essentia remanet. Quod etiam inde constat, quod quanto nobilior res est, tanto nobiliorem habet materiam, nobiliorem & formam. Animæ sunt admodum præstantiores corporibus. Igitur sub illarum esse tanquam sub forma & actu latet materia quædam & potentia, si qua latet, præstantior quàm sub forma, & sub esse corporis cuiuscunque. Quod autem tenet in animabus primæ materiæ potentiæque locum, ipsa earum essentia est. Itaque essentia illarum eminentior est, quàm materia corporum. Materia corporum incorruptibilis est, ergo quid mirum si esse potest incorruptibilis illa? Quo fit vt si quādo anima esse suum fingatur amittere, superfit necessario adhuc essentia atq; substātia. Hęc si superest, est certè. Si est adhuc, esse nondum est amissum. Ita anima si corrumpi dicatur, etiam post corruptionem necessario superest. Imò etiam viuit. Esse namque animæ nihil aliud est quàm viuere.

Sed ne quis dicat ipsum animæ esse resolui in essentiam, atque essentiam vlterius non existere, quia sit absque actu, quamuis potentia forte supersit alicubi, meminisse oportet essentiam illam non posse in materiam potentiamue materiæ redigi, quia neque ex materia constat tanquam parte sui, neque ex materiæ potentia pullulat. Rursus non posse resolui in potentiam causæ alicuius agentis, nisi forte in Dei virtutem, qui solus animam procreauit. Non autem ob id moritur animus, quod in primam vitam resoluitur. Moreretur autem, si reductus in Deum desine-

ret esse animus. Atqui sicut figura ceræ à sigillo impressa, quando sigillo penitus adæquatur, non destruitur, sed in speciem suam redintegratur, sic essentia animi si quando ideæ per quam Deus eam in certa essendi specie disposuerat, admouetur, in esse pristino confirmatur. Maximè enim sequens actus roboratur à primo. Nam quomodo Deus esse potest terminus in quem corruptio tendat, cum sit efficiens terminus, vnde & à quo omnis creatio generatioque deducitur? aut quo pacto Deus qui actus est purus, nascente anima ad animæ ipsius compositionem concurrit? Ita, vt quemadmodum ex materiæ potentia & actu potentiæ addito, forma fit corporalis, & in eam potentiam denique actus formæ resoluitur, sic ex Dei potentia quadam & adiecto quodam actu, fiat animus, qui tandem in Dei potentiam quasi materiam resoluatur. Non enim gerit vnquam materiæ vicem, qui primus est actus. Asseret aliquis essentiam animæ, neque in materiam, neque in Deum resolui, sed ipsam se statim in se recipere, esse priore sublato. Verum sicut materia corporalis absque actu corporali esse nequit, ita neque spiritalis seorsum à spiritali. Quapropter essentia quæ est materia spiritalium, & ad esse spiritale quasi actum aliquem comparatur, nunquam segregatur ab esse, ab esse inquam spiritali. Nisi fortè quis dicat essentiam animę, dum esse aliud exuit, aliud indui, ac tales in esse spiritali vices hanc essentiam variare, quales in formis suis materia variat. Absurdum id quidem dictu, tum quia essentia spiritalium stabilior est quàm materia corporalium, tum quia essentia animæ cùm propria ipsius animæ ratio sit, non esse aliud omnino & aliud respicit pariter, sed esse solummodo animale, secundum certam videlicet animæ speciem. Materia quidem communis absque hoc actu vel illo esse potest, materia verò propria absque proprio actu nequaquam. Quapropter essentia animæ quę in tali specie animarum est, nunquam actum speciei alterius animarum suscipiet, neque migrabit rursus essentia in eadem specie de animo hoc in illum, ne mobilis æquè sit ac materia corporalium. Imò si materia coeli eadem forma contenta est semper, vt placet quamplurimis, quid mirum materiam animi spiritalem eodem essendi actu semper esse contentam? Ea essentia vita est, hoc esse viuere. Semper itaque viuit.

Duodecima ratio, quia non habet in se potentiam ad non esse.

CAPVT XII.

NVlla res corrumpitur vnquam nisi habeat in se potentiam ad non esse. Si enim nequiret non esse, nunquam esse desineret. Anima nullam habet talem potentiam, quoniam anima nihil aliud est apud Platonicos, nisi forma simplex per se subsistens, in essentia quidem sua perfecta & integra, ad speciem quoque animalis efficiendam conducens. Actus quidem existendi ibi est, in ipsa scilicet forma integra & perfecta. Siquidem per formæ integritatem est vnumquodque. Igitur proprium subiectum ipsius esse ibi, est sua forma atque essentia. Vbi autem erit potentia ad non esse? quod est ipsius esse oppositum? Nunquid in ipso esse? At quomodo vnum repugnans vim habet ad repugnans alterum capiendum? An in ipsa essentia? Neque hic quidem. Nam si essentia ex eo quod simplex & integra forma est, proprium est ipsius esse subiectum, quomodo habet potentiam ad non esse, quod dicitur esse ipsius oppositum? Quo enim pacto propria substantia ignis, quæ proprium caloris talis subiectum est, habet ad frigus suscipiendum potentiam aliquam? per quam & frigus accipiat & maneat ignis? Atqui in iis ipsis substantiis corporalibus mortalibusque non est potentia ad non esse, quantum sunt in specie sua completæ substantiæ, formaq; præditæ (secundum hoc enim existunt) Sed quantum illis subest materia prima, quæ nunquam sub tali aliqua forma quiescit. Hæc verò abest ab anima. Nusquam igitur potentia ad non esse in anima reperitur. Est igitur immortalis. Sed hanc rationem planius exponamus. In rebus iis quæ ex forma & materia componuntur, id accidit, vt materia opus ipsum quodammodo antecedat. Quis enim dubitet quin materia prius quodammodo sit quàm formetur? Accipio materiam hanc operi faciundo quodammodo præcedentem, atque interrogo, vtrum opus illud ex natura huius materiæ fore necessarium sit? an impossibile? an forte possibile? Non necessarium, quia sic materiæ vis statim per seipsam operi necessitatem daret, neque præstantiore aliquo egeret formante, nunc verò indiget, quia quod est informe, formare se nequit. Igitur quantum ad materiam attinet, futurum opus non est necessarium. Nunquid impossibile? Neque hoc quidem. Sic enim esset materia adeo

ad opus illud inepta, vt nunquam ad illius formam atque effectum perduceretur. Si quantum ad materiam spectat, opus agendum neque necessarium est, neque etiam impossibile, restat vt sit possibile. Hoc enim inter duo illa est medium, possibile, inquam, esse, atque non esse. Nam si ex natura materiæ foret possibile esse solum, foret absque dubio necessarium. Sin ex natura eiusdem foret solum possibile non esse, foret & impossibile. Quapropter cum ex natura materiæ opus ipsum possibile sit esse pariter & non esse, constat quod in ipsa materia quantum ad faciendum opus est potentia ad esse pariter atque non esse. Cum verò simplex materia sit, ex naturis pluribus non composita, eadem natura materiæ est potentia ad esse atque non esse, quoniam est indifferens ad vtrumque, neque ex se ad alterutrum terminatur. Superiori ergo agente indiget, quod eam formando ad esse determinet. Accipit ab illo formam leonis, vnde fit leo, & materia ista leonis, quæ ante habebat in se potentiam ad esse leonem, atque non esse, tam nunc ad esse leonem determinatur. Sed nunquid adhuc restat in materia prima eadem illa indifferens ad vtrumq; potentia? Si non restaret, cessaret protinus natura materiæ, neque quicquam ex materia fieret & constaret, si statim cum fit aliquid, materia prima natura priuatur sua peritque. Ergo cum restet leone iam genito, potentia eadem illa secundum speciem in materia non propinqua leoni, secundaque, sed prima potentia, inquam, ad esse pariter, atque non esse. Id accidit, vt quemadmodum per illam potentiam esse leo quandoque cœpit, cum prius non fuisset, ita per eandem esse quandoque desinat, postquam fuit. Quoniam potentia ad extremum vtrumque indifferens, vel ad neutrũ vertitur, vel æquè atque vicissim vertitur ad vtrũque, & sicut ad esse & non esse conuersa est, ita vicissim ab esse vertitur in nõ esse. Atq; hinc sequitur rerũ corruptio corporalium. Verum rationalis anima cum sit forma simplex, vnde motus exoritur in compositis, non potest ex aliqua materia præcedente & subsequente forma facta fuisse, & cum sit forma in se subsistens, non innixa materiæ, quia & supra & infra materiam progreditur iudicando, non est composita ex aliqua potentia materiæ, velut animæ inchoatione, & actu potentiæ addito, velut ipsius animæ perfectione? Neque igitur ex materia constat, neque extat. Si talis est, ex nihilo processit in lucem. Eius ergo solus Deus est author, vt aliàs ostendemus. Atqui hæc nisi potuisset fieri, nunquam profectò facta fuisset. Quapropter præcessit animam nostram nascendi potentia. Vbinam erat illa potentia? Non in anima, quæ nondum erat. Non in parte animæ, quæ est simplex, & tota simul efficitur, non per partes. Non in materia aliqua, quoniam anima à materia non dependet. Non in nihilo, non enim potentia ipsa essendi fundatur in nihilo. Nam quo pacto alterum oppositum sit oppositi & contradictorij alterius fundamentum? Esse verò & non esse contradictoria sunt. Restat vt illa potentia in solo animæ authore fundetur Deo. Igitur potentia essendi per quam anima ad esse producitur, ipse solus immortalis stabilisque est Deus. Potentiæ verò secundum congruentiam respondet actus. Actus ergo illi potentiæ diuinæ respondens est stabilis per essentiam. Talis actus est anima. Et quemadmodum in Deo eadem potentia est, per quam & Deus potest facere animam, & anima fieri, sic in anima idem actus est, id est, nixus idem, per quem & anima subsistit in natura sua, & Deus eam sistit in ipsa. Quo fit, vt non minori desiderio Deus animam in natura animæ sistat, quàm substat anima in eadem. Quæ cum soli subiiciatur Deo, si perimenda est ab aliquo, ab illo est perimenda. Ab illo verò non potest. Quomodo enim causa alicuius effectrix & conseruatrix erit quoque corruptrix eiusdem? Aut quo pacto ipsum bonum cuiquam perniciosum est? Aut prima vita & infinita vita est alicui mortis origo? Dicet aliquis: Non perimit Deus animam, vim nouam aliquam inferendo, sed vim ante illi tributam auferendo, id est, subtrahendo influxum suum, per quem anima vixerat, sicut qui intuitu imaginem suam creat in speculo, subtrahendo vultum desinit imaginem procreare. Sed contingere hoc ibi non potest, vt paulo ante ostendimus. Rursus, si Deus nunc infundit animæ vitam, postea non infundit, mutatio ibi prouenit ab infundendo in non infundendum. Quæro, vtrum anima desinat haurire vitam, an Deus infundere? Non desinit anima haurire, quippè infusio vitæ in essentiam animæ fit, quoniam vita est primus actus essentiæ, cum primum acceperit esse. Animæ essentia est immobilis, quoniam à stabili Deo sine medio pendet, quia stando & quiescendo perficitur, turbatur motu, attingit stabilia, regit caduca, sistit mobilia, colligit dissipata, conciliat repugnantia. Nec est in ea potentia illa ad esse pariter atque non esse, qualis est in corporibus, quæ est totius mutationis initium. Non igitur cessat animæ essentia vnquam

vitæ actum accipere, non cessat Deus eundem infundere. Solis namque illis significauit Deus se vim suam aliquando infundere cessaturum, quibus ab origine inseruit procliuitatem illam ad non essendum. Præterea Deus naturæ institutor, nunquam rei quicquam subtrahit, quod rei illius est proprium. Propria animæ vita est, vita inquam perpetua, quia quantum rationalis est, etiam absque disciplina & vsu per solam eius naturæ virtutem quotidie in se parit species absolutas, per quas proximè ad æternas itur ideas. Si naturale est animo rationali ascendere ad ideas, naturale est ipsi quiescere in ideis, vt sicut naturaliter illis vixit, ita naturaliter viuat in illis, & qui operabatur secundum naturam assiduè ad perpetua, operetur quandoque secundum naturam perpetuo in perpetuis. Et quia idea quæque æterna vita est, qui secundum naturam suam ideam per ideæ modum potest consequi, potest etiam per modum æternum vitam consequi sempiternam.

Decima ratio. Quia esse à Deo accipit sine medio.

CAPVT XIII.

QVanquam Plotinus & Proculus aliique nonnulli Platonicorum animam fieri arbitrantur ab Angelo, tamen Dionysium Areopagitam, Origenem & Aurelium Augustinum Platonicos excellentissimos sequor libentius, qui animam putant à Deo vnico procreari. Quod equidem hac ratione demonstrari posse confido. Anima est forma ita simplex, atque ita libera, vt neque ex pluribus partibus componatur, neque materiæ visceribus eruatur. Quando igitur fit, non potest ex rebus vllis prius existentibus generari. Non enim ex rebus diuersis procul antè positis, deinde coactis in vnum conficitur, cum careat partibus. Neque ex materiæ fomite prius informi, deinde formato, cum sit supra materiam. Igitur fit ex nihilo. Ex nihilo autem aliquid facere, Dei solius est proprium. Nam ex ordine operum ordo causarum inuestigatur, causis enim effectus accommodatur. Quare oportet effectus proprios in proprias causas reducamus, atque id quod commune in omnibus effectibus propriis reperitur, in communem omnium causam referamus. Ita cum omnibus in rebus præter proprias singularum conditiones ipsum esse commune cunctis inueniatur, singularum conditionum & qualitatum causas singulas afferre debemus, ipsius autem esse quod vnum omnibus est commune, vnam causam, omnibusque communem. Omnibus communis causa vnus ipse est Deus. Igitur essendi re vera Deus est causa, essendi verò hoc aut illud, hoc modo vel illo, aliæ quadam præter Deum sunt causæ. Ita, vt sis à Deo solo habes, vt sis homo, etiam ab homine, vt calidus sis, ab igne. Deus operibus esse dabit, aliæ causæ inter se diuersæ, diuersos essendi modos, & eos quidem virtute Dei. Esse quidem illud quod post nihilum sequitur, esse dicitur absolutum, statim enim post nihil sequitur esse simpliciter. Post esse simpliciter, sequitur esse hoc aut illud, aut tale esse vel tale, puta hominem esse vel equum, album esse vel nigrum: non enim potest quicquam fieri hoc & illud & tale, nisi sit prius quod hoc & illud & tale fiat. Quapropter esse tale & hoc & illud, haud euestigio post nihilum sequitur, sed post esse ipsum simplex & absolutum. Cum igitur Dei proprium sit, esse ipsum commune & absolutum cunctis tribuere, id verò esse ante omnes essendi modos sequatur post nihilum, solius Dei officium erit aliquid ex nihilo in esse producere. Vt primum quod datur omnibus, ipsum scilicet esse, à prima sit causa, à sequentibus causis munera secunda vel tertia. Profectò quod naturæ alicuius est particeps, non potest eam naturam producere absolutam, quia cum id quod est tale aliquid secundum participationem, necessariò sequatur id quod est absolutè tale, imò etiam sit per illud, quicquid ipsum est, si hoc illud gigneret, certè quod est posterius, rem seipso priorem, atque etiam sui ipsius causam gigneret, vbi gigneret & seipsum. Igitur Ariston, quia non absolutus homo fuit, sed hic homo in tali materia constitutus, humanitatem ipsam non genuit absolutam, sed hominem hunc, Platonem scilicet, & in materia tali. Quoniam verò quantum pertinet ad essendi naturam, quicquid sub Deo est, esse ipsius est particeps, & esse non habet simpliciter, sed tale esse vel tale, in quadam essentia specieque determinatum, sequitur vt res nulla subiecta Deo, ipsum esse producat, sed talem quendam essendi modum tali cuidam materiæ tribuat. Quo fit, vt ad opus suum priori semper egeat fundamento. Præterea tam ars quàm natura quicquid agit, ex potentia quadam producit in actum. Sculptor ex lapide ita præparato ad statuam, vt quodammodo habeat statuam in potentia, statuam actu fabricat, homo ex semine in cuius virtute homo est, generat hominem. Materia illa ex qua ars & natura aliquid faciunt, interdum obediens multum & apta

ad

ad opus existit, interdũ ineptior, ita vt materiæ potẽtia aliàs minus, aliàs magis distet ab actu operis fabricandi. Parũ distat aëris potentia ab ignis effectu, lõgè verò ab hoc aquæ potentia. Facilè itaq; est ex aëre, difficile ex aqua ignem accendere. Vnde apparet tanto potentiorem esse oportere eum qui agit, quanto longius interuallum est inter potẽtiam illam & actum à qua in quem opus suum est deducturus. Distantia verò inter nihil & esse est infinita, tũ quia in nihilo nulla est proportio ad esse, tũ quia nulla distãtia maior hac esse aut excogitari potest.

Distantiam verò proportione & fine carentem sola illa vis potest transcẽdere: quæ nullam habet ad alias vires proportionem, nec habet finem. Virtus huiusmodi solus est Deus: omnia enim alia à Dei potentia exceduntur. Solus itaque Deus aliquid ex nihilo in esse producit. Præterea res omnis præter ipsum Deum creatura dicitur à Theologia, & ex quatuor quibusdam componitur necessario.

Ideo Pythagorici non solum in corporibus, verumetiam in spiritibus quodammodo ponunt quatuor elementa, quia vtraque constant ex essentia, esse, virtute, & actione. Nempè aliud in eis essentia est, aliud esse. Est enim esse, actus essentiæ. Quòd si præter hunc actum non esset illic essentia cui talis actus hæreret, esset actus purus & infinitus, quia non circumscriptus ab vllo. Hic autem solus est Deus. Rursus esse ipsum ab omni esset participatione alterius absolutũ.

Omne vero tale vnicum est in natura. Soli igitur Deo conuenit. Merito autem creatura non est ipsum esse suum, quia ipse suus actus esse nequit, cum habeat in se potentiæ passiuæ nonnihil immixtum, quia subest Deo, potentia verò opponitur actui. Quoniam verò operatio differt ab essentia magis quàm esse ipsum, prius enim est essentia quàm operetur, ideo vbi est essentiæ & ipsius esse distinctio, multo magis est distincta operatio ab essentia. Operatio quidem ita est virtutis essentialis actus, sicut esse actus essentiæ. Quia verò creata essentia non est suus actus, ideo nec est operatio sua, alioquin operatio talis esset per se subsistens ab omni participantis limite penitus absoluta. Quod tale est, vnicum diximus, & infinitum existere. Sed nunquid operatio differt ab esse, sicut ab essentia differre monstratur? Proculdubio. Duplex enim est operatio, vna fluit extra operantem, vt calefactio, altera manet intus, vt cognitio & voluntas. Quæ effluit sine controuersia distat ab esse, quod à re ipsa non effluit, quæ manet, ob id etiam discrepat, quia esse creaturæ certa quadam rerum specie clauditur. Operatio talis per genera multa vagatur. Imò verò intelligentia ipsa atque voluntas per infinita. Illius enim obiectum est ipsum verum, huius ipsum bonum. Verum autem & bonum saltem tàm latè patent, quàm ipsum quod ens vocatur. Operatio verò ab obiecto trahit speciem, ergo operatio talis omnibus rerum omnium speciebus induitur. Sed num differt operatio à virtute & virtus ab essentia atque esse? Certè. Primò enim, quia actus potentiæ semper opponitur, operatio quæ est actus, à virtute discrepat & essentia, quæ potentiæ quædam sunt, & virtus ab esse, quod est actus, & ab essentia, quia potentię per suos actus distinguuntur, cum propria potentia proprium respiciat actum. Essentiæ actus est esse, virtutis actus est operatio. Igitur tanto inter se distãnt essentia atque virtus, quanto esse distat & operatio. Quorsum hæc tam multa? vt intelligas operationem cuiuslibet creaturæ virtuti hærere, virtutem & esse essentiæ, ac nullam creaturam per substantiam proximè operari, sed per virtutem operatricem, quæ est qualitas siue accidens, cum à substantia vndique distinguatur. Quoties ergo aliquid operatur, qualitates quasdam proximè generat, & esse dat quale habet ipsa, id est, inhærens alteri semper. Talia verò præcedente indigent fundamento. Quæ fundamento indigent, ex nihilo non creantur. Ergo nulla creatura creat aliquid, nec iniuria. Operatio enim eius & virtus quia hærent alteri, & quicquid hæret, non restat liberum atque integrum, sed pro facultate suscipientis accipitur, subiecti sui limitibus finiuntur. Creatio verò operatricem virtutem exigit infinitam. Itaque anima à solo creatur Deo. Sed forsitan putabit quispiam animam ita à Deo fieri, vt per Angelum tanquam medium efficiatur, atque Deus in ea creatione sit opifex, Angelus instrumentum. Quæ quidem opinio ideo videtur absurda, quoniam instrumentum hanc habet naturam, vt ipsum ab alio motum moueat aliud, afficiat subiectum aliquod, formamque principalis agentis traducat in subiectum per tẽporis interuallum. Creatio autem neque subiectum exigit, neque fit motu vel tempore. Rursus, si creationis opus virtutem requirit immensam, quid absurdius, quàm ad id exequendum, virtutem ipsam quæ in Deo immensa est, prius in Angelo, cuius natura terminata est, terminari, deinde opus illud quod ad immensam virtutem spectat, peragere? Ex suprà dictis concluditur, animam à Deo summo sine medio procreari.

Cur non perfectione pares inter se sunt Angelus atque anima, cum vtraque à Deo absque medio pendeant? Quia sub alia idea & ratione Deus Angelum producit, sub alia animam. Illum sub altiori idea, istam sub inferiori, quemadmodum ab eodem pictore homo & equus picti non æquè sunt pulchri. Pulchrior enim hominis figura, quam equi, quia pictor ad pulchrius suæ mentis exemplar, hominis picturam expressit, quàm equi. Sed finem iam sic rationi huic imponamus. Si animæ essentia proximè à Deo fit, nihil inter eam & Deum ipsius conseruatorem intercidit medium, quod ipsam à conseruante disiungat. Ac si solo Deo eget vt fiat, solo etiam eget vt maneat. Et quia Deus per eandem vim seruat creata, per quam creauit, ideo sicut ex infinita Dei bonitate anima ex nihilo ad esse processit, ita per eandem in esse permanet procul à nihilo, vt vita Deo proxima, diuinæ vitæ simillima sit. Quod ita demum erit, si anima aut principio & fine caruerit, sicut Deus, aut si habuerit principium, finem saltem nullum sit habitura. Timæi Platonisque sententia est, Deum mundi opificem per ideas, id est, exemplares absolutasque rationes sua opera procreare, proindè quicquid per talem, aut talem proximè creatur ideam, semper tale perseuerare, quod verò deinceps, non necessariò semper, sed aliquando tale. Oportere enim effectum proximum causæ prodire simillimum, remotiorem verò minus similem, atque deinceps dissimiliorem semper euadere, adeo vt idea sit virtus & in seipsa simul, & sempiterna, virtus verò quæ inde fit proximè, non in se, imo in aliquo sit, sed semper. Quæ autem sit deinceps, neque in se, neque semper per naturam suam, vel eadem vel similis perseueret. Cum igitur rationalis quidem anima per ideam vitæ absque medio fiat, tali quadam proximæ originis potestate forma est semper viuens. Irrationalis autem cum inde per rationalem proficiscatur, secundum se aliquando viuens. Quod enim ab idea sola creatur actione, actione fit penitus stabili, stabilemque inde habet essentiam. Quod autem ab idea per animam quasi mediam nascitur, quoniam actione mutabili gignitur, mobilem secundum se inde naturam ducere cogitur. Secundum se inquam, quia vitam ab anima æthereo impressam vehiculo tanquam speculo sempiterno, existimant semper imprimentem animam comitari. Impressam verò vitam composito corpori & caduco, non semper. Nempè arbitrantur ab animæ substantia semper viuente æthereum corpus sibi proximum perpetuo animari, elementale verò corpus ab ea per illud aliquando vitam accipere. Sed de his aliàs.

Decima quarta ratio. Quia est per se vita.

CAPVT XIIII.

Anima est essentia, est & vita. Superioribus rationibus ostendimus eam esse immortalem, quia sit essentia per se existens, in præsentia verò eiusdem immortalitatem ostendimus, quia sit vita per se viuens. Porrò anima ex ipsa sui essentia vita est, quia totum quod est in ea, est vita. Si quid enim esset in ea quod vita non esset, illud quidem non pars esset animæ, & totum ipsum animarum quiddam potius quam anima diceretur. Fateamur igitur totam animæ essentiam esse vitam. Si tota est vita, per se certè secundum formam vita dicenda est. Nam quod per aliud viuit, ipsum per se non viuens, ex duabus componitur partibus, ex natura, inquam, sui propria secundum se non viua, atque ex vita illa aliunde accepta. Ita conclude. Si res illa quæ per aliud viuit, non tota vita est, sequitur vt res quæ tota est vita, per se viuat. Ergo anima quæ tota est vita, per se viuit, præsertim cum per se moueatur. Si ita est, per se est vita. Est igitur animæ essentia vita. Cuius rei signum est, quod cuicunque aduenit, ei præstat vitam, quasi per se sit hoc ipsum quod tribuit alteri. Vnde abeunte illa desinit corpus viuere, ac dum adest corpori, nullum momentum cessat vitæ opera exercere, corpus viuificando. Quare perennis animæ actus, viuificatio est. Perennis actio, propria est rei actio. Propria igitur est animæ actio viuificare. Viuificare autem, vitæ ipsius est proprium, sicut caloris est calefacere. Igitur essentia animæ vita est. Accipe rursus aliam coniecturam, quod parato corpore, anima statim illud viuificat. Aut ergo suo esse dat vitam, aut appetitu, aut cognitione siue concilio. Si anima cognitione & consilio corpus viuificaret, scirent omnes quid quolibet momento gignat & alat in visceribus anima, qualisque sit interni operis dispositio, & nisi cognoscerent, ista non fierent. Sed nunquid appetitu? Neque hoc quidem, alioqui quandiu vellet animus esse in corpore, tamdiu esset, & qui odit corporis consuetudinem, à corpore confestim discederet. Restat vt ipso esse, id est, naturali virtute viuificet corpus. Si ipso esse viuificat, per suam essentiam est vita, aut viuens, sicut quod ipso esse calefacit, per essentiam suam virtu-

tenive est calor aut calens. Conclude animæ essentiam esse quandam vitam. Quòd si non libeat eam vocare vitam per se viuentem, quemadmodum soles dicere calorem per se calentem, saltem per superiora cogeris confiteri animam esse substantiam propria vita vitalem, quemadmodum dicis ignem substantiam proprio calore calentem. Vtrum horum acceperis, minimè curo. Vtrinque enim sequitur id quod quærimus. Sed ego superioribus rationibus adducor vt animam per se vitam appellem, vitam, inquam, naturalem, formamque vitalem. Vitæ autem formæque vitali contraria mors quodammodo dicitur, seu aliqua mortifera qualitas formæ, sicuti caliditati frigiditas, humiditati contraria est siccitas. Ea verò est contrariarum natura formarum, vt neque aliqua earum aliam capiat, vt calor non suscipit frigus, neque substantia cui vna illarum formarum est propria, etiam suscipiat aliam formam, suæ formæ contrariam, vt ignis cui calor est proprius, frigus non accipit, vt simul sit & ignis & frigidus, sed abit potius aut perditur tam calor quàm ignis frigore veniente, quàm aut calor aut ignis fiat frigidus. Est ergo vterque (vt ita loquar) infrigescibilis, cum frigoris particeps euadere nequeat. Similiter anima, quoniam aut vita ipsa naturalis est, aut vitam habet tanquam naturalem sui pedisequam, mortem (vt dixi) ipsius contrariam non admittit. Si non admittit mortem, ita fermè immortalis est, sicut ignis, quia non suscipit frigus infrigescibilis. Si idem foret infrigescibile, quod imperdibile, ignis sicut non frigescit, ita neque etiam perderetur. Nunc autem perditur potius quàm frigescat. Verum cùm idem sit immortale, quod imperdibile, anima quæ non admittendo mortem dicitur immortalis, est etiam imperdibilis. Ideo abit veniente morte, non perditur. Tota superior disputatio his verbis Zoroaster comprehenditur.

Ἀθάνατος τε μένει, καὶ ζωῆς δέσποτις ἐστί,
id est, immortalis manet, ac vitæ domina est. Quasi dicat: ideo immortalis manet, quia vitam habet pedisequam, sicuti Sol lucem, Crinita comam. Hic pugnabit sic Strato, vel Epicureus aliquis. Sanè mortem non suscipit anima, quia veniente mortifera qualitate abit anima, & desinit esse. Si esse desinit, suscipit certè nihil. At nos, ô Epicure, non ita desipimus, vt ignoremus non posse mortem ab aliquo suscipi, tum quia nihil est (quod verò non est, non capitur) tum quia neque viuentes eam capiunt, neque defuncti. Illi, quia dum viuunt, à morte absunt, isti, quia si non sunt, vt ipse putas, nihil suscipiunt, & si supersunt (vt nostri volunt) etiam absunt à morte.

Desistamus ludere verbis, audi quid velimus, quãdo dicimus animam non suscipere mortem, intelligimus eam non admittere in seipsa vllam mortiferam qualitatem, per quam desinat viuere. Profectò contrariæ qualitates se inuicem non suscipiunt, nam se vicissim & fugant & fugiunt. Ideo calor natura sua non modò non suscipit frigus, sed neq; loco etiam illi propinquat. Longissimè namq; sese fugant & fugiunt, quæ per naturam longissimo discrepant interuallo. Postquam natura sua hæ formæ tales sunt, si in mera sui & sola natura consisterent, essentque ita vt modo sunt contrariæ inuicem, nunquam sibi inuicem propinquarent. Natura enim illas dissociaret, neque adesset medius aliquis illarum conciliator. Tales profectò forent, si calor ita in seipso subsisteret à materia separatus, vt nihil præter calorem haberet admixtum. Atque frigus similiter. Nunc iacet calor in materia, quæ suaptè natura non minus ad frigus parata quàm ad calorem, aduenienti frigori sinum pandit suum, quem ingressa frigiditas calorem inde detrudit, qui inde depulsus extinguitur, cum ab authore suo ea lege fuerit ad esse productus, vt tamdiu maneret, quamdiu à tali sinu materiæ foueretur. Quapropter formæ quæ à materia sustinentur, licet formas sibi contrarias non suscipiant, illarum tamen impetu & propinquatione perduntur. Quæ verò in seipsis permanent, & si quando materiæ hærere videntur, illam sustinent potius quam ab illa sustineantur, contrariam sibi vim non possunt admittere, verùm si qua vis aduenit materiæ gremio, qualitates & formas inquinat astrictas materiæ, formam verò illam quæ materiam supereminet, non attingit. Talis est anima, anima, inquam, rationalis, quæ cum fons motionis sit, corporumque motrix, non potest à corporibus è suo statu mutari. Cumque speciei suæ ingenitam habet vitam, vtpote propriam, viuit semper absque labore viuendi, præcipuè quamdiu secum ipsa viuit. Propinquans verò corpori, irrationalem (vt Platonicè loquar) ex se fundit vitam, velut vmbram. Ipsa quidem vera est anima, animalisque vitæ fons, talemque vitam non modo ad tempus suppeditat corpori, sed multo magis sibiipsi semper, cum nunquam deserat semetipsam, neque ad se deserendam compellatur à corpore, cuius qualitas in formam non transit incorpora-

lem. Rursus neque ad idem cogatur ab animabus, quarum officium est viuificare, nõ perdere. Talis proculdubio rationalis anima iudicatur. Irrationalis autem non vera est anima, quia neque essentia vera est, neque vera vita. Non vera essentia est, quia non existit per semetipsam, siquidem per se non operatur, quandoquidem nihil agit absque corporis instrumentis. Non vera vita est, quoniam motionis libertate priuatur. Non enim ducitur à seipsa, sed vi trahitur ab iis rebus quæ sensibus offeruntur. Ideo Platonici multi aiunt animam rationalem esse & animam & vitam subsistentem, atque ex se corpus viuificantem. Sed irrationalem formam potius animationem viuificationemque corporis esse putant, quàm etiam esse immortalem Xenocrates, Speusippus, Numenius, Plotinus existimant, Porphyrius autem & Proculus & alij quamplurimi negant. Neque mirari debemus si animas alias veras, alias falsas esse multi Platonici arbitrantur. Rerum siquidem varietas decentibus nectitur interuallis. Deus verum bonum est, Angelus imago quidem est bonitatis, sed intellectus est verus. Rationalis anima, imago intellectus, anima vera. Irrationalis anima, imago animæ, natura vera. Qualitas quæ diuiditur in materia naturæ imago est, verum naturalium agentium instrumentum. Sed meminisse oportet, eos qui animas nostras inferiores, esse sempiternas existimant, etiam Plantarum animas, secutos esse Ægyptios Pythagoreosque, existimantes animas humanas esse mentes delapsas in rationem atque sensum, animas verò brutorum esse nostras in sensum generationemque omnino prolapsas, Plantarum denique animas esse easdem lapsas omnino in generandi potentiam, posseque omnes iterum ad superiora conuerti. Quod quidem Empedocles, Timeus Locrus, Origenes, Plotinus significasse videntur. Sed hæc ipsi viderint, nos autem propositum prosequamur.

Decimaquinta ratio. Quia vita præstantior corpore.

CAPVT XV.

Rationalis anima vera naturalis vita est. Vera vita per se corporis est formatrix & rectrix, ideoque corpore est longè præstantior. Corpus quamuis in varias vertatur qualitates, aut etiam millies diuidatur in partes, nunquam tamen desinit esse corpus, semper enim restat natura corporis diuisibilis cum diuidantur partes in particulas sine fine. Ergo multo magis anima rationalis (quæ vera est corporis vita) quantumcumque mutetur, numquam desinit esse vita. Huius argumentationis vim in eo potissimum consistere arbitramur, quod tertia essentia, quæ est sedes rationalium animarum, tres habent dotes, ex eo quod omnium medium obtinet. Primam, quod in ea refulgent veræ imagines diuinorum. Secundam, quod ipsa format continetque totam machinam corporalem. Tertiam, quod diuina & corporalia conciliat inuicem. Omnes hæ dotes esse ostendunt animam sempiternam. Prima, quia si in genere corporum aliqua sempiterna sunt, in quibus vmbræ sunt diuinorum, multo magis animæ rationales animarum omnium præstantissimę sunt, in quibus sunt diuinorum imagines sempiternæ. Prior enim in diuinis vita est quàm splendor, quoniam splendor eorum est tum reflexio, tum effusio vitæ. Quapropter inde prius manat in animam vitæ immortalis vbertas, quàm diuinarum splendor imaginum. Secunda, quia si rationalis anima principium est formandi & continendi, neque formam suam neque constantiam naturalem potest amittere. Nempè cum totum animale genus sit toto genere corporali præstantius, & in omnibus mundi membris sint aliqua corporalia sempiterna, probabile est vt in omnibus his sint animæ sempiternæ. Quis enim negauerit animarum genus caput habere perpetuum, in quo rationales animæ sunt, postquam corporalis mundus membra quædam habet vbique perpetua? Tertia, quia si anima conciliationis vniuersalis & vinculi fons est, distrahi & dissolui non potest. Si enim vniuersorum vinculum resoluatur, quid vlterius vincietur? Platonica hæc mysteria ita deinceps Aurelij Augustini sententia confirmabimus. Si anima rationalis interiret corpore pereunte, necessario mutaretur corpore permutato. Non mutatur autem à corpore. Ipsa enim motionis principium est. Ideo cum à corpore mutari videtur, tunc ipsa & corpus mutat, & seipsam ducit vt iubet. Si anima mouet sæpissimè corpus, immobilis perseuerans, longè magis ex eo quòd sistit continetque corpus, seipsam sistit & continet. Quod enim stat plurimum in mouendo alio, stare potest semper in sistendo se & continendo. Quis autem nesciat quando corpus vel proprium vel alienum mouetur ab animo, tam motionem ipsam quam rem motam non habere sua omnia simul, sed labi prorsus à futuro in præsens atque præteritum, in animo autem tunc esse simul proposi-

tum operis totius immobile, intentionem præsentis operis, memoriam præteriti, expectationemque futuri? Illic intentio animi circa ea quæ non sunt, est ipsa, dum tam ea quæ nondum sunt, quã ea quæ non sunt amplius, ipsa connectit in vnum. Circa temporalia est supra tempus, circa mobilia est immobilis. Cur ergo substantia eius circa mortalia non sit immortalis? Imò cur in perpetuis attingendis non fiat ipsa perpetua quandoquidem in tractandis mobilibus manet immobilis? Præterea, si non tam id quod in mole est corporis, quam id quod est in specie, facit esse corpus (corpus enim tanto magis est, quanto speciosius est atque pulchrius, tantoque minus est, quanto fœdius atque deformius, quæ defectio non præcisione molis, sed speciei priuatione contingit) putandum est animum illum, à quo tanquam principio datur corpori forma, per quam est corpus, & connexio partium per quam consistit, nunquam vel forma propria vel vnione priuari per quam est & permanet animus, quandoquidem corpus nunquam omni forma, & vnione per quam est permanetque corpus, orbatur, neque tamen transire de specie in speciem animam sicut corpus. Mutatio enim ab anima descendit in corpus, & stabilior est illa quam istud. Ergo si hoc semper in genere corporali permanet, illa permanet semper in specie animali, neque in ipsa specie animali de alia in aliã animam cõmutabitur, non enim subest materia per quam fiat huiu modi commutatio. Si non accidit mutatio talis, neque animus esse nisi viuat, potest, nunquam profecto animus moritur. Quòd si quisquam non eum interitum dicat formidandum animo, quo efficitur vt nihil sit, quod aliquid est, sed eum quo dicimus ea mortua, quæ vita carent, attendat quòd nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quædam. Vnde quod animatum est, viuere, omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, id est, vita priuatum intelligitur. Non ergo potest animus mori. Nam si carere poterit vita, non animus verus, sed animatum, aut aliquod animi simulachrum est. Quod si absurdum est, multo minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vitæ certè non est timendum. Nam prorsus si tunc moritur animus, cum eum deserit vita, illa ipsa vita quæ hunc deserit, multo melius verus intelligitur animus, vt iam non sit animus quicquid à vita deseritur, sed ea ipsa vita quæ deserit. Quicquid enim à vita desertum, mortuum dicitur, id ab anima desertum intelligitur. Hæc autem vita quæ deserit ea quæ moriuntur, quia ipse est animus, & seipsam non deserit, non moritur animus, nisi fortè veram vitam, temperationem aliquam corporis, aut aliquid eam sequens, vt Aristoxenus & Dicæarchus opinabantur, debemus credere. Quibus profecto nunquam hoc visum esset, si ea quæ verè sunt, & incommutabilia permanent, eodem animo à corporum consuetudine alienato atque purgato videre valuissent. Quis enim bene se inspiciens, non expertus est tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto longius remouere atque subducere intentionem mentis à corporis sensibus potuit? Quod si ad temperationem corporis animus pertineret, non vtique id posset accidere. Non enim ea res quæ naturam propriam non haberet, neque per se subsisteret, sed in subiecto corpore tanquam corporalis forma inseparabiliter esset, vllo modo se ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur auertere, & quantum id posset, tantum illa posset intueri, eaque visione melior & præstantior fieri Nullo quippè modo forma talis, vel ipsa etiam corporis temperatio, quæ certa commixtione efficitur earum quatuor naturarum quibus idem corpus consistit, auertere se ab eo potest, in quo subiecto est inseparabiliter. Quinetiam cum humorum consonantia accidens quoddam compositum sit, si anima vel consonantia esset, vel ab ipsa dependens, nullo modo substantiarum rerumque simplicium rationes cognosceret, affectaret, & caperet. Ad hæc, ea quæ intelligit animus, cum se auerterit à corpore, non sunt profectò corporea, & tamen sunt maximè quæ sunt. Nam eodem modo sese semper habent, nihilque absurdius dici potest, quàm ea esse quæ oculis videmus, ea non esse, quæ intelligentia cernimus, cum dubitare dementis sit, intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri. Hæc autem quæ intelliguntur, eodem modo sese habentia, cum ea intuetur animus absque aliquo instrumento, satis ostendit se illis esse coniunctum miro quodam eoque incomparabili modo, scilicet non secundum locum. Nam aut in illo sunt, aut ipse in illis aut vtrumque per se subsistit. Si primum illud est, non est harmonia corporis animus, aut harmoniæ mancipatus. Quicquid enim tale est, à corpore tanquam subiecto separari non potest, proptereaque quicquid in illo est, corpori æquè atque illud astringitur.

Mutabile autem est corpus humanum, mutabiles igitur erunt rationes illæ rerum quæ sunt in animo contemplante, si ani-

mus mutabili corpori alligatur. Mutabiles autem esse rationes illæ non possunt. Semper enim eodem modo verum est, quòd duo & quatuor sex conficiunt, quodque quæ comparatio est duorum ad quatuor, eadem quatuor est ad octo, cæteraque generis huius quamplurima. Rationes huiusmodi inseparabiliter insunt animo, qui semper & subito his vtitur pro arbitrio. In quibus ars consistit ratiocinandi, quæ ab animo rationali minimè separatur. Nam si ab eo ratio illa artificiosa, vel ars rationalis, quæ rationum cœtus est, separabitur, aut nusquam erit, aut in re aliqua non viuente, aut in re viuente. Nusquam esse non est dicendum perpetuas & immutabiles rationes. Esse quoque in re non viuente rationes veras impossibile est, siquidem vita rationis est fundamentum. Si autem artificiosa ratio de vita transit in vitam, nunquam id facit commodius, quàm cum docet quis alios. Cum verò id non contingat (nemo enim docendo alios obliuiscitur) non fit transitus. Ars igitur inseparabiliter inest animo. Inesset quoque corpori, si animus esset corporis harmonia, quapropter mutabilis esset, sicut corpus, tam ratio ipsa quàm animus. Cum verò ratio talis sit immutabilis, ideoque & animi essentia immutabilis, cui illa tanquam subiecto inest, non est animus corporis temperatio. Atque ita disputasse suffi ciat ex primo illo diuisionis superioris membro, quo concessum sit animo rationes inesse. Præterea siquis secundum illud membrum admiserit, scilicet illis inesse animum, sequitur idem. Quo enim pacto animus est corporis temperatio, si in ratione rerum à corpore separata est tanquam subiecto? cum non possit esse alibi quàm in corpore corporis temperatio? Si tertium diuisionis illius membrum concesseris, scilicet vtrumque substantiam per se subsistentem esse, tam animum, quàm ipsam rationem rerum, per se subsistet animus, neque temperationi corporis adstringetur.

Denique, quodcumque membrum diuisionis acceperis, vna hæc summopere ratio persuadet animum in complexione corporis tanquam origine non iacere, quia non tam auidè, tam facilè, tam assiduè, dum philosophamur mutabili posthabito corpore, immutabilibus rationibus sese misceret, neque melius esset cum est in illis, quam cum est in corpore. Est autem in illis tanto melius quàm in corpore, quanto præstantius viuit in illis, quàm in seipso. Tanto autem viuit præstantius, quanto perfectius operatur. Operatur verò in illis perfectius, quia intelligit verius, desiderat pacatius, fruitur dulcius, plenius, atque securius. Et cum sæpè consonante secum corpore, animus ipse dissonet secum tum speculatione, tum moribus, atque contra consonet dissonante, qui non viderit animum non consistere in corporis consonantia, is dissonat veritati. Sed vt reuertamur ad Aurelium, hic fortè oboritur nonnulla quæstio. Vtrum sicut non interit animus, ita nec in deteriorem commutetur essentiam. Videri enim cuipiam potest, neque iniuria, id effectum esse ratione hac, vt animus ad nihilum peruenire non possit, conuerti autem in corpus forsitan possit.

Si enim quod erat ante animus, corpus fuerit effectum, non vtique omnino non erit. Sed hoc fieri non potest, nisi aut ipse id velit, aut ab alio cogatur. Neque continuo tamen animus, siue ipse appetierit, siue coactus fuerit, poterit corpus esse. Illud enim sequitur, vt, si sit, necessario velit, aut cogatur. At illud non sequitur, vt si velit aut cogatur sit. Nunquam autẽ volet. Nã omnis eius appetitus ad corpus aut vt id possideat est, aut vt viuificet, aut vt quodammodo fabricet, aut quolibet pacto ei consulat. Nihil autem horum fieri potest, si non sit corpore ipse melior. At si erit corpus, melior corpore profecto non erit. Non igitur esse corpus volet, neque vllum huius rei certius argumentum est quàm cum seipsum hoc interrogat animus. Ita enim facilè comperit appetitum se non habere nisi agendi aliquid, aut sciendi, aut sentiendi, aut vel tantummodo viuendi, quantum sua illi potestas est. Si autem cogitur corpus esse, à quo tandem cogitur? Num à quolibet? certè à potentiore. Non igitur à corpore potest. Nullo enim modo vllo animo vllum potentius corpus. Potentior autem animus non cogit in aliquid nisi quod suæ potestati subditum est. Nec vllo modo animus potestati alterius animi, nisi suis cupiditatibus subditur. Cogit ergo ille animus non magis quam quantum eius cupiditates sinunt, quem cogit. Dictum autem cupiditatem non posse animum habere vt corpus sit. Illud etiam manifestum est, ad nullam suæ cupiditatis expletionem peruenire, dum amittit omnem cupiditatem & amittit, dum corpus fit. Non ergo potest ab eo cogi vt fiat, qui potestatem cogendi nisi per subditas cupiditates non habent. Deinde quisquis animus alterum animum habet in potestate, magis eum necesse est velit in potestate habere quam corpus, & ei vel bonitate consulere,

vel malitia imperare. Non ergo volet vt corpus sit.

Postremò iste animus cogens, aut animal est aut caret corpore. Sed si caret corpore, in hoc mundo non est, sed si ita est, summè bonus est, nec potest velle alteri tam turpem commutationem. Si autem animal est, aut animal etiam est ille quem cogit, aut non est: sed si non est nihil cogi ab alio potest. Non enim habet potentiorem qui in summo est, id est, non cogitur qui est solutus. Si autem in corpore est, ab eo rursus qui in corpore est, per corpus cogitur, ad quodcunque cogitur. Quis autem dubitet nullo modo per corpus fieri tantam commutationem animo? Fieret enim si esset illo corpus potentius. Quamuis quicquid illud est ad quod per corpus cogitur, prorsus non per corpus, sed per cupiditates suas cogitur, de quibus satis est dictum. Quod autem rationali anima melius est, omnibus consentientibus diuinum est, quod profectò consulit animæ, & ideo non ab eo cogi anima potest, vt conuertatur in corpus. Si igitur nec propria voluntate, nec alio cogente id anima patitur, vnde id pati potest? An quia inuitos nos plerunque opprimit somnus, metuendum est ne quo tali defectu animus conuertatur in corpus? Quasi verò quoniam somno membra nostra marcescunt, idcirco animus fiat ex parte vlla debilior. Sensibilia tamen non sentit, quia quicquid illud est quod somnum facit, è corpore est, atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit & claudit quodammodo, ita tamen, vt tali commutationi corporis cedat anima cum voluntate, quia secundum naturam est talis commutatio, quæ reficit corpus à laboribus, non tamen hæc adimit animo vel sentiendi vim, vel intelligendi. Nam & imagines sensibilium præsto habet tanta expressione similitudinis, vt eo ipso tempore discerni nequeant ab iis rebus quarum imagines sunt. Et siquid intelligit, æquè dormienti ac vigilanti verum est. Nam verbi gratia si per somnum disputare sibi visus fuerit, verasque rationes secutus ita disputando didicerit aliquid, etiam expergefacto eadem incommutabilia manent, quamuis falsa reperiantur cætera, veluti locus vbi disputatio, & persona cum qua disputatio fuisse visa erat, & verba ipsa quæ ad somnum attinent quibus disputari videbatur, & alia huiuscemodi quæ ipsis sensibus sentiuntur aguntur que à vigilantibus, prætereunt tamen, nec vlla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur, tali commutatione corporis, quæ somnus est, non vim ipsius animæ, sed vitam corporis posse minui. Postremò si quamuis locum occupāti corpori, anima tamen non localiter iungitur summis illis æternisque rationibus quæ incommutabiliter manent, nec vtique continentur loco, prior afficitur anima quàm corpus, nec prior tantum, sed etiam magis. Tanto enim prior, quanto propinquior, & eadem causa tanto etiam magis, quanto corpore est melior, nec ista propinquitas loco, sed naturæ ordine dicta sit. Hoc autem ordine intelligitur à summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est quantumcunque est. Per animam ergo corpus subsistit, & eo ipso est, quo animatur, siue vniuersaliter vt mundus, siue particulariter vt vnumquodque animal intra mundum. Quapropter consequens erat vt anima per animam corpus fieret, nec omnino aliter posset. Quod quia non fit (manente quippè anima in eo quod anima est, corpus per illam subsistit, dantem speciem, non adimentem) commutari in corpus anima non potest. Si enim non tradit speciem quam sumit à summo bono, non per illam fit corpus, & si non per illam fit, aut non fit omnino, aut tam propinquè speciem sumit, quam anima. Nec etiam fit corpus, quia si tam propinquè sumeret speciem, idem esset quod anima. Nonne eo ipso est anima melior, quo sumit propinquius? Tam propinquè autem corpus sumeret, si non per animam sumeret, etenim nullo interposito tam propinque vtique sumeret. Nec inuenitur aliquid congruens medium inter summam vitam, quæ sapientia & veritas est incommutabilis, & id quod vltimum viuificatur, id est, corpus, nisi viuificans anima. Quòd si tradit speciem anima corpori, vt sit corpus quantum est, non vtique speciem tradendo, adimit autem speciem in corpus animam transmutando, non igitur anima siue per seipsam corpus fit, quod per eam fit (quia non nisi manente anima corpus per eam fit) siue per alia, quia non nisi traditione speciei fit corpus per animam & ademptione speciei anima in corpus conuerteretur, si conuerteretur. Hoc & de irrationali anima vel vita, quòd nec in eam rationalis anima conuertitur, dici potest. Et ipsa enim nisi inferiori ordine rationali subiiceretur, æquè speciem sumeret, & talis esset. Tradunt ergo speciem à summa pulchritudine acceptam potentiora infirmioribus naturali ordine. Et vtique cum tradunt, non adimunt, eoque sunt quæ infirmiora sunt, quantum sunt, quod species qua sunt, eis à potentioribus

traditur, quę quidem potentiora etiam meliora sunt. Quod his naturis datum est, quæ non mole maiore plus possunt minoribus molibus, sed sine tumore vllo localis magnitudinis eadem specie potentiora sunt, qua meliora, in quo genere est anima corpore melior & potentior. Quapropter cum per illam, vt dictum est, corpus subsistat, ipsa in corpus conuerti nullo modo potest. Corpus enim nullum fit nisi accipiendo per animam speciem. At anima vt corpus fieret, non accipiendo speciem sed amittendo fieri posset. Et ideo fieri nullo modo potest.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM, EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER VI. (∴)

REDVCTIO OPINIONVM de Anima, in quinque Capita.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



HÆc olim in agro Regnano apud Ioannem Caualcantem vnicum amicum nostrum Calendis Martiis sub Lauro disputaueram. Quibus disserendis interfuerunt præcipui familiares nostri tres. Christophorus Landinus, Bernardus Nuthius, Georgius Antonius Vespuccius, viri probitate & doctrina clarissimi. His autem Ioannes summa cum attentione auditis, Marsilij Ficini, inquit, dici non posset quantū superiori disputatione fuerim delectatus. Sed hoc insuper cupio, vt postquam de communi animarum rationalium immortalitate disseruisti, deinceps, si placet, diligentius de animæ nostræ immortalitate propriis rationibus disseras. Assentior equidem quinque esse rerum gradus, quemadmodum superiori disputatione disposuisti, atque horum medium obtinere tertiam illam essentiam, quæ è materia, soluta sit, ac perpetua.

Præterea, cœlestes animas in illius essentiæ gradu collocari non dubito. Opinor etiam probabile esse, vt ibidem noster animus collocetur. Arbitror tamen non prius id posse penitus affirmari, quàm omnes opiniones Philosophorum de hominis anima ad quinque capita reducantur, & quatuor confutatis, vltima teneatur. Aut enim anima corpusculum aliquod est tenuissimum corpori huic crassiori suffusum, siue igneum id sit, vt Democritus, Leucippus, & Hipparchus existimant, siue aëreum, vt Anaximenes, Diogenes Apolloniates, & Critias, siue aqueum, vt Hippias, siue terreum, vt Hesiodus & Pronopides, siue ex igne constet & aëre, vt Boëthus & Epicurus, siue ex aqua & terra, vt Xenophantes. Aut melius aliquid est anima, id est, non moles ipsa corpusculi propriè, sed qualitas illius aliqua per partes corpusculi sparsa, puta calor, vel cōplexio calida, quod voluisse videntur Zeno Citieus, Cleāder, Antipater, Possidonius.

Aut purius aliquid, veluti punctum aliquod lucidum qualitatis illius in quadam ipsius qualitatis & corpusculi parte potiori, puta corde vel cerebro, assignatum, ibi residens, inde reliqua membra gubernans, vt est apud Chrysippum, Archelaum, & Heraclidem Ponticum. Aut liberius adhuc quiddam, ceu punctum aliquod nulli parti affixum, sed ab omni determinato situ seclusum, ac totum parti corporis cuique præsens, sed tale, vt sit ab ipsa corporis natura dependens. Dependens, inquam, duobus modis scilicet, vel quia licet complexio ipsum non genuerit, tamen genitor suus, quicunque sit ille, ipsum ex materiæ potentia eiusque visceribus eduxerit, id est, ex aliquo semine siue inchoatione seu proportione materiæ ipsius in lucem eruerit, atque ipsi materiæ tanquam naturali gremio prorsus addixerit.

Quam sententiam Xenophanes Colophonius, Asclepiades, Aristoxenus, Critolausque sequuntur, apud quos anima est, vel vis quædam corporis agilis ad mouendum, vel partium corporalium harmonia.

Aut postremò diuinum quiddam est hominis anima, id est, aliquid indiuiduum, totum cuique parti corporis adstans, & ab incorporeo authore ita productum, vt ex agentis virtute solummodo, non ex materiæ inchoatione, aut capacitate, aut fomento dependeat, sicut nos docent prisci Theologi, Zoroaster, Mercurius, Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras, Plato, quorum vestigia sequitur plurimum Physicus Aristoteles. Præter has quinque opiniones aliæ nullæ inueniuntur. Tu verò tunc demum immortalitatem ad nos pertinere monstraueris, quando reprobatis quatuor superioribus opinionibus, approbaueris vltimam. Sic enim constabit animam in tertiæ essentiæ ordine collocari. Id verò non mihi solùm videtur, sed etiam cum superioribus diebus apud Bernardum Bembum tuum, clarissimum equitem, atq; hoc tempore Veneti Senatus Oratorem, conuiuio discumberemus, meministi (vt arbitror) idem Antonio Chronico Veneto, ac Demetrio Attico disputatoribus argutissimis visum fuisse, mox etiam à Richardo Angellerio Anglariensi, & ab Oliuerio Arduino Florentino insignibus Peripateticis similiter esse conclusum, vbi affuerunt tres amici, Naldus Naldius, Bartholomęus Fontius, Ioannes Baptista Boninsegnius, viri doctissimi. Eandem esse sententiam nostri Petri Leonis Spoletini, qui Platonica Peripateticis præclarissimè iunxit. Hæc ille. His ergo ita respondi.

Plebei Philosophi non ratione aliqua persuasi, sed praua decepti consuetudine corporalem animam posuerunt.

CAPVT II.

PRincipio Plebeos Philosophos qui corporalem esse animam arbitrantes opinionem ex illis quatuor aliquam sequuti sunt, non ratione aliqua persuasos, sed longa quadam & infelicissima consuetudine in hanc sententiam compulsos, existimo. Tria potissimum animæ nostræ officia esse videntur. Siquidem agit in corpore, agit per corpus, operantur etiam per seipsam. In corpore agit per eam potentiam, quam vegetatricem vocant Peripatetici, Platonici verò nostri naturam, quando generat corpus, nutritque & auget. Per corpus agit secundùm sensum tum exteriorem, quando videt, audit, olfacit, gustat, & tangit, tum interiorem, quando eorum corporum quæ sensit extrinsecus, imagines quasi reliquias sensuum secum ipsa reuoluit. Per seipsam agit, quando neque corpora per sensus exteriores attingit, neque imagines corporum per interiorem sensum recolligit, sed ipsa mera vis animæ incorporeaque incorporeum aliquid inuestigat & inuenit, quod neque corpus sit, neque corporis alicuius imago, quamquidem actionem, intelligētiam nominamus. Habes igitur actionem naturalem, sensum, intelligentiam. Actione naturali vtitur anima in ipso fœtu statim corpus ingressa, sensu paulò post, homine videlicet statim nato, intelligentia pura vix tandem adulto iam corpore. Magna verò pars hominum ferè nunquam, illi præsertim qui etiam trigesimo ætatis anno sunt pueri. Si potentiam illam naturalem, quid anima sit interoges, corpus esse proculdubio respondebit. Ea siquidē vis nihil attingit aliud nisi corpus. Si sensum exteriorē rogaueris, corpus similiter respondebit. Oculi figuram quandam & colorem animæ ascribēt; aures vocem, olfactus odorem, saporem gustus, pōdus soliditatemq; & calorē, & similia tactus. Quod si sensum interiorem, qui reliquiis externorum sensuum pascitur, de anima fueris percontatus, ipse quoque animam corporum pinget simulachris, nihil enim habet aliud quod adhibeat. Infelix adolescentia nostra sub indoctis præceptoribus his nutrita, cogit nos per omnem ætatem stultè sentire de anima, dum eam opinamur esse corpoream, ab his doctis magistris qui sola sentiunt corporalia.

Maximè verò hic error inde videtur exortus, imò verò potius confirmatus, quod si quando tribus his præceptoribus tanquam Sophistis omnino dimissis ad mentem illam sapientiæ magistram confugimus, & ab ea quid sit anima, sciscitamur, illa talem esse respondet, qualem & ipsa videt. Illa verò heu qualem videt, quàm fœdam, quàm miserabilem? Profectò non talem qualis olim cœlo descenderat. Sed potentiam illam animæ naturalem corporis, fabricatricem cernit quatuor humorum (in quibus ipsa mergitur) tabe pollutam, & membrorum pinguedine suffocatam. Sensus quoque externos inspicit vndique declinantes ad corpora, agentes per corpus, à corporibus quodammodo patientes. Sēsum etiam interiorem, quem nominant phantasiam, variis diuersorū corporum figuris & qualitatibus quasi per sensum hau[?]is cernit opertum. Dum igitur animam corporali veste aspicit inuolutam, & appetitum procliuem esse ad corpora animaduertit, certè respondet eam esse corpoream, non aliter ac si puer aliquis statim natus luto oblitus ita fuisset, vt vndique per omnem pueritiam lutea testa esset obductus, ac postea rogaretur, quale tuum est ô puer corpusculum? Nonne esse luteum responderet? Ablue puer, corpus, absterge carnes à glebis, carneum te videbis, non luteum. Dimittite sensus, ô miseri, impios nimium præceptores. Piam duntaxat mentem interrogate, eo tamen pacto, vt animam illi puram, qualem accepistis, non corpori mancipatam, non vitiorum maculis sordidam ostendatis. Mens protinus respondebit, non incorporalem esse animam solummodo, sed diuinam. Magnum quiddam es, ô anima, si te parua non implent. Optimum quoque, si displicent tibi mala. Pulcherrimum, si horres turpia. Sempiternum, si temporalia paruipendis Postquam talis es, si inuenire te cupis, quære obsecro, ibi teipsam, vbi sunt talia. Magna verò ibi sunt solùm, vbi nullum locus imponit limite finem. Optima, vbi nihil contingit aduersi. Pulcherrima, vbi nihil est dissonum. Sempiterna, vbi defectus est nullus. Quære te igitur extra mundū. Verum vt quæras te, & inuenias, extra vola, imò extra respice. Es enim extra, dum mundum ipsa complecteris. Sed esse te putas in infimo loco mundi, quia teipsam quidem non cernis super æthera peruolantem, sed vmbram tuam corpus vides in infimo, perinde ac si puer aliquis super puteum constitutus, esse se in fundo putei arbitretur, dum in seipsum aciem non conuertit, sed suam in fundo prospicit vmbram. Aut si auis in aëre volans credat se in terra volare, dum vmbram suam videt in terra. Ergo relictis vmbræ huius angustiis, reuertere in teipsam. Sic enim reuerteris in amplum. Immensam esse scito in spiritu amplitudinem, in corpore verò infinitam (vt ita loquar) angustiam. Quod ex hoc licet perspicere, quod numeri (qui spiritali naturæ propinquant) cum & situ careant, & metiantur, numerentque secundum formam, tam incorporea quàm corporea, nihil aliud sint, quàm quædam vnitatis ipsius replicationes, vnitas autem sit incorporea, quia omne corporale sit multiplex. Numeri, inquam, qui spiritales sunt, sine fine crescunt, non tamen sine fine decrescunt, magnitudo contrà terminum quidem habet augmenti, quamuis non habeat terminum decrementi. Cur tanti facitis sensuum iudicium, infelices, qui falsis imaginibus ita decipiuntur, vt visus solem, qui terra longè est amplior, vix bicubitum iudicet, cœlum quod rapidissimè currit, quiescere, rectum in aqua remum fractum videat & obliquum, currere littus, dum nauis ipsa mouetur. Auditus vocem aliunde quam mittatur, sæpè venire significet, gustus sæpenumero quæ dulcia sunt, amara & infinita generis eiusdem? Sensuum errata quis corrigit? Ratio. Nobilius autem est quod emendat, & perficit, quàm quod perficitur. Idcirco diligentior & veracior ratio est quàm sensus. Ratio iudicat inueniri posse aliquid incorporeum, semperque circa huiusmodi quiddam ipse versatur.

Est ergo verum per iudicium rationis, esse alicubi aliquid incorporeum, sicut verum est per iudicium sensuum, esse multa in mundo corporea, horum tamen iudicium in eo fallitur, quòd nihil affirmat aliud nisi corpus. Sic etiam falleretur iudicium rationis, si fortè asseueraret non esse in rebus aliquid corporale. Nunc verò tantùm abest à falso, vt etiam fallaciam sensus emendet. Sentiendi autem vires vsque adeò fallaces sunt, vt non modo emendentur à ratione, verumetiam à se inuicem ipsæ damnentur. Si visui te soli committas, nihil in mundo esse aliud dices, quàm quæ videntur in lumine: voces autem, & odores, & reliqua quæ non videntur, omnino non esse. Si auribus solis confidas, colores esse negabis Si olfactui, solos esse in mundo putabis odores. Atque ita de aliis putandum. Sicut autem quisque sensum negat esse alicubi aliud quicquam

præter id quod est suum, & tamen per alium sensum damnamus alium, & esse aliquid aliud inuenimus præter id quod vnius sensus est proprium, & rectè inuenimus, ita cuncti sensus vnà conspirantes negant esse posse aliquid in natura, quod non sit corpus.

Nihilominus ratio cunctos redarguens, esse etiam aliquid incorporale vaticinatur, & verè vaticinatur, & multo verius quàm sensus, qui & à se inuicem damnantur, & redarguuntur ab illa. Quid enim stultius est, quam concedere nos bestiis ratione præstare, atque ea quæ sensu percipimus, existere aliquid confiteri, quæ etiam nonnullæ bestiæ acutius sentiunt, id autem quod rationis oculo intuemur, nihil esse contendere? Nullum enim animal esset insipientius homine, si ea vis animi quæ hominis propria est magis quàm sensus, qui communis est bestiis, falleretur. Nefas est autem, animalium regem dicere omnium dementissimum. Dementissimus autem is erit solus, qui non fatebitur tanto præstantius esse mentis obiectum sensus obiecto, quanto mens est sensu præstantior, ac propterea incorporeas naturas in excellentiore substantiæ genere re vera inueniri, quàm corporea, præsertim quia si obiecta mentis eam mouent, sicut obiecta sensus mouent sensum, oportet ea ipsa mentis obiecta aliquam per se habere substantiam, vt mentem mouere queant. Sin autem dicatur intellectum à suis obiectis minimè agitari, iam satis probatum erit, saltem intellectum ipsum esse naturam incorporalem, postquam dum fabricat sua, non mouetur ab alio, & ædificia fabricat incorporea. Meminisse verò oportet, quemadmodum puer qui natus est cæcus, difficilè credit colorum varietatem, lucemque esse, cum tamen cæteris hominibus nihil sit luce clarius, sic animum nuper tenebris corporis circunfusum, vix adduci vt existimet lucem aliquam incorporalem existere, cum tamen nihil sit illa in rerum ordine Angelis manifestius. Hoc Plato in septimo de Republica longè conqueritur, hoc Aristoteles in secundo diuinorum confirmat, dicens humanum intellectum ad ea quæ sunt per se in ordine rerum manifestissima, non aliter se habere quàm ad Solis lucem noctuæ oculum. Resipiscant igitur quandoque minuti Philosophi, qui sensuum indicio freti, incorporalem diuinamque esse animam cogitare non possunt. Animaduertant aliquando ex diuturna cum corpore consuetudine, se factos esse vsque adeò corporales, vt meritò nihil mouerint nisi corpus, aut rem corpore natam. Purificant, & pura percipient. Experiantur aliquando in seipsis, possunt enim, modo velint, quod iam diu in vniuerso desiderant, percipiunt certè composita, percipiunt & formas plurimas in compositis. Formas insuper desiderant aliquas extra composita segregatas, ipsi ex anima & corpore compositi sunt. Habent vitam ab anima corpori traditam, habent & vitam animæ ipsius in seipsa vigentē. Illam ergo despiciant, hanc aspiciant. Vitam intellectualem agat à corpore separatam, separari statim separatas formas attingent, Socraticamque mox sententiam re ipsa probabunt super formas quæ in subiectis formatis iacent, quoniam imperfectæ sunt, esse formas in seipsis, atque perfectas, vnde informia subiecta formentur, atque vnicam ad incorporea nō attingenda solum, sed etiam possidenda, viam esse, seipsum videlicet incorporeum reddere, hoc est, mentem à motu, sensu, affectu, imaginatione corporali pro viribus seuocare. Sic enim experientia ipsa constabit, primò quidem qualis sit purus animus, id est, ratio secum ipsa viuens, seque circa ipsum veritatis lumen auidè versans. Secundò, qualis Angelus, id est, intellectus purus, infuso iam veritatis lumine gaudens. Tertiò, quando animus ipse tanquam Angelus pleno veritatis gaudedit lumine, Deum esse persentiet tum veritatem ipsam seipsa lucentem, atque gaudentem, tum ipsam lucem veritate gaudentem propria, tum ipsum gaudium veritate propria lucens. Esse verò plebeiorum errorem à corporea consuetudine natum, nosse incipiemus aliquantum, si saltem contrariam illius educationem aliquam cogitemus, qualem in sexto naturalium excogitat Auicenna. Creetur à Deo homo aliquis subito (inquit Auicenna) in ætate perfecta constitutus, sed ita dispositus, vt nihil per aliquem quinque sensuum apprehendat. Sic affecti hominis mens aliquid cogitabit, cum sit in ætate adulta, in qua corporis fabrica intelligentiam non perturbat, neque sit ad opera sensuum occupatus, quæ mentis operationem impediunt. Ac etiam adsit aliquid quod possit intelligi. Adest enim ipsa animæ substantia menti.

Mens igitur à nullo turbata præsentem sibi animæ substantiam cogitabit. At qualem cogitabit? Num coloratam, longam, aut amplam? Minimè, cæcus enim similia non apprehendit. Num sonantem,

vel bene olentem, atque similia? Neque ista quidem. Nondum enim talia quædam per sensus accepit, vt possit talem naturam animæ assignare. Igitur nihil poterit corporale anima illa sibi tribuere. Quid tandem de seipsa asseruabit? Profectò id saltem, quod sibi primo offeretur intuitu. Est autem hoc ipsius essentia, quapropter affirmabit esse seipsam, neque tamen corporale quicquam in seipsa perspiciet. Itaque affirmabit esse se prorsus incorporalem. Neque fingere quidem poterit esse se corpus, sicut plebis animæ nunc aliter creatæ atque educatæ nequeunt seipsas incorporales considerare. Quod si quis dixerit animam illam nihil de seipsa affirmare horum corporum quæ per quinque sensus accipimus, sed aliud quoddam corpus diuersæ naturæ, vanum hoc nimium Nam, si ne nũc quidem, cum tot varia corpora perceperimus, possumus noui aliquid machinari, quod non vel in his insit, vel ex his saltem aut componatur aut eliciatur, quomodo in eo statu horum corporum ignarus posset animus noui corporis naturam effingere? Ac etiam si possibile esset eam aliquod sui corporis membrum excogitare, illud nullo modo putaret ad propriam substantiam pertinere. Affirmabit igitur animus ille de seipso esse, tamen corporeum aliquid non affirmabit. Diuersa verò inter se sunt duo hæc, id quod affirmatur, & id quod minimè affirmatur. Igitur essentia animi in ea consideratione erit aliquid præter corpus. Iudicium verò considerationis illius ideo verum fore putamus, quia meram prorsus naturam animæ sequeretur, non imagines acceptas extrinsecus. Esset ergo iudicium naturale admodum, ideoque verissimum. Itaque si deinde expergiscatur, vt nos nunc, & sentiat, non erit, vt nos, ad inquisitionem spiritalium ineptissimus, sed viam aliquam habebit commodiorem, per quam ita quandoque ad sui ipsius considerationem se comparet, vt pronunciet se esse aliquid præter corpus. Qua quidem via carent nunc animæ miseræ, quæ per naturam & sensus corpora tum propria tum aliena prius attigerunt, quàm seipsas considerarent. Vnde miserabilis ille profectus est error, vt nequeant seipsas seorsum à labe corporeis peruidere.

Hactenus educationem fictam ab Auicenna narrauisse sufficiat. Deinceps qualem Plato noster educationem in septimo de Republica libro describit, breuiter perstringamus.

Finge, inquit, quandam sub terra speluncam, in ea homines nutritos à pueritia, ita ceruicem & manus à tergo, pedesque columnis quibusdam alligatos, vt neque moueri vsquam, neque alia nisi quæ è conspectu imposita speluncæ parte apparent, aspicere possint. Post tergum verò supernè lampas accensa sit, atque inter lampadem & illos qui ligati sunt alij multi deambulent, loquanturque inuicem, ferentes manibus varia arborum animaliumque simulachra. Qui igitur ita vincti sunt, nunquam reuera vel seipsos, vel alia eorum quæ narrauimus, vlla videbunt, sed solas vel sui vmbras, vel aliorum, quæ propter ignem à tergo accensum tantum ante suos oculos in aduersam partem speluncæ resultant. Quamobrem nihil aliud aut se esse quàm sui vmbras, aut alia aliud esse quam vmbras illorum existimabunt, aut lumen ipsum esse aliud quàm exiguum illud quod ibi reflexum apparet, opinabuntur. Siquis autem horum qui vincti sunt, fortè soluatur, subitoque lampadem & alia sub illa quæ sequuntur à tergo, retro versus intueri cogatur, caligabit protinus, & dolebit, ac propter splendorem intueri non poterit illa quorum vmbras paulò ante cernebat. Multoque magis id illi malum continget, si à spelunca sursum ad cœleste diurnumque lumen repentè trahatur. Quare non subito, sed paulatim conuenientibus gradibus ab vmbris rerum ad res ipsas, item à luminis imagine ad lumen ipsum est perducendus, ita vt quæ in spelunca sunt apud illos, prius illic in aqua videat, quàm ibidem in seipsis inspiciat.

Rursus quæ extra speluncam apud nos sunt, primò nocte hic ad Lunam in qua similiter, deinde in seipsis terrena hæc, similiterque in cœlo cœlestia nocte itidem solum intueatur. Postera verò die tam Solem ipsum, quàm quæ sub Sole videntur, prius in aqua, post in seipsis illa, demum Solem in cœlo suspiciat. Hac potissimum ratione singula sincerè facileque discernet, atque existimabit se cæcum deceptum miserumque fuisse, quando sub specu vinctus exiguis rerum vmbris fuerat occupatus. Proinde quæ comparatio est speluncæ illius ad hunc modum, quem visibilem nominamus, eadem fermè mundi huius ad illum quem inuisibilem diuinumque vocamus. Siquidem hic animæ miserę moribundi corporis clausæ tenebris, & carcere cæco, neque seipsas vnquam, neque alia vlla reuera, neque verum Solem, imò sui aliorumque vmbras, & exilem quandam veri

veri Solis imaginem intuentur. Veræ enim mentes, veræ res quæque, verus Sol in mundo solùm sunt inuisibili, quæ si absque congruis educationis disciplinarumque gradibus repentè intueri conemur, caligamus protinus, & dolemus. Conuenientibus verò tum morum, tum doctrinarum, tum temporis perducti gradibus, sincerè discernimus, iudicamusque cæcos illos & miseros, qui falsis mundi huius vmbris imaginibusque falluntur, occupantur atque premuntur. Verumtamen quando animus ab immenso inuisibilis mundi lumine in corpus obscurum regendum mouendumque descendit, nouis, suæque naturæ contrariis obrutus tenebris, cæcutire diu & titubare compellitur. Adde & propter repentinam maximamque in deterius mutationem, diu cogitur ægrotare, atque fermè sic affici, vt ij qui propter phrenesim, vel somnum, vel ebrietatem falsis imaginibus illuduntur atque vexantur. Aut certè non aliter se habere, quam siquis à Solis lumine in cauernam illam quam descripsimus, repentè præcipitetur. Adeò enim nouis tenebris offundetur, vt aut nullo modo, aut vix tandem sub exiguo illo cauernæ lumine vmbras illas tantùm quas narrauimus, discernere possit. Præterea, ob subitam illam & in peius mutationem, in morbos tam sensus quàm corporis varios incidet.

Hæc à Platone in libro de Republica septimo.

Sed redeamus tandem ad ea quæ ab initio statueramus. Emergite obsecro, mortalium animæ nunc immersæ corporibus, naturam vestram supra corporis fines statim reperietis. Corpus siquidem longum est, latum atque profundum. Quoniam verò nullum corpus est infinitum, ideoque finem habet profunditatis, finitur in superficiem non profundam. Habetis iam superficiem longam quidem & latam, sicut corpus, sed profunditate carentem, atque ex vna hac parte surgentem ad incorporea. Superficiei quoque latitudo finita ad longam lineam terminatur, neque profundam neque latam. Habetis lineam duabus partibus ad spiritum accedentem. Sed hæc ipsa lineæ longitudo quia finita est, ad punctum ducitur, non profunditate solùm & latitudine priuatum, sed etiam longitudine Habetis puctum tribus partibus ad naturam vergens incorporalem. Sed hoc quoniam lineæ terminus est, ideo certum habet situm in corpore, neque implet totum, neque viuificat. Separate, si placet, ipsum à linea. Potest autem cogitatione saltem à linea separari, quod est lineæ terminus, & prius in seipso est quodammodo, quàm terminet lineam. Quod autem prius est, licet ab eo quod est posterius separare. Habetis punctum quodammodo, id est, cogitatione solutum à linea, quarto iam gradu discedens à corpore. In hac ipsa solutione assequitur, vt omnes partes corporis æquè respiciat. Fundatur per omnes, & moueat, hic irrationalis anima sedem habet. Et quoniam rationalis cogitatio non fallitur ascendendo, ideo sicut inuenit punctum à corpore cogitatione liberum, sic re vera inueniet punctum, id est, indiuiduum aliquid re ipsa solutum à corpore, quod non modo impleat corpus & moueat, sed ipsum liberè moueatur, & tollatur ad supera, quod iam vnitatis nomine appellatur: hic anima viget rationalis quinto gradu à mole corporis aliena. Si tantò quid impurius est, quanto eget, patiturque magis, corpus impurius est quàm superficies. Pluribus enim ad hoc vt sit, dimensionibus eget, atque ex partibus diuiditur pluribus. Superficies simili ratione cedit lineæ, linea puncto, punctum denique vnitati, quæ neque dimensionibus indiget, neque situ. Si horum perfectissima substantialis vnitas est, & quia perfectissima, ideo potentissima, & verissima, atque hæc sunt aliquid existuntque, quis negauerit verè existere vnitatẽ? Ergo quid prohibet animam esse aliquid, & id quidem virtute magnũ, licet non sit magnũ aliquid quantitate? Agite, igneam formam quæ in corpore vestro tricubito tricubita est, colligite totã in cordis centrum. Hinc tantum virtute crescat, quantum creuerit vnione, non aliter ac solis radij in concaui æneique speculi collecti centro, qui vsque adeo roborantur, vt inde resilientes durissima quæque accedant subito atque consumant. Subtrahite portiunculam illam cordis, qua forma ignis illa deprimitur, restet forma indiuidua, agilis, calens, lucens & aliter quam prius, & mirabilius. Quia indiuidua agilisque est secundum se totam, corpus totum æquè collustret. Quia feruet incredibiliter, vitalis sit atque viuifica. Quia mirificè fulget, sentiat. Intelligat insuper, si reflectitur in seipsam, sursumque attollitur. Hactenus per ea quæ tanguntur, pedetentim progredientes inuenistis animam, quando à solido corpore ad quiddam quasi punctum omnino liberum processistis. Rursus, per ea quæ cernuntur oculis, animam perscrutemini. Cur (quæso) diffiditis esse spiritale ali-

quid in natura, cum ipsis etiam oculis spiritum quodammodo videatis? Scitis lumen id solis oculo manifestum, ideo corpus non esse, quia momento se fundit in omnia infusum non frangit corpora, nec inficitur. Ecce videtis spiritum Quid negatis? An forsitan illum negabitis esse quem non cernitis? Si ita est, sphæras aëris ignisque & cœli, aqua & terra præstantiores, quia non videantur, nihil esse dicetis. Itaque pars maxima & præstantissima mundi, quia non sit visibilis, nihil erit. Sed redeamus ad lumen. Ita lumen esse negabitis in sphæra ignis, quoniam oculis non perspicitur. Sed & ipse solis fulgor etiam si non videretur, existeret, quandoquidem existit nunc, & non videtur à nocturnis, atque ipsius splendor aliquis mixtus vaporibus potius quam ipse videtur à nobis, sed ipsum esse alicubi ex hoc eius splendore coniicimus. Sic etiam inesse lumen cœlestibus animis spiritale, ex ipso sydeium lumine, quod illius imago est, coniectamur. An nescitis lucis actum nihil esse aliud quàm lucere, ac tanto clarius rutilare, quanto longius à crassis corporibus separatur? Secernite ipsam ab omni materia, mirabilius rutilabit, & viuet quidem tunc maximè, si quando victura sit. Vbi enim crescit actus, augetur & vita, præsertim cum per eius calorem hæc omnia viuant. Sentiet quoque (vt ita dixerim) quando per eius radios hæc omnia sentiunt, ipsa tamen minimè sentietur; nam & tenuitate subterfugiet aciem oculorum, & vbertate fulgoris intelligibilis superabit terreni visus capacitatem. Scitis in sphæris elementorum ignem infimum vsque adeò ad naturam supremi aëris declinare, aërem verò contra supremum ita ad ignem illum attolli, vt & ignis ille fermè aliud videatur esse quàm tenuis aër, & aër ille crassior ignis, adeò vt quicunque aërem illum cernit, vidisse se ignem possit absque mendacio affirmare. Eadem comparatio est mentis infimæ, qualis est anima rationalis, ad sublime corpus, quod est cœlum. Ergo & anima quodammodo est tenue cœlum, & cœlum est crassior anima. Et qui cœlum suspicit, prospicit animam. Cogitate punctum aliquod Geometricum, quod quia æquè respicit quamlibet loci partem circundantis ipsum, si quando mouetur in orbem, vnde quod erat punctum, circunferentia videtur euadere, vbi sanè circunferentia, est punctum circumcurrens, euolutumque foras Punctum verò est circunferentia stabili quodam cardine conuoluta. Cogitate rursus scintillam quandam luminis inuisibilis, quæ quoniam super omnem existit locum, æquè in partem loci quamlibet sese fundat, ac dum mouetur in gyrum, flammeus orbis efficiatur Orbis, inquam, oculis manifestus, vbi scintilla est flamma compressa, flamma est scintilla profusa. Scintilla huiusmodi anima est, flamma corpus æthereum. Et quanta est in animabus rationalibus varietas luminis spiritalis, tanta est in propriis earum cœlestibusque corporibus visibilis luminis varietas. Atque id lumen ita lucem sequitur spiritalem, vt lunæ lucem pallidus orbis in nubibus.

Ea verò est inter rationales animas differentia, quod animæ fixarum stellarum planetarumque solum lucido corpore circundantur, cæteræ corporibus geminis lucido & opaco, aut certè altero lucidissimo, altero minus lucido. Eadem quasi lux esse videtur, quæ dum scintilla manet, sentit quidem, sed non sentitur, cùm verò explicatur in flammam, sentitur quidem iam, sed ipsa nil sentit amplius, & sicut sensu careret quicumque flammam videns, scintillam se videre negaret, ita carebit anima, qui dum globos æthereos suscipit quasi quosdam circuitus animarum, animas inesse illis quasi centra non senserit, neque concesserit animas esse globos luminum implicatos, globos autem esse animas explicatas. Quod ita significauit Heraclitus.

Αὐγὴ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη,

id est, lux sicca, anima sapientissima. Hinc efficitur, vt nihil animo aut gratius, aut mirabilius sit quàm lumen, neque possit alibi quàm in lumine spirituum habitare, dum colit terras. Iam igitur & hic inuenistis animam esse tanquam lucem inuisibilem, viuificam, sentientem, intelligibilem, intelligentem. Et paulò ante tanquam punctum à corpore liberum, agile per seipsum, calens, viuificum, sentiens, capax superiorum, quod substantialis quædam vnitas appellatur. Atque hæc prima quædam excursio fit, & quasi præludium, quo infelix diffidentia illa tollatur, quæ longissimè à spiritalium confessione abducit animos plebeiorum.

(∴) (∴) (∴)

Anima non est corpus, aut forma diuisa in corpore, vt ostenditur per virtutem animæ naturalem.

CAPVT III.

PRopositæ quæstionis ordo requirit, vt in prima sequentis disputationis parte ostendamus, per virtutem animæ naturalem, hominis quidem animam potissimum quidem non esse corpus, partim etiam non esse formam diuisam in corpore. In secunda parte per virtutem sentiendi monstremus idem, scilicet, animam esse formam indiuisibilem, ac insuper illud adiiciamus, eam videlicet, non alicui corporis membro affigi, sed totam per singula fundi. In tertia verò parte, per virtutem intelligendi eadem confirmemus, scilicet, eam esse formam impartibilem vbique totam, & illud adiiciamus, quod nullam trahat originem à materia. Sic enim anima hominis ad tertiam illam essentiam, quæ est perpetua, pertinebit, & immortalis meritò iudicabitur. Iam verò primam disputationis partem diuino numine inuocato in hunc modum aggrediamur.

Prima ratio, quia anima est principium nutriendi, & quomocdocunque aliter operandi.

CAPVT IIII.

ANimantes & plantæ virentes corpora sunt, corpora etiam sunt ligna & saxa, ex terra conuulsa: Corpora illa coalescunt, hæc verò nequaquam. Quid autem est in illis principium alimenti? Non materia corporalis, quoniam alia etiam corpora nutrirentur, quibus talis materia est communis. Cùm ergo vis illa per quam adolescunt, aliud quiddam sit præter materiam corporalem, & illa non sit aliud quàm anima nutritiua, sequitur vt talis anima non sit corpus. Si quis autem obiecerit ita: Imò vero est corpus, non corpus quodlibet, sed tale quiddam, & sic affectum, qualis natura plantis & animantis propria sit: Saxis vero & lignis aridis non communis, quæremus ab illo de huiusmodi tali certoque corpore, quod vocat animam, vtrùm duo quædam in se contineat, corporalem, scilicet molem, atque insuper certam quandam affectionem, per quam tale vocatur, & certum fit propriumque corpus, an nihil habeat vltra materiam corporibus omnibus vbique communem.

Si nihil respondeatur habere præter communem hanc molem, vana fuerat nimium obiectio illa, per quam dicebatur, non quodlibet corpus esse animam, sed corpus tale, & certo modo dispositum. Non enim fit corpus tale, & certo modo dispositum, nisi per qualitatem ipsam, & propriam quandam affectionem ipsi corpori superadditam, per quam non modo sit corpus, sed & tale, per quam etiam à quolibet alio differat corpore. Itaque si nihil aliud est ibi præter molem solam communemque corporis, cum illa etiam aridis lignis insit & saxis, hæc quoque habebunt animam per quam alentur. Quod quia falsum esse constat, necessarium est, corpus illud tale quod aduersarius animam appellabat, non materiam corporis solam, sed qualitatem etiam siue formam aliquam continere. Atque illud non propter materiam ipsam corporis, anima nominatur, quia materia omnibus etiam vita carentibus corporibus competit. Restat vt propter formam, formam, inquam, viuificam. Id enim est animæ proprium, Formam itaque ipsam viuificam vocabimus animam, materiam vero illam cui adiuncta est, quia inde vitæ fit particeps, neque animæ partem, sed animarum quiddam esse dicemus. Præsens autem ratio maximè per eam sententiam confirmatur, quam induximus à principio quando disserebamus corpus ex se agere nihil posse, quippe cum videamus animâ à corporibus accedente multas inde operationes proficisci quæ & ante animæ accessum, & post eius discessum minimè fiunt. Quapropter animam quæ huiusmodi operationum principiũ est, corpus nõ esse concludimus.

Secunda ratio. Neque corpus animatum est anima, neque inanimatum.

CAPVT V.

QVale corpus esse vis animam? animatum ne, an inanime? Inanime non dices, quod alteri vitam tribuit animalem, quomodo enim si anima inanime corpus sit, viuificat corpora? Neque animatum corpus eam potes dicere, quia si anima animatum corpus dicatur, certè illud corpus postquam animatum dicitur, per aliquam animam dicitur animatum. De illa anima rursus interrogo, corpusne sit, an non? Si corpus, vtrum animatum, vel inanime? Si inanime respondetur, absurdum quidem. Si animatum, iterum de anima illa quæram per quam

dicitur animatum. Atque procedere cogeris in infinitum, quamdiu corpus esse animam asseres, ac semper respondere compelleris absurdè. Vtraque enim responsio delira videtur, tum animam esse animatam, tum inanimem, quemadmodum de sapientia, tum esse illam sapientem, tum etiam insipientem. Aut de lumine, tum esse illud illuminatum, tum obscurum. Sicut enim neque obscurum est lumen, quod alia illustrat, neque ab alio illuminatum, quod ipsum est primum lumen, sic anima neque inanimis, quia dat vitam, neque etiam per aliud animata, cum ipsa illud propriè sit per quod reuera quodlibet animatur. Ac si ad aliud illam retuleris per quod animetur, ego similiter illud aliud rursus ad aliud referam, aliudque rursus ad aliud, neque cessabo vnquam, aut si cessabo, in eo ipso certè quiescam, vt dicam, aut illud ipsum quod primo ponebatur, aut aliquid sequens, neque animatum, neque viuificatum esse ab aliquo, sed ipsum propriè per se esse, quod animat aliud atque viuificat. Tale quiddam animam & vitam propriè, non quoduis aliud appellabo. Tu forsitan vt infinitum illum progressum & responsiones deliras iam deuites, & tamen animam corpus esse asseras, inferes, eam esse corpus non quidem animatum, sed corpus animale, non viuificatum, sed viuens. Si ita est, reuolueris eodem. Equidem percontabor, vtrum illud ea ratione qua corpus est, anima sit, an alia quadam ratione, nempè nouæ alicuius additionis per quam animale dicatur & viuens? Certè non ea ratione qua corpus. Omnia siquidem corpora essent animæ, ac operationes præ se ferrent. Sequitur, vt alia quædam illic insit natura præter corporis rationem, per quam animale corpus illud viuensque dicatur. Illam ego vitam propriè & animam nuncupabo.

Tertia ratio. Neque crassum corpus est, neque subtile.

CAPVT VI.

NVnquid crassum corpus est anima, puta vel aqua, vel terra, atque similia? An potius subtile, rarumque, vt ignis & aër? Primum dici non potest, quoniam animæ officium est, penetrare facillimè corpora, implere, mouere. Huic autem operationi crassa corpora sunt ineptissima. Secundum vero, illud esse fortasse videbitur probabilius, vt rarum sit corpus anima, vt ignis, vt aër. Verum, si ignis dicatur esse, vtrum ignis ille qua ratione ignis, anima est, an quadam alia ratione? Si qua ratione ignis est, esse dicatur anima, profectò quilibet ignis anima erit, & omnia ignita viuentia. Igitur alia ratione. Ita de aëre percontandum, concludendumque, animam semper esse vltra naturam corporis requirendam. Neque adducat quisquam quintum aliquod tenuissimum corpusculum, præter quatuor elementa, quod crassioribus infusum corporibus illorum sit anima. Eadem namque redibit quæstio, vtrum corpusculum illud per materiam suam sit anima, an per viam aliquam materiæ superadditam. Si primum dicitur, omnia corpora erunt animæ, quia omnibus subest materia. Si secundum, assequuti erimus, iam quod cupimus, vt anima sit ad aliquam vim quodammodo incorpoream referenda. Afferuntur hic à nonnullis breues quædam persuasiones huiusmodi: Si anima dicatur esse diuisibilis, quæritur nunquid partes eius viuant vt totum, necne? Si viuunt, tota anima in singulis est suis particulis, quo fit vt non egeat quantitate, quandoquidem per diuisionem non diminuitur. Si non viuunt, ex non viuentibus vita consistet, quod est impossibile. Rursus, omne corpus alicui quinque sensuum innotescere potest, anima nulli. Omne corpus figura aliqua vel termino circunscribitur, anima minimè. Omne corpus operationem suam necessario peragit temporis interuallo (cum enim diuisibile sit in essentia, multomagis in actione) anima sæpe momento temporis operatur. Corpus per quantitatem, potius quàm per essentiam est in loco, quia propter quantitatem implet locum, anima per essentiam adest corpori, vt enim adest illi, dat illi esse. Esse per essentiam datur, sicut per sapientiam sapere, adest igitur per essentiam. Corpus ita in alio est, vt contineatur ab eo in quo ponitur, atque excedatur, anima in corpore non est comprehensa, sed comprehendens. Ipsa enim corpus perficit, continet, atque ducit. Anima denique quolibet corpore, & toto corpore præstantior est, quare lineis punctisq; quæ in corporibus sunt vt in subiecto, est præstantior. Indiuisibile diuisibili excellentius est. Animus igitur magis indiuisibilis est quàm aut linea aut punctum.

Quarta ratio. Corpus ex materia & forma componitur.

CAPVT VII.

Corpus naturale ex materia & forma componitur. Animal est naturale corpus. Materia itaque in eo est, & forma. Constat autem ex anima atque corpore. Corpus quidem non est forma naturalis, quia forma naturalis alicuius est forma, & in aliquo est tanquam subiecto quodam atque formato. Corpus autem nullius forma est, neque in aliquo est subiecto, sed loco. Restat vt anima forma sit, ob hoc potissimum, quod est proprium internumque operationum motionumque principium, imò etiam essendi principium est animali. Totum hoc ad formam spectat. Est igitur anima forma. Quòd si ipsa quoque esset corpus, opus esset adhuc alia quadam forma tam animæ quàm corpori per quam ambo simul vnum animal vocarentur, quam quidem formam aliam proprius animam vocaremus. Nam per animam, quasi per formam corpus quod ante potentia quadam est viuens, actu fit viuens, & animal actu. Anima igitur solùm est forma, præsertim, quia si duas haberet partes, materiam, scilicet atque formam, tria sequerentur absurda.

Primum, quod non secundùm se totam formaret corpus, quia non formaret ipsum per partem eius, quæ est materia, oportet autem propriam formam secundùm totam sui essentiam, totam perficere materiam propriam.

Secundum, quòd pars illa animæ, quæ forma dicitur, duarum materiarum rationis eiusdem perfectio foret, quod natura non patitur, sicut neque patitur formas duas rationis eiusdem eamdem informare materiam.

Tertium, quoniam anima in corpora hæc inferiora commutaretur, atque vicissim, si communem cum his materiam possideret. Quod ideo nefas est, quia si fiat corporum animarumque mutua commutatio, multomagis fiet quarumlibet animarum in quaslibet animas transmutatio, rursusque quorumlibet corporum in corpora quælibet. Sit igitur anima solùm forma. Forma, inquam, non accidentalis, sed substantialis. Nam, cùm anima ipsa sit rectrix motrixque corporis, ita vt non contineat ipsum, sistat, & torqueat, corpore præstantior est. Corpus substantia est. Nullum verò accidens nobilius est substantia. Rursus motor, quantum est principium motionis, non pendet secundùm esse suum, ex eo quod mouetur. Igitur anima ipsa, quæ re vera est motrix corporis, à corpore non dependet, quasi pedisequa corporis, ita non est corporis accidens. Præterea, quicquid vicissim opposita suscipit, atque ipsum interim permanet idem substantia est, anima eadem permanens recipit tum opinionem hanc, tum illam, inter se contrarias, tum scientiam, tum ignorantiam, & repugnantes affectus, anima igitur est substantia. Substantia, inquam, vt forma quædam substantialis. Forma autem non est corpus, quia omne corpus forma aliqua designatur. Forma verò, qua ratione est forma, formari non potest. Hinc fit, vt anima non sit corpus. Missas facio in præsentia rationes quibus ostenditur animam nostram accidens esse non posse, quia si necessitate quadam hæreret subiecto, non posset illi repugnare, neque in se vnquam reflecteretur, neque super accidentium genus ad substantiæ genus ascenderet, ipsumve propriè definiret, vel discernere posset ab accidentibus, vel quanto interuallo accidentia superat, ritè metiri.

Quinta ratio. Corpus natura sua dispersum est.

CAPVT VIII.

Corpus natura sua dispersum est penitus. Primò, quia distantiam partium patitur, ita vt semper in alio loco sit alia. Secundò, quia continuè transmutatur. Nam si subiicitur tempori, sicut varia momenta succedunt in tempore, sic affectiones momentis singulis variantur in corpore. Quæ quidem varietas cùm fiat in cœlis, multomagis fit raptu cœlorum in elementis. Tertiò, quia contrariis subiicitur qualitatibus, calori, & frigori, & similibus. Vnde fit vt contra naturam corporis sit coire in vnum, manere simile, & sibiipsi constare. Extensio namque ipsa quantitatis partes corporis disiunctas manere compellit. Motus perennis cogit mutari naturam, neque sua simul habere, sed aliud amittere, quærere aliud. Qualitatum contrarietas impellit vt alteream fugiat, alteram per quam fugam corpus ipsum compositum dissoluatur. Quamuis autem per hæc appareat corpus natura sua nullo modo posse firmiter in vnitate consistere, tamen corpus quodlibet aliquo modo in suis partibus nectitur, cunctis in vnam totius corporis copulam conspirantibus. Est igitur in corpore aliquid

vltra corporis naturam, quod ipsum vnit, sistit & continet. Vnit, inquam, distantiam partium, sistit fluxum perennem, continet inuicem per suam simplicem consonantiam dissonas corporis qualitates. quid hoc est? corpusne? Si corpus est, eget similiter alio connectente. quid aliud illud? Num corpus? Si corpus, eget & alio. quocirca fatendum est nullam esse posse in corporibus vnitatem, nullam constantiam, nullamve concordiam, nisi illis insit vis aliqua incorporea. Ergo si & anima corpus dicatur esse, eget etiam aliqua copula. Vim autem huiusmodi copulantem nos animam, vel virtutem animæ potius quàm illud copulatum asseuerabimus, cùm videamus esse animæ proprium, humores contrarios membraque diuersa in vnam animalis compagem deuincere, qua abeunte diffluunt omnia. Igitur anima neque est corpus, sed copula corporis intima, vel substantia copulatrix. Neque forma diuisa per corpus. Talis enim formatur (vt Platonici putant) simplicitatis & constantiæ naturam amittit in corpore, vnde ipsa æquè vt corpus eget alio continente, quod vnum in seipso consistat, ad diuisionem corporis minimè dissipatum. Si quis autem quærat vnde saxa & ligna sortiuntur suarum partium vnionem, respondebunt Platonici, illa quamdiu affiguntur terræ, ab anima terræ sortiri & vnionem & augmentum; postquam verò auulsa sunt, non augmentum amplius, sed vnionem.

Sexta ratio. Duo corpora non sunt in eodem loco.

CAPVT VI.

DVo corpora in eodem loco penitus inuicem æquari non possunt. Nam si eodem in loco penitus esse debeant, oportet illa primùm in partes diuidi, deinde partes illas inuicem iungi. Quæ quidem partes si indiuisibiles sunt, iam corpora illa in indiuidua resoluta sunt. Et quoniam ex iisdem composita fuerant, neque dissoluuntur, sequitur vt ex indiuiduis quibusdam corporis magnitudo concreuerit. Quod ideo fieri non potuit, quia indiuidua congregata simul nunquam conficiunt magnitudinem. Sin autem partes illæ diuisibiles fuerint, quælibet per se erit corpus, ac situm proprium seorsum habebit ab alia, itaque non erunt corpora duo in loco vno. imò in multis loculis multa corpuscula. Si ergo corpora duo eodem in loco æquari inuicem nequeunt, anima quæ corpori viuo sese vbique infundit, & per omnia se porrigit corporis puncta, non est corpus. Quòd autem vbique in corpore sit, ex eo in præsentia patet, quòd nihil magis intrinsecum essentia est quàm esse. Ideoque forma per quam esse substantiale tribuitur tum corpori toti, tum partibus, toti partibusque est intima. Et quia sicut res se habet ad esse, sic & ad vnum, anima quæ per se dat esse, per se quoque absque medio vnitur corpori vniuerso. Quòd autem esse substantiale tribuat, inde patet, quòd ea sublata omnia membra mutant speciem. Quoniam verò ab essentia fluit esse, à virtute operatio, anima quæ singulis membris esse operationemque largitur, singulis quoque essentiam suam virtutemque communicat. Ita enim esse operationemque præstat, sicut vnitur. Quare si illa præstat singulis, vnitur & singulis. Nonne si corpus quodlibet naturale carens anima, vnum quiddam est per formam vnam in toto & partibus existentem, multo magis animatum corpus vnum erit per animam toti partibusque præsentem? Quòd si anima in vno solum membro sit, illius solius erit forma, reliquorum aliæ erunt formæ, vnde non conficietur ex membris omnibus naturale corpus reuera vnum, sed congregatum quiddam, tanquam domus ex parietibus. Neque erit in qualibet animalis parte consensio & concordia ad quamlibet, qualis modo est, nisi per vnam animam varia membra conglutinentur, sicut neque ad tractum nerui omnes articuli contrahuntur, nisi idem sit neruus in omnibus. Adde quod in quauis quantumcunque minima corporis portiuncula inest vita, & in plurimis motus & sensus. Hæ animæ vires operationesque intimæ sunt. Vis actioque agenti alicui intima, sine agentis substantia non existit. In illis ergo est anima, si in illis viget & agit: quæ quando suo modo mouetur, corpus non dissipat, quia non fit dolor aliquis ex animæ motu per corpus. Fieret autem perpetuus in corpore dolor, si ad motum animæ partes eius dissiparentur & turbarentur. Dissiparentur autem proculdubio, si anima esset corpus, cum ipsa per corpus suo quodam motu perpetuo moueatur. Quonam pacto anima corpus erit, quæ est vbique per corpus, & sine vlla corporis offensione totum vndique implet & penetrat? Porrò si solidum corpus esset, vel totum corpus non impleret, neque viueret inde totum, vel si impleret, penetrando frangeret, frangereturque, & dolor in nobis perpetuus perueniret. Sin autem corpus esset fluxum & labile, anima corpus animantis neque deuinciret, neque firmiter

solidaret, sed & ipsa alio quodam vinculo (vt supra diximus) indigeret, cuius stabilitate firmaretur regereturque & moueretur. Illud verò vinculum libentius animam, imò virtutem animæ appellabimus. Siquidem animæ virtus in corpore idem fermè est quod vel coaguli virtus in lacte quod inde coagulatur, vel vis Magnetis in ferro, quod inde trahitur & suspenditur, vel temperatio artis in horologio, quod inde ordine mirabili regitur, mouetur, & sonat. Ipsa verò anima non est virtus temperatione humorum, sed forma quædam substantialis, simplex, indiuisibilis, quę virtute & arte naturali spiritus, humores, membraque temperat.

Septima ratio. Corpus non est simul totum in pluribus.

CAPVT X.

NEque corpora, neque formæ diuisæ per corpora, possunt omnino esse simul in pluribus partibus aut locis. Vis seminaria tota est in qualibet particula seminis. In quot enim particulas semen diuiditur, totidem animalia oriuntur, quod maximè in piscium ouis apparet. Si ex quacunque guttula seminis totum pullulat animal, tota illic delitescit seminaria virtus. Hæc verò est animæ instrumentum generationi subseruiens. Quapropter multo magis tota est in qualibet seminis corporisque particula. Postquam ergo tota est in singulis animæ virtus, nonne virtus vegetatrix tota est in quolibet plantæ semine, cùm plantam integram producat ex quolibet? Certè. Vegetatiua quoque anima exigua primum radice vel germine capitur, deinde crescente arbore per omnes se fundit ramos. Siccatis denique ramis vel amputatis rursus sese contrahit in radicem. Hanc animam quantitate carere Plotinus, Porphyriusque existimant, quæ æquè clauditur minimis, implet amplissima.

Octaua ratio. Anima est vita, aut fons vitæ.

CAPVT XI.

ANimam esse putamus naturam quandam quæ aut vita quædam sit, aut vitam ceu comitem habeat & pedisequam, postquam corpora vitam per animam sortiuntur. Corpus necessario in plures partes diuiditur. Nam corpus aliud est ex pluribus elementis compositum, aliud elementum, ex elementis aliis minimè congregatum, sed ex forma & materia constitutum. Si animam dixeris esse corpus constructum ex pluribus elementis, sciscitabimur nunquid illa elementa quælibet per se seorsum ab aliis vitam habeant, aut nulla, sed congregata simul vitam pariant, aut vnum quiddam illorum possideat vitam. Si quodlibet illorum per se habet vitam, tot ibi sunt animæ, quot elementa. Neque ibi est anima vna ex multis conflata partibus, sed animæ multæ sedem eandem colentes. Si nullum illorum habet vitam, nunquam concursu mutuo vitam creabunt. Ac si in eorum concursu vita nascatur, non quidem ipsorum vi, cùm ipsa vita careant, sed vi potius alicuius concursum illum ordinantis vita illa nascetur, præsertim cum sit fatendum, etiam si concursione multorum vita confletur, non tamen quomodocunque concurrant, verùm si certa ratione viaque concurrant, vitam in illis gigni. Ita illius certæ concursionis intimus ordinator, anima ipsa erit, vitam suo modo confluentibus exhibens. Sin dixeris vnum aliquod è multis elementis habere vitam, illud solum modo anima ipsa erit, neque opus erit præter istud aliis elementis vt anima generetur. Quamobrem anima nullo modo putanda est esse corpus ex elementis pluribus constitutum. Sed neque elementum vnum, quia elementum quodlibet ex materia & forma componitur. Si istud viueret, non per materiam viueret, cum informis materia nequeat vitam aut alicui aut sibiipsi præbere. Igitur tale viueret per formam. Forma igitur esset anima. Quintiam si anima est corpus, siue elementum sit, siue simile quiddam, & seu simplex, seu compositum, certè ita vt dicam, vel similiter erit affectum, scilicet calidum vel frigidum, siccum vel humidum, leue vel graue, rarum vel densum, fluxum, solidum, album, nigrum, atque similia. Si calidum, calefaciet solum. Si leue, alta petet, & omnino qualecunque corpus sit, secundum naturam propriam operabitur, & affectum naturæ suę oppositum nunquam aget. Non enim frigidum calefacit. Est autem cuiuslibet corporis certa & determinata natura ac forma, sicut locus terminatus est, & certum tempus, & finita potentia. Igitur cuiusque corporis determinata operatio est, & ad effectus contrarios non extenditur. Anima verò ad contraria quælibet vim habere videtur. Nam & in diuersis corporibus animalium & in eodem multa inter se efficit repugnantia. Sistit, mouet, contrahit, extendit, rarefacit, condensat, acuit, obtundit, aperit, claudit, fundit, & solidat. Contrarios odores, sapores, atque colores,

oppositas vires & figuras humoribus membrisque tradit, leues spiritus deorsum mouet ad pedes, graues humores sursum ducit ad caput, quod fit contra corporum naturam. Agitat corpus in omnem partem sursum contra grauium elementorum pondera, deorsum contra leuium sublimitatem, in latus & in circuitum contra omnem corporis facultatem. Cum ergo omnes fermè effectus inter se contrarios faciat, & ad repugnantes motus ita sit compos, vt præter corporum ordinem moueat, quis adeo demens erit, vt aut corpus; aut eius qualitatem, siue qualitatis aliquid esse animam fateatur?

Nona ratio. Corpus seipsum non mouet.

CAPVT XII.

QVod verè & primò est per seipsum mobile, ita vt ipsum omnino idem sit & fons & receptaculum motionis, secundum se totum per se mobile debet esse, sicut in cæteris omnibus apparet, quæcunque per se, & primò sic talia quædam dicuntur esse vel talia, sicut quod ita est clarum, secundum se totum est clarum. Quod ita bonum, totum bonum est. Quod ita intellectum, intellectuale est totum. Nam essentia quæ primò effundit qualitatem aliquam, & amplectitur suscipitque primo, quia perfectè agit vtrunque, efficit vtrunque per totum. Oportet autem in natura alicubi reperiri essentiam illo modo per se siue ex se mobilem atque animam esse talem, vt libris superioribus demonstrauimus. Corpus autem etiam si fingatur per se primoque esse mobile, nondum tamen secundum se totum poterit esse tale, quoniam oporteret quamlibet eius partem à seipsa moueri, & partium partes atque particulas. Nam si vna particula sit in corpore quæ se non moueat, non erit corpus illud secundum se totum ex se mobile, atque ita non verè & primò erit tale, sed alterius cuiusdam primo talis participatione atque præsentia. Quare ad hoc vt perfectè per se mobile sit, concedendum esset quaslibet eius particulas à seipsis moueri. Illæ diuiduntur in infinitum, vnde innumerabiles erunt illæ particulæ quæ se mouebunt. Quod mouet, agit, quod agit, existit actu. Erunt igitur infinitæ partes in actu sese agitantes, & infiniti in quouis corpore mundi motores. Imò verò non erunt partes illæ alterius corporis ex eo ipso quod actu erunt suo, sed quælibet per se tota consistet, atque erit infinita quædam multitudo corpusculorum existens actu. Impossibile autem est talem esse multitudinem in natura. Quoniam igitur nequeunt esse corporis partes actu infinitæ, imò verò neque actu quidem reuera esse omnino, quando nullum habent esse proprium, sed sub ipso esse totius compositi continentur, sequitur vt partes corporis sese non moueant, ne propter hoc actu cogantur esse, & actu penitus infinitæ. Concludamus igitur corpus non posse verè primoque per se mobile esse, cum ipsi secundum se totum id competere nequeat, quando partes eius assequi id non valent, vt se moueant. Ad idem rursus alia via progrediamur. Quando aliquis corpus asserit mouere seipsum, ex iis quatuor vnum aliquid potissimum compellitur confiteri, aut partem corporis alteram moueri ab altera, aut totum à parte, aut à toto partem, aut totum, à toto, id est, omnibus partibus partes omnes. Si primum affirmetur, cum aliud quiddam sit pars altera, aliud altera, non idem mouebit seipsum, sed aliud potius aliud. Neque ex hoc corpus illud compositum verè mouebit seipsum, cum sit ex aliquibus partibus constitutum quæ se non mouent, sed duo quædam habebit in se distincta inuicem, quorum alterum moueat alterum. Si secundum illud diuisionis membrum acceperis, scilicet, quod pars mouet totum, vel tertium scilicet quod totum mouet partem, nondum verè compositum illud sese agitat. Aliud nanque partem, aliud totum esse volumus. Atque illa pars quæ mouet totum, mouet vtique omnes partes, ideoque in numero aliarum partium etiam seipsam mutat. Similiter si totum mouere partem dicatur, per omnes partes vnam commouet partem, ergo vnam quandam solummodo agitat quodammodo pet seipsam. Vides in his duobus diuisionis illius membris non posse aliter dici totum illud mouere seipsum, nisi per partem illam sui quæ sese agitat, per alias minimè. Atque ita non totum illud reuera erit per se mobile, sed pars forsan illa totius, quæ etiam pars eius non erit, cum per se aliquid operetur. Quòd si quartum concesseris scilicet totum à toto moueri, cum totum fortasse non sit aliud quàm cunctæ simul partes, fateberis partes omnes ab omnibus permutari, vbi compositum illud non aliam ob causam affirmari debet mouere seipsum, nisi, quia pars quælibet eius agitat semetipsam. quapropter ad partem semper confugere cogeris per se mobile corpus affirmaturus. quod in primis idcirco damnamus, quia corpus illud compositum non erit propriè per se mobile, postquam id ab alio, id est, à partibus mutatur. Nam ratio-

ne partium dicitur per se mobile. Licet enim corpus illud quodammodo cunctas simul partes esse constet, tamen motum huiusmodi mutari videtur à singulis, sicut & substantiam suam à singulis accipit. Responde quæso de illa parte vel partibus illis quarum ratione totum asseritur sese mouere ex eo quòd illæ se mouent, suntne indiuiduæ? Si sunt, profectò quod sese mouet, non corpus est, sed indiuiduum quiddam in corpore, cuius impulsu etiam corpus sponte sua ferri videtur. Sin diuiduæ, illam similiter partiemur, vt & totum iam secuimus, atque eadem ratione comperiemus, nullo modo affirmari posse de illis partibus quòd per se moueantur, nisi ratione particularum quæ se moueant. De particulis similiter perscrutabimur, quæ quoniam in infinitum distribuuntur, nouos semper & plurimos motores inueniemus, neque vnquam perueniemus ad vnum, cum diuidendo semper plurimos habeamus. Neque vnquam ad primos aut primum, cum diuidamus similiter infinitè. Nusquam igitur est in substantia corporis vnus ac primus ipsius motor, quamobrem nullam in se habet sui motus originem, per quam reuera asseri valeat ex seipso moueri, sed ad impartibile aliquid compellimur deuenire, vnde nascatur omnis corporalis agitationis origo. Internus autem corporis agitator est anima, qua præsente, corpora sua sponte quodammodo & in omnem partem feruntur, absente verò anima, externo indigent commouente. Si ista quoque sit corpus, eget ipsa quoque mouente, mouente, inquam, extrinseco, siquidem absque impulsu externo viuentia quæque mouentur. Ille quidem motor intimus anima ipsa erit, quam per se oportet moueri, quandoquidem corpora per animam vim sese mouendi habere videntur.

Omne autem tale ad naturam aliquam verè suimet agitatricem est reducendum. Ita anima propriè per se mouetur, si eius participatione facultatem cætera nanciscuntur, vt per se quodammodo moueantur. Hęc igitur non est corpus, sed neque etiam forma in corpore dissipata. Nam hęc etiam per rationes superiores se mouere non valet, iisdem subiecta, quibus & corpus conditionibus, vt apparuit. Vbi cauillatio illa excluditur, qua nonnulli contendunt ostendere corpus aliquod per se moueri, dicentes, ipsum ex materia & forma vel ex quatuor elementis ita componi, vt alia quędam natura præter materiam & formam & quatuor elementa proueniat, quæ sit totius integritas quæ seipsam moueat, quia per formam hàbet hoc vt moueat, per materiam vt moueatur. Talis obiectio aduersus Platonicos nihil valet, tum quia in alia essentia erit radix per quam mouere, in alia per quam moueri videbitur. Oportet tamen ad aliquam essentiam peruenire quæ sit & fons & receptaculum motionis & vitæ, quemadmodum ad aliquam peruenitur quæ lucis, & ad aliquam quæ caloris radix est simul & fundamentum. Tum quia natura illa quæ est totius integritas, si quantitate protenditur, non magis poterit ex seipsa moueri, quam moles ipsa corporea, vt suprà monstrauimus. Sin autem indiuisibilis est, iam (vt cupiebamus) ad naturam peruenimus incorpoream, in qua sit sui ipsius agitandi potestas. Non quod in seipsam agat, & patiatur. Motio enim in ea non transitum significat ab agente in patiens, sed naturalem essentiæ illius vicissitudinem, qua suarum affectionum variat vices, atque ita per se discurrit, non agitante alio, vt per se calet ignis, neque alio calefaciente, neque parte sui alia in aliam fundente calorem. Motus igitur animalis cum non sit à corpore, quod est sua natura pigrum, neque sit à solo composito, in quo non erit vis vlla mouendi, si ex partibus talibus sit conflatum, in quibus nulla vis sit ad motum, necessariò est ab anima, quæ si vim migrandi ex ocio in actum tribuit animali, multo magis priusque tribuit ipsa sibi. Quicquid enim boni actusque vitalis à causa traducitur in effectum, prius explicatur in causa. Sic enim calor calet feruetque secum ipse prius, quàm materiam aliam calefaciat, & animata corpora turgent seminibus, fœtusque concipiunt in seipsas prius, quàm partus edant. Dum igitur anima vitalem à potentia in actum progressionem explicat in seipsa, dicitur à seipsa moueri. Motum quidem in anima, propriè actionem Platonici nominant, quoniam in fonte suo fit, formetque corpus & agitet. In corpore verò motum nominant passionem. Cumque molem corpoream etiam vniuersi oporteat moueri ab alio, concludunt vniuersi corporis motum passionem esse à motu animæ vniuersalis, tanquam ab actione quadam illarum. Et quemadmodum in quolibet genere imperfecta semper ad perfecta reducunt, ita motum corporis imperfectum ad animæ motum tanquam perfectum in ipso motionis genere referunt. Proinde cum quæritur quoniam motu præcipuè anima moueatur, respondent, non corporali, est enim incorporea, non imaginabili, caret enim figura non cognitiua, ignorat enim seipsam sed motu secundum essentiam vi-

talem. Sicut enim essentiæ actus est esse, atque intellectus ipsius actus est intelligere, sic vitæ actus est viuere. Non enim aduentitiam, sed ex seipsa possidet vitam, atque vt illorum verbis vtar, anima est vita se generans & producens. Vita verò omnis est motus. Quare si omne viuens mouetur, etiam quod per se viuit, per se quoque mouetur, atque quod viuit semper, mouetur & semper, non intellectuali videlicet motu, sed vitali. Quapropter semper mouetur, & non semper. Nam mens quidem secundum potentiam est, vita verò secundum actum. Denique essentia semper viuit, perpetuumque intrinsecus exercet motum, quoniam essentialis vita semper est mobilis, vires autem & actus quæ tam circa vitam quàm circa intellectum contingunt, vel intermitti, vel aberrare quandoque possunt. Sed regrediamur iam vnde digressi sumus. Idem nobis tertia hæc sequens ratio persuadet. Motus omnes hi sunt, alteratio, generatio, corruptio, augmentum, decrementum, condensatio, rarefactio, progressio. Nunquid secundum alterationem seipsum mouet corpus? nequaquam. Si enim se debent calefacere, calorem habeat oportet quam sibimet tribuat. Oportet etiam vt non habeat, si modò sit accepturum. Non enim accipit quisquam quod possidet. Ergo vt calefacit, calidum iam est, vt calefit, nondum est calidum. Dictu quidem ridiculum, istud habere aliquid simul & non habere, nisi fortè quis aquam dicat frigiditatem quãdam secundum virtutem habere, quam retineat etiam postquam igne fuerit calefacta, per quam remota ab igne ad frigiditatem secundum actum iterum reuertatur. Huic Platonici respondebunt, vel aquam illam ab elementis extrinsecus frigefieri, vel si qualitas eius secundum actum (quæ aliquantum ad naturam vergit incorporalem) pullulat ex intrinseca illa virtute qualitatis productiuæ (quæ quidem virtus etiam multo magis naturæ incorporali propinquat) sequi vt virtus huiusmodi rursus à substantia quadam scaturiat, quæ penitus incorporalis existat. Substantia verò huiusmodi erit principium motus in corpore.

Nullum igitur corpus alteratione seipsum mouet. Sed neque etiam seipsum generat, quia quod generat aliud, generatio dat esse. Habet igitur genitor esse, quod tribuit genito. Quod generatur, aliunde accipit esse, quod ipsum non possidet. Nihil igitur sibi potest esse tribuere. Haberet enim ipsum simul & non haberet. Et cum genitor genitum antecedat, qui sui ipsius secundum finitam naturam genitor est, & genitus, seipso simul prior est atque posterior, quod in natura finita nemo vtique finxerit. Atqui neque corrumpit etiam seipsum corpus. Quippè cum res quæque prolem suam ex natura propria generet, atque ideo sibi conuenientem proferat non contrariam, sequitur vt naturalis rei cuiusque instinctus, qui proles quædam est essentiæ atque ipsius esse, contra essentiam & esse non surgat.

Nulla ergo res instinctu suo ducitur ad non esse, nedum sui, sed neque alterius cuiusquam. Imò cum rei cuiusque nixus ad seipsam seruandam proficiscatur, in contrarium non flectetur. Sed neque auget seipsum corpus aut minuit. Non enim fieri id sine alteratione contingit, ac etiam generatione quadam & corruptione. Nam per qualitatum alterationem crescimus & decrescimus. Et dum crescimus, nouæ in nobis partes corporis generantur, dum decrescimus, veteres corrumpuntur. Si ergo incrementum & decrementum alteratione generationeque & corruptione indigent, corpus quod per alterationem, generationem, corruptionem se non mouet, neque augendo quidem mouet seipsum vel minuendo, neque etiam condensat seipsum vel rarefacit, quoniam sine alteratione ista quoque non fiunt. Dixerit fortè quispiam, corpus saltem per se loco mutatur per transitum vel circuitum. Hoc quoque impossibile est dictu. Si enim ad superiores illos motus qui intenti sunt, est impotens, multo magis erit impotens ad externos. Motus quidem externos voco circuitum atque transitum, qui ad terminos remotiores tendunt quam motus interni. Itaque si corpus non valet per se moueri ad terminos proprios, quonam pacto poterit ad terminos alienos? Quamobrem sic iam concludamus. Nulli apparent in corporibus alij motus præter illos octo iam numeratos. Per nullum illorum ex seipsis aguntur. Ergo nullo modo ex se corpora agitantur. Mouentur tamen (vt cuique constat) à natura quadam intrinsecus agitante, etiam sine externis impulsibus. Hanc animam esse Platonicus nemo negauerit, quàm moueri per se possibile est, quia in ea alij quidam præter octo illos alterius naturæ motus reperiuntur. Quantum ad partem spectat qua regitur corpus, reperitur in anima temporalis vicissitudo seminum aliàs aliter in ea emergentium ad corporalia generanda. Quantum verò ad partem animæ pertinet quæ in cognitione versatur, inest in ipsa de cognitione affectioneque in alia in aliam discursio temporalis, ab effectibus naturæ

vltimis in superna principia per causas medias temporalis ascensio, ac vicissim à supernis principiis per medias causas ad vltimos effectus descensio. Hæ discursiones, motiones quædam sunt, & naturæ animi propriæ, vt aliàs declarauimus. Non enim Deo vel Angelis congruunt, qui simul omnia possident atque vident. Non corporibus competunt, quæ per se nihil agunt. Non formis corporeis, quæ ad incorporalia non mouentur. Huiusmodi verò discursiones ad diuina nos ducentes, supra naturam corporis eleuant. Efferri verò supra naturam suam neque corpus, neque aliud quicquam per seipsum valet. Igitur reuolutiones tales quæ sunt à corporibus alienę, animo tamen insunt, testantur animam vel corpus vel formam diuisam in corpore esse non posse, præsertim cum anima secundum illas per se, id est, per naturam ac vim propriam agitetur, ideoque per se moueatur, quod nequit corpus.

Præterea, apparent in anima motionum corporalium exemplaria, generationis, quando mortalibus, augmenti, quando reminiscitur, decrementi, quando obliuiscitur, alterationis quando variat vices affectionum, condensationis, provt subito aliquid intuetur, vel se colligit, rarefactionis, provt discurrit, vel circa multa distrahitur: progressionis in rectum, cum primum attingit externa. Circuitus autem, cum vel in rebus ipsis effectum resoluit in causam, & à causa deducit effectum, vel in seipsam considerandam reflectitur. Moueri rursus videtur in rectum, quando ad corpus sensumque declinat. In obliquum, quando in se angelumue reflectitur. In circulum, quando in Deum principium finemque suum, sursum ad vniuersalia, deorsum ad particularia, ad dexteram quoque atque sinistram in oppositas videlicet generis differentias. Denique ante & retro, quando ad causas naturales effectusue se vertit. Quis itaque neget animam motionum fontem esse, cum in ea proprij motus sint, & motionum corporalium exemplaria, in quibus contra corporis naturam ipsa sese generat quodammodo, vel (vt ita dixerim) quasi corrumpit, auget, minuitque, & transfert, & reliqua? Meritò igitur per eius præsentiam corpora viuentia facultatem hanc adipiscuntur, vt sese alterent, nutriant, augeant, dum ex se aliquid generant in seipsis. Ac rursus vt ex se gradiantur, quocunque indicauerint gradiendum. Quorum nihil efficiunt quæ non viuunt, quasi spontaneus motus vitæ sit proprius.

Decima ratio. Anima non crescit ad corporis huius augmentum.

CAPVT XIII.

SI anima corpus est, implet certè corpus istud quod vides solidum, vt viuat totum, & ipsa tenue atque agile corpus est, quod animi celeritas indicat. Quare si corpus animalis partiaris in membra, sicut frustra omnia corporis corpora sunt, ita corpuscula illa quæ est in membris sectis supersunt, sunt animæ, præsertim cum anima vnius sit tota naturæ, vt diuersa coniungat. Viuent igitur, mouebuntur & sentient ad tempus brachia & crura à corpore separata, & anima quæ in reliquo restat corpore, quæ sæpè brachiis & cruribus amputatis viuit decennium, multo erit minor quam antea, ideo pusillanimis erit, hebes, obliuiosa. Imò etiam sic argumentemur. Si anima corpus est, manifesti huius corporis magnitudinem quantitatem penitus ęquans, crescente ipso crescet, decrescente decrescet. In vasto corpore magnificentior erit & diuinior animus. Atque in eodem homine quando adolescente corpore adolescet & anima, oportebit vt per adiunctionem corporis sibi similis adolescat. Alimentum huiusmodi viuit ne in se antequam ab anima capiatur, an non? Si non viuit, quonam pacto vitam animæ præstat, & auget, quod & vita caret, & antequam vitam animæ mutuet, oportet ipsum vitam ab anima mutuari? Si viuit, iam habet animam. Nouæ igitur quotidie animæ à nobis hauriuntur ad nostræ huius animæ nutrimentum. Transit autem semper alimonia in eius naturam quod alitur. Itaque multæ quotidie animæ à natura perdentur, vt vna seruetur anima, quod bonitas naturæ non patitur. Imò verò neque prior anima nostra seruabitur, si substantia sua assiduè subterfugiat, vnde nouas animas cogatur sibi semper adsciscere, per quas anima iugiter innouetur. Verùm quonam pacto recens anima cum priore consentit? Quomodo si continuè effluit aliquid ab anima nostra, & influit in animam alimentum, sicut fieri in carne videmus, manet voluntas eadem in plerisque semper, idem mos, opinio eadem & scientia, perpetuaque eiusdem rei memoria? Quomodo post decennium agnoscimus illa statim visa quæ ante decennium videramus, nisi earundem rerum nobis acceptæ quondam incolumes adhuc seruentur imagines? Quis eas seruat nisi idem qui acceperat & indicauerat animus? Quo pacto seruat, si non seruatur? Qua ratione non stante ani-

mo stabunt imagines & scientiæ? Neque dicat quisquam stare diu animum, si corpus fuerit. Quod enim corpus sub cœlo manere in eodem statu potest diu, cœlo ipso tam celeriter percurrente? Proinde si corpus aliquod tale sit, vt maneat aliquantum, corpora tamen subtilia & agilia minimè omnium permanebunt. Anima verò si corpus sit, tenuissimum sit oportet, vt visceribus suffusa facillimè cuncta viuificet. Ideo & ossa & nerui diutius consistent quàm anima, imò etiam caro, quæ tamen breui tempore labitur, & renouatur indies. Erit autem anima flatus alicuius instar, instabilis prorsus, & momentis singulis euanescens, quapropter neque diem quidem vnum scientias rerum imaginesque seruabit. Idem quoque patietur si anima qualitas sit & complexio aliqua humorum atque membrorum. Pariter enim qualitas fluit & humor, atque in ipsa nutritione anima effluet refluetque sicut corpus, neque constabit animal secundum formam magis quàm secundum materiam propriam. Neque seruabitur innumerabilis vnitas animalis, neque continuatio motionis nutrimenti aut augmenti. Neque erit in animali vis aliqua horum motuum ordinatrix, quæ ita sibi ipsa constet, vt & ordinem ipsis progrediendi, & terminum imponat progressioni quousque nutriri oporteat vel augeri. Necesse est enim rectorem illum in se consistere, qui ordinat sistitque mobilia. Obiiciet fortè aliquis ita: Videmus in corpore nostro figuram eandem diutissimè permanere, licet caro labatur & refluat. Similiter ergo quid prohibet in anima easdem rerum cognitarum imagines permanere, licet animæ substantia ex vetere mutetur in nouam? Respondemus, neque eandem prorsus manere figuram, neque penitus similem, sed priorem frequenter abeunte carne abire, & in carne recente nouam priori quodammodo similem reficit, idque fieri à quodam artifice stabilissimo interitus fabricante, qui cum maneat semper idem, habeatque in se membrorum familiaris corporis disponendorum rationes & semina, potest nouis humoribus quotidie influentibus complexionem similem ac prioribus tradere, & recenti carni similem ac veteri præbere figuram non aliter quàm vultus, qui flumen à supernè despiciens, fluentes vndas nouasque quolibet momento nouis imaginibus sui depingit, ita vt idem in variis vndis vultus persistere videatur. Intimus autem ille faber corporis atque stabilis, anima est, quæ si & ipsa fluat, certè neque similes corpus præ se diu feret effigies & figuras, neque anima scientias similes retinebit, quia tunc neque ipsa visa eas tenebit, neque aderit illi aliquis qui aut stabiliat illas in animo, aut similes prioribus alias generet. Non enim dicendum est, quando anima imaginem rei possidens, effluit, eandem influenti animę imaginem seipsam insinuare, quia nequit qualitas vlla in subiectum nouum de vetere subiecto transire, neque etiam euanescens illa prior anima imaginē aliam siue similem in animā veniente figurat. Figurare enim cum sit actio, perfectū requirit agentem. Illa verò anima dum interit, deficit quidem ipsa, neque potest tunc animam nouam perficere. Formare verò seipsam anima noua nequit, eo præsertim ipso momento quo nascitur, quia ipsa etiam tunc est imperfecta. Quocirca vllo modo potest animarum earum quas olim nouit imagines scientiasque tenere memoriter, si corporis & qualitatis instar effluat paulatim, & influat.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER VII. (∴)

Anima non est corpus aut forma diuisa in corpore, aut talis formæ punctum aliquod, sed est forma in qualibet parte corporis tota, vt ostenditur per potentiam sentiendi. Prima ratio. Corpus non capit imagines aptas ad sensum.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)

NEscio quo pacto in superiori argumentatione incidimus in secundam disputationis huius partem, in qua probaturi sumus propositum nostrum per potentiam sentiendi. Sic igitur hanc partem vlterius prosequamur. Corpus si quando suscipit quicquam, modo suscipit corporali, partes videlicet rei in suis partibus, neque potest rem maiorem quàm sit ipsum capere, quemadmodum cera à sigillo figuram suscipiens, nunquam ampliorem figuram quàm ipsa sit accipit. Quòd si haberet cera sensum, quo figuræ magnitudinem iudicaret, tantam planè iudicaret, quantam haberet. Neque potest aliam rursus figuram accipere nisi vel amittat priorem, vel vtrasque ita in se confundat, vt vix inuicem discernantur. Sic anima si corpus sit, per oculum corporum imagines modo suscipiet corporali, ita vt imago Platonis in oculo Socratis non maior sit quàm Socratis oculus. Ita Socratis anima non maiorem putabit esse Platonem, quam suus sit oculus, vel certè non maiorem quàm sit cerebrum in quod ab oculo transferetur imago. Tandem non maiorem quàm sit Socratici corporis magnitudo. Anima enim Socratis si magna est, non est suo corpore maior. Ideo si in se tota Platonis imaginem suscipit, non maiorem suscipit, quàm sit ipsa, quapropter nihil vnquam maius existimabit esse Socratico corpore. Quin etiam quando Xenophontis & Alcibiadis & Phædri imagines accipit, tunc vel amittit Platonis imaginem, vel ita habet cunctas deinde confusas. vt alium illorum ab alio non discernat. Conclude etiam ita: Anima vel solidum corpus est, vel fluxum, Si solidum, vix à corporibus figuratur, peritque docilitas & acumen, atque vna vnius rei accepta figura, vel alias non capit, vel si alias post alias cœperit, cunctæ inuicem obfuscantur. Si labile corpus est, nullas tenet figuras, nullamque prorsus habet memoriam. Præterea nonne constat rem eandem in specillo paruulo paruam videri, in maiori maiorem? ceu si vultum tuum in mea pupilla prospexeris, deinde in speculo, hic exiguum, illic ingentem pronunciabis. Nam pro speculorum ipsorum magnitudine & paruitate. maiora vel minora corpora iudicantur. In anima autem hominis corporum penè omnium lucent imagines, per quas anima corpora quanta sunt iudicat, nullumque est tam ingens, tam immensum corpus, quod ipsa vel intueri, vel excogitare non possit, semperque aliud corpus vltra excogitato corpore maius. Ex quo apparet nullum es-

se animæ præscriptum magnitudinis terminum, tum quod ad illa quæ comprehensura est, tum quod ad propriam spectat animæ ipsius substantiam. Si quam enim haberet in se propriam magnitudinem, tanta esset præcipuè, quanta est proprij corporis magnitudo. Vnde in tam pusillo animali speculo non possent res tam variæ, tam perspicuæ, tam immensæ lucere, cum pro diuersa speculorum quantitate maiores minoresue soleant apparere. Non tamen putare debemus spiritales colorum imagines vel à corporibus fieri, vel suscipi in speculis atque cerebro. Ipse enim nihil aliud sunt quàm splendores luminis corpora verberantis. Id autem visibile lumen licet emicet in corporibus, fit tamen atque seruatur ab inuisibili lumine cœlestium animorum, quod ex ingenti copia exuberat foras, euaditque perspicuum. Corporibus quidem nullis affigitur, potest tamen luci nostri spiritus, quæ à nostra anima pendet, coniungi, eique suos splendores offerre. Significationes præterea vocum ad auditum peruenientes, quæ ipsæ quoque spiritales sunt, neque à corpore fiunt, neque figuntur in corpore, sed ab anima transmittuntur in animam, atque animarum virtute fiunt & conseruantur. Verum superiorem disputationem hac diuisione breuiter concludamus. Si anima sit aliquid corporale, vel simulachra corporum eius faciem attingent, sicut speculum, vel eorum qualitates in profundam animæ substantiam penetrabunt, sicut in aquam sapores atque odores. Si primum contingat, corpora forsitan præsentia sentiemus, sed non poterimus absentia cogitare, nam simulachra non seruabimus. Sin alterum fiet, sensus gradatim semper & cum corporis passione, similiterque memoria, & qualitates sine discretionis iudicio inuicem confundentur.

Secunda ratio. Oportet quinque sensus ad vnum centrum conduci.

CAPVT II.

Visus colores attingit non voces, auditus voces duntaxat, olfactus odores. Animus colorem, vocem, odorem, ita inuicem comparat, aut aliud colorem esse quàm vocem, & alia similiter iudicet. Illa vis per quam ita iudicat animus, cognoscit tum colores, tum voces, & alia quæ inuicem comparat. Quomodo enim diceret colorem aliud esse quàm vocem, nisi simul vtrumque cognosceret? Quænam illa vis est? Visusne? Minimè. Non enim voces agnoscit. Ita neque auditus, qui colorum ignarus est, neque vnus aliquis omnino quinque sensuum? Quisque enim illorum vnum quiddam nunciat solum, neque potis est plura inuicem comparare. Vis vna certè illa est interior animæ, ad quam velut centrum, à quinque sensuum instrumentis circumpositis vndique varia nunciantur, illa verò vna omnia illorum quinque sensuum obiecta & operationes diiudicat. Neque dicas duas aut plures esse animæ vires internas, per quas anima illa comparet. Sint enim si vis, geminæ vires. Responde igitur, quoties anima calorem ad vocem comparatura est, vtrum per vtramque vim apprehendat vtrumque, colorem scilicet atque vocem, an per alteram alterum? Si vtraque vis apprehendit vtrumque, quid opus est viribus geminis? cum vna sufficiat ad comparationis opus, & tantumdem faciat vna, quantum ambæ. In necessariis rebus natura non deficit, superuacuis non abundat. Sin per alteram vim alterum tantum noscit, per neutram inuicem comparabit vtrumque. Tamen per vim aliquam comparat. Est igitur alia quædam vis præter geminas illas antè confictas, per quam anima plura illa comparat inuicem. Vtrum vis illa vna indiuisibilis sit, an corporis instar in plures partes diuisa, puta vtrum sit vis illa tanquam punctum aliquod indiuiduum quod a, vocetur, an linea quędam ab a, in b, protracta? Si dixeris eam esse lineam ab a, in b, talem a, b, quæram abs te hunc in modum. Quoties anima colorem ad vocem per huiusmodi lineam comparatura est, certum est quod vtrumq; istorum eam tangit lineam. Vtrum igitur color solum caput lineæ quod est a, attingit, ad b, non peruenit? Et vox solum b, lineæ finem tangit, ad a, non transit? An potius ambo tam color quàm vox ad ambo simul, tam scilicet ad a, quàm ad b, veniunt? Si primum concesseris, scilicet, quod alterum tantum venit ad terminum lineæ alterum, profectò duo illi termini, duæ à se inuicem erunt distinctæ vires, quarum vtraque quod suum est agnoscet, alterum ignorabit, ideo per neutram vim illa animus comparabit. Sin concesseris ambo illa ad terminos ambos concurrere, ita vt vis vtriusque termini ambo persentiat, vna illarum sufficit, vacat altera, quandoquidem nihil plus vires ambæ quàm alterutra faciunt, imò verò duæ vires erunt indiuisibiles ambæ. Ita cogimur confiteri vim illam animæ vnam per quam plura diiudicat, non esse partibilem. Igitur vis illa magistra sensuum, neque corpus est, neque qualitas diffusa per corpus. Si talis est

animæ vis, quid prohibet animam esse talem? Nisi fortè putes substantiæ alicuius vim substantia sua esse nobiliorem.

Tertia ratio. Quo angustior sensus est, eo est perspicacior.

CAPVT III.

PRofectò, oportet imaginem visibilis corporis ad aliquid impartibile colligi: quod & in ipsis fit pupillis. Alioquin ingentia corpora, atque cœlum ipsum per tam minimam pupillam nõ cerneremus. Quod si quantum ad oculum spectat, vt cernat acutius, ampliore quantitate opus non est, imò paruissimi oculi acrius inspiciunt quàm amplissimi, vt oculi aquilæ quàm bouis, quasi visum non modò non iuuet, sed impediat magnitudo, si, inquam, exterior acies magnitudine ad percipiendum minimè indiget, quid de illo interiori visu & communi sensu dicimus? Qui quanto singulis sensibus est præstantior, & acutior, tanto etiam debet sufficientior esse, erit autem sufficientior, si nulla indigeat corporis quantitate. Denique & ipsa animæ substantia sensuum fundamentum, erit omni sensu sufficientior, si quantitate non egeat. Quis eam dixerit quantitatis dimensionibus indigere, cum neque conducat ad animi dotes corporis magnitudo, neque noceat? Si conduceret necessariò, non esset apis oue solertior, vulpes astutior sue, simia ingeniosior asino, leo boue audentior. Sin necessariò noceret, non esset elephas prudentior equo, canis agno sagacior. Quod si ad has animę vires quæ versantur circa corporum quantitatem, nihil valet corporis quantitas, multo minus eam valere putandum est ad eam vim animi quæ transcendit corporum quantitatem, âd rationem scilicet, quam suo loco tractabimus.

Quarta ratio. Si sensus diuiduus sit, in eo imago sensibilis diuidetur.

CAPVT IIII.

ESto, si vis, intimus ille visus corporea mole distentus, quid inde sequatur, attende. Cum coloris extremi capit concipitue imaginem, suo modo accipit, atque corporeo: Imago huiusmodi per partes huius visus diuiditur, & alia pars visus aliam coloris aspicit partem, nec erit in nobis aliquid quod totum colorem visibilem comprehendat. Oportet tamen vnam rei vnius comprehensionem ab vno fieri comprehendente. Ac si dixeris vnum ipsum comprehendens esse formam quandam totius compositi, cunctis communem partibus, quæremus nunquid diuidua sit: vnde quæstio redibit eadem, an indiuidua, vnde comprehensionem in vi indiuidua collocabimus? Oportet igitur sensum esse magnitudinis corporalis expertem, præsertim quia si magnus sit, paruis non congruet, neque sentiet illa totus, sed pars eius ipsa quæ paruis æquatur. Si paruus, magna non capiet; si medius, non quadrabit extremis. At tu si vis sensibilem colorem, vnà cum sensu partiri, quonam pacto distribues? An æqualem æquali aptabis? Sed non potes. Non enim æqualis est sensus rei cuilibet sentiendæ. In quot autem partes vtrumque distribues? Num in quasdam partes numero quidem terminatas, & naturali ordine minimas? Quod si feceris, non inuenies vnam rei vnius comprehensionem. Sed more Mathematicorum in omnes quas habent, puto te partiturum. In particulas igitur infinitas tam visum quàm colorem secabis, & visus partes singulæ singulas coloris sentient portiones. Itaque innumerabiles ibi erunt visus, innumerabiles visi colores, innumerabiles visiones. Atque ita nunquam poterit color vnus visum incurrere, quin eodem illo momento infiniti visus infinitos colores videant infinitè. Quod ne fingi quidem potest. Forsan, vt hæc monstra vitemus, fingemus totum illum visum sentire? partes eius nequaquam. Sed hoc etiam temerarium. Quo enim modo quæ sensu carent, sentientem substantiam generabunt? nullo. Igitur neque partes illæ sentiendi expertes sensum ipsum constituent. An dicemus singulas partes visus sentire, sed per eandem totius visus & integram visionem, ac sentire speciem totam, partesque cum tota? Non. Primò, quia species non videtur, sed color ipse per speciem. Deinde quia operatio quæ fit ex congregatione partium distinctarum, fit quoque per congregationem momentorum, ac transigitur paulatim, sensus autem fit subito, quod significat sentiendi vim esse indiuisibilem.

Denique si pars quæque visus per se sufficit ad videndum, quid opus est pluribus? Si non sufficit, ex non sentiente fit sentiens. Nisi fortè partes illæ congregentur in vnum à superiore aliquo sentiente. At il-

lud erit anima potius atque sensus. Quapropter nunquam deliras responsiones effugiemus, quamdiu sensum esse partibilem affirmabimus. Sit ergo impartibilis sensus; sit & anima talis; quæ fons est indiuisibilis virtutis atque subiectum.

QVINTA RATIO.
Anima sentit vbique tota.

CAPVT V.

AN ignoras partem corporis alicuius ipsi toti æqualem esse non posse, atque ideo formam, quæ talis est, vt per diuersas partes corporis protendatur, in qualibet corporis parte totam existere non valere? alioquin toti pars foret æqualis. Admitto ista. Quid tum? Nempè anima cuilibet parti corporis adest tota, quia tota sentit cuiuslibet corporalis particulæ passionem. Nam si aliquo offensus casu pes doleat, statim illuc aduertitur oculus, admouetur è vestigio manus, os clamat, & reliqua membra fermè similiter. Quod certè nunquam fieret, nisi id quod ipsius animæ inest partibus corporis omnibus, etiam in pede sentiret. Atqui sentire quod ibi factum est, absens non posset. Neque enim nuncio aliquo credendum est id fieri non sentire quod nunciat, quia quod non sentit, non nunciat. Neque passio quæ fit per continuationem molis, semper potest occurrere, vt cæteris animæ partes quæ alibi sunt, latere non sinat, quia non semper fit dolor vbique. Sed illud tota sentit anima, quod fit in pedis particula, & ibi tantum sentit vbi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Formæ autem sparsæ per corpus, puta albedini, idem in hoc accidit quod & corpori, vt videlicet passio vnius partis non necessariò reliquas partes omnes commutet. Quid enim prohibet vnam corporis albedinisque partem infici & fœdari reliquis non pollutis? Cæterum nihil in vna quauis particula animalis accidit, quin id ad totã mox pertineat animam. Mysterium hoc Platonicum Augustinus noster ita confirmat. Anima per totum corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur. Nam per omnes particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, nec in maioribus maior, sed alicubi intensius, remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quicquid in corpore etiam non in toto sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto in carne viuum aliquid tangitur, quamuis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totã non latet. Neque id quod sentitur, per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur vbi fit. Vnde ergo ad totam mox peruenit, quod non in toto fit? Nec vt tota ibi sit, cætera deserit. Viuunt etenim illa ea præsente vbi nihil tale factum est. Quod si fieret vtrumque simul, vtrumque totam pariter non lateret. Hæc Aurelius. Verùm dices fortasse animam quidem ita per vniuersum corpus porrectam, vt pars eius in pede sit, pars in crure, alia in femore, pectore, collo, summa in cerebro, vbi fiat iudicium principale, ac dolore pedis non ideo iudicari à vi animæ quæ sedet in cerebro, quia illa vis adsit & pedi, sed quoniam successione quadam altera pars animæ alteri ad cerebrum vsque passionem pedis enunciat. Profectò non negabis partes istas animæ inferiores sentire, cùm euidenter appareat in membris illis percipi passionem. Si enim pedis passio fit cerebro nuncianda, vel ex eo nunciatur, quod gradatim mẽbra intermedia patiuntur, vel ex eo, quod licet non patiantur, sentiunt tamen dolorem pedis, eumque cerebro referunt. Certè non semper totum patitur æquè, nec idem in mediis membris, qui in pede est cruciatus, sed molesta quædam cruciatus illius perpensio. In omnibus igitur molestia quædã inest & sensus. Quid hinc sequatur, aduerte pars animæ quæ in pede est, cruciatum sentiet pedis, pars quæ in cruce non pedis, sed cruris molestiam sentiet (ibi enim sentit solùm vbi est, & passionem sentit solummodo quæ in eam incurrit) Pars quæ in genu, præsentem similiter tantum percipiet passionem, cæteræque similiter. Post omnes vis illa iudiciaria cerebri præsentem sibi solum molestiam animaduertet. Partes animæ à pede ad cerebrum, sicut & corporis, fermè innumerabiles sunt, si & ipsa sit corporalis. Ergo semel offenso ad lapillum pede, non fiet vnus sentiendi actus & subitus, sed multi gradatim & innumerabiles penè contingent dolores, sicut præceptiones innumerabiles, post omnes autem animæ partes (quod nefas est) sentiet illa in qua principalis est sensus. Sentiet autem non pedis passionem, sed suam solummodo, neque iudicabit vnquam vbi sit læsio, vbi sit succurrendum, neque per eius imperium membra corporis conuertentur ad pedem.

Vt hæc absurda vitentur, fatendum est totam vim illam iudiciariam animæ vnà cum tota animæ ipsius substantia singulis membris esse præsentem, vt quicquid vbi-

que sit, statim sine internuncio tota præsentiat, tota sibimet compatiatur & consonet, cunctas animæ vires, cunctas etiam partes corporis imperio subito ad medelam læsæ partis adhibeat. Atque ita quicquid & quantumcunq; animæ est in membris vllis, ab alio quouis membro non abest, quia in quouis ad quodlibet admouet quælibet. Corpus & forma per ipsum fusa, eiusve punctum talia non sunt, vt in multis sint tota simul, & secum ipsis in suis partibus absque mora prorsus compatiantur, atque concurrant. Est igitur anima ab iis longè diuersa. Neque nos turbent animalia multa, quorum corpora cùm secantur, vtraque frusta mouentur & sentiunt, quasi anima ita longa fuerit sicut corpus, postquam dum corpus secatur in corpora, anima quoque secari videtur in animas. Non enim diuiditur anima primo, sed interit, cùm primùm illa ipsa corporis compago resoluitur, cui fuerat attributa. Fiunt autem subitò nouæ animæ à vita mundi in frustis illis ad animam suscipiendam idoneis. Talis enim illorum natura est qualis fuerat & totius. Et quia animæ tales ita viles sunt, vt paucissimas vires operationesq; habeant, ideoque paucissimis egeant instrumentis, factum est, vt corpus illis sufficiat, etiam si non sit variis instrumentis instructum, quod non sufficit perfectioribus animabus, quæ ob hoc in singulis membris viuunt. Si lignum aliquod secetur in puncto, punctum hoc, licet indiuisibile sit, perit tamen, ac in duobus frustis duo extrema videntur puncta renasci. Si speculum fregeris, in quo tui vultus apparebat imago, non conciditur imago primo, sed abit, ac duæ à te pro vna imagines in duobus speculis recreantur. Si nomen hoc Lucifer, in quo vox locum tenet corporis significatio animæ, in duo membra diuiseris quasi animal luci, & fer, cessat primò illa significatio per quam Venus designabatur, non tamen diuiditur (est enim indiuisibilis significatio nominis, vt aliàs ostendemus) Adhuc tamen duæ quædam sunt in duabus partibus significationes, per quas tanquam animas dictiones huiusmodi superuiuunt, luci, per lucis significationem, fer, per significationem aliquam lationis. Quid igitur prohibet quo minus reptilia animam habeant secundum Platonicos indiuiduam, quamuis membra diuisa viuant?

(∴) (∴) (∴)

Sexta ratio. Anima non necessario patitur sentiendo.

CAPVT VI.

Anima ipsa (vt vera Philosophia docet) cùm sit purissima, crasso huic & terreno corpori ab ea longè distanti non aliter quàm per tenuissimum quoddam lucidissimumque corpusculum copulatur, quem spiritum appellamus, à cordis calore genitum ex parte sanguinis tenuissima, diffusum inde per vniuersum corpus. Huic anima sibi cognatissimo facilè se insinuans, primò quidem per hunc totum se fundit spiritum, deinde hoc medio per corpus penitus vniuersum, vitam primum huic præstat & motum, facitque vitalem, perque hunc regit mouetque corpus, & quicquid à corpore in hunc spiritum permanat, anima ipsi præsens continuò percipit, quam perceptionem sensum cognominamus. Deinde hanc perceptionem animaduertit & iudicat, quam animaduersionem phantasiam esse volumus. Quorsum hæc? Quando secat Medicus cutem corporis extimam, frangitur caro, dissoluitur & contrahitur spiritus, sentit hæc omnia tactus, qui per omnia membra vniuersalis est animæ sensus, iudicat hæc, & condolet phantasia. Quomodo potest discindi caro, quin spiritus illi suffusus, partim cum soluta carne soluatur, partim etiam in seipsum fugiens contrahatur? Quo etiam pacto solutio & contractio spiritus latere suam animam poterit? Ac si non latet, cur non molestè ferat anima operis sui perniciem? Spiritus quidem & corpus, opus est animæ, opus verò proprium omnia diligunt. In carne quidem est passio, cruciatus in spiritu, sensus in tactu, compassio & condolentia (vt ita loquar) in phantasia. Complectere paucis: tam in carne quàm in spiritu, perniciosa quædam fit substantiæque corruptrix solutio vel contractio, hanc vocemus noxiam læsionem. Nunquid etiam in animam læsio transit huiusmodi? Minimè. Hæc enim substantiam perdit, perdit igitur substantiæ ipsius virtutem, perdit deinceps virtutis operationem. In qualibet igitur carnis & spiritus vel leuissima læsione, animæ substantia illis præsens similiter læderetur, læderetur & virtus multo magis, læderetur & operatio. Sensus & phantasia, vires animæ sunt, sentire & iudicare per sensum, harum virium actiones. Ergo si discisio illa in animæ substantiam pertransiret, neque sentiremus eam, neque qualis sit & vnde, & quomodo succurrendum iudicaremus, sed vel lateret animam

penitus, vel minimum quid præciperetur, & falso iudicaretur ab anima. Et cum anima sit vbique tota, si ipsa in parte corporis secta patitur, tota patitur. Eadem verò tota anima quæ ibi est, est & per totum corpus, per totum igitur corpus patitur. Si vbique patitur, non potest percipere & nunciare passionem illam in parte vna animalis magis quàm in alia esse. Quinetiam cum aliud sit passio, aliud iudicium passionis, & passio semper iudicetur ab alio, si in ipso iudicio insit passio, opus est vlterius alio quodam iudicio, quo passiuum iudicium iudicetur Si illud quoque sit passiuum, rursus opus est alio. Quapropter veniendum denique est ad iudicem quendam liberum passione. Hic dum iudicat corporis passiones, si accipit inde qualitatem aliquam corporalem, proculdubio patitur. Si non accipit, non formatur à corpore. Sit ergo oportet talis iudex, vt neque passiones accipiat à corporibus, neque formas Non posset autem anima talis esse, si ipsa vel corpus esset tenuissimum in hoc corpore mersum, vel aliqua corporis huius affectio, siue punctum quoddam affectionis Platonica hæc ita Augustinus Plotinusque comprobant. Videtur mihi anima cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in eius passionibus attentius agere. Et has actiones, siue faciles propter conuenientiam, siue difficiles propter inconuenientiam, non eam latere. Et hoc totum est quod sentire dicitur. Sed iste sensus, qui etiam dum nihil sentitur, inest tamen, quasi per instrumentum est corporale, quod ea temperatione agitur ab anima, vt in eo sit ad passiones corporis cum attentione agendas paratior, similia similibus vt adiungat, repellatque quod noxium est. Agit porrò (vt opinor) luminosum aliquid in oculis, aëreum serenissimum & mobilissimum in auribus, caliginosum in naribus, in ore humidum, in tactu terreum & quasi lutulentum. Agit autem hæc omnia cum quiete si illa quæ sunt in animali, in vnitate valitudinis familiari quadam consensione cohæserint. Cum autem adhibentur ea quæ nonnulla (vt ita dicam) alteritate corpus afficiunt, agit attentiores actiones suis quibusdam locis aut instrumentis accommodatas, & tunc sentire dicitur. Quibus actionibus congrua libenter associat, & molestè obsistit incongruis. Has operationes passionibus corporis puto animam exhibere cum sentit, non easdem passiones recipere. Cum aëreus auris spiritus verberatur sono, anima quæ ante percussionem huiusmodi in silentio corpus aurium vegetabat, vegetat tunc attentius, idque facere est non pati Attentior operatio non latet animam operantem. Non latere, sentire est. Summatim, sensus est aut animaduersio operationis illius attentioris, aut iudicium corporeæ passionis & qualitatis, excitatum ab attentiore illa animæ actione.

Septima ratio. Rationes propria per naturalem & sensitiuam animæ, quod anima non sit forma diuidua, quia qualitatis opus vnum est.

CAPVT VII.

ETsi superioribus rationibus non modo animam corpus non esse probauimus, verumetiam neque sparsam per corpora formam, tamen propriis argumentationibus secundam hanc partem ostendendam fore putamus. Atque vt commodius hac de re loquamur, formam talem (vt diximus aliàs) tum qualitatem, tum affectionem corporis, Platonicorum more vocabimus. Si anima esset qualitas corporalis, vel esset simplex qualitas, vel complexio, vel forma istis astricta. Simplex esse non potest. Quælibet enim simplex qualitas, aut forma illam sequens, (vt aliàs declarauimus) vnum quiddam facit duntaxat, ad opposita non extenditur, anima plurima, & contraria. Neque etiam erit complexio, aut forma sequens complexionem, quoniam in hac semper vna quædam præ cæteris qualitas dominatur, cuius operatio ante alias viget in corpore. Anima nulli qualitati, nulli proprio motui est astricta.

Octaua ratio. Complexio agit per vim qualitatum.

CAPVT VIII.

ACtio complexionis eiusque formæ, semper per qualitates, ex quibus ipsa est conflata, peragitur, ideoque nunquam aliquid tam sublimè complexio operatur, quin ad illud qualitatum se vires extēdant. Caloris opus est penetrare atque dissoluere, animæ autem nutritiua potentia per calorem instrumentum non dissoluit tantùm cibos, (quod ipsius caloris est proprium) sed etiam concoquit digeritque, & ad formam viuæ carnis & figuram humanam perducit, quæ quidem actio caloris excedit potentiam. Augmentum quoque animalis à colore prouenire non potest tanquam causa principali, non enim fit nisi per nutrimentum, & cum ad certum terminum magnitudinis perducatur, certamque figuram,

calor autem, si detur materia, sine certo termino vel figura se fundat, cùmve oporteat terminum figuramq; operi à principali agente præscribi, constat principalem augmenti fabrum calorem esse non posse, imò neque aliam vllam accidentalem formam id posse facere, si non potest calor, qui est omnium præstantissimus. Fit tamen augmentum ab anima. Ex quo concluditur animam non esse formam accidentalem, quod sæpissimè nobis est probandum. Concluditur etiam non esse eam ex formis accidentalibus constitutam, quia non posset qualitates quæ absque certo termino, gradu, proportione, figura vagantur, ad hæc ipsa rationaliter ordinare. Concluditur postremò, animam non esse substantialem aliquam formam elementi vel mixti. Talis enim formæ motus ad vnicum dirigitur terminum, sicut diximus, augmentum verò in quamlibet partem æquè porrigitur.

Nona ratio. Complexio est accidentalis forma.

CAPVT IX.

Complexio, natura quædam est ex contrariis quodammodo qualitatibus constituta, quæ inter eas quasi medium obtinet. Ex quo fit, vt forma substantialis esse non possit, quia non in se subsistit, sed in eo corpore quod est contrariarum illarum qualitatum subiectum, quæ quia inuicem pugnant, sese inuicem non suscipiunt, verùm susceptæ, à materia, & inuicem mixtæ, complexionem generant. Hæc igitur complexio tum ex eo quod dixi, substantia non est, tum eo quod aliquid sibi habet contrarium, puta excessum alicuius extraneæ qualitatis, conflationem suam dissociantis. Præterea, suscipit magis ac minus. Intenditur enim ac remittitur natura, vis operatioque complexionis. Substantia verò neque habet proprium sibi contrarium, cum consistat in alio genere, quàm substantiæ ipsa rerum contrarietas, hoc est in genere qualitatis, neque in natura sua aut in magis intenditur, aut in minus remittitur, vt nunc magis nunc minus hęc aut illa substantia sit quod est semel substantia, hoc est magis minusue lapis iste quàm ille. Cum igitur complexio non sit substantia, anima si substantia sit, non est complexio. Quòd autem anima sit substantia, hinc etiam patet, quia per eam animal certam aliquam & substantialem sortitur speciei generisque naturam atque cognomen. Per hanc animam hoc quidem canis est, per illam illud equus, per aliam illud homo. Illa quidem qualitas quæ accidens est, subiecto suo aduenit postquam illud in specie sua iam est perfectum. Anima verè suum ipsa sibi fabricat corpus, factum seruat, & dum deficit, reficit, pugnantia elementa connectit in vnum. Anima abeunte labitur corpus, neque prior complexio, aut species retinetur. Talis quidem necessario est anima nutritiua. Neque dicendum est animam illam quæ solum nutritiua est, corpus ita construere, cui postea iam perfecto anima sensitiua tanquam accidens quoddam adueniat. Nam corpus animæ sensitiuæ congruum, instrumenta sentiendi & progrediendi oportet habere. Anima quidem nutritiua quantum talis est, sola instrumenta faciet nutriẽdi, alia verò instrumenta faciet anima, alia propter eas vires quarum vsui instrumenta sunt seruitura. Neque sunt in eodem corpore duæ quædam animæ quarum vna instrumenta fabricet alteri. Siquidem quæ nutrit, est eadem & quæ sentit. Quippè sensum perturbationes opus impediunt nutriendi vel augent Tristitia enim phantasię illud debilitat, lætitia roborat. quasi vna sit anima in homine, cuius vtraque sint officia. Quæ ideo substantia est, quia est artifex corporis, non pedisequa. Igitur non est complexio.

Decima ratio. Harmonia complexionis nihil agit in corpus.

CAPVT X.

Neque liceat Aristoxeno aut Musicis aliis somniare animam esse harmoniam quandam, ex ipsa complexione progenitam. Sic enim anima similiter esset non substantia quædam, sed accidens. Nonne harmonia totam vim suam trahit à fidibus? Neque quicquam ipsa per se existit, neq; quicquam valet omnino in chordis efficere. Quippe non mouet ipsa chordas, sed iis aliunde motis nascitur harmonia. Anima ergo si sit harmonia humorum certo modo compositorum, tota pendebit ex illis, neque ipsa illos mouebit, sed illis ab alio agitatis anima orietur, neque illos reget, sed ipsam illi regent & sustinebunt. Non erunt igitur motus in corpore aliqui præter humorum conditionem, non opera vlla super illorum imperium, sicuti modo sunt, vt in superioribus enarrauimus. Non figura artificiosa, non dispositio. Non repugnabit vnquam animus affectibus corporalibus, neque se vel in se reflectet, vel disiunctum

à corporeis incorporeis copulabit, neque per se aliquid operabitur, si nullo modo extiterint per seipsum. Sed de hoc aliàs diximus & dicemus.

Vndecima ratio. In omni corpore composito est harmonia.

CAPVT XI.

IN omni corpore ex multis composito est aliqua suarum partium harmonia, per quam conspiratione mutua concinunt. Itaque si harmonia ipsa sit anima, corpora quælibet composita ea viuent & coalescent. Dices forsitan animam esse quidem harmoniam, id est, concinnitatem & consonantiam, sed non quamlibet harmoniam, verum aliquam certo & proprio modo contemperatam. vides non eandem esse rationem animæ atque consonantiæ, postquam non ex eo duntaxat quòd res aliqua consonantia est, est etiam anima, sed ex eo quod certo modo disposita. Certum huiusmodi dispositionis modum concinnitas ipsa non ex sui natura haurit, quia esset in qualibet concinnitate. Igitur aliunde ab extrinseco ne principio? Imò verò. Cæterum extrinsecum istud non sufficit. Non enim mouet & temperat assiduè & naturaliter harmoniam, quod extra ipsam est. Latet igitur in humorum consonantia vis quędam præstantior corporalis consonantiæ temperatrix, quæ in viuentium corporibus suo modo humores contemperans, ipsorum concinnitatem reddit certam, & ab aliis corporibus differentem, quæ propria consonantia vitalis harmonia est, à viuifico spiritu interius latente progenita.

Duodecima ratio. Harmonia intelligitur aut compositio ipsa membrorum, aut aliqua compositionis ratio.

CAPVT XII.

QVando animam esse consonantiam asserit aliquis, duo quædam posse illum arbitror intelligere, aut compositionem ipsam humorum membrorumque, aut compositionis ipsius aliquam rationem. Anima profectò non est compositio, quia oporteret quamlibet animę partem esse partium aliquarum corporis compositionem. Quod planè quomodo fiat, assignare non possumus. Compositio quidem corporis Physicis manifesta est, anima verò ignota. Et quomodo ex suis viribus scilicet intellectu, sensu, appetitu, & reliquis componatur, difficilè est cognitu. Difficillimum rursus, quomodo vires singulæ componantur. Præterea compositio nihil est aliud quam vnio plurium, plura verò non vniuntur nisi ab vno. Ab vno, inquam, quod insit pluribus, vt ab intimo coagulo conglutinentur. Illa igitur vna vis insita membris, à qua vnio membrorum, anima ipsa est potius quam vnio inde profecta. Neque etiam compositionis ipsius est ratio. Cum enim diuersis corporis membris diuersæ insint compositionis rationes atque proportiones, singula membra singulas animas possiderent, aliam quippè animam os, aliam neruum, caro aliam, similiterque de cæteris, siquidem membra ista sunt diuersa inter se proportione composita. Vnius verò animantis vitam vnam assignare nequaquam poterimus, nisi vnicam illi formam, motorem vnum atque rectorem, id est, vnam animam tribuerimus. Cernimus etiam consonantiæ rationem qualitatibus corporis magis quàm animæ conuenire. Sanitas, humorum est consonantia, robur, consonantia ossium atque neruorum. Pulchritudo, quodammodo membrorum, atque colorum. Sensus autem & intellectus, qui actus simplices sunt, nescio quales, & cuius sint harmoniæ. Quando substantiam rei cognoscimus, facilè inde possumus de accidentibus iudicare. Igitur quia cognita humorum membrorumue proportione, facilè de his iudicamus quæ ad sanitatem, robur, & pulchritudinem attinent, patet tria hæc in illorum proportione consistere. At verò quia tali quadam proportione inuenta, nondum tamen vires, affectus, actus, habitus animæ clarè discernimus, constat substantiam animæ in ea proportione nequaquam consistere. Quis enim illa reperta statim sentiendi & intelligendi naturam reperisse inde se iactet? Cognoscit horum naturam Aristoteles melius quàm Hippocrates, illorum verò proportionem diligentius Hippocrates considerat.

Decimatertia ratio. Harmonia humorum nihil capit absque materia.

CAPVT XIII.

QVicquid aliquid efficit, eo quod ab ipso fit, esse debet præstantius. Quo quid à materia liberius est, eo est & sublimius. Quare semper debet causa esse à materia liberior quàm effectus. Nullus itaque effectus potest esse à materia quam causa sua liberior. Vis nutriendi à materia admodum libera est, quæ plurima &

ſuper & præter ordinem elementorum operari demonſtrata eſt aliàs. Vis ſentiendi etiam magis eſt à materia libera, quia in ipſo ſuo ſentiendi actu formas rerum accipit abſque rerum ipſarum materia. Non enim viſus colorem parietis cum pariete ſimul accipit, ſed coloris attigit imaginem ſpiritalem. Multomagis intelligentia idem facit, vt in ſequentibus apparebit. Quoniam igitur hæ vires animi multum ſunt à materia liberæ, nequeunt ab ea cauſa proficiſci, quæ ſit materia vel immerſa materiæ. Humores omnino corporales ſunt, quamobrem nullo modo humores poſſunt ſua quadam mixtione, vel conſonantia vires huiuſmodi procreare, multominus animam ipſam virium huiuſmodi fontem. Quippe ſi anima in humorum qualitatibus ſubſtantiam habeat, quicquid capiet, per humorum affectiones ſuſcipiet. Per eas verò formæ ſolum corporales ſuſcipiuntur. Siquidem per caliditatem ſiccitatemque non ignis imaginem ſpiritalem accipiet, ſed ignis ſubſtantiam corporalem. Rurſus per frigus ſiccumque ipſam accipiet terram. Ipſa quoque terra, quoniam ſimiliter accipiet atque anima, ſimiliter ſentiet. Idem faciet lapis, & reliqua.

Decimaquarta ratio. Quæ magis concinit, magis eſt harmonia.

CAPVT XIIII.

HArmonia ita in plurium concentu conſiſtit, vt magis concinentibus fidibus magis ſit harmonia, minus concinentibus verò minus. Anima nequiſſimi hominis minimè concinit ſe cum ipſa, diſſentit enim à ratione ſenſus, pugnant quoque inuicem appetitus. Anima probi hominis concinit vndique. Si anima ſit harmonia, anima probi viri quæ concinit magis, magis eſt harmonia, igitur & anima magis. Anima vita quædam eſt, ergo & magis vita. Viuacior itaque, audentior & robuſtior erit probi viri anima quàm latronis. Neque concoquet cibum latronis anima perinde vt iuſti viri, neque generabit prolem, neque corporis membra ſuſtinebit vibrabitque, neque acutè inueniet, firmiter reminiſcetur, loquetur eleganter, aggredietur audacter, neque diu ſpirabit, & reliqua.

Decimaquinta ratio. Harmonia nihil admittit diſſonum.

CAPVT XV.

HArmonia vera, vt rectius procedamus, nihil admittit diſſonum, dum permanet harmonia. Si harmonia eſt, conſonat, ſin diſſonat, non eſt harmonia. Animam vero noſtram nonne videmus aſſiduè diſſonantibus opinionibus & affectibus diſtrahi, & nihilominus veram animam permanere, atque æquè vitalem? Neque obiicias quod affectuum diſcordia licet non perimat animam, diſcordia tamen elementorum humorumque perimit. Porrò ſi non poteſt animus propria intimaque diſſonantia perire, alia nulla poteſt. Propria animi humani & intima diſſonantia illa eſt, quæ ſoli & omni animo conuenit, ideſt, opinionum affectuumque diſſenſio, quæ corpora vita carentia non attingit, & omnes mortalium pulſat animos. Diſſenſio talis eos vitæ ſenſuſque ſtatu non deiicit, multo igitur minus humorum diſcordia, quæ ab animo alienior eſt, animi ipſius naturalem habitum diſſipabit, qui certè humoribus vel paulum diſſonantibus diſſiparetur, ſi in eorum concentu conſiſteret. Quamobrem nihil obſtat quin partes animi corporiſque longè diſſonent, & anima nihilominus vera vitaliſque anima perſeueret, id harmonia non patitur. Igitur errabit qui dixerit animam harmoniam.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ, DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER VIII. (∴)

Anima est forma indiuidua vbique tota, & nullam trahit originem à materia, ideoque immortalis est, vt ostenditur per intelligendi virtutem. Animus per quatuor gradus ascendit ad spiritum. Prima ratio.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



TErtiam nunc disputationis partem aggrediemur, quæ propositum nostrum ostendit per intelligendi virtutem, si prius exposuerimus quo pacto animus noster secundum Platonicorum sententiam per quatuor gradus cognoscendo, à corpore ascendit ad spiritum, quorum est postremus intelligentia. Ascendit enim per sensum, imaginationem, phantasiam, & intelligentiam. Per sensum quidem videt Socrates Platonem, vbi incorporale Platonis simulachrum, absque Platonis materia attingit per oculos, ea tamen conditione, vt oculus Platonem non videat aliter, quàm corpore ipso Platonis præsente. Deinde, etiam absente Platone, per internam imaginationem Platonis cogitat colorem figuramque quam viderat, item Platonis suauem illam quam audiuerat vocem, & reliqua quæ per quinque sensus acceperat. Surgitque huiusmodi imaginatio supra materiam magis quàm sensus, tum quia vt cogitet corpora, præsentia illorum non indiget, tum quia ipsa vna facit quicquid quinque sensus omnes efficiunt.

At enim non omnino pura est, quia nihil aliud sapit, quàm quod sensus accepit, siue concepit. Sensus quidem circa corpora, imaginatio circa imagines corporum per sensus acceptas, siue conceptas sese volutat, paulò post Socrates per phantasiam de hoc vniuerso Platonis simulachro, quod per quinque sensus imaginatio ipsa collegerat, sic incipit iudicare.

Quis hic tam procero corpore, ampla fronte, latis humeris, colore candido, glaucis oculis, elato supercilio, naso aquilino, ore paruo, voce suaui? Plato hic est, homo pulcher, bonus, discipulus dilectissimus. Cernis quantum excellat imaginationem Socratis phantasia. Imaginatio ipsa talem quidem collegit Platonis effigiem, sed quem designaret, & qualem effigies illa non nouit, phantasia iam discernit eam esse effigiem hominis huius, qui Plato vocatur, effigiem pulchram viri boni atque amici. Ergo in his sensum aliquem habet iam substantiæ, vt quidam putant, & pulchritudinis, bonitatisque & amicitiæ. Platonici tamen substantiam à phantasia cognosci re vera negant, quoniam rationem substantiæ non agnoscant. Imaginatio neque substantiam rei suspicatur quidem, sed rei superficiem, exterioremque picturam. Phantasia substantiam saltem auguratur, dum pronunciat, obuius ille homo aliquis est, & Plato.

Atque etiam res incorporales quodammodo somniare videtur, dum Platonem iudicat pulchrum, bonum, amicum, discipulum. Pulchritudo enim, bonitas, amicitia, disciplina, incorporalia sunt, neque sensibus neque imaginationi patentia. Huiusmodi quidam conceptus phantasiæ, incorporales quodammodo corporum intentiones vocantur.

Verùm nondum super materiam prorsus animus euolat, tum quia phantasia intentiones huiusmodi esse incorporeas non agnoscit, tum quia huiusmodi Socratis phantasia inspicit propriè hominem hunc, Platonem scilicet, hoc in loco & situ, in hoc tempore & hora diei, hanc pulchritudinem, hanc bonitatem, & reliqua eodem pacto. Vbi Platonem sub eisdem conditionibus in seipsa depingit, quibus extat & in materia. At enim dum phantasia circa singulares hominis huius conditiones vagatur, intellectus communes concipit rationes, & vterque simul suum opus exequitur. Sic enim intelligentia ratiocinatur. Qualis homo est Plato, talis fermè Antisthenes, talis est, & Xenophon, effigie similes, pulchri æquè & boni, amici, discipuli, eodem modo. Ergo in his tribus vna est communis humanitas, per quam æquè sunt homines, vna pulchritudinis natura, vna etiam bonitatis, per quas æquè pulchri sunt, & æquè boni. Humanitas ipsa quæ his communis est, innumerabilibus quoque aliis qui sunt, fuerunt, eruntque, quocunque in tempore & quocunque in loco nascantur, communis existit, similiter pulchritudo, & reliqua. Sed quod loquor de humanitate, de reliquis etiam dictum puta. Si ergo humanitas singulis personis, locis, temporibus se æquè communicat, nulli est astricta personæ, nulli loco, nulli etiam tempori. Natura huiusmodi singulas conditiones corporum videtur transcendere. Est ergo secundum seipsam quodammodo incorporea, & quia corporibus singulis se infundit, ex quo & in alio est, & in multis, & super id quod in alio est, esse oportet id quod in seipso manet, & super illud vnum quod est in multis, esse oportet vnum ipsum quod in seipso consistat, idcirco super corpora omnia extat ratio quædam ideaque humanitatis ipsius, cuius participatione quadam vel similitudine homines fiunt quicunque sunt homines, siquidem natura illa quæ personis singulis est communis, neque contingit casu, quia semper similiter ordinatur, neque per se subsistit, cum nequeat in se subsistere, eget enim materiæ fundamento. Fit ergo à causa quadam, non tamen fit à materia, quæ seipsam non format, non à persona vna, quæ non potest operari in omnes, quæque quicquid agit, proprium agit, reliquis non commune. Non ab omnibus personis, quæ quatenus inter se differunt, non commune aliquid faciunt, sed diuersa, quatenus conueniunt, per hanc ipsam naturam conueniunt, imò per eam consistunt, tanto illis priorem, quanto est ipsa simplicior. Quippè ipsi tanquam priori proprietates variæ superueniunt ad personas constituendas. Fit tamen ipsa ab vna quadam forma, post quam vna est, quæ forma sit super multitudinem personarum, ne illa quoque fiat ab alia, atque illa rursus ab alia sine fine. Sic ad diuinam ideam ascendimus, quæ necessariò est super omnes, vt æquè agat in omnes, & communi natura conciliet. Si à parte quæ sub toto est ad totum, ab hoc ad id quod super totum surgendum est, meritò à singulis personis quæ in partibus loci temporisque sunt, ad naturam illis secundum se communem surgimus, quæ quasi per omnem locum sit totumque tempus, ab hac ad rationem, quæ super locum totum tempusque existat, quam Plato vocat ideam. Ipsam deinceps diuinam ideam suscipit intellectus, siue apud seipsum, siue in diuino lumine existentem. Ratio enim dictat species naturales, quia sempiternæ sunt, à causa mobili esse non posse, alioqui per motionem factæ quandoque desinerent. Factæ tamen sunt, quia partes sunt vniuersi quod est aliunde compositum, & à causa vna omnes sunt. Siquidem ita ordinatæ sunt inuicem, vt in vna natura, in vnum opus finemque conducant. Hinc intellectus humanus concludit super mundum mobilem in mente immobili motrice mundi esse species specierum naturalium exemplaria, non in natura corporea vel animali (mobiles enim forent) sed intellectuali, imò intelligibili, intelligibilia enim in summo intelligibili sunt collocanda.

Non tamen talis argumentatio necessaria est, vt intellectus rationes rerum communes attingat, imò sicut phantasia suaptè natura de rebus iudicat singulatim, ita intellectus vi naturali statim absque vlla discursione simul ac depicta est singularis imago illa Platonis in phantasia, subito, inquam, dimisso certo hoc homine, humanam illam communem omnibus tum naturam tum ideam excogitat. Picta illa pulchritudine & bonitate, illico vniuersalem pulchritudinis & bonitatis cogi-

tat naturam, rationemque in nulla certa materia, nullo proprio situ vel tempore positam, sed vel in omni materia, vel absolutam à materia in seipsa simpliciter subsistentem. Quapropter sensus circa corpora versatur, imaginatio circa simulachra corporum, phantasia circa singulas simulachrorum intentiones, intellectus circa singularum intentionum naturas communes, ac rationes penitus incorporeas. Meminisse verò oportet, intellectum non vniuersalem modo naturam, sed particularem quoque cognoscere, alioqui non posset vtramque inuicem comparare, cognoscere insuper vires infra se omnes, actusque ipsarum, quando omnes comparat ad seipsum. Prius tamen vniuersalem quàm particularem naturam ab ipso cognosci penè omnes consentiunt. Siquidem pro natura formæ intelligibilis in primis agit. Ea vero cum abstractione quadam concipiatur, absoluta est, vnde naturam in primis refert vniuersalem. Quam quidem vim à virtute intellectus in quo & à quo est, adipiscitur, quasi intellectus ipse sit absolutus. A simulachro verò quod in phantasia est, particulare solum repræsentatur, quod quidem particulare ab intellectu solum, secundo quodam actu atque reflexo prospici, tum Platonici tum Peripatetici plurimum arbitrantur, quatenus intellectus postquam subitò rectaque via per speciem vniuersalem intuitus est, inde discursu quodam per actum speciemq; in simulachrum, quo incitante species concepta fuerat, sese reflectens, particulare iam prospicit. Ideo motus ad incorporea absolutaque, maximè naturalis est menti, quandoquidem primo subito, rectè ad ipsa se confert, vbi apparet intelligendi virtutem esse prorsus incorporalem. Si ergo per opera nutriendi, atque idem per opera sentiendi, quorum prima in corpore fiunt, secunda per corpus, & circa corpora, ostendimus animam non esse diuisam in corpore, quanto magis putandum est, idem quoque per opera intelligendi patere? Atque illud insuper animam scilicet neque ducere originem à materia, neque esse mortalem. Siquidem ipsa per se intelligendi opus exequitur, in quo materiam relinquit omnino, atque ad incorporales ascendit & perpetuas rationes. Age itaque videamus qua via possimus quod quærimus, per opera & effectus intelligentiæ inuenire.

SECVNDA RATIO.
Anima alitur veritate.

CAPVT II.

Alimentum ea ratione assumitur, vt in substantiam eius quod alendum est transeat, sicut comeditur panis, vt caro efficiatur. Ideo cibus cognatus admodum esse debet illi, quod est alendum, vt possit in eius naturam facilè pertransire. Ita aquatica aqueis alimentis, terrestria terrenis, aëerea pascuntur aëreis. Similiter corpora corporalibus, incorporea incorporeis nutriuntur. Non enim corpus transit in spiritum, neque spiritus migrat in corpus, quia non subest illis communis materia per quam & in qua inuicem se commutent. Constat animam corporibus non nutriri, constat incorporeis ali, constat igitur eam esse incorporalem. Si aliquibus anima vesceretur corporibus, illis maximè vesceretur quibus & corpus suum.

Nam cum istud maximè animæ congruat, alimenta etiam sua inter omnia corporalia congruent maximè, dummodo alimenta illa adeò tenuentur atque purgentur, vt corpusculo illi subtili quod vulgo anima esse putatur, conueniant. Erit igitur in corpore pingui, validior anima, quàm in tenui, acutior ad inueniendum, ad reminiscendum firmior, promptior ad agendum, ad peruincendas turpes corporis illecebras continentior. Magnanimitas in grandi corpore, in paruo pusillanimitas. Crescente corpore adolesceret animus, etiam si nihil discat, si nullo studio rerum exerceatur. Decrescente per ætatem corpore, & viribus eius debilitatis sapientia, iudicium, constantiaque perdentur. Post epulas & vina acutius erit ingenium & sublimius. Omnia hæc acciderent si animus cibis corporalibus coalesceret. Horum verò nunc contraria fiunt. Animus igitur corporalibus non pascitur alimentis. Quid ergo? nullis. Ita erit æternus, si nulla alimonia indigebit, quod nos maximè cupimus. An fortè spiritalibus vescitur epulis? Imò vero aliis nullis omnino, quod sapienti viro non est dubium qui talibus alitur sæpenumero. Neque assentiendum est Epicureis opinantibus animam cum corpore coalescere, quia maiores vires sint in pueris grádiusculis quàm infantibus, atque inde adolescentes in dies viribus præstent, virique similiter, donec rursus senescente corpore minuantur.

Siquidem

Siquidem ea est animæ ad membra comparatio, quæ artis ad instrumenta. Ars autem sæpe eadem permanens atque similis, modò facilius instrumenta mouet, modo difficilius, quoniam hæc alias ad motum ineptiora. Sic quamuis eadem semper vis sit in anima, membra tamen propter nimiam aut mollitiem aut ariditatem neque constant æquè, neque flectuntur. Atque ipsa vis quæ videtur in corpore esse, non tam carnis sequitur pondus, quā proportionem membrorum naturalem, conformationemque artificiosam, quę duo ad spiritum potius pertinent quam ad molē. Vis etiam quæ inest animæ, non corporis acquiretur incremento, (quod patet in iis qui torpent ignauia, in quibus crescente corpore nihil proficit animus) sed ex ipsa animi industria comparatur ingenio, vsu, affectu. Quis neget tempore vires corporis comparari? Animo autem sæpe momēto fortitudo præstatur, quando vel ratio aliquid monstrat imperatque magnificum, vel furor arma ministrat, & sæpe pusillus homo superat grandiorem, & qui nō crescit corpore, crescit tamen sæpe virtute animi. Imò dū decrescimus corpore, sæpe animo crescimus. Scientiā magnanimitatemque sæpissimè acquirit subitò animus, corpus autē neque dare quicquā potest neque accipere, nisi tempore. Deniq; virtus animi est æqualitas quædā, vt Magi tradunt, per quā animus & sibimet & ipsi vero bonoque consonat. Si quo pacto quadrāgularis quædā linea circularis efficiatur, perfectior euadet, non tamen quod longior fiat, sed quod æqualior. Rursus si tēperetur lyra, perfectior erit, non quod grādior fiat, sed consonantior. Ita cū adolescēs aliquis virtute adolescit, tunc anima non quantitate crescit, sed spiritali quadam æqualitate & consonantia proficit. Neque obiiciat quisquam ita, quod quando corpus neque grauatur epularum nimio pondere, neque fame languescit, sed mediocriter alitur, tunc animus similiter enutritur, fitque in eo statu validior, aliter autem cōtra. Nam id quidem verum est, animum in eo hominis statu valere quamplurimum, non tamen hoc inde prouenit, quod similiter alatur vt corpus, sed quia animus natura regit corpus. Et quando ipsum ægrotat grauaturque, animus adeò in eo curando atque regendo occupatur, vt ad inquirendam veritatem non sit intentus. Quieto autem corpore, expeditè mens speculatur, & tunc maximè propriis vescitur alimentis. Escam vero animi quam esse dicemus aliam, præter illam quam esurit semper & sitit, qua parte gaudet summopere, qua sumpta crescit & impletur? Omnis animus tum in omni ætate, tum continuè veritatem præ cæteris appetit, quam in omni arte quærunt artifices, & in qualibet re, quid de re ipsa sit, verum etiam infantes interrogant curiosè, neque semel aut bis aut ter singulis diebus, vt corporis escam, sed momentis singulis verum in omnibus negociis inuestigant. Proide veritatis acquirendæ studio alimoniam corporis prætermittimus sæpe numero, neque tempori neque pecuniæ parcimus, neque laboribus eneruamus corpus, quo eneruato animus fit neruosior. Hanc veritatem animus ipse cupit, non corpus. Hæc enim corpus non auget, sed abest plerumque illius studium corpori. quinetiam propter seipsum expetit illam animus, non propter corpus. quid enim corpori conferat? Quod si quando videatur veritas conducere corpori, non propter ipsam veritatem id euenit, sed propter aliquod commodum corporale quod cognita veritate contingit. Imo vero animus, etiam si nihil inde sequatur vtilitatis, veritatem studiosè perquirit, & pleno cibis suis corpore, esurit sititque adhuc animus veritatem, qua inuenta exultat, non ad tempus, sicuti propter corporis vsus, sed perpetuo gaudet, illuminatur, adolescit, euadit magnificus, adeo vt illi præ magnitudine sua minima videantur illa quæ solent esurienti animulæ videri quam maxima. Hac etiam alimonia fit inuictus, temperans, iustus, hominum gubernator & Dominus, excelsior cœlo, par Angelis, Deo similis. Quis igitur ambigat vlterius quin veritas humanæ mentis naturalis sit esca? Eandem escam omnes appetunt mentes, eandem quæque mens semper. Quæ quidem consensio stabilis appetendi significat mentes inter se mirificè conuenire, & quamlibet mentem in natura sua stabilem permanere, quandoquidem appetitus earum non ita variatur mutaturue vt appetitio sensuum, quæ pro diuersitate corporum diuersa est, & ad mutationem corporis permutatur, quasi sensus corporum mutationē sequantur, mens diuinorum stabilitatem. Odit namque corporis alimenta, atque eodem cibo vescitur quo cœlestes & sempiternæ mentes. Hic cibus est veritas. Veritas autem non est corporea, alioqui rebus incorporeis non inesset. Nunc autem inest Deo, Angelisque, & numeris, quæ & incorporalia sunt, & vera. Et quoniam incorporalia tanto veriora sunt corporibus, quanto puriora fir-

mioraque sunt, fit vt veritas in illis sit potius quã corporibus. atqui (quod maius est) nõ est proprie veritas in corporibus. In his enim duo sunt, materia & forma, non est veritas in materia. Nã per eã nihil verè in specie aliqua rerum est, non homo re vera per eã aliquid est, nõ equus, & reliqua. Neque tamen in forma corporis iacet veritas, cũ vera forma non sit, cuius virtus inficitur in materia. Testantur hoc & Mathematici, qui veras figuras in corporib. nõ reperiũt. Verus quippe circulus locatus in vero plano, assidue voluitur, hoc fieri ratio cogit, cũ circulus ille planũ tangat in puncto; in pũcto autẽ corpus quiescere nequeat. Nemo hæc in corporibus vidit vnquam. Non insunt igitur veræ figuræ corporibus, quia forte neq; vera principia figurarũ, saltem quantũ spectat ad sensũ, qualia sunt pũcta, lineæ, superficies. Ratio quidẽ ostendit verũ punctũ longitudine carere debere, verã lineam latitudine, superficiẽ verã profunditate. Talia verò in materia nusquã sensu reperiuntur. Cũ ergo alicubi sit veritas, & à corporibus sensuq; absit, est proculdubio in spiritibus, est igitur incorporea. Idem ex eo patet, quia ibi maximè consistit veritas, vbi scientia. Hæc vero in rationibus rerum vniuersalibus reuera versatur, ceu cũ quis cognoscit quid bonitas ipsa sit, quid iustitia, singulis bonis & iustis actionib. officiisque cõmunis, atque similia. Rationes verò huiusmodi incorporales sunt, quoniam in nullo particulari corpore cõcluduntur, sed sunt ad multa cõmunes. Ratio corporis vel circuli tota in minimo corpore vel circulo sicut in maximo reperitur, ratio longitudinis vel latitudinis, vel profunditatis tota in minima linea, superficie, altitudine, sicut in maxima. Deniq; ratio quantitatis ipsius tota adæquatur toti rei cuiuslibet quantitati. Quapropter rationes corporis, figuræ dimensionis, atq; ipsius etiam quantitatis, corporales & extẽsæ nõ sunt, multo minus rationes aliæ corporales & extẽsæ esse possunt. Præterea rationes rerũ immutabiles sunt, nã aliter se habere nõ possunt, omnia vero corporalia mutabilia sunt. Quapropter sciẽtia cũ in his versetur, est incorporea, igitur & veritas incorporea. Quo fit vt de ipsa veritate rerũ quid sit, qua ratione cõstet inueniaturq;, quid ipsi sit propinquius, quidue remotius, nõ sensus vllus, imò sola ratio iudicet, & tunc potissimũ quãdo sese à sensuũ corporũq; fallacia se vocat. Est ergo veritas incorporea. Talis est autẽ maximè veritas & scientia diuinorũ, qua præcipuè animus oblectatur & alitur. quo igitur modo animus potest corporalis esse, qui corporalib⁹ cibis offenditur, spiritalib⁹ alitur? Quandoquidẽ veritate omni, præsertim diuinarũ rerũ veritate delectatur, alitur, augetur. Aut quo pacto mortalis erit, si veritate pascitur immortali, cũ neque corruptibilis venter cibum incorruptibilẽ cupiat aut capiat, neq; cib⁹ incorruptibilis in corpus trãseat corruptibile? Sanè immortalis est veritas, atq; est cõtinuus animi cibus, vt certè est, siue ipse cõuertatur in animũ, siue animũ seipsã conuertat, eũ efficit immortalẽ. quoniã vero dũ familiari hoc vescitur cibo, ea voluptate perfunditur, quę neq; molestiã habet admixtã, neq; in fastidũ vertitur vel dolorẽ, cõstat mentẽ neq; fatigari vnquã, neq; turbari cõtrarij alicuius occursu, neq; in contrariũ posse aliquid corrũpi. Rursus quia mẽti nihil natura optabilius est, quã veritas, veritas autẽ per separationẽ quandã à rebus mortalibus cõparatur, nihil menti qua ratione mens est, magis est naturale familiareq;, quã à mortalibus segregari. Ex eo verò quod maximè naturale est, non remissio vitę sequitur, sed intensio. quapropter tunc viuet mens præcipuè, cũ hinc abierit. Hanc vero argumentationẽ nostrã argumentatione quadã Olympiodori Platonici cõfirmare possumus, quam partim Pythagoricis, partim Platonicis mysteriis à Phedone, Gorgiaq; acceptis, sic ille cõtexuit. Mens naturali veritatis auiditate continuè tũ se à corpore, tũ formas à materia separat, cupitq; ita atque conatur separata viuere, quãuis quotidie in contrariũ corpus sensusque detorqueat. Separatam verò illã à caduco corpore vitam naturaliter appetit, tanquam naturaliter, id est, reuera bonã, præsertim cum vita sit omnino dedita veritati atque bonitati. Vita eiusmodi bona est, ergo & possibilis est. Quod enim impossibile est, idem quoque inutile. Bonum verò inutile non est dicendum. Item si impotentia ad malum pertinet, ad bonum potentia pertinet. Ergo bonum omne natura sua possibile est. Hinc efficitur vt naturalis appetitio boni sit possessionis possibilis appetitio. Ac si etiam quod apparet bonum, est possibile, certè & ipsum reuera bonum potentissimum est, & vera bona verè beneque quærentibus possibilia sunt.

Tertia ratio. Virtus animæ quia indiuisibilis est, corporis qualitas esse nequit.

CAPVT III.

QVod indiuisibile est, corporis qualitas esse nequit. Nam si qualitas eius

esse ponatur, ita interrogabimus, nunquid tangat partem aliquam diuisibilē corporis, an punctum aliquod corporis indiuisibile? Si conceditur primum, profecto qualitas huiusmodi diuisibilis erit, cum modo diuisibili tangat. Atque ita non indiuisibile diuisibilis ipsius erit qualitas, sed alicuius diuisibilis diuisibile. Si secundum conceditur, certè illa qualitas puncti illius quod attingit solum, qualitas est, non corporis. Quamobrem quod indiuiduum est, corporis qualitas nunquam erit. Indiuidua vero virtus animæ humanæ est qualitas. Igitur anima non est corpus. Sufficiens quidem putabitur huiusmodi demōstratio, si duo illa planius ostenderimus, videlicet & virtutē esse animæ qualitatem, & hanc ipsam virtutē indiuiduam esse. Primum cuique est euidentissimum, quandoquidem per virtutis præsentiam talis ac talis anima fit, & dicitur sapiens, prudens, iusta, fortis, & temperans. Atque abesse virtus ab anima potest anima remanente. Huiusmodi vero est conditio qualitatum. Secundum præterea illud, videlicet virtutem esse indiuisibilem, sic ostendimus: Virtutum duo sunt genera, aliæ intellectu, in appetitu vero siue rationali siue irrationali aliæ. Illæ speculatiuæ vocantur, istæ morales. Illæ speculatiuæ, quia speculando comparantur, & cōparatæ versantur in speculando. Istæ Morales, quia more & consuetudine acquirūtur, atque acquisitæ in moribus & operum vsu consistunt. In eo genere sunt diuinorum sapientia, scientia naturalium, ciuiliū prudentia, ars operū humanorū. In hoc sunt iustitia, quæ suū cuiq; tribuit. Fortitudo, quę ad opera honesta promptior abiicit à nobis timoris impedimentū. Temperantia, quæ libidinis mollitiem (quod alterū honestorum impedimentum est) repellit. Hę quidem sunt apud Platonē virtutum descriptiones. Si qua esset in iis virtutibus corporea magnitudo, quo quisque grandior est, eo sapientior iustiorque fieri posset, neq; possent exigui homines grādes virtutibus superare aut æquare. Rursus sciētia quæ maximorum corporū notitia est, amplior & clarior esset, quam scientia quæ minorum. Cognoscimus autē multa quorum non valemus magnitudinem adęquare, totusque animus & æquè & ita rem magnam percipit sicut paruā. Summatim verò quid aliud speculatiua virtus est nisi claritas intellectus? Quid aliud moralis, nisi feruor stabilis appetitus ab intellectus claritate succensus? Claritas illa non paulatim fit, licet ad eam pedetentim proueniamus. Sicut post longam per vestigia multa inuestigationem subitò lepus aspicitur, ita quisque in seipso animaduertit post diuturnam indaginem se momento quid verum sit ea de re quam quæsiuerit, intueri. Subito veritatis lumen (vt Plato inquit) effulget in animo, non subitò excessum à rebus, sed longa quadam discussione, vt ex lapide sæpius colliso scintilla. Similiter diuturna cōsuetudine iuuentus ad mores disponitur, donec paululum quid ad accendendum stabilem illum rationalemque appetitus ardorem deficit, nondum sufficienter accenditur, nondum virtus moralis habetur, sæpius inspirando, subito tandem flagrat æstus appetitus sufficiens ad virtutem. Quid plura? Verso ad Solem speculo, in speculo lumen momento refulget, supposita illi speculo lana, statim vt parata est, in ipsa ignis accenditur. quare & repentinus splendor in speculo fit, & repentinus ignis in lana. Non aliter subita in intellectu claritas veritatis, subita inde in appetitu flagrantia. Resume iterum hoc pacto: Virtus speculatiua est quædam cognitio veritatis. Si gradatim conficitur, pars nunc quidem habebitur, pars deficiet, & quæretur. Quatenus pars veritatis habebitur, sciemus quidem. Quatenus pars deerit, etiam nesciemus. Ita eandem rem & sciemus simul, & nesciemus. quod ne ebrius quidem aliquis somniaret. Quapropter speculatiua virtus non gradatim à parte sui in aliam sui partem progreditur, sed tota simul è vestigio lucet. Virtus quoque moralis est voluntas quædam constans quodcunque ratio dictauerit eligendi. Si partes habeat multas, fiatque sensim, pars huius voluntatis inerit, pars adhuc aberit. Quantum pars inest, volumus. Quantum pars abest, etiam nolumus. Sic eandem rem simul per eandem vim animæ volemus pariter, atque nolemus.

Quod est monstro persimile. quoniam igitur virtus fit momento indiuisibili, est ipsa quoque indiuisibilis, si modò natura cuiusque propriam originem sequitur, prę sertim cum finem habeat indiuisibilem. Cuius autem ortus & finis indiuiduus est, cur non sit ipsum etiam indiuiduum? Quis virtutis finis? Moralis quidem finis, animam à corpore diuisibili purgare atque seiungere, speculatiuæ autem incorporeas vniuersalesque rerum rationes à diuiduis corporibus procul positas comprehendere. Cernis finem vtriusque virtutis, sicut & ortum, esse indiuiduum aliquid, ideoque virtutes ipsas oportere indiuiduas iu-

dicari ostendunt vtræque virtutes huiusmodi quandam sui naturam, in eo quam maxime, quod multæ scientiæ simul in intellectu sunt, multæ virtutes Morales simul in appetitu, neque sese sua numerositate confundunt, sed augent potius & lucidant. Atque vnius scientiæ conceptionem in nobis seorsum ab alia peruidemus, ita vt sine consideratione alterius possimus alteram cogitare Proinde tales habemus artificiorum ideas in mente, vnitas inquam pariter & distinctas vsque adeo, vt possimus ad vnius ideæ exemplar loqui, & fabricare aliquid ipsi proprium, etiam si nihil ad vlterius conceptionis exemplar agamus. Corpora esse nequeunt tales intelligentiæ, quæ ita in eodem manent animæ gremio, vt neque sese detrudant pellantque, neque se mutua mixtione confundant. Eadem est de Moralibus virtutibus ratio. Quinetiam cum multę sint in anima sapientis intelligentiæ, vnaquæque illarum tota in singulis inuenitur. Profectò qui in Geometria siue Theologia peritus est, propositionem aliquam habet facultatis illius primam, habet secundam, tertiamque, & reliquas, atque ex cognitione vnius in alterius cognitionem progreditur. Si prima docet secundam, secunda tertiam, & quisquis docet aliquid, possidet in seipso quod docetur, sequitur vt in qualibet præcedente propositione sequentes omnes contineantur. Quinimo & in qualibet sequente insunt similiter præcedentes. quippe solemus sequentium indiciis præcedentia sæpe rimari. Neque id iniuria. Siquidem in effectibus lucent imagines causarũ. Hac rerum serie fit, vt sapiẽs vna quauis propositione excogitata, velocissimè percurrat in multas, atque ita multas, imò omnes in vna conspiciat. Est ergo quælibet intelligẽtia in qualibet, & vna quæque tota cnotinetur in singulis. Idẽ in virtutibus Moralibus accidit, nam acquisita illarum vna, statim omnes habentur. Quis enim iustè distribuet, si aut timeat minas, aut libidini seruiat? quisnam metus fortiter superabit, si emolliatur libidine? Quis domabit cupiditates, si formidini succubuerit? Denique quis honestè vitam aget, nisi per prudentiam optimum vitæ finem statuerit, & vias ad finem elegerit rectiores? Aut quis prudenter inspiciet, si mentis acies caligine vitiorum obnubiletur? Sunt ergo virtutes istæ ita connexæ inuicem, vt in vna sint omnes, & quælibet virtus tota comprehendatur in singulis, sicut & tota Geometriæ facultas in præcipua eius propositione, imò in qualibet delitescit, cum per solertis ingenij sagacitatem ex qualibet propositione omnes eliciantur. Non potest autem diuisibilis qualitas tota simul rebus multis inesse. Profectò in vna sola est, id est, corpore vno, & alias sui partes per alias corporis partes extendit, neque tota eius quantitas singulis corporis partibus inest, ideo. intelligentiæ illæ moresque omnino indiuisibiles sunt. Quamobrem anima neque corpus, neque forma diuisa per corpus esse potest, siquidem ipsa est subiectum indiuisibilium qualitatum. Ergo sicut delirat qui aut quærit quanta sit scientia vel iustitia, aut putat Geometriam corpore geometræ esse minorem, ita despicit qui aut interrogat quanta sit anima, aut eam opinatur corpore minorem esse, quandoquidem nullo modo corporalis est. Non solum enim incorporalia suscipit, verum etiam multa in seipsa facit incorporalia, dum species rerum rationesque & habitus concipit, præsertim cum definitiones incorporalium fabricat. Quis autem eam quæ incorporalium causa est, esse dixerit corporalem, aut eam mortalem quę subiectum est virtutum? cum virtutũ officium sit repugnare mortalibus, siquidem speculatiua virtus illa fugit, moralis fugat. Non potest autẽ qualitas subiecto proprio repugnare, imò immortale est illud necessariò, quod naturale receptaculũ est qualitatum earum quarum proprium est aduersari & imperare mortalibus. Vis autem rationis huius in eo consistit maximè, quod anima non modo subiectum est talium qualitatum, sed & principium, ideoque naturam illam mortalibus repugnantem sortiuntur ab anima.

Quarta ratio. Species conceptioque intelligibilis suscipi non potest à corpore. CAP. IV.

ID sentiunt Græci omnes Platonici. Idẽ possumus ita Platonicorum Arabum sententia confirmare. Intellectus rem aliquam, puta hominem, non intelligit, nisi formam quandam vniuersalem hominum significatricem adipiscatur, quam intelligibilem formam & speciem nominant. Hanc adeptus, quid sit hominis natura ita iudicat, homo est animal rationale. Iudicium hoc, tum conceptus & conceptio mentis vocatur, tum rei cognoscendæ ratio & definitio, quam etiam solemus scientiam appellare. Si intellectus à corporis latitudine protendatur, tam forma intelligibilis quam conceptio latitudini corporis adhęrebit. In hac ipsa latitudine duo considerantur, punctum scilicet, & extensio latitudinis. Igitur formæ illius con-

ceptionisque sedes erit, vel solum punctum aliquod corporis, vel extensio. At verò si neutrũ cõcedi debet, vt demonstrabimus, sequitur vt intellectus in corpore minimè protendatur. Ostẽdamus prius punctũ sedẽ talẽ esse nõ posse. Primũ quidem animaduertẽdũ est pũctũ nõ existere per seipsum, sed esse mensuræ corporis sic affixũ, vt sẽper eius sit terminus. Si pro natura sua rem capit, certè nunquã accipit nisi terminũ aliquẽ magitudinis alicuius, quæ in illa corporis mẽsura suscipiatur, cuius terminus est punctũ, ita vt sicut corporalis mensura suscipit rei aduenientis magnitudinẽ, sic talis mensuræ terminus terminũ suscipiat magnitudinis: quare quicquid pũcto corporis suscipi dicitur, non est a magnitudine liberum, ideo si formæ intelligibilis receptaculũ sit punctũ, fieri non poterit quin ea species diuisibilis sit, & terminũ suũ in pũcto corporis habeat, reliquas verò partes in corporis latitudine. Eam tamen indiuisibilem esse probabimus in sequentibus. Præterea si dicatur punctum ita formam illam capere, vt solum ipsum sit eius sedes & fundamentum, atque illa per hoc maneat à corporis latitudine segregata, oportet punctũ quoque esse disiunctũ à latitudine, præsertim cũ nihil sit propriũ accidentis alicuius subiectũ, nisi quod propriè existit actu. Punctum huiusmodi erit à linea separatum, neque erit lineæ aliquid, neque terminus latitudinis, & linea per aliud quoddam punctum huic proximum terminabitur. Rursus aliud illud punctum similiter proprio existet actu, quo possit & ipsum accidentis formæ sedes fieri, eritque ipsum quoque seiunctum à linea, præcipuè cum sit eadem punctorum omnium ratio. Quo efficitur vt aut nullum sit punctum in linea, quo nihil est dictu stultius (terminis namque careret, aut lineæ longitudo conficiatur ex punctis, quod etiam dictu ridiculum, quia punctum puncto additum non auget longitudinem. Quod ea ratione conspicitur, quoniam si tria puncta cogitentur sibi inuicem succedentia, interrogabimus nunquid punctum illorum medium cogat duo extrema puncta inter se ita distare, vt se inuicem non contingant, aut non impediat extremorum concursionem. Si distare cogat, certè non eadem sui parte tangit eorum vnum, qua tangit alterum, alioquin non disiungeret inuicem. quod si altera parte sui vnum extremorum respicit, altera alterum ipsum duabus partibus constituitur, nec est punctum, siquidem est diuisibile. Quare cogimur confiteri punctum medium non impedire aliorum concursionem. Itaque erunt in omnibus omnia, neque vllam suo concursu efficient longitudinem, quando per punctum medium nullum inter alia puncta nascitur interuallum. Si non constat ex punctis aliqua corporis longitudo, nullum reperitur in ea punctum quod per se quandoque ita possit actu fieri, vt fiat intelligibilis formæ subiectum. Dixerit fortè quispiam punctum non actu, sed potentia esse in corpore, & per eam ipsam potentiam fieri intelligibilis formæ subiectũ. Quamuis id iam fuerit confutatum, sic tamen iterum confutatur. Puncta huiusmodi tum quia potentia sunt, non actu, tum quia sunt infinita, nulla ratione ita inuicem distinguuntur, vt aliud illorum potius quam aliud formam illam capiat. Omnia itaque illam capiunt. Quocirca intellectus aut infinitas simul rei cuiusque intelligendæ formas accipiet actu, aut infinitè simul per infinita puncta rem eãdem intelliget. Vtrumque impossibile est, tum esse formas infinitas actu, tum esse simul intelligentias infinitas. Per hæc manifestum est punctũ corporis intelligibilis speciei sedem esse non posse. Sed nunquid ipsa punctorum continuatio corporisue extẽsio sedes erit? Nequaquam. Omnis enim forma quæ diuisibili subiecto recipitur, fit diuidua, quemadmodum niuis albedo niuis diuisione diuiditur. Itaque si a corporis latitudine species illa suscipitur, lata fit & diuidua. Talem vero illam fieri impossibile est, quod sic ostendam. Si species secatur in partes, aut partes illæ dicuntur omnino similes esse, aut dissimiles. Sed horum neutrum est admittendum. Non est admittendum quod similes sint omnino, quia si ita similes sunt, vt in quauis parte ratio integra sit speciei totius, sicut in singulis aquæ guttis integra ratio totius aquæ seruatur, certè intellectus in qualibet parte inspiciet totum, atque vna speciei pars ad totius rei intelligentiam satisfaciet, superfluæ erunt cæteræ. Præterea per talem speciem quæ vndique sibi ipsi persimilis est, & tali similitudine decipit intellectum inde ductum ad cognoscendum, confundetur prorsus iudicium intellectus in partibus discernendis à toto, tum in qualibet re ex partibus constituta, tum vel maximè in re illa quæ ex naturis variis est composita, neque poterit partes vel à partibus vel à toto discernere. Alia tamen reuera ratio partis est vt pars est, totius alia vt est totum, & hoc semper per mentis iudicium affirmatur, cum neque ipsum totum pars esse valeat, neque pars totum.

Negandum igitur arbitramur speciei partes omnino similes esse, ob eam maximè rationem, quia cum mens rei partes intelligat, vt partes sunt, & intelligat totum vt est totum, & totum verè distinguat à partibus, neque possit verè distinguere, nisi aliqua sit in ipsis distinctio naturalis, sequitur vt partes intelligibilis speciei, si modo partes habet, tam vicem quam à toto naturali aliqua discerpent varietate. Accedit & alia ratio. Nempe partes quæ inter se & ad totum similes sunt omnino, quando totum aliquod mutuo congressu conficiunt, non aliter perficiunt totum, quam per numeri vel magnitudinis augmentum, quod in tritici granis, & aquæ guttis aspicimus. Vbi enim forma non variatur, & tamen aliqua intrinsecus fit mutatio, incrementum ibi quodammodo fit vel decrementum. Itaque illa mentis species si talibus concrescit partibus, numerus aliquis erit, vel aliquid numerosum, aut cumulus, vel continuum aliquid. Ergo per illam numeros solum & numerosa aut magnitudines quasdam intelligemus, siue figuras, eritque species ad imaginationem & phantasiam pertinens potius quam ad mentem. Ex his concluditur, formam intelligibilem in partes inter se similes minimè diuidi. Num fortè secatur in partes dissimiles, sicut animalis corpus in ossa, carnes & neruos? Nullo modo. Nam per hanc formam, mens quid rei substantia sit cognoscit, vt diximus. Substantia rei definitione maximè comprehenditur. Definitio genere constat & differentia, vt hominis definitio animali constat & rationali. Animal genus est, per quod homo cum cæteris animalibus communiter conuenit. Rationale differentia, per quam differt ab animalibus carentibus ratione. Quare siqua sit in ea forma diuersitas partium, hæc erit potissimum per genus & differentiam. Sint hæ duæ, si vis, intelligibilis formæ partes, sint extensæ per latitudinem corporalem.

Quid hinc sequatur, audi. Quia partes corporis diuidi possunt in infinitum, idcirco vnà cum illis tam genus quam differentia absque fine secabitur, eruntque in definitione vna innumerabilia genera, & innumerabiles differentiæ, nec erit reuera definitio, quia non comprehendetur ab intellectu si infinita fuerit, neque suis finibus terminabitur, & (quod absurdius est) vel infinitè eadem genera easdē que differentias replicabimus, vel à genere resoluendo ascendemus in genus in infinitum, à differentia similiter diuidendo descendemus in differentiam. Ascensus talis atque descensus impossibilis est, quia ratio vera tandem ad prima rerum genera & vltimas differentias peruenit, vltra quæ non liceat progredi. Siquidem substantia supremum genus est in homine, quod in genus aliud non resoluitur. Certa verò discurrendi potentia est vltima differentia, quam non licet in aliam differentiam coarctare. Auget errorem illum hoc præ cæteris, quod si genus & differentia in re aliqua sunt, infinita talia erunt effectu. Quæ enim ad rei essentiam concedunt, & ad ordinem pertinent naturalem, effectu ac reuera existunt in natura, non cogitatione finguntur humana. Esse autem multitudinem aliquam talem reipsa siue effectu innumerabilem, natura non patitur, præsertim in corpore, in quo tamen esset innumerabilis multitudo, si genera innumerabilia & innumerabiles differentiæ per partes corporis pariter secarentur, totidem namque essent etiam ipsius corporis portiones. Rursus percontamur Epicureos, qui speciem diuidunt in intellectu velut formam in corpore, & partem eius vnam in vna mentis parte locant, verbi causa: Genus in parte dextera mentis, differentiam verò in sinistra, cur dextera pars potius congruat generi, differentiæ verò sinistra? Nonne quælibet pars mentis æque mens est? Ne ex partibus amentibus fiat mens. Quælibet igitur particula mentis æquè vtrunque tam genus quam differentiam respicit, ideò quælibet capit vtrunque. quod si quælibet ambo suscipit, & in vtraque sunt ambo, fit vt illa non sint inuicem separata. Verum, vt Epicurei volunt, casus efficit vt duorum illorum alterum in dexteram cadat, alterum in sinistram. Sed respondeant nobis illi, vtrum sic deinde distincta permaneant, an inuicem misceantur? Si dent primum, sequitur vt inde scientia non nascatur. Nulla enim fit definitio ex genere & differentia inuicem separatis. In neutro illorum seorsum posito perfecta habetur de re ipsa sciētia. Misceantur oportet in vnum, vt vna scientia de re vna ab vna mente per definitionem vnam in vno tempore possit haberi. Oportet profectò vtrumque in tota mente esse, vt vero intelligatur. Nā quod in parte mentis est, nondum integrè intelligitur. Actio enim rei totius est, non partis. Fateantur ergo oportet illa misceri. Sed vnde miscentur? nunquid casu vel mente? Casu inquiunt. Nimium hoc dictu nefas. Nam rarissima fieret mixtio talis, & quando fieret, tunc demum con-

cederent illa sic vnita incorporalia esse, quod ipsi volumus. Concedent denique illa à mente misceri. Ex hac concessione duo statim nos inferemus. Primum, mentem esse incorporalem, si acceptas formas ducit ad habitum incorporeum, quæ sententia Epicureis aduersatur. Secundum, mixtionem illam à mente factam non aliter fore veram, nisi in rebus ipsis talis quædam sit vnio. quod enim à mente præter naturam rerum fabricatur, figmentum est potius quam scientia. Omnino autem oportet genera & differentias natura coniungi inuicem vel disiungi, non mentis figmento, vel situ. Si enim figmento mentis id fiat, erramus, non discimus. Si autem situ, ita vt genus in parte mentis dextra sit, differentia in sinistra, sanè quia licet menti communia hæc resoluere, illa mens diuidet. Per hanc ipsam diuisionem modo corporeo secabuntur, & dimidium generis vnum in parte dimidia dextrę partis relinquetur, dimidium alterum relinquetur in altera. Idem accidet differentiæ. Licebit partiri iterum. Hinc dilaniatio sequetur, non resolutio, & dum communia discerpemus, scientiā disperdemus. quod si per diuisionem non lacerentur communia illa, sed genus in quauis sui parte supersit integrum, & similiter differentia, iam non erunt amplius corporalia, quia certa quantitate non indigent, ac etiam innumerabilia genera totidemque differentias, qui ita secabit, inueniet. Atque horum multitudo non natura constabit, sed mentis machinatione nascetur. Forsitan Epicurei vt has obiectiones deuitent, non dabunt amplius speciem illam intelligibilem ex genere differentiaque componi, sed partibus aliis. Nos autem quæremus, nunquid speciei pars, qualiscunque illa sit, à tota specie differat nec ne. Si non differat, sane neque pars erit illa quæ à toto non differt, sed erit totum, neque species illa erit composita, si nihilo differt à partibus, quia sic partium caret diuersitate. Ergo differre speciei partem à specie fatebuntur. Nos autem ab illis, quomodo differat, sciscitabimur, si non tanquam genus differentiaue à specie vt ostendimus, num saltem tanquam à specie species, ceu à colore figura? Sed hoc admitti non potest. Non est enim species talis intra speciem. Non continetur sub colore figura. Pars tamen intra totum est, & continetur ab illo. Forsitan vt speciem illam conceptionemque mentis habere partes conuincant, quæ sub illa contineantur, ad numeros confugient, atque inferent speciem à suis partibus distrepare, sicut quatuor à duobus, ab vno duo, nos autem licet id supra confutauerimus, rursus tamen ita refellimus. An volunt partes illas speciei conceptionisque, quam scientiam vocant, esse scientias? Si nolunt, creabunt scientiam ex inscitiis, ac si albedinem constituerent ex figuris. Si volunt, sic eos arguimus: Constat apud Philosophos, quālibet scientiam habere obiectum suum in quo versatur, quod scitum vocant. Declarent nobis isti, siquidem scientiæ illæ quæ sunt vnius scientiæ partes, obiecto carere non debent, nunquid idem sit scitum proprium cuiusque illarum atque totius, an aliud? Si idem esse respondeant, tunc nulla illarum pars erit, sed vnaquæque totum, postquam æquatur toti. Vbi enim æquantur obiecta, scientiæ quoque æquantur. Sin aliud fateantur, rursus id sequetur absurdum, quòd scientia ipsa totius sciti pręter partium scientiam erit, neque ex partium cognitione cognoscetur totum, vbi non concurrunt scientię singulæ in scientiam vniuersam. Verum sic iterum procedamus. Mens vt plurimum intelligit rationem ipsam rerum & vnam, & vniuersalem, vt puta bonitatem ipsam, multis bonis æquè communem. Ratio huiusmodi quātum vna & vniuersalis est, est & simplex. Ratio quoque Dei siue Angeli quoties verè cognoscitur, tanquam indiuisibilis iudicatur. Hę rationes essentię intelligibiles appellantur, eas nostra mens nunquam cognosceret, nisi formas earum haberet in se velut imagines. Nam si cognoscendo agit aliquid, nec agit nisi sit actu, nec agit aliter quam actu sit, actu verò sit per formam, nunquam essentias contemplatur, nisi earundem formis ornetur. Formæ tales licet quandoque intelligibiles appellentur, proprius tamen intellectuales dici debent, essentiæ vero intelligibiles. Hæc enim est veterum Platonicorum consuetudo. Si forma quædam talis, essentiæ talis, imago in nostra mente spargatur in partes, tunc partes illæ aut ita se habent vt nulla illarum essentiam ipsam respiciat, aut alia respiciat quidem, sed non alia, aut omnes. Si primum detur, tunc forma illa tota essentiam nullo modo respiciet, cum nullus sit respectus in partibus. Sicut enim tota forma constat ex partibus, sic totius respectus ex partium respectibus congregatur. quod si nullo pacto essentiam aspicit, non erit eius imago, neque ad eius intelligentiam conferet. Si detur secundum, pars quæ non respicit essentiam, nihil attinet ad intellectualem formam, post-

quam ad essentiam non spectat intelligibilem. Si autem tertium concedatur, statim interrogabimus, vtrum quęquæ pars eundem habeat aspectum, an aliæ potius alium? Si eundem habere respondeatur, & habere eundem non possunt aliter quã si quæque referat essentiam totam, profecto nulla earum pars formæ intellectualis erit, sed quælibet erit tota, vna ad cognoscendum sufficiet, supererunt aliæ, quæ etiam innumerabiles erunt actu, si corporis diuisione secantur, & conducunt ad actionem. Si autem aspectum habeant alium atque alium, nec aliter hoc fieri potest quam si partes singulæ formæ totidem aspiciant, essentiæ partes, quandoquidem intellectuale intelligibili oportet æquari. Sequitur vt essentia illa sit diuisibilis, quam tamen ratio vera esse simplicem concludebat. Neque posset simplicem iudicare, nisi aspectu simplici eam intueretur. Multiplici autem aspectu partium diuersarum, multiplicem iudicaret. Opinamur autem eos in hunc errorem propterea incidisse, quod scientias nonnullas in rebus compositis versari considerabant. qualis est scientia de homine, qui ex animali rationalique componitur, tanquam genere suo & differentia. Qualis est scientia de septenario & denario, numerisque aliis qui ex numeris vel vnitatibus congregantur.

Nos autem putamus hominem, quatenus homo est, vnum quid esse & simplex, quia vna eius est forma. Huius signum est, quod in plures homines non diuiditur. Siue enim secundum speciem diuidas ipsum in genus & differentiam, neutrum illorum homo est. Siue secundum singula in caput, pectus & femur, illorum nihil est homo. Corpus quidem secas quia discerpis in membra, quę corpora sunt, non secas hominem, quia non secas in homines. quod autem tale quiddam est in seipso, & in plura talia non diuiditur, illud certè quantum est tale, indiuiduum est & simplex.

Denarius quoque, quantum denarius, non diuiditur, nam vna species est duntaxat, & vna forma, quam in plures denarios partiri non possumus. Quod si partiamur, numerum quidem partimur, quia partimur innumeros, denarium non partimur, quia non distribuimus in denarios. Neque obstat quod in specie genus & differentia videatur includi, non enim in ea sunt duæ formæ, sed vna. Nam licet aliud sit in rerum ordine animal esse, aliud esse rationale, in homine tamen est idem, & (vt Platonicè loquar) ipsa hominis natura rationalitas quædam est. Rationalitas autem nihil est in homine aliud, quam animalitas ipsa in actum rationis educta. Talis autem forma simplex esse simplicis fundamentum species est, quæ non dispertit seipsam in singulos homines, sed totam singulis se communicat, & per hanc singuli vnum sunt.

Differunt autem per alia quæ extrinsecus adiacent, ad speciem minime pertinentia. Quod quidem speciei simplicitatem significat, quæ ex eo quoque non parum significatur, quod species magis minusue non suscipit, & in quodam certo consistit gradu naturæ, cui nihil addi potest, nihil demi, quin species ipsa mutetur. Testantur hoc species numerorum, septenarius species quædam est numeri, adiunge huic vnum, nouam creabis speciem, scilicet octonarium. Subtrahe vnum, senarium habes, nouam rursus numeri speciem. Quoniam verò scientia non de singulis vel generibus propriè, sed de speciebus habetur. Singula enim quia innumerabilia sunt, mutanturque, neque comprehenduntur, neque firma tenentur, genera verò propter confusionem in se perfectè non discernuntur, quoniam, inquã, de speciebus scientia est, species vero sunt simplices, scientia quoque illarum est simplex, si modo scientia veritatis adeptio est. Veritas autem est rerum cum mentibus adæquatio. Neque nos turbet aut multitudo vocabulorum, aut cogitationum multiplicium varietas, ex quibus conflari scientia forte videtur. Præparationes quidem hæ sunt ad scientiam siue pedisequæ. Sciẽtia actus est vnicus, siue habitus, tactus, inquam, simplex simplicis formæ, indiuiduus indiuiduæ veritatis intuitus. Subitum intelligentiæ lumen. Sed ex hoc eorum error euidentius redarguitur, quod multæ sunt scientiæ de rebus proculdubio indiuiduis. Quis enim diuidat vnitatem? Quis item simplicitatem & puritatem? Quis diuidat esse ipsum simpliciter? Porro quicquid diuidimus, in partes diuidimus toto priores Hæc verò ex nullis partibus pręcedentibus componuntur. Hominẽ quippe in animal & rationale resoluimus, animal in corpus & sentiendi naturam, corpus in substantiam & quantitatem, substantiam in esse & sufficientiam subsistendi. Esse vero ipsum in quas partes resoluamus, ignoro, nisi forte in vnitatem & multitudinem Plotinus Proculusque resoluant: at vero vnitatem ipsam vlterius non resoluent. Nemo vnitatem resoluet in numeros, nemo punctum in magnitudines, nemo formam rei vltimam in aliam for-

mam, aut primam materiam in materiam, nullus denique simplices illos mentis nostræ conceptus, qui de scientiarum principiis semper intra nos lucent, in conceptus aut notiores referet aut priores. Vbi resolutio cessat, cessat diuisio, vbi diuisio desinit, perfecta simplicitas possidetur. quamobrem concludendum est, primos conceptus mentis simplices esse, & illa quæ inde noscuntur, partim talia esse, vt quamuis diuidi videantur, ea tamen ratione noscantur, qua minimè diuiduntur, ideoque notionem eorum esse indiuisibilem. Partim esse talia, vt penitus simplicia sint, & propterea simplicem esse eorum perceptionem, si modò intelligentia rebus intellectis æquatur. Si conceptus, notio, perceptio, simplices sunt, formæ quoque intelligibiles vnde nascuntur ista, sunt simplices. Si ita est, mens quoque est simplex, quæ simplicium est subiectum. Et quoniam quo quid simplicius est, eo est magis indissolubile, mensque summum simplicitatis attingit gradum, vt diximus, in cognoscendo summum quoque gradum naturæ indissolubilis assequitur in viuendo. Intelligentia enim est vitæ reflexio in seipsam. Ideo si per intelligentiam quæ vitam sequitur, simplicitatem summam attingit, quæ naturam antecedit indissolubilem, multo magis per vitam intelligentia priorem assequitur indissolubilem gradum simplicitate ipsa posteriorem.

Quinta ratio. Si mens est corpus, tangendo intelligit & currendo.

CAPVT V.

SI mens est corpus, aut forma diffusa per corporis magnitudinem, duo quædam in se habet, vt aliàs indicauimus, punctum videlicet, & latitudinem. Atque eisdem conditionibus mancipatur, quibus & corpus. Ideo non aliter res intelligendas comprehendet, quam tangendo illas, seque per illas amplificando, & instar corporis transcurrendo. Aut igitur tangere dicetur, puncto solum vt intelligat, aut sola latitudine, aut vtrisque. Si solo vtitur puncto, & ad cognoscendum indiget tactu, rerum magnitudines non cognoscet, quippe per punctum puncta attingit, non magnitudines: atqui etiam si attingeret, nunquam tamen totum aut totas eas agnosceret. Nam puncta in eo sunt infinita. Infinita quoque in magnitudine. Illorum omnium cumulus est intellectus, horum quodammodo cumulus est magnitudo. Infinita pertransire non licet. Ergo neque mens ipsa tota intelliget vnquã, neque totam intelliget magnitudinem. Igitur non solo vtitur puncto. Num sola vtitur latitudine ad tangendum? nequaquam. Sola namque illa cognosceret, quæ latitudine ipsa tanguntur. Hæc verò ea sunt tantum, quæ & ipsa latitudine distenduntur. Nunc autem præter hæc alia multa cognoscimus. Confugient ad hoc nonnulli, vt mentem confiteantur ambobus vti ad cognoscendum, puncto quidem ad simplicia, ad alia latitudine. Verisimile istud apparet, non tamen est verum. Primò quidem per punctum simplicia illa attinget solum quæ corpori applicantur vt punctum, formas verò solutas aut numeros non attinget. Deinde per latitudinem suam percurret totam cognoscendi corporis magnitudinem, vt intelligat totum. Non potest autem latitudo aliqua totum aliquod transcurrere spacium magnitudinis, nisi qualibet sui parte in longum quamlibet spatij illius percurrat partem. Ergo mens singulas ipsius partes cuique parti corporis cognoscendi discurrendo per ordinem admouebit, admouendo cognoscet. Admouebit autem partes quodammodo infinitas. Tot enim partes mens habebit, si latitudo corporalis extiterit. Itaque breui tempore quasi innumerabiliter quamlibet illius corporis portionem intelliget, & ipsum corpus secundum particulas penè infinitas innumerabiliter cognitas, infinitis (vt ita loquar) vicibus innumerè apprehendet. Sed hanc argumentationem nobili quadam Plotini nostri sententia breuiter concludamus. Quæcunque intelliguntur, aut sua natura simplicia sunt, aut saltem dum per resolutionem simplicia fiunt, intelliguntur. quia verò indiuidua solis indiuiduis capiuntur, vis illa in nobis quæ capit talia, est indiuidua. Si ergo mens esse dicitur corporalis, non tamen latitudine sua capiet illa, sed aliquo potius impartibili. Si solo hoc capit, solo intelligit. Solum igitur hoc eius impartibile re vera mens erit. Quid reliquis opus est partibus, vt sit intellectus? quando non opus est aliis ad intelligendũ, postquam vnum illud impartibile sufficit. Vnum igitur hoc mens est, hoc retine, segrega cætera, mentem simplicem es adeptus. Cuius simplicitas etiam hinc apparet, quod accipit sine longitudine punctum, sine latitudine lineam, superficiem sine profunditate, numeros absque situ, pulchritudinẽ sine turpitudinis mixtione. Sic enim seorsum ista discernit considerando,

neque considerat aliter quam accipiat. Forma verò corporalis non omnino sic accipit ista seorsum. Si animum esse simplicem indiuiduumque illud liquidò ostendit, quod simplicia & indiuidua comprehendit, multo liquidius hoc declarat, quod quæcunque secundum se simplicia vel indiuidua forent, & tamen quia cum aliis iunguntur, composita diuiduaque euadunt, animus segregat ab oppositis redditque simplicia prorsus & indiuidua. Non posset autem illis restituere simplicem indiuiduamque naturam, nisi ipse esset simplex & indiuiduus. Denique si infectis restituit puritatem, ipse est extra & super infectionem.

Sexta ratio. Intellectus accipit secundum se totum quicquid capit, quod non faciet, si fuerit corporalis.

CAPVT VI.

NVllum corpus aliquid in se continet, nisi per eam quantitatis adæquationem per quam se toto totam rem comprehendat, partem verò parte, atque maiore sui parte, maiorem rei contentæ partem, minore minorem. Intellectus non hoc pacto res ipsas capit, nam se toto capit quicquid accipit. Eodem quippe modo capit, quo intelligit: intelligit autem se toto quicquid intelligit. Nempe si quis dixerit intellectum duas partes corporales habere, quarum vna quidem capiat rem & intelligat, alia minime, redarguemus eum, asseuerantes intellectum re vera esse partem illam quæ rem capit atque intelligit, siquidem ab intelligendo dicitur intellectus, illam verò quæ non intelligit, intellectum non esse. Quapropter natura illa quæ re vera intellectus est se tota rem quamlibet intelligendam capit atque cognoscit. Quando ergo intelligit hominis corpus, intelligit & corporis illius membra, se toto cognoscit totum corpus humanum, se toto cognoscit quodlibet eius membrum. Nam qui membrum quodlibet ad quodlibet comparat, & membra quælibet ad totum refert; necesse est vt idem tam singula membra cognoscat, quam corpus totum. Neque duas ponere debes partes in intellectu, quarum vna vnum cognoscat membrum, altera alterum. Per neutram enim illarum posset illa comparatio fieri. Si vt cognoscit, ita & capit, se certe toto capit tam totum corpus, quam membra corporis singula Nullum verò corpus, nullaque forma corporea hoc pacto potest aliquid capere neque potest corpus vnum omnibus pariter æquari corporibus. Quomodo enim corpus canis corpori formicæ, equi elephantis, solis æquabitur? Mens autem corporibus omnibus tam maximis quam minimis pariter adæquatur, cum omnia intelligendo similiter comprehendat. Neque iis solum, verũ etiã quodãmodo sũmæ se ęquãt æqualitati, dum res omnes minus magisue æquales per accessum ad æqualitatem summam rectè metitur. Vbi mens inter res quaslibet æqualitat. ipsius participes & ipsam æqualitatem se inserit mediam. Quod si summæ æqualitati proximè adæquatur, nulla inæqualium qualitatum iniquitate pulsatur.

Septima ratio. Intellectus accipiendo rerum formas, non amittit suam, corpora contra.

CAPVT VII.

SOlent corpora quando corporum aliorum formas accipiunt, suas amittere. Quomodo enim aqua igneam caliditatem induet, nisi frigiditatem suam exuerit? Quod si quando aliena accepta, remanet etiam propria, fit imperfectior, vt quando remanet dulcedo in vino, etiam aqua illi infusa fit dulcis, sapor inde debilior. Mens autem rerum omnium accipit formas, dum omnes agnoscit, & cognitas in seipsa volutat, neque illas accipiendo, formam propriam amittit aut debilitat, quippe cum ex operatione semper cuiusque formæ habitus designetur, atque operatio intellectus intelligentia sit, sequitur vt forma intellectus sit ipsa (vt ita dixerim) intellectualitas naturalis, quæ tunc perfecta maximè iudicatur, quando operatio eius intelligentia perfectissima est. Hæc autem tanto est perfectior, quanto plures rerum formas attingit. Sublimior enim fit, velocior & lucidior. Quamobrem intellectus corporum omnium formas accipiendo, non modò non amittit aut non remittit suam, sed (quod est contra naturam corporis) summopere perficit. Penetrat eorum substantias, & cuncta in singulis conspicit, dum in simplicibus per compositionem videt mixta, in mixtis per resolutionem simplicia intuetur. Ergo mens ita esse videtur in omnibus, vt in singulis ipsa sit cuncta. Rursus est extra & supra omnia corporalia. Alioqui non posset hæc ab incorporeis secernere, & illa ab iis discernere. Si est in omnibus corporali-

bus, omnia, atque etiam extra omnia, omnibus imperat per naturam. Quapropter nullius corporis violentia è suo statu deiicitur.

Octaua ratio. Forma est in mente vniuersalis: Talis in corpore esse non potest.

CAPVT VIII.

Corpus & forma per corpus extensa, adeò (vt ita loquar) materialia sunt, ac particulari situi temporique astricta, vt vniuersalem vim nullam habeant. Quo enim quid corporali materiæ propinquat magis, eo angustius est, quo discedit longius, eo fit amplius. Quamobrem intellectus esset corpus, vel forma diffusa per ipsum, formæ omnes ab eo susceptæ, etiã si in seipsis essent vniuersales, in eo saltem particulares omnino materialesque euaderent. Nam formæ in subiecto quod est astrictum materiæ passionibus, nullam vim retinent ad vniuersale quicquam repræsentandum. Ita intellectus quicquid cogitaret, per formam materialem, singularibusque conditionibus astrictam excogitaret. Cum vera operatio rei cuiusque formam rei operantis sequatur, intellectus per talem formam operans, id est, excogitans, singulariter solum operaretur. qualis autem operatio est, tale semper est opus. Ideo intellectus singulariter cogitans, sola singularia cogitaret, neque cõmune quicquam & vniuersale cognosceret. Vnum quidem hominem, puta Socratem vel Platonem in se reuolueret, humanam vero naturam illis æquè communem minimè. Neque regulam in moribus & artibus ad plura vniuersalem statueret, neque legem conderet vnquam multos hominum actus respicientem. Si mens etiam sine electione & vsu quotidie in seipsa formas parit vniuersales, fit vt ipsa fons earum naturalis sit, & receptaculum naturale. Formæ huiusmodi propriæ alicui materiæ minime astringuntur, neque mens igitur materiæ alligatur, neque corrumpetur vnquam. Corruptio enim ex materiæ insidiis prouenit.

Nona ratio. Mentes se inuicem complectuntur, corpora nequaquam.

CAPVT IX.

Dvo corpora se inuicem mutuis amplexibus continere non possunt. Quod enim per quantitatem aliud continet, maius est illo quod continetur. Non potest autem vnum corpus alio quodam vno corpore amplius esse simul atque angustius. Sic Saturni sphæra Iouis sphæram ambit & continet, non econuerso. Alia vero mens aliam continet, & ab eadem pariter continetur. Mens quidem mea tuam considerat, tua meam. Itaque nostræ mentes se inuicem considerando, vicissim se capiunt, capiendo intelligunt, complectuntur intelligendo. Et (quod maius est) vna mens amplectitur omnes, quando mentium omnium naturam considerat. Quare si quæque mens mentem quamlibet intuetur, quod potest quidem, si animaduertat, quauis mente mens quælibet clauditur. Non potest autem quodlibet corpus quolibet corpore claudi. Si qualibet rerum species est immortalis, consequens est vt singularis substantia, quæ speciei suæ seipsam æquat, sit immortalis. Mens autem quælibet quaslibet (si contingat) introspicit, & in singulis cunctarum conspicit speciem, vbi suæ speciei per actum reflexum, qui cognitio est, se æquat. Ergo & per actum rectum, qui est vita, prius se æquauit eidem. Si ita est, sequitur vt vel quælibet mens semper fuerit, futuraue sit, sicut ipsa mentium species, vel saltem futura sit semper vt illa.

Decima ratio. Mens per omnia corpora operatur, & supra corpora.

CAPVT X.

Qvoniam forma operadi principium est, res quæque secundum genus agit, ex quo omnia prolem sibi similem, modo possint, in specie generant, vltra verò genus suum nihil agit. Sed neque etiam hæc inferiora vltra speciem operantur, (nunquam enim canis generat ouẽ) & multo minus aliquid supra suam speciẽ operantur. Nam quo pacto canis hominem procreabit? quo fit, vt corpus agendi vim suam nec vltra proprium genus, & multominus supra naturam suam possit extendere. Nunquam igitur attinget, assequetur, producet, aut quodlibet corpus aut incorporalia. Intellectus si corpus esset, certum quoddam corpus esset in specie aliqua corporũ. Ex hoc duo sequerenrentur absurda. Primũ, quod multorũ corporum formas neque susciperet. neq; conciperet Corporum quidẽ ipsius similium mas non caperet; quoniam iam haberet. Quomodo enim ignis formam alterius ignis accipiat? Dissimilium verò corpo-

rum formas nequaquam conciperet aut pareret, quælibet enim natura sibi simile parit. Ad hoc autem quod intelligat, oportet vt rei intelligendæ formam accipiat primum, deinde ex illa definitionem rei rationemue concipiat, tunc demum perficitur intellectio. Perpauca igitur corpora intellectus cognoscet, si corpus fuerit, cum nullius corporis similis accipiat formam, nullius dissimilis corporis formam concipiat, & intelligere nequeat, nisi & accipiat pariter & concipiat. Quod si quomodo geri possit, vt corporalem aliquam formam accipiat vel concipiat, profecto non aliter quam secundum naturam propriam hoc efficiet. Si accipiet aliunde formam, in naturam trahet suam. Si concipiet ex seipso, secundum naturam suam parturiet. Ergo per formam quamlibet ab ipso susceptam vel etiam conceptam, semper certam quandam speciem corporis sibi conuenientem & congruam apprehendet, neque corporalium generum diuersitatem considerabit. Nunc autem videmus mentem non modo quæcunque corpora sunt animaduertere, sed alia infinitè plura & varia prout libet effingere.

Secundum vero sequeretur absurdum, si intellectus esset corpus, quod videlicet ordinem corporum non transcenderet, cum corpora fermè nunquam vltra suam speciem, certe nunquam supra suum genus aliquid operentur. Mens igitur nunquam cognoscet incorporalia. Vtrum horum præstantius arbitraris? Substantiam ne an actionem? Substantiam certè, quæ ipsius actionis est causa. Cauendum itaque ne operationem aliquando substantia sublimiorem confiteamur. Esset autem mentis operatio sublimior quam substantia, si substantia quidem eius certum corpus esset solummodo, intelligentia verò eius & corpora quæque & incorporea comprehenderet. Quapropter non est corpus, quandoquidem vltra corpora quælibet apprehendit etiam incorporea. Atqui neque etiam est forma aliqua mixta corpori, nam forma mixta sicut per corporis diuisionem fit diuidua, sic fit, qualis per corporis qualitatem. Ideoque certam quandam mens sibi contraheret qualitatem à corpore, per quam ipsa ad certam speciem corporalium rerum determinata, certam speciem corporalium cognosceret solum, sicut visus per oculum ad colores contrahitur. Et formas simillimas non caperet, vt diximus, neque etiam dissimillimas. Atque hæc Aristotelis sententia est Platonicis comprobata. Sed addunt Platonici, quod mens si mixta esset, neque caperet incorporea, quia quod mixtum est, sincera non comprehendit, neque affectaret attingere aliquid à corpore separatum, alioquin affectaret à corpore separari atque dissolui. Neque aliter cognosceret quam moueatur, sicut materialis potentia solet. Nunc autem non vt mouetur, sed vt ipsa sibimet efficit species, sic abstrahit, discurrit, seque in se quasi absque fine reflectit. Neque obstrepat hic nostris auribus Epicureus aliquis, negans intellectum incorporalia capere. Sanè & cupit illa semper, & capit sola summa cum voluptate tanquam ipsi simillima. Neque solum illa cupit & capit, sed etiam procreat. Quid enim nos aliud modò in his disputationibus nitimur, nisi rem aliquam mentis nostræ (vt ita loquar) manibus fingere à corpore alienissimam? Quam finximus iam & fingimus, atque ijs ipsis mentis manibus attrectamus, & antequam effingeremus, prospeximus effingendam. Nempe cum primum statuimus animam monstrare incorporalem esse, videbamus iam aliquem alicubi incorporalis naturæ gradum, ad quem perducere animam volebamus. Quid quotidie facimus disputando? quoties esse rem aliquam asseueramus, quæ existat quidem, nullam verò habeat longitudinem, latitudinem, profunditatem, vel qualitatem aliquam, vel figuram, tunc certè spiritum quendam mente creamus supra corpus, & corporis passiones. Ibi profectò nostra mens est, vbi parit, parit inquam prolem sibi persimilem, nullo modo substantia sua sublimiorem. Igitur mens nostra corpora & conditiones corporum supereminet. Quamobrem neque loco clauditur, neque temporum limitibus circumscribitur. Vbique igitur esse potest, & semper. Idcirco nihil prohibet illam fore perpetuam.

Vndecima ratio. Mens statu proficit, corpus motu.

CAPVT XI.

NVnquam corpus formam nouam accipit, nisi per motum. Nam per alterationem (vt aiunt Physici) forma inducitur in materiam. Mens autem neque per motum accipit formas, neque accipiendo mouetur. Quæ quanto magis ab omni perturbationum & negotiorum motu quietem agit, tanto magis proficit speculando. Vbi etiam apparet eius æternitas, quia suapte natura solam speculationem

nem veritatis affectat, atque ideo statum, sine quo non perficitur speculatio. Proficit autem corpus motu, quod per motum natum est. Quod ergo stando proficit, ex statu dependet, ideoque stabilem habet substantiam, atque perpetuam.

Duodecima ratio. Quæ in materia sunt contraria, non sunt in mente contraria.

CAPVT XII.

FOrmæ contrariorum elementorum dum sunt in materia, contrariæ inter se sunt, quia pellunt se inuicem, & interimunt. In mente non sunt contrariæ, quia ibi non modo non pellunt se inuicem, sed & iuuant. Simul quidem nostra mens habet contrariorum elementorum formas, quando simul elementa considerat. Simul quoque comprehendit bona & mala, vtilia & inutilia, pulchra atque deformia, lucem & tenebras, vocem atque silentium, dulce & amarum, & reliqua, atque ex cognitione alterius contrarij sincerius iudicat alterum. Non igitur est corporea, neque etiam propriè corruptibilis. Quippe quod corrumpitur, vt plurimum corrumpitur à contrario. Quod autem esse potest menti contrarium, quæ tantam habet super contraria potestatem, vt ab ipsis auferat contrarietatem, & sua pace conciliet inimica? Neque rursus corruptibilis est, quod à suis conseruatoribus disiungatur. Nam si aliena & contraria alienis contrariisque conciliat, multo magis se suis tum causis tum seruatoribus admouet.

Duodecima ratio. Mens accipiendo formas non mutatur.

CAPVT XIII.

COrporis cuiusque forma quando verè ab alio corpore capitur, tale reddit omnino illud quod suscipit ipsam, quale est corpus illud à quo forma tribuitur, veluti quando flamma ignis à ligno suscipitur, lignum facit calidum atque igneum. Flamma verò illa in speculo longè distante resplendens, speculum non reddit calidum aut igneum, quia non verè ab illo suscipitur, cum propter distantiam ad veram ignis flammam non sit paratum. Imò verò nullo modo flammula illa, id est imago illa flammæ, cum spiritalis sit, in speculi copore figitur, sed in spiritali Solis lumine, quod ambit speculi superficiē. Fiunt autem huiusmodi rerum imagines non à corporibus his, quorum imagines sunt (corpus enim non procreat aliquid incorporeum) sed à lumine spiritali corporibus circumfuso.

Lumen quoque ipsum à Solis globo non nascitur, sed à Solis anima, cuius lux cum intra se sit inuisibilis, effusa longius fit inuisibilis, in qua ipsa quoque anima fit conspicua. Nam vt placet Orphicis, & Heraclito, lumen nihil aliud est nisi visibilis anima, vnde per hoc omnia reuiuiscunt, anima verò lux inuisibilis. Sed ne longius digrediamur, formæ vel imagines corporum non sunt in speculis. Mens autem corporum accipit omnium formas, quando de corporibus iudicat. Num accipit vere? Vere profecto. Nēpe vt accipit, ita iudicat, vere iudicat, vere igitur accipit, accipit à seipsa (vt Platonici opinātur) quādo corporum simulachris excitata, formas quæ in mentis abditis latent, promit in lucem. Accedit, quod vbi perfectior forma est, ibi est & verior, quanto verò perfectior sit forma corporum in mente quam in ipsis corporibus, & aliàs declarauimus, declarabimusque. Et hinc patet quod humana natura in Platone vel Socrate solius Platonis est, & solius Socratis propria. Humana autem natura illa, quæ mente concipitur, quando sub vna hominis definitione hominum conditiones considerat, ad singulos homines habet vim, siquidem omnes complectitur. Præterea si veritas rei cuiusque in pura integritate consistit, vel integra puritate, atque forma in materia vim suam integram non retinet propter passionis admixtionem, & extraneis accidentibus circumfunditur, verior res quæque inuenitur in mente, vbi rei ipsius idea naturaliter insita notionem rei parit, necessaria quidem includentem omnia, superuacua vero penitus excludentem. Mens igitur vsque adeo verè corporum capit formas, vt verius etiam eas habeat quam materia corporum. Igitur si ipsa sit aliquid corporale, talis reddetur omnino, qualia corpora. Fiet ergo aqua cum aquam intelliget, cum ignem intelliget, ignis. Et quia simul intelligit calorem atque frigus, fiet contraria simul. Nunc autem formas accipit omnium, neque è suo statu deiicitur, imò perficitur capiendo. Hinc apparet intellectum non esse corporeum. Apparet etiam non esse mortalem. Ille siquidem eo modo quo est, accipit quicquid accipit. Esse suum intellectuale est duntaxat. Non ergo acci-

pit quicquam aliter quam intelligendo. Per huiuſmodi ſuſceptionem non modo non deficit, ſed & proficit. Nihil ergo ſuſcipit aliunde, quod ipſum mutet & perdat, & quod maius eſt, tantum in omnibus formis ſuſcipiendis lucratur, vt lucrari etiam videatur in malis. Si tanto perfectior euadit, quanto cognoſcit plura, certè perfectior eſt ſi rerum priuationes, defectus & mala diſcernit, quam ſi ignoret. Quæ ergo in ſeipſis mala ſunt & noxia, in mente fiunt bona atque ſalubria, multum abeſt vt ea natura à malis noxiiſque rebus interimatur, quę ita mala conuertit in bona, vt ipſi bona ſint omnia.

Decima quarta ratio. Operatio corporis tendit ad rem compoſitam, mentis ad ſimplicia.

CAPVT XIV.

OPeratio cuiuſque rei eſſe ipſum rei ſemper ſequitur, ita vt illius ſit operatio, cuius & eſſe, & modus operandi idem ſit, qui & eſſendi, & opus ad quod terminatur operatio, ſit ſimile operanti. In rebus ex materia & forma corporali compoſitis, eſſe non eſt materię proprium aut formæ, ſed totius compoſiti ex vtrorumque coniunctione confecti. Igitur & compoſiti ipſius propriè operatio eſt, quare & modo compoſito operatur, & opus producit compoſitum, hoc in elementis, plantis, animalibus intuemur, quæ quidem opera compoſita ſicut ipſa ſunt, generat. Si intellectus corpus aliquod eſſet ex materia & forma compoſitum, cum eius operatio intelligentia ſit, hæc ipſa intelligentia ſemper ad aliquid compoſitum terminaretur, vnde nunquam aliud præter res compoſitas intelligeret.

Nunc verò noſtra mens vſque adeo naturalem excellit compoſitionem, vt corpora compoſita in materiam reſoluat & formam, & cogitet vtrumque ſeorſum. Vtrumque vero per ſe eſt ſimplex. Atque in hoc maxime excellentia eius aſpicitur, quod illa quæ in materia quodammodo falſa ſunt, tanquam vera comprehendit, ſicut figuras, & principia figurarum. quæ in materia ſunt impura, diſcernit vt pura. Qualitates enim quæ ſunt in materia mixtæ inuicem, & infectæ contrariis, ipſa ſecundum proprias diiudicat rationes. quæ in ſe multa ſunt, conſpicit tanquam vnum, ceu ſub vna ſpecie homines infinitos. quæ in ſe mobilia ſunt, tanquam ſtabilia ſpeculatur; quando temporis partes quæ in ſe ipſis fluunt, ſimul colligit, & præſenti annectit præteritum & futurum. Quæ in ſe diſtantia ſunt, tanquam vnita ſæpiſſime contuetur, quando totum orbem videt in puncto. Neque temporum interualla, neque locorum ſpacia mentis intuitum cohibent. Quæ (vt ita loquar) mortua tanquam viuentia. Siquidem lapides qui vita carent, mens viuos intra ſe poſſidet, quando ad primam à qua facti ſunt, comparat vitam. Quę corruptibilia tanquam perpetua, quando ſingula corpora quę loco ſubiiciuntur & tempori, mens intuitu ſuo à locis & temporibus eximit. Ex omnibus his colligitur, intellectum neque eſſe corporeum aliquid, cum longè aliter quam corpora operetur, neque eſſe impurum, infectum, diſperſum, mutabilem, corruptibilem, quippe cum illa etiam quæ talia ſunt, ſua quadam vi ab huiuſmodi liberet paſſionibus.

Decima quinta ratio. Actio mentis finitur in actione, actio corporis in corpore.

CAPVT XV.

NVllius corporis actio in ipſam actionem propriè deſinit, ſed in exteriorem tranſit materiam. Nam ſi in actionem deſineret, actio illa in operante reſtaret, vbi in ſeipſum operaretur, puta ignis ſeipſum calefaceret, Quod non poteſt à corpore fieri, quia ſi corpus non agit ex ſe, etiam non agit in ſe. Rurſus ſi quicquid corpus agit, mouendo agit, certè cum mouere ſe nequeant, in ſeipſum agere nequit. Videmus autem mentis operationem, ipſam ſcilicet intelligentiam, in ſeipſam deſinere, neque quicquam per ſe extrinſecus facere, niſi forte quandoque moueat voluntatem, quæ motis brachiis opus aliquod extra producat, quale fuerat cogitatum. Senſum autem dicimus quodammodo extra ſe fluere. quia aliunde mouetur, proſpicit aliena, externi finis gratia operatur, neque ſui ipſius eſt conſcius. Mens contra, mouetur liberè, ſe ſuaque inſpicit, ſui gratia operatur. Ideo eſſentia apud Platonem ſtatus dicitur, quia ſi ſine vita ſit, torpet. Vita motus, quia iam exit in actum. Mens reflexio, quia ſine hac vita in externum opus efflueret. Sed mens ſiſtit vitalem eſſentiæ motum in ſemetipſo, reflectit ipſum in eſſentiam quadam ſui ipſius animaduerſione. Trahit quoque cætera omnia ad ſeipſam, prout res potius vt ipſa mens eſt, quam vt res

extra existunt, considerat. Vocatur etiam reflexio infinita, quia in operationem suam non modo semel mens hominis terminatur, verum etiam innumerabiliter, cum se aliquid intelligere animaduertit, & quod animaduertat agnoscit, & cum aliquid velle se vult, & vult quod velit se velle, atque eadem ratione deinceps, vbi vel operatio alia in infinitum terminatur ad aliam, vel eadem in se replicatur innumerè. Hinc patet intellectum non solum esse incorporeum, sed etiam immortalem. Siquidem per seipsum operatione sua se format semper & perficit, semper intelligendo atque volendo. Hoc autem nihil est aliud quam seipsum vel facere, vel seruare, vel renouare continuè, quod quidem quotidianæ renouationis nomine Paulus Apostolus appellauit. Quo fit vt nũquam à suo perfectore vel seruatore desciscat & absit, cum nequeat abesse vnquam à semetipso, atque ideo formetur semper atque perficiatur. Quinetiam si naturalis generationis finis immortalitas quædam est, multo magis intellectualis generationis finis est immortalitas. Sed quia natura prolem extra se gignit, immortalitas eius expletur in successione nascentium. quia verò mens generat in se ipsa tum se, tum alia, quantum & sui & aliorum omnium concipit rationes, quando, aut se intelligit, aut alia, sequitur vt immortalitatis huius virtus in mente ipsa genitrice seruetur. Hic etiam latet argumentatio quædam huiusmodi. Præstantius est bene esse, quam simpliciter esse. Quisquis igitur bene esse sibi præbet, multo magis potest sibi esse se præbere. Intellectus sibi dare bene videtur, quando format perficitque seipsum tum speculatione, tum moribus. Quapropter esse quoque sibi potest secundum formam ita præstare, vt nunquam desinat esse. Mitto quod Proculus ait, animam, cum sit generationis principium, ita seipsam gignere atque viuificare, vt essentiam habeat à seipsa. Atque summatim de omni indiuisibili substantia in sua essentia existente, affirmat tum producere tum continere seipsam. De omni autem substantia diuisibili, etiam de ipso cœlo, dicit necessario aliunde produci atque contineri. Sed hoc ipse viderit. Latet præterea alia quædam talis argumentatio. Quando intellectus operationem suam primò, atque inde vim suam & substantiam comprehendit & amat, tunc proculdubio in seipsum agit. Igitur & per seipsum. Nihil enim inter intellectum, atque ipsummet medium interponitur. Adde quod quemadmodum corpus quia ex se non agit, ideo non operatur in se, sic intellectus quia in se operatur, idcirco ex se operari censetur. Si ex se in se agit, igitur & per seipsum. Si enim vtrique in eo actionis termini sunt, igitur & medium. Quid ergo prohibet intellectum à corpore separatum operari & viuere? præsertim cum operatio ipsius quæ ex se in seipsum per se expletur, necessariò fiat, & resideat in seipso? Sed hoc ita planius explicabitur. Si mentis operatio propriè in seipsam mentem finitur, mens ipsa quodammodo suæ operationis est finis. Idem vero est rei cuiusque finis, ac principium, cum omnia originem suam appetant, & tanquam sui motus finem sibi illam proponant. Igitur substantia mentis est operationis suæ principium, per se igitur operatur, quod Plato noster appellat per se moueri.

Vt operatur, ita viuit, vita enim est interior operatio, viuit itaque per seipsam, vt viuit, ita etiam est, nam vita est primus existentiæ actus. Est ergo similiter per seipsam. Quid impedit eam esse semper, quandoquidem sui ipsius est causa? Causa inquam non efficiens, sed formalis, cuius virtute esse tribuitur & seruatur. Qualitas & vita, cuius operatio omnis in alia effluit, necessariò secundum naturam suam quatuor ex partibus deficit. Primò, quia effluendo vacillat, alieno indiget sustentaculo. Secundo, diffluendo debilitatur. Tertio, dum influit aliis, ab extraneis inquinatur. Quarto, propter indigentiam, debilitatem, inquinationemque à natura sua quandoque defluere cogitur. Si ita est, sequitur vt rationalis vita quę relabitur in seipsam sustineat, non debilitetur, non inquinetur, non defluat. Meritò sicut vita quæ omnino profluere cogitur extra seipsam, dum discedit à vita, tendit consumiturque in mortem, sic vita quæ redundat in semetipsam, adolescit & consummatur in vitam. Denique si vberior motus, vitæ vberioris indicium est, vita rationalis quæ vniuersum motionum genus exercet, implet & terminat, vniuersum quoque genus implet viuendi, ideoque ipsi neque priuatio vitæ miscetur, neque conditio vlla obnoxia morti. Exercere autem ipsam omnes species motionum in corpore, implere motionum omnium exemplaria in seipsa, terminare motum omnem in seipsam, suumque principium per mentis ipsius reflexiones, aliàs declarauimus.

Decima sexta ratio. Forma corporalis non habet vim infinitam, mens habet.

CAPVT XVI.

Constat apud Physicos, formam corporalem, præsertim elementalem, esse usque adeo terminatam, vt nullo modo vim aliquam infinitam indefessamque possit habere, mens autem absque termino peruagatur, neque fatigatur vnquam. Principio in seipsa quasi est sine termino, intelligit enim seipsam. Ideo intellectio eius profecta ab ipsa mentis substantia, in eandem reuoluitur. Reuolutio infinitus est motus. Ad nullum enim terminum proficiscitur extrinsecus acquirendum, quo pacto quiescat, sed propriam ambit substantiam, sui ipsius auida. Sui verò ipsius auiditas nunquam extinguitur. Substantia igitur quæ suimet cupiditate cæpit semel sibi vndique fieri obuia, & circumeundo seipsam vndique contueri, eadem cupiditate perpetuo instigante, semetipsam perpetuo similiter pro arbitrio amplectetur. Motus igitur intellectus, quoniam orbicularis est, in seipsum circumuolutus, quatenus intellectualis est, est vtique sempiternus. Caret etiam fine, vt diximus, ob eam causam, quod infinitè intelligentia replicatur. Potest enim qui aut se aut aliud quoduis intelligit, sicut rem ipsam intelligit, sic suam intelligentiam intelligere, itemque aliam & aliam sine fine, dum & rem cognoscit, & quod cognoscat illam, animaduertit. Rursus, quod sic animaduertat, ipsum non latet, & similiter absque termino. Talem intelligentiæ cursum comitatur rationalis appetitio illa quã nuncupant voluntatem. Hæc sanè seipsam vult, aut quoduis aliud, & vult se velle, & rursus vult quod velit, similiterque deinceps. Quinetiam corpora diuidit in partes plurimas, partiumque particulas, numeros auget supra numeros absque fine. Figurarum modos, mutuasque illarum proportiones, atque etiam numerorum comparationes innumerabiles inuenit, lineam supra cœlum vltra terminum vndique protendit. Tempus in præteritum absque principio, in futurum absque fine producit. Neque solum vltra omne tempus aliud antiquius cogitat & prolixius, verum etiam vltra omnem locum alium semper cogitat ampliorem. Innumeros quoque effingit gradus in singulis qualitatibus. Accedit, quod non vno quodam rerum genere mens, sicuti sensus, contenta est. Non solis coloribus, vt visus, non solis vocibus, vt auditus, sed currit per omnia, Per omnia inquam, non modo quæ sunt, sed quæ fuerunt, eruntue. Neque id solum, sed per illa etiam quæ neque sunt, neque fuerunt vnquam aut erunt. Multa enim excogitat quę forte esse possent, non tamen fient vnquam, & multa quæ esse forsitan nunquam possunt, ipsa fingit. Quanquam non minus in rerum natura esse videntur, quæ mens per se pingit in seipsa, quam per linguam in aëre, vel per manum pingit in pariete. Nouas quoque semper rerum facies vi propria & quodam ordine fabricat, & rursus innouat alias. Nonne etiam postquã gradatim per mundi sphæras ascẽdit, gradatim quoque Angelos ita considerat, vt alium videat semper alio altiorem, neque tam sublimem reperit vnquam, quin possit aliũ vno saltem gradu, & alium rursus alio gradu inuenire maiorem? atq; id tamdiu facit, quandiu facit, quandiu finitum esse Angelum quẽque pronunciat, ex quolibet finito spiritu, inuenit alium altiorem. Atque ita sine termino progrederetur, nisi ipsamet sibi modum imponeret, concluderetque esse spiritum aliquem infinitum, qui omnem angelum, & qui esse, & qui cogitari potest, innumeris gradibus superet. Quis infinitè progreditur? Quis infinitum progressum quodammodo terminat? Quis terminum illum progrediendi infinitum assequitur? Mens certè hæc facit. Mentis igitur quodammodo infinita virtus est, quæ in eo quoque apparet, quod non modo reperit infinitum actum, qui Deus est, verum etiam potentiam infinitam, quæ est materia subdita Deo, atque ad innumerabiles formas inde capiendas idonea. Hinc etiam infinitam inuenimus generationis vicissitudinem, quæ potest per infinitum tempus ab actu infinito fundi in potentiã infinitam. Apparet rursus ex eo, quod vniuersales rerum rationes capit. Sub quolibet autem vniuersali seu specie siue genere innumerabilia continetur. Innumerabiles sub humana specie homines successione perpetua, itemque sub aliis infinita indiuidua colligit in vnam speciem, species multas in genus vnum, multa genera in vnam essentiam, essentiam vnam in diuinam vnitatem, veritatem, & bonitatem.

Vicissim ab hac vna gradatim descendit in multitudinem infinitam. Mira profecto virtus, quæ infinita reddit vnum, vnum reddit infinita. Huic fermè non proprius in natura gradus est vllus, quatenus sursum deorsumue penetrat omnes.

Non situs est proprius quatenus nusquam sistitur. Non certa (vt ita dicam) & terminata potestas, quatenus ad omnia æqualiter operatur. Illud quoque mihi videtur vim mentis (vt ita loquar) interminatam præ cæteris demonstrare, quod ipsam infinitatē esse inuenit, quidue sit & qualis, definit. Cum verò cognitio per quandam mentis cum rebus æquationem perficiatur, mens cognitæ infinitati, æquatur quodammodo. Infinitum verò oportet esse, quod æquatur infinitati. Ac si tempus quod successione quadam metitur motum, infinitum esse oportet, si modo motus fuerit infinitus, quanto magis infinitam esse oportet mentem, quę non modo motum tempusque stabili notione, sed infinitatem ipsam quoque metitur? Cum necesse sit mensuram ad id quod ipsa metitur, habere proportionem, finito verò ad infinitum sit nulla proportio. Idem quoque euidenter ex eo monstratur, quod à non esse considerando transit in esse, atque econuerso. Esse autem & non esse, immenso inter se discrepant interuallo. Immensam verò oportet esse virtutem, quæ spacium percurrit immensum. Currere autem illud quis negat? quando creationem quæ ex non esse fit ad esse, & interitum qui fit contrà, certissimis rationibus comprehendimus, atque vtriusque extremi naturam describimus, & ipsius esse communis vim intellectu consequimur, quæ rebus eius progressione nascentibus per innumerabiles essendi modos communicat. Denique vt summatim dicam, infinitam quodammodo esse in mente virtutem illud nobis testimonio esse poterit, quod fames corporis, sitisque, & somnus, citò & re paucula satiantur, mentis ardor nunquam extinguitur, siue humana respiciat, siue diuina. Si auet humana, quis diuitiarum cumulus, quæ imperij amplitudo hunc terminat? Si diuina, nulla rerum creatarum finitarumque scientia impletur. Merito quiescit nunquam, nisi infinitum Deum capiat, qui capacitatem eius ab ipso manantem impleat infinitam. Quæ si finita esset, aliqua re finita vel impleretur, vel saltem sitis eius vtrumque leuaretur. Nunc verò per quorumlibet finitorum adeptionem non modo non extinguitur, sed flagrat ardentius, quoniam quo magis plura capiendo, Deo infinito quadam præparatione propinquat, eo ardet magis igni suo facta propinquior, atque eo currit rapacius infinito sui motus fini iam proxima. Quod & ignis elementum facit, quando in propriam sphæram se recipit.

Facit idem lapis etiā manifestius, quando descendit ab alto, qui quo terræ fit propinquior, eo vehementius defertur in terram. Quis dixerit mentem elementale corpus esse, vel corporale quicquam, si vim possidet infinitam? Vim, inquam, tum perseuerandi & capiendi, tum ambiendi, percurrendique, siue seipsa hanc habeat, siue (vt verius loquar) quadam amplificatione diuina. Quatenus videlicet absoluta infinitas Dei mentibus animabusque proximè ab ipsa pendentibus, intellectualem vitalemque infinitatem inserit, seruatque continuè, atque in infinito principio ad finem reuocat infinitum. Si enim solet vbique ab absoluta qualitate manare similis aliqua communicata qualitas, quid mirum ab absoluta infinitate talem quandam alicubi aut talem infinitatem effluere? Imprimis autem in mentes & animas, per quas Platonici putant in mundo quoque temporis generationisque successionem procedere infinitam. quis igitur adeò demens erit, vt velit mentem habituram esse aliquem in perduratione sua terminum, cum in virtute saltem adeo amplificata & operatione non habeat? quasi possit habere extra se terminum, quem in seipsa non habet. Si vita origine antecedit intelligentiam, & intelligentia precio vitam excedit, atque humanus animus tanta est dignitate donatus, vt concessa sibi fuerit infinita quodammodo virtus intelligendi ac volendi, multo prius magisque concessa eidem fuisse debet virtus infinita viuendi.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM, EODEM FICINO AVTHORE,

LIBER IX.

Probatur per rationalem virtutem, animam non modo esse formam indiuiduam, verùm etiam à corpore non pendere, vt euidentius immortalitas demonstretur. Prima ratio, quia mens reflectitur in seipsam.

CAPVT PRIMVM.



HACTENVS probauimus per virtutem rationalem animam esse formam indiuiduam, immortalemque. Deinceps probandum est eam à corpore non pẽdere, vnde propriè concluditur immortalitas. Res diuisibiles in seipsas minimè reflectuntur. At si quis dixerit rem aliquam diuisibilem in se reuolui, sic statim interrogabimus. Vtrum pars huius rei alia vertatur in aliam, an pars in totam, an tota in partem, an tota potius in ipsam totam? Si datur primũ, non aliquid idem vertitur in seipsum, cum inter se diuersæ sint partes. Si secundum conceditur, aut tertium, sequitur idem. Alii enim pars est aliud totum. Solus restare videtur modus quartus, quod totum vertatur in totum hoc non aliter fit quam si omnes partes vertantur in omnes. Esto. Tandem nos conuersione huiusmodi facta quæremus, vtrum pars aliqua in re remaneat extra aliam, vel ab alia discrepans, an nulla. Si remaneat, alia pars in hoc erit situ vel modo, in illo alia, atque ita in se inuicem conuersę nondum erunt. Sin nulla certè nulla in ea re pars distabit discrepabituè apertè. Quod tale est, indiuiduum est omnino, ita vt neque ex partibus quantitatis, neque ex materia & forma constituatur. Itaque aut non reflectitur res aliqua in seipsam, aut si reflectitur, est indiuidua. Animam in se reuolui modis quatuor aliàs diximus; scilicet per intellectum in naturam suam, quando quærit, inuenit, consideratque seipsam. Per voluntatem in naturam eandẽ quãdo se affectat & amat. Per intellectum in actum ipsum intelligendi, quando & rem intelligit & se intelligit intelligere. Per voluntatem in voluntatis actum, quando & vult aliquid, & vult se velle. Atque has rotas quatuor Plato animæ currui tribuit, & hunc esse fontem illum quadruplicem arbitror naturæ perpetuæ, quem Pythagoras inquit animæ hominum ab Ioue tributum. Si nulla res diuidua remeat in seipsam, profectò nostra hæc quadriga rationalis quæ per rotas quatuor in se recurrit, atque ipse fons intimus qui per quatuor gurgites refluit in seipsum, simplex est, & prorsus indiuisibilis. Huiusmodi verò conuersio non est à corpore ad corpus, sed ab anima ad animam quæ ex multis aliis supra, & hic ex eo probata est indiuisibilis esse, quod in se redeat. Quapropter conuersio talis à corpore libera est, cum neque exordiatur ab ipso, neque in ipsum regrediatur. Multo magis animæ substantia libera est à corpore, si conuersio quæ eius est motus est à corpore libera. Itaque rationalis anima nullo modo pendet ex corpore in essendo, sicut neq; in mouendo & operando. Itẽ si per operationẽ in se reflectitur, reflectitur etiam per essentiam. Ita es-

ſentia animæ in ſe conuertitur. Quo autem cuiuſque rei conuerſio fit, illinc eſt & profectio, atque contra. Igitur ex ſe anima, quæ in ſe vertitur. Ex ſe inquam, tribus præcipuè modis. Primo ſecundum formam, quia per formam aliam non formatur, alioquin non ad ſe, ſed ad illam recurreret. Deinde ſecundum fundamentum, quia non ſuſtinetur ab alio. Non enim innititur alteri forma hæc, quæ ſibimet innititur, quãdo adnititur ad ſeipſam. Tertio ſecundum ſimplicitatem, quia non conſtat ex partibus. Nam quo pacto explicatur ea forma per partium ſuperficiem, quæ in ſuum centrum penitus replicatur? quod ita eſt ex ſe, eſt ſemper quoniam quod deſinit eſſe, id aut quia à cauſa formatrice derelinquitur, aut quia à fundamento deſeritur, aut quia diſſoluitur in partes, eſſe deſinit. Quod verò ad ſeipſum conuertitur, quia indiuiduum eſt, non diſſoluitur, quia ſui ipſius eſt forma, à formatrice cauſa non relinquitur, quia in ſeipſo manet, nunquam à fundamento deſeritur.

Secunda ratio. Mens quo magis ſeparatur à corpore, eo melius ſe habet.

CAPVT II.

SI anima originem vllam à corpore traheret, quanto coniunctius hæreret corpori, tanto melius ſe haberet. quælibet enim res ab origine ſua ſeruatur atque perficitur. Nunc vero contra contingit. Præſtantiſſimæ animæ partes ſunt intellectus atque voluntas, quando circa corporalia occupamur, intellectus aut nihil cernit omnino, aut non ſincerè diſcernit, ſenſibus & phantaſia deceptus, voluntas affligitur, dum multis inde vexatur curis. Contra, quando corporalia deſpicit, & ſopitis ſenſibus expulſiſque phantaſmatum nubibus animus per ſe aliquid ſpeculatur, tunc intellectus ſincere diſcernit, claretque maximè, quod etiam in his apparet, qui per ſomni quietem aut aliam quamuis alienationem à corpore, vaticinantur. Ideo nonnulli (vt in Critone & Apologia inquit Plato) prope mortem cum ſunt, futura prædicunt, quaſi tunc illa videant in ſupernis numinibus præſcripta, quibus ſuapte natura iungitur animus, modo non impediatur à corpore. Vnde Socrates tractus à falſis accuſatoribus in iudicium, primo prædixit iudicibus futuram pœnitentiam, accuſatoribus ruinam, ciuitati ſeditionem, deinde in carcere mortis ſuæ diẽ præſignauit, monſtratum ſibi à numine per quietem. Item Theramenes cum eſſet coniectus in carcerem, biberetque venenum, Critiæ aduerſario ſuo proximam mortem eſt auguratus, quæ breui conſecuta eſt. Rhodius quidam moriens (vt ſcribit Poſſidonius Stoicus) ſex æquales nominauit, dixitque qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinceps moriturus eſſet. Scribit & Ariſtoteles, Eudemum Cyprium familiarem ſuum cum veniſſet Phæras Theſſaliæ oppidum, grauiter ægrotaſſe, eique viſum in quiete egregia facie iuuenem, qui diceret fore vt breui conualeſceret, paucíſque diebus Alexander oppidi illius tyrannus interiret, ipſeque Eudemus quinquennio poſt domum rediret, paulo poſt conualuiſſe illum, tyrannum fuiſſe interemptum, Eudemum peracto quinquennio obiiſſe, atque ita eius animam in patriam remeaſſe. Nonne Calanus Indus iam moriturus etiam Alexandro regi mortem prænunciauit? Et Pherecides Syrus moriens Epheſiis victoriam contra Magneſios vaticinatus eſt. Leguntur alia multa generis eiuſdem.

Non ſolum vero intellectus, dum ſeorſum à corporis contagione viuimus, cernit multa perſpicuè, ſed & voluntas impletur, neque perturbationibus vllis affligitur, ſed diuinis gaudet ſummopere tanquam ſibi ſimillimis. Hinc ſequitur non eſſe corpus originem animi, ſi quo longius animus diſcedit ab illo, eo ſe perfectius habet. Sequitur & hoc, ſi quanto magis mens in hoc corpus immergitur, tanto deficit magis, & quo diſcedit longius, eo magis & proficit, tunc fore perfectiſſimam mentem, quando penitus ab hoc corpore euolauerit. Non eſt autem inde interitus, vnde ſumma perfectio, ſed integra vita, vſque adeo vt ſit perpetua. qua enim mutatione animus vnquam deficiet, quando non perit exeundo è corpore, qua nulla ipſi maior poteſt eſſe mutatio?

Tertia ratio. Mens repugnat corpori.

CAPVT III.

NVlla res ſponte ſua poteſt ſuæ origini repugnare, alioqui ſponte ad ſui ipſius ferretur interitum, qui neceſſario ſequitur origine perdita. Quinetiam quicquid effectus aliquis operatur, ſuæ originis vi & auxilio facit. Si ergo aduerſus cauſam pugnaret, in ea colluctatione cauſa illa ſibi ipſi aduerſaretur. Anima repugnat aduerſaturque corpori noſtro, imo cor-

poribus omnibus. Igitur à nullo corpore ducit originem. Duo præcipua sunt illius officia, speculari, & consultare. In vtroque repugnat corporibus, Primum videamus quomodo repugnat in speculando. Multis quotidie modis externa corpora variè disposita, nostri corporis instrumenta sensibus assignata ita mouent, vt ad tempus fallant, quam fallaciam emendat & corrigit ratio, vt aliàs diffusius enarrauimus, vbi ratio aliter iudicat quam aut externum corpus annuat, aut corpus proprium nunciet, ac sæpe iudicat modo contrario, qua in re tam sui corporis quam aliorum damnat affectionem. Mittamus in præsentia cæterarum rerum speculationes, accipiamus summam summi contemplationem, vt cognoscamus quantum in ea mens naturam redarguat corporalem. Phantasia sensus externos sequitur, sensus, corporis sui aliorumque corporum dispositionem. Quapropter sensuum & phantasiæ iudicium, corporum dispositioni tribuimus, dicimusque ipsum secundum affectionem fieri corporalem. Quando animus noster, quid Deus sit, cupiens inuenire, à magistris huiusmodi sciscitatur, phantasia pręceptor & faber nimium temerarius statuam aliquam machinatur ex quinque materiis quas aliarum omnium pulcherrimas externi sensus ipsi obtulerint, acceptas à mundo, eo tamen pacto, vt materias illas excellentiores reddat quodammodo, quam à mundo per sensus acceperit. Offert igitur phantasia nobis lumen adeo clarum, vt nullum aliud videri possit fulgentius. Adeo ingens, vt nullum amplius, ac ferme per immensum inane diffusum, quod innumerabilibus sit coloribus exornatum, & in circulum reuoluatur, ob quam reuolutionem dulcissimis resonet modulis tam implentibus quam demulcentibus aures. Iucundissimis redoleat odoribus. Saporibus quoque omnibus abundet, qui possint effingi omnium suauissimi. Tactu molle mirum in modum, delicatum, lene, & temperatum. Hunc esse Deum prædicat phantasia. Nihil dat nobis pulchrius mundi corpus. Nihil corporeus sensus aut attingit melius, aut nunciat excellentius. Nihil amica sensuum phantasia effingit sublimius. Sed ratio interim è summa mentis specula despiciens phantasiæ ludos, ita proclamat. Caue animula, caue inanis istius sophistæ pręstigias. Deum quæris? Accipe lumen tanto clarius lumine Solis, quanto lumen Solis est lucidius tenebris, ad quod si Solis lumen comparetur, etiam si millies milliesque clarius sit, esse videatur vmbra. Atque etiam tanto subtilius accipe, vt aciem visus effugiat. Neque ipsum per inane diffundas, ne partibus constet, atque ita sustentatione indigeat partium, ac loco. Collige totum (si potes, in punctum, vt ex hac infinita vnione infinitè sit potens. Sit deinde (si lubet) vbique præsens, non sparsum loco, sed integrum loco, cuilibet adstans, neque colorum multiplici varietate inficiatur. Splendidius enim est lumen purum, quam coloratum lumen, neque voluatur aut sonet, nolo enim moueri illud vel collidi vel frangi. Et statum esse arbitror motu perfectiorem. Auferas quoque odores, sapores, mollitiemque tractabilem, ne crassiori sit natura compositum. Hic fulget quod non capit locus. Hic sonat quod non rapit tempus. Hic olet quod non spargit flatus. Hic sapit quod non minuit edacitas. Hic hæret quod facietas non diuellit. Dei faciem rursum intueri desideras? Mundum conspice vniuersum Solis lumine plenum. Lumen conspice in materia mundi plenum omnibus rerum omnium formis, atque volubile. Subtrahe quæso materiam lumini, relinque cætera, subitò habes animam, incorporeum videlicet lumen, omniforme, mutabile. Deme rursus lumini huic animali mutationem, es iam intellectum Angelicum consecuta, incorporeum scilicet lumen, omniforme, inuariabile.

Detrahe huic eam diuersitatē per quam forma quęlibet diuersa est à lumine, & aliunde infusa est lumini, ita vt eadem luminis & formæ cuiuslibet essentia sit, atque ipsum lumen sese formet, perque formas suas formet omnia.

Lumen hoc infinite lucet, quia natura lucet sua, neque alterius mixtione inficitur vel contrahitur, per omnia est, quia in nullo, in nullo est, vt abunde per omnia fulgeat, viuit ex se, & vitam præstat cunctis, quandoquidem vmbra eius, qualis est lux ista Solis, sola in corporibus est viuifica, sentit quęlibet, sensumque largitur, si vmbra eius sensus omnibus excitat. Amat denique singula, si maxime sua sunt singula. Ergo quid Solis est lumen? vmbra Dei. Ergo quid Deus est? Sol. Solis lumen est Deus in corpore mundi. Deus est Sol super Angelicos intellectus. Hic tuus est, ô anima, hic tuus est Deus. Huius vmbram tibi ostenderat phantasia, talis vmbra Dei est. vt sensibilium pulcherrima sit. qualem esse Dei lucem existimas? Si tantum Dei lucet vmbra, quantum lux Dei fulget? Amas lucem Solis vbique præ cæteris, imò

ſolam. Ama Deum ſolum, ſolam ô anima lucem. Infinitam benefici Dei lucem infinitè ama. Fulgebis iam, & oblectaberis infinitè. Quære igitur obſecro faciem eius, & gaudebis in æuum. Sed ne mouearis precor vt eam tangas, quia ſtabilitas ipſa eſt, ne diſtraharis per varia vt apprehendas, quia vnitas ipſa eſt. Siſte motum, collige multitudinem, Deum protinus aſſequeris, iam diu te penitus aſſecutum. In hac indagatione, proh Deus immortalis, quantum repugnat mens cunctis corporibus, quantum diſperdit eorum imagines & fallacias? quantum damnat phantaſiam, ſenſuſque comites corporũ? Profectò ipſa ſicut per ſe eſt ſubſtantia, nullam à corpore vllo ducens originem, ita per ſe agit quandoque proprium opus, abſque vllo corporum adminiculo, imò verò (quod eſt mirabilius) contra quælibet corporum machinamenta. Hæc certè nunquam operando ſe ab omni ſecerneret labe corporea, niſi multo magis in eſſentia ab omni corporea ſtirpe eſſet alieniſſima. Et quia non poteſt per vim aliquam corporis vniuerſæ naturæ corporum repugnare (non enim ſurgit particula ſupra totũ) ſequitur vt per vim propriam in præſenti agat abſque ſubſidio corporalium, ideoque multo magis in poſterum id poſſit efficere. Quomodo repugnat mens corpori ſpeculando, ſatis iam diximus. Dicamus deinceps quantum in conſultando. Sæpe eſuriente ſtomacho, vel ſitiente pulmone, ſiue per ſomnum cerebro graueſcente, ſiue genitalibus membris ſemine tumeſcentibus, ſenſus corporis comes, ad cibum, potum, ſomnum inuitat, & coitum. Incitat, inquam, vel potius corporis incitamenta nunciat animo. Ratio vero contemplationis honeſtatiſue gratia ab iis iudicat abſtinendum, & vt lubet, ſæpe numero abſtinemus. quando infertur contumelia vel iniuria, circa præcordia ſanguis ad vindictam accenditur. Tunc vis animæ motrix, comes, hoſpeſque corporis, pedes & manus mouet ad vlciſcendum, ratio nonnunquam pacis & ocij cauſa ſiſtere iubet & cohibet. Obiectis ſæpe periculis cor trepidat, ſed occurrere prælio ratio præcipit tutandæ patriæ cauſa, vnde inuito etiam corde itur in hoſtes. Fines autem ad quos ratio ita deliberat, incorporei ſunt, veritas ſcilicet & honeſtas. Cum Plato noſter vir cœleſtis domandi corporis gratia academiam inſalubrem Atticæ locum habitandam elegit, nonne animus eius corporis naturæ aduerſabatur? Cum Xenocrates dilectus Platonis diſcipulus, & Origenes eorum ſectator, exuſſerunt ſibi virilia, quo libidinis incendia prorſus extinguerent, nonne inuictus animus bellum membris corporis indicebat? Ante hos Magi Perſarum, Ægyptij ſacerdotes, Pythagorici Philoſophi, vt Venerem eneruarent, mero & carnibus abſtinebant. Mitto Priſcos illos ſacerdotes magnæ Matri conſecratos aut Saturno. Illi caſtrabant ſe, iſti ſe excarnificabant. Mitto primitias Chriſtianorum, quibus nihil fortius, nihil mirabilius vnquam vidit mundus. quapropter nemo nobis obiiciat vel paucos olim fuiſſe, vel eſſe hodie pauciſſimos, qui corporis reſiſtant affectibus, imò vero reſiſtimus omnes quotidie, alij ſanitatis, alij honoris, alij pacis, alij iuſtitiæ, contemplationis Dei, beatitudinis gratia. Ac etiam ſi nunquam corporis impetus frangeremus, ſatis tamen eſſet pugna ipſa quæ eſt in nobis continua, ad oſtendendum animam corpori repugnare. Si nulla in nobis alia eſſet natura quam corporea, ſtatim cum corporis affectio ad aliquid traheret, prorueremus vt bruta, neque penſi quicquam haberemus, conſultaremuſue, nunquid eſſet illud ad quod allicit corpus efficiendum. Nihil enim ſecum pugnat. Semper tamen ferme in nobis ex pugna illata nobis à corpore toto. Eſt igitur in nobis aliquid præter ipſum, ab eius ſtirpe ſemotum. Semotum, inquam, tum ab omni humorum elementorumque natura, quo cunctis horum inclinationibus poſſit obſiſtere, eaſque cogitatione & affectu tranſcendere, tum etiam ab omni natura cœleſti ab ipſo cœlo humoribus his infuſa, ad eorumque perducta proprietatem. Quo etiam cœleſtibus inclinationibus quandoque valeat aduerſari, quod Aſtrologi nobis ipſi concedunt, atque ſubſtantiam quandam cœlo longè præſtantiorem excogitare ſemper & colere. Mitto quod quicquid per corpoream mobilemque cœli virtutem efficitur, & corporeum eſt, & penitus mobile, neque poteſt corpoream mobilemque naturam exuperare. Quapropter animus tum ab elementali tum à cœleſti natura elementis infuſa ſeorſum viuere poteſt. Quod ſi quis Platonicorum dicat eum in cœleſti vehiculo ſemper eſſe, reſpondebimus, non animum à vehiculo, ſed vehiculum ab animo dependere, ſempiternumque animum apud Platonicos ſempiternum vehiculum ſemper viuificare. Sed ad inſtitutum ordinem redeamus. Neque nos turbet quod anima ſæpe obſequitur corpori, quia non vi obſequitur, ſed amore quo corpori per ip-

sam viuenti tanquam filio & suo operi afficitur. Mater filium tanquam suum opus amat, filius paruulus cibum præter modum cupit, abstinere iubet mater, tacet inde quiescitque puer, si bene fuerit educatus, sin male, clamat, domumque perturbat, miseretur plangentis filij mater, quem amat nimium, nondum tamen vt cibum capiat assentitur, nisi secum ipsa prius consultando iudicet, posse illum gustare aliquid absque corporis detrimento, aut si quid damni illatum fuerit, per medicinam facile posse succurri. Tunc demum cibum accipit natus. Non cogitur mater à filio paruulo, sed operis sui dilectio matrem allicit vt filio obsequatur. Obtemperat tandem prout censet obtemperandum. Iudicat autem sæpe verè, quandoque fallitur, quia obtemperandi nimium cupida non satis diligenter euentus examinat. Eadem est animæ ad corpus similitudo. Proinde si naturale esset animam succumbere corpori, omnis anima ac semper sensibus cederet. Quoniam verò resistit sæpe numero consultando, si quando consentit, non natura vel violentia obsequitur, sed amore, quo summa vis animæ afficitur mediæ, media infimæ, infima vitali complexioni, vitalis complexio corpori. Siquidem Platonici putant ab animę rationalis substantia tanquam à Sole effundi vitam corporis irrationalem tanquam lumen illamque erga hanc affici quasi erga prolem. Ad quam prolem suscipiendam corpus (vt Timæus docet) per cœlestes animas disponatur. Quid vero dicemus ad illud, quãdo animus aliquis suum corpus interimit, siue consilio, siue indignatione, seu metu id faciat, vel dolore? Quomodo id vnquã aggredietur, si corpus animi esset origo, cum non possit appetitus aliquis in natura contra ipsammet insurgere? Nullum brutum sponte seipsum interimit, quia non potest in eorum animam à corpore pullulantem stimulus aliquis contra corpus oriri. Homo autem licet sit prudentius animal, tamen id sæpe facit, vaticinans (vt arbitror) se super fore post corpus, ac se potius corporis sarcina exonerare, quam perdere.

Quarta ratio. Anima liberè operatur.

CAPVT IV.

Maximè verò non oriri vllo modo ex corpore hominis animam cognoscemus, si quam liberum sit in ea arbitrium, ratione propria comprehenderimus. Nam quod corpori cuius natura determinata est, alligatur, operationem habere non potest liberam & solutam. Profectò à communi aliqua cõsideratione nulla prouenit actio, nisi intercedat aliqua particularis existimatio, quia motus actionesque circa particularia fiunt, ceu cum quis communiter considerat exercitationem corporis vtilem esse, licet ita consideret, nondum tamen exercetur, nisi consultet prius quot sint exercitationis modi, & qui magis conducant. At quando vnam quandam particularem exercitationem præ multis elegerit, tunc opus aggreditur.

Si deãbulationẽ, deãbulat, si equitationẽ, equitat. Intellectus natura sua in vniuersalium rationum conceptione versatur. quapropter vt ex eius apprehẽsione aliq; proueniat actio, oportet vniuersalẽ eius conceptionem ad particularia quædam deduci. Vniuersalis autem notio vi sua multa, imò infinita singularia continet, vt exercendi commune genus modos exercitationis innumerabiles. Igitur potest vniuersalis illa notio ad diuersa pariter singularia deriuari. Deriuationem huiusmodi sequitur iudicium de agendis. Diuersum igitur sequi potest iudicium. Itaque iudicium intellectus de rebus agendis non est natura sua ad aliquid vnum determinatũ. Est igitur liberum. Iudicij siquidem libertate ideo carent aliqua, quia nullum habent iudicium, vt plantæ. Aliqua quia licet habeant, habent tamen à natura ad vnum aliquid determinatum, vt bruta. Naturali enim existimatione iudicat ouis lupum sibi perniciosum, ac fugit, neque potest non fugere, impellente natura. Naturali instinctu feruntur hirundines ad nidũ conficiendum, apes ad aluearia, ad telas araneæ. Ideo omnes eiusdem speciei animantes, eodem modo sua fabricant semper, neque discunt aliquando, neque variant vnquam, quia species naturalis qua ducuntur, ab initio inest, atque eadem permanet. Homines autem & discunt, & opera sua variant semper, vnam tamen ab initio naturam habent. Non igitur natura trahuntur ad agendum, sed ipsi suo consilio alias aliter seipsos agunt. Vnde enim contingere id putamus, quod arbores bestiæque in suis quibusdam motibus, artibus, electionibusque nunquam aberrant, homo verò sæpissime? Non quidem ex eo quod intellectus insit illis perfectior, quibus nec intellectus quidem inest vllus, sed quia ab intellectu diuino nunquam errante trahuntur, homo vero à suo, qui errare

potest, ducitur. Qui etiam siquando ab actionibus propriis ocium agit ad tempus, tunc ipse quoque à Deo ducitur, neque errat, quod ex vaticiniis & miraculis declaratur. Ac si semper duceretur, sicut alia, tanto minus erraret quam illa, quanto perfectius est instrumentum. Rursus si alia se ipsa ducerent sicut homo, tanto magis errarent quanto minus perfectam sortita sunt speciem. Cum igitur homo iudicium de rebus agendis non habeat, à natura ad vnum determinatum, est necessariò liber. quod autem iudicet liberè ex eo cõiicimus, quod seipsum ducit ad iudicandum. Quod seipsum ducat, ex eo quod in iudicium suum se reflectit. Quod se reflectat, ex eo quod se iudicare cognoscit, iudiciumque definit. Quam quidem libertatem intellectus ipsius virtute sortitur. Intellectus enim non modò hoc aut illud apprehendit bonum, sed ipsum commune bonum. quoniam verò intellectus per apprehensam à se formam mouet voluntatem, atque in omnibus motor & mobile proportione inuicem congruunt, voluntas rationalis non est à natura determinata nisi ad ipsum commune bonum. Sub ipso autem communi bono bona singula continentur. quicquid igitur voluntati officitur vt bonum, potest in illud inclinari voluntas, nulla inclinatione naturali in contrarium prohibente. quod quidem significatur per ea quæ supra diximus, quod multa eligit contra naturæ corporalis vsũ & voluptatem. Præscribit sibi vitæ ordinem sæpissimè corpori noxium, odit corpus, extenuat, enecat, quod nunquam bestiæ faciunt, quarum omnis impetus actioque seruit corporis vsui. Operæ precium est considerare, quædam à Philosophis necessaria, quædam impossibilia, quædam media scilicet possibilia nuncupari. Et possibilia quædam vt plurimum euenire, quædam rarius, quędam verò ęqualiter fermè contingere. Hunc ordinem vniuerso congruere potissimum arbitrantur. Affirmant rursus alia quidem naturalia, alia verè voluntaria esse. Addunt insuper, nusquam fore potentiam vllam ad vtrunque contingentium æqualiter se habentem, nisi voluntariis agentibus insit. Naturalia enim agentia potius esse determinata quam voluntaria. Denique naturalia speciei cuiuscunque officia probant vana esse non posse, officium autem hominis esse consiliũ. Frustra tamen illic ad opposita consultari, vbi nequeat alterutrum prout coniectura designat, eligi atque tractari.

Præcipuè verò ex hoc inuenietur animi nostri libertas, si planius quomodo moueantur bestiarũ animæ, videamus. Quãdo animal brutum esurit, si cibus suus oculis eius offertur, eius anima iudicat pabulum tale sibi fore conueniens, appetitus cupit, mouetque, ad ipsum membra. Quærimus vnde sit motus ille membrorum. Proculdubio est ab appetitu. Appetitionis motus vnde? A iudicio. Ex eo enim quod cibum conuenire sibi iudicauit, illico concupiuit. Vnde iudicium? A forma tali vel tali cibi ipsius oculis apparente, & ab interna talis corporis egestate. Quoties enim tale corpus esurit, & pomum tale monstratur aspectui, totiens anima illa conuenire sibi illud iudicat, atque appetit.

Cernis motus illius principium non esse in anima, sed in corpore. In corpore, inquam, pabuli sic dispositi, & corpore bruti sic affecto. Itaque non proprie anima illa ducit corpus, neque propriè ex seipsa mouetur, sed tam cibi quam sui corporis natura trahit illam, ad cuius tractum membra etiam rapiuntur. Cuius rei signa quatuor afferemus. Primum, quod tali quodam cibo monstrato, & sic affecto corpore, statim ita iudicat & appetit anima, neque postquam pabuli figuram aspexit, tempus aliquod vel breuissimum differt iudicium & cupidinem; quasi anima illa penè nihil ex sua virtute in medium afferat, sed posita illa iudicij causa, statim iudicandi sequatur effectus. Nec iniuria. Forma enim agendi principium est, vt ignis calor calefaciendi principium. Formarum verò aliqua est à natura impressa, vt igni calor & leuitas, aliqua est apprehensa, vt species cibi per visum. Appetitio ignis ac motus formam impressam sequitur. Iudicium & appetitio bestiæ sic affectæ formam illam cibi sequitur apprehensam. Huius ergo motus principium est cibus, eiusque forma. Et sicut ignis non per se mouetur, quia non potest non ascendere cum nihil obstat, non potest non verè cum aliquid adest vrendum, sic bestia non per se mouetur, quia non potest non ferri in ea quæ sic aut sic offeruntur.

Secundum signum est, quod irrationalis anima nunquam aliter iudicat, cupit, prosequitur, quam ad corporis pertineat vsum. In omni enim eius actione finis est corporis commodum. Finis autem in rebus vltimus idem est ferme quod & principium. Principium ignis est Lunæ concauum, concauum Lunæ ignei motus est finis, quia causa quæque ad sui finem agit & mouet. Ergo in bruto principium actio-

num est corporis natura siue anima. Non anima mera, sed corporalis, & vt seruit toti naturæ vitæque artifici naturalium, postquam in natura vitaque corporea conseruanda est finis agendi.

Tertium, quod bestiam nunquam pœnitet sic aut sic egisse, neque retractat quicquam, neque emendat, quod significat vnicum ibi esse agendi principium, postquam nulla est repugnantia. Corporea certè vita mouet tanquam finis proprius. Ergo nihil aliud proprium inest ibi præter corpoream vitam quod moueat.

Quartum, quod (vt supra diximus) in operibus brutorum eiusdem speciei non est diuersitas. Non aliter aranea alia telam texit quam alia. Omnes quoque hirundines nidum similiter faciunt, & singulis annis eodem pacto, quemadmodum omnis ignis similiter calefacit, omnis lapis descendit similiter, omnis planta pro sua specie similiter pullulat. Natura siquidem rei cuiusque vna quædam est affixa sibi forma, & certa vis ab initio insita, per quam vnam similemque semper, vnum opus fit semper & simile. Idcirco bestiarum anima instinctum secuta naturæ, tenorem seruat speciei suæ familiarem. Idem & nobis accidit quoties torpet ratio, & ad nutum sensuum phantasiæque viuimus. Verùm expergefacta & intenta ratione, consultamus in rebus agendis diu, & nutum phantasiæ damnamus, & aliter facimus quam vel externorum corporum vel membrorum nostrorum poscat natura. Ac si quando iis indulgemus, pœnitet nos, atque emendare conamur, domamusque sæpe naturam corporis, & subiicimus. Agimus enim non modo per imagines illas obiectu corporum acceptas siue conceptas, sed etiam per vniuersales rerum species & rationes, quæ partim insunt animo, partim eius peculiari vi pariuntur, vbi agendi principium nostra forma est non corporis, à nobis parta non accepta à corpore, ad animi modum potius quam ad modum corporum procreata, communis ad infinitos agendi modos. Ideo non vni agendi modo adstringimur, sed per omnes liberè peruagamur. Habemus enim in mente commune quoddam bonorum exemplar, ad quod singula comparantes, siue reiicimus, siue magis minusue probamus, non ipsi quidem tracti à rebus ipsis vel corpore, sed trahentes res ipsas potius ad exemplar, & corpus ad mentem. Ideo etiam dum similis permanet rerum corporisque affectio, sæpe eligimus dissimiliter, aliàs scilicet aliter. Et dum fit dissimilis, eligimus sæpe similiter, imò in eodem penè momento propter varias coniecturas à ratione propositas, etiam dum corporalia manent similia, variæ contrariæque quodammodo sunt electiones. Consultatione namque fit, vt non animam rebus, sed res animæ nostræ subiiciamus: profectò vt sæpe Plotinus ait, Proculusque confirmat, huius indicium habemus in scientiis & moribus. In scientiis hoc pacto. Quando sola veritatis speculatione contenti sumus, nihil prorsum communicantes cum corpore, neque agere aliquid, extra nos affectantes, quis non videat, contemplationem illam nostram esse penitus nullo modo à corpore dependentem? In moribus iterum hoc modo: Cum omnia vitæ studia ad animum nostrum dirigimus moribus exornandum, quis non intelligat, tunc officiorum nostrorum finem esse animam, atque ideo eorundem animam esse principium? Harum actionum non humores principia sunt, quoniam humores non inuitant ad aliquid contra corpus eorum, & supra corpora, non cœlum, quod per humores mouet, corpus quippe cœli longè remotum, neque prius mouet quatuor humores nostros quam moueat quatuor elementa, neque mouebit animam nisi humoribus agitatis. Humorum verò agitationi animus aduersatur, dum illorum impetus speculationis intentione contemnit, morum studio cohibet, artium industria frangit. Nemo aut Socrate ad amorem, aut Alciphone Megarico ad libidinem ebrietatemque natura procliuior fuit, nemo iis euasit studio continentior. Nonne Xenocrates, Demosthenes, & Cleanthes naturæ impedimenta diligentia repulerunt? Si humoribus resistimus, obsistimus & elementis, & cœlo, imò etiam si non subiicimur cœlo, multo minus cæteris corporibus subdimur.

Cœlo verò non subiici hominis animum, hinc apparet, quod futuros casus primò scientia præuidet, deinde aut prudẽtia vitat, aut magnanimitate nihili pendit, quasi non ad ipsum hominem, qui ipse est animus, pertineant quicquam, sed ad animi carcerem. Accedit, quod prospera fortuna propter temperantiam feliciter vtitur, aduersa propter tolerantiam optime, ita vt vtraque sibi æquè ad virtutem proficiat & salutem. Quo autem pacto aut sequitur casus, qui præcedit, aut suscipit necessario, qui diligentia vitat? Aut horret natura, qui sæpe despicit? Aut bonis vincitur, qui ad felicitatem propriam

priam illa dirigit? Aut superaretur malis, qui mala conuertit in bona? Aut necessitate aliqua cogitur, qui dum propter pietatem libenter cum diuina voluntate consentit, illa etiam quæ necessaria sunt, terribiliaque videntur, voluntaria efficit atque leuia? Idem rursus ita per intellectũ monstramus & voluntatem. Primò sic per intellectum: Cœleste corpus formam habet corporalem, singularem, localem, & temporalem. Forma per quam mens omnis intelligit, est incorporalis, vniuersalis, & absoluta. Hæc ergo à cœlo non nascitur. Forma enim quæ alicubi clauditur, formam non generat absolutam. Ideoque cœlum formam aliquam in intellectu non generat. Num forte in eo gignit intelligentiam? Nequaquam. Hæc enim formam sequitur intellectus. Quod ergo dare formam nequit, non dabit intelligentiam. Omnino vero nullum corpus per suam formam quicquam intelligit. Talis enim forma singularis est omnino. Multo minus in alio intelligentiam generabit. Quoniam igitur intellectus neque actionẽ propriam, neque actionis principium habet à cœlo, corpori cœlesti non subditur, præsertim quia noster animus secundum eam vim qua iungitur his quæ supra cœlum esse dicuntur, non modo non subest cœlo, sed etiam præest. Hic autem quatenus intelligit veritatem, Angelis qui præsunt cœlo, coniungitur. Eatenus enim intelligit quatenus intellectuale lumen inde sortitur. Sic ergo constat intellectum cœlo non subiici. Sic rursus constabit non subiici volũtatem. Ea profecto quæ natura fiunt, determinatis mediis perducuntur ad finẽ, vnde semper eodem penè modo proueniunt. Natura enim ad aliquid vnum determinatur, electiones autem hominis diuersis viis tendunt ad finem tam in moribus quam in artificiis. Præterea quę in eadem specie sũt in naturalibus actionibus, quæ sequuntur speciem ipsam, inter se minimè discrepãt. Sicut enim omnis hirundo (vt diximus) similiter construit nidum, sic omnis intellectus similiter intelligit prima illa artium morumque principia, quæ nota sunt cuique per naturam. Et omnis voluntas similiter appetit ipsum bonum, quia bonum secundum naturam voluntas desiderat. Ea siquidem hominis natura est, vt sicut se intellectus habet ad speculandi principium, quale est id quod vbicunque est manifestè verum, ita voluntas ad agendi principium, quale est ipsum bonum, ac necessario vtrisque omnes assentiamur. Electio verò est actio quędam sequens humanam speciem, sicut discursio rationis. Hæc enim duo sunt hominis propria.

Sic ergo si homines naturæ instinctu ratiocinarentur, eadem omnium hominum in singulis rebus esset opinio, ita si ducente natura eligerent, vna omnium esset electio. Nunc autem alij modis aliis eligunt alia, sicut & ratiocinando iudicant variè. quamobrem cœli voluntatem nostram instinctu naturæ non mouent, mouent tamen corpus. Corporis motum sequitur siue nunciat sensus. Hinc sæpe voluntas allicitur. Non est autem incitamentum hoc electionis causa necessaria, quia illi aliàs assentitur, aliàs minimè. Neque tamen à cœlestibus duntaxat corporibus humanum corpus sensusue mouetur. Nam & Ptolomæus ipse concedit particulares effectus circa materiam, haudquaquam absolutè sequi cœlestia, quæ vniuersales remotæque causæ sunt, sed quatenus causæ mediæ tribuunt, & mobilis dispositio materiæ contrariis subditæ causis aliàs & alibi aliter accipit.

Quod quidem quotidie experientia ipsa probamus, in his præsertim, quæ cum simul nascantur, naturam potius speciei & indiuidui, loci quoque & nutrimenti, consuetudinisque sequuntur, vt diuerso modo se habeant, quam idem nascendi momentum, vt se omnino similiter habeant. Merito igitur præcipit Ptolomæus Astrologis, vt communem potius atque possibilem, quam distinctam necessariamque sententiam ferant. Addit sapientiam astris vel minantibus repugnare, vel pollicentibus posse fauere. Non igitur credendum est assertoribus fati, dicentibus singula à determinatis causis proficisci, causaque posita effectum necessariò sequi. Primum quidem à causa remota, quamuis necessaria, effectus non necessariò prouenit, nisi causa insuper media sit necessaria.

Quemadmodum in argumentationibus ex maiori propositione necessaria, atque minori contingenti, necessaria conclusio sequi non solet. Sed inter cœlestes causas atque terrenos effectus mediæ causæ sunt virtutes elementales, siue simplices, siue mixtæ; siue actiuæ, siue passiuæ, quæ quidem contingentes mutabilesque sunt, & impediri inuicem sæpissimè possunt. Deinde non est necessarium, posita hac vel illa effectus causa determinata atque etiam sufficienti, statim effectum sequi, cum possit ex concursu causæ alterius impediri. Sępe enim sufficiens hinc causa est ad bilem, sed inde causa quædam suffi-

ciens ad pituitam, atque inuicem impedire se possunt.

Postremò non omnium determinatas causas possumus designare. quod enim sis albus, causam habes propriam, item propriam alteram quod sis grammaticus. Quod autem albedo grammaticaque concurrant, propriam non habes causam. Si enim duorum quæ dixi concursus, ex communi quadam determinataque causa prouenirent, aliquem certè ordinem inter se haberent. De quolibet ergo effectu dicemus non necessario apud nos ex sua causa proficisci, quoniam impediri poterat ex alia quadam causa per accidens concurrente.

Et quamuis causam concurrentem aliquis in causam reduxerit altiorem, ipsum tamen concursum qui impedit, in causam quandam reducere nemo potest, vt inde conuincat impedimentum huiusmodi ex aliquo cœlesti principio proficisci. Quapropter si quæ ad corpus pertinent, non necessariò sequuntur astra, multo minus animi eorumque actiones stellis subiiciuntur. Neque audeat quisquam dicere, mentes hominum à supernis mentibus moueri per cœlum tanquam per instrumentum aliquod, atque medium. Magis enim conueniunt mentes cum mentibus quam cum corporibus, ideo inter illas mentes ac nostras cœlum non interponitur, sed potius inter mentes illas, ac cœlum nostræ mentes medium obtinent. Propatereaque cœli à numinibus per mentes hominum mouendi essent potius, quam nostræ inde per cœlos. Dixerit forte quispiam, mentes nostras à mentibus illis absque medio agitari. Agitent ergo, si placet nos, imò ducant. Sic enim diuinæ erunt hominum mentes, si mouentur proximè à diuinis. Erunt namque illis proximæ per naturam. Alioqui per naturam aliam illis propinquiorem quasi per medium mouerentur. Erunt certè illis propinquiores quam cœli globus, postquam inde mouentur sine cœlo. Quod si cœlum putant fore perpetuum, cur non etiam hominis animum sempiternum esse, cum sit diuinis propinquior? Proinde infusio quæ in mētes inferiores à superioribus angelicisque transit, illuminatio potius est dicenda quam motus. Illæ siquidem suo modo tradunt, hæ quoque suscipiunt suo modo, vtrique vero sunt intellectus. Ergo intellectuale lumen est, & quod datur, & quod accipitur. Minus huiusmodi non prohibet animum nostrum ad lumen illud suo modo conuerti, pro natura sua vti, ac per illud liberè ratiocinari atque eligere, præsertim quia noster animus interdum ad deteriorem partem in consiliis sese confert, instinctus autem mentium diuinarum traheret semper ad optimum. Quapropter humanus animus inspirationem numinum in naturam suam trahit. Illic quippe descendit stabilis. Ipse mobilem reddit, cum ipse sit mobilis, ac deinde mobiliter agit. Itaque nihil obstat quo minus libera sit animi actio, cum nulli proprio mouenti subiiciatur. Plotinus, Proculusque, & Auicenna disputant, cœlestes motus non esse inferiorum causas, sed instrumenta potius diuinis motoribus velut artificibus obsequentia, quorum varias cogitationes cœlestibus corporibus figurisque & motibus tanquam oculis nutibusque suis indicari nobis, & futura portendere. Addunt diuinorum notiones cœlestibus dispositionibus quasi literis explicari, & sicut aues volatu atque garritu auspicibus auguribusque, non quæ agant ipsæ, sed quæ significent, creduntur ostendere, ita cœlos figuris & motibus, quæ aliunde fiant, quotidie nobis significare. Quod quidem ostendunt Astrologi, quando in alicuius genesi iudicanda plurima proferunt quæ ad patres auosque & fratres, vxores, amicos, inimicosque pertinent, quorum fortuna ab alterius genesi non dependet, sed tantum significatu. Si ergo corporea (quod etiam supra probauimus) neque propriè, neque omnino cœlestibus superiorum motorum instrumentis subiiciuntur, multo minus mens ipsa subiicitur, cuius mores & artes si quando ab Astrologis prædicuntur, tamq; per signa potius quam per causas proferuntur. Siquidem superni motores non solum illa quorum ipsi sunt causæ, sed etiam quorū mentes nostræ futuræ causæ sunt, & excogitant ipsi secū, & cœlestibus nutibus sæpe demōstrant. Non subiici autem tunc declarat maximè mens nostra voluntasq; quando vsq; adeo effertur, vt penè se velit solam. Tunc enim se quodammodo à cæteris liberat creaturis, seque ipsa ferme contenta est. Rursus quādo in suū actum circulo se reflectit. Circuitus enim spiritalis termino non seruit extraneo. Prȩterea quando non modo propter aliam coniecturam vult, propter aliam non vult, sed etiam vult quod possit velle pariter atque nolle. Qua in re videtur indifferens ad volendum pariter & nolendum, ac nulli prorsus astricta. Item quando eligit summā desiderii cuiusq; vacationē. Nam tunc tractū proprii obiecti cuiusque dissoluit. Potentia hæc quæ actū

omnem interimit, proprio nulli seruit obiecto. Sed totum hoc ita planius explicemus. Quotiens aliquod nobis bonum proponitur, toties potest animus ita ratiocinari. quia maximum bonum est libertas, volo eam in me experiri quandoque. Itaque malo nunc eligendi actum retinendo mei iuris esse, quam huic vel illi seruire volendo. Eligit tamen libertatem tanquam bonam, quam sæpe alias propter alia bona postponit. Nullum igitur bonorum eligimus necessario, quamuis necessario velimus ipsum bonum. Denique aut nusquam motus est liber, aut liber est vbi primus, Primus in anima. Oportet autem primum esse liberum, si modo quicquid primo tale est, per se est tale. Quis enim dubitet actionis motum inde incipere descendendo, quo quæstionis motus desinit ascendendo? Desinit verò in animi ipsius imperium, ceu cum dico me agere hoc propter istud, istud propter illud, illud quia volo, velle, quia placet. Placere autem mihi, & insuper velle, quod placeat. Addo quinetiam quod si forte nollem, nolle vellem. Id sæpe appellat Plato per se moueri, id est per se ac liberè agere. Hinc effici vult vt liber viuat qui agit & libere, vt nullius particularis siue boni siue mali subiiciatur impulsui, qui viuit liber, vt non perdatur vnquam, qui violentia non pulsatur.

Quinta ratio. Mens absque corpore operatur.

CAPVT V.

Operandi modus modum sequitur existendi. Quare si anima modo aliquo per corpus existit, nihil sine corpore vnquam vel auxilio corporis agit. Nunc autem contrà contingit, non igitur est per corpus. Audiamus primum Platonis mentem de modo cognoscendo quo hominis anima operatur.

Quoniam anima multo est præstantior corpore, & quod assiduè format aliquid, est formato præstantius, ideo nulla corpora, siue extra nos sint, siue intra, formas vel imagines suas pingunt in anima, sed suis quibusdam qualitatibus siue viribus siue imaginibus vaporem illum pulsant calentem atque vitalem, qui quodammodo corporis est nodus & animæ, & spiritus à Physicis appellatur. Si enim corpora illa cum spiritu hoc conueniunt in materia, cum anima verò non conueniunt, rationabilius est spiritum & ab illis formari quam animam, quæ tantum abest vt formetur à corpore, vt ipsa potius re vera sit & forma corporis, & formatrix. Formatrix quidem sui corporis per naturam, aliorum vero partem. Anima igitur rationalis, quæ fons est corporalium motionum, mouet quidem ipsa corpora, à corporibus vero non mouetur. Moueretur autem ab illis, si formaretur inde. Sed spiritus qui est animæ currus, à corporibus quibusque pulsatur. Pulsatio huiusmodi non latet animam. Vt talis quędam passio siue agitatio spiritus animam non latet, sentire dicimur. Statim vero ex hoc subito sentiendi actu vis interior animi ad opus aliud huic persimile excitatur. Nam vbi per oculi spiritum colores, per aurium spiritus sonos, perque alios alia attigit, ipsa sua quadam vi, per quam pręest corporibus, eorumque semina possidet, non minus in cognoscendi quam in alendi virtute, mox colorum sonorumque & reliquorum simulachra penitus spiritalia vel denuo concipit in seipsa, vel olim concepta parturit, colligitque in vnum. Hanc imaginationem in superioribus nuncupauimus. Posuimus postea phantasiam paulo hac superiorem, per corporum imagines fermè similiter peruagantem. Intellectum denique longo interuallo eminentiorem, quemadmodum declarauimus. Quando anima sentit quippiam, apud Platonicos dicitur operari per corpus, non quia ipsa simul & corpus sentiat. Sicut enim anima fons est viuendi (vt Plato ait) ita & sentiendi. Pręterea oculis auribusue sæpe obiecta sua præsentia sunt, si tamen animus attentius quicquam intra se secum agitat, non prius sentiuntur, quam animus ad talia reuertatur, quasi non membra hæc, sed interior ipsa animi nostri natura vim habeat sentiendi. Quæ tamen vis sentiendi non sentit nisi dum corporalis spiritus à corporibus agitatur. quando ergo per imaginationem vel phantasiam agi dicitur per corporis auxilium operari, quia reuoluitur per imagines singulas, quę singula referunt corpora, & per impulsum corporalis spiritus à corporibus factum conceptæ fuerunt. Ac etiam quia tanta est inter has internas imagines spiritumque cognatio, vt reuolutionem imaginum factam intrinsecus sequatur semper spiritus ipsius vibratio, atque vicissim spiritus huius vibrationem comitetur vt plurimum imaginum reuolutio. Quando per intelligentiam aliquid speculatur & eligit, dicitur & sine corpore & sine auxilio corporis operari.

Quoniam etiam absque impulsu illo spiritus, & absque imaginibus inde collectis aliquid videt eligitque ab illis prorsus alienissimum. Mitto in præsentia quod Peripatetici vires sentiendi omnes in anima quidem secundum originem, in composito verò secundum formam ponunt, intelligendi autem in sola anima collocant, atque hoc pacto illas per corpus agere, hanc verò etiam sine corpore arbitrantur. Veruntamen naturaliter se ad imagines corporalis sensus tamdiu conuertere, quamdiu animus corpus naturaliter habitat. quod autem postrema hæc operatio quandoque sine corporali subsidio fiat, & priores illæ semper per corporis auxilium, hæc quæ subiiciam signa nobis ostendent. Primum vis ipsa animæ quæ corpore vtitur, quæcunque illa sit, instrumentum suum non percipit. Quis enim gustu linguam suam gustat? quis per imaginationem vel phantasiam cognouit spirituum imaginumque naturam, quæ vix post diuturnas mentis discussiones agnoscitur? Pateret autem cuique, & facillimè, si per imaginationem & phantasiam cognosceretur. Secundum signum. Vis talis quam vti diximus corpore, neque seipsam noscit, neque propriam actionem. Si visus propriè ex eo quod videt, perciperet se videre, semper dum videmus aliquid, videre aduerteremus, quod minime fit. Sæpè namque præsentem hominem patentibus oculis videmus, quoniam verò tunc vis interior animæ ad illud intenta est, videre nos nequaquam animaduertimus, quasi actus huiusmodi non à visu, sed à vi quadam interiori quando expedita est, percipiatur. Præterea actus videndi ac similes quodammodo incorporales sunt, sensus autem illi sola corporalia noscunt.

Si actiones suas hæ vires ignorant, ignorant quoque seipsas. quid enim aliud, certa quædam vis est, nisi principium certo modo quodam & proprio operandi? Ergo qui operationem nescit, nescit & operandi modum, nescit quoque proprium sic operandi principium. Itaque sensus quinque seipsos ignorant. Sed neque etiam imaginatio & phantasia se noscunt. Nam cum omnes duabus his animæ viribus semper vtantur, omnes facillimè quam naturam hæ vires habent cognoscerent. Nunc vero vix illa ista nouerunt, qui diuturno mentis examine quæsiuere.

Tertium signum, quando vehemens aliquid viribus iis obiicitur, quod nos violentius agitet, ita eas occupat, vt res debiliores non bene percipiantur, neque ipso eodem tempore, neque postea ad tempus. Oculus noster aduersis quandoque Solis radiis obrutus, colores alios neque tunc neque postea per aliquod temporis spacium dispicit. Idem accidit auribus ex strepitu & tonitru vehementi. Idem quoque sensibus cæteris. Idem imaginationi & phantasiæ, quotiens horrendis quibusdam imaginibus occupantur. Quod ostendit huiusmodi virium actum, cum spiritus vibratione concurrere, atque econuerso. Quemadmodum sensus motusque araneæ, in media tela manentis tensis vndique filis, & aduolantibus muscis, tremorem telæ vndique sequitur, atque contra telæ tremor araneæ motum. Profectò hoc monstrat eas vires materiæ esse propinquas, cum sæpe ab obiecto quasi vincantur, & corporalium passionum reliquiæ in spiritu remanentes ad tempus eas confundant.

Quartum signum ab obiecto potentiori non modo actus discernendi confunditur, sed læsio fit in nobis atque molestia, quasi læso spiritu corporali, his quoque à viribus ex mutuo quodam vsu nonnulla contingat offensio.

Quintum, qualitatem sensus imaginemque sibi familiarem non apprehendunt. Candorem suum vel imaginem per quam intuetur, non videt oculus. Calorem suum tactus non iudicat. Ac etiam si calor aliquis alienus euadat ipsi familiaris, non sentit, quod fieri solet in iis qui hectica febre laborant, quorum tactus nequaquam persentit febrem. Vim suam & habitum & conceptas imagines imaginatio quoque & phantasia prorsus ignorant. Vix enim ratio talia reperit.

Sextum, post ætatis septimum vel octauum septenarium, quando complexio corporis ad terrestrem qualitatem paulatim incipit declinare, resolutis aut nimium densatis tepefactisque spiritibus, hebescit visus, auditus obtunditur, olfactus obstruitur, riget gustus, tactus arescit, imaginationis phantasiæque solita velocitas retardatur.

Septimum, quanto diutius laborant sensus, tanto magis debilitati sentiunt peius atque confusius. Si enim per horam aliquid fixius inspexeris, caligabis, quia resolutis spiritibus vel obscuratis, non clarent in eis rerum sensibilium qualitates imaginesque quas sentias.

Octauum, Certum quoddam rerum genus attingunt, non omnia genera, quinque sensus sua quisque (vt patet) genera quali-

tatum, imaginatio phantasiaque proprias harum qualitatum conditiones. Hæc & huiusmodi alia viribus animæ vtentibus corpore solent accidere, contraria verò accidunt intellectui. Ergo intellectus non vtitur corpore. Quod autem contraria menti contingant, animaduerte. Vires illæ seipsas ignorant, mens autem se nouit. Inuenit enim se esse, & in qua rerum specie sit, & quam vim habeat. Vires illæ instrumenta quędam habent, atque illa ignorant. Intellectus instrumentum habet nullum, & si quod haberet, cognosceret, postquam & seipsum cognoscit, & alia. Ac inter se & alia instrumentum illud collocaretur. quòd si quis mentem habere dixerit instrumentum, percontabimur nunquid illud corporale sit, an se aliter habeat. Si corporale responderit, ita per argumentationem Peripateticam refelletnr. Omne instrumentum corporale in aliqua specie corporum continetur per formam aliquam sibi propriam. Si tali quodam instrumento intellectus vtatur, non sincerè de rebus corporalibus feret sententiam. Nam quicquid per tale instrumentum percipietur, qualitate illius infectum, non tale penitus apparebit quale re vera ipsum fuerit, sed quale fuerit instrumentum, vt per rubentes oculos apparet aër rubens, per croceos verò croceus. Quo factum est, vt pupilla omni careat colore, quo possit omnes colores pure suscipere. Sic omni corporea qualitate carere oporteret mentis instrumentum, vt sincere per ipsum discerneret omnes. Non tamen careret omni, si corpus esset, haberet igitur aliquam. Quam verò haberet, non acciperet. Itaque illius similes qualitates per illud mens non cognosceret, quemadmodum tactus, cuius instrumentum certam habet caliditatem, similem omnino caliditatem non sentit. Sed neque etiam qualitates illius dissimiles purè discerneret, quia illæ per illius qualitatem prius inficerentur, quam mens aduerteret. Denique per instrumentum quod esset corpus, quod esset in certo aliquo genere corporum, quod esset aliquid singulare loco ac tempore circumscriptum, non cognosceret mens pręstantius aliquid quam corpora, neque illa quidem omnia, sed certum quoddam genus rerum corporearum, quemadmodum singuli quinque sensus per singula instrumenta sentiunt genera corporalium. Postremò vniuersale aliquid per singulare instrumentum non comprehenderet.

Experimur tamen nos per mentem vniuersalia nosse, quando quæ diuersa videntur, conuenire simul in natura aliqua reperimus, quando singula quæque in vnam reducimus speciem, quando rem singularem ac propriam cum communi comparantes, differre vniuersale à particulari censemus. Comparare autem inuicem duo hæc non possumus aliter quam per virtutem vnam quæ vtraque comprehendat. quoties recta ratione genus quoddam rerum verissimarum ab omni corporum genere ita secernimus, vt in illo nihil corporale cernamus, toties quicquid dici potest corporale, reiicimus. Non tamen possumus per corporeum instrumentum cuncta reiicere corporalia, quia ipsum saltem instrumentum per ipsummet instrumentum repelli non potest. Et quando abstractam conspicimus speciem, perque illam vnimus tum nos formis rationibusque abstractis, tum nobis easdem, tunc corporeum instrumentum iis interpositum impedimento esset potius quam adiumento.

Nam & diuersissimum est ab illis, & inferius admodum, & distantiam affert multo magis quam vnionem. Cum hæc ita se habeant, mens vti non potest instrumento aliquo corporali. Sed nunquid alio? Prorsus nullo. Nam si quis illi aliud quoduis instrumentum adiunxerit, sciscitabimur vtrum possit absque ipso intelligere aliquid, an nihil? Si potest, instrumento non eget. Sed dicet aliquis non posse. Nos contra posse asseuerabimus. Iam enim quisque fatebitur intellectum nosse seipsum, in qua cognitione nullo vtitur instrumento. Nam si aliquo vteretur ad se capiendum, illud certè caderet medium inter mentem & mentis ipsius essentiam, quæ ab ipsa per illud comprehenderetur, vbi extraneum aliquid esset menti propinquius quam mentis essentia. Et quando potentia mentis reflectitur in potentiam, siue actus in actum, nullum ibi interponitur instrumentum. Medium enim assumi solet propter conuenientiam cum extremis. Nullum verò instrumentum cum potentia & actu magis quam potentia actusque conuenit. Quisque etiam confitebitur intellectum si habeat instrumentum, ipsum non ignorare. Nam ob id in primis videmur ipsum non ignorare, quod esse ipsum asseueramus, & tale esse audimus, vt intellectui seruiat. Quinetiam si intellectus noscit seipsum, ac etiam externa obiecta, necesse est vt instrumentum quoque nunquam nouerit per quod à se transit in obiecta intelligendo. Præterea quando per obiecta iam nota in

actum suum se vertit, perque actum in virtutem atque substantiam, nonne cogitur in hac ipsa regressione etiam in instrumentum suum si quod habet incurrere, cum illud inter actum mentis & virtutem sit medium? Vbi instrumentum suum agnoscere cogitur. Sed vtrum mens agnoscit instrumentum suum per instrumentum aliquod, necne? Si per aliquod, quæro de alio atque alio rursus in infinitum. Si per nullum, ergo non eget instrumento ad cognoscendum, postquam ipsum sine instrumento cognoscit. Ibi sanè quod instrumentum dicitur, obiectum quiddam potius est quam medium. Ac si ab hoc in aliud transeat cognoscendo, non de medio in obiectum, sed de obiecto priori in posterius currit obiectum. Sed dixerit forte quispiam, instrumentum à mente cognosci non per instrumentum aliquod, sed per ipsummet instrumentum. Ego autem quæram, vtrum per ipsam essentiam instrumenti, an per ipsius imaginem? Non primum, quia mens semper illud cognosceret, cum semper ad illud similiter comparetur. Quod si per imaginem fiat, iam illud quod instrumentum appellabatur, obiectum est potius quod cognoscitur, quam instrumentum, per quod aliquid cognoscatur. Atque imago ipsa cognosci potest nullo instrumento intercedente, cum ipsum necessario antecedat, prout inter ipsum animamque est media. Iam igitur intellectus tam seipsum quam quod extra ipsum est, absque aliquo instrumento cognoscit. Proinde eo ipso quod verè simplicia veramque simplicitatem excogitamus, concludunt Platonici, id quod ita in nobis excogitat, neque ex intellectu & instrumento constitui, neque ex anima corporeque componi, sed mentem simplicem solamque existere. Per se igitur mens operatur, & hoc etiam pacto nuncupat Plato per se moueri, Ergo per se viuit, viuitque semper.

Pergamus ad signum tertium. Vires illæ à vehementi obiecto confunduntur, vt non discernant debiliora. Mens contrà quando magnifica & ardua videt, tum in illis, tum post illa clarius & facilius minora & leuiora discernit, vtpote quæ magna sit, magnisque pascatur & crescat. Pergamus ad quartum, & reliqua. Vires aliæ potenti offenduntur obiecto, mens nullius rei vel immensæ consideratione offenditur, quasi certæ cuidam humorum commensurationi non sit obnoxia. Tardius quidem maxima reperit, quoniam alienis nis explicata non indagat. Expedita inuenit ocyus, & inuentis tum clarescit mirificè tanquam parata prorsus ad illa, tum incomparabili voluptate completur, tanquam illis quam proxima. Quis hic non videat infinitam quodammodo esse vim mentis, quæ nullo finito superetur obiecto? Aliæ præterea vires, qualitates imaginesque sibi familiares ignorant, mens autem quidnam familiarium nesciat? Quæ & familiaritatem ipsam definit, & semetipsam videt, actum suum intelligendo, ac speciem per quam intelligit, & habitum & virtutem. Secum igitur habitat mens, sui ergo ipsius est domicilium. Res quælibet loco naturali seruatur, ideo seruatur à seipsa mens manetque inde semper incolumis. Accedit, quod robustiores, quantum spectat ad operationes naturales, semper sensualesque sæpe aliis se melius habent, quantum verò ad intelligentiam neque semper, neque sæpe, quasi intelligentia corporis non sit comes. Adde quod sensuum naturæ per senectutem in operatione deficiunt, mentis verò oculus tunc cernit clarius, fugatis nebulis iuuenilium vitiorum. Diuinè enim Plato, non florescit, inquit, virtus animi, nisi virtus corporis deflorescat.

Non acuitur mentis acies, nisi corporis acies hebetetur. Tunc diuinarum rerum sapientia viget, humanarum prudentia consumitur, æquitas pollet atque constantia. Et quod maius est, neque vis etiam ipsa propriè sentiendi quæ est in anima, senio vel morbo deperditur, quamuis oculo læso actus eius intermittatur, ex eo quod non satis sincerè repræsentantur obiecta. Nam & calamo fracto cessat actus scribendi, ars vero scribendi in animo remanet integra. Quod ars detrimentum inde nullum susceperit, hinc patet, quod interim in seipso scribit, & calamo restituto arbitratu scribit suo. Idem fieret si elingui curaretur lingua, & si pes claudo. Idem si cæco vel lippo oculus curaretur, quasi in corpore damnum fuerit, non in anima. Sæpe enim purgato oculo mox videmus. Quod aut non fieret, aut iam etiam sanato corpore fieret serò, si ipsa videndi vis defecisset, quæ certum restitutionis suæ tempus exigeret, postquam corpus exegit suæ. Scite Aristoteles, si præstes, inquit, seni iuuenis oculum, videbit penitus sicut iuuenis.

Si sensus qui certis partibus corporis adscribuntur, neque læsis partibus ipsis, neque senio vim amittunt, mens quæ adscribitur nullis, neque læso toto corpore, neque vnquam deficiet. Hic succurrit vobis

ratio illa quam affert in decimo de Republica Socrates apud Platonem, quod per nullum corporis morbum rationalis animus moritur. Quo enim pacto, inquit, corporis morbo peribit, qui proprio morbo non deficit? Corpus siquidem nostrum non alieno perit morbo, sed suo. Quod si cibi vitio & aëris putredine interit, non prius per hoc perit, quam ex hoc in proprium incidat morbum, quo propriè morbo dissoluitur. Ac si morbo proprio non periret, nunquam etiam alieno. Nam si non lædatur febre, insalubri cibo vel aëre non lædetur. Animus autem propria labe, id est, iniquitate non perit. Iniquus enim animus non minus est animus & vitalis, quam sit æquus. Ergo non perit corporis morbo. Accedit, quod corporis morbus animo non infert vitium ipsius animi proprium, quoniam animus corpore ægrotante non fit iniquior, sed emendatur sæpe, & morum studio proficit. Quapropter morbus corporis non modo non perdit, sed neque vitiat animum. Ac si quandoque ægrotante corpore lædi mens videatur, non tamen est ita. Ociatur mens ibi forte etiam, vel in seipsa agit, vel circa humana negociatur, non læditur. Socrates quando vel ludebat cum liberis, vel eos curabat languentes, Philosophiæ sublimioris habitum quidem non amittebat, licet vel non philosopharetur tunc vllo modo, vel non philosopharetur egregiè, dum scientiæ actum ad viliora consideranda distraheret. Animus noster in corporis oblectamentis ludit cum ipso sæpe. In eius languoribus regit & curat. In vtroque statu intermittitur vel remittitur sublimis illa rationis consideratio, quia vel ociatur ad tempus, vel anxiè nimirum circa viliora negociatur, re pacata vero resurgit. Ita natura comparatum est, vt ad diuersa simul opera quantum ad humanas vires attinet, non satis sufficiamus.

Conuiuæ epulis intenti non bene lyræ modulos audiunt. Dum anima multum concoquit cibum in stomacho, humanæ contemplationis munus remittit, ideo tunc hebetari videmur. Dum attentius speculatur, ægrè cibus concoquitur. Hinc sæpe corpore languent philosophantes. non languent animo, sed intelligentia tantum excellunt, quantum deficiunt corpore. Ergo quid mirum si corpore febricitante, anima sustinendo curandoque ægroto intentissima cessat à contemplando, & in pueri corpore fabricando, in decrepiti quoque corpore sustinendo occupatissima minus vtitur intellectu? Et cum vapores atri cerebri spiritum occupauerint, atque eo vibrato mouerint horribiles in phantasia species, vnde tetri spectaculi nouitate. tota ferè vis animæ phantasiam intenditur, mirabere si interim opus intermiserit contemplandi, quod tandem vaporibus resolutis instaurat. Sæpe etiam vaporibus feruescentibus ratio ipsa peruigil imaginum illusiones redarguit, quod in his accidit qui cerebri vertiginem patiuntur, quorum ratio negat cœlum aut terram ruere, licet sensus id asserat. Rursus qui propter morsum canis concitantur rabie, aut furore dæmonis instigantur, nonnunquam etiam in ipsa furoris incursione imminentem insaniam animaduertunt.

Et qui insomniis terrentur horrendis, reclamant aduersus phantasiam, sæpe se somniare dicentes. Ergo mens non semper indiget inferioribus viribus, quæ sæpe illis vigentibus ociatur, ociantibus autem viget, garritum earum damnat, iubetque silere. Si quis autem dixerit mentem illis egere vt excitetur, ideoque sine ipsis nihil penitùs operari, ita respondeo, quoniam anima dum corpus habitat, eius sustentationi semper est occupata, atque circa plurima à diuinis remota distrahitur, ideo ad diuinorum intuitum non conuertitur, nisi quantum expressiores aliquas eorum similitudines per vires eius pedisequas, quibus plurimum vtitur comprehendens, excitatur ad ipsa. Postquam verò satis conuersa est, & per crebram conuersionem apte parata diuinorum infusioni, non amplius ad eam contemplationem illarum obsequio indiget, imò eas sopit pro viribus, ne ab ipsis impediatur. Ac semper libens in eo statu perseueraret, nisi curandi corporis vrgeret necessitas. Quod significat mentem posse per se speculationem continuare, & quando ab hac non amplius propter curam corporis retrahetur, libere speculaturam per se sine aliarum virium ministerio, cui satis fuerit ante ab illis minime impediri. Sed quamdiu corpore clauditur, propter illud sensuum ministerium quo paratur conuersioni, accidit vt læso corpore, spirituque obnubilato, quia neque perspicuè obiecta repræsentantur, neque fit clara in sensibus & phantasia perceptio, mens inde ad veram speculationem non facilè excitetur. Fit etiam vt alij aliis ingeniosiores appareant propter spirituum diuersitatem. Quanquam differentiam hominum in artibus addiscendis non tam ingenij quam voluntatis diuersitati censeo tribuendam.

Quilibet enim maxima quæque, ſi ſtudioſe contendit, aſſequitur. Fit inſuper, vt quidam dicantur amentes, quia vel non vtantur mente, vel abutantur. Quippe cum omnis intentio animi in his ſit circa vehementiores phantaſiæ illuſiones nimium occupata. Sed vacuata bile vel atra vel crocea, quæ cauſam præbet illuſionis reſipiſcunt ſubitò, vtpote qui mentem non amiſerunt. Mitto quod Origenes Plotinuſque diſputant, animas humanas eſſe quodammodo mentes ex ſua puritate delapſas, quando videlicet ab intentione mentis circa ideas ad intentionem potentiæ viuificæ corporum prolapſæ in corpora deciderunt. Et quanto aliæ magis aliis intentius profundiuſque ad materiam conuerſæ ſunt, tanto minus (vt aiunt) intellectualis retinent luminis. Vnde magna in ingeniis moribuſque inter animas diuerſitas prouenit. Ad quam etiam conducunt ætherea corpora animarum diuerſis cœli figuris ſyderibuſque accommodata. Denique varietas geniorum varietatem adducit ingeniorum. Si quis autem animas extitiſſe per tempus ante corpora non conceſſerit, voluerit tamen ex parte quadam Platonicos imitari, poterit forſitan dicere animas ſaltem eo ipſo momento quo creantur, corporique iunguntur, ita vt Origenes Plotinuſque diſputant, fermè affici atque diſponi. Profectò mentes Angelicas, alias ad inferiora prolapſas, alias minimè, & earum quę ceciderunt, alias quidem magis, alias verò minus. Sed mentes hominum tanquam infimas omnes naturali inſtinctu cum primum creantur, ad naturalem partem & corpora vergere, aliaſque aliis profundius ſeſe in Lethæum flumen, id eſt, materiam mergere. Atque hoc quidem pacto Pamphilus Origenem, quoad potuit, emendauiſſe videtur. Sed de his aliàs. Iam igitur ad propoſitum reuertamur. Si quis parte capitis quadam lęſa memoriam videatur amittere, reſpondebunt Peripatetici, confundi rerum imagines quæ in cerebri ſpiritu retinentur, ſed ſpecies quæ in mente ſunt, non lædi propriè, imò (vt ita dixerim) ociari. Oportere enim mentem quamdiu corpus habitat, in corporalium ſpecies non ſine corporalium imaginibus contueri. Addent Platonici quatenus animæ intentio circa læſi curationem membri vehementius occupatur, eatenus cognitionem memoriamuè remitti atque intermitti. Auicenna & Algazeles dicent mentem ad inferiora conuerſam, à diuina quadam mente diuerti, vnde omnem intelligentię actum putant continuè dependere. Quoniam verò Lucretius immortalitati ob eam cauſam diffidit maximè, quod imminente morte vires animi deficere videantur, animaduertendum eſt, vitam corporis in humoris & caloris temperatione conſiſtere, ideoque mori corpus quando vel calor reſoluit humorem, vel calorem humor extinguit.

Quoniam autem humor caloris pabulum eſt, calor vehiculum ſpiritus, ſpiritus eſt animæ ad corpus conciliator, fit vt quādo reſoluitur humor in membris corporis paulatim, anima quoque membra deſerat paulatim. Et quia tunc regendo corpore minus quam ſoleat occupatur, in mentem ſuam ſe colligit, cernit arcana, pręſagitque futura. Abſit à nobis Lucretiana ſuſpicio, animam ſcilicet cum corpore morituram, quæ debilitato corpore roboratur. Et cum vnio diſſolutioni oppoſita ſit, longiſſimè tunc abeſſe à diſſolutione putandus eſt animus, quando ſe maximè colligit in ſeipſum, ac depoſita animali natura ſurgit in mentem. Atque id in morte, quæ propter reſolutionem fit, manifeſtè contingit. In morte vero quæ fit propter extinctionem vitalis animæ, vis humoribus tumoribuſque curandis intenta eſt, ſenſus doloribus iudicandis, phantaſia ſpectandis ſimulachris quæ ab humorum vaporibus concitantur. Quapropter ratio ad tempus remittit officium, ſicut ſolet in ſomno nonnunquam, quod reſumat poſt mortis ſtrepitum, ſicuti conſueuit poſt inſomnia vigilare. Quod autem in eo ipſo tempore vires doteſque ſuas nequaquam amittat, illud nobis argumento eſt, quod multi qui diligentia medicorum ab imminente morte reuocantur ad vitam, corporis quidem vires vel nunquam vel ſero recipiunt, animi verò mox humore purgato, quaſi corporis vires extinctæ fuerint, animi autem lumen latuerit potius tanquam ſub cineribus ignis, quam euanuerit. Quis dixerit eundem fore à vita exitum corporis atque animæ, cum non ſit idem reditus? Redit enim corpus vix ſeroque, redit animus facilè atque ſubito. Neque quicquam eo tempore amiſit ſui, cum & naturales & acquiſitas dotes ſubitò rurſus edat in lucem, non minus quam antea conſueuerit, vtpote qui ſua tunc collegerat ſupellectilia, non diſperſerat, paratuſque fuerat tanquam ſerpens ad exuuias exuendas, non aliter iis clauſtris egreſſurus in lucem viuens & integer, quam olim materno vtero cum eſt emiſſus in lucem.

Putat autem ſapiens quando relinquit

corpus, se non parte priuari sua, sed molestissimo onere liberari. Ac de sexto signo iam satis. Accipe septimum illud signum. Sensus diuturno opere fatigantur, mens verò nunquam. Quanto diutius inspexeris, eo cernes obtusius. Quanto diutius indagaueris intellectu, eo intelliges clarius, omne corporis sensusque opus vsu defatigatur, mentis verò corroboratur. Solet tamen diuturna cogitatione grauari caput, & oculus caligare, quia mentis exercitium omitantur sæpe numero phantasiæ motus, hos autem vibratio spiritus, hanc læsio cerebri aut oculi. Ipsa verò mentis acies fit leuior & acutior.

Quæ certè sine intermissione vlla sursum directa maneret, nisi miserata corpus hoc ipsi commendatum, eius recreandi gratia opus proprium intermitteret. Quod in iis planè conspicitur, qui dum speculantur attentius aliquid, fatigati corpus ægrè ferunt, in quibus mens inuita quodammodo cessat ab opere, corpus autem sensusque cessant quam libentissimè, quasi non mens fatigetur operando, sed illa. quod verò indefessum est etiam immortale.

Octauum signum est, quod vires aliæ alicui rerum generi sunt adscriptæ, mens nulli. Quid est enim in eorum numero quæ esse dicuntur, ad quod mentis acies dirigi nequeant? Quæ ipsius quod dicitur ens, essentia, esse naturam & vim descriptione comprehendit, sub iis verò ea quæ sunt omnia continentur. Reperit quoque differentiam inter esse atque non esse, itaque nouit vtrunque, & esse diuidit quodammodo in partes suas atque particulas, dum quælibet rerum genera speciesque sub esse disponit. Et, quod maius est, super esse ipsum ascendit, & sub esse descendit, quando ipsum vnum, ipsum quoque bonum statuit super esse, & materiam siue priuationes rerum sub esse locat. Nulli rerum generi mens astringitur, si ambit omnia. Nihil extra se habet, à quo perimatur, quod intra se quodammodo claudit omnia. Concludamus disputationem hoc pacto. Animus hominis si per corpus esset aliquo modo, nihil ageret vnquam sine corporis instrumento vel auxilio. Agit autem sine corporis vsu intelligendo atque volendo, vt per octo signa exposuimus. Non igitur est per corpus. Ergo est aut per se, aut per diuina. Si per se, nunquam se deserit, si per diuina, ergo per æternas causas est æternus.

Sexta ratio. Anima conuenit partim cum diuinis, partim verò cum brutis.

CAPVT VI.

SI anima hominis ex materia (quam fluuium vocant Lethæum) scaturiret, nunquam cum diuinis, quæ ex eo fluuio non scaturiunt, in operatione coniungeretur. Congruere verò cum illis in operatione, imò etiam in essentia & vita, sic ostendemus. Quoniam videmus omnia tunc maximè aliquid operari, quando in sua specie adulta sunt atque perfecta, cogimur asserere Deum, quia est omnium perfectissimus, non ociosum esse, sed aliquid agere, postquam operatio perfectionis est signum. Imo verò neque nos aliquid ageremus, nisi ageret ille, quo mouente, mouemur, sicut quo faciente, sumus, & quo afflante viuimus & spiramus. Sed quænam est operatio Dei? non quæ aliunde incipiat, aut alio quopiam tendat, ne cogatur Deus aliunde pendere. Est igitur operatio Dei perpetua quædam in seipsum conuersio, per quam seipso fruatur & gaudeat. Itaque contemplatur seipsum, se contemplando, suam videt potentiam, hanc intuens, quæcunque potest discernit. Ergo & seipsum simul & vniuersum opus suum actu vnico speculatur, speculando in se concipit cuncta, concipiendo extra se quæcunque vult, parit. Similis ferme est in sanctis ministris eius cœlestibusque spiritibus operatio, se namque ipsos illi quoque & sua opera speculantur, speculantur & Deum, operaque diuina. Speculatio certè illis sola conueniens est, quia operationum omnium perfectissima. Quod etiam in nobis apparet. Hæc non externa eget materia, vt fabricatio, neque corporalibus instrumentis, vt sensus, neque aliunde mouetur, aut alio tendit, vt operationes aliæ, neque figurat materiam alienam, sed colit ornatque mentem, quando non alio terminatur, sed desinit in seipsam, neque fatigatur citò, vt aliæ, sed permanet indefessa, neque molesta est vel indiga, vt sunt illæ, sed facilis, plenaque, & gaudio perfusa incomparabili. Si qua igitur ex iis operationibus quæ nobis insunt, supernis est numinibus tribuenda, contemplatio certè tribuenda est, operationum omnium felicissima. Ex iis patet hominis animam in contemplatione cum diuinis congruere. Congruere quoque cum bestiis in nutritione, sensuque, & corporis affectu, non dubitamus. Certæ autem operationes ad conuenientia sibi

directè obiecta, certas conuenientesque requirunt virtutes atque substantias, & quæ proportio est obiecti vnius ad alterum, eadem operationis vnius ad alteram. Eadem quoque virtutis est & essentiæ ad virtutem & essentiam comparatio. Itaque sicut in nobis quod ad corporis vsum pertinet, est operatio cum brutis communis ad commune cum illis obiectum, ita natura cum illis communis apparet. Hæc est nutriendi sentiendique operatio, & potentia atque complexio corporis, quæ in nobis fermè sicut in bestiis sunt caduca. Oportet quinetiam reperiri in nobis potentiam & substantiam cum cœlestibus illis communem, ex qua nascatur operatio illa quam habemus cum illis communem ad commune nobis illisque obiectum. Quamobrem sicut in nobis quodammodo caducæ sunt nutriendi, sentiendique natura & complexio corporalis, quæ circa caduca versantur, & cum caducis animalibus sunt communes, ita immortalis erit contemplandi potestas quæ circa immortalia versatur, & cum immortalibus est communis, quia non potest operatio eadem nisi ab eadem natura & potentia proficisci.

Quis autem dubitet contemplationem nostram supernis esse persimilem? cum per eam animus, vt cœlestes illi, seipsum & opera sua consideret, inuestiget quoque supernas causas, earumque effectus, item ab effectibus inferioribus per medias causas vsque ad causam supremam ascendat, atque vicissim à suprema causa vsque ad infimos euentus circulo remeet. Vbi videtur vniuersam diuini operis seriem non alia virtute quàm diuina complecti, & tanquam Deus aliquis circunlustrare. Non solum verò intelligentiam cum numinibus communem habet, sed etiam voluntatem, cum illorum affectet beatitudinem. Habet prætereà similem actionem, quatenus agit liberè, & suo imperat corpori fermè sicut illa. Ex omnibus iis colligitur animum nostrum cum cœlestibus essentia conuenire. Si essentiam habet cum illis communem & proximam & illa nullam habent originem è materia, sequitur vt nullam quoque animus noster talem originem habeat. Præterea si numina illa sempiterna sunt, quia mundi sphæras eodem semper mouent ordine, neque fatigantur vnquam, sequitur vt sit mentis essentia sempiterna, quoniam terminata mobilisque vita nullo modo interminatæ immobilique vitæ res proxima. Tanto autem magis conuenit cum illis immortalitate vitæ, quam intelligentia veritatis & beatitudinis desiderio, quanto vita ipsa prior est quam intelligentia vel voluntas. Ac si voluntas est nisus intelligentia vero summum adolescentis vitæ fastigium, animus non aliter dirigitur ad voluntatem rectam, quam per veram intelligentiam, ad hanc quoque non aliter quam per veram adultamque vitam. Voluntatem habet rectam, quia ad primum totumque bonum sese confert. Intelligentiam veram, tum quia quatenus intelligentia est, non fallitur, tum quia veras omnium intus possidet rationes, quod alias ostendemus. Habeat ergo necesse est veram adultamque vitam. Talis est quæ non est obnoxia morti. Huic nostræ argumentationi illa Origenis fauet summopere, vbi inquit: Omnes naturæ quæ eiusdem principij participes sunt, inter se sunt similes, ceu oculi, quia omnes lucis participes sunt, cum ad lucem natura sua similiter conuertantur, omnes sunt similes, sed tamen pro diuersa lucis participatione alius alio est acutior. Omnes rationalos substantiæ Dei participes sunt, cum omnes conuertantur ad Deum, ergo similes sunt tum inter se, tum illi. Itaque sicut supremæ sunt immortales, vt Angeli, sic & inferiores, vt animæ. Immortales verò sunt omnes, quia Deo per similes immortali. Quam similitudinem ostendit illa ipsa in Deum conuersio, in quem quidem velut in Solem, tanquam stellę, superiores conuertuntur Angeli, anima verò in eundem, ceu Luna, quæ quamuis vicissitudine quadam diuini luminis permutetur, ideoque modo quodam mutabili capiat, inextinguibili tamen percipit ratione. Siquidem & inextinguibile ipsum esse, & qua ratione sit inextinguibile, certis rationibus comprehendit.

Obiectio Epicureorum & responsio de rerum temperatione.

CAPVT VII.

Reluctabitur iis Dicæarchus, aut Epicureus aliquis, quasi monstro id simile sit, rem scilicet aliquam partim incorruptibilem esse, partim corruptioni obnoxiam. At nos affirmabimus naturæ ordinem sine hoc seruari non posse. Sunt aliqua corpora ab omni penitus corruptione semota, vt cœli, quorum neque sphęra ipsa, neque particula vlla corrumpitur. Sunt & corpora iis prorsus opposita, scilicet omnino caduca, puta ligna, lapides, metalla, cæteraque ex quatuor elementis

aliquam sustinere. Sed vt capitulum concomposita. Ligni siquidem particulæ nonnullæ quandoque putrescunt, deinde etiam totum lignum ipsum desinit esse lignum, quamuis quicquid ita compositum est, ob id saltem ex incorruptibili constet & corruptibili, quod primam in se materiam habet perpetuam, formam verò mortalem. Quapropter coniunctio mortalium cum immortalibus neque impossibilis est, neque rata.


Sed redeamus ad ordinem institutũ. Sũt tiam corpora media, elementorum videlicet quatuor sphæræ, partim incorruptibilia, partim corruptibila. Ipsa quidem tota elementi sphæra suam speciem, suum situm, suum seruat tenorem, particulæ vero eius nonnullæ quandoque hinc perduntur, inde instaurantur. Cum vero corpora vel à spiritibus vel spirituum gratia fuerint constituta, ordinem corporum oportet ab ordine spirituum proficisci, aut saltem spirituum ordinem imitari. Sunt ergo spiritus aliqui penitus immortales, vt Angeli, quorum neque tota ipsa substantia commutatur, neque vlla vis, neque etiam operatio. Sunt alij mortales omnino, vt communis fert opinio, brutorum scilicet animæ, quarum permutatur vis operatioque, permutatur & tota substantis. Sint insuper oportet spiritus vtrorumque medij, vt vnus sit absque intermissione totius naturæ contextus. Hi per totam substantiam permanebunt, per particulas aliquas mutabuntur. Tales erunt animę nostræ præcipuè, quarum substantias cogit esse perpetuas communis illa cum cœlestibus contemplatio voluntasque & actio. Potentias verò aliquas siue operationes quandoque cessaturas indicat nobis illa communis cum brutis mortalibus operatio, cultui mortalis corporis penitus mancipata, quippe cum naturales affectus in naturis propriis fundentur, diuersique affectus in diuersis naturis, videamus autem nostras animas affectum ad æterna habere, affectum quoque ad temporalia, meritò dicimus eas ex naturis duabus æterna videlicet, & temporali compositas esse, quemadmodum si videremus corpus aliquod natura sua quasi æqualiter sursum deorsumue moueri, diceremus ipsum fermè æqualiter ex grauitate & leuitate componi.

Tria vidimus corpora, tres quoque spiritus, tres nunc accipiamus species animalium. Animalia vtrinque tam ex anima quam ex corpore sempiterna, ceu mundi sphæras, stellasque (ita vt Plato existimat) animatas, vt tam corpus earum, quam anima sit procul à morte. Item animalia vtrinque mortalia, ceu bruta. Interponamus homines ex anima immortales, mortales ex corpore. Multi verò etiam multos dæmones heroesque similes interponunt, neque seruari aliter ordo naturæ potest, nisi cœlesti animæ ferme penitus immutabili, corpus omnino incorruptibile tribuatur, atque bruti animæ penitus corruptibili, corpus omnino mortale, animæ autem hominis, & immortali simul, & quadam ex parte mutabili, corpus detur vtrunque, æthereum vnum secundum Platonem, elementale alterum, vt hominis anima æthereo immortalique corpore, qua parte immortalis est, cœlitus induta descendat. In terris verò, qua parte mutabilis est mutabili elementorum corpore vestiatur. Ac meritò hominis animæ, licet immortali, corpus corruptibile congruit, propter eam sui partem, qua esse mutabilis demonstratur. Nihil igitur obstat quin possit animal vnum in naturæ ordine reperiri ex anima immortale, ex corpore corruptibile. Idque manifestius homo sit, vt & superior ratio demonstrauit, & Anaxagoræ sententia comprobat, quatuor rerum gradus inducens, immortalem æternitatem, immortale tempus, mortalem æternitatem, mortale tempus. Primum esse arbitror mentem, secundum cœlum, tertium rationalem animam, quartum irrationalem. Ideo de homine dixit diuinum illud.

θνητὸς αἰὼν μέρος ἔχει θεοῦ τινός,

Id est, mortalis æternitas, Dei partem habet: hominem æternitatem quidem vocat, tum propter animæ substantiam, tum propter intelligentiam. Mortalem verò tum propter mutabilem animæ partem vel actionem, tum propter corpus ex elementis compositum. Neque absurdum esse Platonici putant, vt in anima actionis motio vnà cum substantiæ immutabilitate concurrat, quandoquidem & in cœlo (quod animæ fert imaginem) hæc duo manifestè concurrunt, nihil enim inter corporea cœlo mutabilius, nihil contra stabilius inuenitur. Talem quoque putant esse primam mundi materiam, quæ sic naturalibus subest formis, quemadmodum mens nostra diuinis. Putant autem mutationem rebus ex ipsarum multiplicitate contingere ita vt quæ essentiam habent multiplicem, motionem in essentia sortiantur, quæ verò virtutem actionemque solam, in iis duntaxat mutationem cludamus, nihil prohibet quo minus ani-

mæ quamuis indissolubili corpus dissolubile congruat, præsertim cum etiam cœli corpus ex eo dissolubile nominent, quod partibus constet extensis, propterea que seipsum continere non possit, sed virtute animæ connectatur. Idem contigisset & nobis, si animæ nostræ similiter atque cœlestes à diuina vnitate non recessissent.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

LIBER X.

Prima ratio. Sicut vltimum in ordine corporum est incorruptibile, sic & vltimum in ordine mentium.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



Voniam ordo corporum sub ordine intellectũ collocatur, pendetque inde, ideo corporum ordo non aliter ordinem sequitur intellectuum, quam pedis vestigium ipsum pedem, & vmbra corpus. Itaque qualem videmus ordinem in corporibus, talem penè debemus in mentibus coniectari. Videmus in corporum ordine sublime corpus, videlicet supremum cœlum in natura sua cunctas vires formarum omnium efficiendarum continere, per quas vtique vires tanquam actiuas & efficaces inferiora corpora ad varias formas suscipendas disponit.

Quapropter variis naturæ suæ viribus, & variis motionis suæ configurationibus corpora inferiora variè mouet & format, vt meritò dici possit, sublime cœlum formas corporum reliquorum vel actu vel actiua virtute complecti. Corpora verò sequentia affirmare possumus illi adeò subiici, vt ipsa quidem in potentia quadam susceptiua (vt dicitur) & passiua easdem habeant formas, atque actu ab illo suscipiant. Verum talis ordo seruatur, vt quo sublimius sub illo corpus est, eo magis actiuam potentiam habeat, minusque passiuam. Quod enim primo est proximum, ab vnico primo suscipit, atque patitur, agit in multa.

Quod sequenti ponitur gradu, patitur etiam magis, agit minus, quoniam à duobus iam, primo videlicet & secundo, patitur, in sequentia quæ accepit effundit, quousque ad infimam quandam materiam veniatur, quæ cum à superioribus omnibus capiat, ipsa tribuit nulli. Itaque in potentia passiua habet quidem formas omnes, quas per successionem à superioribus suscipit patiendo. In virtute autem effectiua habet nullam. Idem in mentibus cogita, quarum principium Deus, omnes intelligibiles species vno & proprio habet actu, distribuit omnibus, capit à nullo. Sequentes illum mentes inde omnes accipiunt, & inuicem ita se habent, vt superior inferiori ideas illas lumenque quasi distribuat. Ergo quo altior mens est, eo paucioribus subiecta, pluribus præsidet. A paucioribus igitur patitur capiendo, agit in plures distribuendo. Infima denique mens talis debet esse, vt primo illarum principio sit opposita, capiat ab

piat ab omnibus, tribuat nulli. Secundum naturam suam ideas illas in potentia quidem habeat passiua, nullas actiua, postquam ideas non transfundit in aliquem ipsi subditum intellectum. Quippe in primo potentia sola actiua est idearum in sequentibus actiua per ordinem & passiua, in infima mente passiua. Ordinem igitur primi cœli obtinet Deus, vicem sequentium corporum mediæ tenent mentes, locum materiæ infimæ infimus intellectus, qui per naturam suam successione quadam omnes intelligibiles rationes accipiat actu, siue videat, neque omnes actu simul intueatur, quemadmodum corporum formas suscipit ab alia in aliam succedendo. Materia hæc quia ex nulla antecedente materia fit, vnde creatore indiget infinito, idcirco à solo creatur siue manat Deo. Par est enim vt potentia simplex a simplici fiat actu, qui quoniam actionem suam vltra agentium reliquorum actiones protendit, solus facit materiam, quæ gradum tenet vltimum in natura. Si solus Deus creat materiam quæ est infimum corporalium, solus creat eam mentem quæ est infimum intellectuum. Si materia opus est omnium diuinorum operum à Deo remotissimum, intellectuale verò genus est proximum, & illa fit seorsum à mente, multo magis potest mens seorsum fieri à materia. Si talem ordinem habet intellectus vltimus in rerum intellectualium genere, qualem materia in genere naturalium, & materia à nulla re naturali potest fieri, sequitur vt postremus intellectus à nulla specie intellectus, quæ in eo fit genere, possit fieri. Quod si intellectus huiusmodi à nullo generis eiusdem intellectu vel multo præstantiore dependet, multo minus putandus est à genere naturalium, multo insuper minus à materia dependere. Hinc sequitur postremam mentem è materia non educi, sequitur etiam esse incorruptibilem. Nam cum mentium ordo sit ordine corporali præstantior, atque ordo rerum corporalium tandem descendat in materiam sempiternam, siquidem materia illa nunquam corrumpitur, quis vsque adeo demens erit, vt concedat mentium ordinem qui stabilior est diuiniorque corporibus, in mentem postremò desinere corruptibilem? Sit ergo perpetuus oportet vltimus intellectus, qui ita comparatur ad intelligibiles formas, quemadmodum ad sensibiles prima materia. Materia verò neque per aliquam sensibilem formam corporali corruptione corrumpitur, per has enim formatur, neque per aliquam intelligibilem speciem, ab his enim perficitur. Ergo mens vltima neque per aliquam intelligibilem speciem spiritali corruptione destruitur (his namque perficitur) neque per aliquam sensibilem formam corporali perit corruptione. Præest enim mens, non subest corporalibus speciebus. Neque transit in mentem corruptio corporalis, sicut non transit in materiam corruptio spiritalis. Imo verò si non transit in mentem violentia spiritalis, multo minus propter corporum crassitudinem transibit in eam violentia corporalis. Imo etiam si corruptio corporalium subiectam illis materiam non attingit, multo minus altiorem illis mentem conquinabit. Esto perpetuus intellectus vltimus. Sed quis iste? Iste inquam est intellectus humanus. quod intellectus in nobis sit, quis dubitat? cum non possimus nisi per vim intellectus de intellectibus disputare. Et sicut oculus Solis lumen non capit nisi per proprium quoddam sui lumen internum, ita anima nostra diuinos intellectus nec inuestigat nec intuetur, nisi per proprium intellectum. Sed qualis hic noster est intellectus? Hoc ego non curo amplius, qualiscunque enim sit, sempiternus erit. Intellectus namque superiores proculdubio perpetui sunt, si infimus est perpetuus. Ego verò arbitror nostram mentem idcirco esse postremam, sicut & pluribus placuit antiquorum, quoniam non simul agit sua, sed versat in se vicissim tanquam Proteus formas, atque intelligit succedendo, quemadmodum Luna quæ vltima stellarum est, vicissim mutat lumen, cæteris non mutantibus. Sit ergo nostra mens vltima. Sit etiam sempiterna. Quia sempiterna est semper inhiat sempiternis, & illa quoties à corpore non turbatur, attingit illico, solisque gaudet vt suis atque domesticis. Motus autem cuiusque rei ille est naturalis qui fit statim impedimento subtracto. Fit autem simillimum terminum, quia verò est vltima, amat corporum naturam ad quam quasi propinquam accedit, viuificat & gubernat.

Obiectio Epicuri & responsio de rerum serie.

CAPVT V.

Temere hic rursus Epicurus exclamat, portentum esse hoc, vt diuina mortalibus hæreant, vtpote qui non videat absque diuinorum stabiliumque consortio non posse constare mortalia. Latuisse illum puto oportere rerum seriem ita in suis

partibus digeri, vt cum multi variique sint rerum ordines in natura, semper superioris cuiusque ordinis infimæ partes supremis partibus ordinis inferioris proximè subsequentis quodammodo copulentur. Hoc nos docet ætheris cum elementorum natura cognatio. Siquidem Luna pars ætheris infima proxima elementis, elementale nonnihil habere videtur, tum crebra illa mutatione figuræ, tum ipsa lucidi fuscique corporis sui varietate. Rursus ignis altissimum elementum cœlum proximum imitatur, quoniam cœli instar mouetur & fulget. Idem ostendit & ipsa inter se naturalis elementorum quatuor dispositio, vbi pars infima ignis tumidior est, & quasi tepescit vt aër. Suprema regio aëris tenuatur & quasi feruet vt ignis. Ibi ignis aëreus est, igneus aër, atque ita in vnam compagem copulantur. Idem infima plaga aëris & aquæ suprema faciunt, vbi aër obnubilatus liquescit vt aqua, aqua item extenuata vaporibus exhalat vt aër. Terra rursus altior, pinguis & lubrica fit instar aquæ. Aquæ imum turgescit in terram, & sæpe glaciatur, vt terra. Vltra elementa vapores ipsi crassi, fumique, corpora iam composita sunt, sed proxima elementis. Postea paulo solidius glutinantur, fiuntque lapides aliqui spongiosi & rari, propinqui vaporibus, postmodum lapides reperiuntur duri fermè speciosique sicut metalla. Ex metallis ferrum plumbumque sunt propinqua lapidibus, argentum & aurum propinquiora sunt plantis, quoniam horum nitor & splendor flores referunt candidos & purpureos. In plantis tuber excedit metalla, quia manifestius nutritur & augetur, paulum tamen, quia non habet varium partium ordinem. Nobilissimæ arbores propinquæ sunt brutis, radices oris loco habent, ramos vt crura, brachia, & similia. Sextum habent vtrumque nonnullæ arbores, masculinum & fœmininum, vnde propè sitæ vberius pullulant. In brutis ostrea vno tantum superant plantas, quod sensum habent tactus, sed fixa terræ penè nutriuntur vt arbores. Multæ quoque bestiolæ sine coitu sponte nascuntur, vt herbæ. Sunt & simiæ, canes, equi, & elephantes, & aliæ bestiæ hominibus in quibusdam figuris, gestibus, artificiisque persimiles. Sunt stolidi homines & ignaui (vt apparet) his quoque quam proximi, sunt heroici homines aliorũ duces, supernis numinibus cognatissimi. Esse rursus oportet spiritus hominibus familiaritate coniunctos, quorum instructione magicæ artis, Plato vult reperta fuisse miracula, quemadmodum & instructione hominum bestiæ nonnullæ nobis propinquiores, mira sæpe supra suam speciem operantur. Atque hos dæmones heroesue ita esse nobis affectu proximos, sicut natura atque situ, adeo vt quibusdam perturbationibus afficiantur humanis, atque alij, aliis faueant personis & locis, alij insuper aliis aduersentur. Siquidem Ægyptij, quos sequuntur Origenes & Numenius & Porphyrius, multos autem esse dæmones qui ad superiora animos erigunt, multos etiam qui ad inferiora detorquent, pessimos autem in occidente dæmones esse, in septentrionali etiam plaga malos, bonos in meridionali, optimos orientalem colere regionem. Dæmonibus autem apud illos inferioribus superiores præsunt, his quoque alij, quos Angelos nominant. Item Angelis archangelos, archangelis principatus Platonici præferunt, principatibus autem intellectus quosdam qui dij iam participatione quadam denominentur, summo semper Deo pleni, diuinoque nectare ebrij. Si in omnibus rerum generibus confitemur infima quæque antecedentis ordinis cum supremis ordinis succedentis esse coniuncta, & inuicem quoquomodo confundi, cur non fateamur infimum intellectum cum suprema animarum sensitiuarum ita esse coniunctum, vt cum hæc, quamuis mortalis, imaginem aliquam habeat intellectus, quod est in bestiis sagacissimis manifestum, intellectus quoque postremus licet diuinus sit, sensitiuam tamen quandam habeat brutamque naturam, per quam conuenienter ad corpora terrena declinet. Præsertim cum deceat non humanam modo mentem, sed alias quoque omnes quæcunque impure quodammodo sunt, cum purioribus corporibus conspirare. Impuræ vero mentes animæ omnes rationales sunt, quæ licet puræ animæ sint, ideò tamen sunt mentes impuræ, quia mentes sunt animales. Mentes inquam ita mouendis corporibus deditæ, vt vestigia sua vitalia animaliaque corporibus imprimant. Puræ verò mentes sunt quæ mentes sunt solum, neque animalia ex se fundunt simulachra regendis immersa corporibus. Pura verò corpora sunt apud Platonem duodecim ipsæ mundi sphæræ, cœli octo & elementa sub cœlo quatuor. Quinetiam partes quædam in iis sphæris singulis preciosissimæ. Animæ itaque rationales sphæris omnibus insunt, gradatim pro sua dignitate dispositæ.

Sed ipsam vnam vnius machinæ animam Iouem nuncupat Plato, animas autem duodecim sphærarum duodecim vocat deos Iouis pedisequos. Sphærarum partibus purioribus similiter attribuit animas mentis participes, stellis scilicet & planetis, quos etiā vocat deos. Ignis partibus dæmones, heroesque igneos. Aëris clari aëreos. Aëris caliginosi aquaticos dæmones, atque heroes. Purioribus postremo terræ partibus mentes copulat, quæ humi habitantes homines appellantur. Interdum etiam dæmones heroesque in terra ponuntur.

Neque sub luna tantum, sed etiam in cœlis vltra stellas dæmonum heroumque turbas quamplurimas collocat. Sed in omnibus sphæris vltra dæmones heroesque principes animas ponit particulares, siue dæmonicas heroicasque, siue humanas, quæ non semper æterna sequantur, vt principes illi, sed æterna temporaliaque vicissim, & corpora vitamque mutent, tum ascendendo in melius, tum in deterius descendendo. Proinde quot stellæ sunt, totidem subesse dæmonum, heroum animarumque turbas. Sub Saturno Saturnias, sub Ioue Iouias, Martias verò sub Marte, similiterque deinceps. Mitto quod omnia putat in omnibus esse, sed in terra modo terreno, in aqua aquatico, similiterque in aëre atque igne. In cœlo quoque pro cœlesti natura. Omnia in luna pro natura lunari, in sphærisque aliis eodem pacto, adeo vt sphæra quælibet suo modo & propria qualitate totus sit mundus.

Sed vt iam propositum concludamus. Sic erunt aliqui spiritus extra corpus atque perpetui, item aliqui iis oppositi in corpore, atque mortales. Sint ergo oportet medij, qui vel extra corpus sint, & mortales, quod fieri nequit, vel in corpore quidem, sed immortales. Primi illi sunt supernæ mentes, quos vocant purissimos Angelos, qui & gradibus inter se quamplurimis distinguuntur. Illis oppositæ sunt animæ bestiarum. Medium obtinebunt rationales animæ, quæ sunt quasi Angeli quidam inferiores. Neque absurdum est esse spiritum in corpore aliquo immortalem, cum etiam reperiatur corpus aliquod immortale, quod est cœlum, & tota ipsa quælibet vniuersi sphæra. Imò decet omnibus præcipuis mundi corporibus spiritus adesse perpetuos, quasi formas. Siquidem omnibus (vt plerique putant) perpetua inest materia. Oportet autem à formis quibusdam vbique materiam superari. Conducit ad idem Ægyptiorum opinio illa à Platonicis quidem omnibus, præsertim à Proculo confirmata, videlicet ad consonantiam mundi perfectam esse oportere, non solum animalia quædam rationalia, immortaliaque, atque contrà animalia irrationalia & mortalia simul, verum etiam multa inter hæc media rationalia quidem, sed mortalia, non in terra solum, sed etiam in cæteris elementis. Non tantum igitur homines in corpore mortali habere animos sempiternos, verum etiam multos dæmones partim propinquos nobis, partim longè sublimiores, quorum corpora gignantur atque intereât, quamuis diutius quam nostra gradatim diutiusque viuant. Nón enim decere putant, vt à cœlestibus animalibus, rationalibus, sempiternis, felicissimis, ad animalia terrena rationalia quidem, sed infelicissima, vitaque breuissima, subitò descendatur, imò per gradus quosdam animalium rationalium quæ feliciora quidem sint, & diuturniora quam homines, non tamen sempiterna, corpore vel animo beatissima. Idem quoque Plutarchus, & familiares eius Demetrius Philosophus, Æmilianusque rhetor affirmant. Testantur enim ex multis prodigiis quæ suis temporibus contigerunt, Pana magnum dæmonem, aliosque multos dæmones eiulasse primum, deinde etiam obiisse. Itaque sempiternæ mentis cum corpore humano quamuis caduco consortium haud ita absurdum est, vt Epicurus Lucretiusque existimant, præsertim cum nostra mens ita sit vltima mentium, sicut stellarum est vltima Luna, atque vt Luna ad Solem, sic nostra mens referatur ad Deum. Luna circa Solem ita reuoluitur, vt aliàs luceat, aliter & varie figuretur, nunquam tota luminis recipiendi facultate priuetur. Habet insuper nitidum in se quiddam, habet & fuscum. Habet denique opacum quiddam, quod impedit ne tota refulgeat. Mens humana similiter diuini Solis radio fulget quidem semper, sed aliàs aliter, mutatque figuram, nunquam tota resplendet. Neque quod in ea splendet, splendet æqualiter. Præter diuinam eius rationalemque virtutem subest pars quædam opaca, & vacua ratione, quæ tanquam lunaris illa opacitas ad elementa, sic ipsa ad materiam corpusque declinans, relinquitur luminis expers.

Ergo naturali rerum ordini consentaneum esse videtur, mentē vltimam, quamuis sempiterna sit, cum corpore quodam licet caduco posse coniungi. Mitto quod

Xenocrates & Speuſippus, Iamblicus & Plutarchus putant ab ipſa ſempiternitate vim procedere ſempiternam, non ſolum vſque ad mentes vltimas quæ reflectuntur in ipſam, ſed etiam vſque ad animas beſtiarum. Numenius inſuper ad plantas vſque producit. Plotinus denique etiam ad naturam. Nos autem Porphyrium Proculumque ſequamur, eatenus putantes vitam cognitionemque procedere ſempiternam, quatenus propria in eandem conuerſio reperitur. Illa enim quandam in ſe æternitatis retinent rationem, quæ in ipſam ipſius tum ratione tum gratia, nec ſolum motu alieno atque communi, ſed etiam ſuo & proprio reflectuntur. Sed nunquid humanum corpus ea eſt dignitate donatum, vt mentem perpetuam excipere hoſpitem mereatur? Proculdubio, neque turbari ex hoc debemus, quod natura variis propugnaculis inſtruxit corpora beſtiarum, & adiumenta ſuppeditauit ad victum, nobis nihil tribuit tale. Non enim voluit delicatam æqualitatem noſtri corporis deformare, neque potuit infinitis actionibus hominis, quæ infinitam ſequuntur cogitationem, innumerabilia vel propugnacula vel inſtrumenta ſuppeditare, ſed, vt inquit Ariſtoteles, dum mentem manûque dedit, artes omnes atque omnia inſtrumenta conceſſit. Beſtias autem facilè finitis munimentis inſtruxit, quibus determinatas actiones phantaſiæ ad certum quiddam natura directæ exequerentur. Arbitramur verò corpora noſtra eſſe idonea mentis hoſpitia, tum propter figuram erectam, non humi ſed supernè ſpectantem, & cœlum quaſi patriam ſuam proprius agnoſcentem, tum propter membrorum variorum decorem omnino mirabilem, tum quia ignis & aër elementa puriſſima in nobis valent quam plurimum, quod etiam indicat agilitas corporis, procerus habitus, & erectus aſpectus. Maximè vero propter complexionem temperatiſſimam, quæ ſignificatur ex delicata, leni, firma & nitida carnis mollitie, quæ non fit niſi exactiſſima elementorum temperatione. Aliqua viſu hominem ſuperat, multæ aues auditu, canis olfactu, nullum vero animalium guſtu vel tactu.

Quod planè perſpicitur ex eo, quod homines in epulis, poculis & venereis immoderatius profunduntur quam bruta, licet ratione nonnunquam cohibeantur. Par eſt enim vt auidius quam beſtiæ eas voluptates adſciſcant, quas ſentiunt & acutius. Tres illi ſenſus ſuperiores tunc expeditiſſimi ſunt, quando ſiccum eſt cerebrum. quam ſiccitatem non tradidit Deus homini, cuius cerebrum quieſcit nunquam, ne fortè ſi eſſet natura ſiccum, etiam continua agitatione areſcens, citius quam decet exſiccaretur. Guſtus nihil aliud eſt quam tactus aliquis linguæ. Tactus cum vniuerſalis ſit ſenſus, tum omnis animalis, tum corporis vniuerſi, vbi acutiſſimus eſt, declarat optimam ineſſe corporis complexionem, ob id potiſſimum, quod cum fiat in neruis, qui quando aridiores ſunt, ſentiunt male, vbi acutus eſt tactus, ſignificatur ineſſe mollitiem, quæ temperet neruorum ariditatem. Præterea ſenſuum inſtrumenta nunquam actu eas qualitates habere debent, quas ſenſus eſt percepturus. Pupilla enim coloribus, auditus ſonis, olfactus odoribus, caret lingua ſaporibus. Cum verò tactus verſetur circa quatuor qualitates, & elementorum, oportet vt vel careat illis omnino, quod fieri nequit in compoſito corpore, vel ab earum exceſſu procul abſit, ita vt in eius inſtrumento nulla videatur qualitas dominari, ſed quaſi quædam expulſis qualitatibus harmonia. Opus fuit tamen multum terræ & aquæ ſecundum molem nobis ineſſe, vt vim ignis aërisque longe vehementiorem aqua & terra molis abundantia temperaret.

Datum quoque nobis eſt maius cerebrum, & cor calidius quam cæteris animantibus. Illud quidem, vt per varia inſtrumenta ſpeculationi ſuppeditet, hoc autem vt & multi & clari ſpiritus adſit cerebro. Suſpenſum etiam caput eſt, ne grauium humorum ſordes deſcendant ad cerebrum, & inquinent ſpirituum puritatem. Vehemens quoque tum cerebri frigiditas humiditaſque, tum cordis caliditas atque ſiccitas, tàm ſe inuicem quam membra omnia temperant. Ideo in homine videtur eſſe complexio omnium temperatiſſima. Quæ ſi terrea eſſet, vt beſtiarum ferè omnium, cornibus, dentibus, vnguibus, roſtriſque durioribus, aſpera & hirſuta pelle, ſquamis eſſemus obducti.

Nunc verò contra, ita affectum eſt corpus humanum, vt neque caloris & ſiccitatis exceſſu ſit aſperum, neque frigore nimio rigidum aut pigrum, neque humore ſuperfluo fluxum & lubricum, ſed delicatum pariter atque ſolidum. Quod etiam intelligitur ex alimentis quibus aſſidue veſcimur, aëreis, dulcibus, attritis, tenuatis, liquefactis, concoctis, temperatiſſimis. Beſtiæ verò contrariis.

Qualis autem complexio est, talia alimenta cupit, & qualibus vtitur alimentis, talis euadit. Concludamus igitur hominem ad contemplandum esse natum, vt Anaxagoras inquit, postquam ita in eo tam cerebrum quam reliquum corpus constitutum est, vt continuo contemplationis officio seruiat, quod & cerebri requirit mollitiem, & complexionem corporis temperatam, illam ne speculando nimium exsiccetur, hanc ne humorum tumultu à contemplando detorqueatur. Cum verò tanta sit & tam sublimis nostri corporis moderatio, vt cœli temperantiam imitetur, nihil mirum est si cœlestis animus hanc ad tempus ædem habitat cœlo simillimam. Neque tamen carni infunditur primum, sed mediis ducitur competentibus, vt Magi Persarum docent. Primo quidem in ipso descensu cœlesti aëreoque inuoluitur corpore, deinde spiritu ex corde genito, qui in nobis cœli instar temperatissimus est, & lucidissimus. His mediis corpore clauditur crassiore. Atque iis omnibus æquè fit proximus, licet per aliud in aliud se transfuderit, sicut calor ignis aëri & aquæ hæret proximè, quamuis per aërem trahatur ad aquam. Ac meritò immortalis anima per immortale corpus illud æthereum mortalibus corporibus iungitur. Perpetuum quidem illud colit semper, hæc ad breue tempus mortalia, vt merito appellari animus debeat Deus quidam, siue stella circunfusa nube, siue dæmon, non incola terræ, sed hospes. Hospes nosce teipsum, scito te esse cœlestis patriæ ciuem, ciuem natum ad cœlestia contemplanda. Memento si finis tuus est contemplatio, vitam tuam augeri ac perfici contemplando. Cum verò ex hoc ipso vita corporis quodammodo remittatur, sequi vt in ipso vitæ corporeæ detrimento atque interitu, non decrescat tua vita, sed crescat.

Secunda ratio. Sicut in rebus naturalibus fit resolutio ad primam materiam immortalem, sic ad formam vltimam immortalem.

CAPVT III.

ORdo naturalium corporum ita est institutus, vt in primam descendat materiam & in vltimam ascēdat formam. Et quo magis materia quęuis ad materiam primam accedit, eo potior materia sit, id est verior puriorque materia. Quo magis aliqua forma ad vltimam formam, eo fit forma perfectior. Materia enim prima materiarum materia est. Forma vltima est forma formarum. Accipe hoc exemplo quod volumus: Corpus animalis in membra quasi materiam suam diuidimus, membrum quodlibet in humores quatuor, qui sunt quædam membri materia. Similiter humorem quemlibet in quatuor elementa. Elementum vero in materiam simplicem, ad quam deuenire tandem oportet, ne descendamus in infinitum, neue compellamur econuerso ascendere sine fine. Nusquam enim erit actus mixtus, si nusquam mixta potentia fuerit, nusquam rursus actus purus inuenietur, si nusquam potentia pura valeat reperiri. Et cum actio ab actu puro exordium habeat, passio à pura potentia, actiones passionesque nusquam erunt. Sit ergo oportet materia simplex. Hæc vtique materia simplex quæ subiecta est elementi formæ, prima materia nominatur. Quoniam ipsæ naturæ artifex in corporibus fabricandis principio hanc materiam accipit nudam, mox elementorum vestit qualitatibus atque formis, tum elementa in speciem producit humorum, deinde humores in formas membrorum digerit, membris addit speciem nutriendi, huic sentiendi formam, huic tandem intelligendi. Intellectiua vero natura est duplex. Vna quæ adeo est à corporibus aliena, vt nullam illis vitam præstet, hæc ideo materiæ vel corporis forma non dicitur, & ordo ille corporum in hanc mentis naturam ceu propriam formam non desinit. Hunc gradum apud Platonem sublimes obtinent Angeli. Sed est altera natura mentis, quæ corpori iuncta, quodam quasi fœdere cum ipso conspirat, in quam velut vltimam materiæ formam ascendit progressio corporum. Progressionis huius duo sunt termini, materia infimus, mens ista supremus. Si longissimè inter se distant, conditiones inter se oppositas habent. Ergo sicut materia prima, mera materia est, natura sua expers omnino formæ, omnibus subiecta formis atque materiis, ita vltima illa forma, scilicet mens. mera forma est, scilicet expers omnino materiæ, formis omnibus earumque materiis præsidens. Item sicut materia prima à primo esse distat longissimè, atque est proxima nihilo, vnde inter esse & nihil ponitur à Platone, ita vltima forma longissime distat à nihilo, atque est primo esse quam proxima. Hinc tria sequuntur. Primum, quod vltima forma nulla ex parte pullulat à materia, secundum, quod à solo fit Deo, tertium, quod per-

manere poterit immortalis. Primum horum concluditur ex prima comparatione quam induximus, secundum ex secunda, tertium ex prima sequitur & secunda. Ex prima sic: Si est expers omnino materiæ corporalis, quæ perniciosæ mutationis initium est, procul est à pernicie. Ac si mirabile rerum caput est, neque mirabilibus rebus succumbit, neque mutationem suscipit aliquam nisi vitalem.

Ex secunda vero sic: Si terminus nihilo proximus non tendit in nihilum, quid mirum terminum à nihilo remotissimum, & primo esse proximum, neque ab esse extrudi vnquam, neque trudi in nihilum? Rursus perfectior est formæ quam materię natura, cum materia à forma perficiatur atque ornetur. Ergo quemadmodum de materia in materiam descendentes gradatim, ad materiam primam corporum deuenimus sempiternam, ita etiam de forma ascendentes in formam, paulatim in vltimam corporum formam sempiternam prouehimur, ne ascensus sit imperfectior quam descensus, ac supremus terminus imperfectior sit quam infimus. Decet eam intellectualem formam ad quam tanquam finem totus vniuersæ naturæ tendit conatus, vsque adeò absolutam consummatamque esse, vt sit procul à morte. Medias verò formas immortales esse non est necessarium, eas enim parui facere natura videtur: cum illas non tam propter ipsas quam propter vltimam eligat. In quo sanè videntur præparationes quædam materiæ ad formam vltimam capiendam potius quam formæ principales existere. Per illas quasi vias transit ipse motus impetusque naturæ, in illa sistit natura motum. Merito igitur illæ ab esse in non esse transibunt, illa quiescet in esse, vt naturæ finis maneat sine fine. Dicimus autem totum vniuersæ naturę conatum ad id potissimum dirigi, vt animal intellectuale sit ex eo quod intellectus adsit corpori, vt autem intellectus ipse in se sit, actionem duntaxat diuinam posse conferre. Et cum ab ipsa duntaxat æternitate dependeat, æternum fore. De intellectuali autem animali quidnam dicemus? Magi non dubitant id quoque in sua temperantia permansurum fuisse, vt Plato in Charmide scribit, si modo animus in sua id est diuina temperantia permansisset. Ab ipso enim omnem tum consonantiam, tum dissonantiam corporis proficisci. Idem prorsus lex Mosaica Christianaque docet. Verum quod vniuersus ordo ob inordinatum animi motum olim amisit, ipso tandem ordine præualente rursus in ordinem esse redigendum, non Moses solum, sed Zoroaster, Mercurius, Plato consentiunt. Sed de his alias. Nunc iam quod erat propositum concludamus. Sint igitur termini corporalis ordinis vtrique perpetui, & infimus, & supremus. Supremum verò terminum, vltimamque formam esse rationalem animam prisci Theologi putauerunt, quibus cum Aristoteles consentit in libro de diuinis duodecimo, vbi de causis efficientibus & formalibus disputans inquit: causas quidem mouentes materiam præcedere, formas minime. Si autem post materiam forma aliqua maneat, esse perscrutandum. Nam in quibusdam nihil prohibere, vt si est anima tale, non omnis, sed intellectus. Idem in libro de Naturalibus secundo inquit: Philosophi naturalis inuestigationem vsque ad illam formam protendi, quę separata quidem sit simul & in materia, quam esse hominis animam ipse tibi significat, & ita Peripatetici omnes exponunt. Nos autem putamus tum priscos Theologos, tum Aristotelem tali quadam ratione in hanc sententiam concurrisse. Quod sicut complexio temperata est finis ad quem diriguntur omnes motiones complexionesque naturales, ita rationalis anima, cui subest temperata complexio, finis est formarum omnium naturalium. Rursus illa est vltimæ formæ conditio, vt neque omnino sit absoluta, neque omnino immersa corporibus. Si omnino esset libera, neque quicquam per corpus operaretur, corporis forma non esset. Si obrueretur omnino, neque ageret aliquid absque corpore, non esset vltima forma, Esset enim hac vlterior illa quæcunque talis esse reperiretur, vt partim quidem iungerêtur corpori, partim non iungeretur. Qualem profectò esse aliquam oportet, vt inter substantiam illam angelicam à corpore omnino seiunctam, perque illud nihil agentem, atque formam aliam omnino coniunctam corpori, perque corpus agentem omnia, qualis est anima bestiarum, forma quædam sit media, partim iuncta corpori, partim etiã separata, vt aliquid per corpus efficiat, aliquid per seipsam. Talis est autem rationalis anima omnis, quia & règit corpus, & speculatur. Humana quoque talis est proculdubio, quæ nutriendi & sentiendi opera per corporis exequitur instrumenta, intelligendi autem & eligendi actum perficit per seipsam. Sic Angelus tam per substantiam quàm per operationem est à materia separatus, & in æternitate totus, quia totus in statu. Brutorum animæ per

vtrumque coniunctæ, & totæ in tempore, quia per vtrumque mutantur. Rationales animæ quia partim coniunctæ esse debent, partim etiam separatæ, neque esse possent per aliquid separatæ, si coniunctæ per substantiam essent, necessario sunt per substantiam separatæ, siue separabiles, quia scilicet nullam habent originem à materia vel ab agentibus instrumentisque corporeis. Sunt autem coniunctæ per operationes, non quidem per omnes operationes, sed infimas, & id quidem non violentia, sed amore. Vnde secundum Chaldæos in confinio sunt æternitatis & temporis. Per substantiam quidem in æternitate sunt, per operationes in tempore. Siquidem illa manet, istæ mutantur. Decet enim inter quod omnino est ęternum, atque id quod penitus temporale, esse aliquid partim æternum, partim etiam temporale. Et inter id quod semper est, atque id quod fit aliquando, esse aliquid quod fiat semper. Tale quidem est cœlum, & permanens substantia semper, & mobile. Rursus talis ipsa mundi materia, atque ipsa etiam (vt ita dixerim) corporeitas. Præterea fermè talis est anima, quæ fluit semper effectu & actu, quamuis substantia maneat. Vnde declinat ad corpora quæ fluunt insuper per substantiam. Talis profectò anima ideò forma est corporis vltima, quia format quidem regitque corpus. Verum ita pene excedit naturam corporis, vt in ipso sit limine, ac paulum quid prætergressa, limites corporis sit penitus relictura. Nempe multo magis separata est, quam coniuncta. Communicat namque illi partem sui, siue potentiam inferiorem quam habet cum brutis plantisuè communem. Partem verò præcipuam, diuinis persimilem, in qua tota consistit rationalis animæ ratio, semotam habet à corpore in essentia, qui etiam in actione. Et quoties operatur per intellectum, primo naturalique instinctu ad separatas rationes sese confert, quod quidem omnes Peripatetici confitentur. Ad singulas verò coniunctasque formas non primo aut recto, sed secundo & obliquo quodam actu se torquet, quatenus ad simulachra vnde species intelligibiles procreauit, se reflectit. Quis ergo non viderit vim rationalem magis separatam esse quam coniunctam? Siquidem ad separata rectè & primò, ad coniuncta oblique actu sequenti se vertit. Quæ tunc maximè quod vult assequitur, quando longissimè discedit à corpore. Contra, quando per sensus descendit ad corpora, tunc fallitur, & innumeris passionibus perturbatur. Non potest autem rerum mortalium esse similis, si illarum præsentia fallitur & turbatur. Imò verò similis est diuinarum vt in Phædone docet Plato, quia quo illis hæret propinquius, eo clarescit magis, gaudet. Quiescit autem in loco sibi naturali, res quælibet angitur in alieno. Vnde apud Platonicos apparet non esse in corporibus mortalibus, quatenus mortalia sunt, naturalis intelligentiæ, sedem. Ergo paululum quid abest vt rationalis anima sit prorsus à corpore separata. Est igitur forma vltima, cum super eam non sit forma alia corporis, infra verò sint multæ ita dispositæ, vt gradatim huic animę propinquantes quasi super materiam eleuentur.

Obiectio Epicuri & responsio, de formis Deo simillimis.

CAPVT IV.

Somniare nos Epicurus inquit quando formas excedere vllo modo materiam qua sustinentur, asserimus. Absorberi eas vsque adeo à materia putant, vt impossibile sit aliquam licet excellentissimam formam aliquid vltra materiam operari. Nos autem omnia naturæ opera (sicut Plato in Philebo scribit, Aristotelesque confirmat) à diuina quadam perfici arbitramur intelligentia, quæ quidem cœlos velut instrumenta sua reuoluens, & citans, vt Plato inquit, cœlestem currum, inde inferiorem hanc elementorum format materiam. Atque vt in arte operis forma triplicem habet gradum. Est enim primum in artificis animo, secundo in instrumentis ab eo agitatis, tertio in materia inde formata, ita formæ rerum quas Deus per cœli motus vel traducentes vel præparantes hic generat aut creat, primum in ipso sunt Deo, deinde in cœlis tanquam riuulis aut sedibus, postremo in hac inferiori materia. Oportet autem materiam hanc, quandoquidem à diuina intelligentia sic agitatur, suscipere ac præ se ferre exactissimam aliquam diuinæ intelligentiæ formam, quod etiam in natura & artibus fieri cernimus. Vitalis siquidem natura animæ per calorem naturalem tanquam aliquod instrumentum materiam agitat alimenti à nobis sumpti, redditque vitalem. Vita hæc alimento tributa, non caloris illius imitatur formam, sed animæ. Calor enim ex se vitam non generat. Pictor etiam per instrumentum suum penicillum formam aliquam signat in pariete, non penicilli fi-

milem, sed animi sui potius, qui eam in se prius conceperat, & postea parit. Igitur tam secundum naturam quam secundum artem operis forma formam refert agentis. At enim in hoc gradum triplicem reperimus. Aliam formam videmus propinquiorem materiæ quam agenti, aliam agenti propinquiorem quam materiæ, mediam verò nonnullam. Accipe primum exemplum aliquod in natura. Anima quippe per instrumentum illud suum calorem scilicet naturalem, cibo digesto triplicem tribuit formam. Nam crassioribus cibi partibus formam tribuit ossium, ossa namque ex illis generat atque nutrit. Tenuissimis verò partibus vt plurimum spiritus ipsius adhibet formam, quia ex illis spiritum creat. Mediis denique formam præstat carnis atque neruorum. Hæc omnia exequitur naturalis ille calor, non sua virtute, sed animæ. Ipse enim vrit tantum natura sua, atque dissoluit, sed ad huiusmodi opera per virtutem animæ temperatur. Forma ossium remotissima est ab anima, & materiæ proxima. Nullus enim fit sensus in ossibus. Forma carnis atque neruorum propinquior est animæ quam ossium. Sensus enim per hæc fiunt. Sensus, inquam, hi quinque, qui nondum tamen longissimè discedunt à corpore, cum nihil vnquam nisi præsentibus externis corporibus agant. Forma denique spirituum est animæ proxima, quippe cum hi imaginationi & phantasiæ excellentioribus animæ viribus modo quodam subseruiant. Exemplum habes in natura. Accipe insuper exemplum in artibus. Instrumenta profectò quibus vtuntur artifices, suam quandam duntaxat habent naturam atque figuram, non tamen habent ipsam artificis intelligentiæ pulchritudinem. Verum per hæc artificis animus tria quædam exequitur, nonnulla sibi quam proxima, remotissima, alia media. Omnia sanè artificis opera quæ ad aspectum pertinent, aut auditum, totum penè artificis declarant ingenium. Quæ ad sensus tres reliquos, minimè. Nam in odoribus saporibusque conficiendis, aut stratis lauacrisque temperandis, paulum aut vix artificis apparet intentio. In picturis autem ædificiisque consilium & prudentia fulget artificis. Dispositio præterea & quasi figura quædam animi ipsius inspicitur. Ita enim seipsum animus in operibus istis exprimit & figurat, vt vultus hominis intuentis in speculum, seipsum figurat in speculo. Maximè verò in sermonibus, cantibus, atque sonis artificiosus animus se depromit in lucem. In his enim tota mentis dispositio & voluntas planissimè designatur, & qualis est affectus artificis, talem nobis affectum opera eius solent excitare, flebilis vox flere, furiosa furere, lasciua lasciuire sæpe compellit. Hæc igitur opera cum ad visum tum ad auditum spectantia, artificis menti sunt proxima, illa verò quę ad tres reliquos pertinent sensus, vt diximus, remotissima. Mediæ autem illæ operationes sunt, quæ ad corporis exercitationes, ludicras aut bellicas pertinent. Vnde nam ars & natura ita ad dispositionem suorum operum temperantur, nisi à Deo naturæ artiumque institutore? Deus itaque opera sua in corporibus similiter temperat, ita vt etiam ipse in materia sibi subiecta triplicem formarum generet gradum, videlicet sibi proximas formas, remotissimas, atque medias. Et quoniam quicquid mouet materiam, non alia ratione mouet, quam vt eam extollat ad sui vultus imaginem, nec falli Dei sententia potest, necesse est alicubi in materia diutius agitata faciem artificis Dei expressius relucere, ac ferme tanto expressius quam in aliis materiis, aliorum mouentium facies, quanto in mouendo atque trahendo Deus est potentior aliis. Ideo Dei vultum tam similem denique in materia effulgere oportet, vt nequeat similior emicare. Quamdiu resultat mortalis, consummatam non implet imaginem. Sane similior foret, si semper esset similis, id est si surgeret immortalis. Fit ergo aliqua forma in materia immortalis. Siqua talis erit, illa erit quæ est vltima, quæ sicut remotissima est à materia ex eo quod vltima est, ita est proxima Deo, ideoque simillima. Talem esse rationalem animam non est dubium. Sed planius rem ipsam aperiamus.

Responsio planior de formarum gradibus.

CAPVT V.

PRincipio Deus materiam primam certo modo ad rerum naturalium species producendas afficit per qualitates primas, atque disponit, per raritatem, densitatem, leuitatem, grauitatem, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem. Quæ quidem vocantur qualitates præparationesque materiæ potius quam formæ principales & species, propterea quod harum quælibet pluribus comperit speciebus, & sæpe intenduntur & remittuntur. Rerum tamen species (vt placet Physicis) non ita mutantur. Sæpe accedunt atque rece-

dunt atque recedunt, dum species permanent. Quis neget multis arborum & animalium speciebus communem esse caliditatem & frigiditatem, atque has qualitates in animantibus secundum magis minusue variari, dum eadem permanet species animantis? Sunt igitur materiæ quam simillimæ, cum instar materiæ pluribus speciebus subiiciantur, neque ipsæ sua duntaxat præsentia species rerum inter se distinguant. Affectiones igitur præparationesque materiæ ad suscipiendas species nuncupentur. Ergo materia per extensionem quantitatis sibi familiarem, & ad multa communem, qualitatibus huiusmodi pandit sinum. Per has vero ad suscipiendas species præparata, statim à mente diuina mundi totius opifice formas speciesque accipit elementorum. Speciem ignis, quando parata fuerit per caliditatem, siccitatem, raritatem, & leuitatem. Speciem terræ, quando per frigiditatem, siccitatem, spissitudinem, grauitatem & reliquas sua singulas ratione. Hæ formæ elementorum eo suas illas præparationes superant, quod illarum sunt fines, quodue proprias distinguunt species, & permanent quodammodo firmiores. Citius enim aquæ frigiditas permutari videtur, quam species aquæ, similiterque in aliis. Sunt tamē materiæ prorsus immersæ, quia non resoluuntur in species alias formasue principales, sed mox per qualitates affecta materia inducuntur deformi materiæ gremio proximæ. Vnde propter naturam passiuam materiæ vix vnius sunt participes actionis. Quid agit aliud ignis nisi quod vrit? Neque aliud operantur, nisi quatenus præparationes illæ materiæ adiuuant, quia nihil agunt vltra quam possit calor, frigus, siccum, & reliqua. Vnicum præterea motum habent, & vnum situm. Est tamen ordo aliquis inter formas elementorum. Nam forma ignis quia à materia liberior est quam aliæ propter mirabilem raritatem, efficacior est in agendo, & à passionis infectione remotior. Congregat deinde mens quatuor elementa hæc in vnum, eorumque temperationibus variis varias conficit lapidum species & metallorum, atque similium quæ mixta dicuntur. Quorum formæ in hoc excellunt formas elementorum, quod in formas alias quodammodo præcipuas resoluuntur, neque in materia nisi diligentius elaborata fiunt, & aliquid operantur, ad quod elementorum formæ & dispositiones illæ materiæ non sufficiunt. Non enim per elementorum qualitates iaspis prouocat partum, phantasmata noxia pellit Saphirus, cohibet sudorem, confert ad gratiam, Smaragdus extinguit libidinem, Amethystus sedat ebrietatem. Nam & alia multa quæ similes habent qualitates, idem efficerent. Faciunt autem hæc ex quadam virtute speciebus talibus ab animis sphærarum tributa. Sed à materia non longè absunt, quoniam virtus huiusmodi corporalis est, atque per corpora sphærarum traducitur. Ac licet operationem aliquam qualem diximus, agant, nullum tamen opus ab illis tali virtute perfectum restat. Atque vnum hæc motum habent, locumque vnum, quantum elementum hoc aut illud in eorum præualet mixtione. Omnino autem inter has formas illæ efficaciores sunt, in quarum mixtione elementa puriora crassioribus dominantur. Sequuntur formæ plantarum, his idcirco præstantiores, quia per elementorum qualitates vt instrumenta opus viuum efficiunt quod illæ non possunt. Propagant similes sibi plantas in specie, quod mixtorum illorum formis non datur. Nutriendo motus peragunt in omnes locorum partes contra naturam grauium elementorum, quæ in earum mixtione excellunt, corpus nactæ sunt secundum membra inter se diuersa distinctum, ramos, surculos, stipitem, & radices, quasi sint multæ in his formis virtutes, ad quarum officia explenda multis & variis opus sit instrumentis. Similitudinem quoque præ se ferunt aliquarum tum virtutum cœlestium, tum motionum. Virtutum, quatenus aliqua operantur ad quæ elementorum non sufficiunt qualitates. Motionum, quia motus edunt vndique quasi in circulum, atque ab intrinseco principio cœlorum instar sua mouent corpora, ordinant præterea membra sua omnia ad principale aliquid sui, sicut mundi agitator sphæras omnes in vnum. Verum nimis adhuc vergunt in elementorum materiam, quia opus nullum peragunt nisi elementorum formis vtantur calefaciendo, frigefaciendo, & in reliquis eodem pacto. Accedunt brutorum animæ, plantarum animabus pręstantiores, quoniam similes sunt cœlesti naturę non in mouendo solum, sed quodammodo etiam in cognoscendo. Cognoscunt omnia cœlestes illæ virtutes, cognoscunt aliquid & animæ bestiarum, operationem habent spiritalem. Sensus enim imaginationisque actus spiritalis est per ipsas obiectorū imagines spiritales. Neque peragunt sentiendi actum per aliquam qualitatem elementorum, quia cum sentiunt aliquid, neque

frigefaciendo sentiunt. Versantur autem & istæ formæ adhuc circa materiam, quia per corporalia instrumenta sensuum actus exercent, neque quicquam nisi corporale & particulare percipiunt, semperque obtemperant corporis vsui. Has omnes denique supereminet hominis anima, quæ non in cognitione duntaxat, sed in genere etiam cognitionis cœlestibus fit mentibus similis. Intelligit namque hæc, sicut & illæ. Ad quam operationem neque elementorum qualitates, neque instrumentum aliquod corporale ex illis compositum concurrit. Quod quidem significat præ cæteris mentis huius naturam à materiæ vinculis exclusam esse, cum operationem sortita sit à materiæ commercio liberam. Materia siquidem vim impedit cognoscendi, quod ex hoc apparet, quia formæ elementorum, mixtorum, plantarum quæ materiæ vicinæ sunt nihil noscunt. Et in animalibus illæ partes sensibus pluribus seruiunt, ad quas materia crassior minus ascendit, quale est cpaut, & ibi fit sensus acutior, vbi purius instrumentum est, & spiritus plurimus. Vnde visus quia est purior reliquis, sentit celerius & acutius, altiusque nobis infigit rerum notas. Ideoque per ea quæ ad visum spectant, clarius post longum tempus agnoscimus quælibet, quam per sensuum aliorum indicia. Atqui & in somnis sępius nobis visa sese offerunt quam audita. Neque solum cognoscendi vim materia impedit, sed rem etiam cognoscendam. Idcirco quando moles ipsa rerum premit sensum, aut nullo modo aut ęgrè sentimus. Formę quoque rerum in primis sese nobis offerunt, perque illas materiam quasi subintelligimus. Priuationes præterea per habitus, materiamque per relationem quandam ad formam necessario coniectamur. Non omnes tamen formas per relationem ad materiam cogitamus, quod significat materiam à formarum genere dependere, atque esse formas aliquas à materia liberas. Rursus tunc res clarissimè firmissimeque cognoscimus, quando rationes ipsas rerum absque materiæ conditionibus cogitamus. Si materia tam virtuti quam obiecto cognitionis impedimento est, sequitur animam quæ sentit quippiam imaginaturque, non esse compositam ex materia, imò neque esse formam quantitate diuisam, si modo in ipsa cognitione mutua mirabilisque vnio, & penetratio fit inter formam apprehensam, & potentiam apprehendentem. Id verò totum quantitatis dimensio prohiberet. Ac si per cognitiones inferiores concludimus animam ex materia non esse, per cognitionem supremam, scilicet per intelligentiam, animam non esse à materia concludere possumus vt quemadmodum quod sine materia noscit, est sine ipsa, ita quod absque materiæ conditionibus comprehendit ab ipsius passionibus procul existat. Nam si anima hominis talis forma esset, vt ad materiam quasi suam originem referretur, non cognosceret formas vllas, nisi per relationem aliquam ad materiam. Nunc autem tanquam materiæ domina eam subiicit formis, dum ipsam refert ad formas, ac tanquam Deo similis, formas sequentes ad primam refert formam, ipsumque Deum. At qui in hoc ipso surgit supra materiam maximè, quod eam tollit supra seipsam, Deo quoque fit proxima, quod formas omnes reducit in Deum. Ex quibus liquido constat quod iamdudum quærimus, rationalem scilicet animam ex omnibus formis corporis Deo simillimam euadere, vsque adeo vt nequeat alia similior fieri, postquam non potest fieri vlterius alia in materia, cum hæc in ipso extremo emineat corporis limine. Exprimi verò oportuit aliquam in natura formam Deo simillimam, si modo diuinus artifex materiam sit superaturus, vt Plato tradit in Timæo. Talem verò esse vult mentem quæ est in corpore, à mente quæ est extra corpora, delibatam, quasi quendam mentis illius vultum in sublimioris materiæ speculo relucentem. Considera ad quantam sui similitudinem ignis materiam extollat, & quibus gradibus. Sphæra ignis qualitatem triplicem possidet, calorem, lumen, & leuitatem ad superiora vergentem. Mouet sphæra illa corpora infima, & crassissimis ineptissimisque corporibus calorem infundit solum, vt plerumque fit in lapidibus. Purioribus calorem atque lumen, quod facile facit in lignis. Tenuissimis denique vltra calorem ac lumen etiam leuitatem illam ad superna trahentem. Quod efficit in chartis & lino, ita vt statim in se horum assumat substantiam quasi sibi simillimam. Ideo forma ignis in lapide fusca fit & inepta quidem, sed clara, in lino clara simul & agilis. Eodem quasi modo diuina mens corporibus inferioribus vitam præbet solam tanquam calorem, pręstantioribus etiam sensum tanquam lumen, præstantissimis insuper intellectum tanquam leuitatem per quam anima surgit in Deum. Ita diuinus ille radius omnia penetrans in lapidibus est quidem, sed non viuit in plantis, viuit qui-

dem, sed non fulget, in brutis fulget, sed non replicatur in seipsum, neque redit in fontem. In hominibus est, viuit, fulget, replicatur in seipsum. Primò per quandam sui ipsius animaduersionem, deinde in Deum fontem suum reflectitur, originem suam feliciter cognoscendo. Vt autem ascensus ignis certum aliquem habet finem, quem consequi possit, atque hic est in sphæra sua quies, ita nostræ mentis ascensus perpetuo directus in Deum statutum finem habet, cuius quandoque fiat compos, neque aliud quicquam is finis erit, nisi quies in Deo, quam non prius animus assequetur, quam hinc abierit.

Obiectio Lucretii & responsio, quod mens potest absque corpore operari.

CAPVT VI.

INterturbabunt disputationem nostram impij duo, Lucretius & Epicurus, vt solent non ratione aliqua, sed clamore. Nos quidem duo potissimum hic asserimus, quod Deus creat animam sibi similem, quod in materia. Contra primum Lucretius obiiciet: Si tam diuinus est animus, primum contra naturam eius est coniungi cum corpore ad conficiendam speciem animalis, deinde & si iungitur, cur nunquam mens aliquid speculatur, phantasia non cogitante? Contra secundum sic obiiciet Epicurus: Si Deus creat animam in materia, ergo etiam ex materia ideoque mortalem. Nos ad primam obiectionem respondemus, & respondebimus diffusius aliâs, nunc breuiter hunc in modum. Quoniam vltima in vniuerso virtus intelligendi per operationes sensuum & phantasiæ ad speculationem propriam expergiscitur, sensus verò & phantasia per spiritus agunt corporeos, sequitur non esse contra mentis naturam, vt corpori huic vniatur ad humanam speciem in terra complendam, præsertim cum mens nostra non simplex sed animalis mens esse dicatur, vltimam entium corporumque viuifica, & si in generica ratione mentis non sit vlla ad corpora inclinatio, tamen in specifica mentis vltimæ ratione inclinatio eiusmodi quodammodo tanquam ipsi naturalis includitur, quatenus videlicet in confinio mentium animarumque creata mens animalis euasit, atque inde ad proxima corpora viuificanda proclitis. Et quia res quæque secundum modum suæ substantiæ operatur, substantia vero mentis humanæ incorporalis quidem est omnino, sed vnita materiæ, hinc fit vt incorporalia intelligat quidem, sed ea dum corpus habitat, sæpe vnà cum aliquo quodammodo corporali conspiciat, hoc est simulachro phantasiæ, ideo huiusmodi plerunque eget simulachris. Verum quando hoc deposito corpore redacta fuerit in seipsam, intelliget in seipsa. Sed nunc alio modo se habet mens hæc ad phantasiæ simulachra, antequam ipsa in se vniuersalem concipiat speciem, alio modo posteaquam concepit, ante eget illis, vt eorum instigatione excitetur ad vniuersalem speciem pariendam. Postea verò si illis eget, eget quidem (vt arbitrantur Peripatetici) tanquam fundamento, vel comite aliquo speciei. Atque etiam secundum intellectus imperium formatur sæpe nouum in phantasia simulachrum vniuersali illi speciei conueniens, in quo resplendet species illa mentis vniuersalis, sicut in imagine splendet exemplar. Quanquam non eget forte mẽs phantasiæ simulachro, vt Platonici opinantur, postquam semel inuitate illo speciem peperit, & retinet propriam. Sed ea est oculorum geminorum natura in eadem radice fixorum, siue à cardine vno pendentium, vt aperiantur simul, atque claudantur, eodemque inspiciant. Ita mẽs & phantasia, qui gemini oculi sunt eiusdem animæ, atque admodum proximi, simul aperiuntur, atque eodem pro modo suo conspiciunt. Et dum phantasia hunc cogitat hominem, mens vniuersalem hominem cogitat, & conuerso. Atque hæc est concursio naturalis. Potest tamen adhibita manus opera oculus alter absque altero intueri, sic & studio quodam ardentiore non minus mens ad vniuersales species flecti cessante phantasia, quum sæpe per aliquam turbationem accidat phantasiam intentius per corporalia peruagari mente cessante. Potest insuper anima, quando seipsam considerat, tunc actum suum vimque & essentiam sine phantasiæ simulachro intueri. Maximè vero quando & animaduertit se intelligere, & rursus quod animaduertat intelligit, replicaturque similiter absque fine, præsertim si, vt quidam putant, speciem suam intelligibilem, suumque actum per ipsammet speciem, ipsumue actum animaduertat, vbi certè neque simulachro neque instrumento egeret. Potest etiam simulachri ipsius naturam sine alio simulachro iudicare. Quod si quis conuicerit, intelligentiam dum rerum naturalium rationes considerat, earundem simulachris indigere, hoc forsitan disputationis gratia concedemus,

propterea quod sicut humanitatem ipsam communio ad singulos homines comitatur, sic humanitatis intelligentiam huius vel illius hominis cogitatio.

Non tamen in rebus diuinis id facilè concedemus, vt quoties angelicas essentias speculamur, toties cogamur corporalia simulachra intueri. Quia sicut essentiæ tales ad materiam hanc aut illam non declinant, ita speculationes nostræ quibus illis æquamur quodammodo cognoscendo, non necessariò corporalibus imaginibus astringuntur. Earum enim cognitionem non à corporibus propriè animus mutuatur, sed ab ideis vel ingenitis, quando reuertitur in seipsum, vel infusis, quando supra se surgit. Sed quisnam dixerit mentem in ipsa diuinorum exacta contemplatione, simulachrorum adminiculo indigere? cum illorum siue occursu siue interuentu ab eiusmodi speculatione vehementer impediatur, sæpeque fallatur, ac si falli non vult, illa tanquam nubes discutere compellatur. Forte verò quando per sensus animus à se digreditur, attingit solum sensibiles qualitates. Quando per phantasiam ad se regreditur, insensibiles intentiones imaginum sensibilium. Quando per rationem in se reuertitur, insensibiles rationes ad intentiones insensibiles declinantes. Quando per mentem supra se surgit, instar Angeli insensibiles rationes iam ab imaginariis intentionibus segregatas. Quid? quod philosophica mens intuetur in vniuerso & in seipsa cognitionem quandam angelicam & diuinam à simulachris liberam? Primo quidem probat eiusmodi cognitionem esse debere, & cuius sit, & qualis, & quare, & quomodo fiat, in seipsa describit. Ac etiam assequitur tam secundum formam, experiturque describendo. Profectò descriptio eiusmodi conceptio quædam animæ est ab omni simulachro libera. Nequit enim per simulachrum cognitionem à simulachro liberam intueri atque definire. Deinde in conceptionem eiusmodi se conuertit, dum se agnoscit ita iam concepisse. Quæ quidem conuersio multo magis est à simulachris absoluta. Denique in conuersionem hanc iterum atque iterum se conuertit, semperque longius gradatim à simulachris peruolat. Mitto notiora illa, videlicet quando mens dimissis indiuiduis non modo specialissimas species, sed subalternas & genera subalterna generalissimaque, ac denique transcendentia perspicit, diuidit, componit, definit, argumentatur. In iis certè simulachra prætermittere non solum nititur, sed compellitur. Operæ precium est hoc insuper animaduertere, infimam animæ vim magis corpori quam mediam, mediam quam supremam coniungi. quando suprema ratiocinandi vis per humanæ intelligentiæ voluntatisque actu obnixè se colligit in seipsam, tunc infima vis magna ex parte seiungitur ab opere corporali, quia tunc officium regendi, mouendi, concoquendi, digerendi, expurgandi, dimidiam sui partem, imò etiam maiorem solet amittere. Si ita fit, necesse est potentiam mediam ex parte multo maiori tunc à materia semoueri, quod patet in abstractis inter contemplandum hominibus nihil penitus sentientibus. Ex hoc sequitur, vt suprema potentia quandoque in hoc ipso actu corporalia relinquit omnino, cuius virtute reliquę vires magis magisque relinquũt. Quippe quod adolescit, potest aliquando penitus consummari, eo videlicet consummato quo ipsum crescente crescebat. Ipsa igitur animi à corpore abstractio, quæ inualescente speculationis intentione vehementius inualescit, illa quoque intentione impleta prorsus impletur. Impletur illa, quando cæteris omnino posthabitis, solum primum verum bonumque summa mentis flagrantia amatur & cogitatur. Tunc ergo consummatur abstractio, finisque abstractionis huius quæ nos segregat à mortalibus, tandem non separatio erit à vita, sed primę consequutio vitæ. Quæ enim se vicissim comitantur, itinere comitantur & termino. Quapropter idem portus animam à corpore fugientem excipit, qui accipit speculantem, hic portus est ipsa veritas. Veritas æterna est, imò est æternitas ipsa. Hæc ad Lucretium dicta sint, pergamus ad Epicurum.

Obiectio Epicuri & responsio, quod Deus non facit mentem nisi ex seipso, & per seipsum.

CAPVT VII.

QVonam pacto, inquit Epicurus, producit Deus hanc animam in materia, nisi etiam ex materia. Nos autem interrogamus eum, quonam pacto producit Sol lumen in aëre, non tamen ex aëre. Vultus in speculo imaginem, non ex speculo. Mens loquentis significationem vocis in aëre, non tamen ex aëre. Proinde sicut Sol calorem quidem in aëre gignit ex aëre, lumen tamen non ex ipso aëre, licet in ipso, & mens loquentis ex aëre gignit sonum, significationem vero soni non ex

non ex ipso aere, sed in ipso, ita Deus alias formas ex materiæ visceribus eruit, intellectum verò, qui forma vltima est, super materiæ faciem pandit, non trahit è sinu. Considerare debuit Epicurus, materiam ipsam nullam habere virtutem propriam formatricem sui (nihil enim informe se format) habere tamen virtutem præparationemque formabilem, quam formarum vocamus inchoationem, & prisci Theologi chaos antiquum. Cui Deus, vt Timæus docet, formatricē virtutē applicat, non tanquā materiæ propriā, sed tanquam Dei ipsius instrumentum aliquod ad formandum huic virtuti influxum cœlestem elementalemque accommodat. Fortè verò diuinus influxus ex Deo manans, per cœlos penetrans, descendens per elementa, in inferiorem materiam desinens, illa ipsa est formatrix virtus, quam Plato vocat diuinæ intelligentiæ rationem, per cuius infusionem machina mundi ex necessitate constat, & mente, id est materia corporibus necessaria, & ex formis pulcherrimo quodam ordine diuinam mentem bonitatemque referentibus. Hanc virtutem Peripatetici tum instrumentum Dei vocant, tum naturam, tum potentiam seminariam. Huic formatrici virtuti subest formabilis illa natura materiæ. Deus igitur per vim huiusmodi formatricem, per machinam mundi diffusam formabili ipsius materiæ virtuti formas illa accommodat, quas materiæ proximas, & quas medias collocauimus. Hic autem Platonicus quisque ordinem quãdam in quatuor tam formarum quam subiecti gradibus obseruabit. Animæ rationales per solum purumque Dei radium super puram indiuisibilis materiæ faciem accenduntur. Animæ irrationales per cœlestem quoque animalemque influxum radio illi diuino adhibitum è sinu materiæ nondum extenso exprimuntur in lucem. Formæ elementorum mixtorumque familiares, per familiares etiam elementorum qualitates educuntur ex materiæ gremio iam extenso, extenso, inquam, per dimensiones non terminatas. Formæ eorundem peregrinæ, per qualitates insuper peregrinas elementorum eruuntur ex aluo materiæ extenso iam per terminatas quasdam dimensiones. Has autem formas præter rationales animas esse materiæ astrictas ideò arbitramur, quia nullam prorsus operationem habent ad quam non aliquo modo concurrat corporis vel natura vel instrumentum, & finem semper sibi proponunt corporis vsum, vtpote quæ ex corpore pendeant, dum per instrumentum cœleste siue elementale formatium formabili virtuti materiæ accommodantur. Cuius rei signum est, quia nulla illarum in Deum conuertitur, quasi Deus non sit illarum proxima causa, sed potius aliena. Anima verò rationalem fieri à Deo sine instrumentis vllis ex eo potissimum coniectamur, quod in Deum proximè vertitur, quod in sequentibus declarabimus. Concurrunt igitur instrumenta non ad animæ humanæ productionem, sed ad materiam præparandam, quam sit anima hominis habitatura. Deus vero per se illam materia præparata producit. quod Plato in libro de natura docet, vbi vult animam rationalem à solo mundi opifice tribui, irrationales verò etiam à ministris eius operi huic fauentibus. Aristoteles quoque in hoc secutus magistrum in libro de animalibus secundo inquit: Quando generatur homo, intellectum infundi forinsecus, ac solum esse diuinum, cuius operatio non expleatur per aliquid corporale. quasi non expromatur ex intimo materiæ gremio, sicut alias formas putat expromi. Ergo hanc sine instrumento ipse Deus infundit. Exemplum habes in Solis lumine, & in anima. Lumen Solis per calorem tanquam medium dissipatis nubibus serenat aërem, serenum aerem illuminat per seipsum. Anima per calorem naturalem coquendo cibum præparat ipsum ad vitæ formam. Cocto & præparato cibo non per calorem, sed ipsa per se vitæ tribuit formam. Anima rursus per linguam tanquam instrumentum frangit aerem, fractus aer sonat, sonando significat. Sonus ille est quasi quoddam animal constitutum ex aere fracto tanquam corpore atque ex ipsa significatione tanquam anima, quæ quidem significatio instar animę latet in vocibus, & quasi vita quædam est non audita vocis auditæ. Vndenam datur sono talis significatio? Ab ipsa loquentis hominis anima. Sed nunquid anima significationem dat voci per linguam? Minime. Lingua enim corpus est, & corporale dat munus solum atque sensibile, neque significationem dat per se vllam, quoties animo ad rem non attendente casu quis loquitur. Significatio vero res est incorporalis & insensibilis. Alioquin quicunque vocem audiret, statim quid significatur voce, cognosceret. quapropter significatio quæ insensibile quiddam est, fit tanquam anima quædam in voce, id est, aere fracto ceu corpore. Fit inquam ab animam ipsius cogitatione sola, non per

linguæ obsequium. Atque ideò dum Platonem pronuncias, aër ille fractus plures in par.es diuiditur. Pla,to,nem. Quæ per tria temporis momenta percurrunt. Significatio verò non per partes diuiditur, quia in loquentis mente indiuisibili, antequam pronuncietur, momento concipitur, & significat sæpe res ingentissimas, quarum molem non potest ipsa per magnitudinem adæquare. Significat etiam motum tempusque sępe sine motu vel tempore. Et quando pronuntiatur sono, soni ipsius parte pronunciata, plurimum nondum ab audiente comprehenditur, neque percipitur paulatim, sed omnibus syllabis pronunciatis, quid ex illis cunctis significatur, euestigio intelligitur. Quæ quidem significatio in audientis intellectu perpetua sæpe remanet syllabis pereuntibus, sicut in loquentis mente fuerat antequam loqueretur. Significatio igitur ab anima loquente sine medio producta incorporalis est. Est & vocis anima simplex, & quodammodo immortalis, sonus autem per linguam mediam fabricatus in partes dissipatur, & interit. Si Sol & anima sine instrumentis aliquid efficiunt in materia, multo magis Deus poterit formam aliquam nullo intercedente instrumento materiæ tradere. Atque ea maximè erit rationalis anima, quæ nonnihil sine instrumento cogitat atque eligit. quod nunquam valeret si esset per instrumenti operam fabricata. Si per nullum medium à Deo fit, non fit ab eo nisi per Deum. Deus ipsa æternitas est. Fit ergo per seipsam æternitatem. Quod per æternitatem fit, est æternum. Et quod summo statui proximum est, ita est stabile, vt à mutatione mortali sit remotissimum. Hæc enim est summa mutatio. Meritò sicut in cæteris rerum generibus pręter id quod per se tale est, sunt & alia quæ per aliud talia sunt, ita in æternitatis ordine vltra Deum, qui per se est æternus, multa sunt quæ per illum æterna fiunt. Talia verò esse ille Timæus docet, quæ à Deo absque medio procreantur. Erit igitur hominis anima & immortalis, & huic corpori tanquam significatio aëri à loquente Deo inserta. Quam significationem si quis animaduerterit, Dei loquentis intelligit mentem.

Obiectio Panatij & responsio, quod anima sine medio est ex Deo.

CAPVT VIII.

DAbit forsitan Panætius nobis, posse aliquid à Deo in materia sine materia & instrumento creari, sed animam nostram ita fieri non concedet, nisi manifestiori aliquo signo hoc iterum ostendamus. Arbitratur enim tam animam nascentis ab anima parentum, quam corpus à corpore generari, quia & corpore & ingenio similes genitoribus filij sæpe nascantur. Sed coniectura Panætij parum momenti habere videtur, quia sæpe dissimiles corpore nascuntur, sæpissime animo. Et qui mores sequuntur paternos, consuetudine eos imbibunt potius quam genitura. Et si qui eos vsu non acquirunt, imitantur tamen, non ideò imitantur, quia animus nascatur ab animo, sed quia animus à tenera ætate blanditur proprio corpori, in quo propter genitorum complexionem similia quædam fiunt incitamenta, sed procedente ætate arbitratu suo & in peius & in melius mutant mores. Itaque abiicienda est coniectura Panætij. Quoniam verò signum à nobis exposceret, per quod anima à Deo venire clarius ostendatur, signum nobis erit huiusmodi. Anima rationalis quoties aliqua sibi res occurrit, perscrutatur non modo quid res illa sit, & qualis, sed etiam quæ sit eius origo. Neque cessat vnquam nisi causam eius inuenerit. Neque tamen in quauis causa sistit gradum, sed indagat semper causæ causam, ita vt non prius quiescat quam supremam causam fuerit consecuta. Vnaquæque res in proprio sui fine quiescit. Proprius finis rei est eius causa propria. Ibi enim perficitur, perfectionem vero naturalem appetunt omnia tanquam finem. Quod si communem finem expetere videantur, non tamen ipsum adsciscunt nisi quantum ipsis congruit & accommodatur, propriusque euadit, talis euadit, quando suscipitur in causa proxima sufficiente superius ordinata. Non petit aër Venerem aut Iouem, licet etiam inde ducat originem, sed appetit ignis concauum, vbi principium eius proprium est, locusque domesticus. Cætera quoque similiter non quamlibet sui causam expetunt. Nullæ enim res prius cessarent quam in Deum transformentur, qui primum omnium est principium. Aut si nunquam transformarentur in Deum, frustra & temere mouerentur. Non igitur quælibet quærunt

causam, sed propinquam. Sufficit enim cuique speciem suam incorruptam integramque seruare. Hæc autem seruatur à causa propria, quæ sufficiens sit & superius ordinata. Causa verò altissima speciem rei à se remotioris mutaret in naturam sublimiorem, vbi cessaret res illa esse quod erat, atque periret, non autem res id appetunt, sed incolumes in suo statu manere. In quo quatenus permanēt, eatenus primæ quoque causæ similitudinem assequuntur. Quorsum hæc? vt intelligas rem quamlibet solum cum proximam attigerit causam, quiescere protinus, neque vltra perquirere. Atque ideò mentem quæ in re nulla quiescit, nisi in prima, nullam habere propriam causam nisi primam. Cuius rei signum est, quod hominis mens in Deū conuertitur sine medio. Si enim cōres uertuntur in causam, vt procedunt. Quæ per medium processere, per medium conuertuntur. Quæ sine medio processerunt, conuertuntur etiam sine medio. Anima sine medio in Deum reflectitur, quando Deum neque in aliqua creatura, neque imagine sensus & phantasiæ, sed super omnia creata absolutum nudumque suspicit. Suspicit vero talem, quando argumentatur Deum esse adeo infinitum, vt omnia quæ cadere in cogitationem possunt, infinito supereminea interuallo, vbi nihil creatum inter Deum & animam interponitur. quo autem modo intuitus animæ in Deum absque medio figeretur, nisi etiam intuendi virtus ab illo absque medio processisset? Quod si videtur anima quibusdam ad id mediis indigere, ex eo quod per mundi dispositionem & ordines angelorum ascendit ad Deum, scito non vti his mediis animam vt Deum in his aut per hæc quasi Solem in aqua aut per vitrum intueatur, sed quasi quibusdam gradibus; vt ipsa quæ infra se olim delapsa est, per hos gradus in arcem suam redeat, quo regressa, Deum absque medio videt. Porrò per mundi dispositionem inuitatur, vt dimisso corporis cultu, in suam redeat rationem, per angelorum indagationem siue inspirationem admonetur, vt dimisso consueto rationis discursu, ad lumen sibi quodam diuinitus infusum sese recipiat, quo reflexa, per ipsum iam Dei lumen suspicit Deum, vt ille qui per Solis radium non colores amplius corporum, sed ipsum suspicit Solem, de quo inquit Zoroaster,

χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος καὶ πρὸς πατρὸς αὐγάς.

ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ πολλὺν ἑσσαμένη νοῦν

Id est, ascendendum tibi est ad lumen ipsum & patris radios. Vnde infusa est tibi anima multo mentis lumine circunfusa. Quod autem animus ad hunc quandoque statum perueniat, inde coniicimus, quod vsque adeo se ab omni rei creatæ cognitione secernit, vt super omnem rei cuiusque creandæ conceptum quantumcunque sublimem extare diuinum verticem per infinitum asserat spatium. Dum verò Deum ita describit, pro viribus capit Deum. Habet ergo vim aliquam absque medio Dei capacem. Hæc autem à solo tributa est Deo. Qui enim format solus, ipse solus disponit. qui implet, ipse amplificat, sicut & visus radium illum intimum & insitum ab origine, quo Solis lumen proximè videt, quotidie ab ipso eodem lumine Solis accipit. Atque ita vis illa Dei capax medio indiget nullo vltra Deum ad Deum suscipiendum, sicut neque visiuus radius ad radium solarem accipiendum vllo indiget medio, quia & radius à radio, & vis Dei capax à Deo nullo medio interposito. Probauimus hactenus propositum nostrum præcipuè per intellectum. Rursus ita probamus idem præcipuè per voluntatem. Omnis appetitus causæ suæ impletur possessione. Sitim enim appetitionis extinguit perficiendo res eadem quæ accendit efficiendo. Voluntas solius infiniti boni possessione potest impleri. Eousque enim affectat bonum, quousque ipsi bonum porrigit intellectus. Intellectus communem boni ipsius rationem inuenit ab omnibus rei participantis angustiis segregatam, quæ propter hoc ipsum infinita permanet in seipsa. Diffunditur quoque in infinitum, cum possit bonitas rebus innumerabilibus per infinitos modos communicari. Si voluntas eousque affectat bonum, quousque intellectus offert, hic autem offert infinitum bonum, & infinita bona, sequitur vt totidem voluntas affectet. Ergo solius infiniti boni impletur possessione. Ad hæc, sicut obiectum intellectus est ens ipsum sub ratione veri, ita voluntatis obiectum ens ipsum sub ratione boni. Quia verò vis quæque eo solo contenta esse potest, in quo integra obiecti sui ratio reperitur, sequitur vt intellectus & voluntas solo Deo satiari possint, in quo solo est integra veritatis bonitatisque ratio. Et quia ille ab aliis veris semper discurrit ad alia, hæc ab aliis bonis fertur in alia, satis constat quietem his ex eo solo obtingere posse, quod talia cuncta complectitur. Habitus enim sistit motum, & motum quodammodo interminatum

habitus infinitus. Postremo legitimus intellectus est ille, qui res intelligit sicuti sunt, legitima voluntas illa, quæ res appetit sicuti sunt appetibiles. Sunt autem res, vt ordinantur à Deo: Appetibiles vero sunt, vt ordinantur ad Deum. Ergo neque intellectus neque voluntas in rebus ipsis quiescere potest. Sed ille resoluit in Deum, hæc refert ad Deum. Illi solus Deus conspiciendus naturali instinctu proponitur, huic solus Deus amandus. Si sola infinita bonitas implere voluntatis capacitatem valet, nimirum sola infinita bonitas naturam procreat voluntatis, præsertim cum ipsa quoque voluntas in bonitatem infinitam quandoque se conferat sine medio. quod tunc facit euidentissimè, quando intellectus voluntati non amplius bonum hoc proponit, aut illud, sed aut cunctorum simul bonorum ostendit cumulum, aut bonitatis ipsius fomitem, vnde talis cumuli segetes pullularunt. Denique nullus effectus vltra suam causam se extendit. Humanus animus rem quamlibet finitam transgreditur, quia quodcunque finitum verum bonumue obtuleris, intellectus magis intelligere potest, voluntas vlterius affectare. Nulla ergo finita res est animi causa. Quod hinc potissimum confirmari videtur, quia causa motorque particularis virtutem inclinationemque ad vniuersale tendentem non potest efficere. Et quia in intellectu virtus est ad vniuersale verum, in voluntate inclinatio ad vniuersale bonum, constat planè intellectum & voluntatem à nulla re creata fieri vel moueri. Quicquid enim creatum est, verum bonumque est duntaxat particulare. Nonne animus quolibet particulare bonum respuere potest, licet bonum vniuersale non possit? Quidnam hoc significat, nisi ipsum solius vniuersali boni actioni & imperio subiici? Concludamus igitur per intellectus & voluntatis actus conuersionesque, hominis animam à Deo nullo medio interiecto in lucem ex nihilo prodiisse, atque eam Dei vim infinitam, quæ ita producta est ipsi animæ ita quodammodo inseri, vt ipsi quasi propria & naturalis euadat, per quam ipsa, quoties vult, in Deum se vertit. Non minus fermè infinita virtute opus esse putant Platonici vt quis ad Deũ se conferat infinitũ atq; infinitũ esse sub certa ratione infinitatis agnoscat, & amet, quã ad hoc vt aliquid fiat ex nihilo. Infinita virtute sua Deus animã creauit ex nihilo, infinita Dei virtute anima Dei virtutem eandem infinitam attingit, quæ ipsam ex nihilo procreauit. Quæ quidem infinita virtus, siue semel animæ sit infusa, siue potius iugiter infundatur, serueturque à Deo, demonstrat eam virtutis infinitæ participem, & (vt ita loquar) capacem ita esse, vt per hanc ipsam Dei attingat infinitatem. Infinitatem Dei esse scimus totam simul & integram, infinitatem temporis, qua euanescit continuè, continuè quoque instaurari, fluxisse partim, partim quoque fluxuram, neque habere vnquam in præsentia nisi momentum. Momentum ab integra infinitate innumerè superatur. quo fit vt infinitas Dei infinitatem temporis innumerabiliter per distantiam superet infinitam. Anima illam attingit. Hanc ergo longissimè supereminet. Quamobrem omnes excedit terminos temporis, viuitque perpetua. Quod hinc maximè confirmatur, quod si Deus eam non facit per Angelicas cœlestesque virtutes, multo minus per materialia semina. Ideoque pestiferam non subit mutationem. Si ergo tuum colere parentem desideras, ipsum solummodo cole bonum. Parentem quæris? Non corporis natura parens est tibi, ô anima. Tanto enim melior es, quanto parenti magis obtemperas. Es autem tanto præstantior, quanto magis corpori aduersaris. Bonum tibi omnino est esse cum patre, malum tibi quodammodo est esse cum corpore. Non animus aliquis te genuit anima. Animi operatio mobilis est. Si ergo per eam facta fuisses, substantiam omnino haberes mutabilem, ideoque in ipsa animi mutabilitate sisteres gradum, neque stabilem prorsus naturam exigeres, neque quicquam super animum cogitares. Non intellectus aliquis multiplex te creauit, non enim simplicitatem summam attingeres, atque intellectus ipsius tibi sufficeret consecutio. Nunc autem ad ipsam vitam, ad ipsam essentiam, ad ipsum esse absolutum, intelligendo amandoque ascendis super quemlibet intellectum, neque satis tibi intelligentia est, nisi & bene & bonum intelligas. Bonum verò ipsum tibi satis est absque dubio, non enim alia ratione requiris quodlibet, nisi qua bonum. Bonum igitur ipsum procreator tuus est, anima, non bonum corpus, non bonus animus, non bonus intellectus, sed bonum, ipsum bonum inquam, quod in seipso consistit, extra obiecti cuiusque limites infinitum, infinitamque tibi tribuit vitam, vel ab æuo in æuum, vel saltem ab initio quodam in sempiternum.

Tertia ratio. Quale est obiectum, talis est potentia.

CAPVT IX.

QVatuor hæc, essentia, virtus, operatio, obiectum, hunc habent ordinem, vt ab essentia profluat virtus, ab hac operatio, operatio obiectum petat, & talis quædam essentia per talem quandam virtutem, id est, virtutem propriam certo modo circa obiectum sibi conueniens operetur. Non est putandum ab essentia aliam virtutem fluere, quam sibi familiarem, neque à virtute aliam edi operationem, quam naturalem, neque operationem versari circa obiectum aliquod nisi simile, commodum, & conueniens. Nam cur naturalis illa essentiæ virtus operando appetit obiectum aliquod tale potius quam tale, nisi quia tale aliquid ipsi familiarius est, aptius & commodius? Nisi enim conueniret magis cum tali quodam quam cum aliis, vel appeteret nullum, vel æquè omnia peteret. Sic intimus virtutis visiuæ radius per radium Solis coloratos radios aspicit. Intimus aurium aër per externum aerem, aerem haurit fractum, id est, sonos. Olfactus in vapore aëris caliginoso genitus, per vaporem talem in aëre crasso à pomo diffusum vaporem in pomo odoriferum percipit. Gustus in saliuæ humore submersus per liquefactionem cibi in ore sapores vel natura liquidos, vel ibi iam liquefactos attingit. Tactus terrenis neruis accommodatus terrena & solida sentit facilè, & corporales admodum qualitates. Vides obiecta semper cum operationibus & virtutibus naturalibus conuenire. Idem in mente cogeris confiteri, vt mens libera sit à materia, cuius obiectum est à materia liberum. Talis est autem rei cuiusque vniuersalis ratio & idea. Obiectum eiusmodi primum Platonici vocant, atque Peripatetici, quia primo rectoque aspectu se obiicit. Obiectum vero adæquatum esse totam entis ipsius latitudinem arbitrantur, quia per vniuersum ens intellectus abstrahendo, diuidendo, componendo, desiniendo percurrit. Ens autem tam incorporeis omnibus quam corporeis est commune, atque infinitum. Ac ne quis ita fallatur, vt dicat intellectum forte in alia quadam re cum vniuersali ratione potius quã in ipsa separatione congruere, considerare debemus in eo congruere maximè, quod necessario ipse facit ad hoc vt intelligat. Quid autem facit potissimum? Certè & seipsum, & ipsam à materiæ passionibus segregat. Neque quicquam magis impedit vel hunc intelligere, vel hanc intelligi, quã materiæ passiue coniunctio. Proinde si nõ modo talis potentia tale petit obiectum, sed etiam obiectum tale potentiam suo accessu multo magis efficit talem, quemadmodum visus natura lucidus & lucem petit, & accendente luce fit lucidior. Sequitur vt mens non solum ex eo remota sit à materia, atque ampla, quia naturaliter assiduèque ad remota & ampla se confert, verum etiam vt multo inde fiat remotior, ampliorque, quod quæ remota amplaque sunt, illam pulsant, rapiunt, occupant. Sed quantum potest à materia segregari? tantum videlicet, vt effugiat materiæ passiones. Rationem namque ideãque tum rei cuiusque tum entis ab his absolutam naturaliter auet. Potest autem per eandem naturam ipsam consequi, per quã mouetur ad ipsam. Et ipsa denique idealis ratio quæ in æternitate est omnino, cum sit in Deo, mentem sese ad eam pro viribus eleuantem potest omnino supra limites loci temporisque extollere.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ, DE IMMORTALITATE ANIMORVM, *EODEM FICINO AVTHORE,*

(·.·) LIBER XI. (·.·)

Prima ratio. Mens vnitur obiecto perpetuo, & species suscipit absolutas, rationesque sempiternas.

(·.·) CAPVT PRIMVM. (·.·)



Atio ipsa rei penitus absoluta illud ipsum est, quod actu à nobis primo rectoque & proprie intelligitur. Quod intelligitur actu, magis fit vnum per intellectualem speciem cum intellectu, quam quod videtur actu per visibilem speciem cum visu, & tanto magis, quanto ex purioribus arctior prouenit copula. Copula hæc augetur rursus ex eo quod visibile quidem est extra visum, ratio verò ipsa intelligibilis quæ adest & omni mundi materiæ ab ipsa formabili, & omni loco, cum situm proprium non respiciat, proculdubio inest mentium penetralibus ipsi per naturam quam proximis, vnde & ab illa & ad illam semper afficiuntur. Si ex intellectu intelligente, & specie illa intellectuali siue ratione per speciem significata fit vnum, ac species illa, & ratio vt talis est, est à loco & tempore & cæteris materiæ passionibus separata, intellectus in hoc ipso actu ab iisdem semotus erit. Actus huiusmodi intellectus ipsius est proprius. Proprius actus essentiam propriam comitatur, atque econuerso. Itaque intellectus non per actum modo proprium, verum etiam per essentiam propriam erit ab omni materiæ contagione seiunctus. Et sicut ratio illa communis, quantem in se est, vniuersum locum tempusque ambit quamuis vt materiam respicit, ad locum tempusque declinet, ita mens illi per naturam accommodata, quanquam vt respicit corpus, sese ad partes loci ac temporis cohibet, tamen quantum in se est, quodammodo totum ambit vtrumque, præsertim quia non potest species secundum significandi virtutem esse absoluta, si mens quæ eius tum subiectum tum fons est, absoluta non sit, cum omne subiectum pro natura sua suscipiat qualitates, & fons saporem suum infundat, riuulis inde manantibus. Hinc duo sequuntur. Vnum, quod substantia mentis non editur ex materiæ latebris. Alterum, quod est immortalis ex eo quod sit vnum cum specie illa rationeque vniuersali, quæ prout vniuersalis est, locum fugit & tempus. Ad idem verò sic rursus argumentemur. Ipsum intelligibile propria est intellectus perfectio, vnde intellectus in actu & intelligibile in actu sunt vnum. Intellectus siquidem quandiu potentia est intellecturus, nondum cum re potentia intelligenda coniungitur, sed quando actu intelligens est cum re actu iam intellecta. Coniungitur autem cum ea (vt volunt Peripatetici) quoniam rei illius forma inhæret menti. quorum verò vna forma est, ipsa sunt vnum. Vnum ergo fit ex mente intelligente. ac re intellecta, quandoquidem rei huius forma, vt talis est, format mentem. Quod ergo conuenit intelligibili, quantum intelligibile est, conue-

nit intellectui quantum intellectus, quia perfectio, & quod perficitur, vnius sunt generis, & semper inuicem proportione mutua vincuntur. Intelligibile verò quantum tale est necessariam & perpetuum. Quippe in speculando nullius existimamus corruptibilia, quia nos scire non arbitramur quicquam, nisi certam rei rationem & necessariam teneamus, & quæ necessaria sunt, ea perfecte intellectu comprehenduntur, contingentia verò, quantum huiusmodi, imperfectè. Quando enim contingentia intellectus affirmat, sæpe fallitur. Si falli non vult, ambigit, vterque actus imperfectus est, & falli, & ambigere. Meritò ergo quando contingentia cogitat, dubitare solet, ne interim permutentur, & aliter de illis atque aliter momentis aliis sit iudicandum. Momentis namque singulis permutantur. Putandum dicimus Platonem sedere, potest enim interim surrexisse. Definitiones autem rerum vniuersales perpetuæ sunt, vt homo est animal rationale. Proprietates quoque specierum quę propriè definiuntur, sunt sempiternæ, vt omne rationale potest ratiocinari. Semper enim definitiones proprietatesque tales æquè sunt veræ etiam si nullus in terris homo spiret. Has intellectus perspicuè cernit, tenetque firmiter, & asserit sine errore vel dubio. Et si qua contingentia intelligit, maximè sub his rationibus vniuersalibus comprehendit, vbi corruptibilia cogitat, non vt talia, sed vt æterna. Intellectus ergo perpetuus est, qui rationibus sempiternis vnitur, solisque perficitur. Si intellectus eas capit, & quod capit, proportionem aliquam habet cum eo quod capitur, congruentiam certè cum his rationibus intellectus habebit, hæ neque principium habent, neque finem. At si mens habet vtrunque, nullam cum his habebit proportionem, quoniam ab eis omnino per conditiones oppositas distinguetur. Quapropter mens aut fuit semper & erit vt ipsæ, aut si esse cæpit quandoque, non tamen desinet vnquam.

Obiectio Epicureorum & responsio de vnione mentis cum speciebus absolutis è rationibus sempiternis.

CAPVT II.

NEque nos hic obtundat Epicureus aliquis, obiiciens, lumen quidem Solis ab oculo suscipi, oculum interire, lumen verò Solis incolume superesse. Similiter speciem illam vniuersaliter significantem, rationemque sempiternam capi ab intellectu, intellectum perire quandoque, speciem vel rationem remanere. Respondemus, Solis lumen ab oculo minime suscipi, quoniam ab eo ne momentum quidem tenetur, & occidente Sole visus momento lumen amittit. Qui si quid luminis suscepisset, retineret vtique illius aliquid vel parumper, sicut aqua calorem retinet aliquantis per igne subtracto. Itaque adesse oculis lumen possumus affirmare, inesse vero & suscipi minimè. Mens verò speciem illam rationemque vniuersalem hominis & aliorum ideo suscipere dicitur, quoniam absente etiam homine memoriter retinet. Adde quod lumen hoc ipsum quod lumen est, & quod visibile, ab oculis non sortitur. Est enim suapte natura tale, & oculi inde vt clarescant & videant assequuntur. Species autem illa hominis vniuersalis, hoc ipsum quod vniuersalis est, non ab ipsis singulis hominum habet personis, in quibus quicquid est, particulare est. In mente tamen est illa vniuersalis. Igitur vt vniuersalis sit, habet à mente. Sed quonam pacto hoc maximè, vt Aristoteli placet, duas nostra mens habet vires, agentem vnam, alteram vero capacem. Agens est, quæ species agit vniuersales, capax, quæ eas capit ab agente conceptas. Quando igitur phantasia in se hominis huius, vt Socratis, hoc tale simulachrum contuetur, mox lumen virtutis illius agentis simulachrum istud pulsat, non aliter quam Solis radius aquā. Atque vt radius hic Solis ab aqua repercussus in oppositum parietem, ibi circulum procreat splendidum, atque tremulum. Ita lumen ipsum virtutis agentis pulsans particulare simulachrum hominis phantasia conceptum, atque ex eo simulachro in vim intellectus capacem reflexum, in hac ipsa inde speciem quandam parit, quæ non amplius Socratem hunc in hoc loco & tempore positum refert, sed hominis naturam singulis personis æquè communem, à certis loci & temporis limitibus absolutam, vbi & species ipsa vniuersalis est, & natura quæ per eam refertur vniuersalis. In hoc mirabilis vis intellectus apparet.

Nempe qui speciem creat à materia, loco & tempore absolutam, atque ideo quodammodo sempiternam & creatam recipit in se ipso, per quam etiam naturam similem apprehendit, cur non & ipse ab iisdem absolutus sit, atque perpetuus. Denique ea quæ intellectus attingit ita separata, si natura sua sunt talia, talis quoque est intel-

lectus, nam cum attingit separata, ibi tunc est vbi sunt ipsa, igitur & ipse est separatus. Sin autem natura illis passionibus mancipata sunt, sed intellectus sua vi illa liberat, multo prius ac magis est liber, vt cætera liberet. Dic age, cur forma rei cuiusque non potest vnum quiddam fieri cum intellectu, antequam omnino materia separetur, nisi quia intellectus ipse multo prius magisque est à materia separatus? Quo autem modo fiat vnum ex illa specie & intellectu, docet comparatio illa quam de radio induximus atque aqua. Quippe circulus ille inde natus splendidus ac tremulus parieti non satis vnitur, quia splendoris illius & parietis est nimium diuersa natura. At si in speculum inciderit, arctius vnietur. Tandem si in lumen Solis idem redierit, vnde radius ille demissus fuerat, qui splendidum circulum procreauerat, coibit prorsus in vnum. Quid autem illa species est apud Peripateticos, quam peperit intellectus, nisi scintilla quædam tum simulachri illius quod à rebus collegerat phantasia, tum virtutis illius agentis per quam mens illam peperit? Quid autem nostra mens est, nisi scintilla quædam mentis superioris? Ergo species illa ita nostræ menti infunditur, vt scintilla rerum scintillæ mentis superioris, & vt circulus ille splendidus Solis lumini cuius radio fuerat procreatus. quapropter ex mente atque specie ita fit vnum, vt ex duabus scintillis vnà coniunctis flamma vna, siue duarum candelarum radiis vnum lumen, siue ex circulo illo splendido & lumine Solis, fulgor vnus. Quod autem per speciem ita sempiternis vnitur, fit sine controuersia sempiternum, ea præsertim ratione, quod intellectus forsitan intelligendo non modo cum re æterna intellecta coniungitur, sed ille quoque res ipsa est æterna quæ intelligitur. Idem enim radius est quodammodo qui ab alto verberat aquam, qui fulget in aqua, qui in aërem repercutitur, vbi in seipsum refusus, si videndi vim nanciscatur, videbit statim fulgorem illum suum qui redundauit ab aqua. Idem faciet si ab auro resultauerit vel argento. Semper enim fulgorem suum videbit, licet variis modis affectum, pro obiectorum varietate à quibus fuerit repercussus.

Si exemplum conuenientius de duabus illis viribus intellectus & hac vnione desideramus, consideremus muscipulæ (felem intelligit, quem vulgus catum vocat) oculum, in quo penè sicut in mente nostra duæ sunt vires, est in eo vitrea perspicuitas, est & scintilla. Illa vis capax, hæc agens. Scintilla nocte emicat foras, trahit coloris huius aut illius imaginem à corporibus ipsi oppositis, imprimit eam virtuti perspicuè, quæ per eam corpus obiectum perspicit. Imo fortasse non tam corpus oppositum perspicit, quam sui ipsius radium qui explicatus fuit & replicatus, & quando replicabatur, resiliuit in oculum iam pictus imagine corporis. Ideo licet cernere videatur modo hunc colorem, modo illum, semper tamen seipsum cernit quodammodo, sed vario modo à variis coloribus refulgentem.

Quid prohibet virtutem illam agentem, quæ nostræ mentis est radius, in aliis & aliis phantasiæ simulachris aliter & aliter emicantem, inde reflecti in semetipsam, seque videre diuerso modo affectam pro diuersitate simulachrorum? Vbi species illa siue ratio quam intelligimus absolutam atque perpetuam, nihil est forte aliud quam radius intellectus reflexus in semetipsum, qui tunc facilè seipsum animaduertit, quando in simulachra sese dirigit, sicut vultus se non videt, nisi intueatur in speculum, vnde etiam varius repercutitur pro speculorum ipsorum varietate, quemadmodum & mentis radius à simulachris pro diuersitate simulachrorum diuersus reuerberatur in mentem. Sed de his absolutius in sequentibus.

Obiectio Epicuri & responsio, quod species innatæ sunt menti.

CAPVT III.

NEgabit forsitan Epicurus species illas quas quotidie concipit intellectus, esse perpetuas, quia & esse incipiant quando patiuntur, & desinant quando mandantur obliuioni. Nos autem ex Platonis nostri sententia satis in hoc habere putamus, quod species illæ si nascuntur, à rationibus animi perpetuis patiuntur, & ideas super animum referunt sempiternas. Ratio prima. Profecto sentire & intelligere quia vitales operationes sunt, à principio vitali intrinsecoque proficiscuntur, principio inquam actiuo. Sunt enim operationes quædam viuentibus & carentibus vita communes, vt generatio, alteratio, mutatio loci. Ea quæ vita carent, operationes huiusmodi patiuntur potius quam agant. Non enim se vllo modo generant, aut alterant, aut mutant loco. Viuentia verò eas in seipsis agunt, quia sese nutriendo augendoque alterant &

generant aliquid in seipsis, & iudicando appetendoque locum mutant. Si natura viuentia ad proprias actiones melius instruere debet quam ad communes, melius autem instructum est quod est agens, quam quod patiens, atque ad communes operationes eis actuum principium tradidit, multo magis ad proprias actiones, sensum videlicet intelligentiamque, sic illa disposuit, vt agerent per eas magis quam paterentur. Quapropter neque mens, neque etiam sensus (vt pluribus placet Platonicorum) vt percipiat quicquam, ab extrinsecis formatur corporibus. Sed quemadmodum pars viuifica per insita semina alterat, generat, nutrit & auget, ita interior sensus & mens per formulas innatas quidem, & ab extrinsecis excitatas omnia iudicant. Neque aliud quicquam est hoc iudicium quam transitus formulæ à potentia quadam in actum. Non enim debet operatio vlla agentis transcendere limites. Vitalis igitur & intus permanens operatio non est ab extrinseco principio vita carente, sed ab intrinseco & vitali. Signum vero quod sensus interior est admodum efficax, inde capitur, quod componit, diuidit, discurrit, suoque affectu vertit corpus in contrarias qualitates. Signum quod mens sit maximè efficax, à Boetio contra Stoicos hinc accipitur, quod vltra illa quæ facit sensus, ipsa præter obiectorum naturam vniuersales excogitat regulas, descendit componendo, ascendit & resoluendo, ac sese referens sibi, veris falsa redarguit. Denique cum rem eandem aliæ vires animæ aliter iudicent (aliter enim imaginatio siue phantasia, aliter ratio iudicat) consentaneum est vt iudicium ipsum iudicátis formam naturamque sequatur, non iudicati. Et quia iudicium iudicantis actus existit, probabile est vt quisque iudex operam suam non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat.

Ratio secunda. Sed reuertamur ad mentem. Sicut simulachra singularium à corporibus phantasię non inuruntur, vt etiam probauimus aliàs, ita vniuersalium species à simulachris non signantur in mente, sed ita mens illas per vim suam efficit, sicut phantasia fingit simulachra per seipsam. Quo enim pacto simulachrum (quod etiam phantasma vocatur) rem aliquam procreabit seipso liberiorem & ampliorem? Ipsum quidem singulare est, & materiæ conditionibus adstrictum, species verò quia vniuersalis est, ideo liberior est & amplior. Si non fit species hæc quæ etiã vniuersale nuncupatur, à simulachris, multo minus fit à rebus externis, quæ non possunt per aliud medium formare mentem, quam per simulachra. Rursus vnius spiritalisque speciei vnam esse oportet causã spiritalem, vel saltem vnitam, & spiritali modo ordinatam. Singula vero quæ extrinsecus sunt, plurima sunt & corporea. Atqui nullum illorum per se acceptum, cum propriè solum, corporalisque naturæ sit, speciem procreabit incorpoream, & naturæ communis significatricem. Sed neque etiam omnia singularia simul iuncta istud efficient. Sparsa enim sunt, neque ordinem aliquem talem habent, vt talia subnexa aliis, vnam seriem digerant causarum. Idcirco sicut lapidum coniunctione vnum quiddam simplex non fit, sed cumulus, ita per singularium turbam fiet forte quædam simulachrorum confusio potius, quam vna species atque simplex. Præterea in quolibet singulari tria reperiuntur, natura speciei, accidentia quæ non sunt necessaria speciei, & ipsum ex vtrisque compositum, vt in Socrate est humanitas, quæ natura speciei vocatur, est albedo, talis talisque figura, quæ forte accidunt speciei, & aduentitia nominantur. Ex vtrisque Socratis persona componitur. Nunquid ab his personis imprimitur in mente species illa communis, quæ est omnium hominum æqualis similitudo? Certe ex accidentibus personarum non imprimetur (referret enim hominis accidentia, non substantiam) neque etiam ex ipsa natura quæ subiicitur accidentibus. Illa enim non tota persona alicuius est hominis, sed pars eius. Ideo natura talis de nullo homine enunciatur. Quis dixerit, Socrates est humanitas? Dicimus autem Socratem esse hominem. Homo igitur enunciatur de Socrate, de Socrate inquam toto, non de humanitate solum vel accidentibus. De Platone toto similiter, atque aliis omnibus, vbi apparet hominem ipsum quem mens nostra communiter enunciat, de integris quibusque personis in seipsa conceptum, multo ampliorem esse hac vel illa personæ cuiusque natura. quod verò comprehendit, aliud & amplius est, non fit ab eo quod & comprehenditur, & est angustius, præsertim cum natura illa fiat in singulis hominibus singularis quod autẽ singulare factum est, non creat vniuersale. Sed nunquid ab integris cunctisque personis species illa nobis infertur? Nequaquã; quippe innumerabiles personas æquè illa species respicit. Innumerabiles verò nusquã inspeximus; neq; ex quibusdã personis accipimus eam quæ infinitas insuper aliàs

comprehendit. Neque potest vllus satis tuto à quibusdam singularibus regulam communem perscribere, falleretur enim quisquis id tentaret, perinde ac si quis cum sola terræ animalia consideraret, atque illa videret spirare, animal omne spirare concluderet.

Cum igitur species neque à singularibus personis, neque ab earum simulachris generetur, reliquum est vt fiat ab intellectu. Intellectus eam non generat ex phantasmate, vel in phantasmate. Phantasma enim quia & in essendo & in significando singulare est, si fieret materia, locusue speciei, eam redderet similiter singularem. Cæterum dubium est, num ipsam generet per phantasma tanquam per causam mediam inter intellectum & speciem generandam. Quod quidem fieri non posse ex hoc opinamur, quod causa media & effectui proxima, cum effectu magis quam remotior causa conuenit, vt in hominis generatione, quia Sol per hominem medium generat hominem, magis homo generans cum homine genito quam ipse Sol congruit. Si igitur phantasma esset proxima causa speciei, species phantasmati similior quam intellectui nasceretur, hinc duo sequerentur absurda. Vnum, quod species huiusmodi statim nata, phantasma ipsum & phantasiam, vtpote sibi propinquiora, adsciseeret tanquam naturalem sedem potius quam intellectũ. Alterum, quod & si eam intellectus acciperet per talem speciem, intelligeret singulare aliquid, & magis & prius quam vniuersale. Illa siquidem singulare nunciaret in primis, quia esset phantasmati singulari cognatior. Neque audiendi sunt illi qui phantasma inter intellectum & speciem quasi instrumentum aliquod interponunt. Nonne virtus mentis agens cum capace magis congruit quam phantasma? Quo igitur pacto agens capacem per extraneum phantasma formabit, cum oporteat instrumentum formationis inter formatorem atque formabile interponi, phantasma verò extraneum inter duas illas vires inuicem germanas nequeat interponi? Quamobrem intellectus quando formam illam creat, neque ex simulachro, neque in simulachro, neque per simulachrum procreat. Forte vero radium aliquem, seu vim inserit simulachro phantasiæ, per quam ipsum simulachrum tanquam formator mentis formam huiusmodi generat quam speciem vocamus intelligibilem. Sed neque hoc fieri posse putamus. Nempe vis illa suscepta simulachro ijsdem materiæ conditionibus adstringetur quibus simulachrum. Itaque formam intelligibilem quæ ab illis conditionibus est absoluta non generabit. Ac si quis dixerit formam illam modo absoluto capi ab intellectu, quamuis phantasma ipsam non creauerit absolutam, ex eo ipso nos concludemus (quod exoptamus in primis) intellectum non subiici phantasiæ tanquam formabile formatori, postquam præstantiore modo formas habet quam ipsa tribuere valeat. Quo fit, vt forma intellectualis si nascitur, à solo intellectu nascatur, & sine medio. Si enim mens formam illam generat, & generando eam in se absque medio suscipit, certe per se gignit illam, & gignit alio nullo intercedente. Ex omnibus his concluditur, intellectum formare seipsum. Et quoniam si esset prorsus informis, seipsum formare non posset, necesse est ante eas formas vel notiones, quas per omnem ætatem penè momentis singulis in se parit, latere in animi penetralibus formas alias animo naturales, totidem numero, quot sunt in mundo rerum species creatarum, quibus possit formas illarum specierum intelligibiles parere.

Ratio tertia. Certæ namque res certis egent seminibus. Non facit natura ex quolibet quælibet, non facit ex nihilo aliquid. Idcirco non potest essentia animæ, quæ & vna est, ac fermè omnia respicit æquè, multas & varias specie formas producere, & alias aliis temporibus, nisi per plures formulas insitas specie differentes, quibus aliis temporibus alias potius quam alias procreet aut promat.

Ratio quarta. Has enim sæpe numero etiam nulla consultatione vel voluntate antecedente, solo quodam naturali instinctu repente promit in lucem. Effectus verò qui naturali fiunt ordine, formam præferunt talem, qualem causæ possident. Calida enim ab igne fiunt calente, quia causa quæ ex suo esse aliquid efficit naturaliter, talem licet inferiori modo effectum facit, qualis est ipsa. Mens igitur quæ per suum esse naturaliter generat vniuersales rerum omnium species, in ipsa quoque sua essentia ab origine nacta videtur vniuersales species omnium, vt similia similibus generentur. Nam si illarum specierum vna est efficiens, causa scilicet intellectus & subiectum vnum, intellectus scilicet idem, nulla ratio assignari potest cur multæ & differentes fiant secundum speciem, nisi quia intellectus per diuersas rationes sibi naturales eas promit diuersas.

Non enim sufficit ad hanc varietatem efficiendam, simulachrorum diuersitas, quæ nihil ad hanc fabricam aliud afferunt, quam occasionem aliquam operandi, dum per illorum præsentiam mens ad promendas species excitatur. Hoc autem nihil aliud est quam rationes illas ociosas reddere promptiores.

Ratio quinta. Proinde si diuina mens idearum omnium plena per essentiam suam adeò plenam absque medio animam procreat, oportet animam inde idearum plenam effluere. Nempe Deus cum in efficienda anima à nullo prorsus impediatur, tam perfectam efficit, quam perfecta in tali genere illa effici potest. Perfectior certè prodit, si in prouinciam tam difficilem notionum plena descendat, quam si vacua. Est autem notionum capax ab initio ex ea parte qua cum Angelis conuenit. Sicut enim ex parte sua temporali habet vt continue quærendo discurrat, sic ex æterna vt possederit ab initio, præsertim cum ipsa propinquior Deo sit quam prima materia. Ideoque si materia omnes inde species accipit, & cum primum parata est capit, necesse est animam quoque omnes suscipere. Parata verò est anima ad omnes suscipiendas cum primum à Deo accipit esse. Siquidem eius essentia simplex est, stabilis supra tempus, ideoque non potest augeri, aut per tempora paratior fieri. Quod ita cecinit Zoroaster:

σύμβολα πατρικὸς νόος ἐνέσπειρεν ταῖς ψυχαῖς,

Id est, paterna mens inseruit animabus coniecturalia signa. Et Orpheus ita:

πάντα γὰρ πρωθεῖ πρώτη φύσις ἐγκατέθηκεν,

Id est, omnia enim Protheo prima natura indidit. Theologia Orphica Protheum appellat essentiam tertiam animarum rationalium sedem. Architas quoque Tarentinus in libro de sapientia, hominem, inquit, sapientissimum cunctorum animantium esse natum, quippe cui Deus rerum omnium ideas infuderit, per quas mente valeat notiones rerum non aliter procreare, quam ore per linguam rerum nomina fingere. Hæc ille.

Ratio sexta. Profectò (vt Platonicè loquar) in materia formarum omnium suscipiendarum latent inchoationes. In natura quoque per quam ad formas mouetur materia, formarum semina delitescunt. Vnde in complexione arboris naturali clauditur semen ad arborem similem propagandam. In semine arbor generanda tota concluditur. Idem accidit in complexione naturali, & semine animalis. Igitur in ea parte animæ quæ alit corpus, & natura vtitur velut instrumento ad mouendam formandamque materiam, insunt, & multo quidem præstantius, formarum omnium rationes, vt ex ratione capitis quæ in anima est, exoriatur semen illud capitis quod est in natura, ex hoc autem semine pullulet forma hæc capitis quæ conspicitur in materia. Atque idem fiat in pectore, brachiis, membrisque cæteris. Si pars hæc infima animæ fœcunda est, formatque ipsa corpora, & à corporibus non formatur, & formarum generandarum continet rationes, nunquid mens quæ pars est animæ summa, sterilis erit? Aut solum formabitur à corporibus? Aut carebit rationibus ad species producendas? Nullo pacto. Imò verò sicut pars infima quæ singulis corporibus proxima est, per insitas sibi ab origine rationes singula gignit & corporalia, ita mens quæ in corporalibus ac penitus absolutis mentibus proxima est, rationes inde insertas habet, per quas producat species illas à corporum passionibus absolutas.

Septima ratio. Sic enim anima inter diuina & corporalia medium obtinebit, si vtrorumque particeps apparebit, habebitque intus vtrarumque formarum & intelligibilium & sensibilium rationes.

Octaua ratio. Neque decet eam corporibus esse deteriorem. Ergo si corpora ante aduentitias qualitates, qualitates possident naturales, multo magis animus formulas habet in mente proprias antequam excipiat peregrinas. Duplex materiæ communitas conuenit, naturalis, & aduentitia. Naturalis est natura illa in qua singula, sub eadem specie inuicem congruunt, sicut humanitas in qua singuli congruunt homines, quæ communitas (vt plerique putant) perpetua est, & singulis quibusque præstantior. Aduentitia est notio illa vniuersalis, quam de naturali communitate mens cogitat, singulis quibuscumque seclusis. Quæ non modo, quod ad materiam spectat, aduentitia est, sed quod ad mentem. Si ante hanc aduentitiam communitatem materia possidet alteram naturalem, mens quoque materia melior ante hanc alteram similiter possidet. Oportet enim communem formam in mente aliquam præstantiorem esse quam in materia. Est autem naturalis perfectior quam contingens. Igitur oportet inesse menti communes formas ante illas quas corporalium rerum fingit occursu.

Sæpe verò dum ingenitas formas inspici-

mus, putamus propter inscitiã nos aduētitias vel externas prospicere, non aliter atque illi qui vel somno vel morbo quodam cerebri oculorumue affecti, arbitrantur se videre quædam extra suos oculos huc & illuc sæpe volantia, quæ tamen & versantur & videntur intrinsecus.

Nona ratio. Cur bruta rebus singulis inspectis communem non excogitant notionem, homo autem ex natura sua rationali, qua differt à brutis, id agit? Nisi quia ipsa sua natura sigillum possidet talium figurarum? Si enim formas procreat per naturam speciemque propriam, eas profecto per naturam procreat formatricem. Naturam verò talem carere quis dixerit characteribus?

Decima ratio. Præterea quando in scientiis perfectas demonstrationes contexímus, ex principiis quibusdam præstantioribus & latioribus solemus de speciebus proprietates aliquas demonstrare. In illis autem notionibus quæ denuo finguntur ab animo, quæ latior est, ea est remotior à substantia, propterea que speciei notio ad substantiam accedit propinquius quam notio generis. Quo fit, vt quæ in illis minus communis est, ea præstantior iudicetur. Aliæ igitur notiones sunt in animo præter istas, quæ latiores sunt simul atque præstantiores, ex quibus demonstratio vera conficitur. quoniam vero demonstratio non ab vniuersalibus tantum, sed ab vniuersalibus causis proficiscitur, notiones autem quæ menti innatæ sunt, non sunt demonstrati effectus causæ, rursusque formæ in corporibus vniuersales esse non possunt, sequitur vt super formas & quæ in corporibus, & quæ in nostris mentibus sunt, quærendæ sint formæ aliæ in mente diuina omnium conditrice, quæ vniuersales omnium causæ sint, quarum formulas humana mens habet, vt per has tanquam causarum similitudines ad illas tanquam effectuum causas conclusiones referat demonstrando. Sed alias de ideis.

Vndecima ratio. Atque hæc ipsa demonstratio semper aliqua nobis ignotiora ex propositionibus notioribus infert, illas rursus ex aliis, quousque ad principia quædam menti per se nota perueniat, ne aut irritus fiat in infinitum progressus, aut ab eisdem ad eadem retexatur circulus temerarius. quæ verò per se nota sunt menti, per naturam mentis effulgent mentis aspectui. De singulis autem speciebus rerum ex propriis earum principiis propriæ sunt demonstrationes, & in variis facultatibus varię. Igitur secundum varias species & varias facultates adsunt menti diuersa doctrinæ principia ex naturali mentis lumine cognita. In ipsis verò principiis cuncta sequentia continentur. Hinc efficitur, vt animus per naturam omnibus doctrinis abundet.

Duodecima ratio. Vt quemadmodum & arbores, & animantes, earumque membra ex propriis seminibus pullulant, ita scientiæ ex intimis initiis oriantur, ne mens sit sterilior quam natura quę ex seminibus insitis suos fœtus educit, non casus effundit impulsibus.

Decima tertia ratio. Quando inter nos verum quærimus interrogando & respondendo, quomodo posset ad summam peruenire quæ concluditur ratio? nisi aliquid prius concederetur? Concedi autem rectè quid posset, quod nesciretur? Ita ista ratio (vt Augustinus Aurelius inquit) nisi inueniret in nobis aliquid cognitum, quo innitens, ad incognitum duceret, nihil omnino per illam discerneremus. Inest ergo nobis ante ratiocinationem intelligentia quædam, vnde ratiocinatio sumat exordium.

Decimaquarta ratio. Nonne ratiocinatio nostra mobilis est, & dum varietatem inquirit, ab alio descendit in aliud, & quando aliquid inuentum examinat, in aliud ascendit ab alio? Motus verò omnis à quiete, siue stabili aliquo exorditur, ac tendit ad stabile. Motus autem huiusmodi notionum complexio est. Res verò quælibet principium habet proprium, suumque finem. Quapropter ratiocinatio quia notionum progressio est, in notiones reducitur, quia mobilis in aliquas stabiles notiones, quam impulsu quærat quod cupit, indiciis inueniat quod quæsiuit, luce examinet quod inuenit, firmitate quiescat inuentis. Inde ergo cæpit quærendo, in idem redit examinando. Sunt ergo in mente stabiles quædam & perpetuæ notiones, quæ & principia sunt & fines ratiocinandi.

Decimaquinta ratio. Neque ratiocinandi solum, verumetiam quomodocunque intelligendi. Nam sicut sensus qui per aduentitias formas, quæ dicuntur accidentales, cognoscit semper, accidentia quoque semper attingit, vt Platonici putant, ita è conuerso mens quæ essentias rerum definit, per essentiales formas intelligit. Et quia sensus qui fallacibus confidit rerum imaginibus, & subito euanescentibus sæpe fallitur, neque imaginē à re vera discernit, sed opus est ad hoc iudicio rationis,

rationis, idcirco mentem oportet essentialibus (vt ita dixerim) rationibus inniti, ne ipsa quoque fallatur, & iudicio virtutis alicuius superioris indigeat.

Decimasexta ratio. Præterea si cognoscimus Angelos, neque eos nosse valemus per species à sensibus haustas, quæ cum pendeant à corporibus, non referunt angelicas formas, quæ ad corpora non declinant, sequitur vt eos per insitas species cognoscamus. Quo enim pacto iudicamus Angelos esse naturas non vergentes ad corpora, nisi per species à corporibus minimè dependentes?

Decimaseptima ratio. Denique inter cognitionem diuinam & sensitiuam cognitio intellectualis est media, ergo & medias habet conditiones. Deus cognoscit per essentiam suam immobilem, sensus per mobiles qualitates, id est, species peregrinas. Quapropter mens cognoscet per qualitates immobiles, quæ species innatæ vocantur. Ordo denique vniuersi requirit, vt quemadmodum puræ mentes in se respiciunt, sensus autem in alia solum, sic anima mentis sensusque particeps, non modò extra se formas, sed in se quoque respiciat. Vbi autem Aristotelis more mentem dicere solemus nouas species procreare, possumus etiam proprius more Platonico dicere, innatas species ex mentis penetralibus erui. Germanarum virium ea est natura, vt se mutuò comitentur in operando, sicut in existendo, & se vicissim suscitent ad agendum. Germanæ vires sunt olfactus & gustus, vnde sæpe animus per odoratum inuitatur ad gustum. Germanæ, concupiscendi virtus & irascendi natura. Facilè igitur ex libidine irritamur ad iram. Germanitas etiam oculorum facit vt ambo simul vertantur ad idem. Germanitas sensus & phantasiæ efficit, vt operante sensu ad aliquid, ad idem operetur & phantasia. Propter similem Germanitatem, quando phantasia species suas profert in actum, mens quoque suas educit in lucem. Non generantur propriè tunc mentis species, sed quæ angustius coarctabantur, patent latius, & florescunt, quæ tepebant, feruent, quæ in solo mentis vertice per se lucebant, rutilant eminus, & in ratione quæ mentem sequitur, iam facta sereniore refulgent. Itaque quam Aristoteles creationem vocaret in speciebus, Plato coruscationem cognominabit, per quam expergefactus oculus rationis, speciebus mentis irradiatur. Prima illa in mẽte coruscatio, intelligentia ipsa est, sequens irradiatio est ipsa rationis discursio. Per intelligentiam essentiæ rerum definiuntur. Per rationem componuntur essentiæ definitæ, & argumentationes conficiuntur. Veras autem definitiones essentiarum non potest mens per accidentalia rerum simulachra fabricare, sed eas construit per infusas ab origine rerum omniũ rationes.

Decimaoctaua ratio. Infusas, inquam, à rationibus rerum quas habet Deus. Quæ quidem in Deo sunt ipsa Dei essentia, ab ipso Deo sub variis rationibus intellecta. Formæ igitur omnium in Deo sunt, ibique nihil aliud sunt, quàm essentia ipsa Dei, atque omnes habitu simul & actu. Omnes quoque formæ sunt in Angelo. Non quidem essentia ipsa sunt angeli, sed rationes quædam essentiales, id est, quæ semper essentiam comitantur. Vbi vigent habitu simul omnes & actu, quia secundum omnes actu omnia simul intelligit. Præterea sunt omnes in hominis intellectu. In quo etiam essentiales rationes cognominantur, habitu cunctæ simul, sicut in angelo, non simul actu, quia non simul vtitur vniuersis. Propterea intellectus infimus appellatur, & materiæ quodammodo similis, quia tamen est præstantior quàm materia, ideo effectiuo habitu formas habet, quod materiæ non conceditur, qui habitus appellatur vis mentis agens, quia sese confert ad actum. Vis quoque capax, quia suscipit actus perfectionem. Postremò omnes formæ sunt in materia. Vbi etiam rationes essentiales ideo nominantur, quia sunt fomites siue habitudines quædam, siue respectus ad formas essentiam materiæ perpetuò comitantes. Quæ quidem formarum potentiæ sunt, potentiæ, inquam, capaces formarum, non efficaces, & formæ quodammodo ipsæ, sed imperfectæ. Vnde omnes quoque sunt in materia modo perpetuo, secundum quidem potentiam, non tamen secundum efficacem habitum aut actum.

Decimanona ratio. Quis neget animum statim à tenera ætate vera, bona, honesta, vtilia exoptare? Optat autem intellectus nullus incognita. Ergo insunt istorum aliquæ etiam antequam appetat in animo notiones, per quas ceu formas rationesque ipsorum ea iudicat appetenda. Idem ab inquisitione & inuentione probatur. Si in turba hominum quærat Socrates Alcibiadem, sitque illum aliquando inuenturus, necesse est Socratis menti aliquam Alcibiadis figuram inesse, vt sciat quem hominum quærat præ cæteris, atque inuentum in cœtu multorum Alcibiadem ab aliis discernere valeat. Ita neque inda-

garet ea quatuor animus, neque aliquando inueniret, nisi haberet illorum, id est veritatis, bonitatis, honestatis, vtilitatis aliquam notionem, per quam illa quæreret inuenturus, vt quoties inuenit quæ inuestigauerat, agnoscat, atque ab eorum discernat contrariis. Neque solum ab appetitu, indagatione, inuentione, sed etiam à iudicio id probamus. Quicunque enim aliquem sibi amicum iudicat vel inimicum, quid amicitia quidve maliuolentia sit, non ignorat. Quonam igitur pacto multa vera vel falsa, bona vel mala, vt solemus, quotidie iudicaremus, & rectè iudicaremus nisi esset nobis veritas quodammodo bonitasque ab initio cognita? Quomodo rursus structuræ, musicæ, picturæ, & artium cæterarum opera, necnon inuenta Philosophorum, multi etiam in iis artibus non versati probarent sæpenumero rectè, & reprobarent, nisi illarum rerum forma quædam esset & ratio illis à natura tributa? Comparatio quoque idem nobis ostendit. Quicunque enim mel vino comparans, alterum altero pronuntiat dulcius, quis dulcis sit sapor agnoscit, & qui Speusippum & Zenocratem conferens ad Platonem, Zenocratem censet Platonis similiorem quàm Speusippum, Platonis figuram proculdubio nouit. Eodem modo cum è multis bonis aliud alio melius rectè existimemus, & maiori minorive bonitatis ipsius participatione aliud alio melius deteriusve appareat, necesse est bonitatem non ignorare.

Præterea cum è multis & diuersis Philosophorum aut etiam aliorum opinionibus, quæ veri sit similior & probabilior, sæpe optimè iudicemus, oportet non deesse nobis aliquem veritatis intuitum, vt quæ sint illius similiora, non nesciamus. Quapropter nonnulli in adolescentia, aliqui etiam sine præceptore, plerique ex paucissimis doctrinæ rudimentis à præceptoribus demonstratis doctissimi euasisse traduntur. Quod nunquam nisi multum, vt diximus, iuuante natura fieri potuisset. Hoc abundè Socrates Phædoni, Menoni, Theæteto adolescentibus demonstrauit, docuitque posse pueros rectè in singulis artibus respondere, si quis prudenter eos interroget, cum à natura sint artium disciplinarumque omnium rationibus præditi.

Confirmatio superiorũ, atque insuper de ideis.

CAPVT IV.

POssumus autem ex tribus illis Platonis libris, Phædone, Menone, Theæteto, atque insuper ex Parmenide, Timæo, & Conuiuio sic rursus argumentari. Si capite propriè atque præcipuè alter quidem maior, alter verò minor denominetur, absurdum id quidem. Primo, quoniam per idem & maior erit & minor. Deinde per aliam speciem in alia specie aliquid collocabitur, puta per capitis speciem in maioris minorisve specie. Præstat autem capite capitatum quàm maius, aut minus denominare. Denique absurdum est, per aliquid paruum maius aliquid dicere. Igitur si formalis afferenda causa est, maioritate minus cognominabitur. Similiter denarium numerum nouenario plurem, non vnitate propriè appellabimus, siquidem ab vnione propriè vnum denominamus, imo pluralitate plurem, & alium paucitate pauciorem esse dicemus. Item dualem numerum fieri asseremus non diuisione vnius in duo, quia etiam coniunctione interdum huius rei atque illius fieri contendetur. Et omnino idem propriè oppositis effici causis non est dicendum. Ergo dualem numerum dualitatis ipsius participatione fieri secundum formam potius asseremus. Sed hæc tanquam leuiora mittamus, pergamus ad grauiora. Si color vel figura est ipsum pulchrum, quonam pacto erit color aliquis vel figura deformis? Item quanam ratione multa subiecta pulchritudinis vnius tanquam communis participarent, nisi vna quædam pulchritudinis natura communis & inesset singulis, & præesset, vt ab ea quæ præest, dependeat & quæ inest? Proinde aliud est ipsa bonitas quam res quæ bonitatis participatione fiunt bonæ. Aliud pulchritudo quam res pulchræ, similiterque de cæteris speciebus, quas Plato vocat ideas. Corpora enim pulchra multa sunt, ipsa verò pulchritudo vna est. Nam omne primum summumque in aliquo rerum genere, vnum est solummodo.

Rursus hæc pulchra duas habent naturas, tum materiam corporalem, quæ fit particeps pulchritudinis, tum pulchritudinis qualitatem, ipsa verò pulchritudo nihil est aliud quàm pulchritudo, quoniam quicquid est in genere aliquo primum tale, nihil aliud est quam tale. Item corpora hæc partim pulchra sunt, partim etiam

turpia. Nam ex ipsa sua materia, quæ aliud aliquid est quàm pulchritudo, deformia iudicantur, ipsa verò pulchritudo turpitudinem non admittit. Si modò opposita vicissim se fugiunt, corpora quoque pulchra mutantur, & modo pulchra sunt, modo contra. Pulchritudo verò ideo immutabilis est, quia & nihil est aliud quàm pulchritudo, & quantum pulchritudo est, non mutatur, quia sic neque vertitur in contrarium, neque priuatur quandoque fundamento & sustentaculo, cum seipsa sustineat. Adde quòd corporalia quæque aliis pulchra videri possunt, aliis verò non pulchra, ipsa verò pulchritudo carere pulchritudine cogitari non potest.

Præterea corpora formosa diuisibilia sunt, pulchritudo autem indiuisibilis. Non parua est, quia magna corpora non formaret, non magna, quia paruis corporibus non congrueret. Denique non est corporea, quoniam rebus spiritalibus non competeret. Non est etiam temporalis, quia rebus non inesset æternis. Inest autem multo magis animabus & mentibus quàm corporibus. Sed neque in illis est prima, tum quia illæ secundum se deformes sunt nisi formentur à bono, cuius splendor est pulchritudo, tum quia illæ veritatem appetunt tanquam pulchram. Pulchritudo verò non expetit semetipsam. Tunc denique quia simpliciter & communiter amabile est non esse quidem animale vel intellectuale, sed bene bonumque esse. Cum verò bonum summè alliciat, summa est pulchritudo. Itaque idea ipsa pulchrorum est super corpora, animas, mentes. Est vna, simplex, pura, immutabilis, indiuisibilis, incorporea, & æterna, atque eadem idearum omnium est natura, quod hinc quoque alio exemplo probamus. Hinc homo quando illum generat hominem, non propriè specificam humanitatem ipsam, quæ communiter in vtroque consideratur, gignit. Gigneret enim & seipsum qui per humanitatē extat. Præterea terminata natura naturam interminatam generare non potest. Non ergo causa est hic homo vt simpliciter humanitas sit, sed vt in illa materia propagetur. Oportet autem naturæ humanæ communis esse communem causam, atque etiam per se agentem, quod ostendit ordinatissima eius & stabilis compositio Quamobrem super agentia in speciebus particularia extare oportet vniuersale agens, speciem respiciens atque dirigens. Quod etiam apparet in iis quæ absque manifestis seminibus generantur, vt aliàs demonstrauimus.

Argumentantur rursus multi Platonicorum à mentis obiectis hunc in modum. Cum intellectus noster naturaliter formas capiat, rationesque intelligat vel separatas, vel separando, sequitur vt communes ipsæ rerum separatæque à materia, rationes, naturalia sint eius obiecta. Quoniam verò obiecta eiusmodi mouent, formant, perficiunt intellectum, ideo in præstantiori veriorique vniuersi gradu sunt constitutæ, longissimeque à figmentis absunt, ne mens & veritatis iudex, & sensuum emendatrix, à veritate remotior sit quàm sensus. Quamobrem rationes illæ merito sublimiores, veriores, efficaciores naturæ existimantur, quàm intellectus qui inde formantur. Sed nunquid illæ rursus intellectuales sunt appellandæ? Non quidem proprie. Siquidem rationales animæ secundum participationem intellectuales sunt, angeli verò intellectuales secundum formam. Rationes denique illæ atque ideę intellectuales quidem secundum causam, intelligibiles verò secundum formam. Intellectuale enim ad intelligibile ita ferme se habet, vt appetens & mobile atque formabile ad appetibilem motorem atque formatorem. Sed vbinam sunt? Sanè ideas minus communes in ideis communioribus generatim Platonici collocant. Ac demum omnia idearum genera in ipso ente primo communissimo entium atque perfectissimo, quod summum intelligibile vocant, intelligibile quidem secundum formam, intellectuale verò secundum causam, cui proximè subdunt mentes quàm plurimas intellectuales secundum formam, intelligibiles verò secundum participationem. His autem rationales subiiciunt animas, intellectuales tam participatione quadam, intelligibiles verò nequaquam.

Proinde censent ens ipsum, ipsumque intelligibile, idem esse, quoniam ens sit naturale & adæquatum intellectus ipsius qua ratione est intellectus obiectum. Præterea intelligibile ipsum sub primo rerum principio collocant. Illud enim tale est, vt comprehendi quodammodo possit, hoc verò nequaquam. Principium primum appellant propriè vnitatem ipsam atque bonitatem. Et quia vnitas eminentiam lucemque procul ab omnibus segregatam refert, intelligibile verò refert lumē quoddam iam intellectibus proportione quadam accommodatum, ideo vnitatem & aliud & superius quàm intelligibile esse putant. Rursus quia mentes tàm intelligere quàm intelligibile appetunt, non sim-

pliciter, sed & bene & bonum, bonum verò simpliciter appetunt, idcirco hac etiam ratione, id est Deum summum, ipsi enti, quod & intelligibile est, præponunt. Mitto quòd intelligibile respicit intellectum, bonum verò respicit voluntatem. Itaque non solum hoc ab illo est differens, sed & præstantius, quippe cum præstantius sit quòd voluntatem rapit, quàm quod ab intellectu comprehenditur. Quapropter ens ipsum ab intellectu pro viribus percipi opinantur, bonum verò per voluntatem potius ad seipsum animam trahere, atque tractam in se quoque transfundere, & si quo pacto ab anima iam occupata suo modo tangitur, tangi propriè per vnitatem mentis caput, quam ab initio nobis Deus, qui est vnitas vniuersi princeps, inseruit. Cæterum vt ad propositum reuertamur, in ipso quidem bono ideas per causæ modum esse solùm relatiuis quibusdam rationibus tantum inter se distinctas, in ipso verò intelligibili per formam propriè atque absolutis insuper formis inuicem differentes, in sequentibus mentibus siue à corpore separatis siue coniunctis participatione iam quadam & gradatim magis magisque distinctas, in natura verò semina quædam infima formarum ab ideis infusa, in materia denique vmbras. Ipsum quidem bonum Plato in Epistolis Deum patrem nominat, ipsum verò intelligibile Deum filium. Plotinus quoque & Deum de Deo, & de luce lumen, & rationem, verbumque Dei.

Rursus Plato in Epinomide per rationem huiusmodi diuinam, siue verbum (quem mundum vocat intelligibilem) affirmat mundum fuisse sensibilem exornatum. Quoniam verò ideæ in primo quidem vna forma sunt, in secundo verò multæ formæ (non enim putant in prima forma absolutam diuersitatem esse formarum) ideo Plato contemplatus & colores in lumine circa lucem, & lineas in circulo circa centrum, inquit in Epistolis, multiformes ideas absolutè distinctas circa primum rerum principium esse potius quam in primo. Similiter in libro de Republica septimo, ideam inquit boni, id est, ipsum bonum, in cuius forma omnes ideæ vna forma sunt, pulchrarum esse causam idearum, videlicet illarum quæ in sequentibus multæ formæ sunt absolutæ inuicem differentes.

Superioribus rationibus Plotinus & Proculus ideas confirmant, & aliter in Deo (vt aiunt) primo ponunt, aliter in secundo. Alij verò nonnulli ad idem ita procedunt. In materia quidem postrema idearum vmbra resultat, super materiam verò idearum omnium lucet facies, quarum fons est Deus rerum auctor, vt Platonis Timæus planissimè docet, ac liber de Republica decimus, & Parmenides. Si enim mens & natura plenę formarum sunt, perque illas agunt quod in naturalibus artificiisque apparet, merito & Deus, qui naturæ mentisque formator est, informis esse non debet. Per formas igitur agit, quas appellamus ideas. Has Plotinus & Proculus non solum exemplares, sed etiam essentiales formas appellant. Putant enim opificem mundi nulla in fabricando mundo consultatione vti. Talem enim imperfectam operationem esse, atque eum qui de opere perficiendo consultat, prius in se imperfectum opus quodammodo concepisse, deinde de illius absolutione perquirere. Quod à mente perfecta est alienum. Item si vniuersum mutabili solum prouidentiæ discursu disponeretur, non esset vnquam stabile quicquam, neque perpetuus esset mundi motus & stabilis. Igitur Deus vniuersum per esse suum facit atque disponit, præsertim cum eiusmodi actio & prima & communissima & facillima sit omnium actionum, ideoque à causa quadam prima communissima, felicissima sit vbicunque sit, eique in primis conueniat. Omnis autem causa quæ ipso esse facit, talem sequenti gradu facit effectum, qualis est ipsa primo. Cum igitur mundus sit cunctarum complexio specierum, sequitur vt mundi opifex modo quodam suprà quàm cogitari possit præstantiore specierum omnium complexio sit, & omnium formas habeat exemplares, sibique met, vt illorum more loquar, essentiales. Quod iterum ita confirmant. Si ars naturam imitatur, perque operum rationes efficit opera, ergo & natura suorum operum possidet rationes. Rursus natura cum ex seipsa careat ratione, & moueatur perficiaturque à Deo, rationes accipit ab ipsis diuinæ mentis. Et quanto naturæ rationes interiores ipsi naturæ sunt, quam rationes artis arti, tanto saltem rationes diuinas interiores oportet esse Deo, quam naturæ rationes ipsi naturæ.

Addunt, quòd formæ sensibiles haud omnino vereque sunt tales quales cognominantur. Sanè æqualitas & similitudo passim inæqualitatis dissimilitudinisque fit particeps. Formositas autem vera in subiecto per se deformi informique esse non potest. Bonum quoque verum, vbi defectus & procliuitas est ad malum esse ne-

quit. Quinetiam in cœlestibus nolunt esse veram lineam, superficiemque, verum centri polorumque punctum. Siquidem quorum ratio est impartibilis, ipsa in re partibili esse non possint. Sed animus noster veras habet gignitque formas, per quas alias falsi redarguit quantum à veris distent, animaduertens. Quamobrem multo magis anima vniuersi veras formarum possidet rationes & gignit. Vbi enim virtus intelligentiaque præstantior, ibi expressiorum formarum conceptio atque partus. Denique mundi opifex certiores etiam perfectioresque formas in seipso gignit, atque (vt Proculi verbis vtar) dum se animaduertendo seipsum gignit, in se simul generat omnia. Accedit ad hæc, quòd cum vniuersi membra perpetuo quodam ordine inter se conspirent, non casu, sed ratione conciliantur atque reguntur. Ratio illa quæ ordinat omnia, seipsam ignorare non potest. Alioquin ratio summa foret irrationalis, si nullam rationem sui ipsius haberet. Rationalior enim ratio est quæ seipsam cognoscendo complectitur, quam quæ ignorando se deserit. Illa igitur se tanquam ratione omnium ordinatricem intelligit, quo efficitur vt quibus rationibus modisque singula disponantur, semper intelligat. Quamobrem in summa omnium ratione sunt omnium rationes. Vtrum igitur quia Deus facturus erat omnia, cuncta cognouit? Non certè. Alioquin essentialem operationem, ipsamque ad seipsum conuersionem, ad externa referret; atque aliunde penderet. Igitur quemadmodum Sol in se lucendo illuminat omnia, sic Deus intelligendo atque volendo seipsum, & scit & efficit omnia. Quis non viderit, si videndo se, videt facitque cuncta, sequi vt in substantia sua substantiales formæ sint, quæ exemplaria causæque sint omnium? Semper enim in ipso naturæ ordine ita se res habet, vt ab interiori actione procedat exterior, atque idem opus actioni persimile, quemadmodum à lucere illuminare, ab illuminatione illuminatum, illuminationi lucique simile. Proinde plantæ & animalia ex seminibus generantur. Oportet autem in semine rationes esse quodammodo animantis inde rationaliter procreati. Non tamen sunt in semine corporeo nisi potentia. Vniforme enim semen est, ac penè informe, quod autem inde gignitur, multiforme atque formosum. Item si semen diuidatur, plura inde tota quæ nascuntur, quasi in partibus tota lateant quæ gignuntur. Hinc patet vim seminariam in semine ipso latentem, esse quodammodo incorpoream, in qua sit huius motus generationisq; principium. Oportet autem multiplicis animantis rationes multiplices seminariæ inesse virtuti, quam vocamus naturam. Idem enim provt idem est, diuersitatem tantam proximè generare non posset. Insuper inesse actu necessarium est. Quod enim est potentia tale, tanquam imperfectum, in aliquid actu tale, non aliter quam per aliquid quod actu tale sit, perfectiusque produci potest. Insunt ergo singularum animantis partium specie differentium singulæ rationes, quibus suo singula tempore locoque & ordine procreentur, atque excisa, si fieri potest sæpissime recreentur. Sed nunquid seminariæ vires in seminibus animantium summæ causæ sunt? Nequaquam. Non enim ab vlla illarum fit species ipsa, sed quiddam potius particulare sub specie, & quælibet illarum ab alio sub eadem specie ducit originem. Ideo ad vniuersalem naturam cōfugiendum est, in qua vniuersales sint suarum specierum omnium rationes. Ad naturam, inquam, terræ terrenorum procreatricem, præsertim cum sæpe plantis & animalibus passim sponte nascentibus semina corporalia desint, quo fit vt ad eorum productionem seminibus incorporeis opus sit. Atque vt conuenienti ordine procedamus, singulas terrenorum species ad vniuersalem referamus terræ naturam, similiterque in cæteris elementis, deinde quatuor elementorum naturas proximè ad Lunæ naturam; in qua sint elementalium omnium rationes, naturam verò Lunæ, ad naturam sphæræ superioris, similiterque deinceps. Cunctas denique naturas ad ipsam vniuersi naturam, in qua necessariò sint tàm naturalium quàm naturarum omnium rationes, rationes, inquam, & exemplares, & effectrices, vt naturas omnes certis regulis ad certa dirigat & perducat. Non potest autem natura esse ratio causaque rerum summa, tum quia per se irrationalis est (quod in nostra natura patet) nam neque alia nouit, tum quia est causa effectui mixta, perinde ac si faber lignis infusus tractet ligna. Tali enim causa opus erat, vt quæ ab alio extrinsecoque & communi mouentur, familiarem quandam intrinsecamque virtutem à separata causa possiderent, quippe cum & hæc non aliter propriè, distinctè, accommodatè dicantur, quam per virtutem ipsis propriam, distinctam, accommodatam; & causa tandem excellentissima, quæ purè & ab-

solutè operi dominatura est, ab ipso opere per essentiam & esse & virtutem oporteat esse secretam, sicut in aëre videmus calorem quidem à Sole superno misceri, lumen verò nequaquam. Oportet autem naturam etsi per se irrationalis est, tamen corporalium rationes habere, quibus possit intrinsecus singula congruis modis ad finem conuenientem rationaliter ordinare, mouere, formare, cumque per se irrationalis sit, ab eo quod per se rationale est, duci debet, rationibusque formari. Nempe irrationale est, naturæ per se irrationali ordinem vniuersi committere. Igitur in causa superiore necesse est rationes rerum adeo rationaliter esse, vt causa ipsa se suaque animaduertens, & sui & rationum suarum certam habeat rationem. Absurdum certè foret, cum nos, tum nostri, tum nostrorum operum, tum vniuersi rationes habeamus, causam vniuersi, neque sui neque suorum rationes habere. Quamobrem si mundi conditor omnia nouit, certè non respexit in alia vt illa perciperet, siquidem cognitio eius, alia ipsamet cognitione producta proculdubio antecedit.

Quis enim ignoret externum opus sequi intrinsecam actionem? Itaque Deus in seipsum respiciens nouit omnia. Quo fit vt in ipso sint omnium species, per quas cuncta cognoscat & faciat. Atque (vt summatim dicam) quemadmodum in hoc materiali mundo materiæ omnes in vnam tandem intimamque materiam, sic & multo magis in mundo formali formæ omnes in vnam intimamque formam necessariò reducuntur. Quod hinc rursus argumentari licet. Quòd omnis vita prolem suam penes seipsam prius generat quàm seorsum, & quo præstantior vita est, eo interiorem sibimet generat prolem. Sic vita vegetatiua tam in arboribus quàm in animalibus semen quasi arborem & quasi animal in corpore proprio prius generat, quàm aut iaciat extra, aut arborem inde animalue externum producat. Sic sensitiua vita, quæ est vegetatiua præstantior, per phantasiam in se simulachrum intentionemque rerum parit prius quàm in externa materia fabricet. Sed fœtus ille phantasiæ primus quia in ipsamet anima est, ideo propinquior est animæ quàm fœtus vegetatiuæ vitæ, qui non fit in anima, sed in corpore. Sic vita rationalis, quæ est excellentior sensitiua, parit in seipsa rationem tum rerum, tum sui ipsius, quasi fœtum prius quàm vel loquendo vel agendo promat in lucem.

Primus ille fœtus propinquior est animæ quam phantasiæ fœtus. Vis enim rationalis in fœtum suum, perque illum in seipsam reflectitur, quod efficit phantasia. Sic angelica vita notiones sui ipsius & rerum promit in se antequam depromat in mundi materiam. Proles hæc interior est angelo quam rationi sua, quia neque ab externis incitata est, neque mutatur. Quamobrem diuina vita eminentissima & fœcundissima omnium, vniuersam hanc mundi Machinam tanquam prolem suam in se generat prius quàm pariat extra. Oportet autem huiusmodi prolem, quam Orpheus Palladem vocat, Iouis capite natam, magis intimam (vt ita dixerim) esse Deo, quàm angeli notionem angelicæ menti. In angelo quippe cum sit esse aliud quàm intelligere, notio quæ generatur intelligendo, aliud est quàm angeli ipsius essentia. In Deo autem quia esse & intelligere idem sunt, notio qua Deus intelligendo seipsum gignit tanquam exactissimam sui ipsius imaginem, idem est atque ipse Deus. Quòniam verò generationem voluptas comitatur, Timæus Platonis inquit, Deum opere suo mirificè delectari. In prole autem illa Dei intima, quæ vniuersale semen est mundi, insunt propria semina membrorum omnium quæ in mundo hoc prole eius externa gignuntur. Semina illa essentia inter se conueniunt, ne Deus sit substantia multiplex. Differunt ratione, ne quicquid in mundo fit, sine vlla varietate sit vnicum. Age sic vltra procede.

Cùm Deus vim habeat infinitam, & res quæ sequuntur eum cunctæ finitam, ideoque diuina virtus non sit determinata ad ea solum agenda quibus finitæ res possunt subministrare, sed queat absque illis insuper innumerabilia opera etiam incorporalia facere, an non necessarium tibi videtur in Deo horum operum formas, quæ absque instrumentis certisque subiectis facere potest, ita relatione saltem distinctas esse, vt propriam illic habeant rationem? Nam cum ab vno, quantum vnum omnino est, absque medio subiectove certo non fiant multa, nulla est ratio ob quam formæ tales possint ex Deo multiplices emanare, nisi multiplex (vt ita dicam) & quodammodo multiformis sapientia Dei. Quinetiam quicquid reliquæ causæ agunt, id omne operantur tanquam primæ causæ instrumenta, atque ita agunt, vt temperentur ab illa. Temperantur autem ducunturque à Deo certis modis ad certas formas in materia generandas, non per aliud quàm per certas formarum ra-

tiones quæ sunt in Deo, quemadmodum instrumenta artis atque naturæ per formas agentis diriguntur ad formas. Atque vt formæ tum artificiosæ, tum naturales perspicuæ magis sunt in agente, quàm in opere vel instrumentis, ita mundi totius formæ expressiores modo suo in Deo sunt, quàm in sequentibus causis & materia. Quamobrem Mercurius putat, mundum esse omniformis Dei imaginem omniformem. Et Plato in Timæo inquit, diuinam virtutem cum bonitatis suæ gratia, vellet mundum quàm pulcherrimum facere, decreuisse eum ad exemplar illud quod est omnium excellentissimum, figurare. Ideoque mundum ita ad sui similitudinem effecisse, vt mundi partes ad sui ipsius formarit ideas. Ex iis quorundam canum rabies condemnatur latrantium Platonem ideas extra diuinam intelligentiam posuisse.

Cœlum vnum syderum plenum torrentem noctu figurat suorum syderum imaginibus, quæ quidem imagines neque sunt sydera, licet esse infantibus videantur, neque manent, sed iugiter innouantur aqua fluente, quamuis manere vulgo putentur. Similiter Deus vnus idearum, quæ sanè simulachra neque veræ species sunt apud Platonicos, quanquam veras esse quidam Physici arbitrantur, neque quiescunt vnquam, vt Heraclitus ait, labente materia, etsi quiescere eas ignorantes existimant.

Atque hic est modus per quem res temporales, vt vult Parmenides Pythagoreus, æternarum fiunt participes idearum. Profectò sicut æternitas (quæ vnum duntaxat momentum est manens idem semper & eodem modo) tempus omne quod per innumerabilia diffluit momenta, quiescendo metitur, & sicut centrum stabile puncta superficiei circuncurrentis, ita idea quælibet in æternum vna eademque consistens, res eas temporales metitur omnes, quæ in eadem inter se specie sunt ideæ vnius eiusdemque participes. Quod de vna dicam, de omnibus est ideis intelligendum. Pulchritudo ipsa pulchrorum omnium est mensura, quia per accessum ad pulchritudinem primam, & recessum ab ipsa, res sequentes magis minusve pulchræ existimantur, & quod cadit ab omni pulchritudine, ab omni cadit essentia, & quod totam possidet pulchritudinem, totam habet essentiam, quia prima essentia & prima pulchritudo sunt idem. Quæcunque homo in specie aliqua iudicat, iudicat ad speciem referendo, puta quando iudicat Solem aut ignem esse pulchrum, tunc duo pulchra refert ad vnam pulchritudinis speciem absolutè. Et quando Solem esse igne pulchriorem pronunciat, ad eandem refert ideam, non absolutè, sed comparando.

In vtraque relatione, pulchrum Solem & ignem pulchrum per eandem metitur ideam, sed in prima vtrumque per totam ideam mensurat, in secunda per alterum ideæ gradum illorum metitur alterum. Neque audiendi sunt Barbari quidam, qui res pulchras mensurari non posse putant per accessum ad purum pulchritudinis actum, quia ille sit infinitus, ideoque non possint res aliæ aliis propius ad ipsum accedere. Volunt autem per recessum à pura pulchritudinis priuatione mensuram talem excogitari.

Hi enim ob id errare videntur, quòd si purus actus est infinitus affirmatione, similiter pura priuatio est infinita negatione. Neque fit pulchrorum comparatio ad diuinam essentiam penitus infinitam, sed ad pulchritudinis ipsius ideam, quæ quodammodo finita est quantum respicit creaturam, quia est determinatio quædam diuinæ perfectionis, facta quidem à mente diuina, confirmata verò à voluntate. Accedunt autem ad eam propius, quæ similitudinem eius suscipiunt purius. Recedunt verò, quæ contrà. Meritò autem inde mensura accipitur pulchritudinis in rebus pulchris, vnde ipsa suscipitur pulchritudo. Hæc autem ab idea capitur, non à pura pulchritudinis priuatione. Denique quid stultius, quàm pulchritudinis habitum per priuationem velle discernere, cum fieri è conuerso tam natura quàm ratio cogat? Quapropter absque dubio fateamur humanam mentem pulchra referre ad ipsam pulchritudinis rationem.

Quoniam verò quod mensurat, præstantius est quàm quod mensuratur, mens humana quantum per relationes ad ideas res omnes temporales metitur, quæ sub ipsis continentur ideis, rebus illis est excellentior. Atque ideo ideis est proxima, quia metitur quæcunque illas sequuntur, vtpote quæ cadit media inter idearum fontem, & riuulos inde manantes. Verum licet mensuret ad ideas, non tamen per ideas ipsas mensurat tanquam per propria quædam & proxima media. Non enim sunt vniuersales ideæ proprium instrumentum huius aut illius mentis humanæ, neque inter mentem singularem & res alias

singulares vllo modo vniuersales ideæ cadunt mediæ. Quia verò non potest animus singularia vniuersalium idearum simulachra aliter metiri, quàm per formulas idearum animo proprias, & quasi declinantes ad singularia, necesse est menti idearum formulas inhærere, per quas ideis simulachra cõferat, & quæ congruũt formulis probet, reprobet quæ non congruunt. Sed vnde adueniunt hæ formulæ menti? nunquid à simulachris? an ab animi fictione? an forsitan ab ideis? Non à simulachris, nam per eas formulas animus mensurat simulachra, vnde formulæ simulachra antecedunt, & tanto præstantiores sunt quanto ideis propinquiores. At si fierent à simulachris, non verè mensurarent illa, sed ab eis potius mensurarentur. Mensura enim adæquatio est. Causa adæquat effectum, effectus causam non adæquat. Nusquam in corporibus perfectas vnitatis, bonitatis, pulchritudinisque rationes inuenimus. Oportet enim eas suis contrariis non esse permixtas. In corporibus autẽ vnitas miscetur partium multitudini, bonitas vitio, pulchritudo deformitati. Nusquam rectas figurarum rationes inspeximus in materia corporum, eas tamen ipsi tenemus. Alioquin neque de ipsis loqui possemus, neque per ipsas quasi examen defectum formarum corporalium redarguere. Non igitur eas à corporibus accepisse videmur, essent enim illis deteriores. Neque dicendum est eas esse nusquam, quia nequit mens intelligere per seipsum quod nihil est omnino. Nam & priuationes per habitus cogitat, & falsæ opiniones non ex eo fiunt in nobis, quod ipsum quod omnino nihil est cogitemus, sed quòd vel coniungamus res inuicem vel disiungamus præter ordinem naturalem. Imò verò si existunt alicubi obiecta sensuum, sunt & rationes obiecta mentis, si modò & mens sensibus est nobilior, & quod omnino nihil est, neque mouet animi aciem, neque contrahit, neque terminat. Non igitur finguntur ab animo. Sanè figmenta metiuntur, res veras non metiuntur. Figmenta animi res ipsas sequuntur confusius etiam quàm vmbræ corpora. Corpora per vmbras non discernuntur. Quis ergo per fictitium extraneumque simulachrum pulchritudinis, odoris, saporis, caloris, horum ipsorum essentiales definitiones proprietatesque latentes inspiciet? Præterea figmentum animi est animo ipso deterius. Formulæ verò illæ ideo præstantiores sunt animo, quia per ipsas animus etiam iudicat corrigitque seipsum. Nempe per rationes vnitatis, bonitatis, & pulchritudinis, animus de seipso iudicat sæpe quàm sit ipse aut partibus multiplex, aut affectibus diffidens. Item quantum vel natura deficiat, vel vitio deprauetur.

Rursus quantum vel natus sit deformis, vel turpis euaserit. Nonne per pulchritudinis sigillum pronunciat esse se corporibus pulchriorem & hanc partem sui illa, & hunc habitum illo pulchriorem esse? Imò verò & angelis sublimiores esse videntur, quia per sigillum idem angelum mens nostra designat, quando angelum animo pulchriorem esse affirmat, & alio angelo alium, angelisque Deum. Non tamen metitur Deum, sed ipsum tanquam mensuram relinquit immensurabilem. Sicut enim sapientia non fit sapiens, & motus non mouetur, ita prima mensura non mensuratur. In eo igitur quòd illæ formulæ angelos metiuntur tanquam regulæ expressæ ab ideis super angelos existentibus, certè sublimiores sunt angelis. Et animus in hoc ipso actu quo metitur angelos, excellentior est quam ea ipsa natura angeli quam apud seipsum metiendo designat. Quamuis & angelus animam metiatur per regulas quodammodo rectiores, & eo ipso actu magis excedit animum, quàm per actum animi excedatur ab animo. quo autem pacto sigilla huiusmodi, quas & formulas appellamus, si sunt animo & angelis altiora, finguntur ab animo? Quinimo sunt in animo ante omne commentum animi. Animus enim sua inuenta omnia ad sigilla talia confert. Siquidem veritatis sigillo discernit, quæ vera inuenta sint, quæ veriora, quæ falsa. Item quod per nouos temporalesque actus animi fabricatur, mobile est omnino. Quod enim motu fit, nimirum fit & mobile. Sigilla verò talia sunt immobilia. Hærent enim animo immobiliter, quoniam quicquid singulis momentis occurrit animo, vel fit ab animo arbitratu nostro, ad illa referimus tanquam firmiter inhærentia. Porro si illa quoque nutarent, essent ad alia referenda, & alia rursus ad alia, neque esset in nobis principium aliquod iudicandi. Sigillum per quod de statu huius rei, aut statu illius, aut etiam de æternitate sententiam ferimus, mobile esse nequit. Siquidem in sigillo ratio illius exprimitur, quod eo significatur. Ratio verò status ipsius æternitatisque est à ratione motus alienissima.

Quin etiam stabile & æternum non aliter quàm sub rationibus status æternitatisque definimus. Rationes huiusmodi

omnis sunt mutationis expertes, siquidem status antecedit motum. Quod verò in natura prius est, est à posteriore solutum. Atqui has rationes per quas talia definimus, intus habemus. Non enim per aliena mens loquitur. At si extra nos essent, egeremus adhuc aliis rationibus rationum, quibus quasi mediis rationes illas hauriremus per quas essemus de statu æternitateque locuturi. Aliæ illæ rationes ideo immobiles essent, quia essent rationes immobilium rationum. Itaque quacunque gradiamur, ad immobiles rationes nobis innatas perueniemus. Scite Plotinus quando de æuo disputat, inquit, Hęcne de æternitate loquimur quasi de extraneis rebus testificantes, ac de alienis agentes? Nequaquam. Non enim intelligimus, nisi tangamus, neque extranea tangimus. Itaque oportet nos æternitatis esse participes, hæc ille. Talia ergo sigilla sunt immobilia. Imò etiam sigillum motionum est immobile. Quando enim de rerum motibus iudicamus, illos ad æternam motus ideam per motionum sigillum nobis insitum comparamus. Si hoc quoque foret motus aut mobile, esset per sigillum aliud comparandum. Non enim motus ad æternitatem nisi per medium competens religatur, quod neque motus sit, neque mobile. Item si foret mobile, non recte per illud motiones iudicaremus. Motio namque tunc iudicatur rectè, quando refertur ad terminos & spatia quæ permanserint. Nam iis non manentibus neque fit motus, neque motus progressio cernitur. Ipsum quoque tempus, quod est proprietas quædam & perduratio motionis, non aliter mensuratur quàm si per stabilem seruetur memoriam, & stabili æternitatis momento circumscribatur. Si motionis sigillum stabile est, multo magis stabilia sunt sigilla omnia reliquorum. Ex iis omnibus duo pariter concluduntur, quòd scilicet sigilla talia & ab ideis animo inserantur, & ipsi hæreant immobiliter.

Confirmatio superiorum per signa.

CAPVT V.

HVius autem rei signa multa comperimus. Primum, quòd rustici homines, qui nunquam de ideis aliquid cogitauerunt, & adolescentuli qui nihil de iis audiuerunt, cum primum eorum sensibus occurrunt corpora pulchra, modo ratione vtantur, ea referunt ad ideas, duobus (vt diximus) modis. Vno, quando affirmant hoc esse pulchrum, quod non faciunt nisi ex eo quòd talis corporis figura quadrat sigillo pulchritudinis intus ingenito. Altero, quando affirmant hoc isto, & istud illo esse pulchrius, quantum aliud alio accedit propius ad sigillum. Tale sigillum neque per doctrinam, neque per inuentionem prius acquisiuere, quia neque cogitauerunt de illo quicquam, neque audiuerunt, neque etiam tunc ex singulis pulchris corporibus ipsum colligunt. Siquidem per ipsum minime fallax, singulorum fallaciam defectumque redarguunt. Neque ex natura quadam communi quæ est in singulis. Nam quod in rebus iacet fallacibus, ipsum quoque fallax euadit, fallacemque ex se procreat notionem. Præterea quando de illo diligentius cogitant, inueniunt ipsum vel esse, vel referre aliquid vnum supra multa in seipso consistens. Nam super naturam illam quæ vna quodammodo est in multis, oportet esse naturam talem quæ vna sit ante multa, vt communis sit æquè multorum. Tale sigillum quia nullo modo clauditur rerum singularium multitudine, ab ea multitudine nullo modo colligitur, neque etiam cogitationis machinatione concipitur. Nam per ipsum inuenimus super mobilem multiplicemque cuiusque animi pulchritudinem, vnam esse pulchritudinem in seipsa manentem. Ergo sigillum vim suam tollit altius super animos, machinamenta verò animi nihil animis eminentius fabricant. Si ergo cum primum vtimur ratione, res plurimas ad huiusmodi sigilla referimus quæ neque didicimus ante, neque tunc colligimus aut fingimus, præsertim cum comparationis signum præcedere semper res illas oporteat quæ comparantur, sequitur vt ante omnem rationis vsum ea possideamus.

Secundum signum est, quod subito fiunt relationes vtræque, sæpe etiam nulla præcedente aut intentione voluntatis, aut rationis discursione. Quod significat non esse animo regulam relationum huiusmodi nuper aut extrinsecus acquirendam, sed iam diu intrinsecus possideri, qua toties vti pro arbitrio potest, quoties se ad eam intenderit.

Tertium signum est, quod omnes in seipsis experiuntur, quoties volunt alicuius rei definitionem & causam inuenire, nihil aliud conantur, quàm vt omnibus sensus & phantasiæ submotis obstaculis, profundæ mentis intima penetrent, quibus tūc primum clarissimè fulget quod venantur,

cum primum in arcanæ mentis adyta penetrauerint, quasi intus ſcientiarum Theſauri deliteſcant. Quod ita Pythagoras cecinit.

ἀλλὰ σὺ θάρσει ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν
οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα,

id eſt, tu autem confide, quoniam diuinum genus eſt hominibus, quibus ſacra natura proferendo in lucem omnia monſtrat. Ergo mirabimur Homerum & Didymum alioſque permultos, vel natura vel ab infantia cæcos ita ſcripſiſſe, vt perſpicue vidiſſe omnia videantur? Mirabimur Zoroaſtrem, alioſque ſapientiæ inuentores, diuturna duntaxat ſolitudine, ſolaque animi totius in mentem ſolam conuerſione, rerum omnium ſcientiam peperiſſe?

Quartum ſignum ab approbatione ſumitur. Complexio corporis quæ abundat ſanguine, ſuos quoſdam poſtulat tum ſapores, tum cæteros rerum vſus, quæ bili alios, alios quæ pituita. Quando cuique complexioni quod ſuum eſt offertur, non aliter oblatam rem natura talis adſciſcit, quàm ipſe ignis eſcam ſulphuream. Hinc ſanguineus commendat dulcia, acuta acriave cholericus, acida melancholicus, mollia phlegmaticus & inſipida. Quod de ſanguineo dicemus, ſimiliter eſt ad alios transferendum. Neſcit ſanguineus quam ob cauſam dulcia probet, quia non commendat conſilio, ſed naturali complexionis inſtinctu. Sanè per naturalem inſtinctum quoque appetit genera qualitatum, rubra, & virida viſu, auditu læta, dulcia guſtu, temperata tactu atque olfactu. Si has quinque qualitates per complexionem affectat & probat, neceſſe eſt in ipſa complexionis conflatione quinque ineſſe fomites harum quinque probationum. Sicut enim illarum quinque qualitatum alia inter ſe eſt & alia ratio, ita à tali complexione ſub alia & alia ratione probantur. Igitur in vnoquoque homine quinque ſunt fomites naturales ad quinque qualitates congruas quinque ſenſibus comprobandas. Et quia in aliis hominibus aliæ ſunt complexiones humorum, ideo rerum concupiſcentiæ corporalium inter homines ſunt diuerſæ. Quoniam verò vna humana ſpecies eſt in omnibus, cum ſit mentis ſpecies vna, idcirco communis eſt eorum quæ ad mentem pertinent approbatio. Omnis mens figuram laudat rotundam in rebus ſtatim conſideratam, & cur laudet, ignorat. In ædificiis quoque ſimiliter talem, vel quadraturam ædium, vel parietum æqualitatem, lapidumve diſpoſitionem, angulorum oppoſitionem, feneſtrarum figuram atque occurſum. Laudat inſuper eodem pacto certam quandam ſiue membrorum humanorum proportionem, ſiue numerorum vocumque concordiam. Commendat mortales geſtus, & habitus tanquam decoros. Commendat ſapientiæ lucem, & veritatis intuitum. Si quælibet mens hæc omnia ſemper & vbique adſciſcit illico, & quam ob cauſam adſciſcat ignorat, neque poteſt non adſciſcere, inſtinctu adſciſcit neceſſario prorſus & naturali. At quia eorum quæ hic affectantur, diuerſa inter ſe ratio eſt, oportet vt à mente ex diuerſis naturæ ſuæ rationibus tùm quaſi fomitibus appetantur, tùm quaſi formulis & regulis approbentur, itavt ex eiſdem regulis illorum contraria reprobentur. Siquidem contraria illorum cum primum nobis obiiciuntur, offendunt natura ſua, etiamſi cauſam neſciamus. Sunt ergo rationes illorum ſimiliumque ingenitæ menti.

Quintum ſignum à definitione artis accipitur. Omnis ars quia certa ratione ad certum finem ordinat opus, rationalis facultas eſt. Facultas rationalis ſi omni naturæ irrationali eſt ingenita, multo magis ingenita eſt omni rationali. Elementa quàm artificiosè ſitum repetunt ſuum? Quanta geometriæ arte rectam lineam in aſcenſu ſeruant atque deſcenſu? Quanta architecturæ induſtria pluuia ſe in orbiculares guttulas cohibet? Quanta aër ſagacitate rerum naturæ ſuccurrit, ne quid in ea vacuum relinquatur? Complexio quoque plantarum & animalium quàm mirabili medicinæ artis ſolertia vtitur in conſeruando habitu naturali aut recuperando? Ipſæ quoque brutorum animæ ſingulis in ſpeciebus ſingulas artes exercent. Laneam telam infecta ſericia, lineam araneæ, hirundines figulinam, muſicam olores, apes architecturam, ciuilem ciconiæ, bellicam verò leones, vulpes denique venatoriam. Quis autem dixerit (modò iſta conſideret) ſolam naturam rationalem inertem fuiſſe, atque ex inertia irrationalem ab initio cõſtitutam? Imò verò ſi debet rationalis ſedes multo prius & magis artem capere rationalem, quàm ſedes irrationalis, oportet omnes rationali hominum ſpeciei artes innaſci, poſtquam ſingulæ innatæ ſunt ſingulis irrationalium ſpeciebus. Omnes enim fermè in genere brutorum vniuerſo congregantur, ſed aliæ ſpecies artium per alias animalium ſpecies diſperguntur. Omnes ergo in vnica rationali hominum ſpecie

colliguntur, licet per singulos diuidantur. Omnes iterum vno speciei Angelicæ singulari, in quo tamen diuiduntur secundum formas, quoniam multiformis est angelus. Cunctæ denique in vno singulari Deo, atque vna duntaxat Dei forma. Quapropter artes diuiduntur inuicem in brutorum genere secundum habitum atque actum, quoniam nulla mutorũ species aut artes omnes exercet actu, aut omnes infusas habet, sed quælibet eorum species vnica vtitur arte, & possidet vnicam. Artes igitur diuidantur oportet in hominum specie secundum actum, quia alij alias meditentur, non tamen secundum habitum, quia singuli cunctas possideant. Siquidem in Angelo quolibet vniuntur cunctæ habitu atque actu. Quilibet enim illorum quaslibet meditatur, sed diuiduntur executione, quoniam alij aliter gubernant mundum. Cunctæ in Deo modis omnibus vniuntur, quia & habet & videt & exequitur vniuersas. Nam in omnibus operantibus, vt inquit Theologus Paulus, omnia operatur.

Sextum signum ab assecutione artium ducitur, quas non illi solum qui præceptore carent, per se assequuntur, sed illi etiam qui magistros vel libros vel homines habuisse traduntur. Nam & qui eligendo discunt, non à literis corporalibus vitaque carentibus spiritalem viuamq; scientiam hauriunt, sed ipsi per literas prouocati, pariunt in seipsis, & qui discunt audiendo, non prius discunt, quam ipsi audita apud se recolant, examinent, approbent. Non fit autem examinatio approbatioque verorum, nisi intus præfulserit regula veritatis, & qui docere dicuntur, neque scientiam eandem quam ipsi habent, omnino transfundunt in alium. Nam docendo alios, ipsi euaderent ignorantes, & scientiæ qualitas de alia mente in aliam quasi de subiecto in subiectum transiret, quod non conuenit qualitatibus. Neque aliam quandam specie similem scientiam in discipulo ipsi per propriam generant. Talis enim generatio ad qualitates pertinet corporales, non ad humanam scientiam, cuius actio clauditur intus, & operantem perficit potius quàm externa. Cæterum quonam pacto magister discipulum edocet? Duo sunt artium genera. Aliæ sunt quarum materia circa quam versantur, nullum habet in se principium operis effectiuum, sicut lutum aut saxum, ita subesse videntur figulo & sculptori, vt manum duntaxat expectent artificis, ipsa verò suapte natura nihil momenti habeant ad opus efficiendum. Aliæ verò artes sunt quarum materia per formam quandam motum agit ad opus, quod quidem naturale est potius quàm artificiale dicendum. Sic terra subest agricolæ, sic medico corpus humanum. Quippe fœcunditas solis ad segetes producendas agricolæ, & corporis humani complexio ad sanitatem recuperandam medico confert quamplurimum, vsque adeo vt sæpe ager absque cultura producat segetes, & complexio corporis nostri sine medentis opera pellat morbos. Quod significat & agro inesse semina segetum per naturam, & complexioni semina sanitatis. Ergo in primo artium genere artifex ille Dominus materiæ vocatur atque magister, in secundo verò excitator naturæ atque minister. Artem docendi ad secundum id genus spectare, hoc nobis testimonio esse potest, quòd animus qui tanquam materia videtur subesse docenti, nonnunquam antequam audiat, præsagit audienda, & postquam audiuit, audita reddit vberiora & meliora, & sæpe licet non audiat, ex se parit, quippe qui semina scientiarum non minus quàm ager segetum possidet.

Vnde qui docet, minister est potius quam magister. Quapropter Socrates apud Platonem in libro de scientia Thæetheto, inquit, se filium obstetricis esse, & obstetrici persimilem, vtpote qui in erudiendis hominibus non inducat scientiam, sed educat, sicut obstetrices conceptos iam fœtus educunt. Ideo quando doctor aliquis contendit ex pluribus argumentis audienti aliquid demonstrare, qui audit, non paulatim formatur, vt lutum à figulo, aut saxum aliquod à sculptore, sed post multa indicia, veritatem subito intuetur, etiam absente magistro, quando sufficienter fuerit prouocatus, sicut ager cultus à rustico, post diuturnos illius labores suo ipse tempore edit fœtus agricola nihil agente. Quis oculos videre docuit? Aures quis audire? Oculis non præstat visum Medicus, sed vel super infusas caligines discutit, vel dirigit in obiectum, ita menti præceptor scientiam non infundit, sed purgat aciem aut dirigit. Nemo canibus sagacitatem præstat venatoriam, nemo equis currendi virtutem, nemo robur bellicum elephantibus, sæpe tamen homines eas ipsas virtutes latentes & dormitantes in membris vsu expergisci compellunt. Idem facit in mente præceptor, vt Plato in septimo libro de republ. docet. Mens enim virtutem suam (quæ est

veritatis intuitus) non minus habet firmum & naturale, quàm sensus & animalia suam. Eam sciscitando prouocat Socrates docendi dux, ipsa rectè interrogata, vera respondet, respondere non potest vera, nisi cognouerit. Quoniam verò res ipsæ inuicem connexæ sunt, similiterque rationes rerum coniunctæ sunt inuicem, vnde facilè de vna transitur in multas, sæpe fit vt ex vno quodam vestigio à præceptore monstrato, sagax discipuli animus propriis naribus venetur longo ordine plurima. Adde quòd non imbecilliorem habet mens videndæ veritatis aspectum, quàm pedes progrediendi potentiam. Socrates infantem porrecta ducit manu quo gradiatur, adolescentem quo discat interrogat. Infanti non præstat eundi virtutem, sed & prouocat, & tutius perducit ad terminum. Adolescenti non largitur intelligentiam, sed efficit ad effectum sui operis promptiorem. Ipse autem Socrates scientiam suam si quando adeptus dicitur tanquam nouam, aut per inuentionem aut per disciplinam est adeptus. Si ipse per se res inuenit, nunquam rebus inuentis fuisset vsus, nisi vtendi modum antea cognouisset, vtendi modum non tenet, qui rei ipsius non tenet naturam. Sin ab alio audiuit, non prius ex auditu concepit scientiam, quàm sciret nunquid docentis rationes veritati congruerent. Non intelligit hoc, nisi qui ipsam inspicit veritatem. Igitur antequam inueniat quicquam aut audiat, veritatis est compos. Et qui docuit Socratem Archelaus, vel per se inuenit, vel accepit ab Anaxagora. Quicquid fuerit, sciuit & ante. Atque licet & Anaxagoras ab Anaximene, & ille ab Anaximandro, & Anaximander acceperit à Thalete. Thales denique vel alius quiuis sacerdos Ægyptius, aut saltem Persicus magus caruit præceptore. Qui hominis caret doctrina, discit docente natura, imò verò scit, iam diu docente Deo. Quapropter Socrates apud Platonem in libro de sapientia inquit. Theagi, nemo vnquam didicit à me quicquam, quamuis mea consuetudine multi euaserint doctiores, & me exhortante, & bono dæmone inspirante. Tu quoque breui multum proficies, si Deus fauerit.

Præterea narrat Socrates ibidem, quemadmodum nonnulli dum eius consuetudine vterentur, illique propinquarent, ipso etiam tacente acutiores euaderent, recedentes verò hebetiores subito redderentur, quasi ad diuinum quendam influxum à Deo per genium mentemque Socratis in familiarium animos penetrantem, vis illa ingenij pertineret. Et Orpheus Musas esse dicit Iouis & Memoriæ filias, quia videlicet scientiæ in profunda memoria lateant, nobis olim à Deo tributæ. Quin etiam hæc de memoria tradidit.

πάντα νόον συνέχουσα βροτῶν ψυχαῖσι σύνοικον.
ἐπιμνήσκουσα δὲ πάντα ὧν ἂν ἕκαστος ἀεὶ στερνοῖο γνώμην κάτθηται, ἐπεγείρουσα φρένα πᾶσιν.

id est, Totam mentem contines humanorum animorum familiaris. Commemoras omnia quorum notionem quisque semper animi sinibus oculit, mentem suscitas omnibus. Concludemus iam præsentem disputationem, si prius nos ipsos admonuerimus, vt quando audimus artes nobis inesse natura, non intelligamus vel à natura cœlesti corporalique impressas, vel à mera animæ essentia fluere (siquidem à tali natura impressas habent bestiæ, ab essentia autem mera manantes solus possidet Deus) sed intelligamus nostris mentibus statim ex Deo natis infusas fuisse species rerum, & regulas artium, vt in Timæo tradit Plato, non aliter quàm angelicis mentibus infundantur. Est autem differentia triplex inter nos & bestias, quo ad artes pertinet. Prima, quòd à Deo sine medio nos eas accipimus. Ille, natura cœlesti intercedente. Secunda, quòd quisque nostrûm accipit cunctas bestiarum species, singulæ singulas. Tertia, quòd bestiæ necessario quodam impulsu naturæ ad suæ artis vsum certo tempore compelluntur, nos autem libero rationis iudicio tum artis vnius, tum plurimarum vsum eligimus. Conuenimus autem quantum ad species rerum & regulas artium attinet, cum angelis atque Deo, cum in aliis nonnullis, tum in hoc vel maxime, quod nobis insunt per absolutum perspicuumque modum ferme sicut & illis. Itaque diuinæ ideæ absolutas atque distinctas ipsarum imagines nobis tanquam speculis impressere, naturæ autem corporali vmbras quasdam confusiores, quemadmodum nos ad lumen imaginem quidem nostri corporis claram in speculo pingimus, vmbram verò reddimus parieti. Vbi autem idea per modum lucet absolutum perspicuumque, non modò lucet clara, sed ferè tota. Omnes enim ideæ proprietates, quas in disputationis huius principio ex Platonis mente narrauimus, in eo consistunt potissimum, quòd vniuersalis sit atque soluta. Quòd autem non vmbræ idearum, sed imagines perspicuæ nobis insint, ex eo patet potissimum, quòd vmbras illarum ab imaginibus earundem

recta

recta ratione distinguimus, quodve formulæ illarum nobis insitæ ipsas nobis perspicuæ repræsentant, nosque ad eas conuertunt, & vmbræ idearum in corporibus haud prius eas nobis referunt, quam per nostræ mentis formulas purgentur atque reformentur. Denique si per distinctas imagines, atque per modum integrum splendent in nostris mentibus, atque solutum, per modum quoque fulgent penitus immortalem. Quod si immortalis rei naturale subiectum est immortale (subiecto namque soluto, quicquid subiecto hærebat disperditur) proculdubio mens hominis est immortalis, quæ naturaliter firmiterque immortalium idearum species per modum suscipit immortalem.

Ratio secunda. Mens est subiectum veritatis æternæ.

CAPVT VI.

AVrelius Augustinus, diuino vir ingenio, (quo Latinorum nullus Platonicam maiestatem tum sapientia, tum eloquentia expressit exactius, iactis à Platone superioribus fundamentis, argumentationes huiusmodi construit. Aliud est verum, aliud veritas, quemadmodum aliud castus, aliud castitas, præstantiorque est vero veritas, siquidem omne verum veritate est verum. Cum verò aliquid quod verum dicitur, interit, non tamen interit veritas. Sicut siquis castus intereat, castitas tamen non interit, si manebit semper hic mundus, verum est semper esse mansurum, quod si non manebit, verum est non semper esse mansurum. Quid cum interierit si interiturus est, nonne tunc id verum erit mundum interiisse? Nam quamdiu verum non est occidisse mundum, non occidit. Repugnat igitur vt mundus occiderit, & verum non sit mundum occidisse.

Non potest autem aliquid esse verum vbi veritas non sit. Erit igitur veritas, etiam si mundus intereat. Quid si ipsa veritas occidat? nonne verum erit veritatem occidisse? Verum autem non puto esse, si veritas non sit, nullo modo igitur occidet veritas. Hæc Augustinus. Sed vbi nam est veritas? non in corporibus, mutaretur enim corporibus permutatis, cum tamen æterna sit veritas. Hinc sequitur parodoxon illud Platonicum, corpora non verè esse, quia scilicet in illis non maneat veritas. Ergo quod aurum dicimus, si non verè est aurum, falsum aurum est. Si hoc, neque aurum quidem est. Atque ita de cæteris rerum corporalium speciebus. Præterea affectio corporis per duo temporis puncta non permanet penitus eadem, vt ostendimus aliàs & in præsentia in hunc modum ostendimus. Sicut stabilis & simplex æternitas, rerum stabilium simpliciumque mensura est; ita fluens & varium tempus, mobilium & multiplicium est mensura.

Temporis puncta nunquam permanent eadem, sed sibi inuicem surrepunt semper aliis alia succedentia. Corpus mundi mobile tanquam mensuram sibi propriam tempus habet. Si ita est, quadrat vtique cœli dispositio & mutatio temporis fluxui. Itaque non potest in duobus temporis momentis esse cœli dispositio penitus eadem. Nam si eadem per duo momenta maneret, in ea ipsa morula tempus quidem de alio momento fluxisset in aliud, cœlum verò quieuisset in vno. Fluxus verò quieti minimè congruit. Quod non congruit non metitur. Quomodo enim motus mensurat quietem, aut res fluens per duo rem stantem in vno? Quapropter in ea morula tempus cœlum non mensurasset. Metitur autem reuera tempus semper cœlum, non aliter quàm æternitas ea quæ sunt supra cœlum. Ergo sicut illa in æternitate continuè sine vlla mutatione manent, ita cœlum sub tempore continuè absque vlla quiete transcurrit. Si cœlorum configuratio nullo modo permanet, multo minus corpuscula quæ sub cœlo sunt, & cœli rapacitate raptantur. Necesse est enim hæc per influxum & effluxum, condensationem rarefactionemque, intensionem, remissionemue qualitatum, consonantiam & dissonantiam complexionis, cæterosque motus continuè variari. quod quidem abundè Plutarchus & Proculus demonstrauerunt, & ante illos Heraclitus inquit. quemadmodum non possumus eandem torrentis aquam bis intrare, aut eandem rotæ currentis particulam bis similiter tangere, ita similem omnino dispositionem complexionemque corporis per duo puncta perseuerantem assequi non valemus. Si nullius corporis affectio per duo momenta prorsus eadem & similis perseuerat, in eodem momento incipit qualitas talis, & desinit. quod in natura incipit, nondum absolutum existendi vel operandi actum possidet, quod desinit, talem iam actum non retinet. Igitur in eo puncto in quo esse qualitas illa dicitur, dici etiam potest non esse, cum nondum à non esse omnino discesserit, & iam non esse labatur. Et quia

celeritas temporis linguæ celeritatem superat, dum esse illam pronuncias, te pronunciante, subterfugit prius quam hoc ipsum verbum est, ore protuleris. Et vt Timæus inquit, fallit pronunciantem, nec vnquam verè quicquam de hac pronunciatur aut percipitur. Nec esse magis quàm non esse dici potest, cum & sit & non sit pariter, dum profertur. Quoniam verò quæ continuè permutantur, quatenus mutantur, eatenus fiunt, quæ verò fiunt, dum fiunt, reuera non sunt, ideo quæcunque ita mutantur & fiunt, non tam dicuntur esse, quàm esse videri. Quid verò dicemus de tempore? quod semper falsò dicitur esse, cum eius, vt ita loquar, sit non esse. Sanè de quolibet præsenti momento verè dicitur, hoc non est tempus, sed temporis terminus. De præterito autem aut futuro duntaxat affirmantur esse tempus. Siquidem continuam successionem quandam tempore significari putamus. Præteritum verò futurumque non est: Igitur esse temporis quodammodo in non esse locamus. Momentum verò, quod est terminus temporis, dum esse pronunciamus, vertitur in non esse atque pronunciantes mentiri compellit. Quòd autem de tempore demonstramus, de temporalibus quoque est iudicandum, esse scilicet in non esse, vt ita loquar, habere. His consonat Pythagoricum illud. Qui homo dicitur, magis non homo est quàm homo, quia si innumerabiles eius partes consideraueris, innumerè poteris iudicare, hæc pars non est homo, & illa similiter. Semel duntaxat de toto dices, hoc est homo. Vnde & de elementis Timæus disserens, duas esse elementi partes existimat, materiam atque formam, propter materiam non dici ignem aut aquam, sed propter formam, ergo secundum partem. Hoc igitur solum secundum partem ignis dicitur, & illud aqua. Ac reuera non ignis hoc est, sed igneum. Illud non aqua, sed aqueum. Adde quòd illud est verum tale, quod merum tale est, puta merum vinum, quod merum est vinum. Natura verò cuiusque speciei quando in materia est, primo quidem admixtam habet potentiam ad non esse, vt in libro quinto probauimus.

Deinde multa patitur additamenta, ac sæpè contraria. Siquidem in aëre sæpè aliquid igneum est, semper situs aliquis præter aëris rationem. In homine hoc vel illo sæpè complexio aliqua contra naturam eius, semper habitus aliquis, vel affectus, figura vel situs vltra humanæ speciei necessitatem. Similiter se habent & reliquæ rerum naturalium species. Quoniam verò super omnia quæ per partem & impurè talia sunt, esse oportet ea quæ secundum se tota & purè sunt talia, putat Timæus super inquinatas & mancas materiæ formas esse alias meras, integras, separatas. Atque eius rationis viribus confidit maximè, quæ sic argumentatur. Formæ quæ sunt in alio, scilicet in materia, sunt & ab alio, non tamen ab informi natura materiæ, & formam esse oportet à forma, & à forma tandem per se subsistente, atque vna formabilis materia ad vnum tandem reducitur formatorem. Nam & siquis multos induxerit formatores, nunquam multi, quatenus diuersi sunt, mutuum inter se habebunt ordinem, atque ad vnum opus finemque conducent. sed quatenus ab vno omnium formatore ducuntur. Igitur necesse est formas dari materiæ à mente quadam plena formarum, vbi formæ sint ipsa mentis essentia, atque ideo veræ sint species. At quia mens illa est esse primum, materia verò est proxima nihilo, & illa purus actus, hæc pura potentia, sequitur vt materia innumerabiliter penè sit mente deterior. Quicquid autem ab aliquo capitur, in suscipientis transit naturam. quare formæ immersæ materiæ vsque adeo sunt speciebus mentis deteriores, vt vmbræ quædam sint illarum potius quàm imagines, & illarum denominationem & hanc quidem falsam retineant potius quàm naturam Sicut artificia sunt simulachra naturalium, ita naturalia sunt simulachra diuinorum.

Propius autem accedunt artificia ad naturalium veritatem, quia cum illis conueniunt in materia, quàm naturalia ad veritatem diuinorum. Si ergo pictus equus vsque adeò à naturali equo deficit, vt non sit verus equus, multo magis naturalis equus adeò à diuino equo, id est, ab idea, veraque equitatione deficit, vt dici debeat vmbram equi ipsius potius quàm formam repræsentare. Ac si vera hominis & equi ratio naturaque, idea ipsa est hominis aut equi, & hanc non seruat materia longissimè inde distans, concluditur illud Socratis in Phædone, & in Republica, videlicet veros homines verosque equos in materia non reperiri, quæ idearum vmbris ita ignorantium fallit animulas, vt somniantium instar, dum rerum verarum simulachra vident, putent se res ipsas inspicere. His consonat illud Proculi nostri paradoxon. Composita ex elementis, neque sempiternitatem habent, neque statum. Puræ mentes vtrunque possident, sua-

quę simul omnia comprehendunt, horum media sunt, quæ suam in motu quodam sempiternitatem habent. Animæ quidem mentibus proximæ motum in operatione duntaxat admittunt, animæ verò sequentes quodammodo insuper in virtute. Vniuersa denique corporei mundi machina, tanquam per essentiam operatione virtuteque animarum inferior, essentiam quoque ita mutabilem nacta est, vt tota vndique sit temporalis. Atque sicut res omnino æterna in vno semper tota manet, ita mundi huius machina penitus temporalis, in quolibet temporis infiniti momento tota à mundo diuino efflat semper, statimque diffluat simul & refluat, non aliter quàm quidam putant à Sole lumen per momenta semper effundi simul totum ac diffundi, repentè euanescere atque refundi. Profectò quod indiuidua æternitas ipsa metitur, indiuiduum esse necesse est. Quod ergo diuisibilem habet essentiam tum ex partibus, tum ex naturis pluribus constitutam, qualis est mundi machina, cum indiuidua æternitate non congruit, sed cum tempore potius diuisibili, quo mensuratur, quo cum perpetuo labitur. Præterea diuisibilem motu virtutem actionemque sortitur, quapropter mundi moles momentis singulis tota simul ex non esse incipit esse, atque desinit, iterumque renascitur, quemadmodum in motu & tempore (quibus omnino subiecta est, momenta profluunt tota singulatim simul & refluunt. Quod quidem ita insuper confirmatur, quòd perpetuo cœlestium motui virtute opus est infinita. quam cum terminatum mundi corpus neque ex se habere, neque totam simul ab alio possit accipere, oportet ab opifice suo atque motore paulatim momentis singulis haurire. Haurire inquam momentaneum, & subitò euanescentem.

Siquidem & temporalis essentia omnino temporaliter accipit, & terminata natura capax æternitatis, cuius infinitè totaque simul potentia est, esse non potest. Sanè & natura mundi infinitatem simul non potest accipere. Et æternalis infinitas cum indiuidua totaque simul constet, à nullo potest accipi paulatim.

Hic Proculus ista distinguit: Essentias immobiles esse quidem à Deo quodammodo semel, sed à seipsis suamet virtute seruari. Nam cum sine motu totæ simul inde sint, ideo stabiles per se deinde perseuerare posse quodammodo, suaque virtute iam à quibusdam potentiis suis in suos actus posse procedere. Quamobrem tales essentias per se subsistentes nominat, seque quodammodo producentes affirmat; machinam verò corpoream, & post animæ motum, tempusque, & vna cum motu temporeque corporeo profluentem, nihil habere stabile, nullamque habere virtutem suimet seruatricem. Itaque non substantialem aut veram, sed vmbratilem omnino falsamque, qua Manichæorum more cognominat, perpetuò dilabentem, perpetuoque influxum desuper instaurante prorsus egentem, quasi corporis vmbras in aqua velocissimè perfluente. Hinc illud Timæi. Mundum intelligibilem semper quidem esse, nunquam verò fieri dicimus, sensibilem verò fieri certè semper, esse nunquam.

Hic Proculus addit mundum illum numero eundem semper existere, hunc verò non propriè vnum eundemque numero esse vnquam, sed potius vnum, eundemque numero continuè recreari. Et quantum corpus est, fieri semper, atque incipere, quantum verò à mente diuina dependet, factum esse semper, finemque subito consequi. Sed huius paradoxon finem iam habeat. Quoniam igitur tota sensibilis machina vanitas quædam est, vanitatisque quotidie sensibus causa, ideo exclamauit Salomon. Vanitas vanitatum, & omnia uanitas. Non est igitur in rebus sensibilibus veritas. Sed nunquid in anima? Forsitan est in anima, non tamen (vt opinatus est Protagoras atque Epicurus) in ea parte animæ quæ sensus est, quia extra se respicit, & cum passione quadam sentire compellitur, frequentibusque nugis deluditur sensibilium. Propterea Xenophanes, Parmenides, Zeno Melissus, Stilpho, dixerunt nihil veri sensibus comprehendi. Idem fermè Anaxagoræ Empedoclique placuit & Platoni Nam etiam si quis dixerit esse aliqua sensibilia eodem modo semper manentia, & quæstionem nobis de Sole atque stellis afferat, in quibus facilè conuinci non possit, quòd cita mutabilitate nos fallant, illud certè nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sensibile quod non habeat simile falsum, ita vt internosci non possit. Nam vt alia prætermittam, vt Augustinus inquit, omnia quæ per corpus sentimus, etiam cum ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tanquam prorsus adsint, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur omnino, vtrum ea ipsis sensibus sentiamus, an imagines sensibilium sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilium falsæ, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, & nihil percipi potest nisi quod à falso discernitur, non est consti-

totum iudicium veritatis in sensibus. Atque fieri fortè potest, vt sensus aliqua verè percipiat, vt Aristoteli placuit, nunquam tamen discernit verè ne an contra percipiat, & cùm veritas rerum naturalium in eo consistat, vt diuinæ mentis congruant rationibus, quemadmodum veritas artificiorum, vt congruant artificiosæ mentis ideis, sensus congruitatem eiusmodi non agnoscit, ideoque non habet veritatis examen. Rursus, cùm cognoscentis potentiæ veritas, nunc oriatur, quando potentia rebus congruit cognoscendis, perficiatur autem, quando rerum adæquatur ideis sensus, qui neque illam congruentiam, neque adæquationem animaduertit, caret iudicio veritatis.

Adde quòd sensus non comprehendit intimam meramque rei substantiam, aut quo ordine in natura res quælibet disponatur, quod totum ad rei ipsius pertinet veritatem, sed subito impulsu allicitur qualitatum ad prosequendum vel fugiendum, in quo corporis sui commoditati indulget potiùs quàm veritati rerum comprehendendæ. Ergo non est in sensu veritatis iudicium constitutum. Constitutum est autem in ratione. Nam priuationes rerum per habitus cognoscuntur, per lumen tenebræ, per voces verò silentium. Priuatio veritatis est falsum. Ratio nostra sensibilia & sensus redarguit falsi, quod facere non potest, nisi præsentis veritatis examine. Rursus ratio veritatem ipsam ita describit: Veritas est naturæ cuiusque pura integritas, & integra puritas. Non definitur autem veritas nisi sub naturali veritatis & propria ratione. In ipsa ratione veritatis est veritas. Est igitur veritas in animo veritatem definiente, sicut in animo falsum redarguente. Quinetiam est in animo rem quamlibet describente. Speciei siquidem definitio ipsam rei essentiam complectitur tum integram, tum ab extraneis contingentibus segregatam. Si ergo in ipsis speciebus est veritas rerum, species autem definitione comprehenditur, & definitio mente, quis non videat esse in mente hominis veritatem? Quæ si est immortalis, satis declarat mentem cui inhæret inseparabiliter, incorruptibilem esse. Nam qualitas, quæ alicui subiecto inhæret inseparabilis, subiecto sublato disperditur.

Inhæreret autem veritatem nobis inseparabiliter, illud testimonio esse potest, quòd vel assiduè, vel saltem arbitratu nostro, subito & sola mentis in seipsam collectione tum falsa multa damnamus, tum communes naturas aliquas definimus, siue naturalium rerum, siue moralium, siue artificiorum. Quinetiam ex eo idem concluditur, quod in superioribus ostendimus, idearum perspicuas rationes menti stabiles inhærere. In ipsis verò rerum omnium veritates comprehenduntur. Præ cæteris autem declarat hoc summopere vis ipsa rationalis, quæ non minus homini naturalis est, quàm auibus sit volatus, canibusve latratus. Per hanc Socrates homo est, per hanc homo ab aliis animalium distinguitur speciebus. Rationalem vim vocamus in præsentia ipsam ratiocinandi virtutem, quæ consequentia cernit, id est, quid ex quoque sequatur animaduertit gradatim, & à præcedentibus ordine percurrit ad consequentia. Hæc est naturalis quædam Dialectica, id est ars disserendi, ab origine hominibus insita. Per hanc pueri & imperitissimi quique partes suas quibuscunque possunt coniecturisq; assertionibus tutantur Atq; omnis hominis sermo, totaque vitæ actio & consultatio nihil est aliud quàm argumentatio quædam. Ac nemo est tam insanus quin ex aliis alia inferat argumentando, & ita fermè ab imaginibus ad imagines argumentetur, sicut sana mens ad res ipsas percurrit ex rebus. Vis ergo rationalis nunquam ab homine separatur. Quod si ab hac non separetur veritas, ab anima nunquam veritas separabitur. In hac disserendi virtute duæ insunt necessitates, altera secundùm subiectum eius; altera secundùm eius vsum. Prima quidem necessitas est, quia ipsa disserendi facultas toti hominum speciei sic insita est, vt nequeat separari. Secunda vero necessitas, quæ in eius vsu conspicitur, duplex est, absoluta & relatiua. Absoluta quidem necessitas in tribus apparet, scilicet in disciplinæ principiis, definitionibus, proprietatibus. Principia sunt huiusmodi. Quicquid est, aut per se est, aut per aliud. Contraria sua se natura repellunt. Omne totum est maius sua parte. Suum cuique tribuendum est. Hæc & talia plurima necessariò ita se habent, vt necessariò cognoscantur, quia neque possunt vnquam aliter se habere, neque ab aliquo quamuis imperitissimo ignorari. Est quoque necessitas in definitionibus, vt quando sic circulus definitur. Circulus est figura à cuius centro ad circunferentiam omnes lineæ in rectum ductæ sunt æquales. Quamuis enim vel talis verborum coniunctio in ore, vel figuratio talis in puluere sit contingens, veritas ta-

men illa est necessaria & sempiterna, quòd illa ipsa circuli est natura. Similis in proprietatibus necessitas est, id est, quòd circulus est capacissimus omnium figurarum.

Atque, vt cætera omittam, nonne in numeris à necessaria veritate, in necessariam veritatem absque fine transcurrimus? Bis duo quatuor. Ter tria nouem. Bis quatuor octo, & quæ sequuntur. Idem facimus in compositionibus comparationibusq; figurarum. Quòd si definitiones proprietatesque in principiis confluunt quia effluunt ex principiis, principia verò necessariò insunt semper virtuti rationali, vnde assiduè aliqua de re ratiocinetur, fit vt hæ tres necessariæ veritates, quæ omnes absolutæ vocantur, in naturali hominum dialectica comprehendantur.

Restat necessitas relatiua, quæ etiam tres habet partes. Alia quidem est in positione, in conditione alia, alia in demonstratione. Prima est talis. Res nulla potest non esse, dum est. Animal dum viuit, necessariò viuit, & similia quæ de præsenti tempore affirmantur. Ex quibus necessitas habetur præteriti atque futuri. Quod factum est, infectum esse nõ potest. Quod futurum est, non potest non fore. Secunda talis est. Si corpus viuit, est necessariò. Si animal currit, mouetur. Tertia est huiusmodi. Omnis pars minor est quàm totum. Caput humani corporis pars est. Ergo caput illud est humano corpore minus. Hæc conclusio ideo omnino necessaria est, quia duę præcedentes propositiones necessariæ sunt simul iunctæ. Necesse est enim caput esse minus corpore, tum quia pars est minor toto, tum quia ipsum est pars corporis. Quapropter in his quoque tribus, positione, conditione, demonstratione, tres sunt necessariæ veritates. Ac si tria ipsa in humana ratione sunt cum disputat, tres quoque hæ veritates necessariæ sunt in ipsa. Et quia disputat semper, etiam dum tacemus, & dum dormimus (tota enim hominis vita perpetua quædam ratiocinatio est) idcirco semper sunt illæ veritates in ratione. Quæ semper, vt ita loquar, & veridica est, & verifica. Veridica in primis tribus veritatibus, quæ necessariæ per se sunt, etiam si ratio nihil egerit. Verifica in tribus aliis, quia ratio necessitatem quandam illis imponit per positiones, conditiones, demonstrationes, siue per quoslibet alios argumentandi modos, Contingit enim hoc animal viuere, non tamen dum viuit, contingit viuere, sed est necessarium. Contingit hunc hominem moueri, non tamen si currat, imò sequitur necessariò. Contingit hoc caput esse hoc corpore minus, sed positis ab animo prioribus illis duabus propositionibus, est necesse, quamuis in ipsa specie capitis & specie corporis nunquam id sit contingens. Si ratio in aliis necessariam veritatem capit, in aliis ipsa facit, & capit semper & facit, quis negabit in ea esse perpetuam veritatem? Imò quis negabit eam esse necessariam, postquam quæ per se necessaria sunt, ita vt sunt accipit, neque mutat, quæ verò non sunt per se talia, ipsa virtute sua efficit necessaria? Et multo magis necessaria est quàm omnia quæ positionibus, conditionibus, argumentationibus necessaria efficiuntur ab ipsa. Ipsa igitur absolutè est necessaria fermè vt principia illa disciplinarum, definitiones proprietatesque perpetuæ. Quapropter humana ratio vel necessario fuit semper & erit vt illa, vel saltem necessario semper erit. Nam quid prohibet fore perpetuam rationem? cuius perennis actio nihil est aliud quam ex absoluta æternitate firmiter intra manente, relatiuam æternitatem temporalibus quibuslibet contingentibusque præstare, atque ex necessariis & contingentibus seriem vnam digerere necessariam & perpetuam? Si erit semper, viuet & semper. Non enim est ratio nisi viuens, & in viuente.

Obiectio Scepticorum & responsio, quòd aliquid certum sciatur.

CAPVT VII.

NEque audiendi sunt Sceptici, si negauerint in animis nostris esse veritatem, quia videantur de singulis dubitare. Non enim de omnibus dubitat animus, vt apparuit in omnibus necessariis veritatibus quas narrauimus, & similibus. Hoc mihi candidum videri scio. Hoc mihi iucundè olere scio. Hoc dulciter gustum attingere scio. Quis nesciat summum bonum esse, quo nihil præstantius? Et esse vel in homine, vel extra hominem, & si in homine, vel in animo, vel in corpore, vel in vtroque. Quis non certò sciat Deum esse, vel non esse? si sit, oportere vnum esse, vel plures, & si plures, aut finitos numero, aut infinitos? Oportere Deum esse corporeum, vel incorporeum. Ac si non sit corporeus, esse necessario incorporeum. Item regulas multas astrologiæ & Medicinæ certas esse declarat effectus, vt arithmeticas & geometricas prætermittam, quibus nihil est certius. Et quod maius est, si quando animus de re aliqua dubitat,

tunc etiam de multis est certus. Nam se tunc dubitare non dubitat. Ac si certum habet se esse dubitantem, à veritate certa id habet certum. Quippè qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, & de hac re quam intelligit, certus est, de vero igitur est certus. Atque omnis qui vtrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum, vnde non dubitet. Nec vllum verum nisi veritate verum est. Non igitur oportet eum de veritate dubitare, qui potuit vndecunque dubitare, vt Augustinus inquit, præsertim cum non modo se dubitare intelligat, sed quòd hoc intelligit animaduertat, & quòd animaduertit agnoscat, ac deinceps in infinitum. Discernit præterea dubium animum ab indubio. Nec eum latet quando satius foret non dubitare, & quàm ardenter cupiat veritatem. Certitudinem cum dubio comparat, quo fit vt de vtrisque sit certus. Est insuper certus se inuestigare, sentire, viuere, esse. Siquidem nihil dubitat qui non est, viuit, sentit, & inuestigat. Certus quoque est se non esse primam veritatem, quippè cum ipsa per se non dubitet. Scit eam dubitatione & errore non implicare. Scit oportere se in iudicando falli aut non falli. Scit siue fallatur, siue non fallatur, dum iudicat, se proculdubio viuere. Postremò non ignorat esse extra animum suum aliquid aliud in natura quod ipsi inferat dubium. Tales quædam certæ veritates in ipsa etiam dubitatione perspiciuntur. Quo admonemur vt Aristonem, Pyrrhonem atque Herillum non metuamus, qui dum opinantur nihil à nobis verum sciri, ipsi proculdubio sciunt opinionem hanc suam oportere aut veram esse, aut falsam. Sciunt si vera est, nonnihil ab homine verum intelligi. Sciunt si falsa est, opinionem eis oppositam esse veram scilicet aliquid ab homine verum sciri.

Obiectio Peripateticorum & responsio, quod veritas animum familiariter habitat.

CAPVT VIII.

SEd nunquid metuendi Peripatetici sunt, qui negant familiariter habitare in animo veritatem, ex eo quòd tam pauci eius periti esse videantur, & quisquis eam nouerit, tanto ab infantię tempore fuerit indoctus? Certè non esse timendos, Augustinus vbi mentem Platonis exponit, ita testatur. Aut est aliquid in animo quod in præsenti cogitatione non est, aut non est in Musico ars Musica, cum de sola geometria cogitat. Hoc autem falsum est, illud igitur verum. Non autem quicquam se habere animus sentit, nisi quod in cogitationem venerit. Potest igitur aliquid esse in animo, quod esse in se animus ipse non sentiat. Id autem quamdiu sit, nihil interest. Nam si diutius fuerit in aliis animus occupatus, quamuis intentionem suam in ante cogitata facilè possit reflectere, obliuio vel imperitia nominatur. Sed cum vel nos ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati, de quibusdam liberalibus artibus vera percipimus, ea quæ inuenimus, non alibi quàm in animo nostro, inuenimus. Nam ob idipsum oportet animum ad hæc inuenienda relictis externis secedere in seipsum. Neque idem est inuenire, quod facere aut gignere. Alioquin æterna gigneret animus inuentione temporali, nam æterna sæpè inuenit. Quid enim tam æternum, quam circuli ratio, vel si quid aliud in huiusmodi artibus neque non fuisse aliquando, neque non fore comprehenditur? Hinc manifestum est immortalem esse animum humanum, & omnes veras rationes in secretis eius esse, quamuis eas siue ignorantia siue obliuione aut non habere aut amisisse videatur. Fac te aliquid esse oblitum, aliosque te velle quasi in memoriam reuocare. Dicunt ergo illi, nunquidnam hoc est, aut illud? diuersa velut similia proferentes. Tu verò nec illud vides quod recordari cupis, & tamen vides non hoc esse quod dicitur. Nunquidnam tibi cum hoc euenit, integra videtur obliuio? Nequaquam Nam ipsa discretio qua non admittitur quod falsò amoueris, pars quædam recordationis est. Tales ergo nondum verum vident, falli tamen decipique non possunt, & quid quærunt, satis norunt. At si tibi quispiam dicat te post paucos dies risisse quam natus es, non audes dicere falsum esse, & si auctor sit cui fides habenda est, non recordaturus, sed crediturus es. Totum enim tempus illud validissima tibi obliuione occultum est. Hæc igitur ab illa obliuione plurimum differt, sed illa media est. Nam est alia recordationi reuisendæ quæ veritati propior atque vicinior. Cui simile est quando videmus aliquid, certoque agnoscimus nos id vidisse aliquando, atque nosse affirmamus, sed vbi, aut quando, aut quomodo aut apud quem nobis in notitiam venerit, satagimus repetere atque recolere. Vt si de homine nobis contigerit, etiam quæramus vbi eum nouerimus. Quod cum ille commemorauerit, repente tota res memoriæ quasi lumen infunditur, nihilque amplius vt remi-

niscamur laboramus. Tales sunt qui bene disciplinis liberalibus eruditi sunt. Siquidem illas sine dubio in se obliuione obrutas eruunt dicendo, & quodammodo effodiunt, non tamen contenti sunt, neque se continent, donec totam faciem veritatis cuius quidam in illis artibus iam splendor subrutilat, latissimè, atque planissimè intueantur. Sed in iis quidam falsi colores atque formæ velut in speculum cogitationes effundunt, falluntque inquirentes sæpè ac decipiunt, putantes illud totum esse quod norunt, vel quod inquirunt, ipsæ sunt illæ imagines magna cautione vitandæque deprehenduntur fallaces, cum cogitationis variato quasi speculo variantur, cum illa facies veritatis vna & immutabilis maneat. Quamuis enim alterius atque alterius magnitudinis quadratum sibi cogitatio depingat & quasi ante oculos præferat, tamen mens interior quæ vult verum videre, ad illud se potius conuertit secundum quod iudicat omnia illa esse quadrata. Quid si quispiam nobis dicat secundum idem iudicare, quo videre oculis solet? Quare ergo dicit, si tamen verè erudita est, pilam veram vera planitie puncto tangi? Quid tale vnquam oculis vidit, aut videre potest? cum ipsa imaginatione cogitationis fingi quicquam huiusmodi non possit? An non hoc probamus, cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit, alias iam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere, vt ad centrum sine vlla commixtione perueniant, cum clamet ratio innumerabiles posse duci, ita vt in omni earum interuallo scribi etiam circulus possit. Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque ipsi oculi deficiant, siquidem per ipsos est animo infusa, manifestum est, & multum eam differre à veritate, & illam, dum hoc videtur, non videri. Idem contingit quando ratio lineam diuidit in infinitum, quod neque cernit sensus, neque assequitur phantasia. Ex omnibus his Augustinus confici arbitratur, quod & Plato in Epistola ad Syracusanos docet, vt veritates ipsę rerum mentem nostram familiariter habitent, ostendantque sua illam familiaritate perpetuam.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER XII. (∴)

Rationes multæ & signa, quòd mens humana intelligendo mente diuina formatur.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



PLato, Philosophorum pater, in Epistola ad Syracusanos, de comparanda sapientia disputans: Quinque, inquit, potissimum ad rei cuiusque scientiam concurrere oportere; nomen, descriptionem, idolum, formulam & ideam. Exemplum de circulo, sicut ipse, ponamus, vt idem de cæteris omnibus arbitremur. Animus noster ad scientiam circuli commonetur sæpenumero per auditum, quando audit tum hoc nomen circulus, tum circuli descriptionem huiusmodi: Circulus est figura reflexa, quæ æquis interuallis vndique distat à medio. Admonetur quoque per

visum, quando circulum vel torno factum ex ligno videt, vel in pariete signatum, qui non verus est circulus, quoniam non perfectus, sed veri idolum & simulachrũ. Per hæc tria commonitus animus auidus veritatis, eruit in actum ingenitam sibi circuli formulam, per quam velut characterem ad ipsam circuli ideam in mente diuina vigentem aciem dirigit, quæ quidem directio est scientia circuli. Ostendit autem in ea Epistola Plato, animum corpore clausum non posse ad ideam absque quatuor illis gradibus surgere, quia oportet illum iam diu infra se lapsum, primum per illa tria in se reuerti: deinde per formulam quam in se habet, supra seipsum ascendere ad ideam. Sicut enim formæ rerum à mente diuina in materiam per infimam animæ virtutem traiiciuntur, id est, per semina formarum virtuti huic infusa, ita è formarum corporalium perceptione non fit transitus in diuinæ mentis ideas, nisi per summam animæ partem, id est, per innatas formulas idearum, vt à formis corporis, quæ omnino temporales sunt, quia tam essentia quàm affectione mutantur, transcendatur in formas diuinæ mentis æternas omnino, quia nulla ex parte mutantur, per mentis humanæ formas, partim æternas, partim etiam temporales, quia per essentiam manent, per affectionem verò ex habitu vertuntur in actum, atque contra Meritò enim faber qui materiam formaturus est, ipse disponit. Idcirco mens illa sublimis mentem nostram per ideas quotidie formatura, ad hanc formationem olim disposuit eam per characteres idearum, signauitque, quemadmodum Propheta canit, Super nos vultus sui lumen, vt lumen in suo lumine videremus. Videlicet vt per formulam opportunè excitatam, idea non aliter accenderetur in mente, quàm aut ignis per sulphur in ligno, aut per naturam perspicuam serenamque in aëre lumen. Et quia, sicut natura ad suam se habet materiam, ita penè Deus ad suam, natura verò cœlestem (vt quidam putant) materiam semel cunctis formis ornauit, elementalem singulis momentis exornat, ideo probabile est Deum quoque materiam (vt ita loquar) angelicam semel ideis omnibus impleuisse, animalem implere quotidie. Huic autem Platonicorum mysterio similis ex quadam parte videtur esse Auicennæ Algantelisque opinio. Opinantur enim materiam tum elementalem, tum intellectualem sub luna diuinæ cuidam menti tanquam formatrici subesse, cuius instrumenta sint ad elementalem materiam disponendam formæ corporeæ, sed ipsa tandem præparatæ materiæ substantiales imprimat formas. Similiter humanam mentem per imagines corporum, per sensus phantasiamque acceptas ita sæpè disponi, vt in diuinam illam intelligentiam se conuertat, atque ab illa quatenus conuertitur, eatenus formari quotidie. Neque aliud quicquam esse quod intelligere dicimus, quàm ab intelligentia diuina formari. Quod autem dicimus meminisse, id esse videlicet, habitum iam contraxisse quo facilè ad diuinam mentem pro arbitrio conuertamur. Sed mittamus Arabes in præsentia, quamuis Platoni satis amicos. Ad Platonica redeamus.

Quod autem res verè cognoscere nequeamus, nisi formemur ideis, his rationibus Plato sibi persuasisse videtur.

Prima. Nomen circuli mutabile est. Potest enim vsu linguæ variato aliter appellari Si est ita, descriptio quoque mutabilis est, quæ componitur ex nominibus. Idolum quoque mutabile est. Potest enim ligneus circulus destrui, & qui pictus est, aboleri. Formula quoq; ex eo mutabilis est, quòd ex potentia siue habitu migrat in actum, deque actu rursus in habitum. Illud autem quod per scientiam circuli comprehenditur, est penitus immutabile, quoniam & vniuersale est, & non potest aliter se habere. quapropter idea immutabili opus est ad rationem circuli immutabilem comprehendendam.

Secunda. Circulus qui vel torno fit, vel pingitur, non est purus, quia nonnihil rectæ figuræ habet admixtum. Similiter phantasia, quæ sequitur illius aspectum, puram rationem circuli non assequitur, quæ est figura eius opposita penitus segregata. Ratio quoque si phantasiæ auscultauerit, fallitur, oportet ergo vt ad puram ideam recurrat, qua cernat purum.

Tertia. Scientia vera circuli in eo consistit, vt quid sit circulus, cognoscatur. Quatuor verò illa qualitatem potius significant quã substantiã, quia & ipsa sunt qualitates.

Quarta. Verus perfectusque cognoscendi modus, modum sequitur essendi. Itaque sicut tam circulus quàm reliquæ rerum species à mente diuina per idearum ideas concipiuntur & pariuntur, sic à sequentibus mentibus per easdem cognoscendę videntur, vt omnes scientiæ primam pro viribus scientiam imitentur. Veritas rei creatæ in hoc versatur, vt ideæ suæ respondeat vndique. Scientia verò in hoc præcipuè vt mens congruat veritati.

Non potest autem rei ipsius veritati quadrare, nisi ideæ quoque quadret, in cuius congruitate sita est veritas, vt ita per ideam, quæ rei causa est, rem cognoscat, siquidem vera scientia est per causam. Ideo Ioannis Euangelistæ Theologia, quæ ideam appellat rationem diuinam, eam ipsam rationem vocat veritatem, quia per eam res & verè subsistant, & cognoscantur verè.

Quinta. Intellectus quælibet creata in ipsorum rationibus absolutis intelligit & diiudicat. Et sicut plerunque eadem sensibilia natura sua omnibus sentientibus præsto adsunt, neque mutatis istis illa inde mutantur, ita eædem intelligibiles rationes vbique & semper cunctis ratiocinantibus sese monstrant, manentque stabiles in seipsis, dum ratiocinantium animi magis minusue ad illas accedunt. Rationes huiusmodi creatis omnibus præstantiores sunt, non ob id solum quòd per ipsas tanquam regulas creata quæque probantur, reprobanturue, sed ob hoc insuper, quod tum propter amplitudinem, tum propter simplicitatem sunt priores. Quapropter in ipso sunt Deo, per quas ipse & discernit singula & disponit. Quando igitur intellectus apprehendit rationes huiusmodi, tunc apprehendit quodammodo tam Deum in quo sunt, quàm res quarum illæ sunt exemplaria, prius tamen secundum naturalem originem quandam quodammodo apprehendit Deum quo illæ sunt, quàm res quibus non insunt, quamuis adsint. Neque incredibile videri cuiquam debet per incorporalia exemplaria corporalia quælibet cognosci, potius quàm è conuerso. Nam per imagines sensibilium spiritales, siue in sensibus siue in speculis illæ sint, sensibilia corpora, non contrà sentimus. Quod autem ita hac in re decipiamur, vt dum spiritalia rerum exemplaria intuemur, sæpè intueri solum naturas rerum corporeas arbitremur, quid mirum, cum & infantes quando in speculis vident simulachra corporum incorporea, & somniantes quando cogitant imagines spiritales, corpora videre se credant? Sed de hoc planius in sequentibus. Adde his rationibus signa duo, alterum per intellectum, alterum per voluntatem. Per intellectum hoc pacto. In speciei naturalis ceu pulchritudinis cognitione, primò quidem descriptionem pulchritudinis aliquam singulis rebus pulchris communem excogitamus.

Addimus statim proprietates aliquas pulchritudinis à descriptione deductas. Has notiones forsitan concedemus, posse per formulam pulchritudinis menti innatam excogitari. Sed quando in hac ipsa consideratione diutius immoramur, inuenimus eam naturam pulchritudinis quam definimus, quia mera sit, esse infinitam, & quia infinita sit, esse Deum. Nullus autem sanæ mentis concesserit per formulam terminatam, & infrà Deum interuallo longissimo imò incomparabili existentem, apprehendi naturam infinitam, ipsumque Deum. Igitur mens per formulam suam ex habitu eductam in actum ideæ diuinæ quadam præparatione subnectitur, cui subnexa, supra se surgit. Nulla enim res supra se vnquam attollitur, nisi à superiore trahatur. Quo enim pacto aqua volat in aërem, nisi calore aëris eleuetur? Facilè autem & naturali quodam instinctu ipsa formula, cum sit ideæ radius, resilit in ideam, secumque attollit mentem cui est infusus hic radius, qui cum reducitur in ideam, refluit in eam sicut fontem, ceu radius repercussus in Solem, perque nondum huiusmodi vnum aliquid ex mente & Deo conficitur. Hinc Paulus diuinus Theologus inquit: Qui adhæret Deo, vnus fit spiritus.

Signum per voluntatem, hoc est Mens in clara veritatis cognitione tam mirabili voluptate perfunditur, vt omnem humanæ voluptatis excedat modum. Talem quoque vitæ statum voluntas propter seipsum appetit solum, alia propter illum, quasi status eiusmodi in summa sit arce naturæ, vltra quem nihil supersit optandum.

His rationibus & aliis penè similibus Plato sibi persuasisse videtur nihil reuera disci posse, nisi docente Deo. Ideo in eadem Epistola inquit: Diuina mysteria verbis doceri non possunt. At si quis diutissimè cum diuinis versetur, similemque illis agat vitam, subito tandem tanquam ab igne scintillante lumen veritatis effulget in animo, seque ipsum iam alit. Quod sibi scribit accidisse. Merito, quia etiam in Epistola ad Dionysium regem scripserat, omnem suæ mentis curam in diuinorum inuestigatione versari. Quam quidem inuestigationem Socrates tandem purgatione mentis assecuturam quicquid cupit existimat. Ideo prætermissa quandoque solita inquisitionis solicitudine, ad moralem confugit Philosophiam, vt mens eius beneficio corporeis discussis nubibus facta serenior, diuini Solis lumen semper & vbique luces subito caperet. Quod quidem & Socrates ipse prius, deinde Plato imitatione Socratis assecutus fuisse videtur. Sed ad institutum ordinem redeamus.

Plato in septimo libro de Republica. Cum Deum bonitatem ipsam appellauisset, adiunxit, vix quidem eam percipi posse, sed hac ignorata nihil aut verè cognosci, aut rectè agi vel publicè vel priuatim. Quod quidem ab Indis Philosophis Socratem & Platonem didicisse Aristoxenus affirmat. Idque Socrates Theagi apertissimè declarauit, videlicet à solo Deo tam hæc quàm alia disci, quemadmodum in libro superiore narrauimus. In sexto autem de Republica, Plato Deum comparat Soli, vt in libro de amore exposuimus, vt quemadmodum summum in genere sensibilium se habet ad sensus & sensibilia, ita summum in genere intelligibilium se ad intellectus & intelligibilia habeat. Sol oculos visuros, & colores visibiles procreat. Tribuit oculis generationem, vim videndi, & videndi actum, quia sine lumine nihil actu videmus. Dat rursus coloribus generationem, ac vim qua oculos possint mouere, & actum per quem moueant. Sic Deus (vt scribit Plato) mentibus essentiam tribuit, deinde intelligendi virtutem, postremò ipsam infundit intelligentiam. Rebus quoque intelligibilibus præstat essentiam, vim qua mentem mouere queant, & actum per quem moueant Itaque mentis actum Deus cũ intelligibilium actu coniungit, sicut solis lumen oculi actũ cum actu colorũ. Et sicut in videndo triplex est actus, motus scilicet coloris, aspectus oculi, fulgor lumini cõnectens actus reliquos inuicem, sic in intelligendo, vbi actus intelligibilium veritas à Platone vocatur, actus mentis scientia. Actus vtrorumque nodus apud Platonem est Deus, qui efficit vt & mens scienter intelligat, & res verè intelligantur, imò facit vt ipse intelligatur. Idcirco Ioannes Euangelista inquit, Dei mentem esse viam, veritatemque, & vitam, ac neminem ad Deum proficisci, nisi per ipsam. Est enim veritas rerum intelligendarum, vita mentis intelligentis, via per quam res ipsæ menti influunt, & in qua mens rebus fit obuia. Quare & alibi dixit, eos solos veritatis spiritum videre posse, apud quos & in quibus est Deus. Nam si res bonæ sub bonitatis ratione voluntatem mouent, atque ideò bonitas ipsa voluntatem mouet per bonitatem ad bonitatem, neque aliud quicquam nisi bonitatem ipsam in singulis exoptamus, sequitur vt quia res veræ sub ratione veritatis intellectum mouent, idcirco veritas ipsa per veritatem ad ipsam veritatem moueat intellectum, neque aliud quicquam quam veritatem ipsam intellectus intelligat. Ipsam verò bonitatem & veritatem esse Deum ambigit nemo. Lucentes oculi lucẽ communi lucentia vident, aures aëreæ communi aëre aërea audiunt. Veridicæ mentes veritate communi vera intelligunt & pronuntiant. Voluntates quoque bonæ ipsa bonitate communi afficiuntur ad bona. Et sicut oculus Solis lumine illustratus in eo corporum colores intuetur atque figuras, neque aliud quicquam re vera nisi lumen ipsum videt, licet videatur varia intueri, quia lumen ipsi infusum variis fulget splendoribus, prout à variis corporibus in visum reflectitur, atque hoc quidem lumen in corporibus reflexum oculus percipit, ipsam verò in fonte suo lucem minimè sustinet, ita mens nostra Dei radio illustrata, in eo ipso intelligit rerum omnium rationes, quarum fons est Deus, & quæ Deus ipsæ sunt, ideo & per Dei lumen intelligit, & ipsum diuinum duntaxat lumen cognoscit. Diuersa tamen videtur cognoscere, quia sub diuersis rerum inde manantium ideis & rationibus seipsum intelligit. Quamuis autem per Dei lumen quotidie omnia cognoscamus, & ipsum quoque lumen sub tali aut tali rerum figura refulgens gradatim percipiamus; puram tamen Dei lucem ab ideis omnibus absolutam, & in suo fonte penitus infinitam, non prius videbimus, quàm cum mentis purissimæ statum adipiscamur, in quo lumen ipsum vnico intuitu cunctarum simul idearum splendore refulgens contueamur. Tunc (vt inquit præco ille veritatis insignis Ioannes Euangelista) videbimus Deum sicuti est, quia Deum cognoscemus vt Deum. Nunc enim formati hac idea vel illa, videmus eum vt speciem hanc rerum aut illam. Quamuis & in hac vita secundum Ioannem Theologi filij Dei sint, quia per diuinas ideas quotidie reformantur, quarum idearum series ab eo vocatur ratio Dei, vita rerum omnium lumen mentium, non angelicarum modo, sed etiam humanarum. Humanarum inquam, omnium, quia ita illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt quicquid intelligit quisque, in ipso intelligat, & per ipsum, licet tenebrosæ mentes ipsum non comprehendant, quia non agnoscunt se omnia videre per ipsum. Istæ quidem vocem diuini spiritus vbicunque vult spirantes audiunt, nesciunt autem vnde vox illa veniat, quoue tendat. Cum hæc Theologi prisci cognoscerent, Philosophiæ studium semper cum religiosa pietate iunxerunt. Principio Zoroastris Philosophia (vt testatur Plato) nihil erit aliud quam sapiens pietas cultusque diuinus. Mercurij quoque Trismegisti disputationes omnes à votis in-

cipiunt, & in sacrificiis desinunt. Orphei etiam Aglaophemique Philosophia in diuinis laudibus tota versatur. Pythagoras à matutino hymnorum sacrorum cantu Philosophiæ studia inchoabat Plato non in dicendo solum, sed etiam in cogitando exordiri à Deo præcipiebat in singulis, atque ipse semper exordiebatur à Deo. Sed redeo parumper ad Pythagoram Hic cum inuenisset latus longius trianguli illius quem rectangulum nominat, tantum posse quantum duo reliqua simul iuncta. hecatomben Deo simpliciter immolauit, vtpote qui intelligebat nihil vsquam veri sine summæ veritatis lumine posse videri. Hinc denique fingitur Minerua sapientiæ dea sola Iouis capite nata. Hinc & illud: Ab Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena.

Quæstio prima de ascensu ad Deum, quomodo mens in diuinam eleuatur ideam.

CAPVT II.

TRes hic quæstiones suboriuntur. Prima, quo pacto mens in diuinam eleuetur ideam. Secunda, quam ob causam in eo statu Deum non videre nequaquam animaduertamus.

Tertia, quo pacto hanc ipsam intelligentiam Deus nobis infundat assiduè, quod Plato in superioribus affirmauit. Ad primam ita in præsentia respondemus. Quando phantasia excitata per hominis alicuius figuram visu haustam, simulachro formatur humano, tunc humanæ speciei formula quæ latebat in mentis arcanis, instigata coruscat, & mentis siue rationis aciem actu format, quam formauerat habitu, formatio talis, vel intelligentia quædam ambigua est, vel ortus intelligentiæ. Postquam, ita satis formata est, hominis idea formatur, id est, ratio illa per quam Deus hominem generat. Ita verò mens per formulam hominis ideæ quadrat humanæ, sicut cera quæ ab annulo figurata est, quando diligenter annulo admouetur, suo congruit exemplari. Illa ipsa quadratio, vera & distincta hominis intelligentia est. Ideo Plato in conuiuio inquit animum diuinæ pulchritudinis amatorem, quando diuinas rationes attingit, tunc non amplius simulachra rerum, sed res veras parere in seipso, partasque nutrire, familiarem Deo fieri, ac præ cæteris immortalem Sed nullus hoc arcanum lucidius quàm Ioannes Euangelista reuelasse videtur, qui mentem hominis, quando verum aliquid attingit, non dicit (vt solent alij) videre rem aliquam veram, sed facere veritatem, quia scilicet re ipsa assequitur, vt Deus qui ipsa veritas est, quasi forma eius efficiatur. Tunc enim mens ideam induta fit ipsa veritas rei illius quæ per talem est ideam creata. Quod omnes faciunt contemplantes, quos, inquit Ioannes, de plenitudine diuinæ rationis accipere, quia scilicet quisquis verè contemplatur speciem aliquam rerum, accepit iam in se aliquam ex numero idearum, quarum plenitudo est ipsa diuina ratio. Consummati verò Theologi mentem aurum appellãt ignitum, quia sicut aurum formam induitur ignis, per quam calefit, rarescit & fulget, sic illa mens induta diuinæ mentis ideas, per illas tum veritatis lumine claret, tum bonitatis fomite flagrat. Paulus quoque Apostolus mentem diuinorum contemplatricem affirmat tum quotidie renouari, tum in eandem cum Deo imaginem transformari, tum vnum cum ipso spiritum fieri. Trismegistus similiter ait ex mente pura & diuinitate quodammodo vnum spiritum coalescere. Et Platonici omnes probant in rationibus contemplandis diuinam rationem tactu quodam mentis substantiali potius quàm imaginato tangi, vnitatemque mentis propriam, Deo rerum omnium vnitati modo quodam inextimabili copulari. Quod Plato in Phædro & in Epinomide & alibi sæpè confirmat, præsertim quando in Phædro diuinorum ait contemplatorem à reliquis segregari, purgari prorsus, hærere Deo, impleri Deo & in Epinomide, animum contemplatione perfectum penes diuinam vnitatem vnum prorsus euadere. Idem in libris de Republica censet.

Quæstio secunda. Quam ob causam in eo statu Deum nos videre nequaquam animaduertimus?

CAPVT III.

AD quæstionem secundam ita possumus respondere. Sicut oculus per speciem coloris formatus videt colorem, speciem verò per quam videt, non cernit, sic forsitan intellectus quodammodo formatus idea, per hanc statim speciem ipsam naturalem intelligit, quæ per talem facta fuit ideam, ideam tamen ipsam nondum perspicuè intuetur, imò non agnoscit, licet intueatur. Fortè verò sic accidit in contemplationis quadrationisque initio, sed quando pergit in contemplando, congruitque magis, ipsam quoque ideam suspicit clarius, agnoscitque, sed vbi eam suspiciat, nondum discernit.

Sicut enim pueri, dum figuras suas in eo solis fulgore, qui ambit superficiem aquæ, prospiciunt, eas non in extrinseco lumine, sed in aquæ fundo se putant videre, ita mens adhuc rudis, dum rationes rerum in sublimi videt Deo, in se aut in rebus aliis videre se putat, præsertim cùm ratio rei naturalis in Deo, verbi causa ratio aëris, non Deum referat prorsus vt Deum, & vt principium vniuersi solutum ac liberum, sed vt exemplar aëris, quo fit vt mens quando ratione ipsa diuini aëris circunfunditur, Deum intelligat, non tanquam Deum, sed tanquam aërem, Deum namque videt aëreum, id est, ad naturam aëris circunscriptum. Angeli verò qui cunctis simul formantur ideis, per ipsam idearum omnium congregationem, vniuersæ naturæ conspiciunt. Sic enim diuinæ substantiæ, non ex quadam ipsius parte, vt nos, sed toti fermè seipsos insinuant. Idcirco vbi illas videant, animaduertunt. Idem continget & nobis quando in Deum penitus reformabitur. Nunc verò non aliter in hac penè omnes decipimur, quàm plebeij, qui cùm multa nocte ad Lunam videant, aiunt se in lumine Lunæ videre, cùm tamen illud sit Solis lumen, quo etiam nocte vident. Sic ingrati homines lumine proprio & naturali vera se affirmant inspicere, quæ in lumine communi diuinoque inspiciunt. Quòd si globus ipse Solis aut non exoriretur atque occideret, aut à nobis in sua illa figura nequaquam suspiceretur, ita nemo sciret vnde lumen hoc mittatur in aërem, quo cuncta videmus, sicut modo scit nemo vnde lux demittatur in mentem qua cuncta discernimus, quia occultus est Deus, vnde illa descendit. Descendit autem ita, vt sit intelligentiæ nostræ principium, medium atque finis. Principium, quia sicut ipsius oculi visio à lumine externo fit tanquam vniuersali causa, ac etiam à scintilla quadam interiore inde accensa, tanquam causa particulari, ita in nobis actus intelligendi ab ampla Dei mente pendet, & nostra. Medium verò, quia in ipsa æternas discernimus rationes quæ in æternitate sunt solùm. Finis denique, quia ipsum dumtaxat cognoscimus. Nam æterna cuiusque rei ratio, in ipsa æternitate nihil est aliud secundùm essentiam, quàm æternitas. Hic reuelatur diuinum illud Platonis nostri mysterium, quod in septimo de Republica legitur. Inquit enim Theologum idoneis demonstrationis fundamentis & gradibus ascendere vsque ad principium vniuersi, tangere ipsum atque tenere adhærentem semper his quæ adhærent principio, quippe qui nullis sensibilium rerum corporeis gradibus ad id contendat, sed ipsis speciebus per ipsas, ad ipsas potius innitatur, quousq; ad speciem finem vniuersi perueniat. Breuis horum verborũ explanatio erit huiusmodi. Theologus tum agendo, tum disputando, purgat à corporeis affectibus animam, segregat rationem à fallacibus rerum sensibiliũ coniecturis, inuitat mentem, vt se ad veritatem huiusmodi se gradibus conferat, speciebus, id est, insitis ab origine formulis, per species, id est, per formationem, quę nobis prouenit ab ideis. Ad species, id est, ad ipsas ideas & rerum naturalium species cõsiderãdas. Quas species adhærere, inquit, Deo vniuersi principio, ipse enim fons est idearum, Theologi verò mentem illis ahærere, id est, illis se formandam insinuare, per quam insinuationem, inquit, Deum tangere, id est, diuina mente formari. Adiunxit & tenere Deum, duabus (vt puto) de causis. Tum quia mẽs vbi semel ita cœpit, fortè nũquam talis vitæ statum penitus intermittit, tum quia postquam mente diuina multis ex partibus iam mens nostra formata est diutius contemplando, incipit vsque adeò supra hominem sapere, vt se & per Deum, & Deum, & in Deo contemplari non nesciat. Vocat autem hic Deum nominibus pluribus, principium, finem, speciem. Principium, quia ab ipso omnia, & quia ab ipso exordium sumit intelligentia. Finem, quia ad ipsum & intelligẽtia, & omnia terminãtur. Speciem, tum quia ipse est actus qui res omnes dum ab ipso tanquam principio procedunt, format & facit, atque easdem dum ad eundem tanquam finem, conuertuntur, reformat & perficit. Tum quia ipso mens quæque formatur dum intelligit veritatem. Addidit Deo nomen quartum, scilicet ipsum bonum, vel bonitatem ipsam. Proprium boni est, quòd se diffundat, quòd res alliciat, quòd perficiat. Deus se diffundit res producendo, allicit conuertendo, perficit formando procedentia, reformando conuersa. Ponit autem ipsum bonum supra mentem, & super essentiam. Super mentem, scilicet, eam quæ est inuisibilis oculus veritatis capax, auidus bonitatis. Nam Deus non capax veritatis dicitur, non cupidus bonitatis, sed est ipsa veritas atque bonitas. Potest autem secundùm excellentiorem sensum vocari mens, tum quia diuina veritas sui ipsius non est ignara, tum quia exuberantia quædam diuinæ bonitatis mentes inde effluunt plurimæ. Super essentiam

quoque eam locatur Deus, quæ est ipsius esse subiectum. Quinetiam locatur super esse illud quod est actus essentiæ. Talis enim actus quia potentiæ passiuæ miscetur, impurus est, & infinitus. Vocatur tamen à Peripateticis esse quantum ipse est purus & absolutus actus, per quem omnes essentiæ actum essendi suscipiunt. Plotinus autem & Proclus ipsum vnum bonumque super ens his rationibus collocant. Vnius bonique ipsius influxus latius sese propagat quam entis influxus. Materia siquidem informisque potentia magis vnius bonique particeps est dicenda, quàm entis. Siquidem esse fit per formam, materia verò est informis, vna tamen materia dicitur, & auida boni. Atque hanc argumentationem à Dionysio Areopagita accepisse videntur.

Præterea quemadmodum non idem est multitudo atque nihilum, ita non est idem ens ipsum atque vnum. Neque tamen pariter disposita sunt ens quidem hinc, & inde vnum, ne duo rerum principia stultè ponantur. Neque rursus ens super vnum, siquidem vnum particeps fieret entis, neque amplius vnum, sed duo, id est, vnum simul ensque foret. Sequitur igitur, vt super ens sit vnum Denique quanto simplicius quiddam significat vnitas quam ens, in quo essentia & esse clauduntur, tanto magis primo rerum principio congruit. Neque segregari permittunt esse alicubi ab essentia, ne proprius actus vsque à propria potentia segregetur. Neque mirum cuiquam videri volunt quòd principium rerum nominent vnitatem. Sic enim distinguunt. Aut nominandum est vnitas, aut multitudo, aut ex vtrisque compositum. Sed non compositum, ne ab illo dependere cogatur, qui diuersa in vnum conciliauit. Non multitudo vnitatis expers, quia & ipsum omni virtute, & vniuersum omni vnione carere. Rursus in principio omnium omnis esse debet potentia. Ergo si ipsum multitudo ipsa sit, quatenus in multitudinem quælibet laberentur, eatenus potentiora euaderent. Quoniam verò quatenus ad vnitatem accedunt, eatenus valentiora sunt, atque contrà, sequitur vt principium rerum propriè sit vnitas appellandum. Denique cum vnione quadam propriè singula fiant seruenturque, quis non viderit, vnitatem ipsam esse causam, omnia facientem atque seruantem? Item bonum omnia simpliciter appetunt, esse verè non simpliciter, sed bene esse duntaxat. Fortè etiam si bene esse omnino nequeant, esse non appetent, vt probat Olympiodorus, vtpote quæ esse appetant gratia boni. Bonum igitur cum finis sit vltimus, nimirum primum omnium est principium. Si super ens existit, multo magis super vitam atque mentem. Quando verò vnum bonumque dicunt, idem semper intelligunt. Sicut enim in ordine rerum bene esse in vnione consistit, quoniam malum dissensione & diuisione contingit, sic & super ordinem vniuersi idem est vnum ipsum atque bonum, cuius splendor est pulchritudo, quæ nihil est aliud quàm multarum rationalis ordo formarum in mente, anima, natura, materia, inde refulgens, supra quam pulchritudinem esse vnum probant, quia illa composita sit. Rursus super eam esse bonum, quia omnia, & semper bonum appetunt, pulchritudinem verò sola quæ cognoscunt eam, & post quam eam nouerint. Item pulchritudinem gratia boni desideramus, sperantes videlicet profuturam. Postremò bonum reuera habere volumus, sæpè tamen nobis est factum, si palam pulchritudinem videamur habere. Beati nimium, quos vniuersi pulchritudo boni ipsius splendor, in ipsum bonum amore transformat, præsertim quia dum transformat in bonum, pariter reformat in vnum, ideoque ipsi bono coniungit in vnum. Siquidem ipsum vnum bonumque, tanquam idem, & per omnia, & super & ista pariter dilatantur, pariterque ab omnibus etiam sine cognitione naturali desiderio appetuntur. Neque differre inter se tanquam duo quædam æqualiter disposita possunt, ne duo rerum principia sint. Neque vnum super bonum esse potest, ne quid melius optabiliusque bono esse dicatur. Neque rursus bonum super vnum, ne quod bonum dicitur, desinat esse bonum. Vnum ergo bonumque sunt penitus idem, quando æqualiter appetuntur, quemadmodum diuisio atque malum tanquam idem æqualiter fugiuntur. Beatus qui bono prorsus vnitur. Vnitur autem non intellectuali virtute propriè. Hæc enim cum sit multiplex, atque infra intelligibile collocetur, neque congruit vnitati, neque quod intelligibile, id est ens vniuersum supereminet, attingere potest.

Adde quod cum vnum bonumque instinctu quodam antecedente intelligentiam, appetatur, consequens est vt tactu quodam super intelligentiam attineant, tactu (vt ita loquar) vnifico, per vnitatem videlicet nostram, quæ intelligentiam superat, animamque ipsam ipsi rerum omnium vnitati bonitatique non imaginaria intelligentiæ copula, sed vera substantiæ ipsius

vnione coniungit, vnde non leuis quædam & extrinseca particularisque lætitia sequitur quasi videntis bonum vel audientis, sed vehemens intrinseca vniuersalis voluptas efficitur, quasi gustus tactusque intellectu superioris suauitatem ipsam intelligibili superiorem gustantis iam penitus atque tangentis. Profectò naturalis sitis liquorem appetit prius quàm sensu sitire nos agnoscamus, ac postquam agnouimus, rursus appetimus. Appetitus qui sensum sequitur, imaginarius est, & à substantia nostra remotior, antecedens verò, substantiæ intimus. Quamobrem cum liquorem gustu consequimur, non sequentis propriè, sed antecedentis appetitus virtute complectimur, & in substantiam nostram perfectè transferimus. Similiter non tam appetitio quæ mentis actionem sequitur, quàm quæ præcedit tanquam principium motus, motionis fine perfruitur, dum substantialem conficit copulam, ideoque votum sola penitus implet.

Quæstio tertia. Quo pacto Deus nobis intelligentiam infundit assiduè.

CAPVT IIII.

Sed hinc iam ad quæstionem tertiam descendamus. Hunc esse Platonis nostri sensum arbitror, quando scribit & intellectui scientiam, & intelligibilibus veritatem ab ipso bono infundi, quòd videlicet beneficus ille, & viuificus actus omnium, qui Deus est, ambit opera sua semper, ac se inserit vniuersis. Potissimum verò lucens in mentis arcanis, tum eius aciem purgat, acuit, illustrat, accendit assiduè, tum formulas insitas menti viuificat, ita vt quoties curis vacui animum ad veritatis indaginem applicamus, formulæ illæ Deo viuificante viuaciores effectæ, promptius palam erumpant, ac mentis acies Deo irradiante succensa, lucidius ardentiusque inspiciat. Vbi ad ipsum intelligendi actum Deus se habet tanquam agens primum atque commune, formula tanquam agens proprium atque secundum, simulachrum tanquam incitamentum, mens tenet materiæ locum.

Sed hanc rem exemplo consideremus, vt planius videamus, qua ratione actus intelligendi in nos descendit ex Deo. Si Deus ad creandæ mentis ideam in se vigentem, mentem nostram temperat procreando, & secum maximè configurat, atque ex lyra in lyram similiter temperatam motus sonusque transit, quid mirum est sonante diuina mente intelligendo mentem hominis consonare? Efficit faber aliquis specula mille, his factis dispositisque in ordinem sese obiicit. In mille speculis mille fabri resultant imagines. Mouet quandoque faber seipsum hunc in modum, vt oculum suum ad reliqua membra sua circunspicienda conuertat, & membra pro viribus conuertat ad oculum. Hos motus imagines in speculis imitantur. Ad motum viuentis oculi imaginarij cuncti mouentur, ad motum membrorum viuentium, imaginaria membra. Similiter Deus animas procreat, deinde his sese obiicit tanquam speculis, per quam obiectionem in singulis imagines fiunt Dei. Quæ quidem imagines mentes ipsæ sunt animarum, ita vt mentes tum multæ sint, quia multæ sunt animæ in quibus sunt, tum vna cunctæ, quia vnus est Deus quem referunt. Mens autem quæque per vim intelligendi vim Dei refert ideas concipientem, per formulas autem refert ideas. Hinc etiam propheticum illud quod suprà tetigimus, aperitur. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, & in lumine tuo videbimus lumen. Nempè Deus per vim suam fœcundam qua ideas concipit discernendo, vim præstat seruatque menti per quam ideas attingat intelligendo. Iterum Deus per ideas ipsas iam conceptas, & ratione discretas, imprimit & seruat menti formulas idearum. Ad Dei motum, id est, ad actum Dei, continuus fit motus in mentibus. Quonam pacto? Vis quæ in Deo est, ideas concipiens, ad ipsas quodammodo se flectit ideas, ideæ ad eam vim mutuo se reflectunt. Interea concordi quadam temperatione contingit, vt vis intelligendi in hominis mente, si expedita sit, in Deumque erecta, se vertat ad formulas, & formulæ ad vim conuertantur intelligendi. Atque ita mentis actus mirabili consonantia Dei actus perpetuo imitatur. Quoniam verò vultus in speculo quando videtur aspicere vultum vnde manat, reuera potius aspicitur quàm aspiciat. Ideo Paulus Apostolus ait: Cum Deum cognoueritis, imò cogniti sitis à Deo. Sic igitur superior animæ nostræ vultus, diuini vultus imitatio à Platonicis nominatur, vsque adeò vt Plotinus Theodorusque Asinius & Iamblichus censuerint illam hominis mentem quæ non humana est, sed diuina, in mundo intelligibili viuere & operari continuè per continuum intuitum idearum. Mouerunt autem Plotinum Theodorumque & Iamblichum ad hoc duę potissimum rationes.

Prima, Animæ suprema mens, quia secundùm se intellectualis essentia est, ideo intelligit per essentiam, sicut per essentiam ignis calet, & aqua friget, licet potentia animæ mente inferior per essentiam non intelligat. Itaque sicut ignis semper calet, ita mens semper intelligit. Obiecta verò intelligentiæ sunt species ipsæ rerum æternæ. At intellectus intelligendo non obiectorum simulachris fallacibus hæret, sed vt verè intelligat, ipsis vnitur obiectis. Ergo mens semper est æternis speciebus vnita, quo fit vt sedulo ædem colat æternitatis. Huc illud Iamblichi tendit. Intellectus nostri esse non est aliud quàm intelligere numina. Putat enim sicut idem actus est quo & sol lunam illuminat, & luna inde illuminatur, respicitque luminis similitudine solem, ita eundem esse actum quo & diuina mens creat, illuminatque mentem nostram, & nostra creatur, illuminaturque inde, & intuitu illuc quodam naturali conuertitur. Similiter imago in speculo eodem actu vultum respicit, quo à vultu aspicitur. Et sicut aspiciendo fit, ita respiciendo seruatur. Eadem est animæ ad Deum similitudo. Secunda ratio talis. Rationalis anima à mente diuina fit, & iungitur corpori, atque inter mentem & corpus obtinet medium. Si solùm hæreret menti, vitam corpori non tribueret. Si solùm hæreret corpori, intelligeret vtique nihil. Ergo hæret menti simul & corpori, sicut linea quæ centrum tangit simul atque circunferentiam, sicut solis lumen soli coniunctum est simul, diffusumq; per aërem. Atqui vt anima rationalis se habet ad corpus, sic mens ad animam se habet rationalem. Sed vita ipsa corporalis nihil aliud est quàm actus continuus animæ transfusus in corporis huius complexionem, ab anima non recedens. Igitur intellectualis animæ vita nihil est aliud quàm intellectus diuini perennis actus, annexus animæ, non solutus à Deo. Et sicut anima vitæ corporali semina inserit rerum generandarum, ita Deus animæ cognoscendarum accendit igniculos. Vita corporalis est animæ rationalis simulachrum. Intellectualis animæ vita simulachrum est vitæ mentisque diuinæ. Corporali vitæ præsidet infima pars animæ, quæ est potentia nutriendi. Si hæc infima pars quæ corpori iungitur, agit semper, & ipso suo esse quodammodo operatur, multomagis suprema potentia, quæ validior est, quia suo fonti hæret propinquior, operatur semper, & per esse suum quodammodo operatur. Agit autem circa mentem, vnde effluit proximè. A mente enim solùm mēs effluit. Mens autem quæ supra nos est, quia purus intellectus est, puro intelligibili pascitur, id est, pura fruitur veritate. Eadem nostra mens assiduè vescitur, si epulis superioris mentis accumbit. Nec iniuria intelligentiam in anima essentialem perpetuamque locamus, quia ex eo est in anima, quod conuenit cum perpetuis eius essentiæ causis. Et sicut animæ ingenitus est appetitus boni perpetuus atque essentialis, ita & ipsius veri naturalis essentialisque intuitus, siue tactus aliquis potius, vt Iamblichi verbis vtar. Tactus, inquam, omni cognitione discursuque prior atque præstantior. Eiusmodi sententiam hac in super ratione diuinus Iamblichus confirmauit, quòd quemadmodum temporalia contingentiaque per temporalem contingentemque cognitionem attingimus, ita oportet necessaria & æterna per essentialem & perpetuam attingere notionem, quę non aliter inquisitionem nostram antecedit, quàm status motum. Temporalis verò cognitio ita inquisitionem sequitur, vt contingens effectus motum sequatur ac tempus. Putant autem diuinum ipsum mentis actum qui quodam intuitu & quasi tactu diuinorum fit, propter actiones inferiores non intermitti quidem in seipso, quamuis quod ad animaduersionem pertinet, in viribus inferioribus intermittatur, atque actus intellectus rationalis, vel rationis intellectualis, qui discursione fiunt, propter operationes inferiores soleant intermitti, atque è conuerso. Verum cur non animaduertimus tam mirabile nostræ illius diuinæ mentis spectaculum? Forsitan quia propter continuam spectandi consuetudinem admirari & animaduertere desueuimus. Aut quia mediæ vires animæ, ratio videlicet & phantasia, cum sint vt plurimum ad negotia vitæ procliuiores, mentis illius opera non clarè persentiunt, sicut quando oculus præsens aliquid aspicit, phantasia tamen in aliis occupata, quod oculus videat non agnoscit. Sed quando mediæ vires agunt ocium, defluunt in eas intellectualis speculationis illius scintillæ velut in speculum. Vnde & vera ratiocinatio nascitur ex intelligentia vera, & humana intelligentia ex diuina. Neque mirum est aliquid in mente illa fieri quod nequaquã persentiamus. Nihil enim animaduertimus nisi quod in medias transit vires. Ideo licet sæpè vis concupiscendi esuriat atque sitiat, non prius tamen hoc animaduertimus quę in phantasiam transeat talis passionis intentio. Nonne nutriendi virtus assiduè agit? Assiduam tamen actionem eius haudquaquam perpendimus, itaque neq; perpetuam mentis intelligentiam,

Neque ex hoc est intelligentia illa debilior, quod intelligere nequaquam nos agnoscamus, imò est potius vehementior. Sæpè enim dum canimus aut currimus, canere nos aut currere nequaquam excogitamus, atque ex hoc attentius operamur. Animaduersio enim actionis intentionem distrahit animæ, ac minuit actionem. Tyrones in qualibet arte opera eius artis sine attentione non agunt, veterani autem etiam si non attendant, habitu quodam & quasi natura operantur. Quid prohibet talem esse continuam mentis intelligentiam? Quoniam verò lumen lumini iunctum, sine confusione conspirat in vnum (nam & vbique sunt ambo, & alterum secerni potest ab altero) efficitur vt mentes hominum menti diuinæ coniunctæ, vnum quodammodo fiant cum mente diuina, & vnum inuicem, neque tamen inter se confundantur, non aliter ac multæ lineæ à circumferentia in centrum reflexæ, per puncta sua medium circuli tangunt punctum, ibique vnum quodammodo fit lineæ cuiusque punctum cum puncto circuli medio. Vnum quoque quodammodo fiunt puncta inuicem singula, & quæ non discernit situs aut tempus, ratio tamen ipsa discernit, quemadmodum plurimæ notiones in mente tum inuicem, tum menti absque vlla confusione coniunctæ. Profectò sicut sphæræ minores intra maiorem sphæram, centri sui centrum maioris attingunt, ita mentes quasi minores intelligibilis mundi sphæræ sub bonitate diuina comprehensæ tanquam sphæra maiori, sub ipsaque reuolutæ propriè per centra sua, id est, per vnitates suas intellectibus suis præstantiores, vnitati diuinæ tanquam vniuersi centro se copulant. Ac si fortè disiunguntur circuli, disiunguntur & centra, vtpote quæ vnita fuerant potius quam confusa. Disiungi verò nunquam vult Plotinus, ne æternæ mentium sphæræ minus vnitæ permaneant cum sphæra ipsarum summa, quàm temporales visibilis mundi sphæræ cum sphæra maiori. Sed hoc ipse viderit. Nos autem ad institutum ordinem reuertamur. Ex iis omnibus quę ex Platonis & Plotini fontibus hausimus, concluditur, hominis mentem ad mentem diuinam in ipsa sua intelligentia fermè comparari, quemadmodum materia comparatur ad formam. Sanè si mens nostra quotidiè formatur diuinæ mentis ideis, perque illas opus proprium agit, quis non videat mentem nostram subire diuinam, ceu materia subit formam, nec aliter se habere ad diuinas formas, quàm materiam primam ad naturales? Vnde non minus immortalis debeat esse quàm illa, præsertim quia quanto mens purior est & simplicior corporibus atque animis, & ob hoc magis est vna, tanto ex duabus illis mentibus vnà congredientibus arctior prouenit copula quàm prouenire soleat, aut ex quibuslibet rebus corporalibus vnà mixtis, aut ex animis inuicem concurrentibus, aut ex anima cum corpore coëunte. Auget huius copulæ nodum, quòd Deus ipsa vnitas est, & ipsa bonitas. Et cum per vnitatis vim, rerum omnium copula vniatur. per vim quoque bonitatis vbique attractio fiat & propinquatio, nusquam vnio verior prouenit, quam vbi mens cum diuinitate conspirat. Item si Deus menti ab ipso proximæ, perpetuoque emananti, infinita tum puritatis tenuitate intus illabitur, tum virtutis amplitudine eam penitus implet, partesque mentis quasi iuncturas, ipse tanquam neruus connectit intrinsecus inuicem, & ad totam, totamque essentiam ipse velut nodus intimus cum esse deuincit, ideoque interior menti est quàm ipsa sibi, quid mirum est Deum ipsi in ipsius intelligentia vniri tanquam formam? postquam in essentia & vita iam vnitus est plusquam forma? Signum illius vnionis hoc est præcipuum, quòd per veram intelligentiam intima substantia rei semper inspicitur, vtpote quæ in rei ideam profundius penetrauerit, quàm aut visus in coloris speciem, aut in coloris simulachrum phantasia, cum sensus & phantasia rerum superficies duntaxat attingant. Ideo Mercurius inquit ex diuinitatis & mentis conspiratione vnum spiritum coalescere. Et Ioannis Theologia docet contemplatores diuinæ rationis in vnum cum ipsa ita consummari, sicut ipsa vnita est Deo. Nempè si in genere corporalium tanta est vnio, vt materia (quæ vltimus eorum est terminus) vnum quiddam efficiatur non solum cum mediis omnibus, verumetiam cum supremo generis corporalis, quis negabit æqualem saltem esse in genere intellectualium vnionem, vt mens humana, quamuis vltimus illorum terminus sit, cum omnibus tamen intellectualibus formis, ac etiam cum suprema vnum aliquid fiat? Non fit autem ex animo ac Deo tertia quædam natura à tertio aliquo componente vtrumque inuicem, & ad tertium actum dirigente vtrũque, sicuti fit in naturalium rerum compositione, sed quia in animo contemplante Deus & primus motor est, & formator vltimus, ideo totus actus est Deus, quo quidem actu & ipse semper est Deus, & animus fit saltem quandoque diuinus. Et sicut natura per naturalem motum tradit materiæ formarum ordinem, sic Deus per diuinam mortalemq; vitam tradit menti perspicuam formarum possessio-

nem, vt eidem diuina immortalisque competat vita, cui diuina immortaliumque intelligentia conuenit. Atque vt materia, licet sub inferioribus fluat formis, tamen sublimibus (vt quidam putant) quiescit semper, ita mens hominis, quamuis per sensibiles imaginariasque perfluat formas, potest tamen sub diuinis quandoque in æternum quiescere, quod etiam modo facit, vt vult Plotinus, & Iamblichus, & Theodorus, vt quemadmodum materiam perficit semper quantitatis interminata dimensio, sic mentem diuinæ amplitudinis virtus immensa per huius vim in huius luce, ad huius finem mens continuè æternis formatur ideis. Et quia per congruentiam formatio omnis efficitur, non potest subiectum hoc esse mortale, quod formis continuè formatur æternis Si incorruptibilis est materia prima, in quam formæ quædam penetrant sempiternæ, quamuis ipsa non penetret in illas, nonne immortalis quoque mens erit, quæ non modo penetratur ab illis, sed & penetrat cognoscendo, & reflectitur in eas agnoscendo? Præterea vbi prima mens est, ibi vita prima, quoniam mens est reflexio vitæ in esse suum. Vbi vita prima, ibi & esse primum, quoniam vita est primus, & intimus ipsius esse motus. Profectò Deus prout per se existit, & verè id quod existit perpetuo permanet, primum apud multos esse vocatur. Prout non torpet ocio, sed operatur assiduè secum, vita dicitur. Prout actus est talis, qui non effluit extra, sed refluit in seipsum, mens appellatur. Nam ea reflexione seipsum animaduertit. Quoniam verò quod est in genere aliquo summum, nihil contrarij generis aut immixtum habet, aut proximum, fit vt neque prima mens vel in se vel iuxta seipsam demens aliquid patiatur, neque prima vita mortale quicquam, neque primum esse aliquid in nihilum ruiturum, neque prima vnitas aliquid dissolubile, neque prima bonitas aliquid morbo subiectum. Quare mens quæ menti iungitur primæ, sicut in ea coniunctione nihil reseruat dementiæ, sic mortale nihil admittit aut perdibile, aut dissolubile, morboue subiectum, quia per mentem primam primæ quoque vitæ copulatur, & esse primo, similique vnitati & bonitati Quid mirum si intellectualis vita propter congressum cum prima vita, immortalis permaneat, cum cœlestia corpora (vt volunt Platonici) per se quidem dissolubilia sint, quia & mobilia & composita sine ex naturis pluribus siue partibus, ex eo tamen indissoluta perdurent, quòd nullo alio corpore interiecto immortali animæ copulantur, quæ verò per aliud medium dissoluuntur, qualia sunt corpora ex pluribus elementis composita, quæ immortalem animam (vt Magi tradunt) per corpus cœleste suscipiunt.

Confirmatio superioris rationis prima per visum.

CAPVT V.

ANimas hominum de corporibus in corpora transmigrare, & præcedentis vitæ artes in sequentibus recordari, Plato non suo sensu tractauit, sed ex quorumdam Ægyptiorum opinione recensuit, quorum opinionem Augustinus Aurelius reprobauit. Quod autem anima hominis ab ipso suo formatore formis rerum insignita descendat, atque his formis non sufficienter rerum substantias comprehendat, sed per eas tanquam præparationes ideis reformata comprehendere valeat, hoc, inquam, & Plato ex mente propria sæpè affirmasse videtur, & Augustinus summopere comprobasse. Ergo per Augustini vestigia gradientes, ad superioris sententiæ confirmationem iterum contendamus. Procedamus autem triplici calle, visu, auditu & ratione. Visu primo, hunc in modum. Anima qua viuunt corpora, omnibus corporibus potior est, quia vitam dat corporibus. Hac profectò, quæ sensum habet, excellentior est. At verò in animo humano quiddam præstantius est, non dico quo sentit sẽsibilia, sed quo de sensibilibus iudicat. Iã verò illud videre facile est, præstantiorem esse rem iudicantem illa de qua iudicatur, neque iudicat. Non solùm autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus iudicat, vt cur in aqua remum fractum oporteat apparere, cùm rectus sit, & cur ita per oculos sentiri necesse sit. Nam ipse aspectus oculorum renunciare id potest, iudicare autem nullo modo. Igitur rationalis vita sensuali præstat. Itaque si ratio secundum seipsam iudicat, iam nulla est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc imperita, nunc perita inuenitur, tanto autem melius iudicat, quanto est peritior, & tanto peritior, quanto alicuius artis, vel disciplinæ, vel sapientiæ est particeps, ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo, quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Sed certè quærendum est, cur nos offendat, si duabus fenestris non supra inuicem, sed iuxta inuicem locatis, vna earum maior, altera minor sit, cùm æquales esse

potuerint, si verò super inuicem fuerint, ambæque dimidio quamuis impares, non ita offendat illa inæqualitas, & cur non multum curemus quanto sit vna earum aut maior aut minor, quia duæ sunt, in tribus autem sensus ipse videtur expetere vt impares non sint, aut inter maximam & minimam ita sit media, vt tanto præcedat minorem, quanto à maiore præceditur. Ita enim primò quasi natura ipsa consulitur quid probet. Vbi potissimum notandum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicuit, in melioris comparatione respuatur. Ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarumque memoriam, vsu quodam corporis atque operationis adiuncto, quo si căreas, iudicare quidem de operibus possis, quod multo est excellentius, quamuis operari artificiosa non possis. Sed cum in omnibus artibus conuenientia placeat, qua vna seruata pulchra sunt omnia, ipsa verò conueñientia æqualitatem vnitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium, quis est qui summam ęqualitatem vel similitudinem in corporibus inueniat, audeatque dicere, cum diligenter considerauerit, quodlibet corpus verè ac simpliciter vnum esse, cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, & partibus cōnstent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diuersa diuiduntur. Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima vnitas, nullo sensu sed mente intellecta conspicitur. Vnde enim qualiscunque appeteretur in corporibus æqualitas, aut vnde conuinceretur longè plurimum differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est mente videretur? Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, siue natura edita, siue artibus elaborata, locis & temporibus pulchra sint, vt corpus, & corporis motus, illa æqualitas & vnitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuncio iudicatur, nec loco tumida est, nec instabilis tempore. Non enim rectè dici potest secundum eam iudicari rotundum templum, & non secundum eam rotundum vasculum, aut rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum ridiculè dicitur secundum eam iudicari æquales annos, & non secundũm eam æquales menses. Sed siue per hæc spatia, siue per horas, siue per breuiora momenta conuenienter moueatur aliquid, eadem vna & incommutabili æqualitate iudicatur. Quòd si minora & maiora spatia figurarum atque motio-num per eandem legem parilitatis vel similitudinis vel congruentiæ iudicantur, ipsa lex maior est iis omnibus, sed potentia, cæterum spatio aut loci aut temporis, nec maior, nec minor. Quòd si maior esset, non secundum totam iudicaremus minora, si autem minor esset, non secundum eam iudicaremus maiora. Nunc verò cum per totam quadraturæ legem iudicetur & forum quadratum, & lapis quadratus, rursus si per totam æqualitatis legem iudicentur conuenire sibi motus pedum currentis formicæ, & per eam gradientis elephantis, quis eam dubitet locorum interuallis ac temporum nec maiorem esse nec minorem? cum potentia superet omnia. Hęc autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens verò humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur. Nec iam illud ambigendum est, incommutabilem naturam quæ supra rationalem animam sit, Deum esse, & ibi esse primam vitam & primam essentiam, vbi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque iudicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua iudicat, præstare autem sibi eam naturam secundum quam iudicat, & de qua iudicare nullo modo potest. Possum enim dicere quare similia sibi ex vtraque parte respondere membra cuiusque corporis debeant, quia summa æqualitate delector, quam non oculis sed mente contueor. Quapropter tanto meliora esse iudico quæ oculis cerno, quanto pro sua natura viciniora sunt iis quæ animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere, nec ita esse debere quisquam sobriè dixerit, quasi possint esse non ita. Quare autem nobis placeant, & cur ea quando melius sapimus, vehementissimè diligamus, nec id quisquam quidem, si ea ritè intelligit, dicere audebit. Vt enim nos & omnes animæ rationales secundum veritatem de inferioribus rectè iudicamus, sic de nobis quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas iudicat, de ipsa verò nec iudicat pater. Nec enim minus est quàm ipse. Et ideo quæ pater iudicat, per ipsam iudicat. Omnia enim quæ appetunt vnitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum, quoniam eius similitudinem sola, à quo esse accepit, impleuit. Mens omnia iudicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum

illo est autem, quando purissimè intelligit, & tota charitate quod intelligit diligit. Ita etiam quantum potest lex ipsa, & ipsa fit per quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicant quando eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed per ipsas. Conditor autem legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt per eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandumque, discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est agnoscere, iudicare fas non est. Sanè secundum ipsam de animo & corpore iudicare possumus, hic minus actus, aut minus vehemens est quàm debuit, hoc minus candidum est quàm debuit. De ipsa verò lege nullo modo quis iudicat. Cum enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem & tria esse decem, nemo dicit ita esse debuisse, sed tantum ita est, agnoscens, non vt examinator corrigit, sed tanquam inueniens delectatur. Sed multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, vt iudicent cur ista sensibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, vno arcu constructo, cur alterum parem contra in alteram partem moliatur? respondebit, credo, Vt paria paribus ædificij membra respondeant. Porrò, si pergam quærere, idipsum cur eligat, dicet hoc decere, hoc esse pulchrũ, hoc delectare cernentes, nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, & vnde pendeat, non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, & indiuisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, vt iudex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundùm ipsam, sed ipsam iudicat. Et prius quæram, vtrum ideo pulchra sint, quia delectant, an ideo delectant, quia pulchra sint. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare, quia pulchra sint. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra, & si titubabit, subiiciam: Vtrum ideo, quia similes sibi partes sunt, & aliqua copulatione ad vnam conuenientiam rediguntur? Quod cùm ita esse comperit, interrogabo, & vtrum hanc ipsam vnitatem quam conuincuntur appetere, summè impleant, aut longè infrà iaceant, & eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est, nam quis non admonitus videat, neque vllam speciem, neque vllum omnino esse corpus, quod non habeat vnitatis qualecunque vestigium? Neque quantumuis pulcherrimum corpus, cum interuallis locorum necessariò aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur vnitatem, & flagitabo vt respondeat ipse vbi videat vnitatem hanc, aut vnde videat. Quam si non videret, vnde cognosceret, & quid imitaretur corporum species? & quid implere non posset? Nunc verò cum dicitur corporibus, vos quidem nisi aliqua vnitas contineret, nihi essetis. Sed rursus si vos essetis ipsa vnitas, corpora non essetis, rectè dicitur. Vnde igitur nosti istam vnitatem, secundùm quam iudicas corpora? Quam nisi videres, iudicare non posses quod eam non impleant. Si autem iis corporeis oculis eam videres, non verè diceres, quanquam eius vestigio teneantur, longè tamen ab ea distare. Nam iis oculis non nisi corporalia vides. mente igitur videmus eam. Sed vbi videmus? Si hoc loco esset vbi corpus nostrum est, non eam videret qui hoc modo in Oriente de corporibus iudicat. Non ergo isto continetur loco. Et cum adest vbique, iudicanti nusquam est per spatia locorum, & per potentiam nusquam non est. Cum anima multis illusionibu phantasmatum hinc inde perturbantium concitatur, & tamen falsa hæc esse agnoscit, vbi est verum quod mente conspicitur? Illa lux vera est, qua hæc omnia non esse vera cognoscis, per hanc illud vnum vides, quo iudicas vnum esse quicquid aliud vides, nec tamen hoc esse quod illud est quicquid vides mutabile? Præterea quære in corporis voluptate quid te delectat, nihil aliud inuenies quàm conuenientiam. Nam si resistentia vel discrepantia pariunt dolorem, conuenientia pariunt voluptatem. Agnosce igitur quæ sit summa conuenientia. Noli foras ire. In teipsum redi. In interiore homine habitat veritas. Et si tuam naturam mutabilem inueneris, transcende teipsum. Sed memento cum te transcenderis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc ergo tende, vnde ipsum lumen rationis accenditur. Quo enim peruenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem, cum ad seipsa veritas non vtique ratiocinando perueniat, sed quod ratiocinantes appetunt, ipsa sit? Et cum disputando ambo videmus verum esse quod dicis, & ambo videmus verum esse quod dico, vbi quęso hoc videmus? Hoc vtique nec ego in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa quæ super mentes nostras est incommutabili veritate videmus. Ibi sanè formam ipsam secundum quam hæc temporalia facta sunt, visu mentis aspicimus, atque inde conceptam rerum veritatem &

notitiam tanquam verbum apud nos habemus. Vide ibi conuenientiam qua superior esse non possit, & ipse conuenit cum ea. Confitere te non esse quod ipsa est. Siquidem seipsa non quærit. Tu autem quærendo ad eam venisti, non locorum spatio, sed mentis affectu, vt interior homo cum suo inhabitatore spiritali voluptate conueniat. Aut si non cernis quæ dico, & an vera sint dubitas, cerne saltem vtrum de iis te dubitare non dubites. Et si certum est, te esse dubitantem, quære vnde sit certum. A lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod iis oculis videri non potest, nec illis quibus phantasmata cogitantur, sed illis quibus ipsis phantasmatibus dicitur, non estis vos quod ego quæro, neque illud estis, vnde ego vos ordino. Et quod mihi inter vos fœdum occurrerit improbo, quod pulchrum approbo, cum pulchrius sit illud vnde improbo & approbo quare hoc ipsum magis approbo, & non solum vobis, sed illis omnibus corporibus vndevos hausi, antepono. Vbi videntur hęc, ibi est lumen sine spatio locorum & temporum, & sine vllo spatiorum talium phantasmate. Nunquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiam si omnis ratiocinator intereat? Non enim ratiocinatio talia facit, sed inuenit ergo antequam inueniantur, in se manent, & cum inueniuntur, nos innouant. Ita renascitur interior homo, & exterior corrumpitur de die in diem. Inter mentem nostram, qua illum intelligimus patrem & veritatem, id est, lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium quæ ab vno facta sunt, & ad vnum nituntur. Vnde apparet per hanc formam facta esse omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia.

Secunda confirmatio per auditum, secundum Augustinum.

CAPVT VI.

HActenus per ea quæ aspectu percipiuntur, duce Augustino eò peruenimus, vt inueniremus mentem nostram diuina mente formari. Deinceps, duce eodem per ea quæ audiuntur, ad idem proficiscamur. In sonis concinnis est aliquis numerus, hinc & in actu sentiendi certus fit numerus, quia numerosus sonus numerosè sentitur. Est & numerus aliquis in ipsa sensus natura. Non enim aliter aut mulceretur sonorum concinnitate, aut absurditate offenderetur. Idipsum ergo quicquid est, quo aut annuimus, aut abhorremus, non ratione sed natura, cum aliquid sonet, ipsius sensus numerum voco. Non enim tunc fit in auribus meis cum sonum audio, hæc vis approbandi & improbandi. Aures quippe non aliter bonis sonis quàm malis patent. Vide potius ne ista duo sint minimè confundenda. Nam si versus quilibet modo correptius, modo productius pronuncietur, spatium temporis non idem teneat necesse est, quamuis eadem pedum ratione seruata. Vt ergo ipso suo genere aures mulceat, illa vis facit qua concinna adsciscimus, & absurda respuimus. Vt autem breuiore tempore sentiatur, cum celerius quàm cum tardius promitur, non interest aliquid nisi quamdiu aures tangantur sono. Affectio ergo hæc aurium, cum tanguntur sono, nullo modo talis est ac si non tangantur. Vt autem differt audire ab eo quod est non audire, ita differt hanc vocem audire, ab eo quod est alteram audire. Hæc igitur affectio nec vltra porrigitur, nec infrà cohibetur, quam est mensura eius soni qui eam facit. Altera est ergo in Iambo, altera in Tribracho, productior in productiore Iambo, correptior in correptiore, nulla in silentio. Quod si in numerosa voce fit, etiam ipsa numerosa sit necesse est, neque esse possit cum abest effector eius sonus. Similis est enim vestigio in aqua impresso, quod neque antè formatur quàm corpus impresseris, neque remanet cum detraxeris. Naturalis autem illa vis & iudiciaria quæ auribus adest, non desinit esse in silentio, nec nobis eam sonus inserit, sed ab ea potius sonus probandus siue improbandus excipitur. Quis negauerit in anima esse vim numerorum, cum anima hos numeros agat quos in venarum pulsu inuenimus & reciproco spiritu? Cum aliquando correptius siue productius, dum seruiam temporum legi, qua simplo ad duplum pedes conueniunt, versum pronuncio, nulla fraude iudicium tui sensus offendo. Atqui sonus ille qui correptioribus, & quasi fugacioribus syllabis æditur, non potest plus temporis occupare quam sonat. Iudiciales autem illi numeri si vinculo temporis in tanto spatio tenerentur, quanto isti sonantes digesti sunt, non possent ad eorum sonantium, qui paulo productius eam Iambica lege funduntur, aspirare iudicium. Hos igitur mora temporum qui iudicando præsident, illa non tenet. Sed si nulla tenerentur, quantolibet productius competentibus interuallis, & inuicem respondentibus Iambicos proferrem sonos, nihilominus ad iudicandum

adhiberentur. Nunc verò si ederem vnam syllabam quãta mora peraguntur (ne multum dicam) tres passus incedentis, & aliam duplo, atque ita deinceps tam longos iambos ordinarem simpli & dupli, lex illa nihilominus seruaretur, nec tamen naturale illud iudicium iis dimensionibus approbandis adhibere possemus.

Tenentur ergo & ij iudiciales nonnullis finibus temporalium spatiorum, quos iudicando excedere nequeunt, & quicquid excedit hæc spatia, non assequuntur vt iudicent. Temperant tamen isti singulas actiones. Quod enim nos vel ambulantes ab imparibus passibus, vel percutientes ab imparibus interuallis plagarum, vel edentes ab imparibus molarum motibus, scalpentes denique ab imparibus vnguium ductibus, & quod nos in qualibet attentione agendi aliquid per corporis membra ab imparibus motibus refrænat & cohibet, & quandam parilitatem tacitè imperat, idipsum est iudiciale nescio quid, quod facit vt homines sensum ac delectum habeãt pulchritudinis & decoris magis quàm bestiæ quæ ad quælibet sua incitamenta sedandæ passionis corporalis causa præcipitantur, non pulchritudinis gratia auiditateque alliciuntur. Vnde equi non formosiorem deligunt equam quam ament, sed ad quamlibet æquali furore trahuntur. Iudiciale autem illud conditorem animalis insinuat Deum, quem certè decet credere authorẽ omnis conuenientiæ atque concordiæ. Prætereà numeri, & qui in sono sunt, & qui fiunt in sentiendo, in quantum eorum interualla potest memoria custodire, in tantum iis iudicialibus iudicandi offeruntur atque iudicantur. Numerus namque iste qui interuallis temporum constat, nisi adiuuemur, in eo memoria iudicari à nobis nullo modo potest. Cuiuslibet enim breuis syllabæ, cùm & incipiat & desinat, alio tempore initium est, & alio finis sonat. In audienda itaque, vel breuissima syllaba, nisi memoria nos adiuuet, vt eo momento quo iam non initium, sed finis syllabæ sonat, maneat ille motus in animo qui factus est cùm initium ipsum sonuit, nihil nos audisse possumus dicere. Hinc est illud, quòd plerumque alia cogitatione occupati loquentes, nihil nobis videmur audisse. Quapropter iudiciales illi numeri, qui numeros interuallis temporum sitos iudicare non possunt. nisi quos eis tanquam ministra memoria obtulerit, nonne ipsi existimandi sunt per certum spatium temporis tendi? Licet enim in iis spatia temporum minimè videamus, non tamen adhibentur nisi ad ea iudicãda, quæ in spatiis temporum fiunt; nec ipsa quidem omnia, sed quæ possunt articulari memoriter. Cùm versus ille canitur: Deus creator omnium, numeros ipsius versus per numeros sentiendi audimus, & per iudiciales numeros delectamur, & nescio quibus aliis existimamus de ista delectatione, quæ quasi sententia est iudicialium istorum, cùm per alios super his latentiorem, sed certè veriorẽ ferre possimus sentẽtiam. Aliud est enim delectari sẽsu, aliud existimare ratione. Aliud quippè est annuere vel renuere motibus numerosis, quod fit in delectatione conuenientiæ, & offensione absurditatis talium motionum, & aliud est existimare vtrum rectè an secus ista delectent, quod fit ratiocinando. Ac si rectè nobis visum est, nisi quibusdam numeris esset ipse delectationis sensus imbutus, nullo modo eum potuisse annuere paribus interuallis, & perturbata respuere rectè etiam videri potest ratio quæ huic delectationi superimponitur, nullo modo sine quibusdam numeris viuacioribus de numeris quos infra se habet, posse iudicare. Iam nunc, si placet, illi qui nobis surrexerant ad principatum obtinendum, sensuales nominentur, & iudicialium nomen, quoniam est honoratius, ij accipiant, qui excellentiores comperti sunt. Age nunc accipe vim potentiamque rationis quantum ex operibus eius aspicere possumus. Ipsa enim (vt id potissimum dicam, quod ad huius operis susceptionem attinet) primò quid sit ipsa bona modulatio considerauit, & eam in quodam motu libero, & ad suæ pulchritudinis finem conuerso esse perspexit. Deinde vidit in motibus corporum aliud esse quod breuitate & productione temporis variaretur, in quantum magis esset minusue diuturnum, aliud localium spatiorum percussione in quibusdam gradibus celeritatis & tarditatis. Qua diuisione facta, id quod in temporis mora esset, modesto interuallo, & humano sensui accommodato articulatum, varios efficere numeros, eorumque genera & ordinem vsque ad modulos versuum persecuta est. Postremò attendit quid in his moderandis, operandis, sentiendis, retinendis ageret anima, cuius caput ipsa esset, hosque omnes animales numeros à corporalibus separauit, seque ipsam hæc omnia, neque animaduertere, neque distinguere neque certè numerare sine quibusdam suis numeris potuisse cognouit, eosque cæteris inferioris ordinis iudiciaria quadam ęstimatione præposuit, & nunc cum ipsa sua delectatione qua temporum momẽtra perpendit, & talibus numeris modificandis nutus suos

exhibet, sic agit. Quid est quod in sensibili numerositate diligimus? Num aliquid præter parilitatem quandam, & æqualiter dimensa interualla? An ille pyrrichius pes, siue spondeus, siue anapæstus, siue dactylus, siue procelcusmaticus siue dispondeus nos aliter delectaret, nisi partem suam parti alteri æquali diuisione conferret? Quid verò iambus, tribrachus, trochæus, pulchritudinis habent, nisi quòd minore sua parte maiorem suam in tantas duas æqualiter diuidant? Iam porro sex temporum pedes, num aliunde blandius sonant atque festiuius? nisi quòd vtraque lege partiuntur, scilicet aut in duas æquales partes terna tempora possidentes, aut in vnam simplam ex qualibet parte, & alteram duplam, id est, vt maior habeat bis minorem, & eo modo ab illa diuidatur æqualiter duobus temporibus quatuor tempora in bina dimetiente atque secante? Et in reliquis omnibus simili ratione. Atque vsque adeo delectamur æqualitate, vt eam non modo in vocum interuallis, sed etiam in silentiorum spatiis exigamus. Quærit ergo ratio & carnalem animæ delectationem quæ iudiciales partes sibi vendicabat, interrogat, cum eam in spatiorum temporalium numeris æqualitas mulceat, vtrum duæ syllabæ breues quascunque audierit, verè sint æquales, an fieri possit, vt vna earum ædatur productius, non vsque ad longæ syllabæ modum, sed infra quantumlibet, quo tamen excedat sociam suam. Num negari potest fieri posse vt hæc delectatio ista non sentiat, & inæqualibus velut æqualibus gaudeat? Quo errore & inæqualitate quid turpius? Ex quo admonemur ab his auertere gaudium quæ imitantur æqualitatem, & vtrum impleant, comprehendere non possumus, imò quòd non impleant, fortasse comprehendimus, & tamen in quantum imitantur, pulchra esse in suo genere & ordine suo, negare non possumus. Æqualitatem illam quam in sensibilibus numeris non reperiebamus certam & manentem, sed tamen adumbratam & prætereuntem agnoscebamus, nusquam profectò appeteret animas, nisi alicubi nota esset. Hæc autem alicubi, non in spatiis locorum & temporum, nam illa tument, & illa prætereunt, non in corporis formis, quas æquales nunquam dicere possumus, aut in temporum interuallis, in quibus similiter vtrum aliquid aliquanto quàm oporteat productius vel correptius transeat, quod sensum fugiat, ignoramus. Illam quippè æqualitatem quæro vbi esse arbitreris, quam intuentes, cupimus æqualia esse quædam corpora, vel corporum motus, & diligentius considerantes, eis fidere non audimus? Ibi puto, vbi regnat quod est corporibus excellentius. Sed vtrum in ipsa anima, an etiam supra animam, quæramus. Artem istam rythmam vel metricam quam vtuntur qui versus faciunt, putamus habere aliquos numeros, secundum quos fabricant versus. Quicunque isti sunt numeri, non prætereunt cum versibus, sed manent. Contendendum est ergo ab aliquibus manentibus numeris prætereuntes aliquos fabricari & hanc artem non aliud putamus quàm affectionem quandam animi artificis. Quid si omnia quæ ad numeros pertinent, ille interrogetur qui nunquam didicit, nonne censes hanc artem posse cognoscere? Non transibunt i numeri ab eo qui docebit, in eum qui discet, sed discens intrinsecus apud mentem suam mouebit se ad aliquid vnde menti eius imprimantur hi numeri, & illam faciant affectionem, quæ ars dicitur, & ea quæ interrogabitur, vera esse intelliget atque respondebit. Quoniam verò hi numeri de quibus ita quæritur, incommutabiles sunt, ideo sunt æterni, neque vlla in eis est inæqualitas. Vndeverò credendum est animæ tribui quod æternum est & incommutabile, nisi ab vno æterno & incommutabili Deo. Ergo qui dicit alio interrogante, sese intus ad Deum mouet, vt incommutabile verum intelligat.

Tertia confirmatio per mentem secundum Augustinum.

CAPVT VII.

SAtis per visus iudicia primum, deinde per auditus admonitiones, propositum nostrum inuestigauimus. Nunc indagemus per indicia rationis. Aliter vnusquisque homo loquendo enunciat mentem suam, quid in seipso agatur attendens: Aliter autem humanam mentem speciali aut generali cognitione definit. Itaque cum mihi de sua propria loquitur, an intelligat hoc aut illud, an non intelligat, & vtrum velit an nolit hoc aut illud, credo. Cum verò de humana specialiter aut generaliter verum dicit, agnosco & approbo. Vnde manifestum est aliud vnumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credit, non tamen videt, aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri, quorum alterum mutatur per tempora, alterum incommutabili subsistit æternitate. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo per similitudinem colligimus gene-

ralem vel specialem mentis humanæ noti tiam, sed intuemur inuiolabilem veritatem, ex qua perfectè (quantum possumus) definiamus non qualis sit vniuscuiusq; hominis mens, sed qualis esse sępiternis rationibus debeat. Præterea, cũ impij cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectéq; laudant in hominum moribus, quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisq; viuere debeat, etiam si nec ipsi eodem modo viuant. Vbi eas vident? Neq; enim in sua natura, cùm proculdubio mente ista videantur, eorumq; mentes cõstet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat quisquis in eis, & hoc videre potuerit, neque in habitu suæ mentis, cùm illæ regulæ sint iustitiæ, mentes verò eorum esse cõstet iniustas. Vbi nam sunt istæ regulæ scriptæ? Vbi quid sit iustum, etiam iniustus agnoscit, vbi cernit habendum esse quod ipse non habet. Vbi ergo scriptæ sũt nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur, vnde omnis lux iusta describitur, & in cor hominis qui operatur iustitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo & in ceràm transit, & annulum non relinquit. Qui verò nõ operatur, & tamen videt quid operandum sit, ipse est, qui ab illa luce auertitur, à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodũ sit viuendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor legis incognitæ. Sed etiam ipse splendore aliquoties vbique præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur. Deniq; superior hæc Aureliana discursio quatuor finibus terminatur, quòd videlicet mens ad summa non surgit, nisi eius quod est summum trahatur instinctu, quòd æternis rationibus non vteretur pro arbitrio iudicando, nisi æternitati se posset æquare, quòd immutabilia ratione immutabili non apprehenderet, nisi regulam ipsam immutabilitatis attingeret, quòd animi multi eandem non caperent veritatem, nisi aut vnus esset in multis intellectus humanus, quod fieri nequit, aut saltem multi intellectus humani in eundem se fontem veritatis immergerent, quasi tunc optime aliqui ordinem artificij sint cogituri, quãdo rationem ipsam vnam per quam artifex opus cõstruxerat, penetrauerint. Hæc autem Augustini sententia duobus modis potissimùm confirmatur: primò, per communem virtutem argumentandi, deinde per communes notiones veritatis, bonitatis, & esse. Omnis intellectus apprehendit necessariam consequentiam in rebus, & contingentibus, & non existentibus. Hæc enim consequentia est necessaria: si Plato currit, Plato mouetur, licet Plato, & cursus, & motus eius, contingentia sint. Quinetiam hæc est necessaria; Plato olim dum disserebat, loquebatur, licet neque Plato, neque disputatio sua, neque sermo sint in præsentia. Talium itaque consequentiarum necessitas immutabilis in rebus illis temporalibus non fundatur, quæ vel non sunt vllo modo, vel sunt contingentes, neque in solis cogitationibus animæ, alioqui non esset vera necessitas, sed figmentum, imò neque immutabilis esset, cùm cogitatio nostra sit mobilis. Fundatur igitur in æterna & necessaria rerum serie, quàm diuina mens omnium ordinatrix intra se continet, vbi mutuam rebus habitudinem tribuit. Quapropter omne veræ ratiocinationis lumen à prima veritate accenditur, & in eandem reflectitur, postquam omnis consequentiæ necessitas in summa totius naturæ necessitate fundatur. Docent hoc communes quoque veritatis bonitatisque ipsius intelligentiæ, quas in superioribus probauimus inesse mentibus omnium, ex eo verò quod vera & bona assiduè comparant. Quod si veritas ipsa & bonitas Deus est, sequitur vt Deus toties mentibus hominum illucescat, quoties per Deum tanquam normam vera & bona diiudicamus. Docet idem etiam ipsius notio omnibus insita. Nam omnes homines iudicant illud quidem nullo modo esse, istud verò esse, sed imperfecto modo, hoc esse modo perfectiori, talis autem in essendo gradatio, neque fit, neque cognoscitur, nisi per accessum ad esse summum (qui Deus est) atque inde recessum. Accessum verò ad ipsum, & recessum ab ipso, videre non potest nisi qui ipsum videt. Vident autem ipsum viri peritiores alio insuper pacto, quando videlicet omnia rerum genera subalterna ad generalissima, & illa vsque ad ipsum quod dicitur ens simplex absolutumque resoluunt. Tale ens aut figmentum falsum est, aut est Deus. Non potest autem ens ipsum falsò esse, si modo aliquid in rebus est verè. Si comparatio illa de rerum gradibus, atque hæc resolutio non fit nisi per ipsam summi & absoluti esse virtutem, vtique fit per Deum, quo formatus intellectus & comparat & resoluit. Accedit ad hæc, quòd ipsum esse vsque adeò perspicuè fulget, vt nequeat cogitari non esse. Sicut enim ipsum quod dicitur nihil, occurrit nobis vt expers omnino essendi, ita esse occurrit vt expers penitus non essendi. Itaque inesse neque potentia vlla prorsus apparet ad non essendum, neque aliquis de-

fectus essendi. Ex prima parte æternum est, ex secunda est tota essendi perfectione plenissimum, id est Deus. Hac ratione esse occurrit nobis euidētissimè, & rectè animaduertentibus occurrit, vt Deus. Quod duabus præterea rationibus confirmatur. Prima, quia esse vsque adeò manifestum est, vt singulis quę cognoscuntur, semper cognoscatur & ipsum. Qui cum vocat hominem aut album, esse in hominis specie ait, & albi. Denique in singulis essendi modis per quos res cōstant singulæ, ita esse ipsum subintelligitur, quemadmodum in omnibus animalium speciebus subintelligitur animal. Secunda ratio, quia per ipsum esse cætera cognoscuntur, ipsum verò per semetipsum. Siquidem in cognitione quæ fit per intuitum illud quod dicitur non ens, per ens cognoscitur. Ens in potentia, per ens actu. Ens actu, per actum cognoscitur existendi. Talis actus, esse ipsum existit. Si per esse quod cuiuslibet entis actus est, quodlibet ens agnoscitur, sequitur vt per esse cunctorum existentium actus origoq; est, existentia cūcta noscantur. Ac si ponatur superesse in potentia & esse in actu, ens ipsum simpliciter, quod neque sit potentia, neque actu, ens ipsum aut figmentum erit, aut erit Deus, aut quędam significatio Dei, vt placet Platonicis. Deus autem actus est omnium author existentium, perque actionis excessum prius, vehementius, diutius mouet mouentem, quam reliqua quæ offeruntur, imò eius virtute reliqua mentem mouent. Ipsum ergo esse absolutum, ipse scilicet purus actus effector omnium existentium, qui Deus est, primum est quod mentibus miro quodam pacto sese offert, quod illabitur, quod effulget, quod cætera omnia patefacit. Cuius formam & notionem quamuis perpetuam quodammodo in nobis possideamus, perque illam & in illa reliqua cognoscamus, non tamen istud animaduertimus, sicut neque oculus considerat se videre Solis lumen continuè, cæteraque per ipsum, atque in ipso, neque ratio animaduertit se continuè ratiocinari, cum semper fermè ratiocinetur. Nam diutius consueta animaduertere nō solemus. Quis enim se spirare considerat? Vbi Platonici Deum summum vocant ipsum esse, intelligi volunt non esse quod essentia est, sed huius esse principium, esse videlicet super esse, quodcunque propria quadam essendi ratione concipitur, & aliqua notione comprehenditur. Summum enim Deum propriè vnitatis bonitatisque, sequentem verò Deum de Deo, lumenque de luce, entis nomine nuncupant, à prima vnitate in tria deductum, scilicet in essentiam, vitamque & mentem. Et quia in quolibet trium modo suo sunt, & reliqua tria in nouem vsque producunt, vnde fiat, vt in Angelis nouenarius sit numerus obseruandus, similisque in animabus felicibus gradus. Mentem verò contemplantem formari quidem Deo à summo per vnitatem mentis caput, à Deo verò sequente per intellectum. Sed hæc ipsi viderint, nobis autem sufficit animam diuinitate formari. Ex omnibus superioribus concluditur, rationem humanam in ordine rerum considerando versari semper circa rationem diuinam rerum omnium ordinatricem, non minus quam mundi sphæræ circa medium mundi punctum. Quòd si reuolutio quæ naturaliter & assiduè ex seipsa perpetuum ambit centrum, perpetua est, oportet rationem nostram fore perpetuam. Quæ quoniam intelligendo per Deum atque in Deo sine medio in Deum reflectitur, planè testatur se à Deo sine medio processisse. Quis autem neget, quod proximè ab æternitate fit, æternum fore? Atque etiam videt in Deo speciem sempiternam prout sempiterna est, dum certa illam ratione sempiternam esse concludit. Ita verò videt, vt suscipit inde, sequitur igitur vt per modum suscipiat sempiternum. Et quia suscipit vt est ipsa, siquidem pro natura capit sua, fit vt ipsa perpetua sit, postquam modo perpetuo suscipit. Ratio autem hæc nostra nihil est aliud quam vita intellectualis. Semper ergo viuet, imò & intelliget semper, si semper erit. Sed iuuat hic cum Augustino, vt sæpè solemus, paulo latius peruagari. Quando ratiocinamur, animus id agit. Non enim id agit, nisi qui intelligit. Nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore, quia cum intelligere vult, à corpore auertitur. Quod enim intelligitur, eiusdem modi est semper nihilq; corporis eiusdem modi est semper. Non igitur potest adiuuare animum ad intellectum nitentem, cui non impedire satis est. Si per se ratiocinatur animus, ac ratiocinando veritatem attingit, attingit vtiq; per se veritatem, quapropter ipsi veritati per quam vera sūt quæcunq; intelligendo attinguntur, propius hęret quam aut rebus sensibilibus, aut earum imaginibus, quas non per se attingit, sed per instrumenta & reliqua media. Nō enim eam posset cōtemplari animus per seipsum sine maxima cōiunctione cum ipsa. Ea quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, & locis continentur, vnde nec percipi quidem posse affirmantur. Ea verò quę intelliguntur, non quasi alibi posita intelliguntur, quàm ipse qui intelligit animus.

Simul enim etiam intelliguntur non contineri loco. Quare ista coniunctio intuentis animi, & eius veri quod intuetur, aut ita est, vt subiectum sit animus, verum autem illud in subiecto, aut contra subiectũ verum, & in subiecto animus, aut est vtrũque substantia. Horum autem trium si primum est, tam est immortalis animus, quã veritas illa, & summa ratio rerum, quæ inseparabiliter inhæret animo, & inesse nisi viuo non potest. Eadem necessitas est in secundo. Nam si verum illud quod ratio dicitur, nihil habet commutabile, sicut apparet, nihil commutari potest, quod in eo tanquã in subiecto est. Remanet igitur omnis pugna de tertio. Nam si animus substãtia est, & substantia ratio cui coniungitur, non absurde quis putauerit fieri posse, vt manẽte illa hic esse desinat. Sed manifestũ est, quod quãdiu animus à ratione non separatur, sed ei cohæret, necessarium est eum manere atque viuere. Separari autem qua tandem vi potest? Num corporea, cuius & potentia infirmior, & origo inferior, & ordo separatior? Nullo modo. Animali ergo? Sed etiam id quomodo est? An alter potentior animus quisquis est, contemplari rationem non potest, nisi alterum inde separauerit? At neque ratio cuiquam contemplanti defuerit, si omnes contemplentur. Et cum nihil sit ipsa ratione potentius, quia nihil est incommutabilius, nullo pacto erit animus qui nondum est rationi coniunctus, eo qui est coniunctus, potentior. Restat vt aut ipsa ratio à se ipsum separet, aut ipse animus ab ea voluntate separetur. Sed nihil est in illa natura inuidentię quo minus fruendam se animis præbeat. Deinde quo magis est eo quicquid sibi coniungitur, magis facit vt sit, cui rei contrarius est interitus. Voluntate autem animum separari à veritate quis dixerit, qui nihil vnquam auidius studet quàm veritati coniungi? Quid ergo? Iamne concludendum est animum esse immortalem? An ne etiam si separari non potest extingui potest? At verò si illa vis veritatis ipsa sua coniunctione afficit animum (neque enim non afficere potest) ita profecto afficit, vt ei esse tribuat. Est enim maximè ipsa veritas vbi summa etiam incommutabilitas intelligitur. Itaque quemcunque ex se afficit, cogit esse quodammodo Non ergo extingui animus potest nisi à ratione separatus, separari verò non potest, non potest igitur interire. Quod verò infert dubitationem, illud est, quod animus stultus separari ab ipsa ratione videtur, & in quodam defectu esse & in essentia certiore atque pleniore sapiens. Sed si (quod nemini est dubium) tunc est animus sapientissimus, cum veritatem quæ semper eodem modo est, intuetur, eique immobilis inhæret diuino amore coniunctus, & ex illa essentia omnia sunt, quæ quoquomodo sunt, quæ summè maximeque est, aut ab illa est animus in quantum est, aut per seipsũ est. Sed si per seipsum est, quoniã ipse sibi causa existendi est, & nunquã se deserit, nunquã interit. Si verò ex illa diligẽter opus est quærere quæ res ei possit esse cõtraria, quæ animo auferat animũ, esse quod illa præbet. Quid est igitur? An fortè falsitas, quia illa veritas? Sed manifestum est, atque in promptu situm, quantum nocere animo falsitas possit. Non enim amplius potest quam fallere. At nisi qui viuit fallitur nemo. Non igitur falsitas interimere animum potest. quod si hæc non potest, quæ contraria veritati est, auferre animo animũ esse, quod ei veritas dedit (ita enim est inuictissima veritas) quid aliud inuenietur quod auferat animo id quod est animus? Nihil profecto. Nam nihil est contrario valentius ad id auferendum, quod fit ab eius contrario. At si veritati contrarium ita quæramus, non in quantum veritas est, sed in quantum summè maximeq; est, quanquam in tantum est idipsum, in quantum est veritas, (siquidem veritatem eam dicimus, qua vera sunt omnia, quantumcunque sunt, in tantum autem sunt, in quantum vera sunt, tamen nullo modo id defugerim, quod mihi euidentius suffragatur. Nam si nulla essentia in quantum essentia est, habet contrarium aliquid, multo minus habet contrarium prima illa essentia quæ dicitur veritas, in quãtum essentia. Primũ autẽ verũ est. Omnis enim essentia non ob aliud essentia est, nisi quia est. Esse autẽ non habet cõtrariũ, nisi non esse. Vnde nihil essentiæ est contrariũ. Nullo igitur modo res vlla esse potest contraria illi substãtiæ quæ maximè ac primitus est, ex qua si habet animus idipsũ quod est, non enim aliunde hoc habere potest qui ex se nõ habet, nisi ab ea re quæ illo ipso est animo præstantior, nec habet esse animus ab alio quã à veritate. Siquidẽ ab ea sola sortitur & bene esse, sequitur vt nulla res sit qua id amittat, quia nulla res ei contraria est qua id habet, & propterea esse non desinit. Sapientiam verò quia per conuersionem habet ad id ex quo est, auersione potest amittere. Conuersioni namque auersio contraria est. Illud verò quod ex eo habet, cui nulla res est contraria, non est vnde possit amittere. Non potest igitur interire.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER XIII. (∴)

Quantum anima corpori dominetur, à multis ostenditur signis, ac primùm ab affectibus phantasiæ.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



HACTENVS diuinitatem animæ rationibus demonstrauimus, deinceps verò signis idē penè similiter confirmabimus. Phantasiam quatuor sequuntur affectus, appetitus, voluptas, metus ac dolor. Hi omnes quando vehementissimi sunt, subito corpus proprium omnino, nonnunquam etiam alienum afficiunt. Quantos ardores vel cupiditas vindictæ ciet in corde, vel libido voluptatis in iecore, imò & in pulsu? Ex cuius mutatione cognouit medicus Erasistratus, Antiochū esse amore Stratonicæ captum. Rursus cupido nocendi frequenti intuitu quam perniciosè pueros aliosque quoslibet molliores fascinat? Quàm manifestè prægnantis mulieris auiditas tenerum fœtum inficit rei cogitatæ nota? Quæ varios filiis suis gestus figurasque parentes, & quantum sibi dissimiles imprimunt propter vehementem rerum diuersarum imaginationem qua dum coëunt casu aliquo afficiuntur? quo fit vt dissimiliores sint admodum inter se homines figura gestibusque & moribus, quam quæuis inter se in quauis specie bruta. quam sæpe malefica voluntas execrationibus suis & veneficiis vulgo fertur nocuisse hominibus, & brutis, & plantis, Adde quod glutones nonnulli epulas quasdam auidius cogitantes, saliuam suam simili quodam saporē inficiunt.

Pueri quoque & grauidæ mulieres propter nimiam vetiti cibi vel potus auiditatem liquescunt, diffluunt, dilabuntur. Hæc & similia per multa efficit appetitus. Lætitia quoque vehemens non minora. Hæc perimere subitò potest corpus, & sæpe morbo leuare.

Nonne Sophocles & Dionysius Siciliæ Tyrannus obiêre repente vterque accepto tragicæ victoriæ nuncio: Mater viso filio è Cannensi pugna redeunte, subito expirauit. Quid contra dolor possit, nullus ignorat. Molestia quinetiam tetri cuiusdam spectaculi, gustum inficit, & prouocat nauseam solo aspectu. Pueri nonnunquam & grandiores cum amaram potionem offerri vident alicui, statim sentiunt amaram in ore saliuam, quam vehemens mouet imaginatio. His nonnunquam tali quadam cogitatione aluus quoque laxatur.

Et quod mirabile est, nonnullis stupefiunt dentes & aspectu aliquo, & auditu. Quid? misericordia quæ dolor quidam est, nonne miserantis corpus ita nonnunquam afficit male, vt corpus alterius videt affectum: Quod declarant ii qui sanguinis humani aspectu statim spiritu deficiente labuntur, & ii quibus dolet cubitus dum vident aut audiunt alterius cubitum vulneratum.

Quid metus? an non sæpe altis è fenestris in terram despicientes præ formidine caligamus, & contremiscimus? quandoque etiam ruimus? Pallent repente timentes, sicut & verecundi rubent. Timore subito trepidat cor, arrectæ stant comæ, vox faucibus hæret, deficit quoque vita, vel morbi diuturni sequuntur. Nonnunquam verò morbos quosdam curat metus, vt singultum & quartanam febrim. Quando autem metus vehementissimus cum vehementissima auiditate concurrit, nonnunquam effectus mirabilis prouenit. Hinc (vt est apud Herodotum) cum Cræsum regem quidam ex Cræsis interficere vellet, filius Cræsi antea mutus, propter ingentem tum mortis paternæ timorem, tum clamandi cupiditatem, subito soluit linguam, ac magna voce clamauit. O vuir, ne interficias Cræsum. Inde vocalis est factus.

Quamobrem affectus illi quatuor corpori penitus dominantur, cum illud vndique mutent. Sunt autem hi motus ipsius animi. Nam quantum animus bonum quippiam iudicat, aut malum tantum cupit, gaudet, timet, & dolet. Vnde sequitur naturam corporis animæ motibus penitus subiici. Hinc fit vt vultus humanus tum inclinationum animi perspicua signa, tum affectuum singulorum indicia certissima præ se ferat. Illa quidem soli Physiognomi, hæc etiam vulgares intelligunt. quis non facilè agnoscat cupientem, timentem, iratum, gaudentem animum, & mœrentem? Hinc accidit rursus, vt solus homo rideat, solus & lachrimetur, ex eo quod animi motus plurimum in corpus habent imperium. Ex hoc autem quod rationalis animæ motus omnino corpus subiicitur, duo quædam coniicimus. Vnum, quod anima hæc forma excellentissima est, ac per se subsistens, quia non dominatur corpori forma illa quę per corpus existit. Alterum, quod corpus humanum animæ suæ succedit facillimè. Non cedit facilè, quod propter abundantiam terræ solidum est & durum. Ideo corpus nostrum si ad cætera animalia comparetur, quam minimum terræ, & illud quidem subtile possidet, sublimiorum elementorum quamplurimum, quocirca cœlestis est animæ receptaculum. Cui quidem rei documento esse potest, quod viri ingeniosiores sæpe numero molles carne sunt, graciles, valetudinarii, corpusque illorum quam minimis ipsorum motibus plurimum variatur, quod de Aristotele, de Pyrrhone, Speusippo, Carneade, Chrysippo, Plotino legimus. quod in Timæo sensit Plato cum diceret Deum potuisse tam solidum hominis corpus facere, vt ab externis minimè læderetur, sed voluisse mollius facere, quo esset speculationi paratius, quasi non ad hanc habitationem, sed ad cœlestem speculationem simus progeniti. Addit etiam, animi potentissimi motiones proprium corpus & resoluere & dissoluere. quod non in affectu solum, verum etiam in speculationis intentione contingat. Scribit & in Charmide, Magos illos animę corporisque Medicos, Zamolxidis Zoroastrisque sectatores, arbitrati omnia corporis tum bona tum mala ab anima fluere in ipsum corpus, quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro, cerebri qualitas à toto corpore. Atque vt impossibile est oculos curari nisi curetur cerebrum, & cerebrum curari nisi corpus totum, ita corpus totum, nisi anima bene valeat, non posse bene valere. Valetudinem verò animæ curari Apollineis incantationibus quibusdam, id est, philosophicis rationibus. Socrates præterea narrauit, vulgatum esse apud Thraces eos Medicos tali quadam curatione nonnullos homines seruare immortales consueuisse. Tantum est animæ in corpus imperium, tanta potestas. Magica hæc opinio videtur cum illa Hebræorum Christianorumque sententia consentire. Adæ primi parentis animo prius quidem sano, sana fuisse omnia. Deinde verò infirmo, infirma omnia euasisse. Cæterum de nostris motibus, hoc est diligenter animaduertendum, quod aliqui incipientes à corpore, non penetrant ad animam, alij penetrant, aliqui incipientes ab anima, non redundant in corpus, alij vero redundant Primi huiusmodi sunt, quando temperatissimus aër corpori circumfusus licet aliquo modo corpus moueat, & tamen neque caloris præbet nobis sensum neque frigoris. Secundi sunt, quando ita mouet, vt aliquid sentiamus. Tertij sunt, quando mens tranquille aliquid speculatur, aut phantasia leue aliquid modicè intuetur, ex iis namque cogitationibus corpus non agitatur.

Quarti denique, quoties seu mens siue phantasia vehementius sese confert ad aliquid aut noxium valde, aut vtile multum iucundumque existimat. Tunc enim corpus aliquid patitur. Profectò quando per animi affectum motus aliqui in corpus redundant, non per vim corporis, sed per animi imperium in corpus videntur descendere. Corpus enim vim non habet a-

gendi, atq; accipit subitò motus illatos ab animo, nulla intercedente mora. Nam subitò pallescit vultus animo metuente, & per animi agitationem duntaxat expallet. Quando verò calefacto nimium corpore, anima id ægre fert, perturbatio huiusmodi non prius accidit animo, quam & passionem corporis senserit & noxiam iudicauerit. Sentire & iudicare actus est animi. Itaque per suum actum propriè, non per corporis violentiam animus perturbatur, ideoque seipsum mouet, non mouetur à corpore.

Quod ex hoc plane conspicitur, quia ex vehementiore cogitatione animi & affectu semper agitatur & corpus, neque potest illi corpus obsistere, ex passione verò & cruciatu corporis, non necessario animus de suo statu deiicitur. Diogenes Cynicus nudus glaciem, niuemque hyeme, æstate ardentes calcabat arenas, atque interim ridebat & iocabatur, Polemon Academicus rabidissimos canum morsus dum sentiret, ne expalluit quidem. Anaxarchus Abderites Philosophus à Nicocreante Cypri tyranno iussus est in saxum concauum coniici, ferreisque malleis cædi.

At Philosophus pœnam corpori negligens inquit, tunde, Tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchum ipsum nihil terres. Iussit tyrannus illi præcidi linguam. Tunc ille præcisam mordicus in tyranni faciem conspuit. Aliique innumeri, maximè omnium Christi martyres, talia fecisse commemorantur. Ex quibus apparet, non per corporalem naturam, semper animæ ipsius iudicium, passiones corporis posse in animam penetrare. Iudicium vero non semper naturam sequitur corporis.

Variatur quippe iudicium ad coniecturarum varietatem, etiam simili corporis complexione manente, sæpe etiam manet idem complexione mutata. Constat igitur animum corpori per se obesse, ipsum verò nisi à seipso lædi non posse. Læsio verò quæ à seipso infertur, controuersia quædam est potius quam pernicies. Nihil enim à seipso perimitur.

Signum cseundum ab effectibus rationis.

CAPVT II.

De Philosophis.

ANimam nostram corporis esse dominam, ab effectibus phantasiæ satis narrauimus, cœpimus quoque idem partim à rationis affectibus indicare. Hanc ergo partem diffusius prosequamur. In hac parte ponimus Philosophantes, Poëtas, Sacerdotes, Præsagos, & Prophetas. Epimenidem Cretensem annos quinquaginta dormisse aiunt, id est, (vt opinor) à sensibus vixisse semotum, similiter decem latuisse Pythagoram, Zoroastrem verò viginti. Socrates (vt Plato) a Solis ortu vsque ad Solem alterum orientem inconniuens, immobilis, iisdem vestigiis & ore atque oculis in eundem locum directis, cogitabundus, & abstractus à corpore stabat.

Plato cum frequenter contemplationis intentione longe secessisset à corpore, tandem in ea ipsa abstractione à corporis vinclis decessit omnino. Eius discipulus Xenocrates singulis diebus integram horam abstrahebatur à corpore. Archimedes Syracusanus Geometricis figuris intentus, tumultuosum excidium pereuntis patriæ, & imminentem supra caput hostem non sentiebat. Porphyrius Plotini discipulus scribit, Plotinum sæpe solitum solui à corpore, mutare vultus, tunc mira quædam inuenire, quæ postea scriberet. Quater autem affuisse se asserit iis Plotini miraculis. Seipsum vero cum ageret octauum & sexagesimum ætatis annum, à numine correptum semel inter contemplandum affirmat. Multis annis ante istos idem fecisse Heraclitum & Democritum legimus. Vtrique in solitudinem secesserunt. Alter intentione studij subtristis videbatur aspectu, alter cum mentem à sensibus auocare cœpisset, & impediretur ab oculis, sese excæcauit. Quid multa? quicunque magnum aliquid in quauis arte nobiliori adinuenerunt, id fecere præcipuè quando digressi à corpore in arcem animi confugerunt. Hinc Plato scribit in Phædro Philosophorum mẽtes præcipuè alas quibus ad diuina volatur, recuperare, quia videlicet sẽper diuinis incũbant. Et alibi quidẽ diuinos, alibi verò Dei filios nominat, quia quodammodo renascantur ex Deo. Ob id scribit Aristoteles, omnes in qualibet arte viros excellentes, melancholicos extitisse, siue tales nati fuerint, siue assidua

meditatione tales euaserint. Quod ego ob eam causam arbitror euenire, quoniam humoris melancholici natura terræ sequitur qualitatem, quæ nunquam late sicut cætera elementa diffunditur, sed arctius contrahitur seipsam. Ita melancholicus humor animam & inuitat & iuuat, vt in seipsam se colligat. Rursus anima si frequenter ita ipsos in se spiritus colligit, propter continuam agitationem partibus humorum subtilibus resolutis, complexionem corporis multo magis terream efficit quam acceperit, præsertim cum habitudinem corporis se colligendo reddat compressiorem. Talis autem est terræ natura. Mitto quod talis quoque est natura Mercurij atque Saturni, per quam dum spiritus in centrum colligunt, animi aciem quodammodo ab alienis ad propria reuocant, sistuntque in contemplando, & ad centra rerum conferunt penetranda. Neque tamen planetæ vel humores eiusmodi tanquam efficientes causæ id operantur, sed vel præbent occasionem, vel impedimenta repellunt, animus autem ipse & inuitatus & expeditus talia perficit. Magnum certè est mentis imperium, quæ virtute sua à compedibus corporis soluitur. Ingens opulentia mentis, quæ quoties preciosos Dei & naturæ cupit thesauros, non ex terræ visceribus, sed ex proprio eruit sinu. Maximè verò in illis apparet quantum corpori ratio dominatur, qui cum flagitiosam adolescentiam egerint, ante ipsam senectutem subitò vel inspirante Deo, vel homine exhortante ita mores mutant vt ex intemperatis temperati vel continentes euadant. Quod statim fecisse Polemon traditur eodem die quo audiuit Xenocratem de pudicitia disputantem. Idem Diogenes cum audiret Antisthenem disserentem de libertate. Solet natura quicquid longo tempore inoleuit, non aliter quam longo tempore abolere. Habitum igitur diuturna consuetudine roboratum momento labefactare, non naturæ corporalis est, sed excelsioris atque diuinæ.

De Poetis.

PRæterea Poëtas considera, quos Democritus & Plato diuino quodam furore correptos affirmant, hoc ostendunt præ cæteris duo Platonis dialogi, Phedrus, & ion. Cuius quidem rei tria affert signa. Primum, quod artes singulas singuli homines sine Deo longo vix tempore assequuntur, legitimi verò poëtæ, quales fuisse vult Orpheum, Homerum, Hesiodum, Pindarum, omnium artium suis operibus certa quædam indicia & argumenta inseruerunt. Secundum, quod multa furentes canunt, & illa quidem mirabilia, quæ paulo post deferuescente furore ipsimet non satis intelligunt, quasi non ipsi pronunciauerint, sed Deus per eos ceu tubas clamauerit. Tertium, quod non prudentissimi quique, & ab ineunte ætate eruditissimi, optimi euasere Poëtæ, verum insani potius aliqui, qualem fuisse constat Homerum, atque Lucretium, aut rudiores, qualem se fuisse testatur Hesiodus & quales extitisse Ionem & Tynnicum Chalcidæum scribit Plato, qui præter artem subitò in rebus Poëticis mirandi prodierint. Addit ineptissimos quosdam homines à Musis ideo corripi, qui diuina prouidentia declarare vult hominum generi, non hominum inuenta esse præclara poëmata, sed cœlestia munera. Cuius illud affert signum in Phædro, quod nullus vnquam licet diligentissimus, & omnibus artibus eruditus, excelluit in poësi, nisi ad hæc accesserit feruentior illa animi concitatio, quam sentimus quando est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Impetus ille sacræ semina mentis habet. Veniamus ad sacerdotes.

De Sacerdotibus.

DIuum Paulum Theologum tres cœlestium Hierarchiarum cœlos in diuina abstractione animi cõscendisse scripta eius, gesta discipuli monstrant. Galilæi quoque nonnulli olim subito inspirante Deo ex piscatoribus summi euasere Theologi, sacerdotes multos ante horum tempora instinctu dæmonum solidos debacchari mirabilia quædam effari omnis testatur antiquitas. Cornelium sacerdotem castissimum scribit Aulus Gellius Pataui mente motum fuisse, eo tempore quo Cæsar & Pompeius in Thessalia confligebant, adeò vt tempus & ordinem & exitum pugnæ videret. Plinius quoque tradit Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore vagari solitam, & multa ac vera è longinquo nunciare, donec cremato eo inimici eius, qui Cantaridæ vocabantur, remeanti animę velut vaginam ademerũt. Idẽ facere consueuisse scribit Maximus Pyrius Platonicus & Herodotus animã Aristei Proconnesij Aurelius Augustinus refert sacerdotem quem Calamensem solitum se suo arbitratu à corpore auocare, præ-

sertim cum querula harmonia demulceretur. Iacebat, inquit, simillimus mortuo, sine anhelitu, & cum vreretur & secaretur, non sentiebat. Experrectus autem dicebat se nihil præter ipsam melodiam & voces loquentium in ipsa abstractione sensisse. Quod significat animam illam nihil tunc operari solitam in corpore, cum nullus esset motus aut sensus tangendi, aut anhelitus, aliquid tamen in seipsa agere cum harmoniam ante auditam excogitaret, vocesque perciperet. Atque & Cornelius ille, & Hermotanus & Aristeus, quos suprà narraui, cum se à corpore abstulissent, nihil vidissent remotius quam antea, nisi anima cum à corpusculo isto eximitur, viueret liberior, & latius vagaretur, nec Calamensis anima se sua sponte abstulisset à corpore, & semota egisset aliquid, si corporis sui pedissequa fuisset omnino. Hæc his Platonis verbis in Phædro confirmari videntur. Diuinis, inquit, meditationibus qui recte vtitur, perfectisque mysteriis semper imbuitur, perfectus re vera solus euadit. Ab humanis autem studiis segregatus, diuinoque numini semper inhærens, vulgo capitur quasi extra se positus, sed ipse Deo plenus vulgus latet.

De Fatidicis, & Prophetis.

DIximus de Philosophis, Poëtis, Sacerdotibus, iam de Fatidicis Prophetisque loquamur. Longior esse cogar, si Augures, Aruspices, Auspices, Mathematicos, Magos commemorauero. Horum quidem opera peritissimas indicant mentes. Mentes vero diuinas illa præ cæteris præsagia indicant, vt in Phædro vult Plato, quę sine arte & consilio fiunt; qualia sunt quæ de Diotima vate & Socrate & Epimenide Plato refert, quæ de Sibyllis Varro vnà cum Platone, quæ de Pythiis oraculis historici narrant, & Philosophi penè omnes confirmant, præsertim Platonici, quæ de somniis experiuntur omnes, quæ de diuinis Prophetis tradunt Hebræi. Horum omnium mentes tunc maximè loca plurima circunlustrabant, & tria in vnum tempora complectebantur, quando se a corpore secernebant.

Ergo quando animus hominis omnino erit seiunctus à corpore, omnem (vt est apud Ægyptios) comprehendet locum, & omne tempus. Imò verò iam penè est talis animus suapte natura vbique & semper, qui vt multa loca & remotissima circunspiciat, atque vt totum recolat præteritum tempus, & futurum anticipet, non cogitur extra se progredi, sed relicto corpore in se reuersus, id prorsus assequitur, aut quia natura sua vbique est & semper, vt arbitrantur Ægyptii, aut quia cum in naturam suam se recipit, statim numini coniungitur omnes & locorum & temporum terminos comprehendenti. Cæterum qua via præsagium cadat in animum, si placet, altius repetam. Tres rerum ordines ad humanam animam pertinere videntur, prouidentia, fatum, natura. Prouidentia est series mentium, fatum series animarum, natura series corporum. Principio sub Deo mentes illas omnino solutas à corpore ponimus secundum Platonem, quos vocat Dionysius Angelos, purissimos scilicet intellectus. Addimus inferiorem mentium gradum, earum scilicet quæ iam corporibus vniuntur, & quasi quidam Angeli videntur esse, obtinentes quodammodo gradum infimum angelorum, quorum in numero sunt animæ omnes rationales, siue mundi, seu mundanarum sphærarum, syderum, dæmonum, atque hominum. Tertio loco sunt globi cœlorum, elementorum, humorum. Proinde angelorum caput Deus est, quia radium suum rerum omnium creandarum rationibus præditum, per Angelos omnes demittens, gradatim format omnes, ita vt in singulis vniuersalem describat mundi figuram. Neque solum sublimes illos intellectus, angelosque purissimos sic exornat, verum etiam per illos tanquam medios in mentes quoque rationalium animarum quasi quosdam infimos Angelos radium eundem traducit, iisdem præditum rationibus, huiusmodi rerum dispositio, lexque diuina inscripta mentibus, prouidentia nuncupatur. Sequitur fatum. Animæ quippe rationales non modo vim illam habent intelligendi, per quam angelicæ sunt, & in ordine prouidentiæ numerantur, verum etiam vim illam viuificam, rectricemque corporis, quæ alit corpus in corpore, sentit corporalia per corpus, mouet corpus per locum, regitque in loco, quam vim idolum, id est simulachrum rationalis animæ Platonici nuncupant. In hoc idolo insunt semina motionum & qualitatum omnium quę in corpore explicantur ab anima. Omnes animæ rationales tum nostræ, tùm quæ supra nos sunt vires illas habent intelligendi. Habent & has viuificas rectricesque corporum facultates. Sequitur natura. Nam in quolibet corpore animato est

certa quædam eius affectio ſiue complexio efficax atque vitalis, quam virtus animæ ſuæ viuifica corpori tribuit. Hanc volunt eſſe Platonici naturam corporum, quaſi quoddam veſtigium animæ in corpore, ſiue vmbram, quam Proculus eſſe vult vnà cum diuiſione corporis diuiſibilem ſeminibuſque plenam, vitamque corporis ab animæ vita manantem. Reſumamus in hunc modum. Omnes mentes, ſiue ſublimes & ſuper animas ſint ſiue inferiores & inditæ animabus, ita inuicem connexæ ſunt, vt ab earum capite Deo incipientes, longa & continua ſerie procedant, ac ſuperiores quælibet inferioribus radios ſuos diſpertiant. Videamus quid hinc oriatur. Quando quis caput ſummum recti ligni humi iacentis digito pulſat ad alterum ligni extremum pulſatio vel leuiſſima reſonat. Idem in chorda fit tenſa, cuius ſi apex tangatur, tota tremit & ſonat. Si tendas æquo interuallo duas in lyra fides, altera pulſata, tremit & altera Si duas lyras ad eandē intentionem fidiū tēperes, ſonante altera, altera reboat. quorſum hæc? vt intelligamus hinc, ex omnium mentium mutua & inuicem temperata connexione idem fieri, vt ſcintillæ primarum in medias, mediarum in infimas vſque refulgeant, & à poſtremis per medias in ſublimes iterum reflectantur. Harum connexionem, hanc mutuam, ſcintillarumque infuſionem à ſuperioribus ad inferiores continuè demnantem, prouidentiam appellamus. Mittamus mentes in pręſentia, accipiamus idola, id eſt ſimulachra animarum. Caput omnium ſit idolum animę mundi, huic connectantur idola duodecim, animarum duodecim, ſphæras duodecim agitantium. Quoniam verò in qualibet ſphæra plures ſunt animæ, harum idola ad vnum idolum vnius communiſque animæ, quæ totam illam regit ſphæram, teligentur.

Atque ita omnia animarum rationaliū idola mutua quadam conſpiratione ex vno pendent idolo ſummo, ita vt nutus quilibet idoli primi in media, & mediorum in infima transeant, & ſemina rerum omnium corporalium à primis idolis, idolis ſequentibus inſerantur. Conſpirationem huiuſmodi, ſeminumque traductionem, fatum eſſe arbitrabamur. Eadem ratione per corpora procedamus. Complexiones ſiue affectiones ſiue naturæ duodecim, ſphærarum duodecim, vni & ſummæ naturæ ipſius mundanæ materiæ copulentur. Singulæ vero naturæ ſingulorum corpuſculorum ſphæræ cuilibet adhęrentium, ad naturam ſphæræ ſuæ vniuerſalem ſimiliter referantur. Atque hæc dependentia, ſeries naturalis cognominatur, in qua naturarum ſuperiorum inſtinctus in naturas inferiores transfunditur. Ita omnes mentes tāquā lumina ad vnam mentem tanquam lumen, omnia animarum idola & ſimulachra ad vnum vniuerſalis animæ idolum, omnes naturæ corporum, quaſi animarum vmbræ, propriè ad communem naturam vnius corporis quaſi vmbram vnius animæ reducantur. Anima noſtra per caput ſuum id eſt mentem, ſuperioribus mentibus nectitur, per vim infimā id eſt idolum quo regitur corpus, cum idolis animarum ſuperiorum conſpirat, per naturam corporis ſui, cui idolum ſe inſinuat, conciliatur naturis corporum mundanorum, quas natura huius corporis ſequitur. Ergo iis quaſi tribus rudentibus toti machinæ colligamur, mente mentibus, idolo idolis, natura naturis, non aliter ac fœtus in aluo toti corpori materno per continuata ligamenta connectitur, vnde & animæ maternæ, & corporis & ſpiritus materni ipſe quoque per animam ſuam corpus & ſpiritum percipit paſſiones. Anima igitur per mentem eſt ſupra fatum, in ſolo prouidentiæ ordine tanquam ſuperna imitans, & inferiora vnà cum illis gubernans. Ipſa enim tanquam prouidentiæ particeps, ad diuinæ gubernationis exemplar regit ſe, domum, ciuitatem, artes, & animalia. Per idolum eſt in ordine fati ſimiliter, non ſub fato. Siquidem animæ noſtræ idolum, natura ſua cum ſupernis idolis concurrit ad formandum corpus atque mouendum. Per naturam quidem corpus eſt ſub fato, anima in fato naturam mouet. Itaque mens ſuper fatum in prouidentia eſt, idolum in fato ſuper naturam, natura ſub fato, ſupra corpus. Sic anima in prouidentia fati, naturæ, legibus, non vt patiens modo ponitur, ſed & vt agens. Ideo Plato in libro de republica decimo, virtutem animi, inquit, non eſſe ſeruilem dæmonem vitæ ducem, ac rurſus vitæ fortunam eligit à nobis, non nos à dæmone vel fortuna Culpam eligit à nobis, non nos à dæmone vel fortuna. Culpam eligentis eſſe, non Dei, Zoroaſter quoque ita pręcipit:

Μὴ σὺ γ' αὔξατε τὴν εἱμαρμένην.

Id eſt, ne tu augeas fatum. Quaſi in tuo arbitrio ſit cedere fato, atque non cedere. Cum verò ex tribus illis partibus adſtringamur partim rerum ordini, partim non adſtringamur, ex quarta pręcipue ſoluimur, noſtrique ſumus omnino. Hæc ratio

est quam inter mentem animæ caput, & idolum animæ pedem, mediā collocamus. Mens enim animæ inest non quantum anima propriè est, sed quantū angelica, & à supernis mentibus occupata. Idolū quoque illud animæ, id est rectrix potētia corporis, non est animæ puræ officium, sed animæ iam vergentis ad corpus. Verū ratio interponitur, vis quędam verarum propria animarum, per quam in vniuersali conceptu à principiis rerum ad conclusiones temporali successione discurrunt, effectus resoluunt in causas, causas iterum in effectus deducunt, discurrunt etiam conceptu particulari ad discursionis vniuersalis exemplar. Sed in prima ipsa & vniuersa i discursione, ratio intellectualis vocanda est, in discursione particulari, ratio cogitatrix & opinatrix. Mens autem illa quæ est animæ caput, & auriga, suapte natura Angelos imitata, non successione, sed momento quod cupit assequitur, imò habitu quodam, & (vt vult Plotinus) actu simul continet omnia. Ac merito post mentem hanc animæ stabilem Angelos imitantē, sequitur ratio mobilis animæ propria. Huius pedissequæ sunt vires illæ sentiendi brutæ, quæ sunt in idolo phantasia scilicet confusa, quæ instinctum sequitur naturalem, imaginatioque quinque sensuū congregatrix. Idoli pedissequa est natura. Mentem nostram soli cuidam nostro, rationem Solis huius lumini, idolum luminis huius radio, naturam radij reflexioni, id est splendori, & vt rectius loquar, vmbræ, Platonici comparant, atque vt ad vim reuertar rationalem, sæpe eam aiunt ita se ad mentem habere, vt sermonem ad animam se habere videmus, & in motu perpetuo liberoque versari. Denique facultas illa rationalis quæ propriè est animæ veræ natura, non est ad aliquid vnum determinata. Nam libero motu sursum deorsumque vagatur. Primus enim motus est qui in propria animæ natura locatur, cum ipsa sit essentia tertia, cuius virtus est per se mobilis. Primus autem motus, nō hic motus est aut ille, non huc solum fertur aut illuc, sed communis motus est, & tanquam fons motionis perfluit liber, partibusque in omnem partem momentis prolabitur. Quamobrem licet per mentem, idolum, naturam, quodammodo communi rerū ordini subnectamur, per mentem prouidentiæ, per idolum fato, per naturam singularem vniuersæ naturæ, tamen per rationem nostri iuris sumus omnino, & tanquam soluti, modo has partes modo illas sectamur. Quandoque ratio menti cohæret, vbi surgit in prouidentiam. Quandoque idolo obsequitur, & naturæ, vbi fatum suo quodam subit amore, dum sensibus confisa, huc & illuc rerum sensibilium occursu distrahitur. quandoque omissis aliis in seipsam se recipit, vbi aut res alias perquirit argumentando, aut indagat semetipsam. Vsque adeò vis hæc media propriaque animæ, & libera est, & inquieta. Et quando aliquid in nostra incurrit extrema, puta in mentem, idolum, vel naturam, fieri quidem potest vt anima statim illud quoquo modo percipiat, non tamen prius animaduertit se illud percipere, quam in potentiam transeat mediam.

Cum enim potentia media sit, per quam nos homines sumus, imò & quod ipsi sumus, quod pertinet ad eam, euidentissimè ad homines pertinet. Mouent sæpe colores aut voces oculos siue aures, confestim visus & auditus suum explent officium, hic videt, ille audit, nondum tamen animus & videre se & audire animaduertit, nisi media nostri potentia sese ad hæc intendat. Quod patet in his qui obuios sibi non comprehendunt, dum aliud quippiam attentius cogitant. Sic mentes superiores mouent semper nostram mentem illis annexam, impulsum tamen huiusmodi ideo non aduertimus, quoniam vis media per inferiora circūuaga à superioribus se diuertit. Eadem ratione idola animarum superiorum pulsant semper idolum nostrum, hunc tamen nos influxum haud agnoscimus, quando pars illa media aliud quicquam firmius speculatur. Similiter corporum ampliorum naturæ continuè lacessunt corporis nostri naturam, & hunc instinctum sæpissime ratione eadem nequaquam aduertimus. Huius rei exemplum habemus in corpore. Sæpe enim nulla re lacessiti, nobiscum subirascimur, nullis malis turbati, nunciis aut portentis territi torpescimus, mœremus, & trepidamus, nullis bonis permulcti gestimus ipsi nobiscum & canimus. Hæc vnde? Causam certe nouam habent tam noui effectus. Hæc vtique est varia pro variis temporibus affectio corporis, siue in felle vel iecore crocea bilis exæstuet, seu bilis ferueat atra in splene, seu claro sanguine cor abundet. Huiusmodi corporis affectiones atque naturæ quia proximæ sunt viuificæ potentiæ quę idolo continetur, & continet ipsas, eam variis incitant pulsibus, dum occasionem præbent vt illa & aliter & obnoxius operetur in complexione corporis viuificanda, quam soleat. Huiusmodi operatio reddita concitatior,

vim sentiendi quæ eodem idolo continetur, tactum præsertim titillat sensim, pungitue latenter eiusdem idoli phantasiam, ceu per naturæ indigentiam pungitur stomachus. Punctio illa & titillatio latens, ad mediam animæ partem non transit quando illa in aliud inhiat, transit autem quando vacat. Tunc per rationem cogitatricem repente subirascimur quodammodo, vel mœremus, vel gaudemus. Ratio intellectualis hæc aduertit, vnde assentitur quandoque, quandoque etiam consiliis & remediis hæc fugit & fugat. Summatim his sæpe pulsamur affectibus longo ordine à naturis vniuersalibus per propriam in nos descendentibus, & vnde nobis ingerantur, penitus ignoramus. Si ita est, cur non etiam mentes superiores menti nostræ coniunctæ semper eam pulsent? quem impulsum nos minime aduertimus quando pars media nostri ita est suis actibus occupata, vt vsque ad eam non transeat mentis influxus. Ea verò vacante, quid prohibet Angelicam aliquam rationalibus viribus cogitationem irrepere, licet vnde surrepat, non videamus? Quod indicant illi, qui absque præceptore ex sola vacuæ rationis intentione, aut etiam tranquillitate, sæpe multa & præclarissima etiam dum non inquirerent, pepererunt, quasi sua sponte Solis lumen in serenum aërem subito se transfundat. Ac licet dispositio mundi, quæ tota simul est in mentibus rationibusque supernatum animarum inscripta, perenni quadam continuatione tota simul nostræ menti se offerat, temporalis tamen mundanorum seminum vicissitudo sicut paulatim in idolis naturisque illarum animarum sibi ipsi succedit, ita simili quadam successionis continuatione per omnium animarum idola omniumque corporum naturas descendit vsque ad idolum animę nostrę, & corporis nostri naturam. Vt ecce ratio pluuiæ, cras futuræ hodie regnat in animarum cœlestium idolis, cœlorumque naturis. Eadem per elementalium animarum idola, elementorumque naturas demanat, quousque idolum animæ nostræ, simulque naturam pulset humorum. Pulsatio idoli nostri fit ab idolis, naturæ nostræ pulsatio ab illis naturis & idolo nostro. Quando mentium ille influxus rationem nostram sortitur ociosam, siue menti vacantem, ipsi aliquid ostendit eorum, quæ ad vniuersalem æternarum rerum cognitionem seu mundi gubernationem pertinent, vt vel Dei legem, & ordines angelorum, vel seculorum restitutiones, & regnorum mutationes præuideat. Quando idolorum naturarumque instinctus rationem omnino & phantasiam offendit vacuam, aliquid sibi portendit eorum quæ ad temporum vicissitudines, elementorumque perturbationes attinent, vt futuram præuideat pluuiam, terræmotus, atque similia.

Qua via Istud? Vis illa supernorum idolorum pluuias inductura, ad pluuias præfigurat cœlorum rotas, hæ aërem humefaciunt, aër vdus pituitam mouet nostram, humorem scilicet aqueum, pituita spiritum, ex ea præsertim parte qua & ipse est aqueus. Siquidem spiritus cum sit vapor sanguinis, & in sanguine quatuor insint humores, in spiritu sunt quatuor humorum elementorumque virtutes. Igitur virtus illa spiritus aquea à pituita irritata, viuificam animæ nostræ instigat potentiam ex ea parte qua aquaticorum semina vis viuifica possidet. Vis hæc suscitat eas imagines quę in vacante phantasia rationesque sunt ad pituitam pertinentes, vt subito cogitemus flumina, imbres, angues, anguillas, pisces, atque similia. Eodem pacto vis supernorum calores & æstus procreatura, congruis mediis choleram, id est, bilem in nobis & cholericum spiritum mouet, hic virtutem viuificam, hæc igneas imagines in phantasia rationeque latentes. vt incendia imaginemur, rubeosque colores, & flauos.

Septem vacationis genera.

VErum quando ita vacamus, vt huiusmodi aduertamus influxus, septem sunt vacandi genera. Somno, syncope, humore melancholico, temperata complexione, solitudine, admiratione, castitate, vacamus. Quoniam anima operationes suas mouendi & sentiendi in hoc corpore crassiore per spiritum sibi proximum explet, ideo quando vel propter defatigationem spiritus in mentibus exterioribus resoluuntur, vel propter vapores humoresque meatus illi cerebri opplentur, per quos huiusmodi spiritus ad sensum motúque idonei solent ad membra transmitti, tunc animus sese quodammodo colligit, neque in sentiendis corporalibus qualitatibus, neque in regendis mouendisque membris sui corporis, neque in tractandis externis negociis occupatur, quod facilè fit in somno. Quanto autem magis exterior actus remittitur, tanto intenditur magis interior. Interiores actus sunt phantasiæ visa, rationisque discursiones. Sed plurimum ita intenditur

phantasia (cuius nutu plurimum agimus vitam) vt imagines suas acerrimo intuitu in seipsa volutet. Reuolutæ acrius imagines illæ vsque ad communem illum sensum, quem more Platonico vocamus imaginationem, relucent, inde in sensus inferiores, & spiritum. Imago verò in sensibus iis spirituque lucens, solet pro reuera asseuerari.

Nam vigilantes hominem se videre aiunt, quando ad hominis imaginem in iis micantem sese vertunt. Similiter dormientes affirmant hominem se videre, quando eius imago à phantasia ipsius conseruatrice per imaginationem in sensum resplendet & spiritum. Resplendent autem imagines illæ præ cæteris, ad quas phantasia magis afficitur, siue cogitatio siue perturbatio præterita, siue tumultus præsens dominantium humorum id faciat. Atque hęc insomnia vana sunt, & nihil præferunt vaticinij, nam aut ex vigiliarum reliquiis, aut ex corporis turbatione nascuntur. Talibus insomniis homines illi solent illudi, qui voluptuosæ vitæ dediti, ad ea quæ mouent sensus, vehementer afficiunt, & phantasiam ad hæc vel tanquam bona adsciscenda, vel tanquam mala reiicienda affigunt acerrimè, quo fit vt eorum reliquiæ phantasiam turbent in somnis. Accedit, quod nimio grauati cibo vel potu, phantasiam in somno expeditam habent nunquam. Nam propter immoderatam humorum vaporũque redundantiam, imagines illæ in phantasia sæpe mouentur, quæ terræ spectacula præferant. In iis quoque propter vini calorem incitata virtute genitalis seminis expultrice, mouentur imagines amatæ personæ quas seruat phantasia, vnde cogitatur amplexus. Ex iis rationibus Plato in nono libro de Republica, concludit rationem sæpe in somno vsque adeò occupari, vt non liberè influxus superiores persentiat. Percepturam autem veritatem inquit, quoties non turbabitur. Sunt & multi voluptuosæ vitæ contemptores, rerum tamen ciuilium studiosi vel imperij & gloriæ cupidi. In his dormientibus consopitur interdum etiam phantasia, at ratio tunc priuata & publica tractat negotia, & iis plurimum occupatur. Sunt nonnulli tam voluptatum quam humanæ gloriæ contemptores, sed indagationi rerum diuinarum & naturalium dediti. Horum in somno cessat aliquando non phantasia solum, sed rationis etiam actiuæ anxia consultatio. Resurgit autem consueta illa rationis speculatricis inuestigatio, vt vel metiri cœlũ videamur, vel elemẽta partiri, vel animalium species numerare. Nullis eorum quos numerauimus, communiter conuenit vaticinium, licet postremi ij philosophantes verè ratiocinentur etiam dormientes, imò & inueniant quandoque quæ diu quæsita non inuenerant vigilantes, quia ratio est tranquillior. Tale quiddam contigit Galeno, qui scribit cum circa diaphragma ægrotaret se somniauisse liberatum iri, si sanguinem mitteret ex vena quæ est inter pollicem & indicem, minuisse sanguinem, conualuisse. Neque sunt aliqui, licet perpauci tales reperiantur, qui domitis voluptatibus, ciuilibusque rebus neglectis, ita suam vitam instituant, vt veritatis quidem assequendæ flagrent cupiditate, eam tamen humanis vestigiis, quibus ambigua mens naturalium Philosophorum plerumque solet confidere, inuestigari posse diffidant, itaque Deo se dedunt, ipsi moliuntur nihil. Apertis & purgatis oculis quid maxime diuinitus ostendatur, expectat, quod & præcepisse dicitur Socrates, & fecisse. Hi pij homines & religiosi vocantur, horum animus in vigilia vacat præ cæteris, vacat in somnis omnino, quapropter supernus impulsus ab eo facilè animaduertitur. Sed horum hominum duo sunt genera. Alii templum hoc Dei, mundi scilicet machinam admirantur frequentius, alii templi huius numen impensius venerantur. Illorum animo per somnum quieto passiones mundi monstrantur, & illæ præ cæteris ad quas magis afficitur, vt pluuiam videat futuram, bellum, pestem, atque similia. Demonstrationis modum & ordinem supra diximus. Cæterum sæpe difficilis somnii interpretatio est, sæpe etiam facilis. Difficilis, quando postquam pluuia futura expressa est in phantasia, vis phantasię imaginem pluuiæ non satis attente commendat memoriæ, sed tanquam velox nimium & versatilis, vt semel impulsa est, currit lubrica per similes & consequentes imagines, vt ex pluuia excitetur ad ventos cogitandos, ex ventis ad altissimos montes, ex montibus ad niues, ita prætergressa expergiscitur, atque experrecta niuis postremò visæ magis memor est quam pluuiæ, vnde futuram prędicit niuem, non pluuiam. Quapropter oportet interpretem somniorum esse sagacissimum venatorem, vt sciat ex proximo vestigio recurrere ad remotum, ab illo rursus ad remotius aliud, ac videat quid apprimè ex quoque sequatur, quousque ad primum perueniat.

Quod solemus in quotidianis sermoni-

bus obseruare, quando ex vno sermone in alium rursusque in alium transgressi, tandem sermonem primo propositum in promptu non satis habemus. Tunc nouissima verba consideramus, è quibus potissimum verbis sequi poterint, & iterum ex quibus illa, donec prima planissimè recolamus. Solertia venatoria velox & versatile requirit ingenium, præsaga facultas, si modo perspicuè debeat præuidere, pacatum atque quietum. Hæc tanquam repugnantia in eodem non facilè concurrunt. Ideo plurimum non iidem præsagi sunt perspicui, & interpretes, & sæpe qui præsagiunt, nesciunt quid præsagiant maximè, & qui interpretantur, velociter errant magis in præuidendo. quod in Timæo significat Plato, cum dixit alios esse vates, alios vatum interpretes. Sed vt ad rem redeamus, eorum somnia interprete indigent, qui propter cholericos & igneos spiritus curriculo phantasiæ currunt velocius. In quibus vero propter complexionem spirituum temperatam vel melancholicam phantasia incedit maturius, præuisæ res firmiter inhærent memoriæ, neque nouis & variis imaginibus confunduntur, propterea horũ præsagia interpretatione non indigent. Atque hæc sunt præsagia somniorum quæ religiosis illis conueniunt, qui diuinam hanc ædem admirantur & stupent, qualia sibi obtigisse tradit Hippocrates, qui cum Democritum, qui insanire vulgò ferebatur, curaturus adiret, per quietem accepit à Deo, non Democritum insanire, sed vulgus. Eadem ratione Socrates futuram Platonis excellentiam prędixit ex somnio. De his satis. Illis verò religiosis, qui templi huius potius numen adorant cum per somnum quiescunt, id accidit, vt mens eorum diuinæ cupida maiestatis pulsetur numine vehementer, & talis quædam menti illorum succurrat de Deo cogitatio, qualem maximè solet vigilans affectare, puta sedem operationemque Dei nosse desiderabat. Quiescenti rationi lux infinita inuisibilisque occurrit, quæ vbique tota & in seipsa sit, seque ipsam, per se sine oculo videat. Hic si phantasia ad motum it tardior, plana manet & perspicua notio, quam experrectus animus immaculatam, vt acceperat, hominibus aperit. Sin velocior sit statim ipsa post rationem, vt solet, suum opus aggreditur. Voluitat consuetas imagines, atque imitata pro viribus rationem, lucem fingit Solis immensam, totam oculis omnium vbique micantem & in seipso perpetuo se circuitu reuoluentem. Hic ergo est opus interprete, qualis Ioseph fuit, & Daniel, qui regia somnia interpretabantur. Hac diuinatione polluit Mercurius Trismegistus, quod eius liber de Dei potentia & sapientia, è Græca lingua in Latinam a nobis translatus ostendit. Hæc vaticinii species religiosis quidem (vt diximus) maximè conuenit. Aliis quoque nonnunquam, si quando vel prouidentia aliqua, vel casus prosperitate iaceant sobrii, curisque vacui. Vnde Alexandro regi dormienti draco herbam monstrauit, qua Ptolemæum curaret grauiter vulneratum. Præcipuè verò propè ortum Solis sedata paulum vaporum externarumque curarum turba, id accidit.

Quanquam, quod vulgo effertur, matutina somnia esse veriora, non ob id solum prouenit, quòd magis sobrii sumus (sæpè enim sobrii dormitum accedimus, neque tamen tunc fiunt perspicuæ visiones) verumetiam ex eo, quod & Solis Phœbique vatis accessu vaticinium roboratur, & sanguinei igneique spiritus ea hora dominantes, claritate sua ad claram conferunt visionem, & (quod videmus) quia statim expergiscimur, turbam imaginum consequentium non confundimus. quæ de somno dicta sunt, his Orphei versibus confirmantur.

Ἄγγελε μελλόντων, θνητοῖς χρησμῳδὲ μέγιστε,
ἡσυχίᾳ γὰρ ὕπνου γλυκεροῦσι γέλλος ἐπέλθων
προσφωνῶν ψυχαῖς θνητῶν, νόον αὐτὸς ἐγείρεις.
καὶ γνώμας μακάρων αὐτὸς καθ' ὕπνους ὑποπέμπεις,
σιγῶν σιγώσαις ψυχαῖς, μέλλοντα προφωνῶν,
οἷσιν ἐπ' εὐσεβίῃσι θεῶν νόος ἐσθλὸς ὁδεύει.

Id est, Nuntie futurorum mortalibus vaticinator maxime, Accedis ad animas somni quiete demulctas, easque compellans suscitas mentem. Sententias numinum beatorum eis per somnum subinferis. Silens silentibus animis ventura prænuncias, his, inquam, animis, quorum mens diuino cultu rectissimè vtitur.

Satis de ea vacatione animi quæ per somnum fit, diximus. Sequitur vacatio quæ fit per syncopam, id est, per casum corporis semiuiui quando cordis defectu spiritus ad membra non mittuntur, & qui in membris sunt, retrahuntur ad cordis debilitati præsidium, quo in statu perindè vt in somno prouenit vaticinium.

Quo excelluisse Hercules dicitur, Arabesque permulti, qui comitiali morbo corripiebantur. Hinc Plutarchus in libro primo de anima, Enarchus, inquit, nuper æ-

grotas, tanquam iam mortuus à medicis fuit relictus, & breui tempore in seipsum postea reductus, dicebat se mortuum fuisse, & in corpus iterum restitutum, nec eo morbo moriturum, reprehensosque aiebat vehementer à domino suo eos spiritus, qui animam eius duxerunt. Ad Nichandam enim missos, non ad ipsum fuisse. Nichandas autem coriarius erat, & in palæstris non ignobilis, qui eo tempore quo Enarchus reuixit, in maximas incidit febres, ac repente mortuus est. Hic autem viuit, superstesque est, felicissimè nobiscum manens.

Tertius vacationis modus fit ex melancholici humoris contractione, animam ab externis negotiis seuocantis, vt anima tam vacet homine vigilante, quam solet dormiente, quandoque vacare. Certè quemadmodum commodissimum instrumentum carere oportet motu proprio, ne forte quando faber mouere ipsum ad dextram statuit fabricando, ipsum interim feratur motu proprio ad sinistram, sic animum illum quo diuina prouidentia vti ad vaticinium statuit quasi aliquo instrumento, quietum esse necessarium est quales sunt melancholici sæpe.

Sed & hi quando numine rapiuntur, tanto cæteris concitatiores fiunt, quanto corpora densa si accendantur, feruentius vrunt, quam corpora rara. Hac ratione Socrates, quem Aristoteles melancholicum iudicauit, dæmonis familiaris inspiratione multa præsentiebat, cuius rei testes sunt Plato, Xenophon, Antipater maximus, Apuleius.

Siquidem Timarchus cum ab eo conuiuio discessisset vbi Socrates discumbebat, Socratis dæmone prohibente, inde ea perpetrauit, quorum causa est occisus. Charmides in Nemea certauit vetante Socrate, ac certasse pœnituit.

Critoni contra Socraticum consilium rusticāti ramulus aliquis percussit oculum.

Idem etiam Socrates dum fugeret vnà cum aliis nonnullis impetum hostium, vt ventum est in triuiũ, eadem qua cæteri via fugere noluit, quia deterrebatur à dæmone. Tum quidem ij qui alia via fugerant, in equitatum hostium inciderunt. Aristides & Thucydides aliique permulti quamdiu Socrati propinquabant, etiam Socrate ipso tacente in philosophiæ studiis proficiebant quamplurimum dæmonis illius instinctu, & quanto longius recedebant à Socrate, tanto reddebantur ad philosophiam ineptiores. Idem cum morti propinquaret, vt scribit Xenophon, prædixit Anyto filium eius, qui tunc modestus videbatur, fore flagitiosissimum, atq; ita euenit.

Est & quartus à temperata complexione vacandi modus, siquidem talis complexio nullum infert tumultum alicuius superantis humoris, qui ad vllam imaginem commoueat phantasiam. Sunt enim huiusmodi viri in affectibus suis & actibus moderati, ideo animo adeò tranquillo viuunt, vt etiam vigilantes supernis subiiciantur influxibus, quod Pherecydi, Syro, Pythagoræ, Plotino dicitur contigisse. Plotinum præ cæteris admiror qui (vt narrat discipulus eius Porphyrius) mores hominum, errata, euentus præsentiebat, & cùm ipse Porphyrius seipsum interficere cogitaret, id ille perspexit diuinitus, atque prohibuit. Ob hanc rationem, vt scribit iunior Plinius, Curtio Ruffo dum Affricam obtineret & inclinato die spatiaretur in porticu, oblata est mulieris figura humana grandior, pulchriorque. Hęc prędixit eum venturum Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem prouinciam reuersurum, ibique moriturum. Factaque sunt omnia.

Quinta vacatio fieri videtur à solitudine, vbi animus nullis humanorum negotiorum curis distractus, paulo vel numinum vel cœlorum momento eadem quotidie cogitat, quæ cœlestia numina cogitant facere, quod quidem Zoroaster Magorum princeps solitudine viginti annorum dicitur assecutus, vbi de omni diuinandi arte multa conscripsit & fecit. Similia operatum fuisse Orpheum in Thraciæ desertis, eius scripta Musæo declarant.

Sexta fit ab admiratione vacatio, Sibyllæ & Pythiæ sacerdotes cum secederēt in Iouis aut Apollinis antrum, vbi numen ipsum adesse credebant, tanto admirationis venerationisque stupore de maiestate numinis cogitabant, vt sensus, phantasia, ratioque actus suos illico prætermitterent. Tũc mens soli exposita numini, siue Deus ille fuerit, siue dæmon, supernos persentiebat nutus, eos præsertim qui ad ea negotia pertinebant, de quibus nuper deliberauerant. Similiter affectum fuisse Cornelium sacerdotem Patauij tradit Aulus Gellius. Et tales quosdam inducit Orpheus Corybantes. Hac vaticinii specie præcellebat Albigerius Carthaginensis. Hic penè quicquid egisset quisque aut cogitauisset, afflatu dæmonum respondebat. Huius diuinationibus sæpe se affuisse Aurelius Augustinus affirmat.

Septima & omnium præstantissima ea animi alienatio est, quæ fit castitate mentis

Deo

Deo deuotæ, quemadmodum Orpheus in hymno Deorum omnium Musæum docet. Talis quippe mens non ad tempus, vt aliæ, sed fermè semper pacatum est Dei templum, cuius ostium (vt Ioannes inquit Theologus) Deus pulsat primum, quod statim apertum ingreditur, quod inhabitat sedulo, in quo hominem pascit ambrosia. Per hanc (vt refert Aurelius Augustinus) rusticus quidam suis temporibus secedebat à corpore, & vigilare se sciebat, dumtamen videret mira quædam oculis non corporeis. Per hanc Ioannes Theologus omnium diuinissimus in Pathmo vniuersum vidit ordinem seculorum. Per hanc Ezechiel campum ossibus mortuorum inspexit refertum, & ossa postmodum resurgentia. Per hanc Esaias Deum sedentem à Seraphim circundatum. Sed ij omnes, quemadmodum & somniantes, quicquid mente cernebant, phantasiæ velaminibus statim operiebant, ita vt visa mentis, phantasiæ vmbraculis obscurata, interprete indigerent. Concludamus iam per septem vaticinij species, tantam esse humanæ animæ aduersus materiam excellentiam, vt & domito & sopito & semiuiuo corpore, multo clarius videat, multoque præstantius operetur, quàm corpore operante, quasi ad magnifica quæuis efficienda subsidio corporis non indigeat. Vbi apparet quanta sit animæ cum cœlestibus concordia, quanta cum Deo cognatio, quæ quotiens in se redit, cœlestium arcanorum & diuinæ fit prouidentiæ particeps.

Tertium signum, ab artium & gubernationis industria.

CAPVT III.

CÆtera animalia vel absq; arte viuūt, vel singula vna quadam arte, ad cuius vsum non ipsa se conferunt, sed fatali lege trahuntur. Cuius signum est, quòd ad operis fabricandi industriam nihil proficiunt tempore. Contrà homines artium innumerabilium inuentores sunt, quas suo exequuntur arbitrio. Quod significatur ex eo, quod singuli multas exercent artes, mutant, & diuturno vsu fiunt solertiores. Et quod mirabile est, humanæ artes fabricant per seipsas quæcunque fabricat ipsa natura, quasi non serui simus naturæ, sed æmuli. Vuas ita pinxit Zeuxis, vt aues ad eas aduolarent. Apelles equam ita pinxit & canem, vt prætereuntes equi hinnirent, latrarent canes. Praxiteles in quodam Indorum templo Venerem marmore adeò venustam expressit, vt vix à libidinosis transeuntium conspectibus tuta & pudica seruaretur. Archytas Tarentinus columbam e ligno mathematica disciplina fecit, librauit, inflauit spiritu adeò vt volaret. Ægyptij, vt tradit Mercurius, Deorum statuas construebant tales, vt loquerentur & irent. Archimedes Syracusanus æneum cœlum fecit, in quo omnes septem Planetarum motus verissimè conficiebantur vt in cœlo, & ipsum voluebatur vt cœlum. Mitto Ægyptiorum pyramides, Romanorum Græcorumque ædificia, metallorum officinas & vitri. Denique homo omnia diuinæ naturæ opera imitatur, & naturæ inferioris opera perficit, corrigit & emendat. Similis ergo fermè vis hominis est naturæ diuinæ, quandoquidem homo per seipsum (id est per suum consilium atque artem) regit seipsum à corporalis naturæ limitibus minime circunscriptum, & singula naturæ altioris opera æmulatur. Et tanto minus quàm bruta naturæ inferioris eget subsidio, quanto pauciora corporis munimenta sortitus est à natura quàm bruta, sed ipsemet illa sua copia construit alimenta, vestes, stramenta, habitacula, supellectilia, arma. Ideo cum ipse sua facultate se fulciat, fulcit vberius quam bestias ipsa natura. Hinc proficiscitur inenarrabilis varietas voluptatū, hos quinque sensus corporis oblectantium, quas ipsimet nobis proprio ingenio machinamur. Bruta breuissimis naturæ claustris concluduntur. Non solum ad corporis necessitatem noster animus respicit, sicut bestiæ naturæ imperio mancipatæ, sed ad oblectamenta sensuum varia, quasi quædam pabula phantasiæ. Neque solum per varia blandimenta ipsi phantasiæ animus adulatur, dum quasi per iocum diuersis ludis deleuit quotidiè phātasiam, verùm etiam agit interdum cogitatrix ratio serius, & suæ prolis propagandæ cupida emicat foras, & quanto polleat ingenio, euidenter ostentat per variam lanificiorum sericique texturam, picturas, sculpturas, & ædificia. In quibus componendis sæpe nullum corporis respicit commodum, nullum sensuum blandimentum, cum aliquando sponte ex iis incommodum & molestiam patiatur, sed facundiæ suæ amplificationem, approbationemque virtutis. In iis artificiis animaduertere licet, quemadmodum homo & omnes & vndique tractat mundi materias, quasi homini omnes subiiciātur. Tractat, inquam, elementa, lapides, metalla, & plantas, &

animalia, & in multas traducit formas atque figuras, quod nunquam bestiæ faciunt. Neque vno est elemento contentus, aut quibusdam, vt bruta, sed vtitur omnibus, quasi sit omnium Dominus. Terram calcat, sulcat aquam, altissimis turribus conscendit in aërem, vt pennas Dædali vel Icari prætermittam. Accendit ignem, & foco familiariter vtitur & delectatur præcipue ipse solus. Merito cœlesti elemento solum cœleste animal delectatur. Cœlesti virtute ascendit cœlum, atq; metitur. Supercœlesti mente transcendit cœlum. Nec vtitur tantum elementis homo, sed ornat, quod nullum facit brutorum. Quàm mirabilis per omnem orbem terræ cultura? Quàm stupenda ædificiorum structura & vrbium? Irrigatio aquarum quam artificiosa? Vicem gerit Dei, qui omnia elementa habitat, colitque omnia, & terræ præsens, non abest ab æthere. Atqui non modo elementis, verum etiam elementorum animalibus vtitur omnibus, terrenis, aquatilibus, volatilibus, ad escam, commoditatem, & voluptatem. Supernis cœlestibusque ad doctrinam, magicæque miracula. Nec vtitur brutis solum, sed & imperat. Fieri quidem potest, vt armis quibusdam à natura acceptis bruta nonnulla quandoque vel impetum in hominem faciant, vel hominis effugiant impetum, homo autem acceptis à seipso armis, & vitat ferarum impetus, & fugat & domat. Quis vidit vnquam homines vllos sub bestiarum imperio detineri, quemadmodum vbique videmus tam immanissimarum ferarum quàm mitium armenta per omnem vitam parere hominibus? Nō imperat bestiis homo crudeliter tantum, sed gubernat etiam illas, fouet & docet. Vniuersalis prouidentia Dei, qui est vniuersalis causa, propria est. Homo igitur qui vniuersaliter cunctis & viuentibus & non viuentibus prouidet, est quidam Deus. Deus est proculdubio animalium, qui vtitur omnibus, imperat cunctis, instruit plurima. Deum quoque esse constitit elementorum, qui habitat colitque omnia. Deum denique omnium materiarum, qui tractat omnes, vertit, & format. Qui tot tantisque in rebus corpori dominatur, & immortalis Dei gerit vicem, est proculdubio immortalis. Sed artes huiusmodi licet materiam mundi figurent, & animalibus imperent, atque ita Deum naturæ artificem imitentur, sunt tamen artibus illis inferiores, quæ regnum imitatæ diuinum, humanæ gubernationis suscipiunt curam. Singula bruta vix ad sui ipsius vel breuem natorum curam sufficiunt, homo autem vnus tanta abundat perfectione, vt sibi ipsi imperet primum, quod bestiæ nullæ faciunt, gubernet deinde familiam, administret rempub. regat Gentes, & toti imperat orbi. Et quasi qui ad regnandum sit natus, est omnino seruitutis impatiens. Adde quod boni publici gratia subit mortem, quod bruta non agunt, vtpote qui singula hæc mortalia despicit bona, communis æternique boni firmitati confisus. Cæterum ad præsentem vitam artes huiusmodi pertinere alicui forsitan videbuntur, quamuis non sit tanta cura ob vitam præsentem necessaria, sed spectet potius ad diuinitatis prouidentiam imitandam. Consideremus igitur artes illas quæ non modo corporali victui necessariæ non sunt, sed plurimùm noxiæ, quales sunt omnes sciētiæ liberales, quarum studia corpus eneruant, & vitæ impediunt commoda. Subtilis computatio numerorum, figurarum curiosa descriptio, linearum obscurissimi motus, superstitiosa musicæ consonantia, astrorum obseruatio diuturna, naturalium inquisitio causarum, diuturnorum inuestigatio, Oratorum facundia, Poëtarumque furores. In iis omnibus animus hominis corporis despicit ministerium, vtpote qui quandoque possit, & iam nunc incipiat sine corporis auxilio viuere. Vnum illud est in primis animaduertendum, quòd artificis solertis opus artificiosè constructum, non potest quilibet, qua ratione quove modo sit constructum discernere, sed solum qui eodem pollet artis ingenio. Nemo enim discerneret qua via Archimedes sphæras constituit æneas, eisque motus motibus cœlestibus similes tradidit, nisi simili esset ingenio præditus. Et qui propter ingenij similitudinem discernit, is certe posset easdem constituere, postquam agnouit, modo non deesset materia. Cum igitur homo cœlorum ordinem vnde moueantur, quò progrediantur, & quibus mensuris, quidve pariant, viderit, quis neget eum esse ingenio (vt ita loquar) penè eodem quo & author ille cœlorum? ac posse quodammodo cœlos facere, si instrumenta nactus fuerit, materiamque cœlestem? postquam facit eos nunc, licet ex alia materia, tamen persimiles ordine.

Quatuor hominis dotes in artibus.

IN humanis artibus quatuor animi nostri emicant dotes excellentissimæ, facilitas ad percipiendum velocissima, memoria amplissima ac penitus indelebilis, saga-

cissima prædictio futurorum, verborum vsus innumerabilium. Quam diuinum putas in Homero viguisse acumen, qui & cæcus & inops tot & tanta percepit, tam egregiè cecinit, vt cunctas in eum humanas, tum diuinas artes Plato asserat concurrisse. Quam diuinum in Didymo Alexandrino, quem scribit Hieronymus à pueritia excæcatum, postea tamen dialecticen, physicen, theologiam præ cæteris ebibisse, & quod mirum est, geometram euasisse mirabilem, & geometricas figuras describere solitum & docere, egregia quoque Theologiæ opera condidisse. Diuinũ certe iis lumen ea nascentibus infudit, & quærentibus reuelauit, quæ impossibile fuisset humanis studiis inuenire. Et si Plato Aristotelesque in libris ciuilium institutionum scribunt, regiones alias aliis esse exercendo ingenio aptiores, compertum tamen habemus non in oriente solum atque meridie, sed etiam in occidente septentrioneque & complurimos homines, & frequenter in qualibet arte mirifice claruisse. Si regionum seculorumque diuersitas, diuersitatem maximam necessariò efficit in corporum habitu, in ingeniis verò minimam, & hanc ipsam consilio studioque corrigimus. Quis non videat ingenium hominis natura suis locis & temporibus non esse subiectum? Sequitur indelebilis illa memoria, qua excelluerunt quamplurimi, Mithridates duarum ac viginti Gentium rex, singulis absque interprete ius dicebat. Cyrus & Lucius Scipio omnium suorum ciuium sciebant nomina. Fabius Maximus & Lucullus, omnes hominum Gentium historias memoria tenebant. Seneca inquit, se duo millia omnium recitata eodem ordine reddidisse, ducentos quoque versus à discipulis pronunciatos se ordine retrogrado recitasse. Scribit Augustinus fuisse quendam suis temporibus qui multa legerat, neque aliquid vnquam eorum quæ legerat, oblitus fuerat. Fuisse Romæ alium qui comœdiam totam, dum recitaretur, mandauit memoriæ, tot tantarumque rerum capacitas, tanta in iis quæ sunt accepta, stabilitas, angusto cerebri angulo comprehendi, & fluxa eius labilique materia seruari non potest, sed amplissimo eget stabilissimoque diuini animi receptaculo.

Est & futurorum prædictio illa, quia pollebant Chaldæi & Ægyptij mathematici. Certè illa substantia in futuro non efficit, cuius præsaga virtus ita totum futurum anticipat, sicut memor potentia totum præteritum recolit. Est autem substantia hæc æterna quæ in æternum monumentum colligit labilia temporum interualla. Postremò loquendi vsus atque scribendi homini proprius, diuinam quandam indicat nobis inesse mentem, qua careant bestiæ. Absque sermone ita nos possemus viuere, sicut & bestiæ & homines muti. Ideo ad excellentius aliquod opus est nobis sermo tributus, videlicet tanquam mentis interpres, infinitorum inuentorum præco, & nuncius infinitus. Neque somniet Epicurus, bestias sicut & nos ratione pollere, verùm deesse illis sermonis & manuum vsum, per quem intus latentem extra significent rationem; quoniam natura in rebus necessariis non deficit, superfluis non abundat. Arboribus non dedit pedes, non brachia. Terrenum enim illarum corpus solo fixum, vbique terrea alitur alimonia. Brutorum corporibus tanquam minus terrenis, non omnis terreus cibus est vbique sufficiens, ideò ad quærendum commodius alimentum pedibus sunt instructa. Phantasia illorum paucos aliquos & confusos conceptus habet, & ad vsum duntaxat corporis necessarios, qui mugitu, latratu, hinnitu, garritu, gannitu, fremitu, seu nutibus sufficienter exprimi possunt. Verùm mens hominis infinitarum distinctarumque inuentrix rerum, vsu sermonis innumerabilis suffulta est, quasi quodam digno eius interprete, manibus quoque munita tanquam aptissimis instrumentis ad inuenta mentis innumerabilia fabricanda; quæ quidem instrumenta natura eadem dedisset & bestiis, si illis inesset artifex idem interior, talibus instrumentis vsurus. Ergo tot concipit mens in seipsa intelligendo, quot Deus intelligendo facit in mundo. Totidem loquendo exprimit & in aëre. Totidem calamo scribit in chartis. Totidem fabricando in materia mundi figurat. Quapropter dementem esse illum constat, qui negauerit animam quæ in artibus & gubernationibus est æmula Dei, esse diuinam.

Quartum signum ab effectu miraculorum.

CAPVT IV.

Non solum verò in formanda & figuranda per rationem artis materia, sicut diximus, mens humana ius sibi diuinum vendicat, verùm etiam in speciebus rerum per imperium transmutandis, quod quidem opus miraculum appellatur, non quia præter naturam sit nostræ animæ, quando Dei fit instrumentũ;

sed quia cum magnum quiddam sit, & fiat rarò, parit admirationem. Hinc admiramur, quod animæ hominum Deo deditæ imperent elementis, citent ventos, nubes cogant in pluuias, nebulas pellant, humanorum corporum curent morbos, & reliqua quæ palàm facta fuisse quibusdam seculis apud varias nationes Poëtæ canunt, narrant Historici, non negant excellentissimi quique Philosophi nostri, præsertim Platonici, testantur Theologi veteres, Mercurius in primis & Orpheus, posteriores quoque Theologi verbo & opere comprobarunt. Miraberis forsitan si miraculorum rationes exquiram. Sed audi. In primo libro disputatum est, essentiam tertiam esse sub Angelo, & super totam mundi materiam, à numine formari, formare materiam, accipere quidem formas spiritales à numine, dare verò materiæ corporales. In tertio quoque libro constitit essentiam tertiam nihil esse aliud quàm rationales animas tàm nostras quàm nostris superiores. Hinc efficitur apud Platonicos sectatoresque Auicennæ, vt omnis rationalis anima per essentiam suam atque potentiam super totam sit mundi materiam, totam mouere possit atque formare, videlicet quando ad hæc Dei fit instrumentum.

Veruntamen talis est ordo rerum: Habent omnes animæ rationales (vt diximus) intellectuale caput rationale medium, infimum verò viuificum. Media hæc vis est animæ proprietas. Vis autem intellectualis est radius quidam superioris intellectus demissus in animam, & in superiorem intellectum iterum se reflectens. Vis quoque viuifica actus est animæ redundans in corpus; & inde resultans in animam, sicut lumen Solis in nube secundum proprietatem suam splendor est, vt Solem respicit radius, vt nubem implet est pallor. Intellectus intelligibile suspicit, & circa ipsum intelligibile permanet in seipso. Ratio currit, sed in seipsam. Viuifica vis infra se currit vsque ad aliud, dum implet, corpus.

Quoniam verò per hanc infimam sui partem siue vmbram, animæ longissimè à sua dignitate discedunt, corporibus propinquantes, factum est vt vires huiusmodi rectrices corporum remissa quodammodo vel intermissa amplitudine illa dominationis, quam anima super vniuersitatem corporum possidet, singulæ sunt singulis distributæ corporibus, quibus astrictæ dum sunt, propriam suorum corporum agunt curam, ac fermè negligunt aliena. Quid eas corporibus alligat? Vt Plato vult, amor, id est, vitæ exuberantis affectus ad proxima sibi viuificanda procliuior. Diuersis autem animarum rationalium speciebus proximæ sunt diuersæ corporum species. Hinc fieri vult, vt aliæ rationales animæ cum aliis corporibus conspirauerint, aliæ cum sphæris, aliæ cum syderibus, cum aliis aliæ. Denique aliæ cum corporibus hominum. Atque ex certis quibusdam seminum intimorum dispositionibus à prouidentia constitutis, aliæ humanæ animæ aliis humanis corporibus regendis magis conueniunt. Et, vt summatim dicam, cuiusque animæ rationalis vis illa viuifica, quoniam ad tertiam essentiam pertinet, æquam vim habet ad corpora quælibet, sed per amatorium quendam instinctum corporibus aliis aliæ sese mouendis accommodant; conferente ad hoc videlicet temperatione diuina, & vno quodam instinctu cessante, vis illa viuifica euadit libera, vt nouo affecta instinctu, corpus aliud quodammodo regat & moueat. Si pars hæc infima naturas omnes corporum superat; multo magis media atque summa. Suprema, id est mens, vsque adeò supereminet, vt nihil vnquam sapiat corporale, diuinorum duntaxat auida, stabilis à natura, intelligentia subita. Media, id est, ratiocinandi facultas, eminet quidem & ipsa magis quàm infima, & nunc quidem (vt diximus aliàs) ascendit in mentem, quando susceptis à mente principiis demonstrandi, vniuersales rerum naturalium rationes inquirit argumentando. Nunc autem ad viuificam declinat potentiam, quando credit phantasiæ, auscultat sensibus, blanditur & corpori. Ascendit autem in mentem supernorum capiendorum amore, descendit in potentiam infimam amore inferiorum gubernandorum. Merito cum sit vtrorumque media, diligit vtraque, & tanquam eminentior quam infima, dum infima corpus vnum regit solum, ipsa plura mouet atque gubernat. Nam dum rectrix facultas corporis tuum solum alit corpus, perque sensum & concupiscentiam seruit tui corporis alimoniæ, ratio tua & tui corporis agit curam, & aliorum, atque in externa materia fabricat artificia. Hæc quoque cum æque valeat quaslibet tractare materias, aliis tamen temporibus alias, quocunque rapit amor, tractandas aggreditur. Cessante amore per quem sculpit lapidem, statuam dimittit subito. Trahente amore ad vasa fictilia, aggreditur figulinam. Quando de tractandis cor-

poribus loquimur, mentem illam corporum penitus contemptricem parumper intermittimus, de ratione magis & rectrice potentia loquimur. Hæ vtique ambæ, licet ad quælibet mundi corpora, propter communem naturam essentiæ tertiæ parem vim habeant, in illud tamen agunt potissimum, in quod magis afficiuntur, diuina illa seminum temperatione non prohibente. Affectus animorum illarum qui supra nos sunt, stabiliores sunt nostris, atque eundem semper retexunt ordinem, consueto semper tenore progredientes, quoniam in illis tam suprema vis quàm media sursum vergit, contemplationi incumbens æternæ. Sola vis infima opera variat, sed vicissitudines agit, & illas quidem ordinatissimas, ita vt in ipsa etiam mutatione videatur esse stabilitas, dum idem obseruatur tenor, eademque similiter retexuntur. Sed vtcunque sit, formæ rerum tribus animorum illorum viribus insitæ causæ sunt formarum, quæ in mundanis corporibus exprimuntur. Atque vt ita dicam, fatales imaginationes quæ gradatim idolis animorum illorum suboriuntur, quasi prægnantium mulierum affectus vehementissimi; quicquid sibi fingunt in sphæris suis sequentibusque tanquam fœtibus exprimunt. Nostra quoque anima erga corpus hoc affecta, secundum suorum seminum ordinem, corpus hoc ex ipsa vi corporis rectrice figurat. Quid huic corpori præstat certam quatuor humorum complexionem, quid faciei colores & lineamenta, nisi anima? Anima quoque contra naturam corporis ponderosi ipsum agit sursum, & quatuor inuicem vincit contraria, neque miraculum hoc miratur quisquam. Quantum verò vis eadem per phantasiam valeat in formando vehementioribus affectibus corpore, in superioribus diximus. Siquidem pro affectuum diuersitate diuersas qualitates producit in membris. Ira, calorem, rubedinem, amarumque saporem, & alui fluxum. Timore frigus atque pallorem. Mœrore, sudoris humorem, albedinemque ceruleam. Anxietate, siccitatem atque nigredinem. Harum profecto qualitatum ipsi animi affectus authores sunt, quia sæpè ad tales aliquas qualitates mouent priori nostræ complexioni contrarias. Atque, vt Hippocrates docet & Galenus, inueteratus affectus priorem mutat corporis complexionem, & in suam trahit naturam Hoc agit phantasia. Quid autem ratio in artibus & gubernationibus operetur, aliàs declarauimus.

Proinde quid à rectrice corporis potentia in proprio corpore fiat per virtutem viuificam, & affectus illi seruientes, hic explanauimus. Fit insuper ab ea nonnihil in corporibus alienis quæ sibi propinquant, quandoque per naturalem calorem concoquit cibos, calefacitque tangentes. Anima quoque materna in corpus alienum agit, quando nutrit fœtus in aluo, quod quidem explet ex continuatis vinculis quibus fœtus materno corpori alligatur. Neque propinquum duntaxat corpus format; sed quandoque & remotum. Iacto siquidem à viro semine in matricem; & diu postea viro absente, virtus formatrix relicta in semine viget ibi, & vicem paternæ animæ gerit in semine, corpusque effingit humanum, ceu cum quis lapidem iacit procul, virtus expultrix lapidi immissa à iacente, quandiu regnat in lapidem, tam diu lapidem pellit, ea scilicet aëris plaga, & ad illud signum, quia & ad quod iactor ille direxerat. Si pars animæ regendo corpori accommodata, per viuificam vim aliquid operatur in corpus alienum atque remotum, cur non etiam per vim sensitiuam hac eminentiorem, per affectus scilicet phantasiæ? Ergo phantasia instar virtutis viuificæ format & ipsa proprium corpus, vt diximus, quoties actionibus affectibus agitatur. Format etiam fascinationibus & maleficiis alienum. Neque mirum est animam facere talia affectibus suis, si herbæ quædam faciunt aut lapides suis vaporibus; cœlestibus tamen animis aspirantibus. Neque deest animæ continuatio mediorum; per quæ in alienum corpus transigat actionem. Quippe venefici hominis phantasia infensa infantis teneriori corpusculo, febrem affectat puero. Imaginatio febris spiritus febriles vibrat, id est, cholericos, sicut imaginatio coitus seminales spiritus ad genitalia mēbra. Cholericus & febrifer spiritus ille perculsus, vapores fœtidos atque febriferos, siqui in venefici hominis corpore sunt, exsuscitat. Hi cum primum incitati sunt, vna cum spiritu proruunt illuc tanquam sagittæ, quò malefica phantasia quasi ad signum intenderat. Maximè verò ex oculis emicant senioris; perque oculos pueri transeunt tanquam ex vitreis materiis, perque materias vitreas radij, spiritusque inficiunt pueri & humores. Ad hæc autem maleficia illi sunt omnium potentissimi, quibus nascentibus Saturni malignus aspectus, semenque parentum terrestre, ac victus persimilis complexionem conflarunt fœtidis vaporibus abundantem, &

melancholicam. Præterea ſæua Martis potentia bilis igniculos ſubdit. Hi quando in ſenio ſunt, ætate terreſtri & melancholica, moroſi ſunt valde, & cuicunque contigerit, acerrimè iraſcuntur, animoque infenſiſſimo execrantur. Phantaſiam certè propter humorem terreum ſtabilius efficaciuſque ſuis votis affigunt. Hic humor accenſus & vrit vehementiſſimè, & extinguitur ſero, tanquam ignis in craſſioribus lignis & duriori materia. Vapores quoque non deſunt maligni, per quos quaſi ſagittas venenum in aduerſarium iaculentur. Miraris corpus vnius ab animo alterius inquinari? At non miraris animum lædi ab animo, dum per conſuetudinem vitia aliena combibimus. Non miraris corpus tuum à vapore alterius corporis morbo facilè infici, quod phthiſis, epidimia, lepra, pruritus, dyſenteria, pleureſis, oculorumque rubor indicant. Apud Heſperios Æthiopas fuiſſe traditur beſtias, nomine Catophlepas, quæ ſolo aſpectu homines interimerent, quod & apud Cyrenem faciunt Baſiliſci. Tanta eſt vis in vaporibus oculorum. Cur minus ſubijciatur corpus tuum alterius animo, quàm alterius corpori? Cur non magis potius, cum ſit potentior animus, neque deſint media per quæ agat? Quod facere conſueuiſſe homines quoſdam in Illyriis & Triballis legimus, qui cum eſſent irati, ſi diutius attentiuſque intuebantur hominem, perimebant, qui & geminas habebant pupillas in oculis. Idem quoque feciſſe fœminas nonnullas in Scythia.

Tanta eſt imaginationis potentia, præſertim quando affectibus animi vapores oculorum ſubſeruiunt. Auget enim vim attentio illa mirabilis phantaſiæ non minus quàm Struthij oculus defixus ad ouum. Vno ſiquidem affectu ferueſcente tepeſcit alter. Ideo in maleficæ phantaſiæ intentione remittitur pauliſper affectus animæ naturalis, per quem ſuo corpori deuincitur, vnde à ſuo corpore facta liberior, materiam nouam in quam nuper afficitur, quaſi recens aliquod ſuum corpus incipit transmutare. Si tantam habet vim malefica phantaſia, quantam putas habituram beneficam rationem? ſaltem duplo maiorem. Et quia ratio ſuperat phantaſiam, & bonitas malum, igitur ratio quando ad beneficium aliquod tota animi erga Deum intentione defigitur, nonnunquam corpus illud erga quod eſt affecta, afficit beneficio tam proprium quam alienum. Hoc munere excellunt illi (vt eſt apud Platonicos) qui diuino quodam beneficio præ cæteris complexione temperata cœleſtique ſunt prædìti, necnon puris & modicis nutriti cibis, honeſtis præterea diuiniſque moribus educati. Hi medici ſæpe ſunt generis humani, & corpori cui cupiunt bona, ſi directi prorſus in Deum piis votis ardenter exoptant, illico præſtant, præſertim ſi hominis beneficium accepturi animus ſit paratus. Hinc Zoroaſter inquit:

ἐκτείνας πυρινὸν νοῦν ἔργον,
ἐπ' εὐσεβίης, ῥευστὸν καὶ σῶμα σαώσεις.

id eſt, Si mentem ardentem ad opus pietatis intenderis, labile corpus ſeruabis. Talia quædam miracula facta ab Apollonio Tyaneo Philoſopho narrat Philoſtratus. Rurſus à Pythagora, Empedocle & Philolao ſimilia quædam geſta Pythagorei multi affirmant. Scribit inſuper Iamblichus, Pythagoricos, quoties narrarentur miracula, facilè ſolitos credere illa à Deo per diuinas animas fieri. Atque in rebus huiuſmodi hæc Lini carmina ſemper habuiſſe in ore.

ἐλπεῖσθαι χρὴ παντ', ἐπεὶ οὐκ ἔστι οὐδὲν ἀέλπτον.
ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀδύνατον οὐδέν.

id eſt, Credenda ſunt omnia, nihil enim eſt incredibile. Facilia Deo omnia ſunt, nihil eſt impoſſibile. Sed redeamus ad illos iam animos, per quos Deus quaſi per inſtrumenta miracula perficit. Quid confert illis ad hanc excellentiam habitudo corporis temperata? vt ratio illorum ſit expeditior, nullo excedentium humorum turbata tumultu. Quid modicus puruſque victus? vt non ſit anima corporis ſui ſarcina prægrauata. Quid educatio illa honeſta atque pia? Vt & optet hominibus bona, & tanquam Deo quodammodo ſimilis adiuuetur à Deo, imò tanquam inſtrumentum à Deo ducatur.

Denique cum ratio ſit eminentior phantaſia, quando ipſa dedita Deo tota ad vnum hoc opus beneficij conferendi dirigatur, remittitur admodum naturalis ille prior affectus animi quo proprio corpori copulatur, & ab eo ſoluta agit in alienum. Poteſt enim facilè ad hæc tanquam inſtrumentum à Deo duci, cum natura ſit ſuper corpora omnia, quamuis affectus olim aliquis ad vnius gubernationem rapuerit, non aliter ac ſi ſapientiſſimus rex potentiſſimuſque cuius prouidentiæ & ditioni ſubſint omnes pariter ampliſſimi regni partes, reliquas negligat ad tempus, partes alicuius amœnitate pellectus, ſed amore aliquando partis illius deferueſcente, ſe ad alias conferat gubernandas. Myſteria hæc Plato noſter omnia tetigiſſe videtur,

tyrannidem quidem illam phantasiæ, & hoc rursum piæ rationis imperium in Timæo, vbi de vi animæ in corpus disseruit, in Phædro autem mirabilius quiddam innuit, cum inquit, omnem animam vniuersi corporis curam habere, atque animam nostram quando libera est, totum pererrare cœlum, mundumque vna cum cœlestibus animis gubernare, aliàs in aliis figuris circumeuntem. Quando verò sit talis, aperuit in Epinomide, vbi affirmauit necessitatem mentis atq; animæ menti coniunctæ necessitatem omnem exuberare, ac tale omne decretum esse fatale. Quinetiam in decimo de iusto, intellectualem animam appellauit necessitatem, inter cuius genua sit fusus aliquis circa quē sphæræ mundi voluantur. Quorsum hæc? Vt intelligamus fieri posse quandoque, vt hominis anima, tota rationis intentione in mentem caputque suum vertatur, sicut quandoque vertitur in phantasiam, vt diximus iam, & rationem. Quisnam animus hæc agit? Qui phantasiam iubet silere, ac etiam superni numinis desiderio flagrans, consuetis rationis naturalis discursibus nō confidit, sola viuit mente, euadit angelus, & toto capit pectore Deum. Hæc significat Zoroaster, vbi sic inquit:

ψυχὴ ἡ μερόπων, θεὸν ἄγξει πως ἐς ἑαυτὴν,
οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη θεόθεν μεμέθυσται
ἁρμονίᾳ αὐχεῖ γὰρ, ὑφ' ἧ πέλε σῶμα βρότειον.

id est, Anima hominum Deum quodammodo contrahit in seipsam, quando nihil retinens mortale, tota diuinis haustibus ebriatur. Tunc quoque exultat in corporis harmoniam. Huiusmodi animū D. Ioannis Theologia nasci iterum dicit ex Deo. Siquidem Dei summi influxus per mentes angelicas vsque ad animam hominis defluens, instigat quotidie animam corpori immersam, vt exuta carneam testam, ponat potentias operationesque animales, & pro anima fiat angelus; quemadmodum radius Solis vapores tenuat, trahitque sursum, & in igneam conuertit naturam. Qui huic inspirationi totum se committit, cessat esse anima, fitq; Deo regenerante Dei filius, angelus. Idcirco Plato Theologos appellauit Dei filios in Timæo. Si anima natura sua excedit mundi machinam, perque vires inferiores mira operatur in corporibus etiam alienis, quid illam putamus acturam, quando in caput surrexerit suum, euaseritque angelica? Quod oportet fieri posse quandoque, postquam blandimentis sensuum fit sæpe brutalis, & inspiratio Dei esse non debet vanior, quam sensuum blandimēta. Tunc igitur non vnum quendam amplius aut tenerum fascinabit, aut sanabit hominem ægrotantem; sed sphæris imperabit elementorum. Quandiu corpori huic addicta est, parui huius mundi elementa, id est, humores quatuor agitat, eisque calorem, frigus, humorem, siccitatem, colores omnes saporesque inducit, vt supra patuit tum in actu vitali, tum in affectibus phantasiæ. Ideo quando soluta ab hoc emergit in amplum, Deo iam plena animalis huius grandioris humores, id est, quatuor elementa maioris mundi mouet vt sua. Siquidem iam quasi euasit anima mundi, eius videlicet mundi partis, ergà quam afficitur maxime. Ac sicut eadem hominis anima quæ cubitale infantis corpusculum rexerat, regit bicubitum æquè & tricubitum, ac deinde quatuor cubitorum, & decem rursus, vt dicitur de gigantibus, ita si vsq; ad centum creuerit & ducentos, æquè reget. Quod enim naturæ ordine & dignitate omnem molem corporis antecedit, non minus totam ipsam molē quam molis partem implere potest, atque mouere. Si vim ac ipso Deo videlicet habet viuifica vis rationalis animæ in mundi sphæras, vim quoque habet in eas rationis ac mentis affectus. Solo igitur affectu citabit ventos Deo duce, ac cœlo nubes inducet sereno, easq; coget in pluuias. Rursus sedabit ventos, & aërem serenabit. Quod quidem posse fieri factumve fuisse, Hippocrates Cous, Theologi Mauri & Arabes confitentur, Maurorum princeps Auicebron, Arabum Auicenna. Mitto quot elementorum turbationes procellasq; tum ex dæmonum conflictationibus, tum ex casibus animarum in corpora sæpe contingere Ægyptij Platoniciq; arbitrentur, qua quidem de re Plutarchus & Porphyrius & Proculus diligentissime disputāt. Platonis certè, Platonicorumque sententia est, à cœlo ad terram vsque in sphæris omnibus alias plagas numinibus aliis ab initio distributas ita fuisse, vt quando in regione terræ certis dicata numinibus, dispositio ad ipsa numina vel per supernos influxus, vel per animorum affectiones præcipuè augetur, miracula sępe talibus numinibus congrua, vel per se, vel per animas ibidem ab eisdem numinibus occupatas efficiantur. Sed de iis aliàs, Magicam quandam in præsentia sententiam referamus. Putant Chaldæi posse insuper aliud quiddam ab anima mirabile fieri, vt scilicet radiis effusis in corpus suum, ipsum lumine circundat, & radiorum leuitate tollat in altum.

Quod in seipso fecisse patrem eorum Zoroastrem nonnulli referunt. Ego verò,

si qua huius miraculi ratio assignari potest, talem forsitan esse opinor. Prima lux in Deo est, atque ibi est talis, vt supereminеat intellectum, ideòque non potest lux intelligibilis appellari. Sed lux illa Dei cum infunditur angelo, fit euestigio lux intellectualis, atque intelligi potest. Quando infunditur animæ, fit rationalis, ac potest non intelligi solum, sed etiam cogitari. Inde migrat in animæ idolum, vbi fit sensitiua, nondum tamen corporea. Inde æthereum vehiculum idoli, vbi fit corporalis, nondum tamen manifestè insensibilis. Denique in corpus elementale, siue simplex aëreumque, siue compositum, quod est ætherei vasculum, in quo euadit manifestè visibilis. Atque ego hanc esse puto catenam illam auream quam vidit Homerus à cœlo pendentem, & in terras vsque demissam, qua apprehensa homines sese possint in cœlos attollere. Profectò tanta luce diuinitus abundant cœlestes animæ, vt ingens inde in corpus earum redundet copia luminis, quo videmus in stellis, si quando anima hominis ita figat aciem suam in Deum, diuinoque lumine impleatur, rapiaturque, vt ille tunc æquè coruscat, & in vehiculum suum radios effundit vberrimos, perque vehiculum & corpus aëreum, in corpus hoc oculis manifestum. Quod tunc plenissima illa copia radiorum effulget, rarescit, attollitur, æthereo ad hoc conferente vehiculo, corporeque aëreo, quasi stuppa eleuata per flammam. Tali quodam igneo curru Magi atque Platonici, Heliam Paulumque raptos in cœlum fuisse dicerent, ac demum post mundi iudicium corpus, quod nostri glorificatum nominant, similiter raptum iri. Ideo sic præcipit Zoroaster.

ὅτι ψυχὴ πῦρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸν
ἡγείσθω ψυχῆς βάθος ἄμβροτον, ὄμματα
δ᾽ ἄρδην
πᾶν ἐκπέτασον ἄνω
μὴ δὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον κρημνῷ καταλείψῃς.

id est. Quoniam anima per potentiam patris fit ignis splendidus, dominetur in te immortalis profunditas animæ, & oculos omnes vnà tolle in altum. Tunc neque etiam materiale ipsum corpus præcipitio derelinquens. Ignem appellat lucem ipsam qua & exuberat Deus per se, & anima per vim patris conuersa in patrem abundat. Et quia Deus est ipsa vnitas super mentem, & centrum essentiarum super essentiam, ideoque non vnitur illi per mentem propriè, sed per vnitatem animæ, quæ est mentis caput, centrumque totius animæ, idcirco dicit Zoroaster: Dicat te animæ profunditas immortalis, id est, vnitas ipsa, quam impressit quondam Deus animæ tanquam vnitatis diuinæ characterem, à qua & ad quam omnes aliæ vires animæ, quasi à centro & ad centrum omnes circuli lineæ pendent. Sequantur oculi tui omnes, id est, omnes vires animæ quæ in cognoscendo versantur. Huc tendit illud. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, &c. Vnà, id est, in vnam collectæ mentem, siue in vnitatem mentis caput. Tunc eas sequetur corpus tum cœleste, tùm terrenum. Propterea dixit corpus materiale, id est terrenum, tunc non derelinqui præcipitio, quia tunc ipsum quoque tolletur in altum, neque relinquetur in infimo loco mundi, quem locum Magi sæpe nominant præcipitium. Miraculi huius vim effectumque describit etiam Mercurius Trismegistus, vbi de regeneratione cum filio suo Tatio disputat. De hoc quidem miraculo quod in proprio corpore mens ostendit, ex Platonicorum opinione, satis sit dictum. De illis verò quæ in sphæris mundi demonstrat, tales quædam apud Platonicos mouentur quæstiones, quales dicam, & soluuntur vt dicam.

Quæstiones sex, & solutiones de miraculis.

CAPVT V.

MEns hominis quando corporeas exuit curas, cur passiones elementorum affectat? Quia publicum bonum non despicit diuinus animus summi communisque boni filius, ergo tanquam Deus aliquis ad animalium hominumque commoditatem prouidenter elementa mouebit. An potest adeò supra suum corpus attolli, vt mundi sphæras attingat? Potest vtique, si vbique est, vt quidam putant. Sed nonne etiam lumen crassa laterna inclusum paulo momento laterna reclusa emicat eminus, & remotissima quæque illuminat, neque tamen à laterna discedit, clausa iterum laterna, in angulum absque sui offensione colligitur, quod dum locum prius impleret amplissimum, absque sui dissipatione profundebatur. Mira luminis virtus. In angustissimo quiescit loco, implet amplissimum. Id quippe facit, quoniam lumen quodammodo est incorporeum. Idem facit animus, quia diuinum est lumen. Nunquid diuinus hic animus in iis conficiendis miraculis per omnes sui partes secedit à corpore?


Nihil opus est vt officium omnino dimittat contrariorum conciliandorum. Anima vtique in corpore per idolum suum quasi crinitæ comam in vapore, primùm contraria in vnum elementa conciliat, deinde si dissoluitur quicquam, instaurat nutriendo, auget etiam, regit corpus transfert, & reliqua. Videmus apertissimè opus transferendi regendique corporis remitti & intermitti quandoque. Cum anima vehementiori corripitur phantasia, officium augendi nutriendique minuitur propter intentissimam rationis indaginem. Ideo non concoquunt cibos philosophantes, & anima adulto corpore acutius speculatur quàm adolescente, minus in augendo corpora occupata, & sobrium corpus speculationem impedit minus, dum anima ad speculandum est duntaxat intenta. Quamobrem cum per mentem tanta animi contingit abstractio, vt & phantasia & ratio naturalis intermittantur, quæ solent ipsæ nutritionem regimenque membrorum debilitare, quid obstat quo minus cadat corpus, & nutriatur in corpore nihil? Restabit forsitan solum conciliationis officium, quo anima nondum sinat dissolui humores atque diffugere. Sed non fiet tunc talis conciliatio, vt fieri solet per idolum, quod omnino destituit terrenum corpus, quando anima nihil sapit terrenum. Tunc enim idolum ita relinquit terræ naturam, sicut ratio terrenorum corporum relinquit imagines. Opinor igitur viri omnino abstracti corpus eo ipso in tempore breuissimo quo est angelicus animus, per virtutem idoli antea consuetam neque moueri, neque sustineri, neque etiam contineri. Quòd si moueatur, vel sustineatur, vel contineatur, id fieri arbitror per illud animæ centrum quam paulò antè vnitatem vocauimus animæ à Deo tributam, per quam Deo omnium centro & puræ vnitati concilietur, per quam non modo elementa corporis huius, sed etiam mundi conciliet, per quam solam posse Deum attingi sic aperuit Zoroaster.

ἔςι δέ τι νοητὸν, ὃ χρή σε νοεῖν νόȣ ἄνθει.

id est, Est intelligibile aliquid, quod intelligere te oportet mentis flore. Florem mentis appellat Zoroaster ipsum animæ centrum, quod Plato nominat mentis caput. Sententiam hanc nostram illud Pauli diuini Theologi confirmare videtur, quod inquit, animum Deo raptum nec esse euidenter in corpore, nec extra corpus, videlicet quia non insit corpori per idolum, sed adsit per centrum.

Quandiu mirabilia hæc animus operatur? Quandiu ita manet abstractus? Manet verò parumper, naturali quodam potentiæ inferioris affectu ad curam corporis retrahente, sicut & paulisper manere in aëre lapis dicitur sursum iactus, inter ascensum atque descensum. Sed nunquid ordinem mundi animus confundit humanus miracula operando? Nequaquam. Nam vt Platonicè loquar, in vniuersali rerum lege & perpetua quadam serie causarum ad idem conferentium sunt huiusmodi præscripta miracula. Ad hoc ipsum conducit prouidentia mentium sub Deo vsque ad mentem nostram continuè conspirantium. Ad idem diuinum fatum animalium idolorum à prima anima ad nostræ animæ idolum confluentium. Ad idem diuina quædam naturarum omnium dispositio à primæ naturæ affectione concurrentium vsque ad naturæ nostræ complexionem. Idem sæpe nobis cœlestia signa prænuntiant, per quæ quasi per oculos nutusque numinum cogitationes significantur. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Non igitur quando animus ille angelicus optat mirabile aliquod opus conficere, puta citare ventos, statim superiores causæ huic fauent voto, & noua cupiunt, quoniam noua animus affectauit, sed contrà quoniam cœlestes id ipsum decreuerunt, iste cupit. Quonam pacto? Futurorum ventorum stat in supernis numinibus præuidentia. Dispositio huiusmodi (vt aliàs diximus) per tres illas series statim ad animas nostras vsque decurrit, præcipuè per prouidentiam in mentem, quodammodo etiam per fatum in idolum, per naturam quoque in corporis nostri complexionem. Sed perturbati hominum animi hos impulsus non capiunt, pacatus autem animus vndique supernos capit impulsus, vnde latenter incipit cogitare eadem quæ cogitant superi, eademque velle ac nolle, cum naturali, id est, diuino & intimo inclinetur instinctu. Huic cogitationes omnes affectusque succedunt ad votum, & quicquid à superis postulat, accipit. Nempe quæ illi iam daturi fuerant, postulat, & quia daturi erant, ad postulandum prouocauerunt, sicut mater quæ pomum manu præfert oculis filij, vt hinc inuitatus filius petat pomum. Filius videt, petit, accipit: accipit, inquam, non solum quia petit, sed petit etiam, quia sit accepturus. Neque vult dare mater postquam filius velit accipere, sed econuerso. Nos

quidem plurimùm non naturalibus diuinisve incedimus desideriis, sed illis quæ accendit quotidie casus. Provt enim alia atque alia sensibus nostris occurrunt, aliter aliterve afficimur. Atque ita rebus contingentibus occupati, raro vt cupimus, assequimur, quia raro & fortè quadam cum supernorum voluntate concurrimus. Angelicus autem animus & consentit cum illis, quia tranquillus viuit, & imperat mundo, quia sua sponte ab hoc corpusculo quod est mundi particula, soluitur, in sui naturam regressus amplissimam. Talem verò formæ animum præuidit Deus, talem, inquam, non superno auxilio tantum, sed etiam propria voluntate, quæ quidem tunc præcipuè agit libere, quando dimissis actionibus, in seipsam, originemque suam contemplandam amandamque se flectit. Talem quoque elegit Deus ad mirabilia perpetranda. Cuius orationes etiam circa publicas mundi mutationes non esse vanas, Auicenna in Metaphysicis, & Proculus Iamblichusque disputant in Timæo. Probant enim vota viri sanctissimi, præsertim si cum illo populi quoque vota concurrant, animos mirabiliter ita coniungere Deo, vt vna quodammodo Dei animique operatio fiat, sed Dei quidem velut artificis, animi autem tanquam instrumenti diuini. De illis verò miraculis quæ Deus per se absque instrumento facit, quæ longè maiora sunt, in præsentia non tractamus. Miracula huiusmodi nunquid naturalia sunt animo? Sunt naturalia quodammodo, vt opinantur Platonici, atque iterum non naturalia. Naturalia quidem quantum recurrit in mentem, fitque summi Dei pedissequus atque instrumentum. Non naturalia, quâtum vnius tantum seruit corporis vsui, cuius amore captus ad tempus, neque virtutis suæ explicat amplitudinem, neque diuinæ fit particeps. Qui quoties & explicat, & fit particeps, ostendit se nullo ictu corporum dissolutum iri, quandoquidem quodammodo præstat omnibus, & torquet omnia pro arbitrio. Singula verò quæ de miraculis ex Platonicorum mente disseruimus, ita à nobis affirmata sint, vt à Christianis Theologis approbantur.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER XIV. (∴)

Quòd anima nitatur Deus fieri, ostendimus signis duodecim secundum duodecim Dei dotes.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



IN principio disputationis duo iecimus fundamenta signorum ad immortalitatem animæ pertinentium. In vno tractatur quantum anima corporibus dominatur, quod per quatuor signa transegimus. In altero agitur, quod anima Deus fieri nititur. De quo per duodecim signa tractabimus secundum duodecim Dei dotes. In quo apparebit mira animi magnitudo, cui non satis fuerit æmulari Deum iis miris quos diximus modis, nisi etiam fiat Deus. Hinc ita exclamauit Zoroaster:

ὦ τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα.

id est, O homo naturæ audentissimæ artificium. Constat apud omnes Theologos, Deum esse primum ipsum verum ac bonum. Esse authorem vniuersorum. Super omnia. In omnibus. Semper. Prouidere cunctis. Iuste administrare. Fortiter, dum administrat, in habitu suo perseuerare. Temperatè suauiterque tractare. Opulentissime viuere, atq; iucundissime. Seipsum adeò beatum intueri, mirari, & colere.

Has duodecim Dei dotes, omnis apud omnes Gentes tribuit Theologia. Quicquid vbique homines agunt, ad harum possessionem referunt, neque aliud quicquam expetunt & conantur, quàm dotes huiusmodi sibi plenissimè comparare. Plenissimus harum possessor solus est Deus. Totus igitur animæ nostræ conatus est, vt Deus efficiatur. Conatus talis naturalis est hominibus non minus quàm conatus auibus ad volandum. Inest enim hominibus omnibus semper vbique, ideo non contingentem alicuius hominis qualitatem, sed naturam ipsam sequitur speciei. Naturalis autem motus ad finem aliquem directus, non aliam ob causam ad hunc finem potius quàm ad alium determinatur, nisi propter quandam naturæ suæ affectionem, per quam cum tali fine congruit potius quàm cum tali, & propter congruitatem amat, ac propter eandem assequi potest quod amat, quemadmodum aër qui leuitate cum ignis concauo congruit, per eandem annititur mouetur que ad illud. Per eandem rursus attingere potest ipsum, & in eo, postquam attigerit conquiescere. Potest igitur quandoque nixus humanus in Deum intentus expleri. Nam quis hunc inseruit animis nostris, nisi idem ipse Deus, quem petimus? Qui cum solus sit author specierum, proprium speciebus inserit appetitum. A primo namque rerum principio, tanquam à primo bono appetibilique, omnis naturalis ducitur appetitus. Idem primus est motor. Idem & finis est vltimus. Siquidem ad agentium ordinem ordo sequitur & in finibus, quia sicut supremum agens sequentia mouet agentia, ita ad finem supremi agentis referri oportet fines agentium reliquorum. Quicquid enim agit primum ipsum agens, propter finem suum agit. Ducit autem agitque primum omnes omnium causarum sequentium actiones, mouendo ad suam actionem omnes, ideoque ad suos fines. Vnde sequitur agentium omnium inferiorum fines ab ipso primo ad finem proprium ordinari.

Primum agens Deus est. Diuinæ voluntatis finis est sua bonitas. Quapropter sequentia omnia in Deum tanquam finem necessariò ordinantur, præsertim quia nihil tendit in aliquid tanquam finem, nisi quatenus ipsum est bonum. Quo fit vt bonum sit finis, qua ratione bonum. Quod ergo summum est bonum, est maximè omnium finis. Adde quòd primum bonum est causa omnibus vt sint bona, ergo est causa vt appetantur. Si autem ipsum est propter quod omnia sunt appetenda, sequitur vt ipsum sit & maximè omnium & ab omnibus appetendum. Est igitur finis omnium, eo tamen pacto, vt mentium finis sit secundum formam, reliquorum verò secundum vmbram. Ergo & hominum secundum formam finis existit, quando nihil aliud satis ipsis facit. Ita igitur homines Dei formam appetunt, vt à Deo tributus sit huiusmodi appetitus. Neque minus à Deo accenditur appetitus quo Deum desideramus, quam à re quauis obiecta sensibus appetitio corporalis alliciatur. Imò & tanto magis, quanto bonum summum potentius ad trahendum est quam minima bona. Profectò quemadmodum in libro de Amore disserui, ipsius summi boni splendor fulget in singulis, & vbi fulget accommodatius, ibi præcipuè allicit intuentem, concitat considerantem, rapit & occupat propinquantem, cogitque eum venerari splendorem huiusmodi præ cæteris tanquam numen, nihilque aliud anniti quam vt deposita priore natura, ipse splendor efficiatur. Quod hinc patet, quoniam aspectu tactuve amati hominis non est contentus, & clamat sæpe: Homo hic nescio quid habet quod me vrit, atque ego quid cupiam, non intelligo. Vbi constat animum diuino vti fulgore, qui in formoso homine micat quasi speculo, atque ab eo clam raptum quasi hamo trahi sursum vt Deus euadat. Esset autem Deus (vt ita loquar) tyrannus iniquus, si ea nobis mandaret aggredienda, quæ nunquam possemus implere. Mandat autem vt se quæramus, dum suis igniculis desiderium in se inflammat humanum. Esset quoque sagittarius imperitus, ac nimiũ temerarius, si desideria nostra velut sagittas ad se ceu signũ dirigeret, neq; addidisset spiculis pennulas, quibus quandoq; signũ attingerent. Esset denique infortunatus, si conatus suis quo nos ad se rapit, nunquã finẽ suũ consequeretur. Quam ob rem potest animus noster aliquando fieri Deus, postquã ad id naturaliter contendit solicitante Deo. Non fit autem Deus, nisi quod Dei induitur formam, sicut neque fit ignis quicquam, nisi

formam ignis accipiat. Ergo sicut materia aëris quæ prius erat sub aëris humiditate atque calore, per ignis vim humorem exuit, seruat calorem, & accepta siccitate forma ignis induitur, sic animi humani essentia, quæ nunc mentem habet, viresque inferiores, Deo expoliante inferiores quodam modo exuit vires, ac mente, imò verò capite mentis vnitate seruata, substantiam diuinam induitur, quasi recentem formam, per quam penè fit Deus, per quam omnes deinde operationes agit vt Deus aliquis potius, quam vt anima. Hoc impleri posse quandoq; necessarium est, ne frustra ab humana specie quærente, imò ne temerè à Deo trahente tentetur. Anima tenebroso huius corporis habitaculo circumsepta, vires omnes inferiores aut nunquam aut vix & momento remittit. Quocirca mirabile opus illud in hoc corpore non impletur, & vix vnquam gustatur ab vno. Naturalia verò desideria & in multis oportet expleri, & non per momentaneam qualitatem, sed per habitum stabilem qualem appetunt. Quod si mens quanto altius ad contemplanda spiritalia eleuatur, tanto longius discedit à corporalibus, supremus autem terminus, quem attingere potest intelligentia, est ipsa Dei substantia, sequitur vt tunc demum mens diuinam subire substantiam valeat, quando fuerit à mortalibus sensibus penitus aliena. Igitur anima ab huius corporis vinclis exempta puraque decedens, certa quadam ratione fit Deus. Deus autem ac Dei æternitas, idem. Igitur ratione simili fit æternitas, multoque magis fit æterna. Quem quidem statum Ioannes Theologus appellat Deo similem fieri. Paulus autem, in Dei imaginem transformari.

Quintum immortalitatis signum ab eo quod anima petit primũ verum, & primũ bonũ.

CAPVT II.

ITa demum ratio superior nos de immortalitate certiores efficiet, si duodecim illas Dei dotes sigillatim percurrentes ostenderimus, animam in his quærendis naturaliter Deo se quodammodo æquare conari.

Animus itaque noster communem veritatis bonitatisque concipit rationem, per quam commune verum quærit, & commune appetit bonum. In communi veritate omnia vera, in communi bono bona omnia continentur. Hinc fit vt cuncta vera naturaliter quærat, cuncta naturaliter appetat bona. Quod ex eo patet, quod cognita vna quadam alicuius rei veritate, non quiescimus, sed aliam inquirimus, rursusque aliam, quamdiu putamus veritatem aliquam superesse noscendam. Idem in bonis comparãdis inspicitur. Omne autem verum, & omne bonum, Deus ipse est, qui primum verum est, primumque bonum. Ergo Deum ipsum appetimus. Sed quid in eo potissimum affectamus? Illi similes fieri. Omnia enim pro capacitate naturæ in ipsum tendunt tanquam finem, & ipsi suo modo cupiunt similia fieri, corpora vita carentia, secundum esse tantum, viuentia secundum vitam, sensitiua, secundum sensum, secundum intellectum rationalia. Non possumus autem Deo per intellectum similes effici, nisi Deum intelligendo, quippe cum quibuslibet aliis rebus intellectus tunc fiat similis, quando eas intelligendo se in earum imagines transfigurat. Finis ergo noster est, per intellectum Deum videre, per voluntatem viso Deo frui, quia summum bonum nostrum est, summæ potentiæ nostræ obiectum summum, siue actus perfectissimus circa ipsum. Summæ autem potentię nostræ sunt mens, mentisque caput, atque voluntas. Summũ harum obiectum est commune verum, bonumque commune & integrum, id est autem Deus. Neque obiiciat nobis Arabum aliquis sufficere nobis angelo aliquo frui. Naturale quippe desiderium nobis inest ad causam semper cuiusque effectus inueniendam, neque cessat inquisitio quousque ad causam primam perueniatur. Quoniam igitur cuiusque effectus cogniti, optamus causam videre, intellectusque noster esse ipsum vniuersale cognoscit, efficitur vt naturaliter affectemus esse ipsius causam noscere, quæ quidem ipse est Deus, neque dicimur finem vltimum assecuti, nisi quiescat totum desiderium naturale. Quare in sola Dei siue cognitione siue possessione vltimus finis consistit humanus, quæ naturalem sola terminat appetitum. Quod liquidò hinc apparet, quia proprij finis adeptio delectat quemque summopere. Animus autem rei nullius possessione tàm vehementer, tàm purè, tam firmiter gaudet, quantum vel exigua qualibet speculationis diuinæ gustatione, pro qua, siquando verè persentiatur, & possessio omnis & mundus totus & vita contemnitur. Quisquis enim piè nonnunquam cum Deo viuit, is clamat se tunc solum in vita & à malis vixisse semotum, & boni

aliquid gustauisse, quasi duntaxat in suum se portum receperit. Huc tendit illud Platonis in libro de scientia: Mala omnino deuitari non possunt. Necesse est enim semper aliquid bono contrarium esse. Apud superos autem mala esse impossibile est, sed circa mortalem naturam locumque inferiorem necessariò reuoluuntur, quamobrem hinc illud quamprimum est fugiendum. Fugere verò hinc illuc, nihil est aliud quam Deo, quatenus fieri potest, se similem reddere. Similem verò faciunt iustitia & sanctitas cum prudentia. Hæc ille. Merito ita præcipit. Vbi enim bonorum omnium viget bonum, ibi solum inuenitur omnium Medicina malorum. Neque credendum est Panætio dicenti, optare quidem nos diuina, sed nunquam ad summum consecuturos, quia plena diuinorum possessio & vita quieta non ad animos hominum pertineat, sed ad Angelos. Natura ipsa rerum contrà nos nocet. Nempè elementa quæ naturali cupiditate sua petunt loca, tanto feruntur rapacius, quanto magis locis suis finibusque propinquant. Ideo Aristoteles in libro de cœlo ostendit motum naturalem rectum non posse ad infinitum vagari, alioquin in suo progressu non esset modo tardior, modo verò velocior. Quapropter quod tale est, vt vehementius postea quàm prius tendat in aliquid, non oberrat in infinitum, sed ad certum aliquid sese confert. Hoc autem in ipso sciendi desiderio experimur. Quo enim quis magis intelligit, eo ardentius flagrat ad reliquum. Igitur naturale desiderium cognoscendi, ad finem aliquem determinatum dirigitur. Quis hic finis?

Causa causarum omnium, quæ comperta naturalem omnem inquisitionem terminat causarum. Dedit natura corporibus crassis appetitionem inclinationemque qua loca cuperent inferiora, adhibuit illis præterea grauitatem, frigusque, quasi medium per quod ad locum optatum descenderent. Dedit subtilioribus appetitum altioris loci, adiunxit & leuitatem, caliditatemque, perque media optatum finem consequerentur. Dedit brutis cibi & coitus appetitum, addidit membra ad esum & coitum præparata. Dedit naturæ dux animo vniuersalis & totius veri boniqque votum, quod quidem eo naturalius est quàm cibi & coitus appetitus, quo illud est magis continuum. Comedere quidem raro corpus exigit, rarius verò coire. Verum autem bonumque singulis optamus momentis. Semper enim nouarum rerum imaginationumque & rationum cupidi sumus. Semper oculos patefacimus ad quælibet occurrentia, & longissimo amplissimoque prospectu nimium delectamur, imò solo contenti sumus immenso. Semper attigimus aures ad quælibet audienda, quod infantes faciunt & adulti, gnari pariter & ignari, atque omnes in arte qualibet artifices, duce natura. Adde quòd domari potest coitus libido, edendi voracitas minui, veri autem bonique cupiditas minimè, imò verò decrescunt illa ætate, hæc augetur. Adde insuper, quòd illa corporalia propter aliud appetuntur, hæc autem gratia sui.

Quanto igitur naturalior est veri boniique quàm cibi coitusque cupiditas, tanto magis à naturæ duce prouisum est vt finem suum prorsus adipiscatur. Imò verò ob eam maximè causam naturalior est, quia ad finem acquirendum paratior. Profecto si speciei cuiusque proprietas necessaria est, prudenterque ab authore disposita, sequitur vt rationalis speciei conatus qui ad totius boni possessionem dirigitur, quasi finem, assequi valeat quod contendit. Nempè si impossibilis sit finis vltimi consecutio, vniuersa tum species tum actio speciei contingens est, fortuita, & inanis. Quiescit quandoque oculus speciei gratiosæ conspectu, quiescit auris melodia, & quisque sensus quandoque suis satiatur & impletur obiectis. Tanta felicitate sensus natura donauit. Ratio verò istorum regina, quæ licet Angelis inferior sit, brutis tamen est superior, tam infelix erit, tam ab artifice naturæ neglecta, vt oberret semper, quiescat nunquam. Certè in hac vita nunquam. Neque audiendus hic est Arabum aliquis, fingens intellectum humanum, quod hac in vita nequit in singulis, saltem in cunctis hominibus assequi.

Primò quidem non est intellectus vnus in omnibus inter se penitus repugnantibus (quod alias ostendemus) deinde neque in cunctis quidem simul hominibus vnquam animus habitum exoptatum consequitur. Ac dum in singulis hominibus ad diuina cæcus est, ad eadem fermè similiter in cunctis est cæcus. Denique non licet fingere nos ipsas diuinarum formarum substantias ex substantiis naturalibus ad votum comprehendere posse. Hæ namque substantiæ ad materiam declinant, illæ verò nequaquam. Intellectus autem humanus quatenus hoc habitat corpus, eatenus cognoscendo quodammodo ad corporalia vergit. Præterea naturales effectus, diuinarum causarum vires substantiasque

æquare & demonstrare non possunt. Adde, quòd diuinæ formæ à naturalibus multo magis distant, quàm à naturalibus naturales. Ergo si per voces non cognoscuntur colores, quod apparet in cæcis, multo minus per naturalia vnquam diuina comprehenduntur, vt Plato ad Dionysium scribit Syracusanum. Mitto quòd substantia virtusque diuina tanquam infinita non potest à nobis prius ad votum percipi, quàm per ipsam met absolutè formemur. Quòd quidem in anima huic coniuncta corpori sic affecto perfici nequit. Verùm vt ad propositam huius argumentationem regrediamur, rationis capacitas appetitioque, non quædam vera, aut bona quædam, sed omnia integraque requirit. Quæ hic ideo nunquam assequi videtur, vt Plato inquit in Epinomide, quia semper est ambiguus intellectus, semper voluntas est anxia.

Hæc igitur animus exutus corpore consequetur. Si bonum vniuersum adipiscetur, immortalitate nullo modo carebit; quæ tantum bonum est, quantum mors est malum, quæ cunctis priuat bonis. At mens quę vera videbit omnia, nullis gaudebit bonis si se suspicabatur morituram. Vt ergo secura sit finis adeptio & tranquilla, necesse est mentem de æterna finis possessione certam esse. Quòd quidem ita confirmat Aurelius Augustinus in libro de Trinitate tertiodecimo. Omnes beati esse volunt, atque ideo nolunt perire & consumi, quod beati sunt. Nec nisi viuentes beati esse possunt. Nolunt igitur perire quòd viuunt. Immortales itaque esse volunt, quicunque verè beati vel sunt, vel esse cupiunt. Non autem viuit beatè, cui non adest quod vult. Nullo modo igitur esse poterit vita verè beata, nisi fuerit sempiterna. Hæc ille. Sed ne Panætiani diffidant vlterius vitam verè beatam homini conuenire, ita concludemus. Cum naturæ intellectualis proprium sit, cognitione gustare omne bonum, certè eiusdem proprium est, affectu etiam vesci omni bono, id est, integro. Beatitudo igitur naturæ intellectualis est propria. Qualem verò quisque intellectum habet, talem potest beatitudinem consequi. Si verum formalemque intellectum, veram quoque formalemque felicitatem. Sin vmbratilem intellectum, vmbratilem quoque felicitatem. Hominis anima licet imago quædam sit intellectus diuinioris, veram tamen in se mentis formam habet, quod tribus probatur signis.

Primum est, quòd multa vera secundum veram eorum rationem intelligit. Secundum, quòd veram veritatis ipsius intelligit rationem. Tertium, quòd si anima nostra solam intellectus vmbram haberet, non intelligeret, definiretve vnquam formam & substantiam intellectus, sed accidentia tantum confusè prospiceret. Quoniam igitur anima vim intelligendi possidet non vmbratilem tantùm, sicut bestiæ quædam sagaciores, sed verè etiam expressam atq; formalem, idcirco potest quandoque vitam consequi verè beatam. Neque mirum alicui videri debet, me intellectum alium vmbratilem, alium formalem ponere. Siquidem Platonici, vt Proculus disputat, omnia rerum genera ita distinguunt, atque in primis vnitatem & mentem, animam & naturam. Sed missa hæc in præsentia faciamus, videamusque qua ratione Origenes in libris de Principiis superiora confirmat. Cùm consideraret Origenes Deum rerum artificem in singulis non necessitati solùm, vtilitati tum propriæ, tum communi consulere, sed etiam (neque id quidem minus) pulchritudini rerum, admirationique spectantium vbique studere conclusit.

Quemadmodum humanus artifex artificia construit quàm pulcherrima, vt intuentes alliciantur ad ingenium quo ille construxit, considerandum atque admirãdum, ita Deum artificiosissimum mundi opificium construxisse. Vnde effici vult, vt rationum quibus omnia constant, inquisitio, ab ipsamet ratione Dei artificis omnium mentibus sit inserta, & inde quotidie moueatur, ita vt minus eas nostra mens desideret per naturam, quàm oculus colores, & gustus escas. Addit ea nos conditione à Deo eiusmodi desiderium accepisse, qua aliquando posset expleri, ne frustra à Deo sit insitum. Præterea quisquis amori huic studio voluntatis indulserit, etiam si parum veritatis consequatur in vita, tamen ex hoc affectu præparari ad veritatis plenitudinem in futuro comprehendendam. Et quoniam præparatio talis fit per Deum, per Deum fore quandoque formationem. Siquidem agentes causæ non ob aliam rationem disponunt materiam, nisi vt eam forment quandoque dispositam. Hanc Origenis sententiam ita breuiter confirmamus. Quòd videlicet quatenus consideramus quales effectu vniuersi formæ sint, atque vtrum prosint nobis aut obsint, eatenus à natura creata duci videmur, & vitæ corporis obsequi, ac velle formas externas in formam nostram, prout vsus postulat, transformare.

At, quando perscrutamur quibus rationibus singula ita creata ordinataque sint, quod sanè inquirimus naturaliter, tunc ab ipsa rerum artifice ratione ad ipsammet allicimur, vitæque studemus æternæ, & in formam artificis omniformem, animum reformare conamur. Hinc Paulus Apostolus inquit, interiorem hominem quotidie renouari, inuisibilia nobis æternaque contemplantibus. Item: Nos autem, inquit, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Sextum signum, quia anima conatur omnia fieri.

CAPVT III.

OStensum est animum nostrum in omnibus suis actibus primam illam Dei dotem pro viribus comparare, id est, totius veri totiusque boni possessionem. Secundam verò illam quærit ne? An conatur omnia fieri, sicut Deus est omnia? Conatur mirum in modum. Vitam siquidem agit Plantæ, quatenus saginando indulget corpori. Vitam bruti, quatenus sensibus adulatur. Vitam hominis, prout de humanis negotiis ratione consultat. Vitam heroum, quantum naturalia inuestigat. Vitam dæmonum, prout Mathematica speculatur. Vitam Angelorum, prout diuina inquirit mysteria. Vitam Dei, quantum Dei gratia omnia operatur. Omnis hominis anima hæc in se cuncta quodammodo experitur, licet aliter aliæ. Atque ita genus humanum contendit omnia fieri, cum omnium agat vitas. Quod admiratus Mercurius Trismegistus inquit: Magnum miraculum esse hominem, animal venerandum & adorandum, qui genus dæmonum nouerit, quasi natura cognatum, quiue in Deum transeat, quasi ipse sit Deus.

Præterea quæcunque sunt, quantum sunt, sunt vera. Quantum verò vim aliquam ordinemque & vsum sortita sunt, sunt & bona. Animum suprà monstrauimus omnia vera & bona omnia quærere. Res igitur omnes quærit. Quid autem quærit aliud, nisi vt per intellectum sciat omnes, per voluntatem omnibus perfruatur? Vtroque autem modo fieri cuncta conatur. Sicut sensus, puta visus, colores non cernit, nisi colorum induat formas, fiatque vnum ex videndi potentia & formæ visibilis actu, ceu ex aëre lumineque fit vnum. Itaque intellectus res ipsas cognoscit, nisi vestiatur formis rerum cognoscendarum, fiatque ex intelligendi potentia & formæ intelligibilis actu vnum, quorum vnionem vna actio comitatur. Vna enim intelligendi operatio est vtriusque. Quis item neget ex materia corporali & forma illi tributa rem vnam fieri, cùm ex illo composito vnus proueniat actus, vnusq; motus? Multo autem magis (vt placet Platonicis & Auerrô) vnum quiddam fieri oportet ex potentia, formaque rei intelligendæ, tum quia sæpè stabilior ex iis prouenit compositio (sæpè enim diutius manent vna quam materia corporalis, eiusque forma) tum etiam quia intellectus ipse forma quædam est, forma, inquam, inhians materiæ instar ad formam vlteriorem. Ideo magis conuenit cum forma suscipienda quàm conueniat cum forma propria materia corporalis. Omnes enim formæ in mundi materias à superna mente descendunt, quocirca cum mente nostra multo magis conueniunt, quàm cum materia. Denique mens, quanto est præstantior quàm materia, tanto efficacius formam quam exoptat sibi adsciscit & vnit. Neque credendum est animum sibi minus vnire quæ capit, quàm corpus. Corpus enim cibos vel diuersissimos in suam vertit substantiam, anima cōcoquente. Ita & animus quæ accipit, imò concipit, in se vertit, & multo magis. Siquidem dimensiones corporum mutuam in corporibus impediunt vnionem, spiritalia verò sunt vnioni admodum aptiora. Itaque rationes rerum intellectarum magis in substantiam transeunt intellectus, vt vult Plotinus, quàm in substantiam corporis alimenta. Per hæc patet, ex mente nostra & forma rei intelligendæ vnum aliquid fieri. Quod autem ita subit alicuius formam, vt ex ea seipso reddat vnum, illud ipsum fermè euadit, cuius subiuit formam. Quis nesciat materiam aëris quando ignis formam suscipit, effici ignem, aut igneam? Ideo intellectus penè res illa fit, quam intelligit. Fit, inquam, actu res illa. Nam & potentia, & quodammodo habitu res eadē erat, etiam priusquam intelligeret, vt Plotinus existimat. Tunc sanè intellectus intelligit circulum quando ipse actu quasi fit ratio circuli. Imò hoc ipsum actu fieri, ipsum intelligere est. Erat autem intellectus eadem ipsa circuli ratio etiam prius, tum secundum potentiam, quo ad substantialem pertinet circuli ipsius ideam, tum secundum habitum, quo ad ideæ formulam nobis familiarem. Veritas autem singularum rerum in ipsa firma illarum ratione consistit. Atque ita mens res quælibet vera fit, quando res

ipsas intelligit, se in earum rationes perpetuas cõuertendo. Sed de hoc aliàs. Sufficit autem nobis in præsentia, quòd cum intellectus quærat res omnes intelligere, & intelligendo formis earum penitus vestiatur, consequens est, vt quærat res omnes effici, vnde nititur Deus fieri, in quo sunt omnia, dum nititur omnia fieri. De intellectu satis. Cupit idem & nostra voluntas, quia semper affectat bonis omnibus perfrui. Fruendo autem rebus, seipsam rebus quibus fruitur vnit. Sed interest inter intellectum & volũtatem. Vtraq; enim fiunt quidem omnia, intellectus omnia vera, voluntas omnia bona, sed intellectus res in seipsum transferendo illis vnitur, voluntas contra in res transferendo seipsam. Quonam pacto? Sanè noster intellectus modo suo potius res intelligit, quàm pro natura rerum. Formas vtiq; corporum, quæ sunt particulares, materiæ immersæ, diuisæ, confusæ, infectæ ac mobiles, intelligit modo quodã vniuersali absoluto, simplici, distincto, puro & stabili. Deũ verò & Angelos, qui stabiles sunt & simplices, mobili vt plurimum & multiplici comprehẽdit discursione. Ita intellectus noster tã illa quæ infrà se, quàm quæ suprà existunt, modo quodam percipit suo Quam ob causam dicitur omnia in suam transferre naturam. Ex quo etiam Platonis illud confirmari videtur, quòd mens per innatas formas intelligat, postquam per naturæ suæ modũ intelligit. Voluntas autẽ primoquidem non sicut intellectus in se permanet, sed animam & corpus mouet ad operandũ, vt ad res desideratas accedant, deinde nõ eo proprio modo quo res in anima insunt affectat, sed quo potius in seipsis. Intellectui aurũ cognituro, species auri illa vniuersalis & incorporea sufficit, voluntati verò non sufficit. Nã quantum ad humanã vitam spectat, aurũ vult particulare istud & corporale, quale est in seipso. Concludamus, animã nostram per intellectum & voluntatẽ, tanquam geminas illas Platonicas alas idcirco volare ad Deum, quoniã per eas volat ad omnia. Per primam omnia sibi applicat, per secundam se applicat omnibus. Itaq; anima cupit, conatur, incipit Deus fieri, proficitq; quotidie Motus autẽ omnis qui ad terminũ aliquem directus, incipit quidẽ primo, pergit deinde, intenditur paulatim & proficit, profecto quandoq; perficitur. Eadẽ namq; facultate intenditur, qua cœpit. Eadẽ postea proficit, qua & intendebatur. Eadem tandem perficitur, qua proficit. Quamobrem animus noster quandoque fieri poterit quodammodo omnia, ac Deus quidam euadere.

Septimum signum & octauum, quoniam animus conatur facere omnia, atque item omnia superare.

CAPVT IIII.

SEquuntur aliæ Dei dotes, tertia, quòd author vniuersorum est: quarta, quòd super omnia. Has quoque animus noster aucupatur. Diximus aliàs, quemadmodum per varias artes omnia Dei opera æmulantur, atque ita instar Dei efficit omnia. Diximus etiam hominem semper contendere, vt sibiipsi & cæteris cunctis, tum hominibus, tum bestiis dominetur. Esse seruitutis omnis impatientem. Qui etiam si seruire cogatur, odit Dominum, vtpote qui seruiat contra naturam. Superare autem obnixè qualibet in re contendit, pudetque, vel in rebus minimis ludisque leuissimis superari tanquam id sit contra naturalem hominis dignitatem, & omnino pudoris verecundiæque affectus humano generi proprius, nescio qui angustum latere in nobis significat, quod nefas sit temerari, quodve sit veneratione dignissimum. De hoc alibi. Sed quantum pertinet ad victoriæ cupiditatem, immensam animi nostri magnificentiam ex hoc manifestè licet perspicere, quòd non satis illi futurum sit mundi huius imperium, si hoc subacto, alium resciuerit superesse mundum, quem nondum subegerit. Hinc Alexander cum audiret Anaxarchum Democritium mundos esse innumerabiles disputantem, heu me miserum, exclamauit, qui ne vno quidem adhuc potitus sum. Ita nec superiorem vult homo, neque parem, neque patitur superesse aliquid ab imperio eius exclusum. Solius Dei quod multus hic status est. Statum igitur quærit diuinum. Quod inde planè possumus coniectari, tum Philosophi tum principes diuinos sibi quæsiuerunt honores. Neque satis illis fuit quòd boni homines haberentur, nisi haberentur etiam diuini. Imò tanquam dij voluerunt coli, quod cum innumerabiles viri tentauerunt, tum inter Philosophos Empedocles præcipuè, inter principes Alexander Macedo dicitur concupisse. Denique omnes, idem affectant, & si successurum sperarent, aggrederentur, quasi iure suo vendicent sibi diuinitatem.

(.·.) (.·.) (.·.)

Nonum signum & decimum, quod homo affectat vbique esse, atque item esse semper.

CAPVT V.

DEus præterea vbique est, & semper. Cupit autem homo vbiq; esse. Quatuor enim elementis vtitur, sicut diximus. Terram metitur & cœlum, ac profundas Tartari latebras perscrutatur. Non illi cœlum videtur altissimum, vt Mercurij verbis vtar, non centrum terræ profundum. Non temporum locorumue interualla impediunt quin per omnia percurrat quæcunque sunt in quibuscunque temporibus aut locis. Nullus paries eius aut obtũdit aut retundit intuitum. Nulli fines sibi sunt satis. Vbique studet imperare, vbique laudari. Atque ita conatur esse, vt Deus, vbique. Conatur quoque esse & semper, vt Deus. Duobus autem id quærit modis. Primò quòd per omne futurum tempus in ore hominum restare contendit, doletque neque potuisse etiam in omnibus præteritis sæculis celebrari, neque posse in futuris ab omnibus tum hominum nationibus tum brutorum generibus honorari. Id omnes tam adolescentes quàm adulti, tam rudes quàm eruditi, omni ope studioque nutriuntur, & tanto affectant ardentius, quanto magis excellunt ingenio. Quod autem omnes appetunt homines, maximè verò præstantiores, hoc ab illis naturali lege tanquam bonum desideratur. Non igitur frustra quæritur, siquidem in lege naturæ non est temeritas. Temere autem quæreretur & frustra tanquam bonum, si nihil esset quærentibus profuturum. Non prodest laus quæ non sentitur. Quapropter species humana vaticinatur se in sæculis futuris sensu non carituram, cum sæpè etiam præsentem contemnat vitam vt à posteris celebretur. Posterorum quoque suorum cum in omni vita, tum in vitæ calce summam habet curam, existimans ad se futura sæcula pertinere. Hæc fieri à bestiis non videmus, quasi earum natura vaticinetur nihil in se esse quod aut veneratione sit dignum, aut sensu præditum sempiterno. Vaticinium vero naturale excellentissimorum præsertim ingeniorum, aberrare non potest, quemadmodum Plato in Epistola scribit ad Dionysium. Ex quo effici vult, vt animis hominum sensus humanarum rerum supersit, quod etiam in legibus ex ordine diuinæ prouidentiæ confirmauit.

Alter modus quo noster animus optat esse semper, imò & viuere, (siquidem animæ idem est esse quod viuere) talis apparet. Humanus animus, & is quidem omnis, vitam aliquam cogitat sempiternam, quam statim cogitatam affectat, semperque cupit esse. Omnino appetitus essendi, naturalis est, quoniam rebus statim natis inest cunctis, atque continuus. Neque consilio aduenit, quia inest e uestigio natis. Neque casu contingit, quia cunctis, & quia continuus. Profectò elementa per virtutem naturalium qualitatum resistunt rebus corruptionem tentantibus, ne esse illis auferatur.

Rursus, loca sibi conuenientia petunt auidissimè, repelluntque obstantia motui, vt esse conseruent. Hic appetitus essendi ideo dicitur naturalis, quia naturales rerum sequitur qualitates. Plantæ quoque vitalis complexionis instinctu humorem sugunt salubriorem, radices ad hunc longissimè dilatantes, quo esse conseruent. Item vmbras retractis declinant ramusculis, atque viminibus quibusdam aduncis implicant sustentacula, ne esse amittant. Quem appetitum dicimus naturalem, quia naturalem sequitur vitæ complexionem. Bruta per concupiscentiam naturalem ea adsciscunt, quæ esse conseruant, repellunt per naturalem iracundiam interimenta.

Itaque in iis similiter essendi appetitus est naturalis, quia non consilium aut casum, sed vires sequitur naturales & insitas. Quoniam verò horum naturæ vim non habent vllam per quam esse sempiternum subiecto suo propriè corporique exhibeant, ideo horum nulla semper esse in sua propriè substantia cupiunt, frustra namque contenderent, cupiunt tamen secundum naturam esse sempiternum in sua specie, ad quod sufficienter naturales eorum vires subseruiunt. Hinc similia sibi in specie generant, per quam propagationem species talis rerum perpetua manet in mundo. Quæ quidem appetitio non solum in elementis & plantis, sed brutis etiam, caret cognitione. Nempè vis generandi quæ ad id seruit, nullam prorsus habet cognitionem. Siqua verò sunt corpora quorum principia sufficiant ad esse in propria substantia, sempiternum illa secundum naturam esse appetunt, sempiternum non in specie solum, verumetiam in substantia propria, qualia fortè sunt syderum corpora. Redeamus ad nostra. Appetit noster animus esse. Sed nunquid naturalis est huiusmodi appetitus? Est absque dubio non minus naturalis animo nostro, quam cæte-

ris rebus appetitus essendi. At enim appetit esse semper. Num hæc semper essendi cupiditas ita naturalis est, sicut essendi? Est plane. Neque nobis Epicureus quisquam obiiciat, quod licet animus esse quidem ipsum appetat naturaliter, quia etiam si non nosset, appeteret, tamen esse sempiternum præter naturam exoptat, ob id fortasse, quod æternitatem illam cognouit quidem prius; postea verò concupiuit. Non enim obstat cognitio illa quo minus æternitatis auiditas sit naturalis. Nam & nostri sensus cibos cognoscunt, quos tamen secundum naturam appetunt. Lupus agnum, canis leporem postquam viderunt, cupiunt, tamen cupiunt naturaliter, quoniam ex naturali complexione statim ita compelluntur ad appetendum, vt non cupere nequeant. Atque vt oculis naturale est talia sibi obiecta perspicere, ita naturale est concupiscendi potentiæ talia inspecta protinus affectare. Eadem ratione intellectui naturale est perspicua obiecta cognoscere, voluntati quæ bona iudicata sunt velle.

Quicquid perspicuè offertur, naturaliter intellectus agnoscit. Quicquid sub boni ratione offertur, voluntas appetit naturaliter. Quare naturale est intellectui esse sempiternum cognoscere, cognitum verò tanquam bonum voluntati naturalem expetere. Et sicut appetitus irrationalis sequitur sensum, sic voluntas, quæ est rationalis auiditas, sequitur intellectum. Ergo si appetitio cibi est naturalis, quia subita est, non nata consilio, sic voluntas immortalitatis est naturalis, quia est actus subitus sequens meram intellectus voluntatisque naturam.

Nam, cùm primùm menti esse sempiternum offertur, iudicatur appetendum absque discursione, & appetitur nullo consilio præcedente. Quòd si vel casu, vel consilio affectaretur, neque omnes, neque semper iidem, neque æquè semper expeterent, sed variatur istud secundum casuum consultantiumque varietatem. Nunc autem omnes & necessariò & subitò id sibi adsciscunt impellente natura, quemadmodum & bonum ipsum necessariò volumus; hoc autem illud non necessariò, neque natura. Ita esse tale aut tale, hic vel ibi, non naturaliter affectamus, esse autem ipsum absolutum, cui nulla priuatio miscetur essendi, trahente natura desideramus. Atque sicut sempiternam vitæ priuationem impellente natura semper horremus, ita sempiternam vitam natura trahente diligimus. Temperauit autem naturæ artifex cum essentia cognitionem, cùm cognitione appetitum, cum appetitu finis adeptionem. Ergo sicut brutum esse tantum temporale cognoscit pro naturæ suæ capacitate, ac secundùm naturam esse appetit temporale, ita noster animus naturæ suæ magnificentia sempiternum esse cognoscit, & naturaliter appetit. Nam & esse ipsum est secundum naturam appetibile, & eo quidem modo secundùm naturam appetibile, quo & cognoscibile naturaliter. Itaque, sicut à natura bruti esse cognoscitur tantùm vt temporale ac præsens, ita ab illa desideratur similiter secundùm naturam. Ab humana verò natura sicut cognoscitur esse ipsum tanquam perpetuum, ita tanquam perpetuum ab ea naturaliter affectatur, vt quod secundùm propriam intellectualem naturam dumtaxat notum est, secundùm eamdem naturaliter appetatur. Quinimò, secundùm eamdem quod cupimus consequemur. Rationabile enim est, vt per eamdem facultatem attingamus in consequendo, per quam in cognoscendo attingimus & volendo, vt eidem naturalis sit terminus motionis, cui naturalis est motio. Ergo qui per cognitionem & voluntatem sempiternam vitam attingit, non video cur per vitam non attingat, cuius quidem vitæ virtute temporalia superante, tam intelligentia quàm voluntas quæ inde dependent, vltra temporanea sese conferunt ad æterna. Prætereà, cùm non sit frustrà desiderium naturale, consequens est vt hominis animus esse perpetuum consequatur naturaliter exoptatum. Esse, inquam, perpetuum non in specie tantùm, sed in substantia propria, id enim cupit. Meritò corporalia, quia propagatione nascuntur, esse perpetuum secundùm propagationem affectant, mens autem esse perpetuum substantiæ propriæ, quia mens quoque in seipsa subsistit, fitque à Deo, non iacet in aliquo generationis subiecto, neque successione producitur. Quis autem secundùm naturam cupit impossibilia? Nam quis aut volare, aut siccis pedibus flumina pertransire? Potest quidem quandoq; puer aliquis vanus, casu quodam per sensum commotus, talium sibi miraculorum optare facultatem, sed neque pueri ipsi sæpè talia, neque viri vnquam cogitant aut cupiunt. Vitam verò sempiternam omnem cupimus, atque semper, etiam dum non aduertimus cupere. Itaque non est huius assecutio impossibilis. Hoc autem arbitror summoperè aduertendum, quod vita est naturalior quàm scientia, quoniam vita est prior interiorque, & magis continua substantialis-

que, quàm ſcientia. Veræ igitur vitæ appetitus magis naturalis eſt quàm ſcientiæ veræ. Vera ſcientia eſt, quæ eſt oppoſiti ſui, id eſt, ignorantiæ, vſque adeò expers, vt neque iam habeat illam actu admixtam per fallaciam, neque in illam per obliuionem vnquam cadere poſſit. Vera quoque vita eſt, quæ neque ſecundum actum mixta eſt mortiferæ qualitati, neque ſecundum vllā procliuitatem obnoxia morti. Cum igitur veræ, id eſt, ſempiternæ vitæ cupiditas multo naturalior ſit quàm ſcientię veræ, ſequitur vt longè magis naturalis poſſibiliſque ſit ſempiternæ vitæ quàm veræ ſcientiæ conſecutio. Imò verò cum vita multo magis quàm intelligentia & voluntas cum ſempiterna vita conueniat, ſi intelligendo atque volendo, certè longè magis viuendo vitam conſequimur ſempiternam. Quę quidem ſi poſterioribus actibus animæ, intelligentiæ ſcilicet voluntatique ſe communicat, nimirum vitæ iam ipſi, quæ prior actus eſt, ſeipſam prius communicauit. Alioquin naturæ author non tam vehementer nos ad huius rei auiditatem quotidie raperet, ſicut neque ad alia quæuis rapit impoſſibilia. Diuinè enim Zoroaſter:

Οὐ γὰρ ἀπὸ πατρικῆς ἀρχῆς ἀτελές τι τροχάζει,

id eſt, Nihil à paterno principio progreditur aut voluitur imperfectum.

Signum xi. xij. xiij. xiiij. quòd cupimus quatuor Dei virtutes aſſequi.

CAPVT VI.

SVnt quatuor quædam aliæ Dei dotes ad virtutes quatuor pertinentes. Vocauimus namque illum prouidum, iuſtum, fortem, & temperatum. Quis negauerit Deum ſingula circumſpicere? Debitis naturalibuſque ordinibus gubernare. In ſuo ſtatu permanere immobilem, dum hæc agit, neque defatigari? Tranquillum eſſe, ſuauiterque ſingula & moderatè tractare? Hominis animam inſpice diuinæ prudentiæ æmulam. Quàm curioſè recolit præterita, non priuata ſolum vel ſua, ſed publica omnia & mundana? Quàm impenſè præſentia ſciſcitatur, aliena etiam & externa? Quàm annixè futuris inhiat? Quàm diligenter futura anticipat ſæcula? Quod grauius audire poteſt homo conuitium, quàm ſi inſcius & improuidus appelletur? Vnde fit, vt nemo velit vltro rei aut artis vllius ignorantiam conſiteri, vtpote qui monſtrante natura iudicet nullius rei ignorantiam ad hominem pertinere, ſed eſſe illi rerum omnium fermè perinde ac Deo peritiam.

Iuſtitiam quoque diuinam mens noſtra venatur. Quot legibus ſuum ſubiicit corpus? Familiam gubernat? Temperat ciuitatem? Moderatur & regna? Quot pœnis ſæuit in peccatores? quot bonos afficit pręmiis. quàm grauiter ſceleſtiſſimis indignatur? quam ardenter vel à malis viri probatiſſimi diliguntur? quanto denique ordine ac penè cœleſti ſocietas humana diſponitur, & in omni gubernatione ad vnum ſeniorem prudentioremque tanquam totus mundus ad Deum vnum dirigitur? quin etiam latrones iuſtè inter ſe prædam diſpertiunt. Et iniqui homines ſi quam inferunt iniuriam, iuſtè illam inferre putant, vel acceptas iniurias vindicantes, vel tollentes è medio homines nocituros, vel furantes ea quibus indigent ipſi, abundant alij, ac videri volunt iuſtiſſimè ſingula perpetrare. In quibus omnibus apparet humanum genus non minorem ſibi velle iuſtitiā vendicare, quàm Deus ipſe poſſideat. Damus quoq; operam vt Dei fortitudinem adipiſcamur. Dei profectò fortitudo eſt ſtatus immobilis. Prudentiſſimi viri hunc ſibi ſtatum ex eo pro viribus comparant, quòd ſtatuunt animi bonis contenti viuere, neque vllius facere corporis & fortunæ commoda vel incommoda, quaſi ad ſe, qui animi ipſi ſunt, nihil pertineant. qui hæc mobilia negligunt immobiles animo perſeuerant. Imprudentiores autem eundem optant vitæ ſtatum, ſed alia aggrediuntur via, putantes ea ſibi rem facilius ſucceſſuram. quid ergo? Expugnant & ſubigant pro viribus omnes qui eos poſſe quandoque ex ſua ſede & dignitate depellere videantur.

Diuinam prætereà temperantiam qui non cupiat? Prudentes ita moderari motus animi ſtudent, vt nulla ex parte diſſideant, imprudentes & corpus & res ſuas ita componere, vt animum non perturbent. Vtrique integram expetunt animi ſui concordiam, & prudenti quidem res ſuccedit quandoque, imprudenti nequaquam. Denique ſicut cæterarum rerum omnium, ita quatuor harum virtutum ſummæ in Deo ſunt rationes, adeò vt ſumma prudentia Deus ſit, ſumma iuſtitia, & reliqua ſumma. Viri autem harum virtutum ſtudioſi ſummam earum expetunt rationem, dum nihil quod ad ipſarum conſummationem pertineat, ſibi volunt deeſſe. Id omnes optant homines, licet alij alia proficiſcantur via. Omnes igitur Deum

quærunt. quærunt autem illi Deum rectissimo calle, qui primo per ciuiles virtutes affectus animi secundos amputant, deinde per virtutes purgatorias eos extirpant, tertio loco per virtutes animi iam purgati affectus primos insuper moderantur, quibus temperatis, denique virtutibus exemplaribus quæ sunt in Deo formentur. Formari verò quandoque virtutibus exemplaribus proculdubio possumus. Nam præparatio siue affectio formam habitumque respicit, atque certa quædam affectio certum habitum. Quapropter causa quæ subiectum aliquod gradatim magis magisque præparat, ob id præparat, vt formam inducat substantialem atque præcipuam, & subiectum illud secundum communem naturæ ordinem, quemadmodum præparationis illius fit particeps, ita & principalis formæ capax effici potest. Deus qui virtus ipsa exemplaris est, animæ humanæ speciem afficit ab initio seminibus quibusdam incitamentis virtutum, per quæ humanis virtutibus, id est, ciuilibus purgatoriis, purgati animi ad exemplares diuinasque virtutes commodè præparantur. Quod tres eiusmodi virtutes humanæ præparationes sint ad diuinas, ex eo coniicimus, quòd ex diuinis inseruntur nobis & excitantur, quòd illarum imagines sunt ita perspicuæ, vt per ipsas agnoscantur illæ, quòd ad illas gradatim magis magisque accedunt, quòd ita nos afficiunt, vt in his non quiescamus, sed afficiamur ad illas. Ergo & Deus immortali diuinæ virtutis habitu animæ speciem formare quandoque debet, & animæ species formari potest.

Decimumquintum signum, quòd animus summam expetit opulentiam & voluntatem.

CAPVT VII.

ACcedit quod vitam Dei opulentissimam & iucundissimam posuimus. Nam solus ille summa est opulentia summaque voluptas, qui fons est bonorum omnium, nullius egenus. Si ergo summam opulentiam & voluptatem summam omnes expetunt homines, dij expetunt fieri. Noua certa quædam aliquarum possessio, aut species aliqua voluptatis sufficit homini, quemadmodum cæteris animantibus, sed paulùm quid in iis adeptum se putat, donec restat aliquid, vel minimum acquirendum. Quamobrem prudentes viri existimantes opulentiam Dei, gaudiumque in solis intelligentiæ honestatisque thesauris re vera consistere, sola hæc cupiunt, sed ad summum. Imprudentes autem homines opinantes maiestatem diuinam bonis insuper corporalibus perfrui, appetunt insuper corporalia, & ad summum. Constat autem eos neque necessitatis, neque commoditatis corporalis gratia, duntaxat talia quærere. Nempè etiā si arbitrētur habere se quantū sufficiat ad viuendū, & quātū ad viuendū iucundè & copiosè, nondum tamē cessāt accumulare thesauros, & oblectamēta exquisitissima diligenter inquirere, quod Midas, Sardanapalus & Xerxes demōstrauerunt. Ille thesauros in immensum accumulabat, hi summa præmia proponebant illis qui noua quotidie inuenirent oblectamenta. Non corpori seruiunt isti, sed obsunt, neque damni corporalis ignari. Non corpori obsequuntur, sed diuiuæ felicitatis inuidi, immensam sibi illius copiam tam rerum, quàm voluptatum vsurpare contendunt, atque vt hanc assequantur, corpus suum perdunt, affligant animum, vitamque perturbant. Tandem neque prudentes, licet accedant propius, neque imprudentes hac in vita, ingentes illos quos cupiunt thesauros consequuntur, ideo hic quiescunt nunquam. Res autem quælibet in loco suo ac naturali habitu conquiescit. Quam obnixè loca sua repetunt elementa? Quam firmiter illis inhærent; Plantæ conueniens sibi solum situmque congruum quàm auidè adsciscunt? Quam stabiliter in eo pro viribus permanent bruta similiter. Talpæ enim sinus terræ, armenta gregesque terræ faciem, pisces aquam, & auidissimè petunt, & in his locis trahunt moras quam libentissimè. Tandem hæc omnia (vt breui complectar) quando locum habitumque naturalem nacta sunt, quiescunt. Quod indicat & corpus nostrum quando benevalet, pastū est belle, molliterque recumbit ad votū, tunc neq; cōplexio eius, neque sensus eius comes, qui in nobis ipsa est bestia, poscit aliquid vltra. At interim vel ratio intellectualis rerum inquirit causas studiosè, & anxiè de rebus consultat agendis, vel ratio cogitatrix nouas? fingit & postulat voluptates. Stimulatur pœnitentia, suspicione solicitatur. Anxietas huiusmodi hominis ipsius est propria. Siquidem à viribus animi homini propriis oritur, non elementorum corporalium, non bestiæ viribus, quæ in nobis sat habent, vt diximus.

Quamobrem homo solus in præsenti hoc viuendi habitu quiescit nunquam, solus hoc loco non est contentus. Solus igitur homo in regionibus his peregrinatur, & in ipso itinere non potest quiescere, dum

ad patriam aspirat cœlestem, quam petimus omnes, quamuis propter varietatem opinionis atque consilij diuerso calle proficiscamur. Si ergo quæ nobis inferiora sunt, quandoque naturalem habitum patriamque sedem adepta quiescunt, nos quoque necesse est (vt diximus alias) hæc assequi posse quandoque, atque quiescere. In vita præsenti non datur? Merito, appetimus enim tanquam naturalem habitum, finemque nostrum, bonum illud quod tres præcipuè conditiones habeat, videlicet purum sit, integrum, stabile. In hac autem vita boni possessio neque pura est, quoniam naturalis quidam affectus animæ erga corpus, primique ipsi sensuum motus, mentes virorum vel excellentissimorum distrahunt & perturbant. Neque integra, oportet siquidem omne illud cui naturaliter inest ad actus aliquos potentia nixusque, ad eos ipsos peruenire omnino, siquando sit quieturum. Cum ergo insit intellectui humano capacitas naturalis atque conatus ad formas rerum omnium percipiendas & possidendas, tunc demum finem suum naturalem consecutus erit, cum adeptus fuerit omnes. At quia in hac vita talem nunquam habitum adipiscitur, bonum hic integrum nunquam possidet, neque stabilis. Quippè bonum nostrum in actione quadam consistit expedita, secura, continua.

Omnis autem hominum in terra viuentium actio, impedimentum aliquod & periculum interpellationemque patitur. Quid, quòd quæcunque longiore ad incrementum indigent tempore, solent diutius cum sunt adulta perseuerare? Homo verò vsque ad extremam senectutem contendit obnixè ad felicitatis habitum acquirendum, quem tandem ex parte quadam percipit, eumque in hac vita ad tempus quam breuissimum possidet.

Quapropter vt habitus qui ex parte est acquisitus, impleatur quandoque, & qui diutissimè creuit, permaneat diutissimè, necesse est animam corpori superesse. quæ quoniam hic Italiam sequitur fugientem, neque patrium portum attingit, solicitatur mœretque assiduè. Porrò, quod mirabile est, quotiens otiosi sumus, totiens tanquam exules incidimus in mœrorem, quamuis mœroris nostri causam aut nesciamus, aut certè non cogitemus. Ex quo factum est, vt homo nequeat solus viuere. Nam cæterorum hominum societate, ac insuper multiplici oblectamentorum varietate, latentem perpetuamque mœstitiam expellere posse putamus. Sed fallimur heu nimium. Sanè in mediis voluptatum ludis suspiramus nonnunquam, ac ludis peractis discedimus tristiores. Idem accidit nobis quod illis, qui esuriente stomacho dormientes insomnia comedunt, nec implentur, quia non imaginem cibi, sed ipsum cibum stomachus appetebat.

Nos quoque menti nectar, id est, visionis paternæ gaudium sitienti, offerimus lethales Lethæi fluminis aquas; dum vmbratiles adhibemus ludos corporalium voluptatum, quæ falsæ voluptates sunt, non solum quia breuissimæ, ac plenæ solicitudinis, sed quia mixtæ dolori. Siquidem appetitio indiga, dolor quidam est. Voluptates autem corporis tamdiu percipiuntur, quamdiu egestas & appetitio permanet. Merito igitur oblectamenta terrena non implent animum, sed titillant. Ille siquidem res veras affectat, & gaudia vera, res autem corporales vmbræ sunt rerum, earumque illecebræ, vmbræ sunt gaudij. Quamobrem si neque alicuius rei temporalis, neque cunctarum temporalium rerum potus sitim mentis extinguit, non temporalem sitit liquorem, sed æternum Ac si sitim superno Sole accensam impleri oportet quandoque, atque nunquam Lethæo flumine satiatur, aliquando æterno nectaris haustu satiabitur.

Sed iuuat rursus, quæ dicta sunt, his quæ referam priscorum Theologorum mysteriis confirmare. Affirmant enim animas in corporibus dormitare, & quæcunque hic agere patiue videmur, nihil aliud esse quàm somnia, cogitationesque animarum separatarum à cogitationibus coniunctarum multo magis differre, quam vigilantium ab insomniis dormientium, similiterque à voluptatibus voluptates. Quod quidem ita probatur. Experimur in nobis non solum quotidie, verumetiam fermè qualibet hora, quoties pauculus quidam vapor aliquanto crassior & humidior ab inferioribus corporis partibus exhalans, caput ipsum petit, cerebrisque meatus opplet, statim nos somno grauari, mox etiam in somniis imaginibusque deludi. Experimur quoque nonnunquam si vapor aliquis bilis atræ, quam melancholiam Græci vocant, arcem corporis obsederit expugnaueritque, statim reginam inde nostram, ipsam videlicet rationem, vt ita dicam, præcipitari, ac manifesta homines insania corripi. Si fumus quidam exiguus tantam in nobis vim habet, si tam leuis motus nos tantum mutat, quanto magis censendum est cœlestem immorta-

lem que animum, quando ab ea puritate qua ab initio creatur, delabitur, id est, quando obscuro terreni, moribundique corporis carcere clauditur, tunc (vt est apud Platonicos) è suo illo statu mutari? quippè qui tunc non vno & consueto tantum humoris alicuius fumo, sed omnibus pariter nouisque humorum omnium vaporibus, atque ipsa insuper humorum membrorumque insueta mole grauatur, prætereà informi illa materia, quæ a formosissima mentis forma diuersissima est, tanquam flumine Lethęo submergitur. Quamobrem toto illo tempore quo sublimis animus in infimo agit corpore, mentem nostram velut ægram perpetua quadam inquietudine hac & illac, sursum deorsumue iactari, nec non dormitare semper & delirare Pythagorici & Platonici arbitrantur, singulasque mortalium motiones, actiones, passiones nihil esse aliud quàm vertigines ægrotantium, dormientium somnia, insanorum deliramenta, vt non iniuria Euripides hanc vitam vmbræ somnium appellauerit. Proinde cum fallantur omnes, ij tamen minus falli solent, qui interea quandoque ita vt interdum fit in somno, suspicantur, secumque ipsi dicunt; Forsitan non sunt vera quæ nunc nobis apparent, forsitan in præsentia somniamus. Quicunque inter somniantes sic est affectus, talis certè est ad alios qualis apud inferos ab Homero dicitur esse Tiresias. Solus, inquit, iste sapit, cæteri verò omnes velut vmbræ volitant, imò vmbræ volitant.

Decimumsextum signum, quòd colimus nos ipsos ac Deum.

CAPVT VIII.

SVperest vt de duodecima illa Dei dote loquamur, per quam seipsum amat & colit, quam homines duobus sibi modis vendicant. Primò, quòd omnes non modo vt cætera faciunt cuncta, se diligunt & tuentur, verumetiam colunt seipsos magnopere, & quasi quædam numina venerantur. Id agunt prudentes quatenus externa & corporalia animo tanquam principi subigunt. Toti ex mente pendent tanquam ex Deo. Augustam quoque suæ mentis maiestatem velut diuinam statuam vilibus cogitationibus terrenisque sordibus temerare nefas existimant. Quæ quidem notio naturalis humano generi pudorem verecundiamque ingenuit, vt non modò aliorum hominum conspectum quasi diuinorum, verumetiam propriæ mentis conscientiam (quod præcepit Pythagoras) tanquam Dei faciem vereamur, quæ nos assiduè malefactorum pœnitentia stimulat, etiam si pœnam non metuamus. Bene autem factorum oblectat memoria. Quasi cœlestis animus à terrenis vitiorum maculis semper abhorreat. Idem imprudentes quodammodo faciunt, sed à prudentioribus in consummando hoc opere superantur. Idem rursus, sed aliter agunt homines dementissimi, prout nimium placent ipsi sibi, pertinacissimè in sua persistunt opinione, sententiam suam tanquam diuinum decretum mordicus tenent. Cuncti denique homines, excellentissimos animos, atque optimè de humano genere meritos in hac vita, vt diuinos honorant, solutos à corporibus adorant, vt deos quosdam Deo summo clarissimos, quos prisci Heroas nominauerunt. Tanta verò ad se & ad suos reuerentia non apparet in bestiis, nedum vilioribus, sed neque etiam in maioribus. Atque hic primus est modus quo homines diuinum imitantur cultum, videlicet quia seipsos vt deos colunt. Est & alter quia scilicet soli nos animantium omnium colimus Deum, soli nos Deum affectu, gestibus, verbis, delubris, sacrificiis honoramus.

Quod Plato in Protagora maximum esse vult nostræ diuinitatis indicium, quòd soli nos tanquam sortis diuinæ participes, ob cognationem quandam Deum agnoscimus & cupimus tanquam authorem, inuocamus & amamus vt patrem, vt regem veneramur, timemus vt Dominum. Sicut enim Sol sine Sole non cernitur, sicut aër sine aëre non auditur, ac plenius lumine oculus videt lumen, plena aëre auris audit aërem resonantem, ita neque Deus sine Deo cognoscitur. Sed animus Deo plenus tantum in Deum dirigitur, quantum & diuino lumine illustratus agnoscit Deum, & diuino calore accensus sitit eundem. Hinc animus Dei templum efficitur, vt Xystus Pythagoricus arbitratur. Dei verò æterni templum nunquam existimat ruiturum. Deum agitat mens humana quotidie. Deo ardet cor. Deum suspirat pectus. Eundem cantat lingua. Eundem caput manusque adorant & genua. Eundem referunt hominum artificia. Si non audit hæc Deus, fortè videtur ignorans. Si non exaudit, forsitan apparebit ingratus. Crudelis quodammodo, si vociferari nos cogit quotidie, quos non exaudiat. Neque audeat quisquam dicere Deum humana despicere tanquam minima. Sanè commoda habitatio tanquam finis fabrum mouet quasi agentem

causam, vt certam quandam domus formam cogitet, ob quam formam rursus certam quærat materiam. Vbi finis mouet agentem, agens formam, forma materiam. Idem accidit in ciuilibus bellicisque consiliis. Quo fit, vt finis sit causa causarum, ideoque omnes causas antecedat. Sunt autem naturalia quæque certi alicuius finis gratia instituta, cum singula ad singulos potissimum vsus conducere videantur. Iuxta vimen palmitis (quem capreolum vocant) ad hoc natum est, vt vitem proximæ arbusculæ vinciat. Hic vinciendi actus, causa est vt ortum sit vimen. Quia verò quod nullo modo est, id neque esse potest essendi causa effectui cuiquam, neque causas omnes mouere, necessarium est actum huiusmodi & ante reliquas omnes vitis causas extitisse. Non autem extitit in corporibus, nisi nouissimè. Ergo in natura quadam incorporea rectrice corporum extitit longè prius quàm in palmite. Quæ quidem natura vitis artifex gratia talis actus per formam suam, viminis formam in tali quadam materia figurauit. Sed vtrum actus huiusmodi in natura illa præfuit secundum naturæ modum, an secundum propositum voluntatis? Certè secundum vtrũque. At ex illo idem erat quod agentis forma quædam, & affectus ipsius exemplar. Ex hoc erat finis. Vbi autem artificiosæ voluntatis propositum est, ibi mens. Quapropter præest omnibus corporibus diuina mens, quę corporalium omnium formas intellectuali modo complectitur, & tanquam sagittarius singula ad suos dirigit fines, ad vnum denique cuncta. Diuinus hic agricola colit pampinos, capreolos, & radices. Vnde enim aut pampini vertuntur ad Solem vmbra vitata? Aut capreoli tanquam manus ad eam partem præcipuè protenduntur, vbi est propinquius sustentaculum? Aut radices fugientes ariditatem, ad humorem maximè propagantur? Electio quæ non erat, artificiosi consilij, imò verissimi intellectus est opus. Non tamen inest vera mens vitibus. Ergo adest. Adest insuper abiectissimis quibusque bestiolis, quæ in suis artificiis semper eligunt potiora. Colit Deus arbores, ducitque & pascit beluas, quod & prisci Theologi voluerunt. Nunquid solos despicit homines? qui soli in terris diuinam non despicit maiestatem? Absit, imò verò si Deus nullas omnino vel minimas mundi negligit partes, profectò non despicit genus humanum, quod est mundi pars adeò pretiosa, vt media sit temporalium rerum & æternarum, quantum æterna capit, ordinat temporalia. Adeò Deo proxima, vt sese diuinæ mentis arcanis insinuans, opus hoc Dei, ordinem scilicet mundi cognoscat. Mundani ordinis intelligentia eo ipso ordine est excellentior. Siquidem ordo huiusmodi per intelligentiam est factus, & regitur. Si per cognitionem animus noster est mundo præstantior, per vitam quoque præstantior erit. Cuius virtute a corpore separari, ipsumque mundum vitæ (vt ita dixerim) supermundanæ virtute transcendere. Quantum verò mundi ordinem intelligentia superet, hinc apparet, quòd ordo talis dispergitur tempore, intelligentia totum simul ac stabilem possidet. Ordo rursus causam suam sequitur, non assequitur, intelligentia causam assequitur ordinis, quando Deum eius artificem inuenit, vbi tam ampla capit de Deo, vt mundum deinde velut vmbram posthabeat. Rem verò tantam non spernit, nisi qui concipit ampliora. Si tam amplus est animus hominis, cur negligatur à Deo rerum vel minimarum procuratore? Si Deum sentit animus, cur & Deus sentiat animum, præsertim cum Deus hanc ipsam vim actionemque sentiendi animo dederit, & seruet, & ducat? Hinc Dauid interrogat: An qui plantauit aurem, non audit? Et qui finxit oculos, non considerat?

Præterea si animus ad Deum ascendit, cur non descendat quodammodo Deus ad animum? Si quæ iusta sunt, à Deo mens postulat, dum paternam poscit hæreditatem, cur non exaudiat Deus? Quid postulat à parente indulgentissimo hic natus officiosissimus? Æternitatem. Impetrabit certè. Potest enim Deus æternus eam tribuere, potest capere vita mentis æternitatem, quam capit eius cognitio & voluntas. Non enim vult nisi cognoscat, neque cognoscit etiam, nisi viuat. Quinetiam dari debet æternitas menti, quæ & transcendit tempus, ac pro Deo æterno despicit temporalia. Quod non modo religiosiores, verumetiam impij quodammodo faciunt. Nam quos non allicit amor Dei, saltem terret timor. Quos non terret metus, suspicio saltem sollicitat. Itaque homines multi omnia omnes certè quam plurima vitæ commoda temporalis abiiciunt Dei amore, vel suspicione vel metu. Deus igitur debet pro temporalibus æterna tribuere. Nullum verò animalium reliquorum præsentibus abstinet bonis, propter futurorum desiderium. Quo fit vt homo stultissimus sit animalium omnis, atque miserrimus si neque præsenti fruitur vita, neque futura. Atque hæc eius stultitia misera, ac stulta miseria ex eo proueniet, quia se Deo sa-

pientissimo felicissimoque crediderit. At enim sicut non potest quicquam ignis propinquatione fieri frigidissimum, ita non potest homo, quia solus hæret Deo sapientissimo beatissimoque, stultissimus ex hoc miserrimusque euadere, imò verò ob hoc ipsum fit beatissimus, quòd beatissimo se coniungit. Iungit se illi, temporalia contemnendo, æterna desiderando. Si contemnendis temporalibus fit beatus, non aliter talis efficitur, nisi æternarum rerum adeptione.

Præterea si Deus prima & summa est vita, animal quod ipsi proprius hæret, viuit diutius. Non autem viuimus diutius corpore. Si Deus summa sapientia est, homo tanto est sapientior cæteris animalibus, quanto Deo hæret propinquius. In hac autem appropinquatione se iudicat immortalem. Quia verò iudicium huiusmodi verum est, quod fit ab animo, tunc quando est aliis animalibus & hominibus sapientior, verum est esse animum sempiternum. Si prima veritas non potest fallere, non falletur spes immortalitatis à prima immortalitate vsque adeo nobis inserta, vt inuitis reclamantibusque omnibus inter quę versamur, spem eiusmodi semper retineamus. Si prima bonitas non est malefica, auiditas primi boni nobis ab illa infusa non priuat nos temporalibus bonis nisi vt tribuat sempiterna. Si opinio quęque eo verior est, quo melior, atque eo melior, quo meliores efficit opinantes, opinio immortalitatis omnium verissima est, quia præ cæteris optimos, excellentissimos homines, ideoque felicissimos efficit. Quis ignorat id in natura hominis verissimum esse, quod maximè ad perfectionem conducit humanam? Si intellectus natura amat Deum tanquam ipsum verum bonumque, ac Deus & amat intellectum, præsertim pium, tanquam ipsi cognatissimum, & redamat tanquam amantem, fit vt naturalis quædam inter eos sit amicitia. Amicitiæ finis est vitæ communio. Potest ergo Dei vita intellectui communicari, ea videlicet ratione qua amatur ab illo. Siquidem talis est amicitiæ finis, qualis est amicitia, atque contra. Amatur verò desideraturque perpetua. Quod inde confirmari videtur, quia cum boni proprium sit allicere ad se cuncta, seque cunctis communicare, necesse est infinitum bonum, qui Deus est, trahere communicareque infinitè. Ideo communicat cuique se ad votum, quia idem ipse Deus communicat, qui & traxit. Intellectus autem non minus secundum naturam exoptat perpetuam Dei vitam, quàm certam illius intelligentiam. Denique si Deus beneficus, imò ipsa beneficentia est, officio gratitudinis carere non potest. Non potest autem gratus esse erga eum qui diuini cultus amore vitam amittit præsentem, nisi post hanc vitam.

Religionem esse humano generi maximè omnium propriam & veridicam.

CAPVT IX.

HOminem esse brutis præstantiorem, opera eius euidentissimo testimonio sunt, quod ostendit xij. libro animalium Aristoteles. Quæramus igitur qua præcipuè dote sit præstantissimus. Videtur sanè præstare artium & gubernationis ingenio, præsertim quia (vt aliàs declarauimus) homines variant artificia, vtpote qui ipsi artifices sint, non alterius artificis instrumenta. Bestiæ verò non variant, quia artificiosæ naturæ instrumenta sint potius quàm artem ipsæ possideant. Vtrum licet artis & gubernationis ingenio cæteris animalibus præcellamus, communis tamen hæc nobis est cum brutis industria. Oportet autem humanam speciem, postquam à brutis distincta est, distinctam aliquam propriamque habere perfectionem, cuius non sint bestiæ vllæ vllo modo participes. Num sermo hic erit? At nutu, clamore & cantu sermonem bestiæ imitantur. Num ratio?

Ratio certè, non omnis tamen operatio rationis. Nam ratio quidem actiua habet & in bestiis vestigia quædam, per artium & gubernationis indicia. Ratio quoque rerum naturalium speculatrix habere videtur nonnihil in bestiis imaginarium. Nam & ipsæ morbis suis ciborum remediorumque quorundam electione medentur, & quasi futurarum tempestatum prouidæ, argumenta præferunt futurorum, mutantque loca, vt ventura temporum vitent discrimina, quamuis ad hoc ducantur potius natura quàm ducant. quid ergo reliquum est, quod omnino solius sit hominis? Contemplatio diuinorum. Nullum enim bruta præ se ferunt religionis indicium, vt propria nobis sit mentis in Deum cœli regem erectio, sicut corporis cœlum erectio propria. Cultusque diuinus ita fermè hominibus est naturalis, sicut equis hinnitus, canibusue latratus. At si quis curiosus affirmet bestias insuper nonnullas cœlestia venerari, (quod ego minimè credo) respondebunt Platonici, huiusmodi bestias, vel

vel aliud quoduis tunc facere, cum cœlestia honorare videntur. Vel si fortè honorant, tamē nescire quid agant. Vel si sciunt, eas quoque intelligentiæ immortalitatisque participes esse. Sed reuera, vt ad propositum reuertamur, perfectissimum animal ea proprietate maximè tum perfectione pollet, tum ab inferioribus discrepat, qua perfectissimis, id est, diuinis coniungitur. Rursus si homo animalium mortalium perfectissimus est, qua ratione est homo, ex ea præcipuè dote est omnium perfectissimus, quam inter hæc habet ipse propriam, animalibus non communem. Ea religio est. Per religionem igitur est perfectissimus. Si religio esset inanis, per eam rursus omnium foret imperfectissimus, quoniam per eam, vt paulò antè exponebamus, dementissimus foret atque miserrimus. Non potest autem per eandem sui partem ita contraria perpeti, vt per eam tum summè perfectus sit, tum summopere imperfectus. Est igitur religio vera. An ignoramus vaticinium illud quod à tota aliqua animalium specie fit, verum esse? Reptilia multa oriente Sole è terræ sinu erepunt, aëris caligo protenditur. Cornicum plurima turba vesperè à certa aëris plaga peruolat, venti prænuntiantur. Communi quoque hominum vaticinio religio vera est.

Omnes namque semper vbique colunt Deum vitæ futuræ gratia. Verum est igitur vitam aliam fore, si modo perfectissima species animalium verissimum habet iudicium illud, quod sibi est maximè omnium naturale. Talem autem esse religionis assertionem apparet non solum ex eo quòd solius hominis est, verumetiam ex eo quod omnes hominum opiniones, affectus, mores, excepta religione, mutantur. Cum religionem dico, instinctum ipsum omnibus Gentibus communem naturalemque intelligo, quo vbique & semper prouidentia quædam regina mundi cogitatur & colitur. Ad quam certè pietatem causis præcipuè tribus inducimur. Primò quidem naturali quadam (vt ita loquar) sagacitate, ab ipsamet prouidentia nobis infusa, deinde philosophicis rationibus ex ipso ædificij ordine architecti prouidentiam comprobantibus, postremò propheticis verbis, atque miraculis. Quod verò modo de Propheta dixi, operæpretium est deinceps argumentis quæ & Plato in Protagora & Auicenna adducit in Metaphysicis, confirmare. Homo (vt aiunt) est animal naturaliter sociabile, eget enim necessariò multis, quæ singuli comparare non possunt, cuncti verò in vnum congregati, mutuas sibi vicissim operas subministrant. Præterea quòd sociabile sit, indicat sermo quasi quidam alterius ad alterum humanæ mentis Interpres, quem natura homini non dedisset, nisi fuisset in cœtu victurus. Quamobrem naturalis est homini congregatio. Verùm si absque lege concurrant, paulo post mutuis disgregabuntur iniuriis, disgregati verò, tum multorum defectu peribunt, tum velut inermes laniabuntur à feris. Vt ergo viuant, & benè viuant, congregari eos necesse est. Sed rursus vt in cœtu permaneant, omnino opus est lege Ea inquam lege, cuius tanta sit authoritas, vt nemo vel violentia vel dolo præuaricari se posse aut debere confidat. Talis autem esse non potest, nisi legislator sit, existimeturque diuinus. Denique vt talis sit habeaturque, oportet eum manifestis quibusdam miraculis ad homines diuina prouidentia mitti. Quem sanè Prophetam, humani generis diuinum ducem Plato & Auicenna cognominant Huc tendit Platonicum illud in libro de regno. Quemadmodum bestiæ nequeunt à bestia feliciter sine homine duci, ita neque homines ab homine sine Deo. Rursus in Protagora inquit, non potuisse homines simul viuere absque lege, neque legem ad hoc sufficientem accipere à Prometheo, id est, creata quadam prouidentia potuisse, sed Iouem ipsum omnium creatorem ad homines vnà cum lege misisse Mercurium, id est, Prophetam aliquem, & diuinæ voluntatis interpretem, & legis tam diuinæ quam humanæ latorem. Quod autem Deus Prophetas certis sæculis ad officium eiusmodi mittat, sic vnà cum Auicenna ostendere possumus. Si Deus humano corpori non solum in rebus omnino necessariis, sed etiam commodis, accuratissimè prouidet, velut in superciliis palpebrisque, & Plantarum concauitate, multo magis animo, totique hominum generi in rebus præcipuis, maximeque ad bonum nostrum necessariis prouidet, præsertim cum bona minora maiorum gratia sint. Ideoque si minora bona ab initio statim nobis adsunt, absque dubio adsunt etiam maiora, quæ adesse possunt, & causæ sunt vt minora non desint.

Quamobrem Deus circa legem diuinam, Prophetamque conditorem eius, ita prospicit, vt de cuius bonitate singula membra corporis iure conqueri nequeunt, multo minus animus ipse horum dominus, vniuersumue genus humanum vlla vnquam ratione conqueri possit. Probat insuper Auicenna animam quidem Prophetica lege virtuteque imbutam, à diuina so-

lum prouidentia mitti. Corpus autem ad animam Prophetæ suscipiendam idoneum disponi à Deo non tamen proximè, sed per animas cœlorum motrices, tanquam per ministros, ac etiam per cœlos quasi per instrumenta Dei, ita vt diuina lex, vtpote incorporea, quamuis per cœlestia corpora effici nequeant, quodammodo possit indiciis quibusdam à cœlo acceptis significari, quod etiam ex multis Plotini disputationibus comprobatur, in quibus ille demonstrat, quæ ad mentem nostram pertinent, à cœli corpore fieri nunquam posse, sed tamen significari. Siquidem mentes cœlorum motrices nostra hæc præuident, cogitationesque suas sæpè cœlestibus quasi oculis nutibusque suis indicare videntur.

Tres obiectiones Lucretianorum, & solutiones. Prima.

CAPVT X.

NOn est credendum Lucretianis dicentibus, religionem non à iudicio naturali, sed à complexionis corruptione, consilij legibus, cœli impetu prouenire. Profectò à complexionis corruptione idcirco eam proficisci non arbitror, quia non est in hominibus complexio deterior quam in bestiis, præsertim ad veritatis iudicium, bonique delectum. Homines autem soli ac sedulo religionibus occupantur. Sed neque etiam inter homines qui deprauatam habent complexionem, hi sunt propriè qui colant Deum. Omnes enim corruptam non habent. Omnes tamen quodammodo Deum colunt, & coluere semper, neque tamen semper fuit hominum deprauata natura, neque rudes tantum homines adorant, sed etiam ingeniosi & sapientes, quod ostenderunt Persarum Magi, Ægyptij Sacerdotes, Prophetæ Hebræi, Orphici, Pythagorici, Platonicique Philosophi, ac prisci Theologi Christianorum. Hi omnes sine controuersia mirabili sapientia pollebant, & incorporabili sanctitate. Porphyrius de voto disputans, inquit, præstantissimos quosque apud omnes Gentes sapientiæ studio votis incubuisse, quales apud Indos Brachmanæ, apud Persas Magi, similesque apud Græcos Chaldæosque fuerint. Hæc ille. Neq; eos simulasse putandum, qui tum perpetuis operibus, tum vitæ periculo linguæ sanctimonia confirmarunt. Fuerunt & alij complurimi doctissimi Philosophi, Barbari, Græci atque Latini, qui & si non tanta excellerent castimonia vitæ, quanta illi quos antè commemorati, honestis tamen moribus duxerunt vitam, religionibusque fauere non dubitauerunt. Fieri quidem potest, vt aliqua ex parte horum aliqui simulauerint, non tamen omnes credo simulauisse, neque eos qui simulauerunt, omnis fuisse religionis expertes. Difficilè enim est naturam prorsus exuere. Impios quidem præ cęteris fuisse traditur Diagoram, Dicæarchum, Epicurum, Lucretium, qui etiam natura cogebantur interdum nonnihil religionibus assentiri, quod eorum libri testantur. At sicut isti nonnulla impunè contra religiones in medium protulerunt, ita & alij multi Philosophi pàlam impietatis virus euomuissent, si plurimi fuissent impij. Aliud autem est hunc aut illum religionis cultum non admittere, quod faciunt multi, aliud omnem religionem funditus tollere, quod tentauerunt quàm paucissimi, & illi quidem suspicantes potius quàm prorsus asseuerantes. Porrò si qui ingeniosi viri ac docti in religione reperiantur ambigui, non est mirandum. Duas enim ætates Plato scribit esse valdè religiosas, pueritiam, & senectutem. Nam pueri cum lacte religionem sugunt, & in iis permanent quæ imbiberunt quousque in adolescentia ratio excitetur, quæ sua natura singularum rerum causas rationesque requirit. Si in hac ætate aut ea studia capessant, aut in eos sermones incidant, quibus diligenter rerum causæ perquirantur, incipiunt quasi nihil velle asseuerare, nisi cuius ipsi rationem perspexerint. Tunc primum religionem magna ex parte post tergum abiiciunt, nisi fortè legibus, seniorumque consilio se committant, quia diuinorum occultissimæ rationes longo vix tandem tempore, exquitissima diligentia, purgata mente perspiciuntur. Adolescentes illi rationes huiusmodi nondum attingunt, & quia nihil fermè asserunt cuius non videant rationem, si proprio confidant iudicio, religionem quodammodo negligunt. Nonnulli in hac opinione constituti. Aristippicis voluptatibus sese dedunt, tandem nihil amplius de religione nisi tanquam de anilibus fabulis cogitantes. Alij verò Pythagoreo ritu purgant mentem à sensibus per Morales, Physicas, Mathematicas, Metaphysicas disciplinas, ne tãquam superiores illi lippos adhuc oculos in diuinum Solem subitò dirigentes, caligare cogantur, sed grãdatim progredientes, lumen diuinum in Moralibus primò tanquam in terra, secundo in Physicis, tanquam aqua, tertiò in Mathematicis, tanquam in Luna, quartò Metaphysicis, tanquam in Sole perspicuè salubriterque perspiciant.

Hos appellat Orpheus Musarum legitimos Sacerdotes, qui tandem in ætate maturiori de religione sentiunt multò melius, quemadmodum legimus apud Platonem in Epistola ad regem Dionysium in Phædro, in primo de Republica, in decimo Legum. Monet autem iuuenes Plato ne temerè de Diuinis sententiam ferant, sed credant legibus, donec ætas ipsa doceat, vel per eos disciplinarum gradus quos narrauimus, vel per experientiam, vel per quandam animæ à corpore separationem, quàm moderata senectus adducit, vt anima in ea ætate res à corporibus separatas, quasi è proximo videns clarius discernat quàm consueuerit. Quapropter cùm Plato Dionysio adhuc inueni diuina quædam mysteria sub quodam velamine tradidisset, adiunxit primùm, vt ea diligenter examinaret, nullum enim hoc studium beatius esse posse. Deinde caueret ne in hominum imperitorum aures hæc exciderent, quia nulla sint apud vulgus quidem magis ridicula, apud viros autem bono ingenio præditos magis mirabilia & diuina.

Addit insuper, diuina mysteria, postquam frequentius, imò semper examinata sunt, vix tandem multo labore tanquam aurum purgari atque lucere, vt etiam multi, & illi quidem acutissimi, eruditissimique, cum talia in iuuentute, atque etiam in trigesimo ætatis anno audientes tanquam incredibilia reprobauerint, postea tamen siue maturioris ætatis, siue diligentioris examinis beneficio, siue potius diuina (vt alibi dicit) reuelatione, talis tanquam omnium probabilissima manifestissimaque concesserint, contraria verò tanquam falsa damnauerint. Hæc Plato. Accedit ad hæc, quòd multi in quauis arte excellentes viri, vel Melancholici sunt, quales Heraclitus, Aristoteles, Chrysippus fuerunt, vel fiunt, quales Democritus, Zeno Citticus, Auempaces Arabs, Auerrois euaserunt. Hic humor frigidus est, siccus & ater, quæ quidem tres qualitates tribus illis contrariæ sunt in quibus vitæ consistit vigor, calori videlicet, & humori, spirituique perlucido. Talis itaque humor, tanquam vitæ contrarius aufert spem vitalem, & animo suspicionem iniicit contra vitam, quo fit vt de immortalitate animi nonnunquam ambigant & diffidant. Quod sibi contigisse scribit Auempaces. Non ideo diffidunt, quia sunt excellentes ingenio vel doctrina, sed quia ob humorem terreum suspiciosi & timidi. Nam rudes hebetesque homunculi nonnunquam ipsi quoque diffidunt, si eodem illo præmantur humore. Et viri egregij sæpenumero sperant quàm optimè, si humore eiusmodi non vexentur, quanquam qui vexantur ab ineunte ætate, si tamen non peruersè omnino fuerint educati, inanes suspiciones abiiciunt facilè, & naturalem sequuntur religionis instinctum. Tanta est ipsius naturæ vis, tanta stabilitas. Quod Pythagoras, Socrates, Plato & Varro, Apolloniusque Tyaneus sunt præ cæteris assecuti. Quapropter suspiciones illæ nihil habent momenti ad animorum mortem significandam, cum neque ab ingenio, neque à sapientia, sed à morbo proficiscantur. Quinetiam illi sæpè sunt acutiores, in quorum ortu Saturnus & Mercurius possunt quàm plurimum. Nam hæ stellæ inuitant ad contemplandum, quoniam ad interiora spiritus cõtrahunt. Hi Planetæ si directi sunt, optimeque dispositi, ingenium augent, religionem non minuunt. Sin retrogradi, neque optimè dispositi, vndique hominem reddunt formidolosum admodum atque suspiciosum ob terream ipsorum qualitatem non sufficienter aspectu aliorum syderum temperatam. quo fit vt non in religione solum, sed in rebus etiam aliis ambigat & diffidat. Cæterum meminisse oportet, eam opinionem siue affectionem non satis habere fidei, quæ sequitur aut ingenium melancholicum, ægrum, & quodammodo vitæ contrarium, aut indecentem & noxiam positionem syderum, quæ etiam complexionem peruertit humanam, ac defectum affert secum non modo quantum spectat ad vitæ fiduciam, sed etiam quantum ad humanarum rerum gubernationem. Vnde impij homines plurimum vel ignauissimi sunt, qualis fuisse dicitur Epicurus, vel flagitiosi, qualis Aristippus, vel insani, qualis sectator eorum Lucretius, qui dum insania propter atram bilem concitaretur, animam suam primò conatus est verbis perdere in libro de natura rerum tertio, deinde corpus suum gladio perdidit. Ergo sicut de vini sapore non est ægrotanti credendum, sed bene valenti, ita de fine humanæ vitæ credendum est humano sanoque ingenio potius quàm insano. Sanam verò & naturalem hominis complexionem appello sãguineam, ac maximè temperatam. Sanguinea aërea est, in calore & humore vitali consistens. Temperata cœlo est similis, neque veritatis iudicium interturbat.

Tales sunt plurimum humanæ complexiones ad sanum ingenium prudentiamque accommodatæ, quæ religionem no-

bis non afferunt quidem (est enim hæc menti infusa diuinitus cum diuinorum gratia negligi cætera iubeat) sed eam nequaquam impediunt, neque vanas animo suspiciones iniiciunt. Quod autem in pluribus perfectioribusque est, naturale censetur. Quod in paucissimis & ægrotantibus, monstrosum. At verò naturale quidem veridicum, monstrosum verò fallax esse solet. Iudicium autem religioni fauens reperitur in pluribus grauioribusque hominibus, in paucissimis verò leuissimisque contrarium, quorum exemplo alij quoque nonnunquam inficiuntur. Atque in illis paucissimis non est hoc iudicium rationis, sed morbus animi, formidolosaque suspicio à deprauata complexione corporis proficiscens. Quod ex eo patet, quòd sæpè homines huiusmodi rationes quidem habent animi æternitati fauentes, suspicantur tamen tanquam ij, quorum ratio aut iudicat vinum non esse bibendum, pulmones nihilominus sitiunt, aut iudicat nihil esse in via quod noceat, horret tamen sensus in tenebris. Neque solùm contractu vel à parentibus vel à syderibus iniqua complexio, sed vsu inducta qualitas, vt significauimus ab initio, à religione humanum genus abducit. Solent enim homines in quauis disciplina nimium curiosi, propter nimiam cerebri agitationem siccato cerebro quodammodo insanire, quod in Theæteto scribit Plato contra illos qui nihil in rebus stare vnquam dicebant, quos, inquit, vertigine affectos ob frequentem reuolutionem, putasse omnia verti, cum verterentur ipsi. Itaque non mirum est, si curiosi artium viri nonnunquam & in religione & in rebus aliis manifestè delirant, quorum insaniam declarant tum mores leuissimi, tum ridiculæ nimium in rebus multis opiniones, opinionumque ipsarum contrarietates. Non igitur à corruptione complexionis religio, sed impietas nascitur. Neque solum à deprauata complexione, sed & à deprauatis moribus impietatem nasci Plato in Epistolis ad Syracusanos asserit dicens, credendum semper esse priscis sacrisque oraculis asserentibus animam hominis esse immortalem, iudicesque habere, ac pœnas pati maximas cum à corpore fuerit separata.

Quapropter minus malum existimandum esse, perpeti grauissimas iniurias, quàm inferre. Quæ quidem auarus homo mentisque inops, aut non audiat, aut deridere soleat, voluptatibusque deditus, quasi cæcus non cernat quàm maximum semper malum viuentem se impiè necessariò sequatur, & post mortem quàm misera demigratio ipsum maneat. Hæc ibi omnia. Similia quoque in Gorgia, & in decimo de Republica & in Legibus, vbi addit hanc de anima sententiam necessariis adamantinisque rationibus esse probatam. Quod vsque adeò Cleombroto persuasum fuit, vt se hac vita alterius amore priuauerit. Demosthenes quoque ait, malle honestè mori, quam turpiter viuere, postquam Platonem Zenocratemque de animorum immortalitate disserentes audisset. Neque silentio prætereundum puto maximam impietatis causam à Platonicis in genus infimorum dæmonum referri solere, qui tacita quadam persuasione, vel propter ambitionem in falsam, vel propter inuidiam in nullam religionem pro viribus nos impellunt.

Secunda obiectio & solutio.

Confutauimus obiectionem primam Lucretianorum, qua dicebatur Dei cultum humanæ naturæ deprauatione contingere. Vbi apparuit Lucretianos esse potius deprauatos, qui naturam hominum ex eo pessimam iudicant, quod Deo optimo iungitur. Sed nunquid quod secundo afferunt loco, diuinorum veneratio à consiliis hominum nascitur, & ciuilibus institutis? Nequaquam. Dici enim non potest quàm citò hominum inuenta mutentur, etiam vera, ne dum falsa & simulata. Omnia hominum instituta breui tempore in contraria instituta mutantur. Contrariæ quoque eodem in tempore leges diuersis sunt Gentibus, & quæ aliis turpia, aliis honesta censentur. Quid autem religione antiquius? Quidue amplius? Neque hanc inuenerunt conditores legum ad populos coërcendos. Nam ante ciuitates & domos viguit in orbe religio, & homines sparsi atque syluestres Deum coluerunt, & iidem ipsi latores legum numina timuerunt. quod quidem in Protagora Plato confirmat dicens: homines etiam antequam congregarentur, vel loquerentur, vel artes aliquas exercerent, statim ab initio ob naturalem cognationem Deum adorauisse, arasque & sacra fecisse. Proinde tam durum religionis iugum, tot bonis vitæ contrarium, quandoque homines alicubi reiecissent, si ficta esset, neque veritatis stabilitate constaret. At inquiet fortè Protagoras non esse naturalem religionem, sed videri, quoniam à teneris vnguiculis eam combibimus. Nos ita Protagoræ respondebimus, cum ab infantia loqui & bibere didicisse, nihilominus tamen naturalem esse sermo-

nem atque potum. Vbique & semper loquuntur homines, atque bibunt, quoniam est naturale Sed aliis temporibus atque locis alio ordine loquuntur, & bibunt, quoniam operationis ordo opinione constat potius quàm natura. Similiter apud omnes Gentes omnibus sæculis adoratur Deus, quia naturale est, quamuis non iisdem sacris ac modis Sermo quia naturalis est, suum attingit finem, id est, voluntatem alterius alteri declarare. Potus quoque suum, id est, corporis humorem instaurare. Religio cursuum non nanciscatur, non video. Suus finis est frui Deo, suum votum, perpetuò frui.


Tertia obiectio & solutio.

AN feruntur homines ad religionem syderi us quod tertio obiiciunt impij Minimè Nempè humoribus corporum sydera suffragantur Religio est inimica corporibus. Neque altius desiderium infundere cœlum potest, quàm sphærarum cœlestium, quas etiam spernit homo religiosus. Adde quòd religio fatum damnat, & asserit libertatem. Quonam igitur pacto idipsum vt fato repugnet, habebit à fatis? Præterea coniunctio quædam Planetarum fertilitatem præstat, opposita verò penuriam Hæc pestem, illa salubritatem, bellum similiter, atque pacem. Videmus dona cœlorum quã cito in contraria permutentur. Itaque si Deum colere cogit certa quædam positio syderum, breui positio contraria è memoria hominum diuinos delebit honores. Nusquam tamen & nunquam religionis facta est intermissio, licet aliàs, & alibi aliter Deus sit honoratus. Quæ etiam varietas humanarum mentium est secuta consilia, quæ astris nequaquam subiiciuntur. Humana quippè mens natura sua tanquam diuina ad Deum sentiendum colendumque ducitur & timendum, sicut natura sua ad amandum bonum, malumque vitandum. Verumtamen per liberam suæ consultationis electionem, Dei colendi variat ritus, sicut etiam ad bonum variis graditur callibus pro arbitrio. Superiori disputatione colligitur, communem ipsam omnium Gentium ad Deum vnum religionem, esse humanæ speciei admodum naturalem, virtutemque hominis propriam, ideoque excellentissimam. Duo quidem excellentissimi sunt actus hominum, illi scilicet qui in excellentissima pare animæ sunt, & circa obiectum versantur excellentissimum. Tales sunt in mente nostra Dei cognitio, atque amor. In hac vita humanus amor in Deum humanæ præstat cognitioni, quia Deum nemo verè cognoscit. Verè autem amant illi Deum quoquo modo cognitum, qui spernunt omnia propter ipsum. Rursus sicut deterius est odisse Deum quàm ignorare, sic melius amare quàm nosse. Adde quòd perscrutando Deum, longissimo tempore minimum quid proficimus, amando breuissimo plurimum. Ob id enim citius propinquiusque & firmius amor quam cognitio mentem cum diuinitate coniungit, quia vis cognitionis in discretione consistit magis, amoris autem magis in vnione. Quinetiam gratius ipsi Deo est amari quàm prospici. Nihil enim Deo tribuimus intuendo, amando verò tribuimus quicquid & sumus & possidemus. Amantibus ergo Deus seipsum retribuit potius quam scrutantibus. Deinde cognitione Dei malè possumus vti, scilicet ad superbiam, amore Dei malè vti non possumus. Et amando Deum longè maiorem quã perscrutando percipimus voluptatem, & meliores amando efficimur quàm inquirendo. Imò sicut non qui videt bonum, sed qui vult, fit bonus, ita animus non ex eo quòd Deum considerat sed ex eo quòd amat, fit diuinus, quemadmodum materia, non quia lucem ab igne capiat, sed quia calorem ignis euadit Hinc illud Porphyrii, animus Deum inquirendo purus efficitur, Deum imitando fit Deus. Quod quidem ab ipso Platone acceptum est, dicente diuinum lumen non inquisitione paulatim à nobis acquiri, sed perfecta vitæ coniunctione subito tandem diuinitus in nobis accendi.

Præterea cognoscendo Deum, eius amplitudinem contrahimus ad mentis nostræ conceptum, amando verò mentem amplificamus ad latitudinem diuinæ bonitatis immensam. Illic nos in Deum deiicimus, hic attollimus nos in Deum Noscimus enim quantum ipsi capimus, amamus autem & quantum intuemur, & quantum vltra nostrum intuitum vaticinamur bonitatis diuinæ reliquum superesse. Neque est amor humana cognitione contentus Ea siquidem creata est, atque finita. Voluntas in solo primo & immenso quiescit bono. Quoniam verò in hoc ipso amore tota consistit religio, nihil habent homines (vt Plato in Epinomide testatur) religione diuinius. Quæ tanto est à falso alienior quàm cætera hominum studia, quanto propinquius Deo summæ veritati nos copulat. Quare præsagium eius verius est quàm facultatum aliarum sententiæ. Eius verò præsagium bonis digna præmia pollicetur, malis minatur

supplicia. Hominis sanctissimi probitati præmium dignum debetur. Probitas per summum habitum confirmata, indelebile bonum est, ac si mille annorum millia vixerit, semper similiter aget. Præmium igitur ea dignum nullum est nisi indelebile & æternum, præsertim cum illud sit conuenientissimum præmium sanctitatis, cuius gratia sanctitas agit singula, quodve eius appetitum potest implere. Tale est illud in quo est tota ratio boni. Est igitur eius præmium, immensi boni sempiterna possessio. Viuet igitur semper religiosus animus, vt dignum suscipiat præmium. Viuet semper & impius, vt luat supplicia impietatis, qui infinitè peccat, quoties pro finitis commodis Dei obliuiscitur infiniti, & malignum habitum contrahit indelebilem, per quem mille annorum millia sit peccaturus si vixerit, postquam statuit semel tamdiu peccare, quamdiu viuet. Qui tamdiu iam deliquit diuinæ iustitiæ, cui futura sæcula præsentia sunt, quamdiu est, si vixerit, peccaturus, infinitum huic debetur supplicium iam infinitè peccanti. Adde quòd si veræ virtutis præmium est æternum (Deum enim à quo tanquam principio pendet, respicit tanquam finem) sequitur vt vitij quod deficit ab æterno tam virtutis præmio quàm vitæ principio, supplicium sit sempiternum. Nullum tale est in hoc tempore vitæ breuissimo, erit igitur in futuro. Hoc pacto aduersa quæ in hac vita bonis, & prospera quæ malis contingunt, compensanda videntur, ne & pietas boni damno sit, & vt in Phedone legitur, impietas malis sit lucro. Bonum quidem prodesse oportet, obesse malum. Obest in hac vita pietas, quæ non solum præsentia bona contemnere, verumetiam Dei honestique gratia labores & mortem subire compellit. Contrà prodest impietas quamplurimum. Igitur ne desit iustitiæ locus, alibi est ferenda sententia. Neque putandum est hanc iustitiæ partem quæ humana respicit, ad Deum non pertinere, ad quem pertinet mundi totius administratio, in quo si singula intelligendo amandoque facit, vt Plato vult, sequitur vt faciendo intelligat ametque singulas, atque in toto curando, partes (quibus non curatis, non curatur totum) non negligat. Hæc in legibus Plato. Mundi verò pars non mediocris est hominum species, administratrix & ipsa iustitiæ Si ergo diuina iustitia, vt Orphici canunt hymni, elementa suis quæque distribuit locis, si rebus quibusque vel minimis pro sua cuiusque natura dispertit munuscula. cur non hominibus etiam pro meritis loca, præmia, suppliciaque dispertiat? Deus frequenter vel bonos immunes, vel malos relinquit impunes, vt his indiciis nobis ostendat vitam alteram superesse, in qua iustitia quæ falli non potest, pro meritis impleatur. Nonnunquam verò scelera, præcipuè grauissima, in hac etiam vita punit, vt ob hoc eius prouidentiam cognoscamus. Mitto in præsentia multa prouidentiæ diuinæ exempla. Philo Iudæus Platonicus, in libro de Prouidentia scribit, legem apud veteres extitisse, sacrilegos vel cremari, vel præcipitari, vel suffocari. Cumque Philomelus & Onomarchus & Phaylus templum spoliauissent, paucis post diebus absque iudicum opera diuina quadam sorte eos in tria hæc supplicia incidisse. Præcipit autem in legibus Plato, ne ob id vnquam de diuina prouidentia dubitemus, quòd iniusti sæpè homines hinc impunes videantur abire, quippè cum nesciamus qua ratione, & vbi, prout ordini vniuersi conducit, singula singulis rependantur. Rursus in vltimo de Repub. probat animum per virtutem Deo similem, ideoque amicum euadere, atque idcirco ita à Deo curari, vt quæcunque contingunt, in bonum deníque perducantur, & siue in paupertate, siue in morbis, siue in alia quadam calamitate sit constitutus, singula vel in hac vita vel in futura aliquando conducant ad bonum. Neque ob hoc dicenda est bonitas diuina malefica, quòd committi peccata permittit, punitq; commissa. Profectò in regno Dei gradum suum obtinet natura rationalis. Huic motus conuenit liber Motui tali datum est vt progredi possit in melius, & naturæ bono, bonum insuper voluntatis actionis adeptionisque adiungere, ita vt natura huiusmodi non modò ab alio facta sit bona tanquam patiens, verumetiam seipsam efficiat bonam tanquam agens. Datum insuper est tali motui, vt possit transgredi in deterius non quòd naturam propriam exuat, sed quòd induat alienam, & illam quidem inferiorem, hanc infectionem supplicium sequitur vel noxium, vel purgatorium. Sequitur, inquam, necessaria quadam diuinaque lege, peccantem intrinsecus ad similia perducente. Et vt in decimo legum inquit Plato, motionis principium in anima est, quo se pro arbitrio talem efficit aut talem. Postquam verò talis euaserit, mox non tam arbitrio quàm fatali quadam Dei lege in talem conditionem locumq; transfertur. Addit quasi diuino Dauidis ore. siue ad mundi centrum penetraueris, siue ad superficiem peruolaueris, diuinam legem euitare non poteris. Huc illud in decimo de Republica tendit, cum neque latere neque effugere diuinos

oculos manusque possis, caue omnino ne pecces, id est, ne Deo dissimilior vnquam euadas. Odit enim animas ab ipsius similitudine longè degenerantes. Quinimò si & Gygis anulum, & galeam nactus fueris infernalem, iniustitiam procul effugito. Sed redeamus ad leges. Inquit ibidem, mundum partim bonorum, partim malorum esse plenum, Deumque nobis deos dæmonesque quosdam quasi Pastores custodiendis ouibus præfecisse, quorum prouidentia & deuitemus mala, consequamur & bona. Addit, eos qui cum multa iniustè rapuerint, muneribus se deos placare confidunt, perinde errare, ac si qui dilaniantes oues, putent se membris quibusdam ouis pastori redditis, pastorem sibi conciliare. Tandem vbique Plato reperit, & arbitrio nos peccare, & post peccatum necessario pati. Sed iam ad institutum ordinem redeamus. quid ergo? Si Deus & permittit & punit, in permittendo mirabilis humani generis excellentia lucet, in puniendo Dei potestas, bonitasque immensa. Si peccare permittitur animus, quis non videat hominem sui iuris esse, ac dominum, suoque arbitrio alias aliter agere? Si delicta punit Deus, in ipso delictorum malo iustitiæ peragit bonum, quæ hunc non haberet locum, nisi delinqueretur, ac deesse videretur quodammodo pars aliqua virtutis, vt ita dixerim, & iustitiæ, & regno Dei, cuius hic præfulget potestas & bonitas infinita, dum contra mali naturam facit ex malis bona, vt tota natura sit mirabiliter ordinata, in qua tanto est amplitudo boni, vt in bonis splendeat atque malis, & quantum valeat, in ambobus experiatur. Tanta quoque ordinis obseruantia, vt animus qui peccando digredi videtur ab ordine, & in ipso liberi motus ordine gradiatur, etiam dum digreditur, & in ipsum iustitiæ ordinem statim patiendo regrediatur, dum propter delinquendi habitum talia patitur qualia habitui congruunt. Hæc habui quæ de immortalitate quantum ad signorum testimonia pertinet dicerem, oportet autem dubitationes deinceps quæ cogunt immortalitati diffidere, diligentissimè soluere.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM, *EODEM FICINO AVTHORE,*

(.·.) LIBER XV. (.·.)

Sequuntur quæstiones quinque de Anima. Prima, vtrum sit vnus cunctorum hominum intellectus. Quod non.

(.·.) CAPVT PRIMVM. (.·.)



Multa iam quæ afferri solent aduersus animam, superioribus disputationibus confutauimus. Quinque restant (vt arbitror) dubia declaranda. Primum est, de quo Peripateticus Auerrois dubitauit, ne fortè vna sit mens hominum omnium & æterna. Multæ autem animæ atque mortales, ita vt nihil prosit mentis ipsius æternitas humanis animis perituris. Secundum, de quo dubitant nonnulli, cur animi, sic diuini sunt, terrenis corporibus tam infimis sint coniuncti. Tertium, quam ob causam in his adeò perturbentur. Quartum, cur inuiti discedant. Quintum, qualis animæ status sit antequam ad corpus accedat, qualis etiam post discessum. Auerrois His-

panus patria, lingua Arabs, Aristotelis doctrinæ deditus, Græcæ linguæ ignarus, Aristotelicos libros in linguam barbaram è Græca peruersos potius quàm conuersos legisse traditur, vt non mirum sit si in quibusdam rebus reconditis, breuissimi scriptoris mens eum latuerit, quod illi contigisse Platonicus Plæthon testatur, & peritissimi quique Græcorum. Et quod maximum est, aduersus Auerroëm Græca Aristotelis verba reclamant. Ait ipse Plæthon Aristotelem sine controuersia censuisse hominum animos esse multos & sempiternos. Subiungit, nolle se Aristotelis verba peruertere, & si Aristoteles Platonis cæterorumque Philosophorum verba peruertit. Hæc ille. Videtur tamen Alexander Aphrodiseus Aristotelis sensum de anima peruertisse, vbi ait, Aristotelem mortalem animum censuisse. Themistius æquius Aristotelem declarauit, dicens ab eo mentem quidem agentem vnicam, capacem verò multiplicem existimari, & vtramque perpetuam. Quid verò ipse sentiat Alexander, in quæstionibus naturalibus declarat, vbi inquit; Medicina etsi scientia est, tamen in opere suo ars apparet, quemadmodum anima, etsi est immortalis, tamen in corpus mortale demersa videtur esse mortalis. Atque iterum ait: Noluisse mundi opificem diuinos cœlestesque hominum animos corporibus terrenis absque congruo quodam medio colligare. Medium verò eiusmodi, spiritum vehiculumque Platonicorum more cognominat. Proculus verò non modo Platonicos, sed etiam Aristotelem affirmat immortalem animam posuisse. Et eadem ratione posuisse Themistius asserit, qua & Plato posuerat. Atque postquam in libro de Anima iij. probauit vtrumq; intellectum, scilicet agentem atq; capacem, esse perpetuum, addidisse solùm hunc, scilicet ex vtroque mixtum, esse talem, passiuam verò rationem, id est phantasiam, minimè. Quam ob causam conclusisse, nos post obitum humanarum rerum non reminisci, quoniam harum recordatio per conuersionem ad phantasmata, ac propter affectum ad corporea fieri solet. Quòd ergo, inquit, non reminiscimur, ideo Themistius vult esse additum, vt indicaret animos post obitum viuere, pluresque animos, sed nihil esse mirum si corporalium non reminiscantur, quòd si perire animos putauisset, nulla fuisset ratio assignanda, ob quam minimè recordentur. Sed ad Auerroem redeamus.

Narratio opinionis Auerrois.

AVerrois cùm apud Aristotelem sępè legeret intellectum proculdubio nihil habere naturæ corporalis mortalisque admixtum, sic accepit, vt inde tria concluderet. Primum, intellectum non esse corpus, id est, non componi ex materia atque forma. Secundum, non esse qualitatem aliquam cum corpore diuisibilem, aut vllo modo à corpore dependentem. Tertium, non esse formam talem, vt queat corpus perficere, viuificare, & regere, atque ita hærere corpori, vt ex materia & intellectus substantia vnum fiat compositum, cuius esse sit vnum. Primum & secundum damus Auerroi, tertium, si Peripateticos veteres sequimur, nullo modo concedimus. Negat substantiam intellectus esse posse formam perfectricem corporis, actumque viuificum. Prima illius argumentatio huiusmodi est. Si intellectus esset talis corporis actus, ex eo & corpore vnum nasceretur compositum, & vnum esse compositi. Non potest autem ex eius congressu cum corpore vnum fieri, quin ipse euadat corporis particeps. Hanc participationem non admittit mens, quam esse ostendit ratio à corporibus absolutam. Secunda ratio. Si mens forma corporis esset, eodem pacto quæque susciperet, quo & materia suscipit corporalis. Quod enim est corporis forma, nihil absque sua materia suscipit. Materia verò quicquid suscipit, diuiduo suscipit modo, vnde formæ rerum in ea diuisæ temporales, particulares euadunt. Tales quoque caperet intellectus, nunquam igitur per suas formas vniuersalem naturam aliquam comprehenderet. Tertia ratio. Materia formas quas possidet, non agnoscit. Ita mens, si iuncta materiæ per eius consortium eodem pacto caperet, quo materia, nihil prorsus agnosceret. Quarta ratio. Impossibile est in corpore infinitam vlla ratione esse virtutem. Mentis autem virtus est quodammodo infinita. Hinc effici vult, vt mens nullum habeat commercium cum materia. Cùm verò multæ sint in natura species mentis, vnam quandam eius speciem vult esse humanam mentem, illam scilicet, quæ rerum ordinem speculatur in nobis, quandoquidem in cunctis hominibus idem est secundum speciem modus intelligendi, eademque anima specie, per quam vna secundum speciem est in cunctis hominibus vita, eademque figura. Quoniam verò vna est humana mens specie, vna quoq; sit numero

oportet, id est, vnica & singularis, non diuisa per singulos. Nam forma quæ in se vna est specie, non secatur in multas nisi adiectione materiæ. At quomodo mens humana vna in se existens diuidetur in plures, cùm nullius sit materiæ particeps. Præterea si alius esset in me intellectus, in te alius, oporteret speciem illam quæ est intelligendæ rei similitudo, aliam secundum numerum in me esse, in te aliam, secundum speciem verò eandem. Cum enim rerum intelligendarum species in mente sint quasi subiecto, oportet in aliis mentibus alias esse species & distinctas. Distinctas, inquam, numero, sicut mentes distinctæ sunt numero. Species autem aut formæ quæ multæ sunt numero, vnum specie, formæ sunt particulares, quæ ad intelligentiam conferre non possunt, quoniam vniuersale oportet esse quod sit verè intelligendum. Accedit, quòd quando alius docet alium, præceptor scientiam suam in discipulum videtur transfundere. Aut igitur eandem omnino quam habebat ipse, tradit discipulo, aut aliam numero, specie verò eandem. Si eandem specie tradit, sed numero aliam, eodem pacto scientiam generabit quo suum opus generare natura solet. Nempè quod per naturam agit, formam suam gignit in alio conuenientem plurimum specie, numero differentem. Hoc autem pertinet ad ea quę congruunt inuicem in materia. Mens verò tum docentis, tum discentis est supra materiam, atque ipsa scientia non est qualitas efficax, sicut calor atque similia. Restat itaque vt eandem prorsus scientiam numero quam possidet ipse docendo, communicet & discipulo, quod fieri nequit vnquam, nisi sit in vtrisque vnicus intellectus, ne eadem scientiæ qualitas de subiecto alio in aliud transeat, neve magister docendo, scientiam cogatur amittere. Adde, quod in nostris mentibus, si diuersæ numero, & conuenientes specie fuerint, notiones cognitarum rerum specie conuenirent, differrent numero. Quæ verò præter diuersitatem suam in specie aliqua congruunt, profectò in communi quadam congruunt notione. Communem huiusmodi notionem tam meus intellectus, quàm tuus videbit, ad quam diuersas illas colliget notiones. Sic vtrique huiusmodi notionem concipiemus, ego vnam, tu alteram, numero quoque differentes, specie congruas. Ideo rursus ad communem aliam redigemus. Atque ita in infinitum. Est autem absurdum in rebus ordinatis infinitum progressum inducere. In speciebus verò rerum ordinem esse necessarium est. His rationibus concludit Auerrois, humanam mentem, quia sine materia est, vnicam esse ac fuisse semper, & fore, esse verò hāc omnium mentium infimam. Et sicut superioribus orbibus singulis singulas mentes attribuit, ita orbi huic inferiori mentem vnam, quæ non huius hominis propriè, vel illius, vel humanæ speciei mens appelletur, vt speciei vnicæ sit vnicus intellectus, in hoc orbe inferiori (vt nonnulli ipsum interpretantur) totus vbique. Cōstare quippe hunc hominem quem videmus, existimat ex corpore hoc, & anima sensitiua, vt nominat ipse, intellectiua verò nequaquā. Sed hanc animam sensitiuam esse omnium talium animarum perfectissimam, à brutis specie differentem. Tot esse animas, quot hominum corpora oriri & occidere cum corporibus. Supremam huius animæ vim appellat virtutem cogitatricem, quam Græci nominant phantasiam. Addit animas bestiarum habere ęstimatricem vim aliquam, per quam naturali instinctu, quod bonum sibi vel malum sit, iudicent subito, ac prosequantur aut fugiant. Nostram verò animam habere vim illam cogitatricem, quæ non naturæ ductu feratur, sed ratione perquirat, consilio quodam deliberet, eligat, vt consuluit, nihil tamen sentiat vniuersale, sed discurrat solum per singula Hanc ideo vocat rationem particularem, intellectum verò rationem vniuersalem, rationem hanc particularem locat in media cerebri particula inter imaginationem atque memoriam. Opinatur enim in prima particula sensum esse communem, qui operationes quinque sensuum in se colligat. In secunda imaginationem earum imaginum conseruatricem, quas communis sensus collegerat. In tertia cogitatricem virtutem iudicem eorum quæ seruauit imaginatio. In quarta memoriam, custodem iudiciorum quæ cogitatrix potentia protulit. Igitur cogitatrix virtus mediæ partis regina quæ cęteris rebus inferioribus est proxima menti, adeò vt mens illi adsit vbique, & intelligentiam suam per eius expleat adminiculum, dum simulachra rerum in cogitatrice virtute lucentia, mentem ad intelligendum mouent. Atque hæc sola est hominis cum mente communio, non quia intellectus sit pars aut forma viuifica hominis huius qui ex corpore & anima cogitatrice componitur.

Separatur enim intellectus ab homine & in essentia, & in essendo. Sed quia præsens est vbique intellectus hominis huius cogitationi, atque ex hac particulari cogitatione ille vniuersalem haurit speciem, occa-

sionem præbet homo intellectui ad speculandum, quemadmodum coloratum lumen oculo ad videndum. Neq; ex homine hoc & mente conficitur vnum esse, sed operatio vna contingit, vna scilicet intellectio, quæ tamen non in homine est vllo modo, sed in mente sola, in mente, inquam, ab hominis cogitatione pulsata. Neque quicquam ex illa transit in hominem, sed tota completur in mente. Non intelligit homo per mentem aliquid, sed in homine mens intelligit. Atq; in ipsa mente artium scientiarumque sunt habitus. Cogitatrix anima vnitur puero à prima eius origine, mens verò diu postea, cùm simulachra in cogitatione sunt adeò pura, vt moueant intellectum. Affirmant Auerroici duas esse non vires solummodo, sed substantias ex quibus cōponitur intellectus. Sanè vim agentem esse substantiam vnam, capacem, vim substantiam alteram. Et illa natura sua lucidam formatricemque esse. Hanc obscuram penitus atque formabilem, harum æterna copula vnam constare animam secundùm esse, quemadmodum ex materia & forma vnum secundùm esse fit in natura compositum. Illam intellectum vocant agentem, hanc intellectum formabilem & capacem. Censent intellectum agentem, quia sit actus per se existens, per se intelligere seipsum semper, ita vt respiciens essentiam suam se videat, ac per se mentes quoque supernas. Intellectionē huiusmodi esse ipsam eius essentiam. Quoniam verò essentia eius semper est intellectui capaci coniuncta, sequi putant vt per hanc eandem intellectualem essentiam intellectus capax intelligat semper agentem intellectum, cuius illa met tam intellectio est, quàm essentia. Intelligat quinetiam mentes superiores. Hanc intellectionem esse in intellectu vniuerso, siue anima actum vnum stabilem & æternum. Esse quoque in ipsa parte eius formabili intelligentiam alteram, sempiternam quidem, sed variam, temporalem, atq; multiplicem, quam mutuatur à nobis. Et quia hæret propius agenti intellectui quàm phantasiæ, ac propter cōiunctionem cum temporali phantasia temporalem sortitur cognitionem, patere putant id quod diximus paulò ante, vt scilicet propter coniunctionem cum æterno illo intellectu, æternam intelligentiam habeat, tanto altera clariorem, quanto intellectui agenti familior est quàm phantasiæ. In nobis verò dubiam mutabilemque scientiam singulatim aucupari existimant, ita vt viuente Pythagora per simulachra rerum in Pythagoræ cogitatione lucentia, scientiam illam collegerit Pythagoricam, decedente verò Pythagora, & cessantibus illis simulachris, intellectus species inde acceptas scientiamque amiserit. Nam species illas à simulachris fieri atque seruari. Quinetiam viuente Pythagora toties actum suum prætermiserit intellectus apud Pythagoram, quoties suum Pythagoræ cogitatio. Vnà acceperit, vnà oblitus fuerit, inceperit vnà. Fecisse similiter in Platone, & in singulis quotidie eodem pacto. Imbui vbique ac semper variis modis per varias hominum animas, & quodammodo pasci, tot accipere species, quot in nobis simulachra fuerint, tanquam speculum imagines à corporibus, totidem actus ædere intelligendi, habitus quoque diuersos disciplinarum pro humanorum studiorum diuersitate. Et quia quotidie innumerabilis hominum multitudo cognitioni omnium studet, quotidie hinc illum omnia discere. Atque per ipsas species haustas à simulachris nostris intellectum capacem non modo inferiora, sed denique tum in cunctis hominibus, tum in hominibus sapientissimis seipsum cognoscere. Hinc agentem intellectum, inde & mentes superiores, opinantur in hoc mirabilem rerum connexionem consistere. Esse namque formas à materia penitus absolutas, ipsos scilicet Angelos, inter quos non sint plures in vna Angelica specie Angeli, sed quot sunt Angeli, totidem sint species Angelorum. Esse insuper formas penitus corporales in eadem specie plurimas, puta animalium animas, & formas illis inferiores. Interponi compositum hoc ex homine atque ex mente, ex hominum animabus multis, mente vna, quasi monstrum quoddam ingens multis cruribus & capite vno compositum, vbi & absoluta forma cum corporeis coit, & corporea cum ipsa vicissim. Atque vt par est, quod est absolutum, vnicum permanet in seipso. Quod est corporale, fit multiplex, dum vna mens innumerabilius sufficit animabus. Et illud quidem compositum ex mente & vno quoque nostrum, hominem intellectualem appellant, sed vnum quemque nostrum seorsum à mente, hominem cogitatiuum. Et primùm quidem hominem affirmant aliquid intelligere, quia pars eius, id est, mens intelligit, sicut hominem solemus simum appellare, quia nasus est simus, alterum verò hominem nihil penitus intelligere.

(∴) (∴) (∴)

Confutatio Auerrois. Quod mens sit forma corporis, patet primum ex ordine naturæ.

CAPVT II.

Magna fuit olim inter Peripateticos de mente hominis controuersia, atque adhuc sub iudice lis est. Dicæarchus eam esse formam aiebat tum corporis, tum corporalem. Corporis, quia corpus humanum viuificat. Corporalem, quia è corporis sinu depromitur. Auerrois contrà neque formam corpoream esse neque etiam corporis. Auicenna Theologorum Arabum princeps, & Alganteles mediam viam secuti, mentem asseruerunt formam quidem corporis esse, non corporalem, vt inter formas quæ corporis corporalesque sunt, atque formas quæ neque corporales sunt neque corporis, tanquam maximè differentes, mediæ quædam formæ sint partim cum illis, partim cum his quodammodo congruentes. Merito inter formas omnino diuinas, quæ ita separatæ à materia sunt, vt coniungi non possint, atque naturales omnino, quæ ita coniunctæ sunt, vt nequeant separari, formæ interponuntur mediæ, partim quidem naturales, partim quoque diuinæ, ita separatæ sunt, vt coniungi possint, ita coniunctæ, vt valeant separari. Quod quidem earum viribus actionibusque ostenditur, quæ tali quadam tum coniunctionis tum separationis inter se differentia distinguuntur. Denique non abs re inter sensum qui & in forma corporis est, & indiget instrumento, atque intellectum Angelicum, qui est vtrinque liber, intellectus est humanus, qui forma quidem corporis est, sed nullo indiget corporis instrumento. Quæ quidem sententia & communi hominum iudicio probabilior est, & libris Platonis, Aristotelis, Theophrasti atque Themistij maximè consona. Dicæarchum vna cum Epicureis satis iam libris superioribus confutauimus, Auerroem deinceps pro viribus reprobantes, Auicennæ & Algantelis interpretationem, imò Platonis Aristotelisque sententiam comprobauimus. Siquidem ex fundamentis quæ alias iecimus, ostendemus probabile esse, vt inter formas quæ solum viuificando corpori adstringuntur, sit forma media, quæ & corpus viuificet, & intelligat, vt diuini vultus imago non succumbat vbique materiæ, sed vincat alicubi. Sunt autem formæ in corporibus nihil aliud quàm idearum imagines diuinarum, sicut figuræ quæ imprimuntur in cera, sigilli aurei sunt imagines.

Si in omnibus ceris confusa fiat impressio, inertem dices illum qui impresserit tam ineptè. Ita mens diuina quæ in mouenda materia est suæ similitudinis auida, iners fortè videbitur si nunquam sui voti compos efficiatur. Fiet autem nunquam, nisi formæ huiusmodi appareant in corporibus, quæ ita fermè corporibus imperent suis, sicut mundo Deus, atque ita in se ac Deum per intelligentiam reflectantur, perinde vt Deus se vertit in Deum. Quippè diuina mens per cœlorum motum agitando materiam dicitur aliquid, imò omnia generare siue producere, quamuis non quamlibet formam vel per mutationem producat, vel ex materia ipsa educat. Quoniam verò primus ipse terminus, vnde generatio hæc vel productio vniuersalis sumit exordium, diuina ipsa mens est, vltimus quoque terminus quo talis generatio clauditur, mens quædam debet esse diuina. Terminus verò generationis vltimus in eo est quod gignitur, eiusque est forma. Quocirca aliquam esse oportet diuinam mentem, quæ sit materiæ forma. Nam si generatio ab igne facta finitur in ignis formam, facta ab homine in hominis figuram, cur non generatio vel productio quæ à diuina mente disponitur, finiatur in mentem? Non finitur generatio nisi in formam, quæ est propria & intima generati perfectio. Si ars per instrumenta tribuit tandem materiæ formam, formæ illi simillimam, quam mens artificis continet. Si corporis humani natura in generatione semen mouet, primò ad formam lactis, deinde sanguinis, tertio carnis, denique hominis. Si ignis lignum primo ad tepidum mouet, ad calidum deinde, tertio ad ignitum, quid obstat quo minus diuina mens moueat mundi materiam ad formas elementorum primùm, mixtorum secundò, Plantarum tertiò, quartò brutorum, quintò ad formam sui, id est, mentem, quæ sit corporis geniti forma, vt in nobilissimis natis parentis vultus eluceat.

Mouet autem materiam ad inferiores formas per mutationem ex ipsa materia educendas, ad mentem verò per diuinum actum potius inducendam. Si enim educeretur, mens esse non posset. Hoc autem ad diuinum ordinem pertinet, vt postquam formæ superiores animo rationali neque educuntur, neque inducuntur, formæ verò inferiores & inducuntur & educuntur, ipse animus inducatur, non educatur. Ac si tanti pretij est forma mi-

sti, vt vim actionemque habeat elementorum, forma rursus Plantarum tam valida, vt agat quicquid agunt inferiores, itemque forma brutorum, quis neget mentem habere vim actumque formarum inferiorum, ita vt ipsamet eius essentia dum intelligit, sentiatur quoque per corpus, & alat corpus?

Profectò cum natura superior totam vim naturæ inferioris & includat & superet, idemque opus effectura sit quod fit ab inferiori, dummodo instrumenta eadem ipsi suppeditentur, necesse est mentem illam quæ intra nos videt, opus alendi & sentiendi posse peragere non minus quàm animam cogitatricem. Quippè si complexionis nostræ spiritus sufficiens instrumentum menti est ad intelligentiæ ministerium, quod sentiunt Auerroici, multo magis ministrabit substantię mentis ad sensum & alimoniam. Et quia natura superfluis non abundat, non inest nobis nisi in anima formaque vna præcipua, sicuti nec corporibus aliis, cum superiores formæ inferiores contineant. Mentem humanam esse mentium omnium infimam, tum ex eo coniicimus, quod ex otio mitigat in actum atque è conuerso, tum ex eo quod intelligendi occasionem accipit à corporibus. Sic enim corporibus proxima est, quæ ex potentia educuntur in actum propter materiam, atque mouentur extrinsecus, & occasionem sumunt extrinsecus operandi. Si mentium vltima est, ideoque supremo coniungitur corpori, atque ob hanc vicinitatem ipsa à corporibus haurit ocium, motumque externum, necesse est corpus humanum compositorum corporum nobilissimum, menti coniunctum, duo rursus à mente suscipere, actum scilicet motumque interiorem. Actus à forma suscipitur, ab anima motus interior. Ergo mens infima corporis supremi forma efficitur atque anima. Quippè sicut materia quæ vltimus terminus est corporalium, non est corpus aliquod, ita mens humana quæ mentium vltimus terminus est, non est mens aliqua separata, sed per naturam coniungitur corpori. Et quia sensibus eget ad intellectionis exordium, vt per sensus percipiat corpora, eorumque quasi hauriat formas, ideo natura instituit vt tanta esset inter sensum intellectumque cognatio, quanta esse potest, quo huiusmodi haustus facillimè & exquisitissimè fieret. Non potest autem aut maior esse cognatio, aut facilius exquisitiusque ea fieri, quam si in eadem substantia animæ tam mens quam sensus. Et sicut ostrea, quæ omnium sensualium vltima sunt, ita propinquant arboribus, quæ omnium sensu carentium sunt suprema, vt partim terræ affigantur, vt arbores, partim sensu tactus vtantur, vt sensualia, sic intellectus humanus infimus inter alios ita coniungitur naturæ earum formarum quæ inter corporeas supremæ sunt, vt partim formet corpus vt illæ, partim intelligat vt mentes superiores. Merito, sicut inter ignem & aquam maximè inter se distantes, est aër, inde calens vt ignis, inde humens vt aqua, sic inter Angelos animasque brutas longissimè differentes rationalis anima interponitur, quæ & intelligat vt illi, & corpus formet vt illæ. Ac si forma quæ materiæ propinquior est, vmbra eius est quæ à materia est remotior, vt vegetatiua sensitiuæ, hæc autem intellectiuæ, sequitur intellectiuam animam per vmbram suam, ideoque per suum actum viuificum, materię iungi Principale agens sequentia mouet agentia. Principalis finis reliquos cogit fines. Materia principalis cæteras materias sustinet. Principalis itaque forma, reliquas, quoad fieri potest, formas format. Cum igitur in rebus naturalibus mens forma sit principalis, oportet vt ipsa formet quodammodo cæteras formas, omniumque gerat vicem. Quod nunquam efficiet, nisi formet materiam antea per formas inferiores congruè præparatam, atque illis quasi cessantibus, illa in seipsa vires sequentium formarum experiatur. Quinetiam si ea naturalis motus finem suum assequitur, atque talis est in formarum genere ascensus, vt gradatim magis magisque materiam nitantur transcendere, neque transcendant aliæ, necesse est saltem formam naturalium vltimam id assequi, ac non modo formare materiam, sed etiam per aliquid sui materiam prorsus excedere. Qua parte excedit corpus ac tempus, spiritibus & æternitati intelligendo coniungitur. Talem formam Platonici tum naturalem, tum diuinam apellant, quia est naturalium formarum diuinarumque confinium. Mentes cœlestium corporum gubernatrices ita sunt distributæ, vt vnaquæque vnum primò moueat corpus, & illud quidem intrinsecus, & sine medio. Multo magis mens humana vnicum in primis corpus mouere debet, & intrinsecus sine medio agitare, cum sit vicinior corpori. Vnde videtur contra naturæ ordinem esse, vt mens illa sublimis corpori sine medio coniungatur, infima verò per animam cogitatricem. Requirit insuper ordo naturæ, vt sit bonum, purum, & bonum intellectuale. Intellectus purus, & intellectus animalis, anima pura, & anima corporalis.

Primum

Primum Deus est, secundum angelus, tertium anima rationalis. Anima verò irrationalis est quartum. Igitur nisi alicubi sit forma partim intellectualis, partim viuifica, ordo naturæ confunditur, qui in eo consistit, vt Deus purum bonum sit, angelus bonum quidem intellectuale sit, sed intellectus purus, anima rationalis sit intellectus quidem animalis, sed anima pura, quia ipsa se sustinet. Anima irrationalis sit anima ideo impura, quia eget corporis sustentaculo. Sic ergo quia esse in se, antecedit esse in alio, & quod in se est, perfectione sua exuberat quoque in aliud, factum est vt sit bonum in se, bonum in mente, mens in se, mens in anima, anima in se, anima in corpore, sicut corpus summi cœli in se, reliqua verò in ipso. Quod si totum animæ genus toto genere corporeo præstantius est, debet amplius esse animæ genus quàm corporis. Itaque infimum animalis generis summum generis corporalis exuperat, propterea que mirum in modum summum generis animalis summum excedit generis corporalis. Quo fit, vt rationalis anima non modo corporis profunda ingrediatur alendo, sed etiam sublimia corporis supergrediatur intelligendo. Merito, quia quod excellentius est, minus oportet ab eo quod deterius est pendere, quàm econuerso. Sicut ergo animæ infimæ quasi continentur à corporibus, & mediæ quodammodo continentur & continent, ita sublimes omnino corpora continent. Non continent corpus omnino, nisi & intrinsecus penetrent, & extrinsecus ambiant. Et sicut ambiendo corporis superficiem anima vitam intellectualem sumit ab alto, sic intima corporis penetrando, animalem vitam tribuit infimo. Dum ambit provt à Deo est, intellectum sortitur agentem, provt residet in seipsa, capacem possidet intellectũ. Dum penetrat, provt spiritibus sese insinuat, sentit & mouet, provt se immergit humoribus alit & sustinet.

Sed ad vniuersalem rerum ordinem reuertamur. Deum dicere possumus esse formam, quæ neque hæret, neque format, neque formatur, animam verò irrationalem contrà formari, formare, hærere. Sed angelum formari quidem à Deo neque tamen hærere materiæ, neque formare materiam. Merito ergo inter angelum animamq; irrationalem, animam ponemus rationalem, tali quadam natura præditam, vt materiæ non inhæreat, formetur tamen, & formet. Præterea multum probanda videtur distinctio illa Platonica in metaphysicis Auicennæ, videlicet in mundo intelligibili procedendum esse ab intelligibili summo ad intellectus multos, tanquam à formatore ad vires inde formabiles, ac primum ab absoluto illo ad absolutos, qui nullo modo inde declinent, deinde ad intellectus qui paulum quid ad sensibilia vergant, id est, solum extrinsecus gubernanda, ita vt illis quoque, quasi extrinsecus accidere eiusmodi videatur officium. Tertio ad intellectus, qui quantum in natura intellectuali fieri potest, naturaliter ad sensibilia iam declinent, id est, intrinsecus per vitam motumque regenda. Non enim aliter & sensibilis mundus cum intelligibili perfectè connectitur, & inferiora ad superiorum exemplar pulcherrimè atque optimè disponuntur. Hinc autem quartus quidam, licet vmbratilis, sequitur gradus, vt quidam putant, quasi nodus mentium cum corporibus, vitarum videlicet irrationalium species, quæ, vt putant Platonici, tanquam vmbræ quædam mentes sequuntur per corpora procedentes.

Sed ad diuina iterum reuertamur. Deum quidem esse negat nemo, esse verò ipsum Dei, non certa quadam specie determinatur essendi, per quam fiat esse tale vel tale, ne compositus sit Deus ex communi natura essendi, & ex aliqua addita differentia, id est, essendi proprietate. Igitur esse ipsum absolutum est, nullis limitibus circunscriptum, quod existit penitus infinitum, radix immensa omnium eorum contentrix & procreatrix, quæ tale habent esse, vel tale. A simplici enim fonte omnis compositio manat. Igitur angeli esse habent, sed quisque illorum tale esse vel tale, id est, cum hac aut illa proprietate in alia atque alia specie angelorum. Quapropter esse angeli non est infinitum, sicut esse diuinum. Non enim continet amplius totius essendi integram plenitudinem, neque omne esse existit, sed vna quadam rerum specie clauditur, per quam ad vnicum essendi modum determinatur.

Par enim est, vt esse diuinum quod ideas, id est, species antecedit, perque species rebus ab ipso manantibus esse dispertit, hoc ipsum esse tradat in speciebus, ideoque diuersis speciebus modos essendi diuersos. Itaque esse angelicum in angelica specie terminatur. Species autem angelica, quam eandem vocamus essentiam, quæ esse talis est fundamentum, quodammodo est infinita, non quidem vt Deus, sed qu a secum ipsa permanet, totamque suæ speciei seruat integritatem, neque

quicquam in se accipit vltra speciem & speciei proprietates cum nulli inferiori naturæ propinquet cuius contagione inficiatur. At si essentia hæc angelica non differret ab eius esse, infinitum quoque diceretur & esse, quandoquidem in seipso & per seipsum subsisteret, esse verò vtrinque infinitum, ac per se existere, Dei solius est proprium. Item si esse eius ab essentia non differret, cum esse sit actus, certè angelus solus esset actus. Cum verò per potentiam solam participatio fiat, nullius alterius participaret angelus, essetque vndique simplicissimus, quod soli Deo congruere potest. Sic Deus infinitus est omnino, quia solum esse existit, atque esse totum, & omne.

Angelus finitus est secundum esse, secundum essentiam infinitus, adde & secundum virtutem quodammodo, operationemque. Nullius enim deterioris obstaculo cura sollicitudine impeditur, quo minus totam semper suam virtutem quantacumque illa sit, exerceat operando. Forma corporis, qualis est anima rationalis, quia incerta quadam existit specie, sicut angelus, esse habet ipsa quoque finitum, essentiam autem partim infinitam, partim verò finitam. Infinitam quidem, quoniam nihil vnquam amittit quod ad speciem suam pertineat. Eius siquidem natura est actus vitalis, rationalisque, quem actum nec dimittit vnquam, nec intermittit. Finitam verò, quoniam admittit aliquid vltra speciem, siue principia speciei, id est, affectionem hanc aut illam, ad talem vel talem humani corporis habitudinem, per quam fit forma viuifica corporis, & ad numerum corporum numeratur. Essentia huius animæ quantum infinita est, corporis capacitatem exuperat, vitamque agit intellectualem. Quantum verò finita est, proportionem habet cum corpore, cumque ipso corpoream agit vitam. Ibi vis operatioque infinita viget, hîc contra finita. Forma denique corporea vndique est finita secundum esse, essentiam, virtutem, & actionem. Secundum esse, quia esse eius certæ speciei limitibus circumscribitur. Secundum essentiam, tùm quia in se accipit accidentia plurima præter speciem, tùm quia proprium vigorem omnino non seruat. Nempe eius natura est actus efficax vel vitalis, subit autem in corpore passiones atque interitum. Secundum virtutem, & actionem, quoniam virtus eius augetur atque minuitur, & operatio quælibet eousque se extendit, quousque instrumentorum subiectorumque conducunt affectiones. Tales sunt omnes formæ anima rationali inferiores. Oportet hos quatuor rerum gradus in natura existere, vt paulatim ab eo quod omnino infinitum est, per media mixta ad ea quæ omnino finita sunt, descendamus. Quæ quidem gradatio continuari non poterit, nisi quemadmodum in mundo intelligibili infinitum est ac finitum, vt Deus & angelus, ita in mundo sensibili duæ sint illorum imagines, aliquid scilicet quodammodo infinitum, & aliquid omnino finitum, vt rationalis anima, & forma quæuis inferior. Illa quidem forma corporis est, non corporea, hæc & corporis, & corporea.

Rursus iis gradibus descendamus. Deus esse possidet à se, in se, atque pro se. Angelus non à se, quoniam à Deo, sed in se, atque pro se. Forma corporis, qualis rationalis est anima, neque à se habet esse, quoniam fit ab alio, neque pro seipsa tantum esse suum seruat, quia ipsum communicat corpori, esse tamen habet in se, quia suum esse in eiusdem fundatur essentia, suæque essentiæ actus est proprius, sicuti Solis anima secundum Platonicos in se lucet, & illuminat Solem, ita lumen, vt lumen proprium non amittat. Forma verò corporalis esse neque à se, neque pro se habet, vt etiam anima. Neque rursus in semetipsa. Ita enim est materiæ dedicata, vt ex ea & materia tale fiat compositum, in quo propriè esse ipsum fundetur, & cuius esse sit actus, forma autem eius non sit ipsius esse proprium fundamentum. Hoc ordine carere natura non debet. Careret autem, nisi esset forma quædam corporis, non corporea. Huic similis videtur esse illa Proculi nostri distinctio. Diuinum, inquit, intelligibile ipsummet est appellandum, intellectus autem purus sui ipsius, atque in seipso. Intellectus deinde animalis tum sui ipsius, quia esse suum in sua essentia possidet, tum alterius, quoniam ex ipsa sua rationali vita, vitam aliam ratione carentem quasi imaginem diffundit in corpus. Natura post hæc, id est, vitalis complexio, quasi vmbra propter vitam ab anima infusam in corpore iam ipso resultans, duntaxat alterius est iudicanda, id est, corporis, cum quo extenditur atque diuiditur. Corpus denique ob conditionem eius ex se diuersam ac penitus dissipabilem propriè alterum appellatur. Vbi apparet in ipso rerum ordine intellectum animalem siue animam intellectualem medium obtinere. Similem quodammodo ordinem Porphyrius ex mente Platonis

in commentariis in Timæum afferre videtur, in sex vniuersum gradus ita distinguens, aliqua solum esse, aliqua solum fieri, alia esse simul & fieri, alia fieri simul & esse probat. Præter ea præponit omnibus aliquid super esse, & fieri, supponit quoque omnibus aliquid sub esse atque fieri collocatum.

Esse quidem dicit omnem mentium latitudinem, siue mentes in seipsis sint, siue mentes in animabus. Contrà verò fieri vult latitudinem sensibilium, siue elementalia, siue cœlestia sint. Esse autem simul & fieri animarum genus. Ac vicissim fieri atque esse ipsam vniuersi naturam vniuersum viuificantem, quæ quidem eorum quæ fiunt, summitas est. Atque quatenus per corpora distribuitur, fieri dicitur. Quatenus verò per se minimè corporea est, dicitur esse.

Denique omnibus præponit quidem bonum, subiicit verò materiam. Quorsum hæc? vt intelligamus non posse ordinem vniuersi continuari nisi sint formæ intellectuales simul, corporumque viuificæ, solis enim his conuenire id potest vt semper esse simul fierique dicantur. Esse quidem per substantiam prorsus indiuisibilem, subitumque intelligentiæ ipsius intuitum, fieri verò per temporalem reliquarum actionum discursionem. Talem quandam formam esse oportere ratio hæc Pythagorica persuadet. Incubat, vt Timæo Locrensi placet, Deus pater materiæ matri formas tanquam proles generaturus. Est in patre fœcunditas efficax formarum omnium, est in matre fœcunditas capax formarum, præcipuè corporalium. Est in patre actus formarum efficax, est in matre potentia formarum capax. Nascuntur proles matri similes, multæ formæ videlicet, quæ ex materiæ fundo emergunt, & in idem denique immerguntur, sicut vasis aurei figura ex auro, atque in aurum. Nascantur rursus oportet proles nonnullæ patri persimiles, si modò plus aliquid pater quam mater in hoc valet congressu. Huiusmodi erunt formæ ex patris actu exilientes in materiæ faciem, & inde in patris actum resilientes, quemadmodum splendor à Sole in aurum & in Solem. Illæ quidem formæ matri similiores prius in materiæ visceribus latent quodammodo, sicut figura vasis in auro. Latent & in animorum corporumque mundanorum virtutibus, quæ sunt diuini artificis instrumenta. Deus eas per mundi motus ex materiæ eruit gremio, & pro capacitate materiæ producit in esse. Huiusmodi autem esse cuius est propriè? Compositi illius corporis quod ex hac generatione conficitur. Quare? Quia instrumentum per quod generatur à Deo, compositum est. Si ergo proxima causa est composita, & effectus solet proximæ causæ simillimus prouenire, sequitur, vt quod propriè gignitur, sit id quod est compositum. Ei verò quod gignitur, propriè conuenit esse. Proprium est igitur illud esse compositi. Non enim fit à forma vel materia, sed composito. Accedit, quòd tales formæ materiæ secundum potentiam quodammodo prius hærent, quam assequantur esse. Atque in materiæ gremio producuntur in esse, eo ipso momento quo completur esse compositi. Quoniam verò inhærendo secundum virtutem ipsi materiæ fiunt, accipiuntque esse, ideo adhærendo secundum actum, eidem materiæ retinent esse, ac tamdiu sunt, quandiu hærent. Non ergo per suum esse sunt, postquam & fiunt & sunt, & permanent inhærendo, sed per esse illius compositi cuius ipsæ partes sunt, quodve generationis est terminus. Ac meritò cum esse non habeant proprium, neque vim quidem vllam aut operationem propriam possident. Tales sunt formæ, quæ matri similiores videntur esse quàm patri. Quæ verò sunt patri similiores, quales sunt rationales animæ, ex actu mero promuntur Dei, ideo subito ad actum perducuntur essendi. Quapropter esse quasi in se habent prius, postea iunguntur materiæ. Esse habent antequam hæreant corpori, & ante corpus ordine ipso naturæ esse retinent, & post corpus esse habent proprium in seipsis. Optionem aliquam habent propriam in se ipsis, corpori non cõmunem. Esse suum quadam ex parte impertiunt corpori, operationes aliquas in corpore edunt, atque per corpus.

Quomodo mens propinquat corpori.

CAPVT III.

SEd quonam modo esse suum impertiunt corpori? Miscent ne ipsum? Minimè. Perit enim & confunditur quod miscetur. An tangunt corpus? Nequaquam. Tactus enim duorum est corporum proprius. Nunquid claudũtur in eo. Neq; istud. Non enim loco clauditur nisi corpus. Quid igitur agunt hæ formæ in corpus quando ipsi suum esse communicant? Penetrant ipsum vndique essentia sua, virtutem essentiæ suæ dedicant illi. Cum ve-

rò ab essentia ducatur esse, & à virtute profluat operatio, coniũgendo essentiam impertiunt esse, dedicando virtutem, operationes communicant, vt ex animæ corporisque congressu vnum euadat animalis esse, operatio vna. Esse quidem hoc animæ ipsius est per essentiam, per participationem fit corporis. Non immergit anima esse proprium corpori, sed corpus extollit ad ipsum. Neque capit corpus totam illius esentiæ amplitudinem, sed attingit aliquid pro natura sua, neque sustinet eam, sed sustinetur. Quo autem pacto forma non extensa molem corporis impleat, planè intelliget quisquis considerabit etiam extensam formam plurimum ita se ad corpus habere, vt quælibet eius pars æquè se ad quamlibet partem materiæ habeat, atque vicissim. Itaque cogitare possumus quamlibet huius formæ partem in singulis materiæ portionibus esse, easque ita formare, vt tota puncto cuilibet adsit. Verùm huic formæ auferamus extensionem, atque interim formandi corporis officium relinquamus. Possumus enim. Nam formare, & aliud & præstantius est quàm extendi. Itaque si materia extenditur quidem, sed non format, potest aliqua materiæ forma formare, ac non extendi. Sic videbimus indiuiduam formam totãque simul formare simul materiam totam, & quamlibet pariter eius partem. Ac si verum sit Pythagoricum illud, videlicet punctum motu suo lineam facere, lineam verò superficiem, superficiem denique simili motu profundum, facilè cogitare poterimus punctum idem motu suo seipsum totum indiuiduumque per longitudinem & latitudinem, profunditatemque diffundere. Hinc fit vt vbicunque diuidas, tangasve, reperias punctum. Quod quidem si sit accidens, à mole necessario sustinebitur. At si substantia fuerit, sicut anima in se subsistens, moli quidem aderit, atque à mole seiunctum in se perpetuo permanebit.

Quomodo adsit mens corpori.

CAPVT IV.

Anima hæc tam excellens nunquid materiæ informi sine medio iungitur? Semper forma perfectior imperfectiores formas intra se continet, quemadmodum quadrangulus triãgulum comprehendit. Rationalis anima si intelligendi vim habet omnium præstantissimam, habet etiam sentiendi, alendi, atque regendi. Ideo in animæ rationalis virtute clauditur anima sensitiua & nutritiua, forma quoque mixtorum vita carentium. Accedit materiæ rationalis anima iis omnibus prædita formis, perque formam suam seu virtutem quæ mixtorum corporum vita carentium gerit vicem, hæret materiæ informi quàm proximè, atque in ea quatuor elementorum constat complexionem, dum partes materiæ deuincit in vnum, ac temperat elementa. Per formam suam quæ plantarum habet vim, hæret corpori ex materia & complexione composito, illique elementorum complexioni tribuit motum in quamlibet loci partem, qui vita vocatur. Per formam animalium propriam, iis se accommodat, spiritumque procreat sensuum instrumentum. Per formam rationalem, reliquis imperat.

Itaque per infimam vim suam est forma materiæ, per secundam forma est corporis mixti, per tertiam plantæ, per quartam forma est animalis, imò forma formarum. Ex quo fit vt rationalis anima & corpora formet magis quàm reliquæ formæ, quia per plures virtutes format & formet purius, quia informem materiam per pedem suum tangit cominus, per caput autem eminus prospicit.

Quemadmodum ignis ex quatuor caloris proprij gradibus, primum gelido ligno infundit, secundum ligno iam tepido, tertium ligno per duos iam calido, quartum tribus illis gradibus insuper addit, per quem fulget supernè. Sic animæ rationalis essentia quatuor quibusdam referta gradibus, mixto, vitali, sensuali, intellectiuo. Primum materiæ applicat, secundum adhibet primo, secundo tertium adiicit, tertio addit quartum, vbi tam secundum totam essentiam quàm secundum gradus omnes materiam formare videtur, licet secundum essentiam quidem totam formet eodem modo, secundum verò omnes gradus alio atque alio. Primus siquidem forma est materiæ, secundus est forma mixti corporis, tertius forma est formæ vitalis, quartus est corporalium omnium forma formarum, per tres gradus anima particularis euadit, per quartum remanet absoluta, formarumque capax absolutarum. Quid mirum si in hoc eius excellentissimo gradu aliqua apparet vis operatioque diuinis persimilis, quibus ex eo hic gradus sit proximus, quòd sit à materia remotissimus, cum in nonnullis mixtorum corporum formis propter temperationem aliquam cœlestibus corporibus

congruam, vis aliqua actioque resultet aliena quidem ab elementis, ex quibus illius formæ subiectum componitur, consentanea verò cœlestibus quibus temperatione fit similis? Neque mirum videri debet, animam, licet sit forma corporis, habere tamen virtutem aliquam corpori non communem, quoniam angeli neque secundum essentiam, neque secundum præparationem ad essentiam, ex materia eruuntur, animæ verò irrationales per vtrumque. Animarum ergo rationalium, quia mediæ sunt, media debet esse conditio. Nequeunt autem ex materia per essentiam pullulare, quin secundum præparationem ex materia pullulent. Quocirca secundum præparationem scaturient quidem, secundum verò essentiam minimè. Quod si virtus essentiã sequitur, nulla virtus angeli corpori est cõmunis. Omnis autẽ bestiarum virtus est animæ simul & corporis, quia simul cum essentia trahitur ex materia, virtus autem animæ rationalis in sola eius essentia est, cum ea descendens ex alto. Et quoniam huiusmodi anima proportionem corporis superat, neque est in corpore, sed corpus in ipsa, corpus omnem ipsius virtutem non comprehendit, attingit autem virtutis alicuius nonnihil, propterea quòd anima quæ secundum præparationem pendet quodammodo ex materia, vsque adeò afficitur corpori, vt interiores vires suas illi accommodet proportione quadam, perque illud libenter operetur, atque in illo. Neque absurdum putari debet rationalem substantiam coniungi materiæ, quia non potest aliter ordo naturæ seruari. Est enim spiritus aliquis à materia separatus, rationalis, incorruptibilis, qualis est angelus. Est & spiritus coniunctus, irrationalis, corruptibilis, qualis est anima bestiarum. Distant duo hæc nimium. Nempe in genere ipsius spiritus sunt, atque inter se per tres differentias differunt. Quid ergo inter hæc medium est? Non spiritus aliquis qui solum sit separatus, talis enim esse nequit, quia oportet si separatus est, rationalem quoque immortalemque esse. Non spiritus aliquis qui rationalis sit tantum, oportet enim spiritum talem coniunctum insuper esse, vel separatum. Non spiritus solum incorruptibilis, quoniam necesse est ipsum rationalem præterea esse. Non spiritus separatus rationalisque tantum, nempe oportet ipsum etiam incorruptibilem ponere. Non spiritus separatus & incorruptibilis solum, nam si duo hæc habet, habet & rationem, quia cum neque sensum exerceat, neque alimentum, frustra erit, nisi operationem habeat rationis. Non spiritus coniunctus, irrationalisque solum, talis namque etiam est mortalis. Non spiritus coniunctus, immortalisque duntaxat, qui enim cum angelis communem habet immortalem vitam, communem habet intelligentiam. Non spiritus coniunctus rationalis, atque caducus, quia si communem habet cum angelis intelligentiam, quæ vitæ ipsius in seipsam reflexio quædam est, communem habet & vitam. Sit ergo oportet in corpore spiritus aliquis medius extremorum, qui & rationalis & incorruptibilis sit. Conueniat cum vtrisque, quia spiritus est. Differt ab angelo, quia est coniunctus. Differt à bestia, quia rationalis. Conueniat cum angelo propriè, quia immortalis. Conueniat propriè cum bestia, quia coniunctus. Imo cum oporteat inter illa extrema esse medium ab vtrisq; quodammodo æquè distans, & æquè particeps vtrorumque, necesse est esse spiritum aliquem qui partim separatus, rationalis, sempiternus sit, partim cõiunctus, irrationalis, atque caducus. Talis maximè humanus est animus, in cuius summo tres primæ illæ conditiones sunt, in infimo tres sequentes, in medio sex omnes mixtæ inuicem, & musicis, (vt Plato inquit) modulis temperatæ.

Quomodo mens insit corpori.

CAPVT V.

At quonam pacto rationalis anima coniungitur corpori? Non vt solidum corpus solido. Nam corpora hæc solida quæ solo tactu iunguntur, neque simul sunt omnino, neque simul agunt, vt anima atq; corpus simul omnino sunt, simul & operantur. Proinde omnium absurdissimum esse videtur, animam efficacissimam vitalis motionis originem, densis crassisque corporibus comparare, quæ quanto magis corporeæ proprietatis dicuntur habere, tanto minus naturalis actionis vitalisque motionis possidere videntur. Nempe si diuidantur, remanent dissipata, neque, sicuti puriora solent, mox in suam redeunt vnionem. Contrà verò, quæ quàm minimum corporeæ crassitudinis habent, dum videntur à solidioribus percuti, ictum facillimè vitant, dum penetrari, efficacissimè penetrant, dum diuidi, adeò in vnitatem suam velociter reuertuntur, vt discessisse ab ea minimè videantur. Igitur, vt

dicebamus, anima non vt solidum corpus solido iungitur. Rursus non vt aqua vino. Corpora enim hæc mollia mutua mixtione vim priorem amittunt, ac desinunt esse quod erant. Anima cum sit incorporea, neque materiam cum hoc corpore communem habeat, non potest cum corporis huius qualitate misceri atque confundi. An forte sicut calor ignis aqua? Hoc potius modo. Calor siquidem non est corpus, ideo est similior animæ. Sed neque id satisfacit nobis. Nam pars caloris in aquæ parte est, non totus in tota. Forsitan vt vox aëri. Vox enim forsitan vna eademque tota est in qualibet aulæ parte, cum tota audiatur in qualibet. Mouet aures, nunciat aliquid intellectui. Quemadmodum anima tota est in qualibet particula corporis. Corpus regit simul atque intelligit. Sed nescio quid fragile vox habet, & passioni subiectum. In fractione aëris nascitur, leuique retruditur aura. Sed habeo interim similius aliquid, videlicet imaginem coloris in aëre ad oculos venientem. Spiritalis hæc est, currit momento, attingit procul, tota occurrit vbique, venti non patitur impetum, pingit aërem, format visum. Simile admodum est id quidem, sed hoc differt, quòd aërem non regit neque gubernat, sicut anima corpus. Sed ecce gubernat nauem aliquam gubernator, & est in naui. Num ita & anima se habet ad corpus? Non, quia gubernator nauem non implet, non adest toti, non per se mouet solum, sed per gubernaculum. At nunc in gubernaculo hoc inueni animam, quoniam cum per ipsum nauta regat nauem, ars gubernatoria non modo in nauta est, sed & transit in gubernaculum. Tota in eo fit toto, regitque ipsum, hæc ipsa est anima gubernaculi. Sed hæc nihil naturæ suæ tribuit substantię gubernaculi, sed agitat solum ipsa quidem extrinsecus agitata, anima verò aliquid tribuit corpori, & suapte natura mouet. Tolle quęso oculos in cœlum Philosophe, Cœlestem quæris animam in terra vel mari. Suscipe Solis lumen. Vnum hoc & indiuiduum est, vt ita dixerim, in qualibet aëris parte totum. Aërem illuminat, calefacitque, ipsum verò nihil sumit ab aëre, neque vim alicubi patitur, neque vllis sordibus maculatur. Fluitat aër ventis, manet lumen, vt vult Plotinus. A Sole est, momento transit in aërem. A Sole iterum non separatur, reflectitur & in Solem. Sine ipso aër mortuus est, cum sit frigidus & obscurus, forma qualibet destitutus. Duas habet lumen qualitates, fulgorem atque calorem. Fulgorem quidem exercet in aëre, non tamen tribuit aëri, calorem tribuit. Vnde occidente Sole non extinguitur, vt Plotinus putat, sed vnà cum Sole subitò totum recedit lumen, caloris ad multam noctem reliquiæ relinquuntur, quasi aër factus fuerit caloris particeps, non fulgoris. Sed præstet, si placet, fulgorem non largiatur. Esse quidem lucis illius quid est aliud quàm lucere? Sine illa non lucet aër, sine aëre illa lucet. Siquidem vera est Plotini sententia, lumen non à perspicuo vllo pacto, sed à solo Sole continuè dependere, ipsumque semper, vtpote quod sit actus quidam ipsius perpetuus, comitari. Sed pergamus ad reliqua. Accedit lux aëri, lucet ibi lux, sicut & ante in seipsa, lucet aër, qui non ante, per se lux illa lucet, per lucem aër. Nunquid aliud est lucere lucis & lucere aëris? Nequaquam, alioquin remaneret fulgidus aër abeunte luce. Vnum igitur est lucere, quo lucet vtrumque, sed luci per essentiam conuenit, per participationem conuenit aëri. Vnum igitur esse quodammodo vtrisque competit, nec est lumen in aëre, quamuis ita vulgo dicatur, sed est aër in lumine, si modò quod angustius est, passionique obnoxium, ampliori & impatibili continetur. Similiter hominis anima à Deo dimittitur in materiam, transit in eam subitò, neque discedit à Deo, sed vtrumque simul agit, regit corpus, atque etiam veritatem ipsam rerum omnium (quæ est ipse Deus) miro quodam (vt disputat Plotinus) modo attingit per intellectum. Rursus sicut lumen in Solem reflectitur, sic ipsa in Deum per voluntatem, provt semper bonitatem rerum omnium appetit, quæ ipse est Deus. Implet corpus sine offensione, vt aërem lumen, totaque similiter toti adest, patiente corpore non patitur, sed sentit & iudicat passiones. Non fluit corpore labente, sed constat. Duas habet vires præcipuas, iudiciariam, & vitalem. Iudicium non tradit corpori, sed ipsa peragit. Vitam corpori mutuat vel largitur, quatenus vim quandam suæ vitæ imaginariam ipsi communicat. Vnde indicat anima sola, non corpus. Viuit autem corpus & anima. Quapropter anima decedente sensus abit protinus, vestigia verò vitæ manere videntur ad tempus, calor scilicet atque motus. Animæ esse, viuere est, quandoquidem animæ essentia est vita, per quam formaliter viuit corpus. Esse quoque animantis nihil aliud est quàm viuere. Non tamen aliud est viuere ipsum animæ corpori copulatæ,

aliud ipsius compositi viuere, imò sicut per vnam eandemque vitam, id est, animæ essentiam viuit vtrumque, sed anima per suam, corpus per alienam, ita vt plerique iudicant per vnum duntaxat viuere, vtraque sunt dicunturque viuentia, per suum anima, corpus per alienum. Atque vt supra tetigimus, anima non est in corpore, quamuis ita appareat illis qui corpus videntes quidem, animam verò non videntes, latere animam in corpore tanquam vasculo arbitrantur. Qui verò inspiciunt animam ingredientem corpus intrinsecus, extrinsecus supergredientem, complectentemque & sustinentem, atque mouentem puluerem hunc exiguum, vndique proculdubio corpus esse in anima confitentur. Quis dubitet eam esse corpore ampliorem, cum parte sui æquetur illi quodammodo, scilicet vitali potentia parte excedat, scilicet iudiciaria facultate?

Itaque corpus tanquam angustius atque labile in anima est ampliori prorsus & stabili, perinde vt id quod continetur in continente. Quamuis ergo tota anima adsit corpori, non tamen corpus toti adest animæ, sed parti infimæ solum, id est vitali. Quod hinc confirmari videtur, quia cum anima sit virtute longè maior corpore, & à virtute motus amplificatioque proueniat, oportet animam non modo toti adesse corpori, verùm etiam secundum præsentiam (vt placet Iamblicho) corpus excedere. Et quia est indiuisibilis, vbicumque est, illic est tota. Corpus autem sicut non toti æquatur virtuti animæ, sic non æquatur toti eius præsentiæ. Id sensit Plato in Timæo, quando dixit, mundi opificem corpus in anima statuisse Iterum in libro decimo de repub. vbi inquit, mundi corpus inter necessitatis genua volui, id est, infima cœlestis animæ parte regi atque moueri. In Phædro etiam animas affirmauit supra cœlum caput extollere. Verùm quamuis anima ita corpus excedat, non tamen impossibile cuiquam videri debet eam vsque adeò ad se materiam trahere, vt vnum reddat compositum. Cum enim proprium sit formarum perficere, & sibi deuincire materiam, & materiæ partes inuicem copulare, quo præstantior forma est, & quo magis materiæ dominatur, eo perfectius hoc efficere potest. Faciunt autem id formæ quælibet infimæ, quid obstat quo minus faciant & sublimes, modò id naturaliter cupiant? Quod si angelicæ minime faciunt, id ex eo prouenit, quod nullam prorsus inclinationem habent ad speciem aliquam animalis sua coniunctione complendam. Fieri verò hoc à mentibus Platonici omnes & Peripatetici veteres voluerunt. Nullus enim illorum repertus est qui non affirmauerit sphæras cœlestes esse animis rationalibus animatas. Testantur id inter Platonicos præ cæteris Plotinus, Porphyrius, Iamblichus, Proculus, inter Peripateticos autem Theophrastus, Auicenna, & Alganteles. Qua in re Ptolemæus quoque & Albumasar, & Zaeles, & Manilius cæterique præcipui authores Astronomiæ nobiscum sentire videntur, quando videlicet affirmant cœlestia corpora esse diuinis animabus mentibusque prædita, ac tanquam animalis quædam diuina ipsi Deo omnium rectori parere. Neque id quidem iniuria. Nempe cum viderent nonnulla quæ ad animos pertinent, ex stellis prænunciari, non aliter id fieri posse putabant, quàm qui stellæ animatæ sint, videntque futuras hominum actiones, suisque quodammodo nutibus indicent, præterea sicut corporum illarum radij in corpora nostra, sic animorum earundem radij in nostros animos influant. Omnia verò à causis illis ordinatissimis ordinata bonaque mitti, posse tamen ex diuersa multarum circa nos causarum commixtione, materiæque defectu peruerti, adeò vt Mercurialis prudentia in malitiam, Martia magnanimitas in ferocitatem, Venerea charitas in libidinem conuertatur, similiterque de cæteris, quemadmodū & radij Solis inde quidem blandi mittuntur, sed hic sæpe recipiuntur edaces. Verùm hæc iam tanquam in præsentia superuacua dimittamus.

Quod mens sit forma corporis, patet ex opinionibus actionibusq; humanis. Ratio prima, quia homo est animal rationale.

CAPVT VI.

NOn solum verò rerum naturalium ordo demonstrat eandem esse animam quæ in homine speculatur & sentit, vt in superioribus declarauimus, verùm etiam sapientum sententiæ, atque operationes humanæ. Omnes philosophantes in hac sententia consenserunt, hominem esse speciem quandam rerum, cuius differentia propria, per quam à brutis differat, sit ipsum rationale. Oportet autem differentiam propriam ab intrinseca rei forma semper accipere. Nihil enim ab alio differt secundum speciem, nisi per naturam interiorem. Non sumitur autem rationale ab anima solum cogitatrice, quia in ea est

ratio duntaxat particularis, homo autem ad commune bonum decusque dictis factisque rationaliter operatur. Eius igitur differentia ab vniuersali sumitur ratione, hæc autem in mente est. Mens igitur forma illa est per quam quisque nostrum in humana specie collocatur. Si autem fuerit secundum esse ab homine separata, ex ipsa & homine hoc species vna non fieret, atque homo propter interiorem carnem carneus proprius diceretur, quàm propter rationem exteriorem rationalis. Neque dicat Auerrois hominem esse aliquid congregatum ex animali cogitatiuo ac mente, totumque ipsum propter alteram eius partem rationale cognominari, sicut corpus simum quia simus est nasus. Primo enim nasus corpori continuus est, mens autem cogitationi nequaquam.

Deinde mens huiusmodi species quædam est seorsum ab animali cogitatiuo, & hoc animal est species per se à mente seorsum. Non transit autem de specie in speciem separatam differentiæ cognomentum. Et sicut non dicitur apud Auerroem mens cogitatiua & sensualis propter cogitatricem animam cui propinquat, sic neque cogitatrix anima dicetur rationalis siue intellectualis propter mentem. Neque rursus transibit cognomentum differentiæ in tertium aliquod quod ex illis efficiatur. Vna enim differentia vnam quandam exigit speciem, atque contra. Illa verò vnam speciem non conficiunt, quia neque in vnam essentiam neque in vnum esse congrediuntur. Omnino autem ridiculum est, hominem accipere differentiam per quam est homo, à mente vnica & separata. Sic enim singulæ personæ vnus homo erunt, animalia multa, & natura speciei remanebit vniuersalis, natura generis iam facta particulari. Neque minus ridiculum est humanam speciem in eo cumulo collocare, quia sicut non erit simpliciter vnum, sic non erit (vt ita loquar) ens simpliciter, neque substantialis aliqua rerum species, sed contingens aceruus, eo maximè, quia ex duabus rebus quæ per se secundum perfectam speciem actu existunt, non fit vnum per se verum, sed falsum vnum, & id quidem alio vinciente. Non enim in alterius se gremium iacit quod per se omnino existere potest, neque admittit naturaliter intra se alterum, quod sibi ipsum sufficit. Imò verò cum res quæque per actus suos inuicem distinguantur, ideoque actus sit separationis principium, quæ actu existunt, aduersantur coniunctioni. Mens verò & animal actu subsistunt vtraque, neque possunt ab alio copulari, vt in sequentibus ostendemus. Esse autem rationem vniuersalem in anima, qua sentimus & viuimus, propterque illam nos rationalem, cognominari, docet in libro de moribus Aristoteles. In primo libro inquit, mentem esse in anima sicut est in oculo visus. Partes item animæ duas esse, ratione carentem, & rationalem. Primam distinguit in duas, in nutritiuam partem, quæ nunquam obtemperat rationi, & sensitiuam, quæ quandoque obtemperat. Alteram pariter diuidit in actiuam rationem, & speculatricem. Virtutes morales ponit in voluntate, & appetitu rationi obediente, principia virtutum moralium in actiua ratione, virtutes speculatiuas in ratione speculatrice. Idem facit in sexto, vbi etiam asserit rationalem vim esse humanæ animæ partem, atque hanc duo agere, scilicet cognoscere & gubernare humana per prudentiam atque artem, & naturalia diuinaque per sapientiam contemplari, quæ intelligentia & scientia continetur. In Problematum libro inquit: Natura parens & author omnium, instrumẽta nobis duo inseruit, quorum opera pro instrumentis extraneis vti valemus. Manum inquam corpori dedit, animo mentem. Est enim mens quoque rebus à natura nobis impertitis annumeranda, vicem sanè gerens instrumenti. Hæc ibi.

Ratio secunda, quia homo intelligit.

CAPVT VII.

ARistoteles hominem esse vult animal ex corpore ac mente compositum. Siquidem in libro primo de moribus, statuit de felicitate hominis propria disputare, quæ in propria hominis operatione consistat. In decimo operationem hominis propriam esse inquit, intelligentiam, quia sit secundum mentem, quæ magis propria nobis est quàm sensus, quæ suprema pars animæ sit. Addit nos vel mentem esse, vel maximè mentem, cum tamen velit nos esse compositos. Quasi mens sit forma hominis maximè naturalis. In primo libro de anima inquit, potius dicendum esse hominem per intellectualem animam intelligere, quàm ipsam animam intelligere. Vbi fatetur Auerrois intelligentiam propriè sicut & sensum esse totius compositi. Vnusquisque etiam experitur in seipso se aliquid intelligere, neque id facit nisi per intellectum. Nos quoque in

præſentia quonam pacto intellectus naturam inueſtigaremus, niſi ipſi nos intelligeremus? Et quoniam intellectu magis pro arbitrio noſtro vtimur quàm phantaſia, quæ ſæpe cogitur aliunde, familiarior naturaliorque nobis intellectus eſt quam phantaſia. Si Auerroici interrogentur quidnam illud ſit quod intelligit propriè, cum dicit Ariſtoteles & Auerrois, hominem propriè intelligere, reſpondebunt neque mentem eſſe illud, non enim apud eos mens eſt homo, neque animal cogitatiuum, quia non habet intelligendi virtutem, ſed aceruum quendam ex mente & huiuſmodi animali, & actionem mentis, quæ intelligentia eſt, ipſi toti ideo attributi, quia ſoleat actio partis ſæpe aſcribi toti. Stultum id quidem. Primo, quia aceruus talis non eſt in aliqua vna ſpecie, aut genere vno, neque eam habet vnionem per quam in vna operatione, qualis intelligentia eſt conueniat.

Deinde, quia partis actio tunc toti aſcribitur quando pars illa vel continuatur cum altera in vnam eſſentiam, ſicut hominem videre dicimus, quia videat oculus. Vel ineſſe vnum, ceu cum dicimus ignem calefacere per calefactionem quæ prouenit à calore & forma, quæ talis pars ignis eſt, vt materiam alteram ignis partem formando ad vnum eſſe perducat. Vel in vnum agitationis effectum, veluti cum dicimus animam vnà cum brachio enſem vibrare, quia motio talis ab anima in enſem per brachium tranſeat. Mens autem apud illos neque continuatur cum animali in eſſentiam vnam, neque in vnum eſſe, vt conſtat, neque etiam in vnum agitationis effectum, quia intelligentia nunquam mente egreditur quò poſſit alteri præter mentem communicari, neque expletur per aliquod inſtrumentum. Ex quo fateri coguntur contra ducem eorum Ariſtotelem propriè dici mentem intelligere, hominem verò intelligere dici non poſſe, niſi impropriè admodum & abſurdè. Neque adducant conſuetum illud exemplum de cœlo, quòd cœlum nonnunquam dicatur mouere ſeipſum, quia pars eius altera moueat alteram, atque ita homo intelligere, quia pars eius intelligat. Exemplum non conſonat. Nam motus à mente cœli tranſit in cœlum, intelligentia verò neque ab humana mente tranſit in animal, neque econuerſo, ſed afferent rurſus aliud æquè ridiculum, quòd cœlum à nonnullis intelligere affirmetur, cum tamen pars eius intelligat ſola. Quamuis rarò id audiatur de cœlo, quod intelligat, de homine verò ſemper, tamen quicumque illud dixerit, falsò ac ſtultè loquetur, niſi forſitan exiſtimet mentem illam cum cœlo in vnam ſpeciem conuenire.

Proinde quicunque aiunt omnes homines per vnam mentem, & illam quidem ab hominibus ſeparatam, intelligere, non minus delirant, quàm qui dixerint omnes per eundem oculum ab omnibus ſemotum ſingula cernere. Denique quando interrogantur quare nos operari dicimur ex eo quod ſeparata mens operatur, reſpondent, quia licet illa non ſit forma à qua habeamus vt ſimus, ab ea tamen habemus vt operemur. Quæ quidem reſponſio ideo ridicula eſt, quia idem probat per idem. Afferunt Auerroici arctiorem quandam (vt putant) copulam inter mentem & animalis huius phantaſiam, per quam fiat homo vnus, atque intelligens, quia ſcilicet mens ſpeciem per quam intelligit, haurit à ſimulachro quod ſibi per ſenſus formauerit phantaſia. Si enim ſpecies ſit forma mentis, ſimulachrum verò forma ſit phantaſiæ, ſequi opinantur vt quoties ſpecies cum ſimulachro copulatur, toties & mens conſpiret cum phantaſia. Copulari verò toties, quoties dependet ſpecies à ſimulachro. Id verò fieri quoties homo aliquid ſpeculatur. Nos huiuſmodi copulam ſufficere non putamus.

Quo enim pacto poteſt ſpecies intelligibilis eſſe nodus quo phantaſia menti deuinciatur, quæ talis eſt, vt quamdiu inhæret ſimulachris phantaſiæ tanquam in particularibus fundamentis, particularis ſit, & à mente ſeiuncta permaneat, & cum primum in mente ſit facta vniuerſalis, iam procul abſit à phantaſiæ ſimulachris. Nunquam ergo phantaſiam noſtram menti ſpecies alligabit, quæ non poteſt in ambobus ſimul exiſtere. Actus quidem intelligendi in ſola mente eſt, quod nemo negat, mens autem id intelligere ſolet, cuius habet ſpeciem & ſimilitudinem in ſeipſa. Quare ex hoc ipſo quòd mens ſpeciem per quam intellectura eſt aliquid, à phantaſiæ ſimulachris accipit, nullo modo id ſequitur vt phantaſia intelligat quicquam, ſed potius vt ipſa aut eius ſimulachra aut obiecta intelligantur. Quiſquis igitur mentem cum phantaſia coniungens profitetur ſe ex iis duobus vnum aliquid intelligens conſtituere, nihil plus agit quàm vt ex intelligente ac re extra mentem intellecta intelligens vnum conficiat, perinde ac ſi ex viſu & re viſa vnum quiddam efficiat videns. Niſi forte quis velit ſicut ex igne calefaciente & aëre

inde calefacto, vnum quiddam fit calefaciens, quando ignitus aër calefacit manum, ita ex mente intelligente ac phantasia vel intellecta, vel quomodocunque per intelligentiam agitata, vnum ædi rursus actum intelligendi, quo ambo rem extra phantasiam positam intelligant. Quod si contingeret, iam mens illa sublimis, & separata vim intellectualem phantasiæ communicauisset, quemadmodum ignis aëri calorem prius quàm actum extrinsecus calefaciendi communicat. Imò etiam magis, quoniam actus intelligendi semper clauditur intellectu, neque transmigrat foras, quo fit vt nequeat tradi cuiquam intelligentia sine mente. Atque ita mens humano corpori inesset tanquam forma, quod in præsentia quærimus. Quanquam coniunctio illa fieri nequit, quoniam intelligentia non expletur per instrumentum.

Denique vt conuincant intelligentiam vniuerso illi aceruo esse communem, connexionem talem in medium rursus adducent, vt quando phantasia imaginem rerum aliquam concipit, eadem statim suscipiatur in mente, atq; in phantasia phantasma vocetur, & particularis appareat atque multiplex, in mente verò vocetur intelligibilis species, & absoluta penitus videatur & vna, cum tamen vna eademque forma sit, quæ quoniam mentem simul format & phantasiam, vnum conflat ex vtrisque compositum, quod appellatur homo. Quoniam verò intelligentia speciem intelligibilem sequitur, species autem est forma compositi, intelligentia propriè composito assignatur. Cuius quidem connexionis exemplum ostendent in oculo, in quo spiritus est visiuus, lumen autem per coloris imaginem coloratum visiuo spiritui se insinuat, ac spiritus vicissim penetrat lumen, vbi coloris imago quæ in lumine est, eadem penitus fulget in spiritu, ideoq; ex lumine & spiritu facit vnum. Nos autē negabimus fieri posse vt eadem omnino forma in subiecto æterno proximoque suscipiatur simul & corruptibili. Tàm enim diuersos habent modos essendi formæ omnes, quàm diuersa subiecta sunt à quibus suscipiuntur. Forma igitur esse longè diuersum habebit in mente & phantasia. Vbi autem esse duo sunt, multumque diuersa, duæ quoque & diuersæ admodum formæ sunt, quæ sunt essendi principia. Quin etiam si concesserimus eandem in ambobus esse formam, neque sic quidem intelligentia communis erit. Siquidem ibi solum intelligentia est, vbi propria & intrinseca intelligendi principia sunt. Hæc verò sunt duo, virtus intellectiua, & intelligibilis species per modum penitus absolutum. In phantasia verò neque vis intellectiua est, neque modus speciei intelligibilis absolutus. Nihil igitur nodus ille conducet ad hoc vt homo intelligat, sicut neque imago coloris, licet eadem sit in lumine atque in spiritu, efficiet, aut lumen aut congregatum ex lumine ac spiritu videat. Solus enim videt spiritus ille visiuus, in quo solo est & videndi virtus, & imago coloris secundum visiuum modum. Neque vlterius nobis obiiciant congregatum illud ideo intelligere, quia phantasia offerat intellectui quæcunque sit intellecturus. Sic enim animal quoddam similiter constituetur ex lumine atque spiritu, quod vocabitur visiuum animal, totumque videre affirmabitur, quia lumen spiritui offert quod videat. Resipiscant igitur quandoque Auerroici, & cum Aristotele suo consentiant, illud quo quid actionem propriam exercet, formam esse eius propriam, speciei que effectricem, propriam verò hominis actionem esse intelligentiam, per quam specie differat operando à brutorum actionibus, ideoque per intellectum tanquam intimam formam specie differre in essendo ab irrationalium animabus. Nonne ex hoc Aristoteles ostendit animam esse formam, quòd per eam animal viuit & sentit, homo autem intelligit, ac duntaxat per intellectū, itaque in ea quæstione qua principium quo intelligimus indagabat, naturam mētis denique tradidit, dicens intellectiuam animæ partem esse illam qua intelligimus. Quod autem plurali vtitur numero, ostendit non separatum quiddam, sed nos propriè intelligere. Atque in ipsa hominis anima intellectum tùm agentem collocat, tùm capacem. In secundo libro de anima definitionem omni animę communem esse hanc inquit: Anima est actus corporis Physici organici potentia vitam habentis. Siue, anima est principium viuendi, sentiendi, secundum locum mouendi, intelligendi. Rursus. Anima est id quo viuimus, & quo sentimus, ac intelligimus primo. Ex his autem duabus descriptionibus concludit primam quasi per syllogismum. Cum verò non debeat syllogismus ex terminis æquiuocis fieri, consequens est vt illa dictio actus, idem vbique significet, id est, actum corporis naturalem, quod ipse statim aperit, quando subdit diuisionem substantię in materiam, eiusque formam, & quod ex aliis com-

ponitur. Dicitque animam omnem esse eam formam quæ pars altera sit compositi. Iterum, vbi est intelligendi potentia, sunt etiam sentiendi & nutriendi potentiæ. Ac sicut triangulus est in quadrangulo, sic anima vegetatiua in sensitiua. Atque hæc in anima intellectiua. Et quamuis intelligendi vim dicat separari, id est, distingui, & separabilem esse ab aliis tanquam perpetuum à caduco, tamen dicit insuper intellectum distingui ab aliis, vel subiecto, vt prisci putabant, qui rationem capiti, iracundiam pectori, libidinem iecori tribuere videbantur, vel distingui potius ratione quadam, sicut in eadem superficie concauum à conuexo. Præterea laudat eos præ cæteris, qui hominis animam esse quidem incorpoream, sed tamen corporis aliquid, id est, actum talem in tali quodam subiecto, arbitrarentur. Hinc in tertio libro de anima dicit: Cum intellectus non sit à corpore separatus, perscrutandum erit aliàs, vtrum formas à corpore separatas intelligere possit. Euidentissimè autem in libro naturalium secundo id aperit, vbi vult animam hominis esse formam naturalem, & separatam à materia, atque coniuncta. Coniunctam quidem esse dicit, quia terminus sit generationis humanæ, separatam verò eam arbitror dicere propter intelligentiam. Hæc verò neque de anima cogitatiua, neque de vnica mente rectè intelligi possunt. In libro etiam duodecimo de diuinis, vbi negat formas materias suas præcedere, sequi verò post materiam, eam duntaxat formam concedit, quæ sit anima intellectiua, manifestè declarans animam nostram esse formam corporis, incipere cum corpore, neque tamen desinere. Neque intelligi verba illa possunt de Auerroica mente, quæ inter mouentes causas numerabitur potius quàm formales, & corpus antecedit humanum, neque corpori nostro ab ipsa genitura coniungitur, quod est contra ordinem illum quo Aristoteles in secundo libro animalium vtitur, vbi ab ipsa origine nobis adhibet intellectum, licet extrinsecus descendentem. Theophrastus quoque & Themistius intellectum ab initio coniungi nobis, atque esse animæ nostræ insitum confitentur. Quod si legitur apud Aristotelem, quod genitum est, fore corruptioni obnoxium, nihil ad animam, quæ non per motum genita est, sed creata momento. Verum sit omne quod cœpit, apud Aristotelem corruptibile, dummodo natura sua sit tale, seruetur tamen semper Dei virtute, quod à Deo processerit sine medio, quod totum à Pythagora inuentum est, à Platone probatum. Si fuit semper hominum generatio, extet nunc multitudo animarum innumerabilis, dummodo in eadem specie sint. Species verò infinitæ esse non possunt. Res autem eas quæ & spiritales sunt, & eiusdem speciei, esse posse innumerabiles ex eo indicant quidam Peripatetici, quòd à colore & lumine innumerabiles imagines in aëre procreantur. Sunt tamen Philosophi nonnulli, qui non semper fuisse generationem hominum arbitrentur. Mitto nunc Pythagoricum illud, generationem scilicet sempiternam, sempiternum quoque certumque numerum animarum corpora commutantium.

Ratio tertia, quia homo liberè seipsum mouet.

CAPVT VIII.

Platonici & Peripatetici omnes consentiunt hominem mouere seipsum, actionesque humanas ita disponi, vt homo ipse qui operatur, suarum operationum sit dominus. Agere autem rationaliter certo modo ratiocinando antequam exequatur. Accipere primùm vniuersalem regulam, deinde subiungere opinionem particularem, tertio inferre conclusionem, hoc pacto: Omne bonum eligendum, cibus ille bonus est, igitur ille cibus est eligendus. Prima argumentationis huiusmodi pars solius est mentis, secunda potest esse etiam phantasiæ, tertiaque similiter. Et sicut in sola mente est vniuersalis regula iudicandi boni, ita in ea sola vniuersalis appetendi boni voluntas, in phantasia non potest esse nisi particularis opinio, appetitioque particularis. Quando affirmant hominem liberè mouere seipsũ, non solam mentem accipiunt in qua mouere est ad opera potius quàm moueri, non solum animal, in quo moueri est & cogi ad opus potius quàm liberè ducere, sed ambo simul accipiunt. Quòd si ambo simul speciem quandam & personam vnam humanam efficiunt, mens erit forma viuifica corporis. Sin minus, nusquam reperietur aliquid quod liberè moueat semetipsum, sed mens quædam animali propinqua animal coget ad motum, sicut violentia lapidi immissa à iaciente lapidem pellit in altum. Atque ita confictum erit libertatis nomen, sicut persona hominis est conficta. Omnino autem posita vna (vt vult Auerrois) mente, quicquid ad quæsita responderis, aut absurdum eris,

aut nobis quidem conueniens, Auerroi autem minimè. Siue enim mens illa mouet nos, natura certè continuè similiterque mouebit, sicut intelligentia cœlum, nam sic illam nobis sicut cœlo intelligentiam adhibent. Siue voluntate, aut per illam coget nos, atque ita liberi nunquam erimus, nihilque erit in ordine rerum quod liberè moueatur aut persuadebit, quo admisso, quæram quonam pacto ego scilicet animal cogitatiuum, persuasionem illam percipio, ad quam non aliter possum quàm per intelligentiam peruenire. Atque sic apparebit intelligentiam mihi propriam esse, præsertim cum oporteat, si liberè moueor, eandem substantiam esse quæ persuadeat moueatque, & quæ persuadeatur atque moueatur, alioquin libertatis nomen erit inane. Sed rursus ad idem diuerso quodam tramite procedamus. Cum compertum habeamus viuum hoc corpus à mente moueri sæpissimè in illis præsertim operationibus, quæ præcedente consilio ordinatissimis modis ad finem rationalem conducunt potius quàm corporeum, quærimus vtrum mens per naturalem coniunctionem substantiæ suæ ad substantiam corporis ipsum moueat, an solummodo per imperium? Non videtur per imperium solum id facere, quia non aliter hoc faciet quàm persuadendo aut præcipiendo phantasiæ vt ipsa membra corporis moueat. Atque ipsa mouebit, si modo consenserit. Nunc autem sæpenumero intellectus agitat corpus contra phantasiæ sensusque affectum, appetitu sensuum reluctante. Mouet itaque membra per naturalem quandam substantiæ suæ coniunctionem, ac per esse potius quàm per imperium.

Proinde si plerumque contra phantasiæ inclinationem, ipsa phantasia minimè persuasa, mens tùm sistit membra, tùm mouet, idque facit intrinsecus, & eodem ordine quo solet phantasia mouere, quis non videat tunc quasi cessare ab opere animam illam cogitatiuam, atque esse superfluam, cum mens opera illius vsurpet? Mentem verò per modum naturalis formæ mouere. Siquidem natura est intrinsecum motus statusque principium. Et cum pariat motum in membris externum, multò magis parere poterit motum intrinsecum in humoribus, qui facilius agitantur. Humores autem agitando qualitates eorum ad nutritionis opera temperabit. Rursus quanto magis vibrare poterit spiritus qui aura vel leuissima commouentur. Dum intrinsecus spiritum temperabit, sensum exercebit in spiritu. Quid igitur opus est nobis geminis animabus, intellectuali, & cogitatrice, cum vna sufficiat, nec minus possit mens & intelligere & sentire, quam cogitatiua sentire & alere? Imò & alere potest mens, postquam vegetatrix non alere solum potest, sed elementorum quoque motus actionesque peragere. Est profectò in nobis vis aliqua quæ esse ipsum siue ens & rationem ipsam considerat communiori quodam conceptu quàm sit sensibile vel insensibile, ac potest pro arbitrio aliquod intelligibile ad sensibile aliquod, imò singula & cuncta intelligibilia, ad singula & cuncta sensibilia comparare, quo fit vt eadem vis hæc omnia noscat.

Cum verò sensus insensibilia non attingat, neque percipiat quicquam communius vniuerso sensibilium genere, & phantasia ignoret vniuersalia, vis illa sola mens erit. Igitur in substantia mentis, vis erit omnium sensibilium discretiua sicut in phantasia, quæ certè poterit phantasia quædam excellens, sensusque intellectualis cognominari. Vbi sentiendi vis est, sit & sentiendi actus, modo non desit spiritus, in quo siue passiones corporis exprimantur, siue imagines qualitatum effulgeant. Spiritus autem lucidus subest menti efficiens ad officium sentiendi, ideoque excellens illa phantasia quæ in mentis substantia est, infusa spiritui cerebri cogitat, infusa oculorum spiritui, videt, dum ex vno fonte multas effundit vires. Nempe si apud Auerroem phantasia corporea substantiæ intellectuali ministerium præbet ad actum intelligendi, cur non etiã apud nos spiritus qui phantasiam corpoream comitatur, eidem mentis substantiæ seruiat ad exequendum phantasiæ illius actum quæ comitatur intelligentiam? Ac si membra terrestria corporis motum à mente suscipiunt, atque ad exteriora transmittunt, quid obstat quo minus ignei spiritus per mentis præsentiam illustrati, imagines corporum occurrentes mentis offerant phantasiæ? Quamobrem in eadem mentis substantia vis intelligendi, sentiendi, nutriendique locatur, in qua etiam tota vis consistit liberè operandi atque mouendi. Quando enim aliquid per rationem acturi sumus, necessariò antecedit in nobis ratiocinatio illa quam suprà descripsimus. Quæ si sparsa per multas substãtias quasi personas fuerit, non exibit in actum. Oportet enim omnem effectum ad vnam causam principalem reducere, in qua tota agẽdi facultas & ratio colligatur.

Actionis

Actionis autem humanæ ratio in illa ratiocinatione consistit. Tota ergo in mentis natura concluditur, quæ quidem natura sufficiens erit humanæ actionis principium, tum quia in ea tota ratiocinatio est, tum quia illi etiam soli corporis obediunt membra, oculus, lingua, manus, pedes, tam facilè, tam citò, tam assiduè singulos penè mentis nutus percipiunt & sequuntur, vt incredibile sit, mentem non esse propriam horum formam, familiaremque rectricem.

Ratio quarta, quia vires animæ se vicissim tum impediunt, tum mouent.

CAPVT IX.

QVoties natura vna duas habens dissimiles vires agendi, in actum vnius nimis intenditur, ab alterius actu fermè desistit. Ideo conuiuæ acutè audire lyram simul & epulas gustare vix possunt. Quod si intentissima degustatio non impediret auditum, has vires duas non vnius substantiæ, sed duarum esse affirmaremus substantiarum. Actus autem alendi & sentiendi intentissimi humanam intelligentiam impediunt, atque hæc illos. Quod significat intellectum esse ipsius eiusdem nostræ animæ vim, cuius est nutriendi virtus & sentiendi.

Respondebunt ad hæc Auerrois sectatores, sensum & phantasiam duas esse animæ nostræ vires, atque ideo se inuicem impedire. Actu verò phantasiæ propter nimiam sensuum intentionem remisso, debilitari insuper mentis actum, non quia mens in eadem sit anima qua phantasia vel sensus, sed quia ad creandas & videndas species mens phantasiæ indiget ministerio. Quamquam non pertinet ad Auerroicos dicere phantasiam propter intentionem sensuum remitti, qui putant phantasiam esse motum factum à sensibus. Neque etiam verisimile est phantasiam studio nutriendi multum debilitari, tamen dimittamus nunc alimoniā atque sensum, phantasiam verò accipiamus & mentem. Ego certè hoc experior in meipso, intenta nimium phantasia remitti humanam intelligentiam vel rationem, atque contra, adeò vt vacet mens siue ratio plurimum, quando nimis imperat phantasia, etiamsi sana & sobria phantasia sit, atque è conuerso. Quemadmodum & sensus, etiam si sanus fuerit, quando attentius circa externa versatur, distrahit phantasiam atque contra.

Rursus, quando in somniantibus, ebriis, iratis, amantibus, amentibus & phreneticis phantasia tota animi attentione suas in se volutat imagines, nonne omne mentis humanæ, vel rationis iudicium consopitur? Quando autem in contemplantibus ratio diuinis considerandis ardentem figit intuitum, an non silet maximè phantasia, & si quid interpellat, tacere statim à ratione iubetur, neque permittitur, aut affectibus efferri nimium, aut per consuetas ambages latius euagari? Quis ergo negabit mentem & phantasiam eiusdem animæ vires esse, cum sua se vicissim intentione debilitent? Cæterum, concedamus Auerroicis tantam esse motionis vicissitudinem inter mentem & phantasiam, quanta est inter communem sensum atque particularem, & sicut imago rei in oculo lucens, inde in sensum relucet communem, similiterque & actus videndi ab oculo in communem redundat sensum, ita à phantasia tum simulachra, tum actus in mentem continuò refulgere. Quanquam mihi videtur etiam maior esse vicissitudo inter mentem & phantasiam, quàm inter interiorem sensum atque exteriorem, quia à mente in phantasiam tam simulachra quàm actus reuerberantur, ab interiore autem communique sensu in oculum, quomodo id fiat, non planè video, neque ipsi declarant. Quòd si & hoc quandoq; fieri in somniantibus asserant, esto. Inueniam rursus aliud in quo illarum vicissitudo horum vicissitudinem superet. Quippè inter mentem & phantasiam non speciei actusque tantùm, verumetiam affectus habitusque mutua fit commutatio, quæ inter hunc & illum fit nunquam. Cùm igitur menti ad phantasiam multo maior cognatio sit, copulaque insolubilior quàm sensui communi ad alium, & tamen sensus hic & ille in eadem anima sint, cur non mens quoque & phantasia in anima sint eadem? Cur mens æterna vsque adeò erga temporalem phantasiam fermè semper afficitur vt obsequatur ipsi & blandiatur, ac dolente illa siue gaudente condoleat (vt ita dixerim) & congaudeat, nisi eiusdem naturæ & substantiæ fundamentum vtrisq; subiiciatur. Quonam pacto vis phantasiæ finita vim mentis quodammodo infinitam sæpè comitatur agendo, vt quousque illa speculatur, eo vsque hæc illa cogitet, nisi substantia eadem æquet vtrasque? Nunquam fit inter aliqua duo subita, facilis, integra commutatio qualitatum, nisi communis illis materia subsit. Quapropter neq; intellectus tā facilè fieret vnquam phātasticus, aut phan-

tasia intellectualis euaderet, neq; ille irrationalis efficeretur aliquando, aut illa rationalis, nisi commune subesset vtrisq; subiectum. Sicut enim rota altera mouet alteram, quia eidem machinæ innituntur, sic duo illi appetitus, rationalis scilicet & irrationalis, sese mouẽt vicissim facillimè tam impetu quàm iudicio, quia in eadẽ animæ substantia sunt. Hinc Aristotelicum illud in libro de Anima 3. Quemadmodum sphæra mouet sphæram, sic concupiscentia voluntatem; non autem concupiscentia mouere, nisi sit aut quasi sphæra superior trahens inferiorẽ, quod nemo vnquã dixerit, aut sphęra eidẽ artificio cui & mẽs cõnexa.

Quinta ratio, quia separata mens non indiget phantasia.

CAPVT X.

MEntis natura apud Auerroem non habet esse commune cum corpore, non esse proprium illi communicat. Non habet inde originem, neq; secundũ essentiam, neq; secundùm præparationem ad existendum. Non cõficit cum ipso speciem aliquam, neque secundum numerum corporum numeratur. Itaq; sicut habet essendi modum ab hoc animali penitus separatum, sic cognitionis modum habebit prorsus à corpore segregatum. Quapropter nulla ratio est quæ eam cogat species à phantasiæ simulachris haurire, atque tẽporali mobilique discursu ad ipsam rerũ præsertim æternarum sciẽtiam indigere. Profectò erit supernis mentibus quam simillima, & in illis multo propinquior, quàm corporum qualitatibus. Igitur illas, earumque more intelliget magis quàm istas. Quod est cõtra ducem Auerrois Aristotelem, qui hanc mentem scribit, nihil absque simulachris intelligere. Simulachra verò corporum sunt, non mentium. Omnino autem cũ prima familiariaque humani intellectus obiecta sint communes ipsæ naturalium naturæ, rationesque coniunctæ quidem corporibus, sed à corporibus separabiles, licet nobis ex proportione quadã potentiæ ad obiectũ, argumentari talem esse hominis intellectum, vt & cõiunctus sit, & possit à corpore separari, & quia coniunctus est, idcirco penè semper ad simulachra se conuertat. Profectò, quia coniunctus est, ideo se ad coniuncta conuertit. Et quia modo separabili est coniunctus, ideo modo separabili se conuertit, id est, abstrahendo, atque separando. Mentes verò quæ non solum separabiles, verumetiam separatæ sunt, & separabili modo & separata pariter intuentur. Proinde, vt summatim dicam, nihil mihi magis videtur humanæ mẽtis naturam esse mediam demonstrare, quàm naturalis eius inclinatio ad vtrunque. Siue enim per intellectum vel incipiat à corporibus, mox inde se ad incorporea transfert, vel si ab incorporeis interdum exordiatur, vicissim ad corporum simulachra labitur. Siue per voluntatem vel optet æterna, interim inde temporalium affectu deflectitur, vel contrà cupiat temporalia, vicissim inde sæpè æternorum reuerentia cohibetur. Sed ad quæstionẽ iam Auerroicam reuertamur. Respondebunt Auerroici, hunc intellectũ mentes quidem supernas intelligere absq; simulachris phãtasiæ, naturas corporum minimè. Nos ad hæc inferemus. In mẽtibus illis esse species corporũ incorporeas, per quas de corporibus iudicãt. Propterea si intellectus hic eas intelligit, ab eis accipit corporũ cognitione. Nihil ergo opus est vt à corporibus eam accipiat. Tũ illi intellectum hunc asserent infimũ esse, in seipso subsistere, ac nobis hęrere. Quantum in se subsistit comparari ad mẽtes superiores vt perspicuum vitreumq; corpus ad lucẽ, easq; perspicere: quantum nobis adhæret, haurire species à simulachris, & corporalia intelligere. Nos ad hæc primum quidem dicemus superuacuum id esse, vt intellectus qui semper inspicit corpora in corporum causis, eadem quoque semper videat in simulachris, & qui habet in æternitate, quotidie mutuetur à tempore. Deinde, non quia nobis adhæret, à simulachris accipit species, sed quia illas hinc capit, adhæret. Vt enim arbitratur Auerrois, ex eo solum coniungitur intellectus, quòd speciebus formatur à nobis acceptis. Ergo considerandus est intellectus prius quasi præparatus per quandam potentiam ad huiusmodi species capiendas, quàm nobis adhæreat. Non igitur per hoc quòd hæret nobis, est ad huiusmodi species præparatus, nisi forsitan opinetur ipsum hærere nobis quantum ad naturæ spectat propinquitatem, id est, intellectus illius naturam esse gradu quodam nostræ animæ proximam. Si ita sit, nihil amplius consequetur, quàm vt mens huiusmodi nostram animam moueat atque formet. Dignior enim gradus quando propinquat inferiori, non accipit ab eo, sed tribuit. Sphæra lunæ sphæram mouet ignis, non mouetur ab illa.

Cur ergo mens hæc scientiam mutuatur ab anima, potiùs quàm mutuet? Nempè si superior est, & tanto præstantior quanto arbitratur Auerrois, debet ipsa

quidem per se sapere solùm, anima verò per ipsam, præsertim cùm eodem modo mens hæc coniuncta sit corpori, quo & mens cœlestis est cœlo, vt vult Auerrois. Quapropter, sicut illa nihil capit à cœlo, ita nihil à corpore. Neque nobis obiiciant Auerroici, sicut cœleste corpus suis formis plenum est, sic eius mentem suis esse plenam, nostram verò nouas semper formas accipere, sicut corpus nostrum formas suas continuè variat. Obiectio hæc nihil efficit. Ea siquidem artificis actio modum sumit ab instrumentis, quæ per instrumenta transigitur, sicut sectio, & similia. Ea verò quæ in sola mente artificis permanet, vt disponendi operis consultatio modum ab instrumentis non accipit. Quare non decet dare modum intelligentiæ ex ipso corpore, per quod intelligentia non expletur.

Interrogabimus deinceps Auerroem, nunquid mens dum in nobis intelligit, perfectior fiat, an imperfectior, an neutrum. Si neutrum, inanis erit perpetua hæc agitatio, nihil operando proficiens. Imò nec operabitur quidem, nam ad indifferentem terminum non fit motus. Si perfectior, æternæ mentis perfectio semper à simulachris temporalibus depēdebit. Semper id quod est imperfectum, id quod perfectius est perficiet, præsertim cùm non aliter velint moueri ac formari eam à phantasia nostra, quàm à corpore speculum. Sin imperfectior, quomodo semper mouetur ad imperfectum? Quo appetitu assiduè nititur ad defectum? Et quod imbecillius est, qua vi semper inficit quod est præstantius? Nonne Auerrois ipse, vbi de mentibus disputat separatis, inquit eas cùm per suam essentiam æterna cognoscant, temporalia nulla cognoscere, alioquin, vt inquit ipse, & suo vtar verbo, vilescerent. Si ita est, sequitur vt ex Auerrois sententia temporalis cognitio ibi defectum afferat, vbi cognitio est æterna. Cùm igitur intellectus humanus (quod ipse asserit) semper æterna cognoscat, non modo frustra dicitur intelligere temporalia, quoniam hinc perfectior non euadat, sed etiam quia fiat hinc imperfectior. Ego certè imperfectiorem fore mentem illam æternorum speculatricem in nobis ob eam causam arbitror, quòd semper hic falsis illuditur imaginibus, curisque turbatur. Atque hanc eius intelligentiam in rerum natura superuacuam esse, quia conferat nihil, nec vllius finis gratia sit instituta. Animis quidem nostris quid tribuit sui? Nonne particularem ratiocinationem humanus animus natura habet sua, perque illam, vt putat Auerrois, instruit mentem, imò sæpè illudit & turbat? Vniuersalem verò discursum neque ex se habet, neque capit à mente. Non enim est capax vniuersalium æternarumque rationum particularis animus & mortalis. Si enim eas caperet, intelligeret sanè, atque intellectus esset, & sempiternus. Nihil igitur confert nostris animis huiusmodi copula, nisi fortè conducere putas nobis ex eo mentis præsentiam, quòd nos contra naturam trahit inuitos, & falsis implicat fabulis, dum fallaci spe diuinorum, priuat nos præsentium bonorum iucunditate. Sed neque menti prodest, vt diximus, quæ cùm diuina sit, non est ad hunc hominem, tanquam ad finem referenda, hominem, inquam, ab illius esse seiunctum.

Rursus, cùm per suam essentiam supernas rerum videat causas, in quibus causæ omnes mediæ & effectus quilibet continentur, ideoque in illis perque illas perspiciat corporalia omnia, nihil nostris eget phantasiis & sensibus ad corporalia discernenda, præsertim, quia inest illi secundùm Auerroem agens ille intellectus, qui cum in æterno sit actu, per quem naturam intelligibilem singulis potest sensibilibus commodare, potest & magis & prius capacem intellectum eodem intellectuali splendore replere, atque in eo tum species supernarum rerum sibi ingenitas capaci offerre, tum per efficacissimam virtutem sui vniuersales species illas in conceptus particulares deducere. Nam, si potest ex particularibus contingentibus vniuersalia fingere, potest etiam ex vniuersalibus, vel innatis, vel inspectis diuinitus particularia quæque concipere, præsertim cùm essentia sit capace superior, atque munus hoc iam ab æuo semper expleuerit. Neque rursus dicendum est, tum mentem, tum animal propter compositum ex vtrisque coniungi. Non enim ita iunguntur vt verè vnum ex vtrisque conficiatur. Neque decet partes veras ad falsum totum referre quasi finem. Fortasse dicent conferre copulam illam ad mundi decus & ornamentum. Ego verò non puto mundum superfluo hoc ornari figmento, imò portento, quod vnicum habet caput, & illud quidem, licet diuinum sit, tamen chamæleontis instar colores variat pro obiectorum varietate. Crura insuper habet innumerabilia, caput manet, crura semper amputantur, rursusque repullulant. Neque to-

lerabimus eos, si dixerint monstrum hoc ad rerum, tum superiorum, tum inferiorum connexionem conducere. Quo enim pacto connectet cetera, quod ipsum in se non modò non est vnum quiddam, sed neque connexionem suscipit aliquam aliunde? Vnam quandam formam esse oportet in mundo, quæ superiores formas nectat inferioribus. Nam formæ vnitatisque officium est connectere. Atque in ea congredi oportet formarum omnium proprietates, itavt formæ superiores remittantur quodammodo, atque ad inferiores deiiciantur, inferiores autem intendantur, extollanturque ad superas. In illo autem Auerroico monstro nec forma inuenitur vna communis, nec extrema inuicem in se commigrant, sed dum singula quod suum est seruant, remanent dissipata.

Denique, si intellectum esse dicant vbique sub Luna, frustra ibi ponent vbi nulli vnquam sunt homines, vt puta in summo aëre, innauigabili æquore, terraque inhabitabili. Ibi enim nihil intellectus vnquam proficit, neque mouet quicquam. Peripatetici verò diuinas mentes nusquam designant, nisi vbi accommodatè regunt aliquid atque mouent. Quod si dixerint illic illum esse duntaxat vbi sunt homines, duo statim sequentur absurda. Primum quòd totus erit in duobus hominibus longissimo inter se interuallo distantibus, neque tamen erit in medio, quod natura non patitur. Alterum, quod motis hominibus, ipse quoque mouebitur. Moueri tamen vel per se, vel per accidens substantiam illam quæ neque corpus sit, neque forma propria corporis. Peripatetica secta non solet admittere. Proinde qua ratione tam diuina mens homunculum oberrantem, rarissimeque mente vtentem, quasi pedissequa passim comitetur, quis explicabit? Nunquid naturali necessitate? At verò superior est, & hoc neque ad esse, neque ad bene esse suum indigere videtur. Sed neque violentia, neque consilio licet fingere. Neque licet afferre quòd ideo mouetur moto homine, quia naturaliter humanæ speciei accommodatur. Non enim aliter illum huic accommodant, quàm cœlo mentem, quam tamen vnà cum cœlo moueri non putant.

Postremò, si dixerint mentem moto homine non moueri, fateri compellitur, tum mentem quandoque procul à mentis præsentia viuere.

Ratio sexta, quia intellectus vterque est virtus in anima.

CAPVT XI.

QVod autem intellectum agentem, atque capacem, duas esse affirmant essentias ex quibus vnum esse intellectualis animæ constituitur, id quidem superfluum & absurdum. Superfluum, quia vna essentia sufficit viribus duabus instructa, itavt per vnam efficiat species, per alteram capiat, sicut & phantasia intentiones quasdam ex imaginibus haurit, & haustas ipsamet recipit. Et oculi animalium quæ noctè vident, in eadem essentia vires geminas possident, per vnam imagines colorum eliciunt, per alteram capiunt. Ipsum quoque lumen colores quosdam in nubibus aut aqua & facit, & suscipit. Quo autem pacto in eadem essentia duplex fundatur potentia, effectrix & susceptiua? Ex diuersis videlicet principiis siue relationibus. Sanè lumen prout à Sole est, colores facit, prout quasi in seipso est extra Solem, suscipit. Ita & anima quantum ex Deo est actu purissimo, vim sortitur ad species fabricandas. Quantum verò in seipsa est infrà Deum, euadit quasi passiua, ac species suscipiendo formatur. Quo fit vt figmentum illud Auerroicum sit superfluum. Est & absurdum, quoniam ex duabus essentiis quæ actu vterque existunt, esse vnum substantiale non constituitur. Duo namque existendi actus, duo sunt esse, non vnum. Intellectum agentem apud illos esse actu substantiam quandam postquam agit aliquid, non est dubium, neque nos contrà pugnamus. Quod autem adiungunt capacem quoque intellectum esse substantiam alteram ac talem, vt mera potentia sit, non aliter quàm materia prima, non probauimus. Nam si mens capax pura potentia sit, à materia prima non distinguetur. Et vbicunque materia erit, erit intelligentia, itavt & lapides ipsi intelligant. Certum quidem est materiam primam esse meram potentiam. Non potest autem mera potentia in natura esse nisi vna, sicut neque merus actus nisi vnus, atque è conuerso. Si enim quæcunque in potentia esse dicuntur, per vnam rationem communem talia sunt, & quæcunque actu similiter necessarium est ad vnicum potentiarum fontem, & vnicum actuum peruenire.

Iterum, si prima & communis in rebus distinctio compositiove illa est, quæ per potentiam fit & actum, atque ex vno non fiunt multa nisi per ordinem quen-

dam aliorum ad alia, & ex multis similiter non fit vnum nisi per huiusmodi ordinem, in quo aliud ad aliud tanquam potentia refertur ad actum, sequitur vt multitudo in rebus ab ipsa potentiæ actusque commixtione sumat exordium. Quo fit vt neque merus actus neque mera potentia multiplex esse valeat, postquam neque potentia nisi per actus mixtionem, neque actus nisi per mixtionem potentiæ subit numerum. Ex quibus conficitur vt mens pura potentia esse non possit Ac si dicatur mentem quoque simplicem potentiam esse non minus quàm materia sit, & ab ea nihilominus discrepare, sciscitabimur qua ratione à materia differat.

Planè non quantum potentia est, tum quia in hoc ipso conueniunt, tum quia per potentiam confusio regnat & chaos, distinctio fit per actum. Adiicietur igitur menti aliquid vltra potentiam, per quod differat à potentia materiæ, & id quidem aliquis actus erit. Atque hic actus si mentis gremio sit infusus, efficiet vt mens non sit mera potentia, postquam actum habet admixtum. Sin incumbat extrinsecus, non prius efficiet vt mens à potentia materiæ differat quantum illa potentia est, quàm per actum proprium agendo in mentem, actum aliquem menti intimum tribuat, per quem à potentia pura in quantum potentia discrepet. Talis enim discrepantia non fit nisi per actum aliquem, in quantum est actus, atque ita rursus mens non erit potentia pura. Fingent Auerroici mentem ideo differre à materia, quoniam mens alium actum respicit scilicet absolutum & vniuersalem, alium verò materia scilicet concretum atque particularem. Quasi verò ipsi respectus non actus aliqui sint. Nempè si respectus mentis non sit aliud quàm ipsa mentis potentia, differentiam non adhibebit. Sin aliud fuerit, erit actus. Præterea si mens ac materia prius sunt quàm respiciant formas suscipiendas, & vt sunt in seipsis, ita respiciunt, certè ex eo quòd diuersæ inter se sunt, diuersos actus respiciunt, non è conuerso. Neque putandum est mentem respicere actum perfectiorem quàm materia illa respiciat, nisi ex eo quòd mens est illa perfectior Si ita est, longius discedit à nihilo, & propinquius ad actum accedit summum, vnde est omnis perfectio, non igitur sola potentia est. Proinde si materia inter actum atque nihilum tenet medium, & quod infrà eam consideratur, non est vsquam quod super eam actus existit, aut actu, quærimus vbi locemus mentis essentiam. Profectò si ipsa est aliquid, infra materiam non locabitur. An fortè in eodem perfectionis gradu quo & materia constituetur? Nequaquam. Nihil enim præstantius susciperet quàm materia. Accedit, quòd sicut ea quæ per quantitatem sunt æqualia, per eam sunt & vnum, ita quæ inter se secundum perfectionem æqualia sunt, perfectione sunt vnum. Perfectio in forma est, per formam species. Quæ ergo perfectione vnum sunt, sunt vnum forma, & vnum specie. Hinc accidit vt duæ quædam rerum species æquè perfectæ inter se esse non possint. Quare mens est quæ est alia species quàm materia, in eodem perfectionis gradu dum materia non locabitur, ergo in gradu præstantiore. Si super materiam ponitur, erit actus, aut saltem actu. Et tanto magis actu quàm formæ reliquæ naturales, quanto longius quàm omnes multis gradibus remota est à materia, & actui diuino propinquior. Si actu est, neque in genere sensibilium collocatur, certè super rerum sensibilium actum in genere & in specie intelligibilium intellectualem secundum certam speciem habebit actum, siue intelligibilem. Quinetiam in genere rerum actum habebit vitalem, quo viuificet sensibilia. Quod si dicatur sic se habere ad formas intelligibiles, sicut materia se ad sensibiles habet, exemplum quidem hoc erit vtcunque poterit verum, non tamen coget mentis essentiam esse totius actus expertem. Opinabitur forsan Auerroicus aliquis rationes superiores ita demum se subterfugere, si concesserit ipsam potentiæ meræ naturam non esse ad extremum punctum coarctatam, sed habere in se aliquam latitudinem qua intendatur & remittatur, ita vt eius perfectio naturalis in mente sit intensior, in materia verò remissior. Sed neque sic quidem subterfugere poterit. Sicut enim merus actus est actus summus, sic potentia mera summa potentia. Quod verò in aliquo genere tenet summum, id certum (vt ita dixerim) habet limitem, vltra quem genus non porrigitur, citra quem quod est, nondum est summum, neque etiam merum. Quippè qualitas non aliter cadit à sui generis summitate, quàm per quandam oppositi generis mixtionem.

Præterea si natura potentiæ in mente est perfectior quàm in materia, per aliquam superadditam sibi perfectionem mens non est potentia pura, quòd si per seipsam, tunc potentia ipsa intensior est in mente, remissior in materia. Aut ergo secundum magis, aut secundum minus est intensior. Si detur primum, materia non

amplius erit extrema potentia, cum sit alia quæ magis potentia est, si secundum, mens non erit potentia mera, quia quod est melius, summæ bonitatis magis est particeps. Ea verò summus est actus. Cum igitur mens non sit potentia mera, non est in ea substantialis sed accidentalis potentia, & quia potentia actusque congruere debent, accidentali quidem actui subiecta erit, substantiali nequaquam. Quapropter ex ipsa & substantiali actu intellectus agentis non potest tertia quædam substantia fieri.

Potentia enim secundum quid, vt inquiunt Metaphysici, aliquem simpliciter actum non suscipit. Putant Aristotelici intellectum capacem vniuersales rationes rerum naturalium tunc intelligere, quando earum formas absolutas intelligibilesque acceperit. Quoniam verò in seipsis tales non sunt & fieri actu intelligibiles non aliter possunt quàm per naturam intellectualem atque agentem, intellectum aliquem efficacem introduxerunt absolutarum formarum procreatorem. Si natura hæc intellectus agentis sit virtus quædam eidem essentiæ insita, cui & capax virtus innata est, quid opus est Auerroica illa geminarum substantiarum congerie? Sin autem alia quædam substantia sit hac excellentior, quæ vim intellectualem transfundat per substantiam mentis capacis vsque ad simulachra phantasiæ, atque iis simulachris præstet vim formarum intelligibilium efficacem, quod Auerroici arbitrantur, multo & prius & magis vim eandem ipsi mentis capacis substantiæ largietur. Illa substantia modo largietur stabili, hæc substantia modo stabili capiet, cum vtraque sit æterna. Ipsa igitur substantia eadem quæ capacem vim habet, habebit & efficacem, neque opus erit ad duo illa mentis officia substantiarum coitu geminarum. Hinc etiam error Alexandri conuincitur, qui vt ex violenta Aristotelis expositione omnem diuinitatem humano generi auferret, mentes quidem capaces esse in nobis, numeroque distinctas asseruit, agẽtem verò mentem extra homines, atque vnicam, in qua sola sit tota mentis diuinitas, quæ sit vniuersalis causa intelligibilium specierum.

Verùm cum in omnibus rebus naturalibus sint virtutes quædam suorum motuum effectrices, nefas est substantiam mentis humanæ naturalium omnium præstantissimam efficace virtute priuari. Et quia à virtute operatio proficiscitur, mens vniuersalis menti nostræ non prius tribuit actum intelligendi, quam virtutem intelligentiæ effectricem. Quinetiam si causa vniuersalis particulari effectui prorsus opponitur, videlicet tum vt causa effectui, tum vt vniuersalis particulari, necesse est inter duo hæc particularem causam tanquam mediam interponere. Virtus quidem Solis vniuersalis hunc hominem, qui est particularis effectus, non produci nisi per hominem alium tanquam particularem causam atque propriam. Eadem ratione mens illa agens vniuersalis non producat effectum hunc, aut illum speciei intelligentiæque in mente capace sine mente quadam agente particulari quæ intra nos habitet. Sicut enim pro arbitrio nostro vtimur ad intelligendum mente capace quasi forma quadam familiari, ita prout lubet per efficacem mentem species fabricamus quasi per artem propriam nobis & insitam. Scite Aristoteles mentem agentem atque capacem nunquam duas essentias appellauit, neque posuit super animam, sed vocauit animæ partes, dixitque eas duas esse differentes vires in anima. Si quis autem Auerroicam mentem appellauerit animam, is animæ vocabulo abutetur.

Solutio rationum Auerroicarum de mente separata.

CAPVT XII.

EX omnibus quæ contra Auerroem adducta sunt, duo concludimus. Vnum eandem esse in homine animam, quæ corporalia format, & formatur ab incorporeis. Hoc enim medio solùm diuinorum radij vsque ad infima transmittuntur, si idem quod ab illis illustratur, hæc illustrat. Imò & hoc medio infima ad sublimia reflectuntur, si idem regit infima, regitur à supremis. Concludimus & alterum, quod humanæ mentes ad numerum hominum numerantur, itavt vel specie inuicem distinguantur, vt opinantur Magi, aut certè numero, vt posteriores Theologi asseuerant. Quot enim corpora hominum sunt, totidem, & vitales complexiones, totidem viuificæ animæ, totidem animarum mentes. Fermè enim sicut ad corporum distributionem distribuuntur complexiones, atque ad has vitæ, sic ad viuificarum animarum numerum mentes distribuuntur, quæ vires sunt animarum. Non tamen ex distinctione corporis, tanquam ex causa substantiæ, virtutisque incorporeæ distinctio, sed ab ipso formatore incorporeo prouenit. Ra-

tiones verò illæ Auerrois, quibus ab initio quæstionis negabat intellectum esse corporis formam, nihil contra nos valent. Id enim efficiunt, vt non sit forma corporalis esse proprio carens, ac dependens à corpore per essentiam. Nos autem cum esse volumus non talem formam, sed inesse proprio subsistentem, & materiæ dominam.

Cæterum, vt referantur nonnullæ insuper captiunculæ, quibus Auerroici Platonicos captare obnixè student, meminisse oportet non esse præter naturam animæ humanæ vt corpori coniungatur, sed animæ huic sempiternæ, naturale esse vt semper cum sempiterno sit corpore atque cœlesti, & cùm temporali corpore atque terreno sit ad tempus, sicut & Planetæ cuique naturale est vt semper in sphæra sua sit, ad tempus autem sub tali signo vel tali. Postquam verò discesserit à corpore, naturale est rursus conciliari, ita vt seorsum à corpore maneat cum affectione quadam ad idem corpus iterum reuertendi, sicut & lapis etiam sursum positus manet integer, sed interim pro viribus ad inferiora declinat. Et Planeta discedens à signo, naturali ordine ad idem quandoque reuertitur. Redituram verò quandoque animam in eiusdem corporis habitaculum, ne in sempiternum frustra sit ille naturalis affectus, Magi & Ægyptij cum Platonicis consenserunt. Alioqui violentum aliquid esset æternum. Quoniam verò per actum Dei anima in se est, per qualitates verò complexionis est in corpore, & actus Dei permanet sempiternus, complexio soluitur, desinit esse quandoque in corpore, non tamen esse desinit in seipsa. Subsistit in suo esse, postquam seiuncta est à corpore. Subsistebat similiter dum aderat corpori, sed non communicat esse, sicut communicabat. Neque mirabile videri debet, animam quę ad tempus habitat corpus, posse manere seorsum à corpore incorruptam, si modo magis dependet mobile à motore quàm è conuerso. Animus autem verus motor est corporis. Ergo si corpora quædam separata ab anima manent quodammodo incorrupta, vt ossa, vngues, nerui, capilli, quæ videntur tempus longissimum perdurare, idemque faciunt ligna, saxaque, maximè verò balsamum, mel & oleum, quæ nunquam penè putrescunt, nonne animus rector corporis naturali ordine poterit manere semper absque corruptibili corpore incorruptus? Qui planè ostendit se in huius vitæ progressione propter corruptionem talis aut talis corporis non corrumpi, cum ipse per omnem ætatem permaneat idem, exuatque materiam veterem, induat nouam, dum corpus propter effluxum reflexumque materiæ continuè innouatur. Sed pergamus ad reliqua. Quando anima accedit ad corpus, gignitur animal per generationem corporeę complexionis, spiritusque vitalis Quando discedit, soluta complexione ac spiritu resoluto dissoluitur animal. Neque ex aliquo contingenti hoc animal gignitur, sed ex ordinato concursu omnium naturalium causarum, similiterque dissoluitur. Hoc tamen dissolutionis malum Plotinus probat ad animam idcirco non pertinere, quia ipsa se corpori non miscuerit, sed permanens in seipsa, non ex se & corpore, sed ex corpore & suo quodam vitali simulachro vnum sub se irrationale animal composuerit. Sed hoc ipse viderit. Siue propinquat anima materiæ quantitate intercedente, non necessariò extenditur, sicut neque superficies in corpore profundo fit profunda, neque linea in latitudine lata, neque punctum in longitudine longum, neque significatio vocis colorisque imago in amplo aëre fiunt amplæ. Materia enim ipsa potius quàm anima indiget quantitate. Siue antecedit quantitatem, aduenienti quantitati nequaquam subiicitur. Quippè cum per potentiam fiat susceptio, non per actum, in materia suscipitur quantitas, non in anima. Quantitas, inquam, indeterminata primum propter materiæ ipsius infinitatem, deinde ad certam figuram determinata propter præsentiam animæ, quæ certè speciei tradit initia. Nemo dubitat materiam naturali quodam ordine antecedere quantitatem. Causæ quidem naturales quia loco temporique subiectæ sunt, ideo localiter & temporaliter agunt, vnde & paulatim opus transigunt, partemque tum tempore cum loco post partem. Quapropter opus eiusmodi non possunt alibi quàm in materia iam extensa perficere. Deus autem quia omnem tum localem tum temporalem diuisionem exuperat, modo agit prorsus indiuisibili, indiuiduamque potest formam ipsi materiæ in eo ipso gradu quo ipsa antecedit quantitatem, tribuere, quam sicut & cæteras formas determinata quantitas comitetur, non in anima sed in materia iacens.

Sit vnica in homine communis forma totius, atque præcipua, id est, rationalis anima. Sint quoque, vt placet multis, multæ partium specie distinctarum formæ particulares obedientes animæ, formæ carnis & ossis, & nerui, & reliquorum, ex quibus compositum quoddam fiat, quod figuræ

corporeæ, diuisionisque & passionis sit subiectum. Adsit anima corpori figurato, non figuretur. Animam verò ipsam non esse talis figuræ subiectum inde patet, quòd talis figura corporis & antecedit animam, & succedit. Cum interrogatur de ipso totius esse, nonnulli respondent per ipsum substantiale animæ ipsius esse, fieri esse substantiale totius, quod partium coniunctione resultat. Esse enim animæ dicunt, quo esse totius existit, quo & ipsa existit in semetipsa.

Atque hæc anima in pede quiescēte non sistitur, sed sistit in manu mota, mouet, & forsitan non mouetur. Sicut enim in corpore locali non subit locum, sed super locum adest, & inest loco, ita in moto corpore alienum non subit motum, sed quodammodo immobiliter est in motu. Ac si currit, cum mentibus currentibus currit transferens, non translata. Ergo quando eodem tempore mouetur manus, pes quiescit, non cogitur anima quæ tota est in vtrisque, tota moueri simul atque quiescere. Sed moueatur, si placet, anima in manu, respondet Scotus, quid cogit eam interim in pede quiescere? Nonne potest in pede immoto mente ipsa moueri? Quanquam sicut non est impossibile eundem hominem simul totum motibus moueri contrariis, dum naui defertur versus orientem Solem, at interim versus occidentem vel pellitur ab alio, vel ipse currit in naui, ita non esset absurdum apud Aquinatem Thomam, animam ad statum motumq; alterius in diuersis quiescere simul atque moueri. Tota anima est in brachio, tota est in manu. Amputata manu, anima non truncatur, neque restat in aëre, neque se condensat in brachium, neque refugit tempore, (omnes enim hæ passiones sunt corporum) sed tota viuificat brachium solum, quæ ante illud & manum viuificabat. Desinit autem esse vbi erat, non per motum, sed momento operari desinit vbi operabatur, quemadmodum si frangatur portio aëris exigua in Occidente, & euanescat lumen quod totum est in Oriente, vt vult Plotinus, totumque in Occidente, cum ea portione in qua etiam erat totum, non frangitur; sed illuminare desinit portionem quam prius illuminabat, neque temporali fluxu in seipsum se condensat, sicut neque ab Oriente in Occidentem temporali fluxu sese rarefaciendo protenderat, momento enim se fecerat presens, momento se facit & absens. Si anima vbique tota est per corpus, atque ipsa intelligit sola, intelligit & vbique. In nullo tamen membro intelligit, quia ipsa non est in membris, sed membra potius sunt in anima. Videtur tamen vulgo apud cerebrum intelligere, quoniam intelligentiam phantasia plurimum comitatur, hanc verò agitatio eorum spirituum qui sunt in cerebro, sicut affectus phantasiæ comitatur agitatio spirituum eorum qui sunt in corde vel iecore, affectum quidem iracundiæ spiritus sequuntur cordis, affectum libidinis iecoris spiritus. Si quis interroget quidnam sentit quidue intelligit Homo? Peripatetici respondebunt, sed aliter atque aliter. Sentire enim compositi actum esse dicent, primo quia vis sentiendi in ipso composito est ex materia formaque mixti, & anima, deinde & actum animæ, quoniam ipsius virtute fit sensus. Intelligentiam quoque esse totius compositi actionem. Quamuis enim in anima sola intelligentia sit, ideoque possit in separata anima remanere, tamen dum anima est ita forma compositi, vt in vnum esse commune concurrat, id totum cuius est id esse, ita per formam operari dicitur sicut & esse. Huc illud Aristotelicum tendit. Intellectus nullius actus est organi. Et merito. Non enim in corpore est sicut sensus, sed in anima. Neque sicut putauit Auerrois, existimandus est esse ab homine, sed ab organo separatus. Neque rursus Alexandri more sic est exponendum, vt sensus quidem singuli singula sortiti sint instrumenta, intellectus autem ipsius corpus totum sit instrumentum.

Videmus enim nobilissimas vires non quouis sed nobilissimo solum instrumento vti, vnde tactus quasi quolibet, phantasia vnico atque distincto vtitur. Non ergo vniuersum corpus satisfaciet menti. Neque dicendum est ex omnium instrumentorum conspiratione vnam consonantiam confici, qua velut instrumento intellectus vtatur. Nam si ita se res habeat, intellectus instrumentis omnibus indigebit, eritque maximè virium omnium organicus atque mixtus, neque Aristotelicum illud stabit vlterius. Sensus quidem non est absque corpore, intellectus autem est separatus atque immixtus, nullo prorsus organo vtens. Si enim organis vteretur, talis aut talis euaderet, neque omnia vlterius cognoscere posset. Non tamen ita separatus est, quin animæ substantia in qua est corpus viuificet. Alioquin non dicerent hominem intelligere. Separatus est enim quia non est in composito sicut sensus, sed in ipsa animæ substantia, quæ est à composito separabilis. Neque intelligendo vtitur instrumento. Quod quidem in libro de animalium & somno & vigilia, animalium con-

firmauit dicens, quorum sunt actiones, eorumdem esse agendi virtutes. Quoniam verò sentire quidem per instrumentum contingit, intelligere autem minimè, idcirco sentiendi vim esse compositi, intelligendi animæ propriam esse posse.

Solutio rationum Auerroicarum de mente vnica.

CAPVT XIII.

SOluimus iam Auerrois Auerroicorumque rationes, quibus demonstrari putabant mentis substantiam formam corporis vitalem esse non posse Soluamus eas deinceps, quibus vnicam esse mentem, Auerrois conatur ostendere. Ex materia inquit, prouenit formarum sub eadem specie numerus. At mens caret materia. Quanquam hæc quorundam Peripateticorum sententia est, Pythagoreorum tamen Platonicorumque plurimi speciei naturam vnam in plura indiuidua fundi non propter externam materiam arbitrantur, sed propter insitos quosdam ipsi formæ modos, in quos actu perducta forma, indiuiduum hoc aut illud euadet. Esse enim in quolibet Angelo Angelicam speciem ad Angelicum indiuiduum absque materiæ mixtione deductam. Verùm vt sequamur in præsentia partim Peripateticos, partim nonnullos Platonicorum, fortè concedemus vel ex materia, vel propter materiam, imò propter compositum ex materia & forma, formarum numerum prouenire. Formæ siquidem corporales sicut ex materia quodammodo trahunt essentiam, sic & numerum sub eadem specie positum. Formæ autem non corporales quidem, sed corporis, quales sunt animæ rationales, quia non habent originem à materia, neque ab ea numerum habent. Quia verò non modo ad diuinitatis intuitum, verumetiam ad gubernacula corporum diuina prouidentia illas instituit, sicut voluit certum esse variorum corporum, id est, hominum compositorum numerum ad sui operis ornamentum, ita certum ordinat numerum animarum. Sed vt cum Plotino loquamur, quidnam Platonis animam distinguit à Socratis anima? Diuinus ille conceptus, qui viuificam animæ Platonicæ vim primò ad talis cuiusdam temperauit cœlestis corporis indumentum, perque hoc ad talem quandam præcipuè elementis corporis complexione gignendam regendamque accommodauit. Ita & ad sua quædam Socratis animam. Sic ergo viuificas animarum vires discreuit propter materiam, imò propter compositum ex materia, mundani ornamenti gratia, vires autem animarum earundem intellectuales discreuit ad animarum distinctionem. Sed quam ob causam?

Propter alium atque alium diuinitatis intuitum. Sub variis ideis frui possumus mente diuina, per varia vestigia illam inuestigare, variis ad hunc finem callibus proficisci. Voluit sanè infinita bonitas non solum corporeis, sed etiam spiritalibus oculis seipsam infinitis (vt ita loquar) modis communicare, atque innumerabilibus penè oculis innumerabiles sui ipsius vultus ostendere. Itaque variorum animorum intellectuales oculos & affectus diuersis temperauit modis, vt diuerso tramite ad diuersas multiplicium diuinorum bonorum possessiones proficiscamur Proculus ex mente Platonis in Timæo dicentis Deum animas hominum alias aliis ducibus stellisque accommodasse, probat differentias animarum non ex corporibus vel inclinationibus ad corpora prouenire, sed ex ipsa essentiali accommodatione à Deo facta ad differentes duces atque stellas, vnde & differentia inclinationum actionumque proueniat tum ad æterna videnda, tum ad temporalia gubernanda. Proinde quemadmodum Scotus eiusque sectatores disputant, omnis natura præter primam, quæ sola purus est actus, potentiam quandam quodammodo ex se informem & aliunde formabilem habet admixtam, quæ non aliter ad plures singularesque existendi modos, quàm materia ad plures formas æquè se habet, ideoque sicut humana species & equina, sic & intellectualis species quælibet tam Angelorum quàm animarum in plura potest indiuidua deriuari. Confert autem mentium in eadem specie numerus ad vniuersi ordinem omninò complendum. Siquidem ordo plenus ille est, in quo tum superiora ad inferiora, tum hæc ad illa vicissim, tum æqualia inter se pariter ordinantur. Ordinem verò eiusmodi in rebus corporeis planè perspicimus. At si incorporea pleniorem habent ordinem, in ipsis quoque similem ordinem, id est, triplicem cogitare compellimur. Non autem potest esse vllus inter æqualia ordo, nisi plura sub eadem specie comprehendantur.

Conducit rursum numerus plurimarum in eadem specie mentium ad perfectiorem ipsarum felicitatem. Nam illæ seipsas quodammodo in se inuicem contuentes, æquali mutuaque (vt naturaliter fieri solet)

tum agnitione tum familiaritate congratulantur. Denique longè pulchrius est vniuersum, si vbique infra species quemadmodum supra species sit multitudo. Supra quidem, generali specialique, infra verò numerosa quadã varietate decora. Neque putant singulorum numerum ad id duntaxat conducere, vt species ipsa seruetur, quia etiam in corporibus longè plura indiuidua vbique sunt quàm opus sit ad speciem conseruandam. Præterea videmus naturam in singulis speciebus multa non salutis omnino, sed etiam ornamenti gratia facere, quod in coloribus & figuris lineamentisque & dispositione quadam ordinatissima manifestè videmus. Denique finis præcipuus cuius gratia Deus omnia esse vult, haud propriè est vt sint, imò potius vt bene sint, ac bene se habeant. Ac si huius gratia sunt præcipuè, qualiacunque sunt, certè eiusdem gratia sunt, quotcunque sunt. Quapropter Deus plures in eadem specie mentes non ideo esse voluit, vt species ipsa sit, solumque seruetur, imò vt bene sit, optimeque se habeat. Eiusmodi verò habitus in ornatu quodam vndique vario, & actione variis vbique modis beata consistit. Siquis autem humanarum multitudinem animarum ad speciei salutem conferre coniicerit, id nos ita concedemus, videlicet non ad ipsius animæ speciem propriè, sed ad hominis compositi speciem seruandam talem numerum necessarium esse. Vult enim Deus plures homines esse ob id forsitan, quia humana species non seruatur in vno. Nequeunt autem plures homines fieri, nisi plures quoque animæ sint. Neque tam corporum quàm compositorum numero, speciei que toti, imò vniuersi ordini, numerus animarum seruire videtur. Neque putet quispiam animas inter se idcirco differre, quia differentia respiciunt corpora. Prius enim in seipsis differentes sunt, quàm differenti ratione respiciant. Hæc illi.

Nos iam ad propositum redeamus. Quod autem subiungit Auerrois, si meus intellectus ac tuus differunt numero, species rerum cognoscendarum similiter different, eruntque particulares, oportet tamen quæ intelligenda sunt, vniuersalia esse, ita soluitur. Non tam singularitas est quæ aduersatur intelligentiæ, quam corporalium accidentiũ congregatio. Siquidẽ singuli intellectus & singulæ illorũ conceptiones cõmodissimè intelligi possunt. Adde quòd sicut imago coloris in oculo, nõ est id quod videtur propriè, sed per quod color ipse videtur, ita species & similitudo rerum in mente, non est id quod propriè intelligitur, sed per quod intelliguntur rationes rerum vniuersales. Neque est illa species in mente ita singularis, vt impediat vniuersalium rationum intelligentiam. Nam si statua quidem quæ singularis est & corporea communem quodammodo figuram hominum nobis refert, quanto magis species illa naturam communem, cum si in mente, quæ est ab omnibus corporum passionibus absoluta, ideoque ipsa ab iis libera sit, vnde & refert nobis rem neque certo loco clausam neque tempore? Meminisse verò oportet hunc in speciebus ordinem à plerisque poni, vt in Angelis vniuersales sint, tum quo ad referendum, tum quodammodo quoad essendum spectat, in brutis vtroque modo particulares. In animis hominum singulares quidem sint in essendo, quia sunt in essentiis penitus singularibus, vniuersales autem in referendo, quia sunt in essentiis à materiæ limite absolutis. Sed hæc ipsi viderint. Afferebat præterea nescio quid de scientia quam tradit magister discipulo, quod ex his quæ aliàs tractauimus de speciebus ingenitis, facilè soluitur. At enim illa Auerrois argumentatio in ipsum facilè retorquetur. quippè si docentis scientia non transit in discentem, neque in eo scientiam aliam generat, è duobus alterum sequitur, videlicet quòd ipse idem intellectus qui est in vtroque, vel eundem in vtroque possideat habitum, vel ex habitu quem apud vnum possidet, alterum habitum generet apud alterum in seipso. Neutrum fieri potest apud Auerroem. Non primum, quia cum sua illa mens quotidie in cunctis hominibus cunctas calleat artes, easque omnes alij alios doceant, perpetua quadam successione docentium & discentium, sequitur vt habitus omnium scientiarum iidem omnino sint semper in mente, quod apertè Auerrois respuit. Non secundum, quia scientia erit qualitas efficax, quod ille negat, atque innumerabiles qualitates speciei inter se similes in subiecto eodem simul erunt, quod etiam ille nequaquam admitteret. Quantum enim præter naturæ propositum sit fortuita illa superfluarum qualitatum congeries, in substantia præsertim æterna atque diuina, quisquis non viderit, is erit præter naturæ propositum.

Postremò ratiocinabatur Auerrois. Si in duabus mẽtibus singularibus duæ sint species singulares, licebit eas ad vniuersalem reducere, & vtraque mens ad suam quandam reducet, & in vtraque rursus mente, vtraque species euadit particularis. Quapropter licebit iterum ad aliam absque fine vtrasque colligere. Vanum id quidem.

Primò quia mentis aſpectus excitatur plane à ſpecie, non tamen terminatur in ſpeciem, vt illam neceſſario tanquam obiectum inſpiciat, ſed per eam inſpicit rationem rei vniuerſalem, quam profecto vnam atque eandem, & tanquam vnam, duæ mentes per duas ſpecies intuentur, quemadmodum duorum hominum oculi rem eamdem vident per duas illius imagines.

Non ergo ad hoc intendunt mentes, vt ſpecies ſuas ad alias reducant ſpecies, ſed vt per eas rerum videant rationes. Quòd ſi quando ad hoc intendat, non tamen in infinitum progredientur, quoniam vim ſignificationemque hæ ſpecies habent. Itaque non licet eas ſemper tanquam ſingulares in alias reipſa communiores reſoluere, ſed progrediantur abſque fine, ſi placet. Quid enim prohibet mentem, quæ infinitam quodammodo habet virtutem, ſine fine vagari, dummodo infinitum hunc actu curſum peragat nunquam? Similis argumentatio fieri poteſt de notionibus & conceptibus, reſponſio quoque perſimilis.

Signa quòd non ſit mens vna tantum.

CAPVT XIIII.

POſtquam reſpondimus Auerrois rationibus, reliquum eſt vt afferamus in medium quæ ſint ea ſigna potiſſimum vel argumenta, quæ diſſuadeant vnum eſſe in cunctis hominibus intellectum. Signum primum. Si mẽs adeò diuina eſt, vt nullum habeat cõmercium, materia, vna ſit initio carens & fine cum tota vbique ſub Luna, nõ eſt veriſimile eam ita eſſe ſuiipſius ignaram, vt in omnibus penè hominibus, præterquam vno Auerroe ſe numero multiplicem eſſe putauerit ſemper & putet. Ego certè non ſolum intelligo, ſed etiam intelligo me intelligere, atque ſimiliter me ſentire. Vnus ergo idemque ſum qui intelligo, & qui ſentio. Vnus, inquam, per eſſe vnum. Alioquin non tamdiu & à me & ab omnibus affirmaretur eundem eſſe prorſus intelligentem atque ſentientem, ſed manifeſtè diſcerneretur intelligens à ſentiente. Quo enim pacto veriſimile eſt ſeparatam, æternam, diuinam mentem, in æternitate omnia cognoſcentem, adeò ignorare ſeipſam, vt ſemper & vbique putet ſe non intelligere ſolum, ſed etiam ſentire & mouere atque nutrire, cum talia, ſicut opinatur Auerrois, non efficiat.

Signum ſecundum. Mens, veritatis locus eſt. Veritas, mentis eſt cibus, quo fit vt ſe viciſſim libenter adſciſcant. Cùm verò aut nunquam aut vix humana mens Auerroicæ opinionis capax efficiatur, coniicere poſſumus eam opinionem non eſſe veram. Quinetiam ipſe Auerrois non libero ſuæ mentis iudicio in opinionem huiuſmodi incidit, ſed quia neſciebat aliter Ariſtotelis libros in Arabicam linguam peruerſos interpretari. Neque ſententiam profert, ſed vires tentat ingenij. Solum hoc affirmat, immortalem eſſe mentem. Eſſe verò vnam non affirmat, ſed opinatur & dubitat. Inquit autem ſe conari & fingere, ac poſteris occaſionem diſputandi relinquere. Et ſi qui eius dubitationi aſtipulantur, non tam ex animi ſententia hoc agunt, quàm quodam ambitionis ſtudio, vt videantur paradoxa poſſe defendere. Merito Scotus inquit, hoc paradoxon tantum abeſſe vt cuiquam probabile fieri vnquam poſſit, vt neque etiam Auerrois ipſe ſibimet perſuadere potuerit.

Multo verò probabilius, imò verius dixiſſet Auerrois, ſi vel cum Themiſtio vnicum intellectum introduxiſſet illuminantem, multos verò partim illuminatos, partim illuminantes, vel cum Plotino Deum poſuiſſet tanquam Solem, huic ſubdidiſſet intellectum vnicum vbique totum, quaſi Soli lumen, huic inſuper intellectus quamplurimos, quaſi lumini radios, his denique animas quoque quamplurimas, quaſi radiis oculos. Aut ſaltem ſi cum Auicenna multas mentes vni menti quaſi formabiles formatori. Hæc enim facilè quiuis capere poteſt, & exemplo mox aliquo confirmare. Inuentum verò Auerroicum ab omni mentis capacitate eſt penitus alienum. Quòd autem mentes humanæ inuentum aliquod capere nequeant, vel inde prouenit, quòd ſuper eas illud eſt, atque diuinum, vel inde, quòd contra eas & falſum. Inuentum Auerroicum quia de mente eſt, non ſuper mentem, eſt ergo falſum.

Signum tertium. Quoties vnitatem mentis excogitamus, toties eam odiſſe ſolemus, ac mentis numerum cupere, ſi modo cupimus ſuperuiuere. Neque arbitrandum eſt nos per phantaſiam numerum mentis odiſſe. Nam ſiquid eſt in nobis odij aduerſus mentem, eadem mens vnitatem ſuam odiſſe poteſt, quæ & noſſe. Non eſt autem veriſimile, rem diuinam & beatiſſimam ſemper ſui ipſius naturam aſpernari, reſpuere, & odiſſe.

Rationes quòd non sit mens vna. Prima, quia septem inde contingunt superflua.

CAPVT XV.

ARgumentationes autem erunt huiusmodi. Si intellectus agens perfectè seipsum intelligit, quod Auerroici confitentur, vim suam & operationem naturalem continuamque non nescit. Idcirco animaduertit se ceu lucem formare continuè intellectus capacis perspicuitatem. Nam si capax aduertit sæpè se illuminari, cur agens non aduertat illuminare, non video, vbi quomodo intellectus capax moueatur à simulachris, non ignorat. Inde & homines singulos se regere, illuminare insuper simulachra hominum. Hinc & simulachra, & quicquid per illa significatur, intelligit, præsertim quia dum descendit ad sensibilia per vim intellectualem, transit quoque in illa per vim ipsam intellectiuam. Itaque intelligit illa, non quia formetur ab ipsis, sed quia ipsa se format in ipsa, dum formam suam naturalem, seu formas innatas, per lumen suum discretiuum discernit in singula. Si capax modo quodam reflexo per speciem accipit & attingit simulachra vnde quasi accepit, cur non agens qui speciem facit, attingat simulachra vnde facit? Attingant autem oportet vtrique intellectuali modo, siquidem natura sua nihil sunt aliud quam intellectus. Qui verò sic attingit, simulachra sensibilia prospicit. Cum igitur substantia mentis in parte hac agente vim habeat ad æterna & temporalia cognoscenda, quid opus est partem illam capacem illi subiungere? An videlicet ad præparandum & exequendum operis huius effectum? Minimè. Agens enim præparat capacem ac phantasiæ simulachra, non è conuerso. Neque externa eget materia ad agendum, cum & interius & ab interioribus valeat operari. Postquam ergo in agente est virtus efficax & præparatrix ad intelligendum sufficienter, superflua est virtutis capacis adiunctio ad mentem vnam ex substantiis duabus conficiendam. Sed esto, iungatur vis capax agenti, hæc rursus agenti subnexa in ea, tam æterna cognoscet, quam temporalia. Hæc quoque cognitio in vniuersa mente ex hac parte capace superuacua est, quandoquidem deest ex altera. Iterum, vis ista capax ab humanis formata simulachris, in nobis temporalia noscit, quæ iam nouerat in agente. Quo fit vt tertia hæc cognitio similiter sit superflua.

Si potentia videndi per sensum quendam agentem sibi coniunctum, singula semper videret, frustra diceretur oculum indigere potentia, per quam ab exterioribus moueatur atque formetur. Sicut ex verbis Auerrois in his tribus cognitionibus superfluitas nascitur, sic & in tribus formationibus oritur. Si formatus est intellectus capax agente semel per essentiam, vt ipse putat, superfluum est iterum formari semper eodem per hominum cunctorum simulachra, superfluum quoque eodem formari quotidie per simulachra virorum sapientum atque felicium. Hæc omnia superflua sequuntur ex dictis Auerrois, quæ nos ab initio recensuimus.

Quod liquido nobis ostendit opinionem eius, tanquam superuacuam esse reiiciendam. Iactet ergo se diuinam mentem adinuenisse, quæ cum in seipsa sit sapiens, semper delirat in nobis. Et quoniam quotidie innumerabiles homines rem eandem considerant, ac sæpè falluntur, mens illa singulis momentis eandem rem simul millies milliesque considerat, & sæpè decipitur. Si superfluitatem hanc fallaciamque sibi à phantasiis iniectam mens ipsa secum animaduertit nunquam semper suiipsius est inscia. Cuius contrarium experimur in nobis, quando fallacias proprias redarguimus. Si animaduertit quidem, non tamen intentionem suam ab iis ambagibus in se diuertit, cum possit, semper est mollis, semper incontinens. Potest autem æterna mens in æternum aciem suam à temporalium phantasiarum nugis auertere.

Siquidem temporalis anima sæpè ad tempus à sensuum nugis seuocat semetipsam, neque potest affectus ad singula quæ sunt infra homines, mentem illam in iis erroribus & turbinibus remorari, quæ neque erga humanam quidem naturam sic afficitur, vt cum ipsa conspiret ad speciem fabricandam. Quo igitur pacto cum hoc animali ad intimas operationes concurret, nisi prius ad esse congrediatur? Nam & forma ignis externæ materiæ calefactionem quidem ipsam, quæ externa operatio est, communicat, etiam si esse suum nequaquam communicauerit, calere autem per se, quæ est intima operatio, solum post esse communicat.

(∴) (∴) (∴)

Secunda. Quia mens species seruat, ac iamdiu plena omnium debet esse.

CAPUT XVI.

QVanquam in libro superiore ex Platonis sententia, nouas menti formas non aduenire probauimus, declinemus tamen ad Peripateticos in præsentia, ac nouas fieri formas in mente capace per vim mentis agentis præsentibus simulachris, concedamus, eo videlicet pacto, vt simulachrum efficacem vim ad speciem creandam non adhibeat, sed occasionis impulsum, quod aliàs declarauimus. Si tota vis speciei vniuersalis efficiendæ in agente est, ac tota vis sustinendæ eiusdem est in capace virtute, profectò ab iis duobus absque simulachrorum præsentia species conseruabitur Verùm habeat, si videtur, simulachrum efficacem vim ad speciem procreandam, dummodo ipsum instrumenti gerat vicem, agens verò intellectus, artificis. Propterea intellectus agens tanquam causa principalis, in qua tota vis sequentium causarum concluditur, postquam semel speciem impressit menti capaci, solus ipse conseruat. Siquidem species in mente vigent etiam dum in ocio torpent simulachra, quæ cum apud Auerroem tanquam mouẽtia extrinseca se ad speciem habeant, nequeunt aliter illam seruare quàm agendo in ipsam, atque mouendo. Mouent autem solum vt actu sunt, non habitu. Quod si species in sensu interiore manent diu, producuntque in actum, etiam si non seruentur, excitenturque ab exterioribus sensibus, quanto magis species in mente absque simulachris? Neque comparãda mens est exterioribus sensibus, qui formas absentibus obiectis amittunt. Non enim formas veras, sed imagines habent, neque ipsi vi sua conducunt ad imagines fabricandas. Mens autem veras possidet rationes, per quas veras rerum substantias comprehendit, atque ipsam et sibi eas effingit. Ideoque potest eadem virtute seruare qua finxit. Atqui si species mentis non aliter à simulachris, quàm vmbræ à corporibus dependerent, nihil haberent in se præstantius quã simulachra. Ac si quid haberent sublimius, id esset munus virtutis agẽtis, quo etiã semotis simulachris seruabuntur. Quòd autem non sicut vmbræ pendeant à simulachris, documento nobis esse potest quòd vsque adeò radicitus infiguntur, vt imprimant habitum penitus indelebilem. Neque dicendum est species ideo exiguam essentiam habere, quia vniuersalia referant, propterea que egere semper simulachrorum fundamento, tanquam conseruatore. Primum quidem, quia & plura & meliora & magis ad essentiam rerum pertinentia continent referunturque, quàm simulachra, ideoque nobiliorem ampliore mque essentiam possident. Quod siquis conceptus generis propter confusionem dispersionemque, & conceptus singularium propter vmbratilem illorum naturam paruifaciat, facilè concedemus. Species autem honorari iubet Plato. In iis enim consistit mundi perfectio, & scientiæ veritas Ad has ita singula referuntur, vt partes ad totum, atque etiam vt ad finem. Deinde etiam si propter vniuersalem conditionem indigent conseruante, seruabit eas potissimum intellectus agens, à quo naturam huiusmodi nanscisc untur. Neque etiam ob hoc egere simulachris hanc speciem, arbitramur, quia naturam significet in singulis existentem, quoniam si naturam tanquam absolutam significat, rem potius respicit seorsum à singulis quàm in singulis, rationem scilicet æternam rerum quæ secundum essentiam in mente diuina est, secundum verò principationes medias in sequentibus Deum mentibus, secundum postremam quandam similitudinem in corporibus, quorum imaginibus commonitus intellectus diuinitatis absolutè particeps, statim aut concipit speciem, aut in se & supra agnoscit ideam. Sic per ipsam speciei conditionem constat non esse eam quasi vmbram simulachri prorsus instabilem, sed excellentem quandam stabilemque naturam. Idem quoque ex natura mentis possumus coniectari. Profectò cera & puluis seruat ad tempus rerum figuras, rebus ipsis etiam abeuntibus. Cerebrum quoque, vt opinatur Auerrois, custodit absentibus corporibus simulachra corporum. Mens autem ipsa, quæ propter æternitatem stabilis est, & super motum, non suscipiet pro natura sua species stabiliter, & super motum. Non seruabit æternè, quæ gremio suscepit æterno? Nonne intellectus est virtus sensu superior, atque ideo magis vnita? Ac propterea solus ipse facere potest omnia, quæ plures sensuum vires efficiunt Quocirca sicut phantasia sola cognoscit quæcunque sensus quinque percipiunt, quia ipsa est illis superior, sic intellectus solus & iudicabit species, & seruabit. Licet fortè iudicare simulachra & seruare, non sit solius phantasiæ officium, vt putat Auerrois, sed iudicare phantasiæ, seruare memoriæ. Distinguuntur duo hæc officia in iis inferioribus viribus, coniungantur oportet in mente, quan-

quam apud Platonicos phantasia quoque memoriam propriam possidet, quod testatur & habitus confirmatio, & in libera discursio ab imaginibus in imagines, quæ sæpè fit reminiscentiæ studio. Mentem verò esse memorem, illud significat, quod cum primum aliqua discimus, difficillimè nos & vix ad illa conferimus, post verò diuturnum cogitationis vsum promptissimè pro arbitrio nostro quæ olim accepimus meditamur, quasi nostra iam facta fuerint, atque alta mente reposita. Postquam semel in seipsa mens nostra formauit diffinitiones quasdam figurarum, seu numerorum, seu virtutum siue Angelorum sibi inuicem ordinem succedentes, vix primam recolere potest quin secundam resumat & tertiam, & sicut à principio cum eas inueniret, vix eas contexuit, ita quando rursus incidit in inuentas, vix dissoluit quæ antea contexuerat, ac multo facilius cuiusque ab aliis speciebus recurrit in alias, quàm soleant sensus interior, quando & ipse ad priora simulachra gradatim reminiscendo reuertitur. Quod apertè declarat inesse menti memoriam multo magis quàm sensui. Quod siquis dixerit mentem non tam formatas species definitionesque seruasse, quàm habitum reformandi, respondebimus, vim mentis eandem quæ & contrahit & seruat habitum, in eius naturam iam penè conuersum contrahere in intima sua speciem, atque seruare. Siquidem habitus fundatur in speciebus, species in habitu concluduntur. Proinde si habitus fit à mente, specie atque actu, ab aliquo istorum stabilitatem suam nanciscitur. Non à mente solum, alioqui mens posset actui quoque stabilitatem tribuere. Non ab actu, quia nullam habet stabilitatem. A specie igitur? Ergo species stabilis permanet. Neque opus est, quotiens eandem rem speculamur, toties nouas ab agente formas recipere, prioribus subito vanescentibus. Si modò tam agens virtus illa pro natura sua tradidit formas, quam virtus capax pro natura suscepit easdem, atque vtriusque natura mobilitatem corporum antecedit, meritò imagines nouæ semper recreantur in visu, quæ à lumine creantur externo. In mente autem species permanent, eodem ipso interno lumine vnde primo effluxerant, firmiter illustrante, præsertim quia si ex eo creatæ sunt, quòd rei cognoscendæ natura secreta est à mutabilis materiæ passionibus, iure permanent immobiliter, vt à substantia mentis omnino stabili fiat transitus in accidens prorsus instabile, in ipsam scilicet intelligentiam per accidens aliquod stabile scilicet speciem. Vbi substantia semper est actu, species ex actu migrat in habitum, atque contra, intelligentia ab esse in non esse, atque è conuerso. Neque simulachris indigent species vt seruentur, quippè cum ipsi etiam phantasmatum assertores confiteantur, quamuis ad intelligendas communes corporum naturas simulachris propriis egeamus, tamen ad formarum intuitum diuinarum, non simulachris vnquam propriis nos vti solere, sed naturis potius ipsis, quas simulachra comitantur. Hinc apparet ipsas diuinorum notiones in mente non à simulachris, quæ per accidens confluunt, sed ab ipsa mente per antecedentem speculationem iam præparata seruari.

Prætereà, quando Platonicam illam seriem connectimus idearum, in qua speciebus vltimis medias quasdam species anteponimus, atque illis iterum genera subalterna, donec multis gradibus ad latissima genera conscendamus, transcendamus quoque genera, ad eam naturam peruenientes quæ cuncta genera extrinsecus ambit, tunc sanè simulachra dimittere cogimur citra species vltimas peruagantia, quæ ascensum illum nequeunt comitari, nisi forsitan vniuersalem ordinem in singulis quoque simulachris disponamus. Quod quidem fieri reuera nequit, ac fingatur, non à phantasia fingitur, sed à mente, quæ interdum notiones innouant vltra notiones, etiam si libuerit immensum, simulachra verò non innouat. Neque prohibet quicquam, quod ad mentis naturam pertinent, in æuum ita nudam simulachris peruolare. Interdum verò quousque angustiora quæque resoluit in ampliora, eousque simulachra pingit in phantasia speciebus quodammodo respondentia, vbi species ipsæ quia præcedunt, faciunt & conseruant simulachra, non è conuerso. Phantasiam verò formari à mente, ex eo perspicimus, quòd subitò in ipsa lucent quamplurima, qualia nunquam aut acceperat à sensibus, aut excogitauerat. Diuidit quoque imagines & componit non sine aliqua ratione, & infinitum fingendo progreditur. Imò à mente fingitur absque fine. Habitus quoque ac mores accipit rationales. Ac multo magis ipsa formatur à mente quam formet, quoniam si ipsa mentem format quandoque, id non aliter efficit, quàm à sensibus & à mentis virtute pulsata. Neque potest formas innumerabiles tradere. Mens autem ex se phantasiam format, & absque fine. Et potest nonnunquam siue affectu suo, siue diuino quodam afflatu ad intelligendum absque simulachris prouocari. Quod

significat (quod sæpè iam quæsiuimus) mentem etiam dum adest corpori, sine corporis auxilio operari nonnunquam, ideoque cum ab eo discesserit, per seipsam multo magis operaturam. Si adduxerint hic Auerroici, eos solere magis intelligentia memoriaque valere, qui corpoream complexionem talem habeant aut talem, propterea quòd notiones intellectuales à sensibus continuè pendeant. Peripateticè respondere poterimus certam corporis affectionem sensui per se seruire, menti verò per accidens, quia mens dum coniuncta est corpori, per imagines sensuum quodammodo species fabricat suas, & quoties in suas species quas fecit seruauitque, ipsa se voluit, toties penè in imagines se reuoluit. Reuoluit, inquam, tum ob quandam inter illas germanitatem, tum ob consuetudinem ex conditione animæ corpori copulatę cōceptam. Et quamuis in qualibet complexione quotidie acumen & memoriam videamus, vnde fateri cogimur hæc ab altiori principio proficisci, sit tamen (si placet) sicca natura magis memor, dummodo siccitas causa per se memoriæ sit in sensu, in mente verò per accidens, non sum quia sensus ipsius memoria menti quodammodo seruit, vt diximus, sed etiam quia spirituum siccitas ad intima se contrahendo non impedit animam quin se colligat, quo fit vt propter vehementem assiduamque cogitationem & acuatur intellectus, & memoria confirmetur. Humiditas verò contrà. Ad hæc autem Platonici dicerent, quot stellæ sunt, totidem esse exercitus animarum. talemque naturam inde denominationemque habere. Hinc ergo dici Saturnias animas, Iouiasque, & Martias, & Solares, aliasque similiter, variasque dotes circa acumen, memoriam, voluntatem, mores, artes, fortunas, ab illis habere, omnes tamen prout inde sunt, bonas, quamuis hic ex multiplici causarum concursu sæpè degenerent. Præterea à suorum syderum animabus numinibusque eas tam ducentibus quàm sequentibus spiritales dotes accipere, à stellarum vero corporibus corporeas atque sensuales. Quamobrem si Saturniæ Mercurialesue hominum animæ inde ad acumen atque memoriam adminicula nanciscuntur, simul etiam ab earundem stellarum corporibus certam sortiuntur affectionem in corpore, quæ intellectualis muneris non causa sit, sed omnes. Denique ex voluntatis vehemētia attentioneque assidua magnam acuminis memoriæque excellentiam plurimum prouenire. Sed non licet hic vlterius digredi. Quorsum hęc? Vt Auerroicam illam opinionem reiiciamus, quæ absolutas diuinæ mentis species à corporeis temporalis phantasiæ simulachris tanquam à corporibus vmbras asserit dependere. Platoni verò fidem adhibeamus dicenti, quod semel reuera fuerit intellectum, obliuioni omnino mandari nunquam posse, sed rei comprehensæ speciem in æterna mente verti in habitum sempiternum. Neque enim contrarium quicquam habet, cuius accessu interimatur, neque vnquam a subiecto deseritur. Quamobrem si mens Auerroica singulis momentis per cunctorum hominum phantasias haurire omnium species affirmetur, vnde res omnes intelligat, atque si hæc mens initio caret, semper quoque fuit hominum generatio, certè ante nos mille annorum millibus species omnes habitusque non semel sed innumerabiliter habuit, imò nunquam primas species accepit ab aliquo, si nunquam fuit homo primus intelligens. Vnde per nullius simulachra species finxit, sed species eius sunt ipsamet, vel ex ipsa eius essentia. Quod Aristoteles non concesserit, sed acceperit species, ac iamdiu omnes. Seruat autem quæcunque accipit immobiliter, si modò intellectualiter accipit id secundum rationem intellectualem. Si olim adepta est singula infinitè, plenaque est omnium & exuberat, quid quærit vltra? Quid sibi vult superflua hęc formarum acceptio sine fine? Quapropter nihil mens nunc in nobis intelligit, cum nihil à nobis accipiat. Forsitan respondebit Auerrois, mentem si rei alicuius olim, puta auri, speciem possidet, non aliam rursus auri speciem nuper à phantasia mea de auro cogitante recipere, sed ipsam auri speciem, quæ quantum ad me attinet, quodammodo dormiebat in mente, propter auri simulachrum expergisci, atque ita mentem nuper phantasiam meam respicere, & in me intelligere aurum, sicut ante intelligebat in alio. Si ita sit, nullas amplius species agens intellectus procreat, nullas excipit capax, quandoquidem iamdiu omnes species possidentur. Quod quidem repugnat Auerroi atque suis volentibus nouas quotidie species procreari & suscipi. Repugnat Peripateticæ sectæ asseueranti intellectum esse velut tabellam cui nihil sit inscriptum, quod quidem Auerrois, dum opinionem suam tuebitur, non poterit vnquam nisi ineptè ridiculeque exponere. Nobis autem non dissonat, qui duce Platone existimamus intellectum non cogi toties nouam hominis speciem generare, quoties varia variorum hominum simulachra nobis obiicit phantasia, sed con-

ceptam antea speciem potius expergisci. Quemadmodum neque Socratis phantasia toties nouum Alcibiadis simulachrum in se fingit, quoties eodem die obuium prospicit Alcibiadem, sed latens intrinsecus producit in actum. Atque idem oculi facerent, si imagines custodirent.

Tertia, quia quoties duo rem eandem intelligunt, toties omnino sequuntur absurda.

CAPVT XVII.

PHantasia mea nunc aurum cogitat, tua quoque aurum, mens Auerroica nostris simulachris excitata parturit in se auri speciem, & intelligit aurum, percunctamur, vtrum nunc in vtriusque nostrum vnam capiat speciem, vnamque intelligentiam auri, an species geminas, geminasque intelligentias, an potius speciem vnam intelligentiasque geminas, vel è conuerso. Nonnulli Auerrois sectatores primam diuisionis huius partem sequuntur, qui ratione huiusmodi confutantur, quia si nostrorum simulachrorum diuersitas nullam facit in mente diuersitatem, temerè nimium garriunt quoties asseuerant mentem illam in me & in te, imò me & te aurum intelligere. Sola enim mens ipsa intelliget, & in seipsa, cogitantibus nobis, quemadmodum & ipse Xenocrates in seipso communem vnam & vtrisque consonam inspicit veritatem, dum Speusippum audit & Polemonem in disputando per inscitiam verbis dissentientes. Præterea si mens eodem actu intelligendi apud me nunc & apud te intelligit aurum, cum primum apud te desinit ipsum considerare, apud me considerare pariter desinit, cuius contrarium experimur. Negabunt autem id sequi, & sicut apud nos eadem anima brachium manumque viuificat, atque amputata manu desinit hanc viuificare, non illud, ita inquient mentem cessantem in tuo simulachro, in meo solum considerare quæ ante & in tuo simul considerabat. Exemplum non conuenit, quoniam actus viuificandi transit in corpus, actus intelligendi in simulachra non descendit. Ideoque in duobus membris diuersi recipiuntur actus viuificandi, actus intelligendi in mente vna permanet vnus. Sed exemplum hoc conuenit potius, vt sicut anima per vnam vitam in membris viuebat ambobus, postea per eandem viuit in vno, ita mens per eandem intelligentiam apud vtrumque considerabat, per quam postea solum in altero speculatur. Sed neque exemplum hoc satis congruit, quoniam hic & illic viuere rectè possumus dicere, intelligere autem hic aut illic minimè. Siquidem per segregationem loci intelligentia consummatur. Verùm nunquid si oculus eodem aspectu partem exiguæ superficiei dextram simul videt atque sinistram, ac interim subtracta sinistra idem ipse aspectus omnino qui perspiciebat vtramque, remanet integer, sed solum terminatur in alteram, qui prius in vtramque terminabatur, ita idem actus intelligendi respicit simulachrum vnum, qui duo respexerat: Hoc quoque dissonat. Primum, quia non propriè oculus videre desinit dum visio manet integra, sed videre desinit potius pars illa superficiei quæ frangitur. Sed desinat videre, quid tum? Nonne aspectus ad locales partes superficiei dirigitur? Vt non abre dici possit tam hic videre quàm ibi, ideoque fortè hic desinit quandoque videre, non ibi. Intelligentia verò non ad localia simulachra se protendit, sed ad rationem locis exclusam. Quocirca non rectè dicitur, hic perire, non ibi, sed aut nusquam, aut tota vbique desinere. Quid ergo sibi vult temeraria illa responsio, intelligentia modo duo simulachra respicit, modo vnum? Non quod simulachra ipsa contueatur, altius enim suspicit. Non quòd ipsa moueat, quia non ex hoc propriè mens intelligit, sed afficit ita simulachra, vt ipsa vel intelligant, vel ad intelligendum aliud moueant. An fortè quòd mens à simulachris mouetur? Si ita est, cur non dicebant mentem à simulachris respici potius quàm respicere? Sed dixerint: Quid significat ab iis illam respici? Num mētis species à simulachris velut vmbras à corporibus dependere? Sanè hoc ipsum est magnificum Auerrois ipsius inuentum. Neque magis ex hoc sequitur mentem in simulachris intelligere, quàm aut auditum in voce audire, aut olfactum olfacere in odore. Imò quia dimissis simulachris auri, ipsa per se in absoluta atque vna auri specie vni & absolutæ se insinuat auri rationi, fit vt seorsum à nobis in ipsa idea per actum vnicum intelligat, ac siquando desinit intelligere, semel ibi tota simul desinat & momento. Qui autem species esse simulachrorum vmbras affirmant, atque deinde speciem vnam à duobus simulachris emanare, ac rursus speciem eandem quæ à tuo simulachro prius solo manabat, postea etiam à meo tam tecum quàm te desinente manare, similiter delirant atque illi qui affirmarint, aut vnam à duobus corporibus vmbram effluere, aut vnius corporis vmbram eo sublato ab altero corpore conseruari. Accedit ad hæc, quòd in eodem mo-

mento vna illa mens per vnam speciem vnamque intelligentiam de vno auro ita secum ipsa dissentit, quod in me iudicat aurum spernendum esse, aspernaturque, in te verò preciosum iudicat, & affectat. Tanta iudiciis & affectibus repugnantia nequit ab vno principio, quatenus vnum est prouenire. In intelligentia specieque nulla esse diuersitas dicitur, nunquid ergo à simulachrorum diuersitate? Minimè. Nempè simulachrorum diuersitas prius in speciebus intelligentiisque, quàm in iudiciis & affectibus differentiam pareret. Quis ergo consenserit actum vnum intelligendi ad contraria iudicia terminari, & repugnantes affectus quasi idem motus possit ad contrarios terminos proficisci. Confugiunt ad hoc eorum nonnulli, vt duo illa simulachra vnam quidem in mente speciem faciant. Quæ species prout à duobus simulachris proficiscitur, duas parit intelligentias, quæ ad discrepantes terminos diriguntur. Sed quis dixerit simulachrorum veritatem, quæ speciebus propinquior est quàm intelligentiis, species quidem differentes non facere, intelligentias verò diuersas? Præterea si species illa datur menti cum diuersis respectibus ad diuersa, non datur penitus absoluta, neque sufficiens est intelligendi principium. Sin non datur vt differens, differentiam intelligentiis non parturiet. Adde quòd nullus sanæ mentis vnquam concesserit, vnam agendi siue cognoscendi virtutem per vnam formam in tempore vno circa obiectum idem operationes plures ædere numero differentes, sicut oculus vnus circa rem eandem per vnicam imaginem non ædit duas eodem in tempore visiones, vna enim sufficit, & differentes esse nequeunt, nisi à principiis differentibus. Vnde si omnes homines eodem ad videndum oculo viterentur per vnam Solis imaginem, eodem tempore vnam tantum visionem Solis haberent. Similiter intellectus vnus per vnam auri speciem momento vno vnam auri habet intelligentiam. Neque differentiam huc afferunt duo illa simulachra, quæ tanquam præparationes quædam, imò incitamenta ad actum præcurrunt intelligendi, non incurrunt vnquam, neque concurrunt etiam necessario. Similis quoque sensuum actibus ad phantasiam est comparatio. Neque defuturos arbitror inter illos, qui asserere audeant à geminis simulachris auri geminas menti tribui species, vnum tamen inde intelligendi actum circa ipsum aurum prouenire. Quod ideo reprobabimus, quia si simulachrorum diuersitas vim tantam habet, vt in speciebus diuersitatem pariat, cum tamen simulachrum atque species diuersis substantiis insint, quanto magis differentia specierum differentiam intelligentiarum pariet, præsertim cum in eadem sint mentis essentia? Nonne etiam apud istos motus vnus ad contrarios terminos agit, quando per vnam intelligentiam contraria iudicia fiunt, affectusque contrarij? Quid etiam responsuri sunt nobis interrogantibus, nunquid alterutra species seorsum ab altera sumpta possit intelligentiam procreare, nec ne? Si nequit, non poterit mens rem aliquam cernere nisi eius rei in mente imagines geminentur, quarum semper vna superflua erit. Si autem potest, vtraque suum actum exequitur, fiuntque gemini à geminis speciebus actus intelligendi. Recentiores autem Auerroici confitentur à duobus simulachris auri duas in mente eadem formas simul intelligibiles fieri, quas duæ sequantur intelligentiæ. Principio liceret in eos cauillari eadem illa ratione qua in nos cauillabatur Auerrois, vt alias declarauimus. Certum est eas formas inter se secundum speciem non differre, quandoquidem conducunt ad vnam auri speciem cognoscendam, suntque ambæ intellectuales auri similitudines. Quod si in specie eadem solo differunt numero, in formam aliam communiorem resolui possunt, imò & debent, si modò per eas intelligentia sit impienda. Resoluantur ergo. Quærimus vtrum communior illa forma vna sit omnino in mente apud me & apud te, an differens. Si eadem, per hanc ipsam solam explebitur intellectio, poteramusque ab initio vnam ponere. Sin differens, similiter resoluemus. Et quia infinitum digrederemur, præstat vnam in principio ponere. Sed cauillationes huiusmodi dimittamus. Si formæ intelligibiles vsque adeò sequantur simulachra, vt fiant seruenturque ab eis, ac per eadem numerentur, fieri non potest quin eodem modo singulares sint ad simulachrorum singularitatem, quo & colorum imagines ad singularitatem colorum singulares existunt. Quod enim sic adstringitur singularibus necessariò conditionibus eorum subiicitur. Neque conferet illis mens, vt absolutæ fiant. Sicut enim non sufficienter illis præstat initium temporale, ac perseuerantiam temporalem, ita non sufficienter præstabit illis absolutam æternæ naturæ communitatem. Et cum communitas absolutioque in vnitate consistat, mens quæ vnitatem formis largiri non potest, cum ipsa sit vna, sed in hoc vincitur à simulachris, communitatem quoque non largietur, sed à simulachris singularitatem præstantibus superabi-

tur. Proinde ab Auerrois sectatoribus suscitabimur de duabus hisce formis intelligibilibus auri, nunquid per seipsas differant, an per subiectum in quo sunt, an per aliquod aduentitium. Non per seipsas, alioquin secundum eorum doctrinam specie discreparent. Non per subiectum, quod vnicum esse dicunt. Non per aliquem peregrinum.

Nihil enim aliud hoc esse posset quam respectus aliquis vel ad auri simulachra, vel ad ipsam auri rationem. Profectò per aspectum pertinentem ad auri rationem non discrepabunt, cum ipsa sit vna. Sed neque etiam per aspectum ad auri ipsius simulachra.

Eatenus enim forma intelligentiæ confert, quatenus ab aspectu simulachrorum absoluitur, respicitque naturam oppositam omnino simulachris, à loco videlicet ac tempore liberam. Ergo cum primum forma intellectualis affecta est, simulachra respicere desinit. Sed esto, respiciant formæ illæ simulachra, ac differant per aspectum, certè non per aspectum simplicem discrepant, sed per duplicem. Duo igitur erunt in formis duabus aspectus, non quidem specie differentes, quandoquidem ad vnam speciε naturam auri referuntur. Differentes itaque numero. Cæterum per quid differunt? non per seipsos, alioqui specie discrepabunt. Non per subiectum, in vna enim mente locantur. Neque dici debent ideo geminari, quia in formis geminis collocentur. Nam concessum est ipsas formas per aspectus potius geminari, non per aduentitium aliquid, quoniam rursus aspectibus aspectus adiungeremus, ac de posterioribus sicut de prioribus ligaremus.

Iterum percontamur, vtrum respectus illi in formis fundentur, aut in simulachris. Si in simulachris, formæ à simulachris respicientur, potiusquam respiciant. Si in formis, neque ad formarum ipsarum essentiam pertinent, quia differentiam formis secundùm speciem adhiberent, essentiis formarum adiiciuntur extrinsecus à simulachris formarum ipsarum fabricatoribus. Vnde sequitur formas huiusmodi esse particulares propter ipsam corporalium singularitatem simulachrorum. Quod quantum intelligentiæ puritatem impediat, nemo sanæ mentis ignorat. Profectò cùm simulachra ad formas, tanquam agentia extrinseca comparentur, nunquam efficient vt forma altera distinguatur ab altera, nisi singula simulachra formis singulis inde manantibus certas quasdam conditiones adhibeant, quibus inter se non aliter discrepabunt, quàm simulachra inuicem. Itaq; absolutæ formæ non erunt, dum ad simulachrorum angustias contrahentur. Omnino autem incredibile est duas absolutas formas in eodem subiecto reperiri solo numero differentes. Eo enim ipso quòd neque ratione essentiaque differunt, neque subiecto cogentur per qualitates peregrinas inuicem discrepare, vnde absolutæ non erunt. In duobus autem subiectis esse illas non esse impossibile. Simul enim inuicem distinguentur, quia distincta subiecta formabunt, & absolutę manebunt, quoniam à subiectis non formabuntur, quando subiecta simplicia fuerint, & ab infectionibus aliena.

Quarta, quia vel eadem esset multorum hominum scientia, vel superfluæ qualitates in eodem.

CAPVT XVIII.

QValitates omnes, tam à termino, quàm à conseruante externo absolutæ, quæ sunt vnum specie, si in idem concurrant subiectum, fiunt etiam numero vnum. Nam quæ specie conueniunt, conueniunt & forma: quòd si materia insuper conueniant propter subiectum, omnino sunt vnum. Quapropter in vna vini gutta dulcedo est simul atque rubedo, quæ duæ qualitates diuersæ sunt specie, non tamen duæ dulcedines ibidem sunt, duæve rubedines. Etsi imagines splendoresque qualitatum possunt in eodem esse secundum numerum solummodo differentes, ceu duorum ouorum imagines in oculo & phantasia, ac etiam duarum candelarum lumina duo in eodem aëre, quoniam ab externis dependent assiduæ, & idcirco sequuntur eorum numerum quorum vel imagines sunt vel lumina, potiusquam subiecti, illæ tamen qualitates quæ & veræ sunt, & sequuntur subacti naturam potiusquam obiecti, vnum fiunt numero per subiectum, si vnum specie fuerint. Absoluta autem mentis forma ideo vera stabilisque eius qualitas est, quia non est peregrinorum accidentium imago, vel vmbra, vel splendor, sed intellectualis substantiæ partus substantiarum exemplar, regula veritatis ab intellectu dependens non ab externis. Quapropter non sunt in mente formæ quædam absolutæ solo inter se numero differentes. Vbi contemnere licet Auerroicam illam obiectionem. Simulachrum, inquiunt, formæ intelligibilis principium est, quot igitur occurrunt simulachra simul, totidem formæ fiunt, quia simulachrorum quodlibet

seorsum ab alio formam potest sufficienter efficere.

Nos autem dicimus simulachrum, neque esse formæ principium, si modo forma vniuersalis sit, neque mentis capacis præparationem ad formam suscipiendam, ne prius sit in mente quàm forma, aut certè mente similius, sed esse occasionem quandam ad virtutis agentis incitamentum. Quod etiam efficiet nunquam, si in alia substantia ipsum sit in alia forma. Si verò in eadem sint anima, vt certè sunt, quodammodo occasionem præbeat, aliàs declarauimus. Quãdo igitur simulachrum auri sese offert, si mens formam auri antea nunquam acceperat, ipsa producit, nacta occasionem ad producendum. Si autem produxerit alias, eamque possidet, non producit aliam, sed quam possidet, educit in actum. Vnam verò dumtaxat producit atque educit, etiam si mille simulachra speciei eiusdem occurrerint. An non animaduertis quando mille homines oculis conspicis in theatro, & horum mille postea mille simulachra recolis simul in phantasia, interim mentem ita considerare. Pulchrum animal homo est, societate gaudẽs, solers, religiosum? Hic mens de nullo illorum mille ita pronunciat, sed de vna cunctorum communi natura, de communi animalis rationalis substantia, de communi definitione societatis ipsius solertiæ atque religionis. Vnum hoc iudicium de vna cunctorum hominum, seu virtutum natura non potest mens commodius quàm per vnam speciem & similitudinem facere. Vbi apparet eam à mille hominum simulachris vnam dumtaxat hominis speciem hausisse, idemque facere semper in omnibus speciei eiusdem simulachris quantumcunque diuersis, ab omnibus equorum simulachris vnà collectis equinam speciem vnam, non autem à simulachris equi & hominis speciem vnam, sed duas. Hoc in seipso quisquis vnquam aliquid intelligit, experitur. Quapropter quando centum homines equum vident, centum colligunt in phantasiis equi simulachra. Mens verò si est vna cunctorum, à centum simulachris prouocata, vnam equi concipit speciem, quam vna sequitur intellectio. Vnus igitur erit apud centum homines actus intelligendi. Quonam igitur pacto cessant vna intelligere, alius quoque non cessat? Possunt certè innumerabiles homines sibi deinceps succedentes per ipsam eandem intellectionem in se manẽtem intelligere. Hinc sequetur, vt ipsa temporalium speculatio sit æterna. Quod Auerrois non concedet. Non considerat mens equum prout hic equus est, sed simpliciter secundum speciei equinæ rationem vniuersalem. Huiusmodi ratio vna est, etiam si mille sint equorum simulachra in anima hominis vna vel pluribus. Vna igitur erit equi consideratio in multis hominibus. Ex tali consideratione scientiæ habitus in mente contrahitur. In mente, inquam, non in phantasia, si modo actus intelligendi dispositio est ad habitum, & vbi fit dispositio, ibi fit forma. id est, habitus, habitus vniuersalis ex vniuersalibus actibus atque formis. In phantasia verò, cum secundum Auerroem sit alligata materiæ, neque actus neque habitus secundum modum vniuersalem esse potest. Vnus ergo erit & idem scientiæ habitus, quantum ad speciei equinæ spectat considerationem, in centum hominibus. Imò verò cum intellectus species habitusque conseruet, quilibet nostrum qui per hunc intellectum intelligit, & cuius intelligentia est ea ipsa mentis intelligentia. iam nunc intelligit omnia quæcunque præsentes homines & præteriti cognouerunt. Respondebit Auerrois, nos eatenus per intellectum intelligere, quatenus per simulachra nostra nobis coniungitur. Et quoniam non sunt eadem apud omnes simulachra, neque affecta similiter, ideo non quicquid vnus cognoscit, agnoscit & alius. Responsio talis non satisfacit. Quando enim mens iam actu speciebus est prædita, potest per seipsam meditari, quod Aristoteles confitetur. Vnde videmus nos illud cuius iam scientiam accepimus, posse quoties volumus meditari, neque simulachrorum absentia impediri. Si enim simulachra viæ sunt ad species, quid opus est via postquam ad terminum peruenerimus? Quid præparatione, postquam sumus habitum consecuti? Qui tantum abest vt simulachris tanquam cõseruatoribus egeat, vt neque etiam propriis actibus, à quibus proximè proprieque creatus est, indigere vlterius quando confirmatus iam est, videatur.

Profectò, quando iam adultus est, tanquam natura seipso viget in intellectu, neque dependet vlterius à simulachris, neque ipsa respicit. Si ita est, habitus qui in Auerroico sunt intellectu, iam consummati æquè sunt omnium, quandoquidem iam absoluti sunt, neque huc magis quam illuc extra prospiciunt. Igitur æquè doctus erat & æquè bonus Aristippus & Socrates. Et quando discit Grammaticam Plato, simul & Xenophon, habitum Grammaticæ simillimum sibi comparant ambo.

Grammaticæ simillimæ vna est ratio, itaque habitus eius vbicunque sint, eiusdem sunt speciei. Habitus talis in Platone, atque habitus similis in Xenophonte, specie vnum sunt. Quod si intellectus in quo velut subiecto sunt, est vnus, vnum quoque sunt numero. Nam si qua formarum ex vnitate subiecti fit vna, maximè talis est habitus, qui transit in subiecti naturam, imò subiecti naturam vsurpat ipse sibi, certam præstat procliuitatem & subiectum mouet immobilis. Si ergo mens vna sit, aut eadem omnino erit duorum scientia, duo cogitabunt, vnà, vnà desinent cogitare, aut qualitates innumerabiles speciei eiusdem in subiecto eodem erunt, & quotidie intellectus qualitates accipiet plurimas specie easdem cum iis quas habet, ac si mel singulis momentis aliam dulcedinem acciperet suæ simillimam. Atque in hoc Auerrois opinio sibi plurimum aduersabitur, qui in libris de anima ter replicauit (iuxta sententiam Aristotelis) omne subiectum nudum esse oportere specie qualitatis illius quam sit susceptururum. Proinde cum in nobis experiamur mentem non solum intelligere, sed etiam quòd intelligat animaduertere, atque ex alia intelligentia in aliam sæpè similem, sępè etiam oppositam facillimè se momento transferre, plurimaque in vnum connectere. Quinetiam multas eius qui cum disputat notiones per vnius expressionem aucupari, & quod maius est, sæpè quod alius habet in phantasia, quę remotior est à mente percipere, proculdubio mirum est Auerroicam mentem vnicam, æternam, indiuisibilem, vniformem, cunctis æquè præsentem, quod apud te intelligit, nunquam apud me quod in te intelligat, illud animaduertere, nunquam quod in alio intuetur, cum his quæ contuetur in alio copulare, nunquam quod apud alium cogitat, apud alium per seipsam augurari. Neque ad simulachrorum diuersitatem licet confugere, quæ & extra & infra mentem sunt, ac multa certo intelliguntur tempore, simulachro tunc neque intercedente, neque per se & propriè comitante.

Quinta, quia contradictoria in eodem essent.

CAPVT XIX.

Contradictoria tanto magis sibi inuicem aduersantur quàm contraria, quanto maior repugnantia est inter esse atque non esse, quàm inter esse tale atque tale. Quapropter si contraria in idem subiectum congredi nequeunt, multominus possunt contradictoria: quo fit vt quisque nostrum in seipso experiatur mentem suam nunquam rem aliquam affirmare omnino simul atque negare, velle prorsus ac nolle, etiam si plura rei ipsius simulachra in eius sint phantasia. Neque nunc afferant in medium Auerroici, quòd imago albedinis simul atque nigredinis in oculo sunt & phantasia, ac rursus earum species simul in mente, in qua etiam sint cognitiones simul contrariorum, quoniam huiusmodi formæ quæ extra animam contrariæ sunt, ideo in anima non sunt contrariæ, quia naturam suam amittunt. In qualitatem enim quandam animæ transferuntur, & illam quidem quodammodo imaginariam. Sed assentiri & non assentiri, velle ac nolle, vim contradictoriam retinent, quia & essentialia potius quàm imaginaria sunt, & circa eundem animæ actum siue affectum esse significant, atque non esse. Igitur quamuis albedinis nigredinisque species in visu non sint contrariæ, tamen visio alicuius obiecti tanquam albi, ac visio simul eiusdem tanquam nigri, sic aduersantur inuicem, vt concurrere nequeant, quamuis visiones ipsæ à diuersis speciebus obiectisque continuè pendeant, sic in mente affirmatio diuinæ Trinitatis simul atque negatio conuenire non possunt, etiam si à diuersis simulachris speciebusque pendere dicantur. Sanè agentium diuersitas nihil prohibet quo minus affectus contrarij inter se sibi inuicem aduersentur, seque expellant. Quid ergo facit vt Auerroicus intellectus in Platone asserat vnum ipsum esse super essentiam, & ipsum bonum super mentem, in Aristotele reprobet? Certè non efficit istud varietas vlla simulachrorum. Talis enim contemplatio non aliter quam posthabitis simulachris rectè peragitur. Aut quid efficit vt intellectus ille apud Platonem affirmet cœlum esse ignem, apud Aristotelem simul neget? An duorum simulachrorum diuersitas faceret quidem fortasse istud, si mens in simulachris aut per simulachra, aut de simulachris iudicaret, nunc verò occasione ab illis accepta, statim se in se recipit, ac per communem speciem iudicat in seipsa de natura communi cœli atq; ignis, ipsi verò phantasiæ relinquit simulachrorum intuitum; atque etiam perexiguum, qui tanto magis debilitatur, quanto magis mentis speculatio roboratur, atque contrà. Quod euidentissimum argumentum est ad id quod in superioribus tractabamus, speciem videlicet neque fieri à simulachro, neque seruari. Nunquid diuersæ species per

occasionem diuersorum simulachrorum in mente conceptæ diuersas illas sententias pariunt? Nequaquam. Vnam enim mens accipit speciem à duobus eiusdem cœli simulachris. Sed gratia disputationis accipiat duas. Licet istæ duæ sint viæ per quas sententiæ repugnantes in mentem proficisci posse videntur, non tamen duæ quædam sunt in mente partes aut vires, aut propriæ formæ, in quibus possint discordes sententiæ suscipi, sed ad vnum & indiuiduum centrum intelligentiæ colliguntur. Vnicus ibi & simplicissimus iudex profert sententiam. Vnus autem sibimet non potest adeò manifestè in eodem tempore contradicere. Specierum duplicitas nihil vlterius potest quàm variè animum instigare, si modò ipsę sint variæ. Sententiam verò fert intellectus debiliori specie neglecta per aliam, perque speciei vnius præualentis imperium vnam duntaxat sententiam profert, sicut & phantasia, quamuis per varios sensus coniecturis variis agitetur, vnum tamen iudicium parit atque affectum. Mentem verò idem facere in variis coniecturis apud seipsum quilibet experitur. Quòd si vna illa mens per duas species in duobus hominibus ambigat, atque huc feratur & illuc, quia tamen sui ipsius conscia est in seipsa, quid illic ambigat non ignorat, coniecturisque libratis, ad partem alteram paulo momento declinat. Ac si absurdum est dicere, in eodem subiecto calorem simul frigusque suscipi, etiam si à diuersis causis duo hæc inferantur, igne videlicet atque aqua, nonne etiam ridiculum erit contrarias in mentem opiniones incidere, quamuis à diuersis causis immittantur? quod enim suscipitur, pro dispositione subiecti suscipitur. Nequit autem subiectum idem modis simul contrariis esse dispositum ad contrarias simpliciter formas accipiendas. Fortior insuper erit argumentatio, si de contrariis habitibus argumentemur. Cum enim habitus confirmati à simulachris vlterius non dependeant, iamque absoluti sint etiam (quod maius est) à propriis actionibus, non possunt Auerroici dicere contrarios habitus propter contraria quædam agentia, id est, simulachra posse concurrere. Quod autem dicunt mentem duabus speciebus indutam, vicem duorum gerere subiectorum, quibus repugnantia capiantur, ideo non admittimus, quia non pertinet ad eos tantum speciebus confidere, qui eas velut vmbras putant superficiem mentis ambire. Deinde quia species apud illos peregrini & contingentis actus obtinent locum, mens verò substantiæ atque subiecti. Non fiunt autem propter duas aduentitias formas subiecta duo, neque suscipitur aliquid formarum ratione, sed ratione subiecti. Vna igitur mens vnum est subiectum, licet duas excipiat species, atque ratione ipsius (non specierum) suscipitur quicquid aduenit. Quomodo igitur contradictoriis pateat aditus, ne fingi quidem potest, nisi fortè addiderint ita se mentem habere ad speciem, sicut materiam ipsam ad quantitatem. Igitur sicut materia per quantitatem extensa contrarias suscipit qualitates, ita mens vestita speciebus sententias repugnantes. Exemplum minimè conuenit, quia quantitatem esse à materia inseparabilem arbitrantur, speciem verò menti penitus peregrinam. Præterea materia non prius per quantitatem formas contrarias excipit, quàm in diuersas partes extensione secetur. Quod si Auerrois mentem per ipsas species in alias atque alias mentes secari concesserit, forsitan admittemus. Ergo si materia licet per quantitatem præparata sit, non tamen in eodem suiipsius puncto qualitates contrarias accipit, ita mens non admittit contradictoria, etiam si variis affecta fuerit speciebus. Natura quippè contradictoriorum est, vt simul habitare non possint. Nequeunt autem esse simul, etiam si per medium aliquod quis illa conciliare tentauerit. Adde quòd repugnantia si præparationibus quibusdam suscipienda sunt, præparationes exigunt repugnantes. Si modo præparationes quantum ad certos habitus conferunt, atque cum illis proportione aliqua congruunt, tantum habitus diuersos impediunt, & ab eorum præparationibus dissonant. Ac si præparationes ad repugnantia per alias iterum discordes affectiones ab eodem subiecto suscipiuntur, in infinitum errabimus. Sin autem affectione nulla intercedente, absurdum id quidem est, & poterunt habitus repugnantes æquè sicut affectiones sine medio suscipi. Quamobrem si mens nostra sit ad repugnantes contradictoriorum actus & habitus disponenda, opus erit prius aduersantibus inuicem speciebus, atque etiam discursionibus dissonis, quæ à speciebus discordibus excitatæ, principia ratiocinandi pugnantia sumant, perque dissona media ad conclusiones perueniant contradictorias. Vniuersa hæc repugnantia quæ ad contradictoria distrahit, ita nequit à mente suscipi sine medio, sicut contradictoria nequeunt. Si quæratur medium, absque fine quæretur. Quemadmodum de contradictoriis assensionibus disputauimus, ita de contradictoriis affectibus licet differere, vt ecce quando mens illa apud Plato-

tem obiectum aliquod vniuersale vult quidem, atque eodem tempore apud Aristotelem non vult, qualis effectus ad phantasias non pertinet, quæ non magis attingunt vniuersale aliquid appetendo, quàm cogitando. Contrarios quoque in mente videmus affectus, quando homines duo obiecta duo vniuersalia simul nolunt, inuicem dissidentia, & quando in rebus incorporeis alij gaudent, alij simul dolent. Denique eadem mens proba erit & improba simul, sapiens & ignorans, certa & ambigua, felix & misera. Quid dicent ad hoc? Quod ex repugnantibus actibus affectibusque repugnantes, habitus in eadem mente coalescent, videlicet & contrarij. Hoc autem ideo est omnium absurdissimum, quoniam habitus non imaginarium quiddam est, sed naturalis formæ gerit vicem, naturalis autem forma procliuitasque per aduentum oppositæ formæ procliuitatisque disperditur. Diutius fortasse quam decuit, de mente cum his disputauimus qui mente se priuant, quando eam ab humana specie segregant, quæ vsque adeò speciei humanæ familiaris est, vt neque nos mentem adsciscere sine mente possimus, neque illi mentem respuere sine mente. Arbitramur autem nos in superioribus non Auerroem solum confutauisse, verumetiam Mauros illos qui vnam esse omnium animam opinantur. Si enim in mentibus distinctio est, multo maior est in animalibus diuersitas, tum quia mentes humanæ magis vnitæ sunt inuicem, eo quòd præstantiores sunt quàm animæ inuicem, tum quia si sufficeret anima vna nostris corporibus gubernandis, multo magis mens vna sufficeret veritati comprehendendæ. Vnde neque credendum est nonnullis adulterinis Platonicis asserentibus viuentia omnia per vnam mundi animam viuere, quia non duceremur motu libero, & varietate consilij, sed impetu subito velut sagittæ ferremur. Et si vna quadam anima spiraremus omnes, etiam vna quadam super mundum mente solum specularemur. Satis autem diuersitas ipsa & distinctio corporum mundanorũ, distinctionem significat naturarum, naturarum distinctio, distinctionẽ sequitur animarũ, animarum distinctio distinctionem mentium comitatur, & mentes insitæ animabus, animarum retinent numerum. Ridere quoque licet barbarum quendam Dinantem & Manichæos, qui Dei portiones quasdam esse nostras animas voluerunt, siue Deum. Nam hoc esse non posse satis ex quinque illis rerum gradibus in primo libro dispositis declaratur. Neque potest Deus aut in animas multas discerpi, cum summa vnitas diuidi nequeat, aut materia fieri plurium animarum, ne sit vilior animabus, neue summus actus gerat subiecti vicem. Aut ipse in sua forma consistens, mutari tam frequenter in nobis, cum sit stabile mobilium centrum à vero in falsum, bono in malum, gaudio in dolorem, atque contra. Denique si Deus cunctorum esset anima, vt mens esset in cunctis, quod est in superioribus confutatum. Quoniam verò Themistius asserit vnam fuisse Platonis, Aristotelis, Theophrasti de mente sententiam, si cupimus Peripateticam hanc disputationem felici fine concludere, veritatem ipsam Platonicam Peripateticamque per plures dispersam Interpretes, ita colligamus in vnum. Accipiamus ab Auerroe capacem intellectum esse immortalem. Accipiamus ab Alexandro capaces intellectus esse vires quasdam animabus nostris naturaliter insitas, totidem numero quot sunt animæ. Concludamus hominum animas immortales esse. Atque hæc est conclusio Platonicorum, Christianorumque, & Arabum Theologorum, priscis Peripateticis maximè consona.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER XVI. (∴)

Sequitur secunda quæstio, cur animi terrenis corporibus sint inclusi.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



Ostquam primæ quæstioni respondebimus, ostenmusque mentis diuinitatem nostris animis conuenire. Secundæ respondeamus, ostendamusque cur animi, si diuini sunt, terrenis corporibus tam infimis sint inclusi.

Ratio prima. Vt cognoscant singula.

ESsentia Dei, si modo essentia nominanda est, nõ vnum quoddam rerum genus est, alioqui res tantum sui generis ageret, sicut aqua, ea quæ humida sunt, non sicca facit, ignis contra sicca non humida generat. Cùm verò cuncta rerum generat per suam essentiam. Deus efficiat, & quod efficit, super omnia quæ fiunt maneat, in nullo rerum genere Deus est, sed super omnia genera. Igitur quando suam intuetur essentiam, cunctorum originem & exemplar, cuncta rerum genera contuetur, cunctas quoque species, atque singula. Nã essentia Dei, principium mediumq; & finis est. non specialium tantùm principiorum, sed etiam singularium sub qualibet specie peruagantium. Profectò diuina essentia cùm nihil in se habeat materiæ simile, quæ obumbrare solet cognitionem, lux est perspicacia summa. Idcirco Deus per suam essentiam propriè, tanquã per lucem efficacem discretricemque singulorum singula perspicit, atq; cum essentia Dei penitus absoluta sit, non tantùm ab omni materia, materiæque proprietate, sed etiam ab omni certa conditione, respectuque ad hanc rem creatam aut illam, atque sit infinita, idcirco indifferenter (vt ita dixerim) se habet ad omnia. Igitur aut nihil præter se cognoscit, aut omnia. Nihil autem cognoscere dictu nefas est, cùm & cognoscẽtium, & cognitorum, & cognitionis sit ratio summa. Neque obiiciat nobis Auerrois, vilescere Deum, si inferiora consideret. Sanè quis cognoscit se esse omnia quæ infra se sunt, principium ideo nouit quid sit inferius esse, igitur qua ratione deficiant, comprehendit. At verò dum rationem ipsam defectus ipsius agnoscit, defectum ipse non patitur. Quòd si Deus in ipso imperfectionis fundamento considerando quod ab ipso alienissimum est, ipse non fit imperfectior, certè multo minus quàm in aliis vel imperfectissimis cogitandis imperfectus euadet. Quid plura? cognitio sui aliorumque, tanquam bona optabilis est, est enim quædam sui ipsius animorumque possessio. Potest autem aliquis cognoscendi modus minus quàm alius optabilis esse. Siquidem modus quo sensus cognoscit externus, est imperfectus, Minus autem imperfectus ille, quo sensus internus, minus quoque quo ratio, minimè tandem quo mens Angelica. Itaque cognitionis ille modus quo Deus discernit singula, cum sit gradibus infinitis Angelico modo perfectior, imperfectionem certè nullam

imò perfectionem omnem penitus comprehendit. Talis certè est cognitionis diuinę modus, qui per ipsam perfectionem omnem fit infinitam.

Denique, sicut nobis finitis præstat finita quædam scire quàm ignorare, sic infinito Deo conuenit potius infinita, quàm vel nulla vel finita videre. Cognoscit verò distinctè vbique singula, si modò qui causam causarum perfectè tenet, & cũctas & singulas causas perfectissimè possidet. Atque distincta perspectio tanquam perfectior admodum, quàm confusa magis admodum est exoptanda. Sed ne longius digrediamur, pergamus ad reliqua. Angelus quoque cuncta Dei & opera & singula conspicit. Nempè, si nostræ mentis obiectum est esse ipsum verumque commune, atque ideo ad existẽtia omnia veraq; mens humana (licet paulatim) se dirigit, par est vt mens Angeli, quæ nostræ præstantior est, omnia capiat: & vt volunt Platonici, simul omnia. Sed quonam respicit Angelus vt omnia videat? Nunquid in corpora aciem dirigit? Nequaquam. Quia stabilis est Angeli mens, cernitque cuncta simul, propterea non potest ea discere à corporibus, quæ cursu suo sæpius permutata aliàs aliter & alia monstrant. Ac si modus agendi sequitur essendi modum, Angelus qui in essendo omnino est à corpore liber, erit quoque liber intelligendo. Neq; formabitur à corporibus, qui corporibus est excellentior, & cum ipsis commercium habet nullum. An fortè in angelicam essentiam flectet intuitum? Flectet quidem, sed in Angelo solùm perspiciet Angelum. Nam tantùm in angelica natura videbit, quãtum ipsa se porrigit. Ipsa in genere solũ est angelico. Angelum igitur videbit in ipsa, reliqua rerum genera clarè discernet. Nempè si materia cognitionem impedit, essentia verò creata nonnihil habet materiæ simile informeque & fuscum: sequitur vt nulla creata mens, quatenus in nudam quasi caliginem aspicit, visionis claritatem adipiscatur, perinde ac si Luna in se respiceret nondum lumine Solis illustris. Ergo sicut oculus colores non cernit, nisi per formas ipsas colorum, ita neque mens perspicuè rerum videt genera, nisi per ipsorum formas, siquidem forma est agendi principium. Essentia Angeli, solius est Angeli forma, atque illa quidem quodammodo fusca. Dei verò essentia, imò veritas bonitasque, omnium est forma, luxque purissima, radix, ratio, & exemplar. Per hanc itaque solam, tanquam per Solem conspici omnia possunt. Nunquid ergo per ipsam Dei essentiam Angelus cuncta discernet? Non quidem per absolutam Dei essentiam absque medio. Quo enim pacto essentia infinita potest tanquam forma finitæ menti nulla præparatione intercedente congruere? Oportet tamen mentem ipsam aliquam in se formam habere, per quam agat intelligendo. Quapropter Angelus formas & exemplaria rerum Dei essentia suscipit, atque vt oculus per Solis lumen colorum omnium effectiuũ, colorum eorumdem suscipit formas, videtq; colores, ita mens Angeli per Dei lumen rerum omnium effectiuum, earumdem rerum accipit species & intelligit. Meritò Deus prius pleniusque format spiritalem materiam ipsi proximam, id est, mẽtes angelicas, quàm remotissimam ab eo mundi materiam. Sed multi sunt gradus mẽtium, & multo plures quàm corporum, vt Dionysius tradit Areopagita. Voluit enim optimus artifex plures in præstantibus operibus suis gradus statuere, quàm in operibus vilioribus. Sic Dei ciuitas erit præclarior, si plures sint in ea nobilium & liberorum gradus, mercenariorum atque seruorum. Talis est vtique mentium ad corpora comparatio. Quot autem præcipui sint in Angelicis gradibus ordines, satis ex Dionysij mente tum in libro de religione, tum in Pauli raptu disseruimus. Quo etiam pacto Platonici in nouem ordines diuidãt, significauimus aliàs, quoniam videlicet Angeli intellectus quidam sunt summum ipsum intelligibile contuentes, in quo essentiam, vitam, intelligentiam contuentur. Sed illic in essentia tum vita, tum intelligentia est per essentiæ modum. Rursus, in vita sunt reliqua duo, similiter per modum vitæ.

Item, intelligentia duo similiter reliqua, id est, vita & essentia per quendam intelligentiæ modum. Illic igitur summum vnumque intelligibile in tria diuiditur, perque tria deinde multiplicatur in nouem. Eodem quoque ordine intellectus ipsum considerantes in ordines nouem distribuuntur. Atque hoc pacto Angelos soli deditos contemplationi, Platonici diuidunt. Eos autem qui mundum quoque gubernant, quidam duodenario, septenarioque partiuntur in primis secundùm duodecim Zodiaci signa, septemque Planetas. Deinde, his alios quosdam Angelorum exercitus addunt, pro stellarum numero in quauis sphæra mundi certis officiis incumbentes, totidem quoque dæmonum heroumque turbas Angelis obsequentes, ac denique totidem particularium ordines animarum sese numinibus supernis accommodantes.

Sed

Sed mittamus nunc dæmonicos heroicosque exercitus, satis est intellexisse Platonicos mentes supra nos innumeras posuisse, in quibus nominandis non solum angelorum, sed etiam archangelorum & principatuum nomina nostris Iamblichus accipit, lumenque diuinum per omnes quasi per vitra putat ad nos vsque descendere. Quamobrem per innumerabiles penè spirituum mediorum gradus radius ille diuinus formator mentium ad infimas vsque deuenit mentes, quales sunt hominum animæ. Quatuor verò hic consideranda videntur. Primò quidem radius ille diuinus, deinde species rerum in ipso, quas & rationes creandarum rerum, ideasque vocamus, tertiò mentes, quartò mentium vires. Radius prout in simplicissima Dei vnitate consistit, vnus est prorsus & simplicissimus, atque vnicam ideam diuino offert oculo, vnam scilicet Dei essentiam, sed illam quidem per multos essendi modos creandis rebus communicabilē. Qui modi apud Platonem illæ ipsæ ideæ sunt rerum quæ per tales modos sunt producendæ. Vna igitur essentia Dei, vna est idea, idearum omnium vicem gerens, perque hanc vnicam Deus cuncta circumspicit. Radius ille dum manat ex Deo: quo longius à diuina vnitate procedit, eo magis fit multiplex, & qui vnicam Dei oculo ideam in primis obtulerat, multas iam ac plures deinceps, & plurimas oculis offert angelicis: quemadmodum linea à centro producta, quæ in eo indiuidua erat, quo discedit longius, eo in plures partes extenditur. Imò quemadmodum Solis radius in Sole ipso vnicam præfert lucis formam, multas in igne, plures in aere atque aqua, in terra quamplurimas, sicut se habet radius ille diuinus, ita & mentes in quas infunditur. Quo enim propinquior mens est vnitati diuinæ, eo est vnita magis & simplex. Quo remotior, contrà. Capit autem quæque mens pro natura sua radium venientem, quapropter simplicius supræmæ mentes illum capiunt, reliquæ multiplicius. Vnde paucæ ideæ à radio in sublimi mente pinguntur, in sequente plures, plurimæque deinceps. quoniam verò quo quid simplicius magisque vnitum est, eo est & potentius, ideo in altioribus mentibus vis intelligendi perspicacior viget, hebetior in sequentibus. Quo fit vt per illas ipsas pauciores ideas non pauciora videāt mentes superiores, quam per plures ideas reliquæ: sicut medicus peritissimus futuros in ægrotante casus vnico præuidet signo, pluribus signis eget ad iudicandum imperitus, plurimis quoque imperitissimus. Et vnico nutu intelligit sagax minister quid iubeat Dominus, tardiores multis indigent verbis. Ergo tum propter recentis radij simplicitatem, tum propter sublimium mentium vnitatem, earumque ipsarum mirabilem perspicaciam, paucissimæ communissimæque in arce angelica sunt ideæ, plures magisque speciales per ordinem in sequentibus. Exemplum accipe veritati (vt arbitror) simile. Communissimum omnium Peripateticis esse ipsum videtur. Hoc in duo diuiditur. Alterum est per se: alterum hæret alteri Substantia illud est, hoc accidens. Substantia rursus altera corporalis, incorporalis est altera. Similiter accidens vnum est qualitas, alterum quantitas. Corpus item duplex: animatum, inanimatum. Spiritus quoque alij à corporibus separati, alij verò coniuncti. Diuiditur deinceps vnumquodque horum generum vsque ad species vltimas: denique species quælibet singula infinita. Deus per vnam ipsius esse vel boni ideam, quæ ipsa Dei natura est, intelligit omnia. Primus angelus exempli causa duas forte habeat ideas, alteram substantiæ, alteram accidentis per quas omnia substantiarum & accidentium intelligat genera, prout radius ille diuinus qui in Deo per vnam ipsius esse vel boni ideā formatus erat, iam in primo Angelo in geminas sese diuidit formulas, dum discedit ab vno, atque ideis substantiæ accidentisque vestitur. Secundus angelus duplicata rursus radij varietate quatuor inde ideas accipiat: duas ad genus substantiæ pertinentes, duas ad accidentis genus, vnam scilicet ideam substantiæ corporalis, incorporalis substantiæ alteram. Rursus vnam accidentis eius quod est qualitas, alteram accidentis eius quod est quantitas. Per has quatuor ideas, omnia rerum genera quæ sub communi substantia & accidente communi comprehenduntur, intelligat. Tertius angelus per duplicatum rursus radium multipliciterque diuisum octo ideas suscipiat, per quas totidem intelligat, quot primus atque secundus. Vbi apparet sublimioribus mentibus vniuersaliores ideas inesse, sequentibus paulatim minus vniuersales. Siquidem vna idea in illis tantum sub se continet, tantumque significat, quantum duæ in his ideæ. Semper enim descendendo vna geminatur in duas. Atque ita geminatur gradatim, quousque ordo mentiū infimus qualis est anima rationalis, tam multiplicem radium diuinū accipiat, quantū ille in

spiritibus potest fieri multiplex. Potest autem in illis vsque ad ideas rerum vltimas diuidi, ita vt totidem præ se ferat formulas, quot rerum à Deo creatarum sunt species, vt speciei humanæ ideam habeat vnam, alteram equinæ, similiterque de aliis. Singulorum vero hominum & equorum figuras singulas radius ille non facilè aut cuilibet ostendit expressas. Nam cum sit penitus absolutus, formulas præ se fert modo præcipuè absoluto. Sanè Platonici mentes supernas existimant, sicut ideas rerum materialium in materiales, generabiliumque ingenerabiliter continent, ita & particularium rerum ideas duntaxat vniuersales habere. Cogitemus hominis animam nunc primum ex Deo manantem, neque dum corpus indutam, vt ab occupatione corporis libera intentionem prorsus omnem in mentem propriam dirigat, vbi pro natura sua duntaxat accipiat radij illius perpetuo sibi adstantis & inspirantis influxum. Quid per huiusmodi radium naturaliter capiet anima? Tot ideas quot sunt rerum species creatarum, vnam speciei cuiusque ideam. Per ideam hominis quid intelliget? Naturam tantum cunctis communem hominibus, singulos sub ea homines non videbit. Idem per ideam equi faciet, & reliquorum. Itaque confusa relinquetur animæ huius cognitio, cum ipsam lateat distincta progressio specierum in singula, eritque naturalis appetitus eius inanis, & inquietus semper affectus, qui nullo vult vero, nullo bono carere. Verum cur nequit hominis anima in vltimis ideis sicut species, ita singula speciebus subiecta plane conspicere, quemadmodum Angeli in suis ideis genera vident, speciesque, & singula? Quia, vt alias disseruimus, in quolibet rerum ordine ita natura comparatum est, vt actio in summo illius ordinis sit passionis expers, passio in infimo actione priuata, in mediis compositio media Animas quoque nostras esse mentes infimas constitit.

Quapropter quantum ad intelligentiam spectat, Deus aget solum: Angelus aget & capiet: anima capiet per naturam suæ mentis solum, non aget. Deus siquidem ideas effundit aliò, non haurit aliunde. Primus angelus duas (vt ita dixerim) capit ideas, id est, duo illa rerum latissima genera, quibus suscipiendis quodammodo patitur. His susceptis ob efficaciam propriam illorum generum viscera penetrat, speciesque omnes sequentes in eis perspicuè inspicit, fabricatque sibi ipsi conceptus proprios quarumlibet specierum, quos etiam deriuat in singula. Atque hæc non passio iam, sed actio. Idem angelus secundus agit, & alij, ac semper posterior angelus plures ideas superne accipit patiendo, paucioresque conceptus specierum sibi est fabricaturus agendo. Propterea crescit passio sensim, actio verò decrescit, quousque ad mentem infimam veniatur, quæ nihil agat, sed acceptis ideis alatur, nihil moliatur noui. Cuius intelligentia nihil est aliud, quam susceptio idearum seipsam minime latens. Et quoniam ideæ vniuersales sunt natura, non potest mens aliqua illas absque propria actione ad distinctos singularum rerum conceptus deducere. Ideo hominis anima quæ ex ea parte qua mens est, inter mentes est vltima, intelligitque solummodo patiendo, vniuersalia in singula non distribuit. Verùtamen qua parte est diuina, per centrum suum, quasi Dei characterem, habet aliquam actionem qua producit species vel educit, diuidit verò nequaquam. Quinetiã qua parte est anima, quia nõ est vltima animarũ, animalis corporeæque operationis est compos. Cæterum per diuinam prouidentiam in eo gradu locata est hominis anima, vt sicut succedit proximè mentibus, ita proximè terrena præcedat corpora, qua cognatione erga inferiora hæc afficitur, eiusque amatorio quodam affectu se inserit. Vnde corporibus copulata terrenis, terrenorum omnium præstãtissimis, regit quidem illa, perque virtutem vitalem vitales illis affert passiones intrinsecus, per sensum autem iudicat alienas passiones illatas illis extrinsecus. Corpus humanum quoniam constat quatuor elementis, & in medio mundi locatur, omnium elementorum omniumque rerum circunfluentium impulsus per quinque instrumenta sensuum patitur. Impulsus huiusmodi vndique à singulis rebus illatos sigillatim anima discernit per sensus, eorumque imagines ipsa animali virtute in seipsa fingit per phantasiam, seruatque memoriter. quo fit, vt breui tempore phantasia singularum fermè rerum singulis plena sit formis. Hinc ratio prouocata, primò quidem species vniuersales parit, perque illas intuitu simplici communes concipit notiones. Mox verò ex hoc intuitu recta iam ab actu intelligendi in speciem intelligibilem, perque hanc in simulachrum se reflectit, & per simulachrum prospicit indiuiduum, prius quidem vagum indeterminatũque, puta aliquod mel: deinde determinatum, scilicet mel hoc aut illud. Sed post huiusmodi breuiores act⁹ latius in hũc

modum percurrere consueuit, quodnam est corpus hoc dulce & flauum, quod offert nuncphantasia mihi? Cur dulce? Dulcius ne hoc, an vinum. Tria hic ratio quærit, quæ vt Platonicis videtur, phantasiam latuerant. Primum, rei illius substantiam, quando quid hoc est interrogat. Secundum, qualitatis illius causam, quando cur dulce sit perquirit. Tertium, ordinem eius ad alia, quando sciscitatur num vino sit dulcius. Post hęc respondet sibi ipsi tria. Primum, mel hoc est. Secundum hoc ideo dulce, quoniam humor eius pinguis est, & moderate coctus. Tertium, dulcius vino est, quia dulcedo eius linguam magis diutiusque delinit. Hæ rationis humanæ discursiones quoniam phantasiæ sequuntur impulsum, particulares sunt, & per singula peruagantur. Quinetiam aggreditur alias quæstiones. Quid mel? Quid dulcedo? Nunc non magis de melle hoc quam de quouis alio rogat, similiter de dulcedine qualibet. Ac neglecto proprio illo mellis simulachro quod attulit phantasia, de communi perscrutatur vniuersi mellis & dulcedinis ratione. Vniuersalis hæc quęstio est. Vniuersalis fit & responsio, ita Mel est apum succus, gradu secundo calidus, virtute abstergens, sapore dulcissimus, tactu pinguis Rursus dulcedo est sapor ex moderata humoris aërei concoctione proueniens. Has communes definitiones mellis atque dulcedinis quæsiuit ratio diu, & inuenit tandem. Si quęsiuit diu, non habebat ipsa. Accepit enim aliunde illud ad quod discurrendo peruenit. Vnde ergo accepit? Non à phantasia. Ea enim si illas habuisset, obtulisset plane statim, vt simulachra obtulit, præsertim cum lux illa communis definitionis quanto est illustrior diuiniorque simulachris, tanto clarius oculis rationis ad ipsam accommodatis refulgere debuerit. Quapropter à mente ratio illas accipit, quæ quoniam menti quam proxima est, eam ipsam vim adipiscitur, per quam neglectis quandoque singularibus quæstionibus ad vniuersales se conferat quæstiones. Et quia quærit communiter definitiones, reportat à mente communes. Quærebatur quid lucri à corpore proueniret. Plurimum proculdubio. Nempe si remanet extra corpus anima cum primum nata est, vniuersalia cognoscet quidem, singula vel virtute propria vel radio diuino per ipsam comprehenso non cernet, quia mens eius vltra ideas vltimas non descendet, ratio verò in mentis quiescet intuitu. In hoc autem corpore propter sensus ratio consuescit per singula currere, singula applicare communibus, communia in singula deriuare. Per singula currit hunc in modum. Hoc est dulce, & flauum, ergo est mel. Singula communibus applicat ita, hoc est dulce. Omne dulce est humidum moderate coctum. Ergo hoc est humidum ita coctum. Communia verò sic adhibet singulis. Omne dulce & flauum est mel. Hoc igitur quia tale est, est mel. Sic assuefacta ratio, quando animus fuerit separatus, communes mentis ideas facilè in singulas distribuet notiones, quia ratio sicut hic sua quadam temporali discursione diuinum illud & efficax animæ centrum caputque mentis prouocat, vt formulas in mente latentes paulatim educat in lucem, & in rationem vsque traducat, ita illic subito continuoque affectu per diuturnam consuetudinem generatio formulas inflammabit, vt per quasdam rerum singularum scintillas excussæ, quandoque ex mente corruscent in rationem. Quapropter Plato in Epistolis atque legibus, Plotinus quoque in libro de animorum immortalitate concedunt, animis separatis inesse nostrarum rerum sensum aliquem atque curam.

Quod quidem Plotinus sic accipi vult, vt eatenus animaduertant humana, quatenus superest ipsis habitus aliquis vel affectus ad corporea vergens, quo tandem sublato, tanta attentione diuinis incumbāt, vt singula quæ inter nos contingunt, aut non videant, aut (sicuti solent qui aliquid intentissimè cogitant) se videre talia non aduertant. Eadem fermè de rerum humanarum reminiscentia ratio est. Nam Plato alibi recordari concedit, alibi lethæum inquit, obliuionis flumen inter vitæ huius atque alterius fluere regionem. Recordari enim quamdiu erga illa quæ hic senserant, afficiuntur, deinde minime. Animas verò quę labuntur in corpus, eatenus diuinorum obliuisci, quatenus sese in corpus immergunt. Cum primum emergunt & quantum emergunt, tunc primum atque tantum reminisci. Sunt autem animæ multæ, (vt & priscis & nostris placet Theologis) quæ hæc aut illa, hic aut ibi, non affectu sed prouidentia quadam à Deo distributa gubernant. Adde quod in Republica scribit Plato animas quæ hic aliquo affectu se nouerant, sese illic agnoscere, atque fermè ad se inuicem similiter affici. Auicenna quoque in Metaphysicis ait, animas tùm beatas tùm miseras in altera vita perseuerante ad tempus habitu quodam à sensibilibus contracto, posse imaginari, quæ hic prius vehementiore affectu ima-

ginabantur. Sed hæc nunc tanquam minus necessaria dimittamus.

Ratio secunda, vt formæ singulares cum vniuersalibus formis concilientur.

CAPVT II.

Mirabilis profectò virtus est hæc humana ratio, animæ rationalis propria, per quam sumus homines. Accipit à phantasia singula, à mente communia, & in vnum congregat vtraque, & sicut in homine mortalia cum immortalibus copulantur, sic in huiusmodi ratione temporalia simulachra speciebus iunguntur æternis. quod nisi in mundo efficeretur alicubi, restaret formarum series interrupta. Fieri autem nequit, nisi rationalis animus terreno corpori coniungatur.

Ratio tertia, tam radius diuinus, quam eius formula reflectantur in Deum.

CAPVT III.

Facit in hoc iterum aliud mirabilius, quoniam diuinus ille radius idearum plenissimus, postquam ad animam vsque descendit, transit per vitalem animæ vim, perque naturam in mundi materiam, in qua fingit extremas quasdam atque vmbratiles similitudines idearum, quemadmodum lumen fingit imagines colorum in speculo, imò quemadmodum per lumen vmbræ corporum designantur in terra. Tales autem similitudines siue vmbræ discedunt ab ipsa diuinitate quamplurimum. Nam ex puris impuræ fiunt, dum à contrariis inquinantur, ex vnitis dissipatæ, ex communibus singulæ, ex stabilibus prorsus instabiles. Si res quæque suam originem repetunt, vnde percutiens terram Solis radius, in Solem inde reflectitur quid mirum has quoque vmbratiles similitudines idearum occulto quodam instinctu pristinam puritatem requirere, atque radium ipsum earum fictorem postquam descendit, vicissim ad ascendendum ardenter anniti? Frustrane tantus conatus erit? Minime. Quis succurret? Non animæ bestiarum, quæ solis singularibus simulachris inhiant. Non mentes illæ nostris præstantiores, quæ cum non habeant corpora omnibus omnium corporum subiecta procellis, particulares quaslibet passiones formasque quorumlibet corporum non suscipiunt. Sola restat hominis anima, quæ propter terrenum corpus singulorum corporum singulis quodammodo pulsata tumultibus, assumit quidem ipsa per sensum has à mundi materia infectas similitudines idearum, colligit autem eas per phantasiam, purgat excolitque per rationem, ligat deinde cum vniuersalibus mentis ideis. Ita radius ille cœlestis qui ad ima defluxerat, refluit ad sublimia, dum similitudines idearum quæ fuerant in materia dissipatæ, colliguntur in phantasia, & impuræ purgantur in ratione, & singulares tandem in mente euadunt vniuersales. Sic hominis anima iam labefactatum restituit mundum, quoniam eius munere spiritalis olim mundus, qui iam corporalis est factus, purgatur assiduè, atque euadit quotidie spiritalis. Radij ab amplo Solis orbe demissi in angustum foramen altissimi parietis, conum faciunt per pyramidem, & in ipso foramine obliquantur vsque adeò, vt transuersi traducantur ab ipso, & in suppositum pauimentum cum deciderint, orbem fulgidum configurent, tanto ampliorem, quanto remotius à foramine fuerit pauimentum, vbi Solaris globi latitudinem adæquaturi videntur, si æquali spatio deciderint à foramine, atque à Sole defluxerant. Hoc autem in nostris oculis assequuntur. Nam qui in pupilla coacti sunt in angustum, & ab ipsa traducti in animum, in ipso animo Solis magnitudinem implent, vbi verè de Solis magnitudine iudicatur. Ex quo apparet tanto animum distare ab oculis, quanto solaris orbis supereminet oculos. Idcirco & in cœlo secundum Ægyptios & cœlestis animus, qui terrenos oculos æquè supereminet, atque cœlum. Influxus quoque idearum à supernis mentibus demissi in corpora, ex amplissimis angustissimi fiunt, & dum ex vniuersalibus omnino particulares euadunt, à corporibus tandem reflexi in hominis animum pristinam recipiunt amplitudinem. Vnde euidenter ostendunt, humanam mentem ita fermè à corporibus esse remotam, sicut & mentes superiores. Ideoque cum æquè à mortalibus seiuncta sit, ac diuinæ mentes, æquè immortalem existere, præsertim cum formas ab æternitate ad tempus partesque temporis vsque prolapsas æternitati restituat.

Quarta ratio, vt anima fiat beatior.

CAPVT IV.

COnfert præterea descensus animæ in corpus ad animæ ipsius beatitudinem. Si quis enim hebetior ingenio sit, ac semper corpore validus, quanti facienda sit bona valetudo corporis, ignorabit. Ægrotet oportet quandoque, vt ea comparatione saltem precium sanitatis agnoscat, & recuperata iterum sanitate suauius perfruatur. Anima hominis mentibus omnibus obtusior comparatione indiget ad plenissimum rerum maximarum iudicium. Ergo mundanis agitata procellis, quam quietus dulcisque sit in Deo portus, & hic rectius vaticinabitur, & illic discernet acutius, intentius adhærebit, fruetur & dulcius. quam quidem rationem Plotinus non mediocriter probare videtur, maximè verò Porphyrius, qui animam inquit sæpius mala hæc expertam, tandem omnino hærere parenti, nunquam ad hæc vlterius redituram. Forsitan & ipse Deus instituit diuina gaudia superioribus quidem mentium gradibus natura obtingere, ordini verò inferiori laboribus comparari, vt essent & qui nascendo beati fierent, & qui se viuendo beatos efficerent, ne aut sublimes spiritus pluris quã sint æstimentur, cum aliunde beatitudinem nanciscantur, aut inferiores spiritus contemnantur, cum ipsimet sibi sint beatitudinis authores. Quid si Angeli, vtpóte qui sunt remotiores à tempore, statim vt orti sunt, per subitam quandam in Deum conuersionem, momento beatitudinem promerentur, nos autem longiori circuitu felicitatem similem adipiscimur? Et quod naturæ deest, industriæ nostræ rependitur. Ac dum honesti piique laboris tollerantia cum imbecillitate nostræ originis compensatur, quodammodo excellentiam æquantes angelicam, æquamus & præmia. Ita quatuor in bono gradus reperiuntur. Deus à se tantum bonum habet suum, corporea ab alio tantum, Angelus & animus non modo ab alio, quia à Deo, verum etiam à se, quia sibimet bonum præstant, sed Angelus actu æterno, animus temporali. Neque mirari debemus animum posse non modo ad extremum digredi malum, sicut miseri, sed etiam ad summum progredi bonum, sicut Angeli. Primus enim liberque motus nusquam nisi in infinito habet terminum.

Quinta ratio, vt vires animæ inferiores ad effectum progrediantur.

CAPVT V.

COnducit insuper hæc habitatio non ad rationem mentemque solum, sicut exposuimus, verum etiam ad tres illas inferiores, animæ vires, phantasiam, sensum & nutriendi virtutem, quas animæ inesse oportet non minus quam mentem & rationem, si modò inter Angelos ac bestiàs obtinet medium. Inanis quidem & inquieta est vis illa quæ nunquam prodit in actum. Harum trium virium absque corpore non est actus, aut certe non incipit sine corpore, sine corpore inquam terreno, operationes suas tùm singulas tùm integras non exequuntur. Adde quod Plotinus ait animam per actiones perspicuè vires suas naturamque perspicere, ac nisi omnes ædantur, se suaque perfectè non cognituram.

Quoniam verò omnino mobiles temporalesque sunt earũ actus atque effectus, par est vt ad aliquod tẽpus agãt, vt ad tẽpus operetur, quod agit temporaliter, tẽporalia, idcirco datur eiusmodi corpus ad tempus. Sed quoniam operatio mentis atque eius pedissequæ rationis continua esse potest ad obiecta perpetua, merito in perpetuum operantur tribus aliis viribus quandoque vacantibus. At quam ob causam adeò breuis hic est animæ habitatio? Respondet Plotinus, vt citius deposita sarcina proficiscatur ad meliora. Breuis ætas sufficit ad munera hæc explendã, quorũ huc gratia venit. quo autem modo conueniens est animo sempiterno, vt modo descendat in terras, modo ascendat, & quasi ludens modo in corpore sit, modo sit extra corpus? Forsitan, vt Plotinus existimat, non opus est vt ad hæc officia moueatur loco ac tempore animus per descensum atque ascensum. Vt enim super locum tempusque (quæ sunt corporis passiones) natus ex Deo est, ita extra loci temporisque limites permanet, non aliter ex Deo pendens, quam ex Sole lumen totum vbique per aërem. Hoc Plotinum arbitror ab Ægyptiis didicisse, qui animam opinantur immensæ præsentiæ Dei secundum essentiã suã participẽ esse, quandoquidẽ secundum virtutẽ operationemq; sit particeps immẽsæ intelligentiæ voluntatisque diuinæ per interminabilẽ interminabilis veritatis intuitum, & bonitatis affectum. Quare secundũ eos non esset dicendũ vt modo hic sedeat, modo transeat illuc, sed potius vt

nunc det vitam terræ, postea non det, sicut lumen non mutatum loco nunc oculum apertum illuminat, post clausum minime. Sed hoc ipsi viderint. Quorsum hic ludus in tribuenda corpori vita & auferenda? Satis, vt arbitror, diximus. Dat enim vitam, vt illa expleat munera quæ narrauimus. Aufert, ne diutius à melioribus vacet muneribus propter viliorum operum ministeria. Atque vt stellæ ad explendum officium sibi à Deo iniunctum oriuntur oculis nostris & occidunt, spiritus quoque permulti fabricatis sæpe nouis corporibus, modo oculis se nostris obiiciunt, modo subtrahunt, sic hominum animæ aliàs in corporibus apparent, aliàs delitescunt. Hic triplex ostensionis apparet gradus. Animæ stellarum oculis hominum sese monstrant semper atque continuè, licet aliàs aliis. Animę sequentium spirituum semper, non tamen continuè. Semper, quoniam omnibus seculis id agunt. Non continuè, quoniam intermittunt. Animæ nostræ neque semper, neque continuè. Quod si non est contra naturam, vt à sublimibus corporibus aliquid descendat momentis singulis ad inferiora, rursusque ascendat, vt radij syderum, atque flammæ, non est etiam contra naturam aliquod è sublimibus spiritibus huc quasi descendere quotidie atque ascendere. Item consentaneum videtur Platonicis, vt quemadmodum Angelicæ vitæ semper à corporibus separatæ sunt, brutæ verò nunquam separatæ, sic mediæ duæ sint, tùm animæ feliciores, quę semper partim separatæ, partim coniunctæ sint absque actionis vllius impedimento, tùm etiam minus felices, quæ aliquando segregatæ sint, aliquando verò coniunctæ, coniunctæ inquam elementali corpori, quod intellectualem quodammodo impedit actionem. Nam æthereum corpus apud Platonicos semper habent, apud Christianos autē tale quoddam corpus tandem semper habebunt. Mitto quod Platonici non nostras solum, sed multorum quoque dæmonum animas propria quandoque mutare corpora putant. Profectò diuinam bonitatem tum effundere se in alia, tùm alia ad se conuertere arbitrantur. Inde animas habere vt corpora regant, inde vt se ad incorporea conferant, & quæ perfectè vtrunque simul facere possunt, corpora non mutare, quæ verò aliter sese habent, meritò permutare. Oritur hinc illa vulgarium diffidentia. Quid hoc? Defuncti non redeunt, non agunt quicquam, redire quidem sub aliis figuris Platonici putant. Sed reuera quid opus est vt redeat ad pugnam veteranus & emeritus miles? Si secundum naturam esset reditus ad pugnam, redirent vtique omnes. Si est contra naturam, noli alicuius reditum quærere. Contra naturam certe est reditus superuacuus, si fuit secundum prouidentiæ leges abire hinc illos qui munus suum impleuerant. Accendit sphæra ignis sæpe flammam in aëre, flamma paulo post redit in sphæram. Noli quærere crebriorem illius flammæ descensum. Naturalis sibi est perpetuus ille cum sphæra circuitus, contra naturam est descendere rursus. Ac licet animus per naturam essentiæ tertiæ Iani bifrontis instar vtrunque respiciat, corporeum scilicet & incorporeum, tamen quia sublimioribus mentibus amplior prouidentia, inferioribus angustior conuenit, & animus noster illarum omnium infimus est, angustissima sibi conuenit prouidentia, vnde & ad breue tempus regit cœleste corpus, & ad breue tempus terrenum. Et quando corporeum simul incorporeumque mediocriter respicit, æquè exercet vtrumque essentiæ tertiæ munus. Quod in hac vita contingit. Quando verò post hanc vitam vel propter puritatem incorporeis incumbit attentior, tunc prospicit corporea negligentius, vel propter impuritatem corporibus mergitur infimis, tunc humanæ gubernationis authoritate priuatur. Quippe cum humana vita inter diuinam ferinamque sit media, animus dum agit mediam, extremam quoque attingit vtramque. Dum declinat ad alteram extremarum, (quod quidem & nunc incipit facere, & explet postea cum decesserit) mediam attingit paulum, extremarum alteram minimè. At cur non videntur animæ defunctorum? Deum, Angelos, aërem non vides, ob hoc tamen esse non negas. Cur non agunt quicquam: Agit omnia Deus, agunt Angeli, actiones illorum ita non animaduertis, sicut non vides illos. Quid prohibet animas à terrenorum corporum vinculis iam solutas mouere corpus æthereum, vel aëreum nostris oculis inuisibile? quid prohibet eas rationem phantasiamque nostram cogitationibus, visionibus, signis, quotidie commonere? Nos autem hæc nonnunquam vnde veniant ignorare: Sæpe enim inuisibilium motionęs inuisibiles sunt. Auenzoar Albumaron medicus Arabs scribit, se à medico nuper defuncto per somnum accepisse optimum oculo suo ægrotanti remedium. Multa generis eiusdem quotidie nobis eueniunt. Plato in libro Legum nono tradit, eorum

qui occisi sunt animas sæpe interfectores hostiliter insequi. Vnde fortè contingit, vt occisi hominis vulnus, etiam iacente cadauere, in eum qui vulnerauerat, si modo ille communius instet, vulnus ipsum inspiciens, sanguinem rursus eiiciat, quod quidem euenire nonnunquam Lucretius affirmauit, & iudices obseruarunt. Confirmat Platonis sententiam Possidonius Stoicus ex eo quod duo quidam Arcades familiares cum Megaram venissent, alter ad Cauponem diuertit, alter ad hospitem. Qui vt cœnati quieuerunt, nocte visus est in somnis ei qui erat in hospitio, ille alter orare vt subueniret, quod sibi à Caupone interitus pararetur.

Hic primò perterritus somno surrexit, deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit. Tum ei dormienti ille idem visus est rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam saltem ne inultam esse pateretur, se interfectum à Caupone, in plaustrum esse coniectum, & supra stercus iniectum, petere vt mane ad portam adesset prius quam plaustrum ex oppido exiret. Hoc ergo insomnio is commotus, mane bubulco præsto ad portam affuit. Quæsiuit ex eo quid esset in plaustro. Ille perterritus fugit, mortuus erutus est. Caupo re patefacta pœnas dedit. Beneficij quoque memores esse animas defunctorum, ex hoc coniiciunt Stoicorum nonnulli, quod Simonides cum ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, eumque humauisset, haberetque in animo nauem conscendere, moneri visus est ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat. Si nauigasset, eum naufragio periturum. Rediit Simonides, cæteri naufragium fecerunt. Hæc omnia docent aliquid in nos agere animas defunctorum.

Ratio sexta, vt mundus ornetur, colatur Deus.

CAPVT VI.

Sed vt disputationem superiorem fine congruo concludamus, voluit diuinus artifex mundi opus sibi quam simillimum facere. Tale est autem, si vbique sit ratione plenissimum. Profectò vt in ipso ratio est & vniformis simul & omniformis, sic in opificio suo animam vnam rationalem esse voluit, atque multas, vnius scilicet sphæræ vnam, multasque multarum. Et quia sphæra quælibet suum imitatur totũ, ideo multas etiam in sphæra qualibet collocauit, ita vt sicut sphæra sphæram, sic anima animas contineret. Tot verò saltem esse animas statuit in supremo, quot sunt stellæ, quæ cum sphęram imitentur suam, singulæ quoque circa centrum proprium reuoluuntur, propriorumque motuũ proprios sunt sortitę motores. Probabile enim est illas vltra sphæræ vitam proprias quoque vitas habere, si modo præstantiora corpora sunt quam animalium terrenorum, quæ proprias nacta sunt vitas. Mitto quod singulæ cœlestium animæ, & proprium circa intelligibilia intellectualem habent motum, & communem circa corporea animalem vnà cum vniuersali sphæræ anima, geminosque hos animarum motus sequuntur gemini motus in stellis, proprius simul, atque communis. Sic verò sphærę minores perfectè imitantur maiores, quod rationales similiter multas cõtinent animas, quæ & communem in fato, & propriam in seipsis habent conditionem. In omni igitur mundi sphæra vltra communem sphæræ cuiusque animam viuentia multa instituit rationalia, vt aliàs disputauimus. Quare oportuit in media quoque mundi sede talia quædam esse, vt esset in membris omnibus rationalium turba quam plurima, quæ hoc ornet colatque Dei templum, atque Deum artificem canat & laudet. Id agunt in altioribus sphæris mentes aliæ, id agunt humanę mentes in terra. Neque pectus hoc mortale futurum est, quod assiduè æternum Dei resonat nomen. Nemo vero ob hoc diffidat esse multos in planetarum sphæris habitatores, quod vnicus in qualibet earũ planeta suspiciatur. Imo vero quia descendendo à summo semper, vt Platonici putant, numeralis habitantium crescit turba, ideo in summo cœlo ipsi stellarum numero dux vnus, id est, ipsa sphæræ anima sufficit. Sed quoniam in singulis Planetarum circulis habitant plures quam in summo, atque inferiores, idcirco pluribus opus est ducibus. Quocirca duos in singulis duces, id est animam sphæræ & planetæ animam illic Deus instituit. Habitatores autem eiusmodi animalia vocant angelica, dæmonica, heroica deinceps atque humana ex anima rationali & corpore sphæræ suæ congrue constituta, quæ tamen non videantur, quia vel minus lucis vel minus solidi habent quam stellæ atq; planetæ. Neque id quidẽ mirũ, cum nec sphæræ etiam in quibus sunt, videantur. Sequi verò eos & natura & motu & denominatione planetã suum, sicut planeta sphæræ animam, & sicut sphera animam vniuersi. Denique

concludunt, si in extremis vtrinque mundi sphæris rationales sunt multi, meritò & in mediis esse multos. Nos autem quasi vicissim concludimus, si Deus diuinis mentibus circunfusas ornauit sphæras, iure & mediam diuinis mentibus exornauit. Neque spernenda est habitatio terræ, quæ medius chorus est templi diuini, & tantarum sphærarum stabile fundamentum. Neque paruifaciendum est, quod circa eam cæteræ voluuntur sphæræ tanquam cardinem. Quid? quod cœlestium omnium radij in eam confluentes miscentur hic, virtutemque mira vnione mirabilem consequuntur. Quid? quod facies terræ viridis, instar cœli varia, perspicuis corporibus tribus inuoluitur, aqua, aëreque & igne, ac repercussa syderum radiis eos congregat in splendorem. Ideo si in Luna constitutus, globum hunc inde prospiceres, talis tibi forsitan videretur, qualis tibi nunc à terra Luna videtur, putaresque eos qui hic habitant esse cœlestes stellamque aliquam habitare. Idcirco Pythagorici terræ globum aqua & aëre suoque igni quasi velaminibus suis circunuolutum, sphęram mundi vnam ac stellam quandam nominauerunt. Et Plato terram vocat Deam antiquissimam Deorum omniũ qui sint intra cœlum. Addit ingentes terræ regiones habitari nostris admodum altiores, vbi lapides, metalla, plantæ, animalia sint nostris mirum inmodum præstantiora atque pulchriora, vbi homines diutissimè viuant, modicisque alimentis, cum preciosissima sint, odoribusque feliciter nutriantur. Mitto quod Diodorus Pliniusque narrant alicubi homines solo etiam odore nutriri. Illud certè mirabile, quod Olympiodorus Platonicus scribit, Aristotelem vidisse hominem qui dormiret nunquam, soloque aëre radiis Solis exposito viueret. Hæc illis fermè similia, quod in diuinis hortis quasi campis Elysiis homines sola arboris vitæ gustatione immortales viuere potuissent. Sed vt ad institutum ordinem reuertamur, Timæus Mosen imitans inquit, Deum in principio igneum cœlum terramque creasse quasi præcipua mundi membra, atque vt hęc duo hæc aptius inter se vinciret, aerem mox aquamque interiecisse, quasi non sui, sed illorum gratia sint inuenta. Quod si liceret paulo latius (vt sæpe solemus) cum antiquis nostris confabulari, referrem equidem præcipuam propriamque naturam ignis lucem esse potius quam calorem, Primò, quia illa diuinior est. Secundò, quia illa citius agit. Tertiò, latius se diffundit. quarto, non sicut calor abeunte igne, quasi cæteris quoque communis, quodammodo in calefacto relinquitur, sed tanquam igni maximè propria, nullique permixta, suum vbique sequitur ignem. Quinto, quia ignis quo magis alienæ soliditati miscetur, eo feruet magis lucetue minus. Contrà verò quatenus in puritatem propriam restituitur, eatenus vrit minus, lucetue magis. Quorsum hæc? vt intelligamus cœlum esse ignem, cuius proprium sit actu quidem lucere, virtute verò calere, vt non immeritò dici possit cœlestem ignem esse lumen cuius calefactoria virtus nulli per se noxia sit, sed blanda omnibus atque salutaris. Vnde & æthereus sub Luna ignis quodammodo cœlestem secutus, aërem proximum non consumit. Quod autem virtus quæ in supremo igni tantum salutaris est & blanda, penes ignem inferiorem à superiori specie differentem mordax (vt ita loquar) euadat, hinc efficitur, vel quod asperitati terrenæ miscetur, (vnde in solidiori sicciorique materia vehementius vrit) vel quod reflexione quadam cogitur, & quasi vim patiens, vim etiam infert. Ideo in liberiori aëre tangenti vbique blanditur, sed inter concaua percussa percutit, atque speculo concauo violentius repercussa, violentius & ipsa repercutit.

Quamuis autem totum cœlum per ignem potissimum describatur, tamen cætera quoque elementa, sed modo cœlesti subiungunt. Igitur in cœlo vbique præualet ignis, sed alibi vnà cum quadam cœlestis terræ soliditate, quod patet in manifestioribus stellis, quæ quoniam soliditate quadam obsistunt radiis oculorum, ideo licet remotissimæ sint, tamen perspicuè discernuntur. Alibi vero ignis subiuncta quadam cœlestis aquæ proprietate viget in orbe præcipuè lacteo, ideoque ibi stellæ, quantum fert aquæ natura, videntur. Denique passim ignis addita aërea quadam perspicuitate regnat. quo efficitur, vt in sphæris plurimum, dum pro sui aërisque natura non obsistit oculis, non videatur. Quod autem quædam elementorum naturæ in cœlo sint, omnes Astrologi confitentur. Hinc campi apud poëtas Elysii. Hinc & illud, Beati mites, quia ipsi possidebunt terram. Hinc & Dauid & Moses aquas per cœlestia fundunt. Iterum quorsum hæc? Vt concludamus, si elementa quodam cœlesti modo in cœlo reperiuntur, posse vicissim in elementis quoque elementali quadam conditione cœlestia similiter reperiri. Maximè in terræ globo,

quod alterum præter coelum mundi est fundamentum, in quo licet terra præualeat, sicut in cœlo ignis, tamen perinde atque in coelo aer ignisque adiungitur. Denique super Lunam ignis, infra verò terra vbique regnat. Atque etiam propè ipsum mundi centrum per terrenos hiatus flumina, ignis & aëris & aquæ vndique fluunt. quamobrem nemini mirum videri debet & coelestes animas ad terrena demitti, & vicissim peregrinos habitatores terræ ad coelestia quandoque remitti. Denique qualiscunque terra sit, huius homo est Dominus. Est vtique Deus in terris. Neque eo minus diuinus putandus est hominis animus, quia corpore fragili circundetur, sed ideo diuinissimus, quoniam etiam in fece terrena, si modò terra sit vilis, contra tum loci naturam, tùm corporis sarcinam, tam diuina opera peragit, vt dum inferiora gubernat, à superioribus non discedat. Platonici omnes, quibus consentit Dionysius Areopagita, naturale diuinarum mentium officium esse censent, vt maneant in natura sua, vt prouidendo agendoque procedant, vt se suamque originem agnoscendo conuertantur ipsæ, sequentiaque conuertant. Igitur anima tanquam diuina tria hæc pro viribus explet, atque ad hanc inferiorum gubernationem non tam amatorio affectu allicitur propter affinitatem, quam ingenito quodam prouidentiæ studio propter naturæ præstantiam. Nam præstantissima quæque intimæ perfectionis exuberantia sese latissimè propagant. Atque vt Plotinus ait, ipsum bonum effuso splendore procreat intellectum. Intellectus quoque dum explicatur, animam exprimit rationalem. Anima ipsa se propagans, vitam efficit formamque corpoream. Hinc Dionysius Areopagita. Certè diuina vnitas cunctis vnita, inuicem vnit cuncta, dum ea quæ inter se sunt æqualia, propter qualitatis similitudinem in vnum congregat mutua quadam consensione, inferiora verò propter indigentiam ad superiora conuertit fruendi cupiditate, superiora propter abundantiam ad inferiora deflectit studio prouidendi, quo diuinam prouidentiam imitentur. Animas autem rationales diuinam prouidentiam modis quatuor imitari Platonici disputant. In primo quidem gradu animam mundi collocant, in qua vniuersalis circa mundum sub Deo sit prouidentia, per quam omnibus omnia largiatur. In secūdo verò duodecim sphærarum animas, in quibus vniuersalis particularis prouidentia sit, per quam videlicet mundanis omnibus nonnulla distribuat. In tertio animas tum stellarum tùm numinum quorumlibet in quauis sphæra mundi regnantium. Apud quos esse censent prouidentiam particularem vniuersalem, qua scilicet nonnullis mundi membris, quæ ipsis congruunt singula tribuant. In quarto denique particulares animas, illas videlicet quæ ab intelligibili ad sensibile, vicissimque recurrunt. Quarum esse prouidentiam particularem adeò putant, vt aliqua iam tantum aliquibus impartiant, præterea multis vitarum cursibus impleant, quæ & superiores paucioribus periodis agunt, & prima vnico circuitu complent. Sane Plotinus Proculusque disputant, quemadmodum vnus mūdi circuitus multos complectitur, Saturnios, Iouios, Martios, Solares, aliosque deinceps, sic vnum animæ mundanæ per species suas circuitum intimum, multos animarum particularium continere, quippe cum sublimior anima longiorem circa intelligibilia orbem peragat, inferior breuiorem. In his equidem recitandis prolixior esse volui, quoniam Platonici per hæc potissimum tàm ea quæ in hoc capitulo sunt, quam quæ in capitulo præcedente tanguntur, explanari confirmarique existimant. Sed talia quædam ipsi viderint. Mihi verò narrauisse sufficiat.

Tertia quæstio, quam ob causam animi si diuini sunt perturbationibus afficiuntur.

CAPVT VII.

QVærebatur tertio, quam ob causam animi si diuini sunt, perturbationibus sunt subiecti. Sed nemo id vnquam admiraretur, si quandoque consideraremus nulli menti corpus fuisse tributum onerosius quam humanæ. Profecto mentes sphærarum, syderum, atque dæmonum sublimiorum, simplicibus præsunt corporibus, quæ sua quadam similium partium vnitate vsque adeò constant, vt non effluat sui quicquam, ideoque nec influat noui quicquam oportet. Naturali rursus agilitate ita vergunt ad motum, vt leuissimo illarum mentium nutu viuant & moueantur. Contra corpus humanum ex elementis quatuor pugnantibus est compositum, & aquæ terræque pondere retardatur. quapropter partium suarum tùm dissensione penè quolibet momento dissoluitur, tùm pondere decidit, fitque ad vitam ineptius, pigriusque ad motum. Propter ipsam quoque interiorem dissensionem in qua humores inuicem se expel-

sunt, effluit aliquid semper è corpore, ac rursus oportet vt influat.

Quare ad corpus huiusmodi conciliandum, mouendum, instaurandum, impensissima opus est animæ nostræ attentione. Huc tendit Platonicum illud. Sublimia corpora ad sublimes accedunt animas, inferiores animæ accedunt ad corpora, quia videlicet illa illis facillimè cedunt, hæ verò his difficillimè. Quod si sublimiorum illarum mentium aliqua corporis nostri claustris ad decennium clauderetur, forsitan non multo minus quam noster animus fatigaretur onere, & cura solicitaretur, ac illius diuinitati diffideremus, vt modo nostræ diffidimus. At dicet aliquis mundi animam corpus habere ex quatuor compositum elementis aduersantibus inuicem, neque tamen ea cura fatigari, vt nostro corpore nostram. Sic est plane, sed ipsa elementa quæ corporis mundani sunt membra, non elementorum aliorum partes sunt, sed tota integra elementa non sunt extra loca naturalia, sed in suis quæque disposita regionibus. Non sunt confusa inuicem vndique, sed propriis sedibus sunt discreta. Non sunt externis subiecta corporibus. Nullum enim corpus extra mundum est. Contra verò corporis nostri ignis nō totus est ignis, sed pars aliqua amplioris. Sic reliqua tria. Idcirco imperfecta sunt huius corporis elementa. Sunt etiã extra loca ipsorum propria, propterea ignis & aër qui sunt in nobis, semper hinc fugiunt ad sublimia, aqua terraque ad infima decidunt. Difficillimũ verò est imperfecta perficere, conciliare pugnantia, extra locum naturalem corpora detinere. Sunt etiam in nobis quatuor illa permixta in qualibet particula corporis, quo fit vt pugna passim ferueat vehementior, in mundo autem alicubi discernuntur quodammodo, pacatiusque quiescunt. Multa quoque & ingentia extra nos sunt quæ nobis vndique imminentia corpus affligunt, quibus oneribus & laboribus neque anima mundi premitur, neque etiam elementorum animæ, quarum corporibus quicquid accedit aut decedit, vix atomi vnius momentum habet. Temperata quoque est vndique restitutio, neque vsquam naturalis dissonat harmonia, harmonia, inquam, sphærarum saluti conducens. Sed neque illæ, quamuis diuinissimæ possunt vsque adeo sphærarum impetum cohibere, quin & elementorum partes & composita corpora se inuicem deuorent atque perdant, & illuuiones ignis & aquæ mundum sæpe perturbent. Atqui qualitates eiusmodi repugnantes, non possent à cœlo aliquo pacto produci atque duci, nisi in eo earum virtutes essent, neque in cœlo essent, nisi in motoribus conditoreque cœlorum. Sed in Deo vna forma sunt, ratione duntaxat distinctæ, in Angelis verò formis insuper distinguuntur, in animabus motu insuper ac tempore, in cœlo etiam loco simulque virtute, sub cœlo denique effectu atque repugnantia. Quorsum hæc? vt intelligamus sphærarum elementalium animas haud tantam habere potentiam, vt qualitates quæ in cœlo inter se non pugnant, ita moderentur atque concilient, vt sub coelo non pugnent inuicem, & se interimant. Sunt qui dicant coelestem substantiam præstantia sua illas conciliare, materiam verò quæ sub elementis est, deformis, instabilis, inefficax, neque illas simul capere posse, neque conciliare. Vtcunque sit, apparet elementorum animas, si animas habent, illas omnino simul pacare non posse, quod neque etiam mundi anima potest, vt non mirum sit animas nostras in contemperandis humoribus adeò laborare, & in regione dissonantiæ dissonare. Omnino autem assignata superioribus animabus est tàm facilior quam felicior gubernatio. quod si noster animus mundani corporis gubernaculis præesset vt illæ, eadem fortasse qua illæ felicitate disponeret. Sed erant etiam in particulas terræ mentes aliquæ mittendæ diuinæ, ne mundi rex minus in terræ partibus quàm in coelis elementisque totis celebraretur, hoc nostris obtigit animis. Scribit Hippocrates, mutationes quæ & repentinæ sunt, & maximè ad oppositum, maximos diuturnosque morbos inferre. Plato verò in libro de Republica septimo, animam in corpus labentem repentè à summa luce in extremas tenebras ruere arbitratur, vt non mirum sit eam diutissimè cæcutire atque turbari. Auget turbationem eius (vt disputat Proculus in Timæo) quod ab vnitate in multitudinem dissonantem, à statu mutationem omnis ferme quietis expertem delabitur, vnde distrahitur semper, & quasi affecta vertigine titubat & vacillat. Neque eam permittit facilè à tot fluctibus tantisque procellis emergere, sua illa vitalis vmbra naturaliter corpori tradita, erga quam ceu prolem amore vehemente afficitur, atque illa quotidie patiente, ipsa quoque suo modo compatitur. Fortè verò quamdiu anima seipsam nequaquam animaduertit, nihil aliud se putat esse quam vmbram, palam in flumine cor-

poris apparentem, quemadmodum Plato in septimo de Republica docet. Neque aliter turbata hac vmbra, ipsa quoque se turbat, quam si pueri rudes, cum videant vmbras suas in aqua confundi, grauiter lamententur. Talem verò in animabus ordinem Platonici ponunt, alias videlicet in generationem, id est, generabile corpus nunquam descendere, quales sint animæ vel diuinæ, vel proximæ, alias descendere quidem in generationem, & à meliori vita in minus bonam, ita tamen, vt inde nequaquam inficiantur, malumue aliquod subeant, quales inter dæmones heroesque connumerent, alias descendere tam simul, atque quodammodo vitiari, sed purgari posse iterum, seque rursus ad meliora transferre. Addunt in summis animabus neque secundum essentiam, neque secundum actionem vitium reperiri, sed in infimis animarum vmbris secundum vtrunque. In nostris autem vitiari quidem actionem posse, essentiam verò nequaquam. Plerique putant humanæ vitæ difficultatem hinc insuper augeri, quod motus & habitus animæ quatenus intellectualis rationalisque est, circuitus esse debeat. Similis quoque æthærei vehiculi motus atque figura. In corpore verò composito anima vegetando, sentiendo, progrediendo, rectum quodammodo subit motum, dimisso circuitu. Vehiculum quoque motum figuramque suam mutare compellitur. quod etsi secundum substantiam non destruitur, quia vt quidam putant, materia caret, tamen secundum figuram motumque turbatur. quæ tunc demum recipiet, cum primum animus in caput suum, id est, mentem erectus in habitum suum prorsus restituetur. Quem tam diu amisisse videtur omnino, quamdiu per intemperantiam caput, id est, mentem figit humi, pedes autem, id est, inferiores animæ vires extollit in altum, quo quidem habitu nihil aut deformius aut laboriosius potest excogitari. Sed cur non est datum nobis aëreum corpus aliquod in quo terram coleremus, & liberius specularemur cœlestia? Quoniam aëri sui adsunt spiritus, defuissent hoc modo terræ. Ac si corpora simplicia ratione non carent, debent aliqua rursus composita terrenaque corpora ratione pollere, vt mundus hic corporeus ita totus sit rationalis. sicut spiritalis ille mundus, ad cuius exemplar hic est factus. totus est ratio. Voluit autem pater ille optimus sacerdotes suos qui in sphæris superioribus eum cantant. manere ibi semper eosdem, quoniam propter loci felicitatem sine labore illic agunt vitam. In terris verò sacerdotes suos diuturnas moras trahere noluit, quoniam non debetur labor perpetuus aut longius iis qui sedulo Deum laudant. Ideo demittit huc eos quotidie, atque reuocat, vt per successionem in terris fiat semper, quod fit per eandem vitam semper in cœlis. Mitto quod multi etiam in aëre animas dæmonum heroumque putant corpora quamuis tardius, tamen aliquando in melius permutare. Verum habeat, dicet quispiam, noster animus corpus onerosius quam mentes aliæ, atque ideò solicitetur quandoque, & magis quam aliæ à speculando prohibeatur, cur autem fragilius corpus habet quam bestię? Non quia fragilius habet corpus, ideò putandus est minus esse diuinus, imò quia est diuinior, corpus habere fragilius. Disputauimus aliàs, corpus nostrum esse terrenorum omnium temperatissimum, cœloque simillimum vt cœlestis animi muneribus pacatius ministerium præbeat. Hanc verò temperantiam necessario sequitur imbecillitas. Complexio in qua nimis excedit calor, vix à calore & frigore læditur. Nam calor ingens remissiores calores exuperat, vt eius comparatione vix appareant, & frigoris impetum frangit. Ac si in aliqua complexione frigus excellat non quælibet frigiditas extrinsecus iniecta percipitur, & æstus facilè toleratur, Similiter vbi humiditas aut siccitas præualet. Vbi verò hæ quatuor qualitates mediocres sunt & consona temperatione miscentur, quæcunque noua qualitas aduenit, excedere cogit aliquam ipsarum quatuor qualitatum, qua excedente, prioris complexionis consonantia perit, & naturalis habitus dissipatur. Ergo quia necessaria fuit homini complexio terrenorum omnium temperatissima, hæc vero quibuslibet offensiunculis læditur, consequens fuit vt imbecilla esset corporis humani natura. Huic tamen imbecillitati subuenit diligens artium nostrarum industria qua fit vt temperantia nostra contra mundi procellas diutius perseueret. Sic enim adæquauit omnia diuinus artifex, vt in bestiis cum imbecillitate animæ vires dotes suę corporis. in nobis autem cum corporis imbecillitate vires animi compensaret, atque ita significaret bestiarum animas morti corporis deputatas esse, nostras autem vitæ mentis perpetuæ dedicatas, quas tamen oporteat semper extra patriam laborare. Nam temperata complexio quæ speciei humanæ maximè naturalis est, vt diximus, ob innumerabiles causas tum ab

initio in multis, tum quotidie in singulis vndique dissonare compellitur. Ideoque continuat & impensissima attentione animæ opus est, etiam si minime aduertamus, ad temperationem ipsam naturæ restituendam. Durissimus hic perpetuusque vegetatricis potentiæ labor, non solum & remittit admodum & in termittit mentis intentionem, vnde quasi mente non vtimur, sed etiam multis nos clam perturbationibus afficit, & quasi somniantes exagitat. Nempe dum in qualitatibus his aut illis contemperandis obnixius operatur, ipsa interim ad hæc congruis suis seminalibus rationibus vtens, suscitat sensim in superiore sensu imagines affectusque ad qualitates illas maximè pertinentes. Igitur in tractandabile latenter insurgit ira, vel ad irascendum procliuitas. In agitando sanguine, lætitia vana. In pituita tædiũ & pigritia. In atrabile timor & mœror. Sæpe verò adeo imagines affectusque huiusmodi inualescunt, vt vacante omnino circa talia ratione sequatur insania. Præterea in multis dum crassiores spiritus tenuare molitur, hebetissimos arguit. Dum in aliis laxiores spiritus congregare studet, contemplationis assiduitati memoriæque, ineptos ostendit. Quod si quando spirituum siccitatem colligere animum dicimus, sic accipi volumus, non vt agat in animum, sed vt animus in congregandis spiritibus non laboret, vnde cogatur à contemplatione diuerti. Denique sicut sensus exterior dum circa molesta versatur offenditur, sic & interior plurimum intrinsecas spirituum offensiones percipiens à variis illatas humoribus atque causis, molestas imagines affectionesque suscitat.

De causis onerosæ gubernationis iam satis. De vitiis autem animi etsi nonnihil diximus, aliquid insuper est dicendum. Anima quoniam in medio mentium corporumque confinio creata est, non solum diuinis inhiat, verùm etiam naturali prouidentia & amore materiæ iungitur, atque in ea per vmbratilem quandam vitæ suæ communionem animatum corpus disponit, deinde ipsum tanquam opus suum & prolem propriam diligit. Amor animam naturalis corpori iunxit, amor eam naturalis in corpore detinet. Amor idem quotidie ipsam ad cultum corporis prouocat. Mitto quod Plato in legibus probat, Plotinusque comprobat, animam cum antecedat corpus, eique dominetur, non tàm à corpore corporeum affectum habere, quam per affectum eiusmodi suum sese in corpus immergere. quæ quidem sententia Zoroastri & quodammodo Mosi conuenit, dicentibus, mala corporis à culpis animæ proficisci. Sed vtcunque sit, anima quidem corpus amat, onerosi autem & fragilis natura corporis postulat vt vitalis animæ virtus summo nixu sustentet ipsum & moueat, atque vt sensus & phantasia, quæ prodesse corpori possunt, quæue obesse, assiduè circumspiciant, ac pro corpore quasi animæ filio cupiant, timeant, lætentur, & doleant, A prima origine tres eiusmodi vires huiusmodi opus aggrediuntur, tanta quidem intentione, propter recentis corporis fabricam, vt nulla penè sit animæ attentio ad rationem, priusquam adulto corpore & purgatis sensibus remittat operis huius intentio. Verùm cùm primum ratio expergiscitur, summa cum difficultate imperium phantasiæ diuturno vsu in anima confirmatum debilitat, quippe cùm arduum sit vel naturæ vel habitui repugnare. Hic autem tam contra confirmatum vltra naturam habitum, quam cõtra naturalem affectum est pugnandum. Id tamen diligentiori disciplina tandem assequitur. Sed interim ipsa etiam ratio propter naturalem cognitionem prouidẽtiamque tres illas inferiores diligit vires quasi germanas aut filias. Ideo sæpe illis obsequitur. Illæ corporis naturaliter agũt curam. Igitur & ratio per illas amore declinat ad corpus. Ex diuturna declinatione habitum sibi ipsi contrahit procliuius inclinandi. Habitum huiusmodi, vitium, imò etiam quendam (vt ita dixerim) interitum appellamus, quoniam sicut in multis fieri solet animalium speciebus, postquam vis inferior in corpore fabricando naturalibus se circum filis inuoluerit, sæpe vis superior cœptum opus solidiori paulatim contexit tela, atque sub durissima tandem textura se clam includens, ipsa se perdit, non prius in lucem resurrectura, quam textura concreta frangatur. Quamobrem non vitiatur animus diuinus à corpore, neque cogitur, sed ipse amore animati corporis (quod & opus suum, & instrumentum est) ad ipsum è suo statu sponte se deiicit, vt ad se illud extollat. Neque desunt inter Platonicos qui dicant, præsertim Hermias, quosdam esse dæmones generationis fautores, qui inclinationem animæ ad corpus naturaliter augeãt. Certè Plato in libro de pulchro, quasi sicut Moses, inquit dæmonem quendam ab initio voluptatem plurimis malis immiscuisse. Mitto quod in Epistolis ait dæmonem bona publica turbauisse. Sed de his in sequentibus. Redeamus interim ad animæ prouidentiam.

prouidentiam. Cum omnium diuinarum mentium proprium sit quod superiora intueantur, quodque inferioribus prouideant, idem quoque animæ nostræ est proprium, quæ non modo corpus suum, sed etiam terrenorum omnium, & ipsius terræ corpus curat & colit. Sed hæc prouidentia quanto grauior est, quia res curat fragiliores, ineptioresque ad ordinem obseruandum, tanto magis distrahit à superioribus speculandis, neque tamen omnino. In omni enim ætate per intellectum omne verum inquirimus, per voluntatem omne bonum amamus, per operationes Deum qui omne reuera bonum est, colimus. Tria hæc honestatis officia significant, animam etiam in tanta maris huius tempestate cœlestia semper suscipere, quibus suscipiendis vehementiore illorum amore quotidie capitur. Amore huiusmodi feruescens, deferuet paulatim corporis amor per quem vitiatus fuerat animus, & vitij maculæ abolentur. quapropter animus nunquam cogitur aliunde, sed amore se mergit in corpus, amore emergit è corpore. Huc tendit diuinum illud, qui amat animam suam in hoc mundo, perdit eam. Qui hic odit, in vita æterna recipit eam. Qualis autem in hoc pelago fiat videaturque, sic in decimo de Republica Socrates primit. Quemadmodum siquis marinum Glaucum longo iam tempore vndis attritum atque distortum, præterea petris, alga, ostreis obsitum viderit, non marinum, sed siluestre potius animal opinabitur, sic nos cum animam terrenis affectibus & habitibus distractam circunfusamque videmus, terrenum quiddam potius quam cœleste nos videre putamus. Verum si nudauerimus eam, considerauerimusque puram, atque diuinorum amore iam ex hoc pelago emergentem, proculdubio cognoscemus animam propterea quod diuinis externisque cognata sit, talia quædam appetere, & cum primum pura euaserit, tangere, cumque iis in serena luce versari, eaque consuetudine diuinam prorsus euadere. Hactenus Socrates. Quando igitur viciari animam dicimus, non tam amittere sua quam aliena id est, inferiora in se admittere intelligi volumus. Huiusmodi autem vitium naturam non perdit, sed occupat. Sed ne quis nostrum animum ob id esse corporeum opinetur, quod corporeis quotidie causis infici videatur, operæprecium est audire diuinum Paulum Apostolum clamantem, non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus multas dæmonum turbas, quæ in hoc caliginoso aëre inter nos versantur. Hos autem prisci Theologi, quod Origenes Augustinusque confirmant, aëreo corpore indutos, motu agiles, perspicaces sensu, mirabili rerum scientia præditos arbitrantur, aëreisque corporibus suis, aëreo spiritui nostro penitus illabi, atque sicut quilibet homines per indicia externa quodammodo ac peritissima quique præcipuè intrinsecos augurantur affectus, ita sagacissimos dæmones non per externa solum indicia, sed etiam per ipsos nostrorum spirituum motus, qui à phantasia sæpius incitantur, attentiores quotidie notiones acrioresque affectus, vnde propriè spiritus ipsi mouentur, aucupari. Hinc ergo fieri, vt qua via quemque perturbare facilius valeant, rectissimè calleant, atque ipsi perturbatione quadam affecti nos quotidie turbent. Perturbationis huius motum ita potissimum fieri arbitramur. Mouens sane aëreum in nobis spiritum aërei dæmones, quo quidem quasi vibrato & humores mouentur in corpore, & in phantasia imagines excitantur. Sed quonam pacto? Nempe in sanguineo corpore sanguinem, imaginesque quodammodo similes sæpius commouentes, ad inanes animum voluptates alliciunt. In cholerico vero bile conuenientibusque bili imaginibus irritatis, iras & prælia suscitant. Sed in phlegmatico dum pituitam augent, congruaque simulachra ignauia & torpore nos occupant. Denique cum in melancholicis atram incitant bilem, timorem mœroremque incutiunt, phantasiam falsis territant vmbris, animum opinionibus sæpe falsis illudunt. Id totum posse à dæmonibus fieri, præsertim atræbilis incitamento, Serapion & Auicenna ex antiquorum Philosophorum sententia narrant, atque ipsi non negant. Non enim consentaneũ est, diuinam mentẽ à sensibus aliter quam ad idem dæmonibus cõtendentibus, adeo falli atque impugnari. Sed eiusmodi inuidorum ambitiosorumque dæmonum violentiã expurgari Platonici per philosophiã & sacrificia posse putant, quod Orphici nobis hymni demonstrant. Christus autem verus medicus animorum ieiunio atque oratione hoc fieri præcipit. Si Dei ipsius oraculum philosophice liceret exponere, ieiunium interpretare abstinentiam ab his rebus quæ talem aut talem vel augent humorem, vel imaginem affectumque mouent. Orationem verò exponerem tam vehementem in Deum conuersionem, vt & animus stimulos dæmonum non aduertat, & dæmones expu-

gnare mentem deo deditam se posse diffidant. Sed disputationem iam concludamus. Nemo igitur dicat animam hominis ob hoc minus esse diuinam, quod in curando corpore soliciteur, quod vitietur. Multo enim durior menti nostræ prouincia quam reliquis mentibus assignatur. Neque vitiatur à corpore anima, sed ipsa nimium corpus amando se vitiat, ipsa se purgat. Neque putandum est ex eo deesse nobis diuinitatem, quod anxij multo magis quam bestiæ viuimus. Imò ex hoc maximè diuini sumus, quod priuari ad tempus habitatione patriaque cœlesti, scilicet quamdiu Dei vicarij sumus in terra, solicitamur continuè, etiam si hoc minime aduertamus, cœlestis patriæ desiderio, neque vlla terrena oblectamenta consolari in hoc exilio mentem humanam possunt rerum cupidam meliorum.

Quarta quæstio, quare animi à corporibus inuiti discedunt.

CAPVT VIII.

PRoposita nobis fuit quarta quæstio, quare si cœlestes animi sunt, à terris tam inuiti discedunt? Primum quidem non omnes inuiti discedunt. Nam Theramenes, Theodorus Cyrenæus, Cleombrotus, & omnino omnes Hegesiæ Cyrenaici auditores sponte ac libentissimè decedebant. Gymnosophistæ quoque Indorum Philosophi, & Gethæ Thraciæ populi, apud quos lugebantur puerperia, natique deflebantur, funera autem festa erant & veluti sacra lusu cantuque celebrabantur. Mitto innumerabiles alios milites, ciues, Philosophos, Religiosos: mitto primitias Christianorum. Mitto quod non omnes morientes lugent, lugent autem nascentes omnes, & quasi inuiti à lachrymis terrenum hoc iter auspicantur tanquam exilium. Deinde in his etiam qui mortem horrent, non tota (vt ita loquar) anima expauescit. Siquidem ea pars nostri quæ discedendo pergit in melius, non modo semel non decedit inuita, sed etiam quotidie sponte discedit. Quid per Philosophiam moralem aliud agimus, quam vt animam ab affectu corporis seiungamus? Quid per Philosophiam speculatricem aliud, quam vt rationem à sensibus seuocemus? Totum hoc Philosophiæ studium, vt inquit Plato, est meditatio mortis. Siquidem mors est animæ à corpore liberatio. Nec terribilis mors est Philosophis, atque similibus, quoniam familiaris illis & domestica est, nec latet eos qualis futurus sit post obitū puri animi habitus. Talis enim erit, qualem ferme experiuntur quotidie in summo contemplationis fastigio. Tranquillus videlicet atque serenus, & idearum formulis quasi stellarum radiis circunfusus, & diuini solis splendore coruscans. Hinc Propheta Daniel, fulgebunt docti tanquam splendor firmamenti, & qui multos ad iustitiam erudierint, tanquam stellæ in perpetuas æternitates. At ea pars animæ abit inuita, quæ corpori duntaxat alēdo atque tuendo tributa est, quoniam abeundo naturali quodam officio vacat, & amicum deserit suum. Quinetiam ratio in plerisque amat nimium inferiorem hanc animæ partem, quo fit vt quodammodo eius doleat detrimento. Plotinus autem non partem animæ vocat propriè, sed simulachrum quoddam animæ substantialis vmbratile. Probat enim hominem esse ipsam rationalem animam, quæ quidem permanens in seipsa, sub se generat animal, neque ex se & corpore propriè animal componit vnum, sed potius ex corpore tali, atque vitali quodam sui simulachro membris infuso. In quo quidem animali sensus illi sint qui externa corpora cum quadam passione percipiunt, phantasia quoque & confusa prorsus & perturbata. In ipsa vero animæ rationalis substantia sit impartibilis vniuersalisque sensus, non ad sensibilia sed ad imagines passionesque, quæ in sensibus animalis illius sunt, aspiciens. Sit & ratio quę suscipit mentem. Et quatenus ipsa tum in se regitur, tum in mentem erigitur, separatione proficere atque gaudere. Quatenus autem quodam prouidentiæ munere & format animal, & respicit iam formatum, commercio quodam cum corpore delectari. Sed pergamus ad reliqua. Nonnulli etiam cruciatum qui in discessu sentitur, magis metuunt quā discessum, quem vel suauem fore quasi soporis oppressionem Timæus docet, si resolutione quadam fiat propter naturæ maturitatem, non autem suffocatione propter incontinentiam. Plurimi autem hoc discessu, quoniam non putant se suis operibus visionem meruisse diuinā, vnde efficitur vt diuturnas aut perpetuas mētis tenebras expauescant. Adde quod plurimi vitæ huius blandimenta quibus ab initio irretiuntur, ægrè relinquunt. Sunt & qui propriæ diuinitati diffidant, quia diuinū puræ mentis splendorem inspexere nunquam, sed mortalem corporaliū simulachrorum caliginem animæ per sensus infusam. Et qui splendorem mētis rationis oculis non-


dum Philoſophia purgatis acriter intuentur, radiis eius reuerberantur, hebeſcuntque & ambigunt. Nam cum nihil ſit oculis rationis magis præſens quam ipſa mentis ſubſtantia, non eſt veriſimile eam propter minimam ſui lucem eſſe nobis ignotam, ſed propter maximam. qui ergo & puram mentem & purgatis oculis rationis inſpiciet, is non modo non diffidet, ſed ipſam reuerebitur tanquam numen. Sed licet diffidant nonnulli, plurimi tamen confidunt. Et illi ipſi qui videntur diffidere, ſperant ſimul ſe fore perpetuos. Neque poteſt vnquam ſpes huiuſmodi ex animo noſtro penitus extirpari, vtpote quæ ſit nobis naturaliter inſita. Solent illæ ſpecies eſſe fallaces, quæ aut caſu quodam aut vſu à ſenſibus habent originem, qualem profecto non habet æternitatis opinio, cum ſenſus nihil percipiat niſi caducum, & cogat nos ſuſpicari quandoque, ne fortè qui deceſſerunt è vita, nihil ſint amplius poſtquam videntur nuſquam. Itaque immortalitatis ſpes naturalem ſequitur rationis inſtinctum, cum eam ſperet animus non modo non conferentibus ſenſibus, ſed inuitis. Ergo certè nihil magis ſoleo admirari quam quod noſtrum id quiſque ſperet, quandoquidem ſemper inter caduca verſamur, neque tamen ſperare deſinimus. Quod quidem ſignificat hanc ſpem naturæ firmitate conſtare. Illud quoque conſiderandum arbitror, quod videlicet non eſſet mirum, homines etiam ſi euidentiores de immortalitate rationes haberent, quam de reliquis omnibus, adhuc tamen magis hac in re rationibus ipſis diffidere quam in cæteris. Quod enim amamus multum, ei multum metuimus. Nihil autem magis quam vitam diligimus ſempiternam, ob eam maximè rationem, quia maximè naturalis eſt nobis. Omnino autem ipſo mortis metu coniectari poſſumus aliquem nobis ſenſum ſuperfore poſt mortem. Nam ſi animus ideo timet mortem, quia perpetuas odit tenebras atque à diuerſitate naturæ odium proficiſcitur, perpetua lux eſt animus.

Aut ſaltem tenebras ſempiternas non aliter diſcernit quam per lucem aliquam ſempiternam, hanc abſque immenſa luce contueri non valet. Si lux animæ quæ mens eius eſt, ita ſe habet ad ipſam lucem, ſicut animæ vita ad ipſam vitam, & lux animæ ſuper immenſam lucem reflectitur, neceſſario animæ vita vitam complectitur infinitam.

Quinetiam qui vita magis cum vita congruit quam lux cum vita, ſi lux animæ ſuo modo, id eſt, intelligendo vitam attingit immemenſã, multo magis animæ vita modo ſuo, id eſt viuendo vitam aſſequitur infinitam.

Porrò qui tenebras horret, ſecum ipſe conſultat, nunquid ſemper victurus ſit abſque corpore, an defuturus. Quæ quidem conſultatio ſignificat animum relicto corpore iam tunc ſeſe recipere in ſeipſum. Non enim reflectitur in ſeipſum corpus, neque eleuatur in vitam à corpore ſeparatam. In ea ipſa conſultatione diiudicat quanto præſtantior ſit vita ſempiterna à mortali corpore libera, quam aut vita præſens, aut vitæ priuatio, exoptatque liberam & æternam. Iudicare autem ita & exoptare non poſſet, niſi talem vitam in ſeipſo prius experiretur. Si vita libera longè diuerſa eſt à ſeruili, & tamen animus corpore clauſus experitur ipſam, exercetque, quanto magis ſolutus à corpore eam poteſt implere. Præterea in eadẽ deliberatione diſceptat mens, num queat aliquid per ſe depoſito corpore agere, nec ne. Ac ſi queat, non diffidit ſeorſum à corpore ſẽ victuram. Vbi iam nunc quamuis cum corpore ducat vitam, agit tamen ſine ipſo nonnihil, quando iudicat quid ſit & quale id ipſum quod dicitur ſine corpore operari. Quis enim per corpus aliquod omne corpus abiiciat? Quis cum corpore hoc ſecernat corpora omnia? Quis operando cum corpore agat operationem illam quæ fit ſine corpore? Agit autem quodammodo operationem aliquam quæ eſt ſine corpore, qui eam ipſam excogitat & effingit. Excogitatio enim actus eſt animæ. Quod ſi dum eſt in corpore, agit aliquid ſine corpore, longè magis poterit ſine ipſo agere extra ipſum. Atqui quod mirum eſt, vſque adeo inuictus eſt animus, vt quicunque eius æternitati bellum indicunt, ſuperentur ab ipſo. Nam ſiue Lucretiani ignauè certent, non expugnatur, ſiue alij ſtrenuè pugnent, quia eiuſdem animi armis aculeiſque pugnant fortiter, imò animus ipſe pugnat. Ideo animus ipſe quando videtur ſuccumbere, tunc maximè ſuperat. Excellit enim quam maximè. Ac ſi ſe perimere videatur, videt denique ſe peremptum. Qui videt quicquam adhuc ſpirat. Ex iis patet qua ratione ſi mortis mẽtus à tenebrarum horrore proficiſcatur, in eo ipſo oſtendatur immortalitas. Forſitan qui formidat mortem, non tam horret tenebras quam vel pœnam vel mœſtitiam vaticinatur & timet. Quod equidem potius arbitror. Ex quo etiam immortalitas declaratur.

Sicut enim nemo cupit illa quæ profutura non sperat, neque prodesse putat nisi percipiantur, ita nemo metuit, quæ nocitura non iudicat, neque arbitratur obesse nisi percipi possint. Cupido enim voluptatem in boni adeptione respicit, aut vitatione mali, metus dolorem in mali præsentia, aut absentia boni. Voluptas autem & dolor absque cognitione non fiunt. Ergo qui vitæ statum cupit propter voluptatem quæ in tempore vitæ persunditur, idem quoque statum post mortem metuit propter dolorem quem sit in eo tempore percepturus.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER XVII. (∴)

Quinta quæstio, qualis sit animæ status antequam ad corpus accedat, qualis etiam post discessum.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



SED iam disputationem quintam aggrediamur, per quam quæstio illa soluatur, quæ interrogabat, qualis sit animæ status priusquam accedat ad corpus, qualis etiam cum discesserit. In rebus his quæ ad Theologiam pertinent, sex olim summi Theologi consenserunt, quorum primus fuisse traditur Zoroaster Magorum caput, secundus Mercurius Trismegistus, princeps sacerdotum Ægyptiorum. Mercurio successit Orpheus. Orphei sacris initiatus fuit Aglaophemus. Aglaophemo successit in Theologia Pythagoras, Pythagoræ Plato, qui vniuersam eorum sapientiam suis literis comprehendit, auxit, illustrauit. Quoniam vero ij omnes sacra diuinorum mysteria, ne prophanis communia fierent, Poeticis vmbraculis obtegebant, factum est vt successores eorũ alij aliter Theologiam interpretarentur. Hinc turba Platonicorum interpretum in sex Academias se diuisit, quarum tres Atticæ fuerunt, reliquæ peregrinæ. Atticarum vetus sub Xenocrate floruit, media sub Archesila, sub Carneade noua, peregrinarum Ægyptia sub Ammonio, Romana sub Plotino, sub Proculo Lycia. Verum cum sex fuerint scholæ Platonicorum, tres illæ Atticæ simul atque Ægyptia, quæcunque de animarum circuitu scripta sunt à Platone, aliter quam verba sonarent accipiebant, duæ vero sequentes ipsam verborum faciem curiosius obseruarunt. Quo autem modo hæ duæ, Platonica exponant mysteria, diligenter recenseamus.

Expositio Platonis de anima secundum duas Academias vltimass.
De compositione animæ.

CAPVT II.

PLato in Parmenide quidem Deum vocat infinitum, in Philebo vero nominat terminum. Infinitum scilicet, quia nullum aliunde accipit terminum. Terminum autem quia formis quasi mensuris passim distributis omnia terminat. Hinc Platonici disputant, quatenus Deus tanquã infinitus omnẽ à se excludit terminũ, eatenus fermè ex eo quasi vmbram pendere potentiam quandam quasi materialem,

termini cuiuslibet indigam, informemque natura sua, & vt ita loquar, indefinitam. At verò quatenus Deus tanquam terminus vmbram suam respicit tanquam speculum, eatenus in vmbra iam velut imaginem resultare, infinitatemque ipsam, id est, materiam communissimam formis ordinatissimè terminari. Idem rursus ita confirmant. Si in Deo semper est vniuersi faciendi potestas, merito semper extra Deum vniuersi (vt ita loquar) fiendi est potentia. Non enim facere ille semper omnia posset, vt opinantur, nisi semper fieri omnia possent. Potentia eiusmodi, materiam communissimam, id est, vim formarũ omnium æqualiter receptricem nominant, quæ natura sua neque ad ipsum esse vergat, alioqui superno formatore non indigeret, neque ad non esse, alioquin formatori non obediret, sed ad esse pariter atque non esse, item ad formas tales aut tales quasi medium quoddam æque se habeat, atque à formatore determinetur. Sit quoque in omnibus vna non numero, non specie, non genere, sed analogia & proportione quadam potius, scilicet quoniã ab vno dependet, atque vnius Dei infinitatem vtcunque potest modo quodam vmbratili repræsentat, quemadmodum & actus quodammodo vnus in omnibus nominatur, quoniam ab vno terminatore, & vnius terminationẽ imaginariè refert. Atque actus huiusmodi potentiam superat, propetereaque à Deo manat non fugiente vlterius, sed iam respiciente materiam. Huiusmodi potentia in spiritibus nonnihil corporis habere videtur, siquidem in mentibus, habet corporũ rationes, in animabus insuper motiones, in vtrisque formabilem facultatem. Rursus in corporibus corporei nonnihil videtur habere, quia & dum antecedit quantitatem, indiuisibilis apparet, & semper vires quasdam quodammodo incorporeas sustinet. Ex hac infinitate, ex hoc termino, id est, potentia receptrice formabilique, atque actu formali, constare sub Deo omnia putant. Quod Maurus Auicebron in libro fontis vitæ fortè significat, atque Theologi nostri breuiter ita cõfirmant: Si creatura & quælibet & vniuersa esse sortitur à Deo, certè ex se non est, atque ab illo destituta iam vltrà non esset. Quapropter esse potest atque non esse. Igitur non est ipsum esse suum, imò ad ipsum potentia est. Nihil vero ad seipsum est potentia, vel suscipit semetipsum. Semper enim agẽs dum agit, quod potentia tale est, efficit actu tale. Quamobrem creatura producitur non ex eo quod potentiæ potentia imprimatur, alioqui nondum quicquam ederetur in actum. Neque ex eo quod actus actui infundatur, vel idem sibi ipsi concilietur, alioqui quod producitur, esset antequam esset. Sed in ipsa productione propriè actus potentiæ adhibetur. Atque hæc ipsa duo in creatura necessariò distinguuntur. Alioquin esse ipsum creaturæ quia in seipso subsisteret, esset penitus infinitum. Cum igitur esse ab essentia differat, nunquid fit ab essentia? Minime. Nihil enim tanquã efficiens potest sibimet esse tribuere, itaque aliunde accipit esse. Hinc ergo prout capit, potentia est, quod verò capitur, actus cognominatur. Quare quicquid producitur, ex potentia & actu, id est, essentia & esse componitur. Essentiam quidem potentiamque ad infinitatem, esse vero & actum ad terminum Platonici referunt. Proinde in Sophista & Parmenide & Timæo quinque rerum numerantur genera, ex quibus præter primum omnia componunt, scilicet essentia, idem, alterum, status, & motus. Essentia quidem manifestè significat rationem rei cuiusque formalẽ, innuit quoque esse tanquam actu essentiæ proprium. Idem vero dicitur, quoniam quodlibet & secum in primis, & cum aliis congruit. Rursus additur alterum, quia quandam tum intra se, tum ad alia differentiam habet. Præterea status, quippe cum aliquandiu suam retineat vnitatem. Denique motus hoc in loco exitum quendam ex potentia in actum siue essendo siue quomodolibet intrinsecus extrinsecusue agendo significat. Quamobrem diuinæ infinitati ac diuino termino hinc rerum infinitas, inde rerum terminus subditur. Deinde ad rerum infinitatem tria potissimum, scilicet essentiam, & alterum, motumque referimus. Ad ipsum verò rerum terminum tria similiter, scilicet esse, idem ac statum pariter distribuendo reducimus. Quod autem in Parmenide quidem vnum & multa, in Timæo verò impartibile & partibile dicitur, sic accipiendum est, vt vnum & impartibile secundum terminum, rursus multitudo & partibile secundum infinitatem per sua passim genera propagentur. Quamuis autem singula præter primum ex iis quasi seminibus elementisque componantur, incorporea tamen consonantiori seminum mixtione quam corpora conflari dicuntur. Quam ob causam illa magis indissoluta permanere putantur. Missam in præsentia faciam cæterarum rerum commixtionem, & qua ratione his generibus animã Pythagorici &

Platonici misceant, mox exponã, si prius admonuero, ne forte putemus & si animã sẽper fuisse horũ plerique dicunt, eam attamen illos omnino ex se esse putare. Cum enim non totam operationem suam anima, per quam semper operatur, simul explicet, sed paulatim, constat eam hanc infinitam semper operandi virtutem haud totam simul habere. Si enim totam simul haberet, ederet quoque totam simul & vnicam. Omnis enim (vt aiunt) potentiæ operatio, vna vnius est. Igitur semper accipit virtutem semper agendi. Propterea non similiter, sed alias aliter agit, vt summatim dici possit, quicquid temporaliter agit, siue corpus siue anima, accipere quidem continuè paulatim operandi virtutem, nunquam verò simul totam penitus possidere. Quamobrem anima non solum semper esse, sed etiam gigni semper à Platonicis iudicatur, scilicet quatenus vim suam haurit paulatim, & formas intrinsecus alias aliter explicat, atque affectus actionesque continuè variat. Igitur quatenus vitalis ipsa sui motus causa est, quodammodo sibimet essentialem interminatamque suppeditat vitam, atque ita esse censetur, quatenus vero infinito id explicat tempore, vimque eiusmodi paulatim à superioribus accipit, nimirum gigni perpetuo ab alio iudicatur. Accedit ad hæc, quod principium summum rerum omnibus adest, adeo vt singula principij pro natura sua vbique participent, alioqui subito euanescerent. Anima vero non adest omnibus, non enim omnia viuunt. Item primum omnino ipsum vnum esse oportet, nam si multitudo quædam esset, proculdubio super se causam suæ vnionis haberet, quippe cum vnire non multitudinis sit, imò vnitatis officium, esse vero primum multitudinem sparsam, dictu nefas. Anima tamen omnis est multitudo. Rursus primum super omnem essentiam cogitatur, cum omnis essentia in se multitudinem patiatur, saltem qualem in superioribus numerauimus. Anima vero essentia quædam est, vitalis scilicet atque viuifica. Denique primum neque vsquam, neque vnquam, neque vllo pacto contaminari potest, animæ tamen permultæ quandoque & alicubi, & certo quodammodo inficiuntur. Quamobrem anima necessariò à superiore principio suo quodam pacto composita habet essentiam. Cæterum in rebus super animam à Deo compositis, munera quæ ad terminum spectant, longissimo interuallo opposita genera superant, in rebus vero sequentibus animam contra contingit. At verò in anima componenda genera generibus æqualius concinunt. Cum enim anima verissimum omnium quæ à Deo componuntur medium sit, consentaneum est eam media quædam æqualissimaque (quoad fieri potest) ratione esse compositam. Igitur in ea, vt cætera prætermittam, partibile impartibili, alterum eodem motus statu quasi acutum graui harmonicè temperatur. Profecto in his quę super animam sunt, tria potissimum cogitantur, essentia, vita, intelligentia. In his quoque quæ sunt infra animam, tria vicissim, qualitas, natura, sensus, vt sensus intelligentiæ, natura vitæ similitudo sit, qualitas denique essentiæ vltima sit imago. In superioribus quidem secundum essentiam & vitam & intelligentiam impartibile superat, idem quoque excedit alterum, statusque motum, in inferioribus autem omnino contra contigit. In anima verò, vtpote omnium media, modus per omnia quasi medius obseruatur. Proinde siue eam ad extrema mundi conferas, inter mentes tanquam admodum impartibiles, & qualitates tanquam omnino, id est tempore locoque partibiles, media iudicatur. Siue ad sui ipsius extrema scilicet ad mentem hinc suam, atque inde ad vitam corpori immersam, similiter inter indiuiduum & diuiduũ media pariter esse censetur. Siue ad ipsum sui ipsius medium scilicet rationem denique conferas, etiam hæc ipsa ratio quando ad intellectum & vniuersalia surgit, dicitur impartibilis, quando vero ad sensus singulaque declinat, partibilis nuncupatur, atque illic identitatem (vt ita loquar) statumque consequitur, hic verò vicissim alteritatem subit & motum. Ac dum in æternis considerandis quodammodo ipsa discurrit, in diuiduo statu diuisibilem permiscet motum. Contra vero dum in temporalibus attingendis quodammodo in seipsa consistit, motum vicissim diuisibilem in diuiduo quodam statui contemperat. Præterea sicut anima mundi in mouendo quidem cœlo quod ἀπλανὴς, id est, inerraticum dicitur, in eodem ostendit alterum, in planetis verò quodammodo erraticis moderandis, per ipsum motionis ordinem altero vicissim idem seruare videtur. Sed hactenus idem superat alterum. Denique in inferioribus gubernandis idẽ iam ab altero superari permittit. Similiter hominis anima circa tria quasi vehicula, scilicet æthereum, aëreum, compositum corpus se habere videtur. Iam igitur quid ibi Timæus velit vbi in anima componen-

da Musicis proportionibus vtitur, satis intelligi potest. Nihil enim aliud sibi vult, quam animam tùm ex ipsis rerum generibus tùm ex viribus suis ita componi, vt ideæ suæ in primis, deinde sibi ipsi, tertio rebus aliis aptissime congruat. Solent Pythagorici in anima figuranda Mathematicis tam figuris quam numeris vti, quoniam sicut Mathematica, sic & animæ inter naturales diuinasque formas medium obtinent. Constituunt ergo triangulum, in cuius apice locata sit vnitas, à qua terni vtrinque numeri profluant, hinc pares, inde similiter impares, hac videlicet ratione, vt à parte altera primum duo, deinde quatuor, demum octo, altera ex parte primum tria, deinde nouem, postremò septem atque viginti. His verò censent omnes animæ partes, vires, officia designari. Quæ enim super animã sunt, vnita potius quam numerosa putantur. Quæ vero sub anima, numerosa quidem, sed per se maxime dissona. Verum anima primũ numerosa ideo dicitur, quoniam cum proxima sit multiplicitati corporeæ, iam intelligitur tam motionibus quam viribus multiplex esse. Deinde verò cum ordinatæ motionis generationisque proximum sit principium, probabili ratione concluditur, numerositatem eius esse maximè consonantem, à cuius consonantia, corporis continuè tum cœlestis tum elementalis cõsonantia non aliter pẽdeat, quam ab ipsa quæ in Musici mente harmonia est, illa deinceps quæ in vocibus & quę in sonis harmonia sentitur, & fluere solet. Proinde Philolaus cũ Deũ vnitatem more Pythagorico nominasset, mox extensam materiam dualitatem cognominauit, propterea quod quemadmodum dualitas ipsa prima inter numeros diuisio est, sic materiæ dimensio causa est in primis vt formæ distractæ inter se repugnantesque euadant. Itaque animam ab vnitate diuina pendentem sese in materiam quasi in dualitatem infũdere putant, non aliter quam triangulus ab angulo summo in duos similiter desinat angulos. Itaque in corpore composito distrahi semper & perturbari. Merito igitur anima triãgulo figuratur. Septem verò deinde huic triangulo numerorum terminos adhibent. Nempe cum videamus rerum generationem septenario Planetarum numero gubernari, summumque Planetarum Saturnum septimo quolibet anno mutationes in vita hominum facere. Lunam quoque Planetarum infimam septimo quouis die, tum in seipsa, tum in humoribus mutationem inducere, merito animam motionis generationisque originem septenario numero describere iudicantur. Sunt etiam qui fœtum in aluo perfici septenariis, & natum extra aluum per ætates duci similiter arbitrentur. Afferunt insuper vtrinque numeros & pares & impares, vt per pares animam ex natura diuidua, per impares ex indiuidua commixtam esse declarent. Rursus numeros lineares superficialesque & solidos addunt, vt appareat animam per longitudinem, latitudinem, profunditatem corporis sese facillimè fundere. Eligunt autem illos duntaxat numeros, quorum proportionibus mutuis Musica consonantia constat, vt ostendant animam concinne compositam, concinne cuncta disponere atque mouere. Sanè inter quatuor ac tria sesquitertia proportio est, ex qua nascitur harmonia quam Græci nominant diatessaron. Sed inter tria & duo est proportio sesquialtera. Hæc procreat harmoniam quam nuncupant diapente. Præterea inter quatuor atque duo, siue quatuor & octo, proportio dupla, quæ diapason conficit consonantiam. Inter vnum verò & tria siue tria inter & nouem, siue inter nouem atque vigintiseptem, proportio tripla, à qua melodia diapason diapente cõponitur. Proinde inter quatuor & vnum, siue duo inter & octo, quadrupla proportio nascitur, quæ disdiapason generat harmoniam. Denique inter octo ac nouem fit epogdous, quo constat tonus. Sonum vero tono remissiorem hemitonum nominant. Quam ob rem omnes quas narrauimus proportiones, arti Musicæ potissimum necessariæ, ab illis fiunt numeris, qui in figura animæ describuntur, per quos animę tum naturalis compositio tum motio actioque naturalis maximè omnium esse tam consonans quam numerosa significetur. Neque desunt qui sphærarum quoque cœlestium magnitudines inter se, interuallaque & motus, Planetarumque habitus & aspectus proportionibus penè similibus metiantur, spiritum quoque vitalem simili qualitatum suarum temperatione disponant. Missa non absque ratione facio multa, quæ multi hac in parte de fictis numerorum figurarumque virtutibus tàm leuiter quàm curiose pertractant. Hæc est mysterij Pythagorei & Platonici summa. Mitto, quod solent intelligentiam, quoniam per simplicem fit intuitum, sæpe vnitatem cognominare, scientiam vero dualitatem, quoniam ex principio probat conclusionem, sed opinionem trinitatem, quia insuper conclu-

sionis oppositum ambiguitate quadam affert in medium. Sensum postremo quaternitatem, propterea quod circa composita ex quatuor elementis plurimum versari videtur. Mitto rursus quod animam ideo currum vocant, quia motus efficit circulares. quodue in ea lineam ponunt quodammodo rectam, quantum corpora mouet & respicit. Deinde circulum quendam inferiorem, quasi Planetarum orbem, quando redit in semetipsam. Circulum quoque superiorem quasi stellarum orbem fixarum, quatenus ad superiora conuertitur, alas duas, scilicet instinctum intellectus ad ipsum verum, atque voluntatis ad ipsum bonum, aurigam mentem, caput aurigæ, diuinam vnitatem mente superiorem, equos superiores, scilicet idem, & statum, equos inferiores, scilicet alterum atque motum. Item æquum, bonum, atque malum, scilicet irascendi & concupiscendi naturam. Ita enim propinquior rationi quam libido esse videtur. Denique (vt summatim dicam) hac ratione Pythagorici & Platonici omnes, rationales animas tum nostras, tum nostra superiores, penè similiter esse compositas arbitrantur. Vnde sequi existimant, vt & cœlestes animæ in voluendis sphæris inæstimabilem pariant melodiam, & nostræ huiusmodi concentibus mirificè delectentur. Verum inter cœlestes atque nostras quasi longè distantes tres gradus medios interponunt medio modo compositos, qui nostras cum diuinis quodammodo vinciant, atque hos gradus secundum essentiæ, vitæ, intelligentiæ proportionem procedere opinantur. Angelicas enim animas ab intelligibili mundo proximè emicantes, intelligibile lumen sequentibus infundere per modum essentiæ permanentes. Deinde dæmonicas animas per modum interminabilis vitæ atque processus. Postremò heroicas secundum mentis conuersionisque modum. Mitto quod angelicas secundum intellectualem virtutem à Deo procedere arbitrantur, dæmonicas secundum opificiam atque prouidentem, ideoque fabricare mundana. Heroicas secundum conuersiuam præcipuè facultatem, idcirco purgandarum animarum officio fungi. Has omnes harmonicè temperatas & harmonica facere, & harmonicis mirabiliter oblectari. Sed de his animarum generibus conuenientius in sequentibus pertractabimus.

Species & circuitus animarum secundum duas similiter academias vltimas.

CAPVT III.

QVatuor sunt animarum genera, sunt animæ diuinæ, id est, animæ sphærarum mundi atque syderum, quę ideo diuinę dicuntur, quoniam & Deo proximæ sunt, & communem mundi prouidentiam agunt in regione perpetua. Sunt animæ profanæ, id est, animæ bestiarum propriæ, omnis diuinitatis expertes. Sed has in pręsentia dimittamus. Sunt inter hæc extrema media duo, animæ scilicet semper Deũ sequentes, quales sunt animæ dæmonum, heroumque sublimium, quæ licet propriè diuinæ non appellentur, nunquam tamen à Deo discedunt. In primo & hoc animarum genere sic principia disposita sunt, vt illic quidem essentia, hic verò (vt ita loquar) identitas cætera principia quodammodo superet, sub iis sunt animæ quæ quandoque sequuntur Deum, quandoque relinquunt. In his principium, quod ipsum alterum appellatur, alia quodammodo superare videtur. Tales sunt inferiorum dæmonum heroumque animæ, sed manifestius hominum animæ, quæ cum sint mentium omnium infimæ, non eam vim habent, per quam possint duo admodum diuersa perfectè simul implere, id est, per humanam rationem intueri diuina, ac terrena corpora gubernare. Vtrumque tamen agere eas oportet, postquam natæ sunt vtrumque. Quare vicissim faciunt, quod eodem tempore nequeunt. Vtuntur autem vicissitudine tribus præcipuè modis. Primò quidem ab intelligibili mundo ad sensibilem, atq; è conuerso se transferunt. præterea in ipso intelligibili varias vicissim contemplationis species peragunt. Rursus in sensibili regione diuersas viuendi species mutant. quas quidem vicissitudines Plato tùm sæpe alibi, tum in Phædro præcipuè describit, atque ibi manifestius, vbi animas, inquit, alias aliorum Deorum in cœlo comites esse, atque in contemplandis ideis similem pro viribus cum Deo suo discursionem mente peragere, tamen super cœlum circa diuina, tum in cœlo circa cœlestia, tum sub cœlo circa naturalia gradatim consideranda. Et quatenus Deos imitari possunt, eatenus apud superos permanere. Item cum multiplices à causis ad effectus, atque vicissim circuitus repetant, ait animum qui intuitus est ideã quæ caput circuitus est, in circuitu illo qui per ipsam proprie ideam continuatur, non

cadere, sed tunc labi cum malus equus, id est, concupiscendi vis incitata per vim generandi, iam suo quodam tempore inualescentem, à contemplando diuertit ad generandum. Deinde vitas dinumerat nouem, non quod tot solum sint, sed quia per septem Planetas ignemque & aërem delabuntur, demum transmigrationes multas per inferiora, reditumque ad superiora describit, vbi multa proculdubio Poëtica sunt potius quam Philosophica. Igitur iam ad ordinem magis Philosophicum nos conferamus. Profectò Platonici multi putant aliquid esse quod infinitam ex se vitam habet, aliquid quod ex alio, aliquid quod ex neutro. Rursus quod habet ex alio, aut ad summum, aut ad imum potius declinare, aut omnino medium possidere. Nempe Deum infinitatem vitæ manentem ex seipso penitus possidere, angelum quoque manentem, sed ex Deo susceptam, animas deinde diuinas nostris superiores infinitam quidem aliunde habere vitam, sed currentem tamen certo quodam ordine à speciebus in species discurrendo, defectus omnis & obliuionis expertem. Animas denique nostras vitam habere similiter infinitam, sed non modo currentem, verum etiam inordinatè, atque à meliori habitu in peiorem, vicissimque tum reminiscendo tum obliuiscendo mutabilem. Animas vero infra nostras nullo modo esse vitæ infinitæ participes. Vbi sectatores Proculi suum illud confirmant, scilicet cœlestes animas etiam intelligendo discurrere, quia inter Deos qui intelligibilia & semper & manendo suscipiunt, atque particulares animas, quæ illa & aliquando suscipiunt, & currendo, congruè medium obtineant cœlestes sublimesque animæ, quæ semper intuentur quidem, sed de speciebus in species transeundo. Nos autem alibi sententiam hac in re Plotini narrauimus. Proinde sic esse volunt infinitum vnum tàm virtute quam perseuerantia, deinde infinita multa perseuerantia potius quam virtute (perseuerantia, inquam vel sua omnia simul possidente, vel de aliis ad alia succedente, siue id maiori siue minori ordine fiat) denique multa quæ neque virtute sua neque perseuerantia aliunde accepta sint infinita. Talem in spiritibus ponunt ordinem. In mundo verò sensibili polus vtcunque potest, primum ordinis illius gradum refert, axis verò secundum, sphæra cœlestis tertium, elementalis sphæra quartum, quintum denique quæ ex elementis quatuor componuntur. Sed digressione hac omissa, ad nostras animas redeamus. Semper quidem erit hominis anima, quoniam inhiat sempiternis. Semper & fuit, vt aiunt, quoniam haberet quandoque finem, nisi initio careat. Pythagoræ anima ante ortum Pythagorę fuit quandoque à terreno corpore libera, post inclusa est nascente Pythagora. Duæ hic vitæ sunt, vna libera, altera corporalis. Vita illa quæ fuit libera, finem accepit in vitæ corporalis initio, ergo & initium aliquando prius habuerat. Quod enim cessat, incepit, itaque non fuit ante Pythagoram semper extra corpus, licet quandoque. Et postquam cœpit esse in corpore, non erit in iis corporibus semper, quia quod incipit, desinit. Vnde sequitur vt innumerabiliter ante Pythagoram anima eius in corpore terreno fuerit, atque extra, rursusque post Pythagoram extra corpus futura sit vicissim. atq; in corpore. Et sicut omnes mundi sphæræ per animas suas variant formas, ac tandē recursus proprios repetunt (quod in quatuor anni temporibus, & quatuor Lunæ alternis vicibus intuemur) sic animæ nostræ animorum cœlestium similes varias formas corporum induuntur, certisque curriculis temporum, iisdem quibus antea corporib. inuoluūtur. Quas παλιγγενεσίαν, id est, regenerationem Zoroaster appellat, de qua multa Mercurius cum filio suo Tatio disputat. Et Plato in libro de regno, resurrectionem hanc describit futuram in fine mundanæ reuolutionis iubente Deo, ac dæmonibus ministrantibus. quod autem per vitam vnam explet mundus, anima nostra per multas exequitur. Timæus enim Platonis tradit, Deum mundi opificem iecisse in pateram quandam cuncta semina rerum, eaque innicem Musicis (vt supra diximus) modulis temperauisse, ex qua temperatione rationales animas tribus creauerit gradibus distributas, ita vt in qualibet anima cuncta inserta sint semina, vt cum sit ex ipsis omnium mixta generibus, omnia per cognationem quandam facilè posset agnoscere, mouere omnia atque viuificare, omniformemque vitam facilius experiri. Quid aliud Dei pateram, quam essentiam tertiam intelligimus inter diuina & corporalia mediam, scintillis diuinorum micantem, corporalium seminibus grauidam? Ex hoc fonte tres præcipuæ animarum species manauerunt: Diuinæ, Deum sequentes semper, aliquando sequentes Deum Primis assignant Pythagorei sapientiam, secundis opinionem rectam, tertiis opinionem ancipitem. Vnde colligitur quod sæpe iam diximus, ani-

mam nostram esse quodammodo omnia, ideoque omnium viuentium progressus in suis visceribus continere. Non tamen omnes explicat sigillatim. Plura enim operantur animæ primæ quam secundæ, hæ quoque plura quam tertiæ. quamobrem licet ad omnes, ad multos tamen vitarum progressus anima hominis instituta videtur. Neque violentia quadam illata extrinsecus, neque discursu consilij de vita transfertur in vitam, sed tali quodam naturali instinctu, quali in hac vita suo quæque tempore prodeunt, dentes, pili, semen, & reliqua. Sicut enim in ipsa vniuersi natura, sic in particularium animarum naturis æterna quadam lege ordinata sunt singula, prodeuntque ita in actum, vt & sibi & vniuersæ naturæ est consentaneum. Certè vna quædam ex cunctis mundani animalis membris sit harmonia, per quam singula singulis & vniuerso vndique consonant. Ergo sicut ipsa mundi anima certis temporibus certa producit, sic & particulares animę seminibus insitis tempore certo ad certas viuendi species naturaliter inclinantur, atque disponuntur. Ac dum paulatim præteritæ vitæ affectus actusque remittitur, vicissim vitæ sequentis intenditur, conferente singulis passim vniuersi natura. Meminisse vero oportet, quod quemadmodum docet liber de republica decimus, animæ fato descendunt, id est, quod generationem appetant, & tali quodam appetant tempore, ex naturali instinctu prouenit ordini vniuersi coniuncto, sed arbitrio talem vitam eligunt aut talem. quamuis enim vitam corpoream prius naturaliter concupiuerint quam cogitauerint. tamen talem aut talem vitæ speciem prius cogitant quam adciscant. Plurimum vero inquit eligere, secundum prioris vitæ consuetudinem & affectus qui habitus, affectusque ex liberis quondam actibus fuerint procreati. Ideo, inquit, culpa eligentis est, non Dei. Non vos dæmon sortitur, sed vos dæmonem. Virtus enim libera est. Postquam vero quis vitam dæmonemque elegerit, virtus electam vitam disponere & componere potest potius quam deponere. Oportet enim curricula certa sortis impleri. Quod enim ibidem scribitur, mundum inter necessitatis ideæ genua volui, aliàs exposuimus. Necessitas enim anima mundi ideo dicitur, quoniam fatali eius virtute ducitur vniuersum. Inter genua inquam, id est, per virtutem eius inferiorem voluendis sphæris accommodatam. Siquidem mente rationeque diuinis incumbit, & si inferior virtus vniuersalis est vna, tamen quasi triplex cognominatur. Lachesis id est sortitia, quia sortes singulas inserit.

Clotho, id est reuolutrix, quia inuolutas à principio sortes vnicuique suas certis ordinibus temporibusque euoluit. Atropos, id est inconuertibilis, quia in sortibus euoluendis immutabili ratione procedit. Ad has omnes deas Plato asserit ire animam ad inferiora vergentem, eo videlicet ordine, vt postquam & sortibus in eam Lachesis incidentibus naturaliter elementalem concupiuerit vitam, & propositis multiplicibus vitarum exemplis, pro arbitrio certam vitam eiusque ducem elegerit dæmonem, tunc Lachesis electionem confirmet. Inde ab eodem dæmone ad Clotho & Atropom necessitatemque ducatur. Quis hic non viderit, animam ob solam corporis huius affectionem in omnem mox fatorum incidere potestatem, postremò ad Lethæum obliuionis flumen, in hoc videlicet corpus, vnde diuinorum statim obliuiscatur? Proinde significat animam quæ prius ex eo flumine biberit, id est, quæ affectu vehementiore sibi corpus adsciuerit, obliuisci magis superiorum, atque tardius reminisci, contra veroque contra. Sed ad diuersas iam viuendi species veniamus. Agit quandoque Angelicam vitam in ęthere apud eam stellam cui est vel natura vel vsu facta propinquior, cumque illa simul incerta vniuersi gubernatione consentit atque concurrit. At potest per omnes sphęras gradatim sursum deorsumue discurrens tempus in qualibet vitam, gubernationem, contemplationemque agere illi sphæræ stellæque congruam. Agit quandoque dæmonicam vitam in igne similiter, tùm heroicam in aëre, humanam in terra, atque ferinam. Ac sæpe dum hominis vitam ducit, sensim ex eius seminibus in naturalem instinctum & phantasiam vita scaturit equina, vel leonina, vel similes. Quod significat affectus & mores qui talium bestiarum proprij, nobis suboriuntur.

Deposita denique figura hominis, eius bestiæ subit corpus, cuius se moribus simillimam præstitit, seu inserat se ferino fœtui, fiatque propria ferini corporis anima, vt Plotinus, Numenius, Harpocratius Boetus existimant, seu animæ ferinæ seipsam iungat, atque feræ sit comes, vt placuit Hermiæ, Syrianoque & Proculo. Ac postquam de alia bestia migrauit in aliam, explicuitque omnes progressus illos vitæ ferinæ, quibus explicandis pronior fuerat, promit iterum progressus humanos, post heroicos, deinde dæmonicos, postre-

mo diuinos. Aliæ verò alibi plus minusue viuunt, quatenus fato vel fortuna vel electione habituque variè disponuntur. Has transmigrationes restitutionesque Plato annis mille, tribus millibus, decem millibus designauit, disputationis exemplique gratia potius, vt inquit Hermias, quam quod certe dinumerari posse putaret. Horum enim numerorum quilibet non modo plurimus est, sed etiam certa quadam ratione perfectus, vt ostendatur animas ad perfectam purgationem longo quodam sed certo tempore indigere, & quæ vel leuius peccauerunt, vel potius philosophatæ sunt, eas citius in patriam redituras. Neque tamen intelligendum est animam communiter in eundem omnino hominem numero redituram, nisi fuerit tandem totus mundi cursus impletus, vt scribitur in libro de regno, quem cursum (vt diximus aliàs) trigintasex annorum millibus impleri astronomi computant.

Interea tamen sæpe in idem reuerti anima dicitur, in eandem scilicet speciem, similemque viuendi modum, à diuino videlicet ad diuinum, ab humano ad humanum, à bruto similiter ab brutalem, quemadmodum & ipse mundi circuitus sæpe interim ad similia redit, donec ad eadem prorsus denique reuertatur. Ne quis autem absurdum putet esse animam in tam diuersas species se transferre, considerare iubent, quam diuersos affectus & habitus in hoc etiam corpore sæpe animus induat, non in aliis solum, sed in eodem etiam homine, plantæ videlicet & bruti, hominisue & Angeli. Rursus ne quis miretur, nos eorum quæ in superiori gessimus vita, in hac minime recordari, animaduertere iubent non solum quam multum in senectute infantiæ, sed etiam quam facile hodie hesternarum rerum obliuiscamur. Hæc illi quibus propheticum illud obiicitur: In circuitu impij ambulant. Quasi dicat illos esse impios iudicandos, qui eiusmodi animarum circuitus introducunt.

Quod Plato rectius exponatur more Academiarum quatuor præcedentium, præsertim primæ & quartæ.

CAPVT IV.

Academię vero quatuor iis antiquiores in hoc ab iis discrepabant, inter se congruentes, quod scripta Platonis omnino poetica esse arbitrabantur. Sed inter se differebant quod Carneades Platonem & putauisse & tractauisse omnia opinabatur Scepticorum more velut ambigua, neque vllum in rebus vllis habuisse delectum. Archesilas autem certum quidem nihil habuisse Platonem, verisimile tamen aliquid & probabile. Xenocrates simul atque Ammonius illum aliqua non modo tanquam verisimilia tenuisse & probabilia, verum etiam tanquam vera certaque affirmauisse, eaquæ esse paucula quædam de prouidentia Dei animorumque immortalitate. Nos ergo Xenocratis & Ammonij vestigia sequentes, Platonem affirmauisse quædam de anima non negamus, sed multa quæ de circuitu eius ab ipso tractantur, tanquam poetica aliter intelligimus quam verba videantur significare, præsertim cum circuitus huiusmodi haud ipse inuenerit, sed narrauerit alienos, Primùm quidem ab Ægyptiis sacerdotibus sub purgandarum animarum figura confictos, deinde ab Orpheo, Empedocle, Heraclito poëticis duntaxat carminibus decantatos.

Mitto quod Pythagoras animorum transmigrationes consuetis illis semper confabulationibus suis symbolis inseruit. Quamobrem ita ad academias vltimas respondebimus. Nituntur autem duobus præcipuè fundamentis ratione propria, & authoritate Platonica. Quæ de rerum generibus, Musicaque animæ compositione exponunt, ac rursum quod in argumentatione assumunt, quatuor esse species animarum, admittimus. Rursus, quod anima nostra vix efficere queat vtrunque simul, diuina scilicet videre, & corpora regere, præsertim ineptiora.

Id quoque damus, sed non putamus ob hoc necessarium esse, eam sursum atque deorsum vices innumerabiles agere, cum satis vtrumque officium peragat, si dum viuit in terris, modo corporalia curet, modo seipsam Deumque colat, & cum hinc abierit, facilius vehiculum suum regat, intentiusque diuinis incumbat. Concedimus insuper animam esse vitarum omnium seminibus grauidam, ideoque posse earum omnium progressiones peragere, eo tamen pacto, vt ea semina secundum humanę animæ speciei que modum in hac ipsa sint anima, pullulentque ex illis affectus habitusque cæteris speciebus congrui, nunquam tamen fiat vera de specie in speciem transmigratio. Siue enim anima ita comparetur ad corpus, sicut forma propria ad propriam materiam comparatur, siue vt ars propria ad proprium instrumentum, non poterit anima quælibet cor-

pus quodlibet ingredi. Nam quis audeat dicere Lunæ formam lapidis formare materiam, aut Musicam artem figuli instrumenta subire? Merito diuinus Iamblichus transmigrationem animæ ab homine in bestias reprobauit. Reprobauit Porphyrius etiam circuitum infinitum, atque in specie humana solum certis seculis per errare concessit, ac tandem purgatam hominis animam patri semper hærere cœlesti asseuerauit, nunquam ad huius vitæ miseriam redituram, quoniam non posset vnquam esse beata, si aut ignoraret se huc redituram esse, cum esset huc aliquando reuersura, aut futura mala præuideret atque metueret. Quod quidem inde confirmatur, quia instabile bonum appetitum implere naturalem nequit, qui æternum infinitumque propriè & agnoscit & appetit. Rursus animam infinita potentia veritate fruentem, neque violentia inde diuellit, neque fallacia dimouet, neque voluntas vlla diuertit.

Non voluntas Dei, cuius proprium est conuertere. Non animæ, quæ cum nihil eligat vnquam nisi ratione boni, non habet quod extra ipsum eligat, in quo totam boni rationem prorsus agnoscit. Neque mutatio vlla vitæ cadit in animam super tempus in æternitate viuentem. Denique dicere animam fine fruentem, inde quandoque seiungi, perinde se habet ac siquis dixerit vel terram ipso centro, vel ignem ipsa Luna proximè perfruentem, vel ferrum immensæ Magnetis moli hærentem inde diuerti. His atque similibus (vt arbitror) rationibus commotus Porphyrius erubuit animam centro suo semel infixam temerè inde diuellere, Proculum quoque Syrianumque & Hermiam puduit cœlestem animam in corpora bestiarum præcipitare. Atque vt debita supplicia immanibus rependerent vitiis, obseruari putarunt sacrilegas animas inter animas bestiarum, non tamē brutorum corpora regere, quoniam si bruta euaserit anima, non purgabitur inde, sed prorsus inficietur. Non enim purgatio fit, nisi vbi regnat quædam conscientiæ reclamatio. Quod præterea negant animam nisi fuerit semper, non semper esse futuram, quo pacto damnetur, aliàs diximus, & dicemus. Quocirca rationes eorum nobis non persuadent vt infinitis animarum erroribus ambagibusque, & absurdis specierū confusionibus fidem adhibeamus. Sed ne positionem suā authoritate Platonica tueantur, meminisse debemus, Platonem Pythagoricam sapientiam, quæ à Zoroastre manauerat, ab Archyta, Euryto, Philolalo didicisse, & cū peragrasset orbem, aliásque omnes Philosophorum opiniones examinauisset, Pythagoricam denique sectam tanquam verisimiliorem præ cæteris elegisse, quam suis literis illustraret. Propterea Pythagoricos inducit in dialogis suis præcipuis disputantes. Timeum Locrum, Parmenidem Eleatem, atque Zenonem, à quibus Socrates apud Platonem discit quæ in cæteris Platonis dialogis ipse aliis referat. Tria vero præ cæteris signa videntur euidentissima, quibus iudicare possimus cum Pythagorica illa nequaquam affirmauisse. Primum, quod eosdem disputantes inducit, qui quondam talia dixerant. Secundū, quod fingit Socratem ambiguum quæ audiuerat referentem, qui nihil aliud scire se prędicabat, quam hoc ipsum, quod nihil sciret. Tertium, quod quæ de rebus huiusmodi scripserat, non confirmauit in senectute. Siquidem in libris de legibus, quos scripsit in senio, in quibus solis ipsa Platonis persona loquitur, nihil asseruit tale. Et in epistola ad regem Dionysium, cum esset admodum senex, inquit, nihil se de rebus diuinis vnquam composuisse neque esse Platonis opus de iis vllum, neque vnquam fore, quasi non suam mentem aperuerit, sed narrauerit alienam. In epistola quoque ad Syracusanos, quam postea scripsit senior, eadem repetiuit, vbi adiunxit neminem extare tunc aut fore in posterum, qui mentem Platonis de huiusmodi rebus intelligat. Merito, quia non scripsit. Num ergo nihil de diuinis affirmat Plato? Quædam procul dubio: Deum scilicet humana curare, atque animæ immortali operum præmia reddere vel supplicia. Aliud verò affirmat nihil. Paucula enim hæc non in aliis modo dialogis asserit, in quibus aliæ personæ loquuntur, verum etiam in legibus & epistolis, vbi loquitur ipse. Mundum semper fuisse non asserit, sed ipsum generat in Timæo, generat, inquam, ab initio temporis ordinati, eadem ferme ratione qua primum Moses, deinde Mercurius, vt exposuerunt Seuerus, Atticus, Plutarchus & alij multi Platonicorū. Hinc Numenius Pythagoricus exclamauit, nihil aliud esse Platonem quam Mosen Attica voce loquentem, quamuis Plotinus, Porphyrius, Iamblichus, Proculus, perpetuam mundi generationem ibi à Platone accipi velint. Quod si forte illud ita exponendum est, Timæi Pythagorici sententia erit potius quam Platonis. Siquidē Plato ipse in Epinomide inquit, astra aut immortalia fore, aut adeò lōgæua, vt vita sua illis

illis sufficiat, atque longiore non egeant. Id illi consonat in Timæo, videlicet astra per se dissolubilia fore, quia videlicet ab initio composita sunt, nisi componentis voluntate seruentur. Rursus in libro Legum sexto, inquit humanum genus aut fuisse semper, aut multis ante seculis ortum. Vbi videtur initium quàm æternitatem eligere maluisse. Aristoteles quoque vbi de quæstionum natura disputat, inquit quæstionem de æternitate mundi esse neutram, quasi dicat non tàm sententiam demonstrabilem, quàm opinionem quodammodo ad vtrumque probabilem. Animas autem Plato in legibus esse ante corpora ita fortasse vult, vt naturæ dignitati id potius quam tempori tribuatur. Quanquam per aliquam temporis morulam animas antecedere corpora etiam Christianorum aliqui opinantur. Animas hominum transire in bestias in legibus non confirmat. In nono autem libro inquit, secundum fabulas sacerdotum ire eas in alios homines. Et in septimo declarat, quomodo exponendum sit, si quando dicantur corporibus aliis se inserere. Vbi tradit eum qui necessarias doctrinas ignoret, nunquam fore inter alios homines Deum, aut dæmonem, aut heroem. Quasi per comparationem ad alios homines & hæc dicantur & illa quæ nonnunquam de ferinis corporibus fabulatur, quanquam in Phædro non dicit animam hominis in bestiæ corpus transire, sed in ferinam vitam, & in Timæo in naturam ferinam, non in corpus feræ. In vltimo de republ. Thersitæ animam non in simiæ corpus, sed in simiam. In quibus intelligitur habitus vitæque potius quam speciei vel corporis permutatio.

Præterea in Phædone postquam narrauit poetarum more transitum animarum in beluas propter supplicia peccatorum, subiunxit non esse prudentis viri talia confirmare, sed id solum asseuerari posse prudenter, quod pœnas aliquas pendunt flagitiorum. Addit purgatas per legitimam Philosophiam animas apud Deum in æternum sine corporibus esse victuras, quod quidem in Epinomide confirmat, dicens pium animum à corpore separatum reliquum tempus in rerum omnium pulcherrimarum contemplatione versari. In Gorgia quoque & Theæteto, & decimo libro de Iusto perpetua describit supplicia impiorum ob multa peccata quæ expiari non possint, taliaque supplicia iustitiæ exemplique potius quam curationis gratia fuisse asserit instituta, vbi reprobat errores illos inexplicabiles animarum. Per hæc patet Platonem Christianorum more sempiternum bonum malumve significauisse. Quod verò purgatorium appellant Christiani, ibi Platonem intellexisse, vbi purgaturus animam sæpius per inferiora reuoluit, videlicet non tam per corpora, quàm per vitas & commercia bestiarum. Denique purgatam cœlo restituit. In libro nono de Iusto figurat hominis animam hunc in modum. Est aliqua congeries capitum plurium beluarum quasi in globum coacta ferinum, ex hac multiplici capitum ferinorum congerie pullulat quasi stipes aliquis ex radicibus, qui stipes hinc leo est, inde draco. Huic stipiti homo aliquis superponitur clauam manu tenens, qua bestias verberat sæuientes. Demum corporis humani pellis omnia illa circundat, per quam animal vnum videatur esse quod est simplex animal. Congeriem plurium bestiarum esse vult insatiabilem concupiscentiæ partem. Stipitem leone & dracone compositum, iracundiæ vim. Quæ leo dicitur, cum suffragatur rationi, draco cum refragatur. Homo est ratio. Post hæc iubet Plato vt interiorem illum hominem nutriamus potius quàm bestias illas, ne propter famem deficiente homine, solæ in nobis supersint bestiæ. Per hæc admonemur vt ad transitum animarum accipiamus non in varias species, sed in habitus. Erit itaque arbor apud Platonem, qui nutritioni deditus, die nocteque torpebit. Miluus, qui raptu viuet per concupiscentiam. Leo, qui egregie militabit. Draco, qui crudeliter in genus hominum sæuiet. Homo, qui ratione ciuili viuet. Heros, qui naturalia perscrutabitur. Dæmon, qui mathematica. Angelus, qui diuina. Talis enim fit animus, qualem induitur habitum, talis inquam in corpore, talis & extra corpus. Eadem in Phædro Socrates comprobat, dicens. Ego itaque considero vtrum ipse sim Typhone multiplicior, siue diuinius animal. Et postea in libro eodem, in anima aurigam ponit, & geminos equos, bonum, atque malum, rationem scilicet, irascendique & concupiscendi potentiam. Vbi apparet in ipsis animæ viribus & hominem & beluas esse. Eodem modo Parmenides Pythagoræus in libro de natura animam figurauerat. Timæus quoque Pythagoræus nobilissimus, migrationem in bestias inquit, induci falsò ad terrorem hominum impiorum. Sed rem omnem ita Pythagoras ipse significauit.

ἢν δ᾽ ἀπολείψας σῶμα, ἐς αἰθέρ᾽ ἐλεύθερον ἔλθῃς.
ἔσσεαι ἀθάνατος, θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.


Id est, si deposito corpore liberum ascenderis ætherem, eris immortalis Deus. Immortalis, non vltrà mortalis. Quasi dicat, ita Deus immortalis efficieris, vt omnino futurus sis procul à morte, nunquam amplius ad mortalia reuersurus. Orpheus quoque in ipso Mercurij terrestris hymno de Mercurio inquit:

κωκυτοῦ ναίων ἀνυπόστροφον οἶκον ἀνάγκης.

id est, Cocyti habitans irremeabilem viam necessitatis. In iis verbis pœnas apud inferos ponit æternas, regressumque illum multiplicem à vita in vitam penitus aufert. Sed neque etiam omnes Ægyptij sacerdotes transitus animarum de specie in speciem fieri reuera existimant, imò verò de ferino vel heroico animæ habitu intelligi volunt, quando hominem fieri bestiam aut heroem asserunt, quoniam apud eos homo solus est animus. Quod aperuit Mercurius Ægyptiorum Pontifex maximus, qui cum talem quandam migrationem ritu poëtico descripsisset, adiunxit legem diuinam non permittere migrationem animorum nostrorum in corpora beluarum. Pœnas quoque sempiternas tribuit impiis animis in mundi huius infimis elementis, atque manifestè asserit impiorum animas æterno supplicio per immortalem sententiam subiugari. Agit quoque, Deo gratias, quòd bonos viros æternitati consecrauerit. Item dicit mentem vsque adeò coniungi Deo, vt nunquam vlterius implicetur erroribus. Denique Zoroaster priscæ illius inuentor Theologiæ, sic inquit:

σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσιν.

id est, tuum vas bestiæ terræ habitant. Quòd si intra nos bestiæ sunt, intra quoque, non extra de homine in bestiam, ac de bestia transimus in bestiam. Neque desunt qui transmigrationem in bestias sic exponant, vt animarum quæ brutis similem duxerunt vitam, aliæ inter alias bestiarum turbas versentur. Quod quidem Platoni admodum consentaneum Olympiodorus iudicat, propterea quòd Plato animas purgatissimas inter Deos versari censuerit, impuras autem sæpe inter sepulchra reuolui, quarum vmbris perterreri aliquando soleamus, quippe cum corporei nonnihil circa se sicut & in se traxerint. Quo fieri Plato vult, vt videri quandoque possint. Simile huic est quod scribit iunior Plinius infamem Athenis fuisse domum, in qua & strepitus audiebatur, & simulachrum horridi senis aspiciebatur. Atque Athenodorum Tarsensem Philosophum cōducta domo vidisse simulachrum illud, eoque duce comperisse in area domus sub terra ossa inserta catenis. Ea sicut mos erat sepelisse. Domum deinde illam eo strepitu liberatam. Subdit se pluribus hæc affirmantibus credere. Nihil igitur mirum est, impuras animas si inter hæc, similiter quoque inter bruta versari. Ex omnibus iis concludimus, Platonem ea solum de rebus diuinis affirmauisse, quæ in Epistolis ac legibus comprobauit (in iis autem circuitus animarum infiniti non approbantur) atque ea quæ solum in cæteris tanquam priscorum inuenta recensuit, probabilia potius habuisse quam certa. Ac si quis ea etiam Platonem affirmauisse contenderit, nos quoque affirmare forsitan disputationis gratia concedemus, verum longè aliter quàm verba designent, exponenda esse censebimus, quemadmodum declaratum est paulò ante tùm Platonis verbis, tùm Theologorum veterum testimoniis.



THEOLOGIÆ PLATONICÆ,

DE IMMORTALITATE ANIMORVM,

EODEM FICINO AVTHORE,

(∴) LIBER XVIII. (∴)

Quòd Plato non prohibet fidem adhibere Theologiæ Hebræorum, Christianorum, Arabumque communi, scilicet mundum fuisse creatum.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



PLato igitur nihil prohibere videtur fidem adhibere Theologiæ Hebræorum, Christianorum, Arabumque communi, cœpisse mundum quandoq; Angelos ab initio creatos, animos hominum immortales creari quotidie Ad hæc cogimur authoritate diuina, ad hæc rationibus huiusmodi ducimur. Mundi moles per se esse non potest, ita vt non pendeat aliunde, sed in esse suo stabiliat, alioquin seipsam quodammodo faceret. Facere autem aliquid, nō ad corpus pertinet, quod quicquid agere videtur, per virtutem quandam exequitur incorpoream in subiecto iacentem, imò ad essentiam ipsam spectat penitus incorpoream in seipsa manentem, virtutisq; illius originem. Præterea corporea moles seipsam continere non potest. Siquidem continere, nisi aliquid agendo nequit, præsertim cùm continere sine vnione non valeat. Vnire autem non ad naturam diuisibilem, quæ & ipsa indiget vnione, sed ad vim tandem penitus indiuiduam spectare videtur. Rursus moles eadem per se operari moueriq; non potest, quia si nequit sibi esse dare, multò minus præstare poterit actionem. Ac vicissim si posset seipsam agere, posset etiam per seipsam. Quod autem per se operari non valeat, hinc etiam patet, quod se mouere non potest, vt in libro sexto probauimus. Ostendimus insuper alibi, perpetuo ordinatissimoq; mundi motui virtute infinita opus esse, quàm finita determinataque natura corporis ex se habere non potest Ideoq; mundus tanquam ex se erraticus dissolubilisque, aliunde indissolubilem ordinem mutatur. Sed vnde nam mutuatur? Profectò si mundus neque per se subsistere, neque se contin..re, neq; per se agere mouerive potest, necessariò à causa per se existente seq; continente dependet, causa, inquam prorsus indiuisibili, ne illa similiter vel sit per aliud scilicet per partes, partiumve congregatorem, vel contineatur ab alio, scilicet ab vnitate partes inuicē connectente, vel sit insufficiens, cum partibus egeat, vel admixtum habeat non esse, cùm compositum ex partibus nulla sit partium. Proinde cùm mundus ex dissimilibus sit compositus, oportet compositionis huiusmodi causam perscrutari. Non enim seipsam componit corpus, quod neq; actionis, neque principium est Neque dicendum est partes mundi suo quodam motu in compositionem huiusmodi confluxisse, non enim corpora per se mouentur. Neque tanquam ad id & aliunde compulsas, & inuicem compellentes. Quid enim est quod impellit? & quid impellit primo? Rursus nefas est impulsionibus carentibus ordine, ordinem commitere tam mirandum. quonam pacto ex ordinatis inordinatisque ordo tantus & ornatus efficitur; quippè cùm soleat semper agens causam effectu esse præstantior? Præterea, si mundi partes esse compositionis huius materiales dixeris causas, de causa efficiente quæremus. Sin autem efficientes; iterum perqui-

remus, quonam pacto ex rebus ratione carentibus rationale opus efficiatur. Quapropter si mundus neq; ex se, neque casu compositus est, certè compositionis causam habet certam. Neque afferat quispiam solam habere finalem causam. Habet enim eam, cùm ad bonum tãquam ad finem rectè feratur. Cùm verò ad id frustra non moueatur, aliquid certè boni ab illo consequitur. Accipit autẽ secundùm essentiam, quandoquidem secundùm essentiam appetit atque mouetur. Igitur ab eodem accipit esse, à quo essentialem accipit bonitatem. Itaq; causa illa tam efficiens est, quàm finis. Est & exemplar, si enim mundus certa ratione fertur ad bonum, certè Deus illum certa ratione tanquam exemplari ad bonum illud continuè dirigit. At verò cùm ad finem ducere, bonumque petere, sit voluntatis officium, nimirum Deus volutate mouet mundum, quem similiter & voluntate composuit. Idem ita insuper cõfirmatur. Quod fortuitum & contingens dicitur, solet eo quod ordinatum est, determinatisve constat causis, posterius esse. Igittur non potest ordo mundi priore casu aliquo contigisse. Ac si multas mundanorum effectuum causas aliquis afferat, nisi omnes sub vna conciliet, non poterit, quam ob causam mundus licet ex diuersis constet, sit & vnus & vnitus, afferre. Et qua ratione vnum totum sit melius partibus multis, nisi vnam inueniet causam & cõmunem, & præstãtiorem causis multis, cuius virtute omnes in vnum congrediantur. quamobrem vna est vniuersi vnionisque ipsius causa, ad quam coordinata sunt omnia. Si hæc esset rationis expers, qui ratione vtuntur, seque ipsos cognoscunt, prima causa præstãtiores essent, atque opus humanum opere diuino perfectius redderetur. Igitur Deus infinitam bonitatem suam rationaliter nouit per omnia propagabilem, vnde placuit sua sibi bonitas per singula propaganda, quippè cùm boni proprium sit vt placeat, ac summi boni, vt summopere placeat. Quo quidem rationalis voluntatis affectu rationaliter atq; optimè omnia tum procreata sunt, tum continuè disponuntur. Ratione voluntateque diuina disponi mundum, in Oraculis Chaldæorum quæ recitat Proculus, iis verbis significatur. Intellectus Patris emanans perfecto consilio, ideas omniformes intelligit, quæ quidem ab vno fonte omnes prodierunt. A Patre enim erat voluntasq; finisque. Distributæ verò sunt intellectuali quodam igne, atque in alias quasdam intellectuales deinde diuisæ. Rex enim multiformi mundo intellectualem figuram indeficientem præposuit, cuius secundus mundus est vestigium, properans vnà cum forma, & mundus apparens omniformibus dotatus ideis. Fõs vnus, ex quo erumpunt diuisæ aliæ innumerabiles circa mundi corpora producentes. quæ circuitu quodam ritè assimilatæ ferantur vndique conuersæ, sed alibi aliæ intelligentiæ à fonte paterno tanquam ab igne scintillæ peruigili circa primordiales ideas. Prima enim à Patre idea effluxit, atque fons voluntarius. Hactenus Oraculum, in quo de Patre, Filio, Spiritu, Ideis, Angelis, dispositione voluntaria mundi mentio fit. Sed nos iam ad institutum ordinem reuertamur. Elementa & plantæ quicquid agunt, necessaria quadam naturæ suæ operantur affectione. Ea vna est dumtaxat. Vnum igitur quiddam quælibet operantur. Bruta prætereà operantur, per appetitum, qui provt modis per sensum variis lacessitur, aggreditur varia. Et sicut elementa & plantæ innata necessitate agunt, ita bruta necessitate operantur illata. Rationalis anima per voluntatem agit, quæ quidem ad opus mouetur, non à rerum formis vt appetitus, sed à notionibus & consiliis intellectus Hæc libera operatio est meritò perfectiori conueniens animali. Talis quædam præ cæteris esse debet operatio Dei. Quapropter Plato in Timæo voluntatem Dei beneficam, originem rerum certissimam extitisse. Mercurius quoque mundum diuina voluntate constare, quam cuncti comitentur effectus. Orpheus vbi de summo Ioue loquitur: sic inquit:

Πάντα γὰρ κρύψας, αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς,
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

id est, Cùm abscondisset omnia deinceps in lumen gratum, emisit ex sacro corde operans cogitata, & mirabilia. In iis verbis Opheus apertè declarat mundum à voluntate diuina initium temporis habuisse.

Natura & appetitio nunquam opus aliquod nouum aggrediuntur, nisi quando natura variè afficitur, & appetitio variè lacessitur, intellectus autem atque voluntas etiam in homine nouum opus inchoant sæpè absque propriis nouitate. Mane statuit Plato vespere accersire Xenocratem. Stat futuræ vocationis firma sententia, donec ea hora Xenocratem vocet. Mutatio quidem fit non in mente & voluntate, sed ore Platonis membrisque Xenocratis. Erat semper in mundi architecto machina mundana præscripta, ac momentum inchoationis eius in architecti voluntate signatum. Eo ipso momento quod præsignauerat, inchoata est machina, nulla intercedente Dei mutatione. Compleuerat

ab æuo Deus substantialem mundum intra se totum. Permisit vmbratilem mundum inde tunc emanare, quando fuit melius. Melius fuit, quando statuit bonitatis diuinæ voluntas, per quam bona sunt omnia. Nos siquidem res quia bonæ sunt volumus. Hæ verò ideo bonæ sunt, quia vult eas Deus. Et quo pacto esse, & quando vult fieri, eo solum pacto & momento sunt bonæ. Similiter ideo res intelligimus verè, quoniam ita vt reuera sunt intelligimus. Contrà verò ita reuera sunt ideo, quoniam eas ita Deus intelligit. Sic ergo à diuina intelligentia rerum veritas, à diuina voluntate rerum bonitas proficiscitur. Vbi causa prima rerum, ibi ratio rerum summa. Quapropter ita rationaliter debebant fieri, vt intelligebat Deus, atque videbat. Temporaliter, id est, ab initio temporis emanare ab ipso debere Deus intelligebat atque dolebat hanc vmbram, cuius natura in motu temporeque versatur. Et vmbræ mundanæ motus ab initio temporali ad finem produci debebat & debet, cuius tempus momentis singulis in principio simul est atque fine. Neque perquirendum est cur illo momento potius quàm priori incœperit inde hic mundus effluere. Nam si mille annis ante incœpisset, etiam quæremus cur non prius. Initium tamen aliquando habere debebat. Adde, quòd phantasiæ est ista fallacia. Non sunt ante primum mundi momentum vlla temporis momenta quibus antè creari debuerit.

Quicquid cogitatur ante mundum, vnicum & stabile est æternitatis punctum. Omnis momentorum temporalium discursio cum mundo cœpit, mundo currente. Similiter neque inuestigandum est, quamobrem hic potius quam illic situs sit mundus. Phantasiæ est ista fallacia. Non est corporalis locus extra mundum. Tempus totum cursum, totum mundi metitur. Totus corporalis locus, mundi amplitudine prorsus impletur. Atque vt Timæus Platonis ostendit, par tempus est cursui, locus æqualis est amplitudini. Fallitur qui corporeum locum cogitat extra mundum. Fallitur qui ante mundum tempora fingit. Falletur & qui crediderit diuinæ perfectioni accedere aliquid vel decedere, manante illuc mundo vel non manante, qui multo minus ad Deum, quàm ad corpus sit corporis vmbra. Corpori autem ex vmbra neque accedit aliquid vnquam, neque decedit.

Profectò spiritalis ille mundus, mundi huius exemplar, primumque Dei opus, vita æqualis est architecto. Fuit semper cum illo, eritque semper. Mundus autem corporalis, quod secundum est opus Dei, discedit iam ab opifice ex parte vna, quia non fuit semper. Retinet alteram, quia sit semper futurus. Composita verò corpora, quæ tertia Dei opera sunt, omnem partem æternitatis amittunt. Rationabile est mundum Deo non æquari secundum vitam, postquam secundum substantiam non æquatur. Neque esse vndique infinitum, vt diuinæ cedat infinitati.

Decet etiam sicut res omnes duos habent actus, internum scilicet atque externum, & ille est vita æqualis agenti, hic verò posterior, ita ipsum quoque rerum opificem fœtum vita æqualem intra se continere, partum verò extra se posteriorem producere, vt non minus æternitas quàm perfectiones aliæ deficiat in effectu. Atque hic mundus sicut à Deo infinito finitus virtute magnitudineque producitur, sic verisimile videtur vt ab æterno Deo fiat nouus, & initio circunscriptus. Et sicut mundo assignatur certus situs, quia ita hic est, vt non per immensum sit spacium, ita illi quasi certum assignetur tempus, quia ita in hoc est tempore, vt non antè fuerit per immensum, ac si Deus vniuersi substantiam infinitis perfectionis excedit gradibus, multo magis vniuersi durationem infinitis gradibus durationis excedat.

Præstantior enim in re qualibet est substantia quàm duratio. Quisquis autem considerat partes mundi quæ sunt infra Lunam, de hoc esse in illud mutari, atque è conuerso, ac partes eiusdem quæ supra Lunam sunt, de esse tali in esse tale transire vicissim, & quia mutatur vbique, ideo indigas imperfectasque esse, rursusque vniuersum ipsum ex subiecto aliquo formaque constare, & subiectum qui naturaliter antecedit formam, posse & subire formam talem & non subire, item constare mundum non modo ex partibus quantitatis, sed ex partibus etiam inter se pugnantibus, denique vniuersum corpus nullo modo per se esse, sed omnino per aliud, quia per omnem causam, scilicet efficientem, finem, formam, materiem, ideoque secundum se penitus vacillare, quisquis, inquam, quatuor hæc considerat, is planè coniicere potest vniuersam mundi molem natura sua fore de esse in non esse mutabilem. Talis non foret, nisi de non esse quandoque transisset in esse. Hinc fermè Democritij, Cyrenaici, Stoici, Cynici fateri coacti sunt mundum initium temporis habuisse. Ægyptij

primum mundi diem ita illuxisse aiunt, vt Aries in medio esset cœlo, Cancer exoriretur, Luna in Cancro, Sol in Leone, Mercurius in Virgine, Venus in Libra, in Scorpio Mars, Iupiter in Sagittario, Saturnus in Capricorno, singulosque Planetas eorum signorum dominos esse aiunt, in quibus dum nasceretur mundus, fuisse creduntur. Chaldæi nascente mundo Solem in Ariete fuisse putant. Vtrique mundum natum existimant fuisse aliquando, & Arietem, siue quod in eo Sol esset, siue quod ipse medium percurreret cœlum, signorum caput appellant. Ideo ab ingressu Solis in Arietem præcipuè totius anni fortunam Astronomi iudicant, quasi inde penè omnia pendeant. Mitto quòd Ægyptij solum Leonem Soli, solum Lunæ Cancrum assignauerunt, reliquis verò Planetis præter illa signa quibus tunc inhærebant, reliqua quinque sic adiunxerunt, vt à fine prioris ordinis ordo secundus inciperet. Sic enim Aquarius qui Capricorno succedit, Saturno qui vltimus fuerat, traditur, Pisces deinde Ioui, quia Saturno proximus fuerat, Marti Aries Veneri Taurus, Gemini verò Mercurio, Sed his omissis ad propositum reuertamur.

Proculus demonstrat mundum quoniam extensam & compositam habet essentiam, ideoque ex se distractam atque dissipabilem, idcirco solum per indiuiduam quandam virtutem à diuina vnitate infusam connecti. Rursus quia naturali appetitu semper ad bonum ordinatè mouetur, ideo naturam talis appetitus motusque, originem à diuina mente bonitateque accepisse. Hanc verò virtutem per quam connectitur atque mouetur, oportere infinitam esse per quam absque fine connecti mouerique possit, quam ex se, cum sit finitus, habere non valeat, sed ab infinitate diuina semper accipiat, haud simul totam, (non enim capit) sed pro sua potius temporali natura, scilicet quasi guttatim momentis singulis hauriat. Hanc ostendit non aliter quàm momenta defluere subitò, rursusque cum momentis momentaneum similiter hauriri, semperque hoc pacto, vt narrauimus aliàs, mundum corporalem fluere fierique, sed esse re vera nunquam, quasi vmbram eminentis arboris in torrente, quæ & cum videatur arbor, non est arbor, & cum diu eadem appareat permanere, tamen continuè renouatis vndis continuè renouatur. Cuinam igitur mirum videri debeat, mundum ab initio ex non esse processisse semel in esse? cum apud quosdam adeò vmbratilis instabilisque sit, vt momentis singulis ab esse in non esse vicissimque pertranseat? Sed hæc Proculus ipse viderit.

Plato in libro de mundi generatione ostendit mundum diuinæ bonitatis gratia fuisse creatum. Non autem ad hoc est opus huiusmodi constitutum, vt Deum qui ipsa bonitas est, faciat meliorem, sed vt diuinam referat bonitatem. Sicut neque parentes ob aliam causam filios generant, quàm vt eorum imago videatur in filiis. Præcipuè verò mundus refert Dei opificis bonitatem, si non modo quàm munifica sit, sed etiam quàm excellens, ostendat. Quam munifica sit, ostendit prout semper à Deo seruatur incolumis, qui sibiipsi relictus dissolueretur, vt in Timæo inquit Plato. Quam excellens, testatur prout esse cœpit aliquando, per quam inchoationem clarè perspicitur quòd mundus non à seipso sed à Deo est. Quod infinito interuallo Deus excedit mundum, qui in infinitum erat (vt ita dixerim) ante mundum, quòd infinita virtute mundum produxit ex nihilo, quòd libertate voluntatis agit, non necessitate naturæ. Tolem mundanæ generationis originem planius Trismegistus Mercurius docuit. Neque mirum videri debet hunc talia cognouisse, si homo idem Mercurius fuit atque Moses, quod Artapanus historicus coniecturis multis ostendit.

Angelos & animos non semper fuisse.

CAPVT II.

ORdinem in corporibus posuimus, ponamus ordinem in spiritibus. Est spiritus ille supremus, qui fuit semper & erit, Is est Deus. Sunt & spiritus infimi bestiarum, qui nec semper fuere, nec erunt. Medij sint oportet duo quidam spiritus inter extrema adeò discrepantia, qui partem primi illius spiritus habeant, & partem spirituum infimorum. Quo igitur pacto hos medios componemus? Nunquid dicemus eos fuisse semper, sed quandoque desinere? Minimè. Quod enim fuit semper, id per infinitam virtutem vixit in infinitum. Infinita virtus nunquam minuitur. Quare si fuerunt semper, semper & erunt, atque pares in duratione sunt Deo, non medij spiritus. Ergo vt in perseuerantia medij sint, oportet eos cœpisse quandoque, desinere nunquam, Qui & si ex nihilo facti sunt, non tamen vertentur in nihilum. Ipsum enim quod dicimus nihilum, in eorum creatione neque materia neque effector ipsorum est ex quibus fiant, sed terminus forsitan vnde

fiant, neque etiam terminus est reuera, sed dicitur.

Non ergo coguntur ipsius nihili sequi naturam, per quam in nihilum reuertantur, quam quidem naturam ante reiecerant cum primum in esse prodirent. Imò naturam illam suæ causæ seruant, vnde essentiam acceperunt, vt per eandem infinitam virtutem in ipso esse seruentur procul à nihilo, per quam ex nihilo emerserunt in esse, posthabito nihilo. Haud absurdum est, quod ab infinito principio atque infinito fine, id est, Deo proximè procreatur, cogitare finem non habiturum, cùm multa etiam quæ ab initio ac termino quodam finito procedunt, ritè considerentur absque fine procedere. Sic enim ab vnitate numerus, sic à puncto Mathematica linea, sic à præsenti momento futurum tempus absque fine, nihilo prohibente progredi cogitatur. Aliquid verò creatum fore semper, præsertim animam, non religio solum, sed etiam Auicenna & Alganteles tanquam Philosophi probant. Itaque Angeli vnum quidem medium obtinent inter Deum & beluas, alterum medium statim post Angelos sortitæ sunt hominum animæ, quæ cum Angelo conueniunt, quòd semper erunt, differunt, quòd non fuerunt saltem per omne tempus vt Angeli, qui ab initio rerum orti naturali ordine ante cœli cursum, cuius comes est tempus, licet non fuerint per omnem æternitatem, tamen per omne fuere tempus. Animæ nostræ post temporis ortum natæ cedunt Angelis, neque tamen sunt temporales. Nam Deus per id ipsum æternitatis suæ punctum, quod semper est idem, & vniuersum supereminet, complectiturque temporis ambitum, quo Angelos procreauit, animas quoque hominum procreat. Igitur supra temporis passiones fiunt hominum animæ, quamuis fiant post temporis ortum. Animæ verò brutorum & post ortum temporis, & sub temporis passionibus generantur, quia non fiunt à Deo per æternitatem Dei proximè, sed per cœlorum conuersiones, animarumque virtutes, quo fit vt non viuant semper. Nam & mutationi temporis sunt obnoxię, quæ per cœli motum sunt factæ sub tempore. Et siquid habent præclari, id totum defluit iugiter ab ipso tertiæ essentiæ fonte, cuius ipsæ non riuuli sunt, sed vmbræ. Idcirco Platonici eas esse putant idola quædam animæ mundi, vel animæ sphæræ illius quam habitant, mediasque inter essentiam tertiam disponunt & corporum qualitates, ad hanc tamen essentiam reducunt eas vt vmbras. Hinc Plotinus inquit, quemadmodum ab vno vultu multæ per specula multa diffunduntur imagines, sic ab anima sphæræ in corpora brutorum multa animæ vnius simulachra multa, corpora inquam brutorum, quibus humanæ non insunt animæ. Vbi enim hæ sunt, ibi potentia irrationalis, rationalem animæ nostræ substantiam sequitur velut vmbra.

Animæ creantur quotidie.

CAPVT III.

VErùm cur nouæ quotidie animæ creantur à Deo? An non poterat Deus mundo constructo creare simul animas cunctas, quemadmodum cunctos in mundi exordio Angelos procreauit? Non decuit. Nam si diu à vinculis corporum solutæ vixissent, sincerè iudicauissent quanto pretiosior sit vita soluta quàm alia, nec ingrdi vnquam corpora voluissent, videlicet quatenus intellectuales sunt. Neque Deus vel Angelus volunt liberam voluntatem animæ cogere. Non enim aliter mens quam persuasione mouetur. Imò neque etiam singula quæque corpora anima cognouisset quæ posset eligere, cùm desit illi ante sensus cognitio singulorum. Itaque careret diuinis sacerdotibus sacrisq; hymnis pars hæc media templi diuini. Oportet tamen in singulis huius templi circulis proprios duci choros sacerdotum Deo canentium. Consonat præterea rationi, vt sicut sphærarum animi siue Angeli non fuerant per moras aliquas temporum ante sphæras proprias procreati, sic neque animę nostræ ante corpora propria. Item anima est forma actusq; corporis. Actus autē quamuis in vniuerso secundùm naturæ ordinem prior quam potentia sit, in eodem tamen subiecto secundum tempus est posterior, quoniam à potentia in actum motus efficitur. Quapropter prius fuit semen quod est potentia viuum, quam anima quæ vitalis est actus. Ad hæc cuique formæ naturale, hoc est, vt materiæ propriæ vniatur. Alioquin quod ex materia formaque componitur, esset congeries aliqua præter naturam.

Prius autem rei cuique tribuitur quod ipsi conuenit secundùm naturam, quàm quod præter naturam. Quod enim secundùm naturam conuenit, per se inest cuique, quod præter naturam aduenit, ex aliquo contingente. Animæ igitur qua ratione anima est, prius conuenit vt coniuncta corpori sit, quàm separata. Quomodo

igitur vixit ante corpus? Adde quòd si superior mens quælibet (vt quidam putant) & vna est in specie vna, & immortalis, forma verò quælibet corporalis & multiplex fit in eadem specie, & mortalis hominis anima quæ illis mentibus succedit, præcedit has formas, sic vtrarumque particeps erit, vt sit vel vnica anima in vna hominum specie, atque mortalis vel immortalis & multiplex. Primum fieri nequit. Si enim anima vnica totius speciei animarum gerat vicem, innumerabiles animas quæ fieri sub illa specie possunt, suis virtutibus complectetur. Sic immensæ quodammodo virtutis erit, & immortalis, præsertim quia rerum species sempiternæ sunt, & quod totam capit speciem, est sempiternum. Rursus, quia nullam haberet cum his corporeis rebus communionem, esset procul admodum ab interitu. Imò si talis esset, meram speciei suæ seruaret simplicitatem. Ea species est à caduco corpore segregata. Igitur in puritate propria remaneret à corporibus aliena, neque præstaret his vitam. Ex iis constat hominis animam non posse esse vnicam in cunctis hominibus, rursus non posse esse vnicam simul atque mortalem. Itaque erit immortalis & multiplex. Immortalitate imitabitur mentes, multitudine formas penitus corporales.

Erit fortè id rerum ordini consentaneum, vt primum gradum teneant ideales ipsæ rerum species, secundum verò quæ species capiunt. Atque ex iis quæ capiunt, primum quæ totam pro facultate creaturæ suam capiunt speciem atque semper. Secundum verò, quæ non totam, sed tamen semper. Tertium, quæ neque totam, neque semper, quemadmodum in summo ponimus exemplar luminum, id est solem, in secundo stellas, quarum quælibet totum inde suum semperque accipit lumen: in tertio lunam, quæ semper quidem accipit, sed non totum, & si pati videtur eclipsim, tamen subitò recipit, similiter aërem & aquam. In quarto illa ex elementis composita quæ perspicua quodammodo & nitida sunt, talia cupiunt quidem, sed neque semper, neque totum, vt opposita prætermittam, quæ nullo modo in se lumen admittunt. At vna hæc animæ species vnde multiplicem accipit numerum? Fortè non ex eo quòd imitatur mentes. Ex eo igitur quòd formas imitatur corporeas. Quales hæ sunt? Incipiunt cum corpore, & cum corpore desinunt. Anima nostra si talis sit omnino, vt incipiat simul & desinat, non imitatur eas, sed generis est eiusdem. Atque illa si neutrum horum habet, non imitatur, non congruit, non hæret illis, non viuificat. Ergo habebit alterutrum, vel incipiet cum corpore tantum, vel tantum cum corpore desinet. Desinere non potest cum corpore mens, quæ ad immortalem veritatem bonitatemque dirigitur tanquam finem. Agit enim omnia huius gratia. Sicut autem de rerum initio habemus ab efficiente causa coniecturam, sic de rerum perseuerantia coniecturam sumere solemus à fine. Si igitur mens ad sempiternum finem propriè naturali quadam cognatione dirigitur, sempiternæ perseuerantiæ est capax. Proprius enim finis proprio respondet agenti, perseuerantia rei ad finem directæ inter vtrunque tenet medium.

Mens igitur cum proprium finem habeat sempiternum, habet quoque agens proprium sempiternum, atque idcirco vtrinque vitam perseuerantiamque perpetuam. Si non desinit cum corpore, incipit saltem cum corpore, multiplex profectò fit anima hominis in multis corporibus. Quod quidem significatur ex opinionibus hominum, affectibusque contrariis. Talis verò non fit ex specie sua per quam est vna, sed (vt quidam putant) quodammodo ex corporibus, imò ex Deo animarum corporumque conciliatore. Non quia in corpore sit diuisa. Non quia ex materia sit vt corpus. Non quia nascatur ex corpore. Vnde igitur, nisi quia diuina volũtate comes fit corporis? Quando Deus simul initium præbet vtrisque, non tamen præbet principium idem. Igitur neque naturam eandem, neque exitum similem, sed initium, vt diximus, idem. Vnde & numerum tradit eundem. Hinc affectus animæ ad naturam corporis augetur, quia corporis initium comitatur. Atque in huius creatione mutatio quæ vna videtur, est triplex. Mutatio quidem animæ ex nihilo ad esse per Deum solum facta, creatio est, mutatio verò corporis non viuentis ad vitam ipsam ab anima capienda, formatio quidem corporis, animalis autem generatio nuncupatur.

Creationis terminus ad quem dirigitur anima in seipsa est, diuinæ solum æternitati respondens, quæ terminus est à quo creatio prouenit. Formationis autem terminus ad quem fit, est anima non tam in seipsa permanẽs, quàm in corpore. Terminus verò à quo fit, videtur esse natura. Denique generationis terminus ad quem est animal ex anima corporeque compositum. Terminus autem à quo, fermè similiter est natura.

Natura, inquam, non particularis tantum, sed etiam vniuersalis, in cuius virtute particularis corpus ad animam præparat. Vniuersalis verò natura, virtus quædam dicitur siue instrumentum animæ mundi. Ideo Plato in Philebo dixit. Si mundus anima careret, vndenam nos haberemus? Non quia ab anima mundi sit anima in seipsa, sed quia per eius operam sit in corpore. Animas enim nostras ab eodem Deo & ex eodem fonte quo & superiores omnes fieri Timæus ostendit. Hinc illud quoque ostenditur quod Timæus inquit, rationalem videlicet animam à solo Deo esse: irrationalem verò vitam sub ea corpori mancipatam à diis cœlestibus Deo iubente pendere, quia scilicet & corpus ad ipsam præparant, & animam nostram ad eam corpori infundendam corroborant.

Sed hæc tanquam hic superuacua dimittamus. Sint igitur, dicet aliquis, animæ multæ, incipiant etiam cum corporibus, hoc aures non offendit, hic tamen vnus restat scrupulus, quonam pacto conueniat Deo singulis momentis ad libidinem concumbentium animas singulas procreare. Non malum est concubitus, quoniam ad bonum est naturaliter institutus, sed defectus moderationis in animis concumbentium. Non fit ex priuatione moderationis, sed ex concubitu corporis generatio. Huic generationi Deus distribuit animas non ad libidinem coëuntium, sed ad præscriptam prouidentiæ legem, quæ & numerum & tempora concumbentium ab initio rerum videt in æuo. In æuo iamdudum concipit animas. Cur ergo Deus animas parit quotidie? Quia non simul, sed per successionem erant corpora generanda.

Adde quòd continuè illuminat Angelos, & sicut nunquam desistit mentes superiores formare, ita nunquam cessat mentes infimas procreare. Perpetua illic formatio fit, hic perpetua procreatio. Procreatio inquam tamdiu assidua, quamdiu sol Dei vicarius continuè superiora illuminat corpora: & continuè generat infima. Decet immensam Dei potentiam, ita semper sese potentem ostendere mentium oculis, vt videant Deum in infimo gradu mentium propter vltimum mundi locum continuè aliquid ex nihilo procreantem, vt hoc effectu continuo infinitam omnino Dei potentiam clarius agnoscant in infinitum creationis actum infinitè si placuerit peragentem. Venerentur eam illuminantem in cælis. Admirentur (vt ita loquar) in terra creantem. Excellentior sanè operatio est creatio quam illustratio. Illa igitur magis quàm hæc conuenit Deo: hæc continua fit à Deo. Illa igitur pro Dei arbitrio fit continua. Cœlos mouent ministri Dei. Hoc motu sequentia generantur, dum species quælibet rerum in terris aliquid agit, & in agendo ministra fit cœli. An Deus ipse solus agit nihil quamdiu cætera omnia aliquid operantur? Absit vt primus actus agat nihil, agentibus aliis. At inquies eum agere satis, dum agentia non deserit reliqua, sed vim illis operandi suppeditat. Non satis est istud. Nempè hinc propria causarum aliarum sequuntur opera, atque imagines illarum fiunt in mundo, non Dei. cur nolit & Deus assiduè opera propria, propriasque imagines facere, plurima semper sine medio procreando? Igitur cum creatio, propria Dei operatio sit; generatio autem externa, operatio propria aliorum, non cessabit Deus creare aliquid quamdiu alia non cessabunt aliquid generare.

Centrum mundi verum Deus est, vt in libro de amore disseruimus: quia vnus, simplex, stabilis est, & in omnibus, atque alia quęlibet omnino plura, composita, mobilia, circa ipsum per naturalem ipsius appetitum perpetuò reuoluuntur. Ita centrum Deus est omnium, quia sic est in omnibus, vt cuique rei interior sit quam ipsamet sibi. Est etiam circunferentia mundi, quia extra cuncta existens ita supereminet vniuersa, vt cuiusque rei summum apicem dignitate excellat immensa. Item quanto est omnium (si dictu fas est) minimus quantitate, tanto virtute est maximus omnium. Vt centrum quidem, est in omnibus, vt circunferentia vero, est extra omnia. In omnibus inquam non inclusus, quia est & circunferentia. Extra omnia quoque non exclusus, quia est & centrum.

Quid ergo Deus est? Vt ita dixerim, circulus spiritalis, cuius centrum est vbique, circunferentia nusquam. At enim si centrum id diuinum in aliqua mundi parte imaginariam aliquam aut perspicuam operationis sedem habeat, potissimum in rerum medio dominatur, tanquàm rex in medio ciuitatis, cor fermè in medio corporis, sol in medio Planetarum. In sole igitur, id est, in tertia mediaque rerum essentia Deus posuit tabernaculum suum. Tabernaculum inquam virtutis suæ frequentius demonstrandę. Quæ sedes familiaris est Deo, non tam quòd species animæ est, quàm quòd diuinæ ciuitatis est medium, ærarium

publicum, & consona vrbanarum partium moderatio. Animam hominis esse rerum medium sæpè iam declarauimus. In hac igitur regione præcipua Dei operatio frequentius præualebit. Talis creatio est. Creat igitur assiduè animas hominum. Profecto quia stabile centrum est, creat continuè. Quia circunferentia est, quæ mundi ambit circunferentiam, creat eas (vt Platonici dicerent) quodammodo in circunferentia mundi. Rursus quia centrum, ideo est summa rerum. Quia summa, ideo singula fundit, tum sigillatim singula semel ab initio rerum, tum cuncta summatim quotidie, prout creando animam, quæ rerum medium est, effundit è sinu proprio vniuersa, quæ summatim confunduntur in medio.

Vnde anima descendit in corpus.

CAPVT IIII.

VNdenam descendit in corpus anima? Reuera cum Deus extra locum adsit omni loco, & anima non claudatur loco, momentoque & creetur & adsit, neque dicendum propriè est eam descendere, neque vnde descendat est quærendum. Sic enim ab ipso Deo manans adest corpori (vt ita dixerim) sicut à Solis lumine radius oculo. Sed delectat interdum vna cum priscis confabulari. Igitur si Zoroastri & Mercurio credimus, ex amplo demittitur ambitu mundi. Atque vt illorum sententiam ordine inferam, infima mens supremo corpori primum adhæret, neque hæret solummodo, sed infunditur, quo tanquam medio crassioribus corporibus copulatur. Spiritus simplex immortalisque non aliter composito mortalique corpori, quàm per corpus simplex & immortale coniungitur. Neque id quidem iniuria, quoniam anima per suam essentiam corpori præstat vitam. Essentia eius vita est sempiterna. Sempiterna vita cui primum hæret, hæret in sempiternum, præsertim quoniam essentia animæ immutabilis est, quo fit vt immutabiliter proximum sibi corpus viuificet. Siquidem perpetuæ vitæ proprius actus est viuificatio sempiterna. Tale quiddam opinari poterit aliquis Aristotelem cogitauisse in secundo de generatione animalium libro, vbi cum probauisset intellectualem animam esse à corpore separabilem, propterea quòd cum operatione sua non communicat operatio corporalis, paulo post subdidit, huic animę cõuenire corpus aliquod quod sit à geniture corpore separabile. Ex quo etiam apparet quod contra Auerroëm in superioribus quærebamus, scilicet intellectualem animam esse formam corpus viuificantem, præsertim quia cum Aristoteles ibidem probauisset ex tribus animabus, scilicet vegetali, sensuali, intellectuali, hanc solam esse, & ab extrinseco & à corpore separabilem, quia huius tantum operatio per se absque instrumento possit expleri, subiunxit has omnes scilicet tres animas pariter esse in semine secundum potentiam. At verò si quis hæc consideret diligenter, inueniet non posse potentiam vllam his esse communem, per quam corpus pari ad tres animas modo in potentia sit, nisi facultatem quandam qua ab intellectuali anima similiter atque ab aliis vitam motumque accipiat. Sed iam ad corpus animæ proximum redeamus. Hoc vocant Magi vehiculum animæ, æthereum scilicet corpusculum acceptum ab æthere, immortale animæ indumentum, naturali quidem figura rotundum propter ætheris regionem, sed in humanam effigiem sese transferens, quando corpus humanum ingreditur, atque in priorem se restituens cùm egreditur. Quod ob eam causam Magi necessarium arbitrantur, quoniam Angeli tales sunt, & virtute separabiles, & actu separati sint à corporibus, irrationales animæ, neque virtute separabiles, neque actu. Ex quo sequitur, rationales animas tanquam medias tales esse debere, vt virtute quidem semper separabiles sint, quia illis subtrahantur corpora, non peribunt, actu autem sint semper coniunctæ, qui familiare corpus nanciscuntur ex æthere, quod seruant per immortalitatem propriam immortale, quod Plato currum tum Deorum tum animarum vocat in Phædro, vehiculum in Timæo, quo vtantur animæ sphærarum cœlestesque purissimo, dæmonum animæ minus puro, nostrę quoque minus propter terreni corporis mixtionem. Quam ob causam ita præcipit Zoroaster.

μὴ πνεῦμα μολύνης, μὴ δ' βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον.

id est, ne fœdes spiritum, neque in profundum exaugeas quod est planum. Spiritum planumque appellat ipsum vehiculum, non quia corpus non sit, atque profundum, sed quia propter tenuissimam & splendidam puritatem sit quasi non corpus. Præcipit ergo ne propter nimium corporis elementalis affectum, cogas ipsum etiam post hanc vitam sordidum atque graue superfore caliginis elementalis adiunctione, quam animæ vmbram prisci Theologi nuncuparunt. Neque tamen volunt rationalem animę partem proximo he-

rere vehiculo, sed rationalem ipsam animam quantum & rationalis est, & comes cœlestium animarum, ædere actum viuificum in vehiculum, quod animæ idolum sæpe iam appellauimus, quam speciem animæ mortalem in libro de mundi Generatione Plato nuncupat non quia moriatur aliquando, sed quia subtracto vehiculo rueret, vt quidam putant. Sicut enim Lunæ splendor in nube promit ex seipso pallorem, sic anima in corpore cœlesti emittit idolum, quasi stella crinita comam. Quod euanesceret, si euanesceret corpus illud, sicut pallor extinguitur nubibus dissipatis. Quia tamen nunquam vehiculum subtrahetur Zoroaster inquit.

ἐστὶ καὶ εἰδώλῳ μερὶς ἐς τόπον ἀμφιφάοντα,

id est. Est idolo quoque locus in regione perspicua. Quia scilicet cum vehiculo simul & anima rationali recurret in cœlum. Plotinus autem ipsum esse putat simpliciter mortalem, etiam si ipsi vehiculum subtrahatur. Similiterque ait Solis lumen in aëre, imò præsens aëri, haud extinctum iri, etiam si aër tollatur è medio. Ex solo enim Sole pendere tanquam perennem ipsius actum, neque esse passionem aëris, qualitatemque aëri propriam. Siquidem momento adest atque abest, neque ipsius quicquam sublato Sole in aëre. Neque solum adest aëri, sed similiter omni perspicuo, etiam si contrariæ inter se naturæ perspicua sint, quasi non à certa natura subiecti dependeat. Neque aliquo modo à perspicuo, qua ratione perspicuum est, dependet, sed tantum illi adest, quia non impeditur illi adesse, sicut adesse opaco impediri videtur. Sol enim hunc actum emittit semper, non dimittit, non immittit. Sorte verò contingit subesse quod capiat, imò quod capere videatur. Actus hic Solem vicissim perpetuò comitatur. Similiter se habet & vultus ad speculum, & ad corpus anima. Hæc Plotinus. In esse autem idolo huic opinantur phantasiam quandam irrationalem atque confusam, sensus præterea tales, vt per totum vehiculum videatur pariter atque audiatur, quibus sensibus propriè homines quàm paucissimi vtantur & raro. Sentiri verò per illos sæpe concentus cœlorum mirabiles, vocesque & corpora dæmonum, quoties aliquis ad tempus terreno corpore derelicto sese in corpus suum cœleste receperit. Ideo Tatius Mercurij filius cum esset paternis sacris expiationibusque purgatus, illico exclamauit esse se tunc in corpus immortale translatum, ac intueri mirabilia, & audire. Quod & ipse Mercurius narrat, sibi quoque Paulo ante in abstractione animi contigisse. Olympiodorus quoque Platonicus tradit Apollonium Tyaneum hac ratione solitum ex vrbe Roma, quæ fiebant in Ægypto, prospicere. Mitto quòd Platonici multi putant animam tribus vti vehiculis, primo quidem immateriali & simplici, id est, cœlesti, secundo materiali & simplici, id est, aëreo, tertio materiali atque composito, id est, elementis quatuor constituto. Et primo quidem dare vitam irrationalem, sed immortalem, secundo verò vitam irrationalem, sed longæuam, quæ videlicet composito corpore aliquando dissoluto ad certum tempus supersit in simplici corpore, tertio, denique vitam & irrationalem, & vnà cum dissoluto corpore dissoluendam. Præterea in prima vita communicata vehiculo sensum esse communem atque impatibilem, in secunda patibilem & communem, id est, per vehiculum, vniuersum sensum pariter vniuersum, denique in tertia sensum diuisum pariter atq; patibilem.

Qua parte cœli animæ creantur, quave descendunt.

CAPVT V.

QVa parte cœli animæ procreantur, quãquam stultum est quærere situm in his quæ situ aliquo non clauduntur, & sicut vbicumque Sol fulget, ibi mittitur radius, sit vbicunque Deus adest, mittitur animus, delectat tamen cum antiquis interdum poëtice ludere. Igitur alias, inquit Timæus, apud alias stellas à mundi opifice seminari, quarum fiant in vita comites animæ. Quod ita Platonici intelligi volunt, vt non singulæ animæ, sed animarum legiones singulis stellis ac fatales edocommodentur. Addit Deum animas suis imposuisse vehiculis, ac vniuersi naturam legesque cuisse. Qua parte cœli descendunt? Cancro præcipue, vt aiunt Platonici, vicissimq; per Capricornum Cancro oppositum ascendere putant. Atque hinc illam hominum, hanc Deorũ portam appellant. Nemo verò adeò falli debet, vt descensum ascensumve hic accipiat secundũ situm, sed quia Luna Cancri Domina, generationi proxima est. Saturnus verò Dominus Capricorni remotissimis, ideo per Cancrũ, id est, lunarẽ vegetalemq; instinctum descẽdere animas dicunt, per Capricornum verò, id est, per Saturniũ intellectualẽq; instinctũ ascẽdere. Saturnũ enim prisci mentem vocant, qua Sola superiora

petuntur. Accedit ad hæc, quò Capricorni Saturnique sicca virtus dum spiritus ad intima contrahit atque colligit, ad contemplandam assiduè prouocat, lunaris autem humor spargit atque dilatat, & animum circa sensibilia distrahit. In ipso autem descensu animus accipit & à Saturni numine per se, & à Saturni lumine per corpus æthereum atque idolum, adminicula quædam siue incitamenta ad contemplationem aptius exequendam: ab Iouis numine atque lumine similiter ad vitæ ciuilis gubernationem: à Marte similiter ad magnanimitatem propter iniurias propulsandas: à Sole ad phantasiæ & sensuum claritatem: à Venere ad charitatem: à Mercurio ad interpretationem atque eloquentiam: à Luna ad generandum. Et quamuis inde singula dentur bona, possunt tamen in mixtione terrena ad malum degenerare. Descensus huiusmodi ita fermè subito potest fieri, vt radij descensus à Sole, qui quamuis subito demittatur in terram, variis tamen in ipso casu nubium vestitur coloribus. Nonnulli verò putant animas in qualibet sphæra ad certum tempus vitam agere sphæræ illi conuenientem. Sortiri enim à sphæris singulis vehicula propria, ac tandem post multa secula ad elementa descendere, atque in igne & aëre dæmonicam, in terra humanam brutalemve vitam agere. Item similibus gradibus tandem ad superna redire. Hæc illi. Nos autem in omnibus quæ scribimus, eatenus affirmari à nobis aliisque volumus, quatenus Christianorum Theologorum concilio videatur.

Quando infunditur anima corpori, & quò dum in corpore viuit, ducitur.

CAPVT VI.

QVando infunditur anima corpori? Postquam in aluo mulieris ipsum semen quod à toto viri corpore antè defluxerat, traxeratque secum formatricem vim ab anima viri, per hanc ipsam vim diebus circiter quinque & quadraginta sic esse affectum, vt sex primis diebus lac euaserit, nouem sequentibus sanguis, duodecim aliis caro, decem & octo reliquis fuerit figuratum, tunc anima creatur atque infunditur. Qui animas ante ingressum vixisse putant, eas dæmonem vitæ ducem naturaliter elegisse dicunt in ipso descensus initio prius quàm corpus ingrederetur. Alij verò postquam electione vti cœperint, eligendo mores interim dæmonem vitæ ducem latenter eligere. Sæpe etiam eundem dæmonem a pluribus eligi. Posse enim animas multas genio vno, id est vno ingenij duce dæmone vti. Qui antè eligere opinantur, ex illa potissimùm turba dæmonum accipere volunt, quæ eidem accommodetur stellæ, cui & anima ab ipso mundi opifice fuerit assignata.

Tot enim esse dæmonum heroumque legiones, quot stellæ sunt numero. Atque ex tali quadam turba illum sortiri præ cæteris, qui cum illa electa vita maximè conuenit & figura cœli, quæ eo ipso electionis descensus momento componitur, maximamque his de causis in hominum ingeniis fortunisque differentiam prouenire: qui verò post ortum pro diuersitate morum diuersos animas adipisci genios aiunt, permutari quoque duces eiusmodi concedunt moribus permutatis, plusque consilio tribuere, quàm vel fato vel fortunæ videntur. Verùm vtcunque sit, perpetua indigemus custodia numinum. Quod quidem Plato cum in Symposio, Protagora, Politico, Critia dicat, sic probat in Legibus, videlicet quoniam inter falsa bona, & innumerabilia mala versamur, vnde perpetua fallacia & perturbatio nascitur. Ideoque tanquam oues mira diuinorum pastorum custodia semper egemus. Addit, cùm nos proprium quidem vitium perdat, propria verò virtus velut exigua seruare non possit, ideo sola superorum virtute custodum (quorum virtutis imago quædam exigua sit nostra virtus) nos posse seruari, præsertim cùm, sicut alibi dicit Hermia exponente, malefici dæmones assidue nos pro viribus ad inferiora detorqueant. Sed alij sunt custodes illi qui nos eligunt, alij dæmones quos nos eligimus.

Qua parte corporis anima ingreditur, qua egreditur, & quo duce progreditur.

CAPVT VII.

ANima qua parte corporis ingreditur? qua egreditur? Anima quæ est medium rerum, iussu Dei (qui est mundi centrum) in punctum cordis medium (quod est centrum corporis) primùm infunditur. Inde per vniuersa sui corporis membra se fundit, quādo currum suum naturali iungit calori, & per calorem spiritū corporis. Per hūc spiritū immergit humoribus, mēbris inserit per humores. Deniq; per morbum solutis iis mediis statim cum

suo illo curru se (vt ita dixerim) colligit, refluitque in cor, vnde primum effluxerat. Cordis extincto calore, quod proprium erat illius vehiculi susceptaculum, cor deserit, tandem suo illam vehiculo comitante. Sicut oculo clauso lumen Solis quod illi influxerat, effluit integrum, suo ipsum comitante calore. Atque vt probat Plotinus, non extinguitur, sed Solem suum perpetuò sequitur. Mitto in præsentia, quòd egredientes animas genij dæmonesque sui ad communem iudicem omnes ducunt, sed lata sententia priores abeunt dæmones, malasque violentus & malus dæmon trahit, bonas autem Deus tranquillè perducit. Hæc in Phædone.

De statu animæ puræ, præcipuè secundum Platonicos.

CAPVT VIII.

VBinam est anima pura decedens corpore mortuo? Vbi est lumen Solis purum oculo clauso. At lumen in Solem reflectitur. In ætherem quoque reflectitur animæ currus æthereus, onere terreno deposito. Ad ætherem aspirat anima nata quondam in æthere, vt inquit Pythagoras, præcipuè si viuendi & cogitandi habitum æthereis mentibus similem mente conceperit. Ita enim animus habitu mouetur & agit, sicut natura formis. Quod quidem patet in his, postquam artis habitum contraxerunt, sine consilio & attentione (vt natura solet) quasi naturaliter operantur. Remanere verò in anima separata habitus tum morum tum disciplinarum tam bonos quàm malos, Plato in Phædone Gorgiaque asserit, & ratio illa probat, qua dicitur habitum ita in naturam conuerti, vt talis ab illo, qualis a natura proueniat inclinatio, quod maximè impletur in animis ab hac mutabilitate seiunctis.

Sed cur animæ quoque elementorum, earumque currus, ad cœlestem habitationem non annituntur? Quoniam, vt Platonicorum potius quàm mea opinione respondeam, officium illis à Deo assignatum est, vt ibi sint semper. Animæ cedunt voluntati diuinæ. Currus quoque cedunt desiderio animarum. Animæ illæ ex hoc officio præstantius officium non amittunt. Currus orbicularem motum circa suas animas seruant non impeditum. Et sicut cœlis naturale est illic circa suas animas verti, ita hic his vehiculis circa suas. At anima nostra ritè functa hic munere sibi ad tempus iniuncto, ætheris eam plagam sibi præ cæteris eligit, cui nascendo fuerat assignata. Ad illud confugit astrum atque numen, vt Plato inquit, cui viuendo se similem reddidit. Sed hæc illi viderint. Proinde sicut in terris considerando à singulis ad communes naturalium species, à speciebus ad rationes diuinas tanquam naturalium causas procedebat, sic in cœlo vicissim à rationibus diuinis id est, ideis, ad species naturales perfectè, ab his ad singula quodammodo se conuertit. Ac quam diligenter hic inspiciebat singula, tam ibi eadem prospicit negligenter.

Rursus quam obscurè diuina prospiciebat, tam perspicuè ibi perspicit eadem. Et quæ hic singulatim per instrumenta in externo videbat lumine, illic secundum speciem per se in lumine videt intrinseco. Profectò quantum olim conuertebatur ad sensum, tantum conuertitur tunc ad mentem, cuius oculo diuinum fulget lumen. Quod quidem etsi intrinsecum mentibus dici potest, tamen multo magis ab ipso Deo, quam infusus oculo radius à Sole pendet semper atque seruatur, plenusque formarum adest, sicuti colorum Solis lumen. Formasque ipsas, & cuncta per formas eatenus ostendit mentibus, quatenus in ipsum puræ ardentesque conuertuntur. Tot verò saltem iis omnino conuersis patefacit, quot rerum species facit in mundo. Non enim decet minus formare mentem, quam mundi materiam. Neque minus tribuere menti, quam naturaliter appetat, optat autem ordinem vniuersi comprehendere, quo & ipsa comprehensa est, quem diuturna iam admiratione quæsiuit. In quo & ipsa prouidentiæ cuiusdam sortitur officium. Singula verò & infima tantum in lumine prospicit, siue præterita illa fuerint, siue præsentia, siue futura, quantum ad illa vel prouidentia quadam vel affectu dirigitur. Sanè quemadmodum senes puerorum ludos, Philosophi studia plebeiorum, vigilantes somnia dormientium aut negligunt aut rident, nisi aliter nonnunquam necessitas postulauerit, ita & multo magis segregatæ mentes nostra hæc singula & contingentia negligunt, nisi quantum ab ipso omnium patre (cuius natura prouidentia ipsa est, cuius agere est prouidere, cuius officium est omnibus prouidere) prouidentia illis quædam fuerit demādata. Tales Plotinus animas tum ex antiquorum sententia, tum ex propria ratione probat curare suos, & sæpè publicè vaticiniis cæterisque beneficiis generi humano prodesse. Sed cum harum prouidentia voluntati diuinæ consentiat, non perturbatione ex rebus nostris vlla tanguntur, sed facilè hæc & tranquillè gubernant. Sed ne

quis diffidat animam separatam ad tantum posse lumen attolli, propterea quòd eam in corpore videamus tanta caligine circumfusam, comparare Platonici iubent intellectum quidem visui, intelligibile verò visibili. Visus nunquam lucem ipsam in ipso Sole plenissimam comprehendit. Illa enim huius semper excedit proportionem. Interdum etiam neque lumen in coloribus impeditus cataracta videt. Aliquando vapore quodam offusus vel rubro vel croceo, & obscurè & aliter quam sit iudicat. Alias autem vel propter contractionem ad interiorem imaginationem, externa non videtur aspicere, vel propter distractionem simul ad obiecta inter se longè distantia, vix cernit alterutrum. Ac si paulo attentius ad alterum vergit, interim remissius vel nullo modo vergit ad alterum. Similiter intellectus humanus immensam ipsam diuini luminis plenitudinem in absoluta Dei natura exuberantem nunquam penitus comprehendit, quippè cum illa nimium capacitatem mentis exuperet. Præterea idem Dei lumen vel in rerum creatarum ideis quasi determinatum, vel in Angelis iam contractum clarè perspicere quidem potest aliquando, videlicet cum fermè ita fuerit à corporis contagione semotus vt illa. Elementali verò, vt nunc coniunctus corpori, quasi cataracta quadam adeò eius ad illa proportio impeditur, vt ideales rationes angelicasque substantias longè admodum à materia segregatas omnino comprehendere nequeat. Proinde quoties pro viribus quasdam earum proprietates excogitat, toties, quia phantasiæ coniunctus est, nimirum phantasiæ simulachris, quasi vaporibus nebulisque eas adeò prospicit inuolutas, vt vel obscure admodum, vel aliter quam sint, videre cogatur. Postremò etiam si parumper quoad potest phantasiæ discutiat nubes, interea tamen quia & ad difficile regendi corporis ministerium est contractus, & ad sensibilium imaginum occursum continuè impendentem; simul atque ad intelligibilium intuitum est distractus, idcirco supernos influxus vix quidem suspicit & quasi nec prospicit, atque (vt Platonici opinantur) tanquam per repentinam quandam coruscationem subitò vanescentem. Quamobrem nemini mirum videri debet quod hic neque claritatem diuinorum percipiamus, neque suauitatem ipsam quæ illic gustatur ex illis, ipsi vnquam vel paulum degustemus. Nempè mens ob informem materiam & à mente & à diuinis alienissimam, non aliter quàm lingua propter pituitam paralytica, diuinorum saporum veritatem voluptatemque gustare non potest. Sed tunc demum salutarem nectarei liquoris recipiet gustum, cum Lethæi fluminis lethales humores penitus expurgauerit, atque insuper diuinum fontem non naturali tantum siti, quæ ex seipsa molesta est, appetierit, sed etiam quodam moralis piæque sitis habitu ipsum præ cæteris, imò solum elegerit appetendum. Quo autem gustu saporibus his vescatur, alibi disputauimus. Huc tendit Platonicum illud in Phædro, animas quæ ex Lethæa emerserint aqua, altius euolare, ibique primò cœlestem vnà cum diis cœlestibus, deinde supercœlestem cum supercœlestibus circuitum agere, eo scilicet ordine, vt aliæ cum aliis ibi numinibus circumuagentur, circuitusque huiusmodi alternis vicibus repetant. Hoc autem nihil aliud sibi vult, quàm solutas ab elemẽtalibus corporibus animas in cœlestibus iã vehiculis in figuram propriam, circularem scilicet restitutis, cœlestem colere regionem, atque alias vnà cum stellis, cœlicolisque aliis, quibus vel natura vel habitu magis familiares sunt, tum in certa quadam mundi gubernatione congruere, tum per rerum species similiter ratione discurrere. Rursus cum diis supercœlestibus, id est, Angelis in ipso idearum intuitu & quasi quodam circuitu subito consentire, & vnà cum vtrisque feliciter vtrunque peragere. Addit eisdem vnà cum superis illic alimentis scilicet Ambrosia & nectare vesci. Ambrosiam quidem esse censet perspicuum suauemque veritatis intuitum, nectar verò excellentem facillimamque prouidentiam. Hic panditur & vetus illud arcanum à Platone in libro de regno præ cæteris celebratum, præsentem mundi circuitum ab Oriente ad Occidentem esse Iouium atque fatalem, verum fore quandoque alterum huic oppositum sub Saturno ab Occidente vicissim ad Orientem, in quo sponte nascentur homines, atque à senio procedent in iuuentutem, alimentaque illis vltro æterno sub verè ad votum suppeditabuntur. Iouem (vt arbitror) animam mundi vocant, cuius lege fatali manifestus hic manifesti mundi ordo disponitur. Præterea vitam animorum in corporibus elementalibus Iouiam esse vult, sensibus actionique deditam. Saturnum verò supremum inter Angelos intellectum, cuius radiis illustrentur vltra Angelos animæ, accendanturque, & ad intellectualem vitam continuè pro viribus erigantur. Quæ quoties ad vitam eiusmodi conuertuntur, eatenus sub regno Saturnio dicuntur viuere, quatenus intelligentia viuunt.

Proinde in ea vita ideo sponte dicuntur regenerari, quia electione propria in melius reformantur. Rursus, in dies reiuuenescere, id est, in dies, si modò ibi dies dinumerantur, magis magisque florescere. Hinc illud Apostoli Pauli Homo interior renouatur in dies. Denique illis alimenta sponte affatim sub perpetuo vere suppeditari, quia non per sensus, operosamque disciplinam, sed lumen intimum summaque cum vitæ tranquillitate atque voluptate miris veritatis ipsius spectaculis perfruuntur. Eiusmodi vitæ odor quidem mente pro viribus separata sentitur, sapor verò mente penitus separata gustatur. Addit his in Symposio, purgatas animas quæ diuinam præ cæteris pulchritudinem amauerunt, tandem in ipsum diuinæ pulchritudinis pelagus sese prorsus immergere, diuinosq; ibi liquores non tantùm bibere, sed etiam in alios iam ex seipsis effundere. Summum verò beatitudinis concludit in Epinomide, vbi ait, animum purgatissimum omni tum mutabilitate firmata, tum multiplicitate collecta, sese in propriam vnitatem intellectu superiorem omnino conferre, perque hanc in vnitatem diuinam intelligibili mundo superiorem iam transferre, Deoque potius viuere, quàm seipso, cui certè mira quadam super intelligentiam ratione sit coniunctus. Hunc verò nondum effici Plato vult diuina quadam luce, quæquidem non aliter in mente refulgeat, quam si amore Dei prorsus accensa transformetur in Deum. Quo fit vt diuinum amorem in Phædro omnibus diuini furoris gradibus animisque bonis longissimè præposuerit.

Hic verò potissimum Platonica latent mysteria, paucis quæ subdam, à nobis breuiter comprehensa. Nempè, segregatæ mentes cùm primùm in se conuertuntur per radium naturalem sibique proprium, tanquam animalia quæ nocte vident, pauca quædam, & illa quidem quasi sub nube vident, quatenus scilicet earum natura ea subterminata specie rerumque formulis quasi informibus repræsentat. Deinde verò radium proprium in lumen commune cunctis mentium sublimium speciebus sese conuertentes, iam per ipsum quasi per diurnum lumen perspicuè cuncta ab ipso luminis huius authore creata conspiciunt. Lucem verò ipsam luminis huius originem, quam naturaliter appetunt, ideoque nec frustra desiderant, assequi suspiciendo non possunt, quoniam & per externum à Deo lumen, quatenus externum est, lucem Deo intimam omnino penetrare, & amplissimum Dei angustissimo suo cõprehendere nequeunt. Siquidem lumen ipsum, quamuis in Deo amplum, tamen in mentibus euadit angustum. Verum lucem, licet obscurè perspectam, tamen ardenter amando, ipsius interim calore penitus accenduntur, atque accensæ, quod amoris est proprium, transformantur in lucem. Qua denique roboratæ, ob amorem iam consequuntur, quod per aspectum vix emimus sequi potuerant, vt lux iam ipsa amore facillimè fiant, quam prosequi oculis ante moliebantur. Tanta vis est amoris, tanta facilitas, tanta felicitas, imò verò (vt rectius loquar) tanta vis est lucis amatæ. Mens enim amando lucem non tam sese accendit & transfert, quàm à luce blandè alliciente, vehementer percutiente penitus penetrante & accenditur, & transfertur, & lucet. Cùm verò tota perceptionis fruitionisque efficacia quæ in sensibus est externis, sit & multo magis in phantasia, rursusque longè potentior sit in mente, expedita præsertim, ac præterea sensibilium rerum oblectamentorumque rationes exactissimæ sint in Deo, sequitur vt mens dum expedita potitur Deo, summa quæque & sincerissima omnium oblectamenta sensuum suo quodam miroque modo plenissimè sentiat, neque solùm imaginaria circa Deum delectatione quasi videndo, audiendoque & odorando (hæc enim implere non potest) sed etiam substantiali quadam gustui tactuique per simili voluptate permulceatur. Gustum verò tactumve, inquam, non contigui cuiusdam, vt fit in sensibus, sed penetrantis penitus, atq; penetrati, penetrati, inquam, à toto immensoque bono, totum secum immensumque gaudium inferente.

Nouem gradus in patria.

PRoinde nouem beatorum gradus, non solùm apud Christianos, sed etiam apud Platonicos, tum in Angelis, tum in animis disponuntur, ob eam, vt arbitror, rationem, quòd nouem præcipuè modis diuina illic perficit contemplatio. Sanè, quemadmodum nos ex rerum potentia, ordine, commoditate, potentiam, sapientiam, bonitatem Dei qua possumus sagacitate venamur, sic illi vicissim ex diuina bonitate, potẽtia, sapientia, tanquam ex finali efficiente exemplari causa vniuersi, hæc tria similiter in rebus agnoscunt, ea videlicet ratione, vt ali, diuinam bonitatem potissimum in seipsa considerent, alij

ad res ipsas præcipuè referant, alij præcipuè res ad ipsam, velut ad finem, singuli tamen cuncta contueantur. Sic ergo triplex diuinæ bonitatis impletur intuitus, per quem tres primi beatorum ordines distinguuntur. Tribus quoq; modis similiter potentia, totidemque sapientia cogitatur. Hinc sex insuper ordines beatorum connumerantur. His nouem felicium gradibus apud Platonicos octo cœlorum plagæ, ac noua super cœlum excogitata regio congruè accommodari videntur. Apud Orphicos autem octo cœli, atque sub Luna æthereus ignis. Apud Christianos circuli sub empyreo nouem. Quilibet enim ad illam potissimum regionem habitu quodam simili quasi naturali leuitate feruntur, cuius habitatoribus Angelis sese in vita præcipuè similes reddiderunt. Similiter quoq; Christiani reprobos animos in nouem reproborum dæmonum gradus quibus se viuendo fecere similes, ipsa similitudine quasi pondere naturali putant præcipitari. Sed de his aliàs. Quod verò nouem sint in beatitudine gradus, hęc quoque, vt arbitror, ratio comprobat. Nempe diuinam potētiam timemus, sapientiam quærimus, diligimus bonitatem. Solus quidem bonitatis amor animam transformat in Deum. Idcirco amor absque inquisitione atque timore animam patriæ reddit, contra verò nequaquam. Sed iam gradus ipsos quibus in cœlum ascenditur, ordine disponamus. In primo sint qui bonitatem amant, deinde potentiam timent, postremò sapientiam quærunt. In secundo, qui in primis diligunt bonitatem, circa verò reliqua duo se pariter habent. In tertio, qui similiter erga bonum in primis afficiuntur, deinde sapientiam perscrutantur, postremò timent potentiam. In quarto, qui circa tria æquè se habent. In quinto, qui bonum primò amāt, deinde potentiam extimescunt. In sexto, qui similiter bonum diligunt, sequenti verò gradu appetunt sapientiam. In septimo, qui absolutè bonum & simpliciter amant. In octauo, quos potentia primum, secundo bonitas, tertia sapientia mouet. In nono, apud quos sapientia primo, secūdo bonitas, tertio potentia potest. Mysterium eiusmodi in Euangelio ibi significatum arbitror, vbi diuinum oraculum sectatores suos nouies beatos appellat, propterea quod nouem gradibus meritorum, duce Deo, cœli nouem ad nouem contemplationis ordines beatè petuntur. Sed ecce iam beata Euangelij sancti commemoratio nos admonere videtur, vt Philosophicis dimissis ambagibus, breuiori tramite beatitudinem ea quæramus via, qua Christiani ducunt Theologi, ac Thomas Aquinas in primis, Christianæ splendor Theologiæ.

De statu animæ puræ, præcipuè secundum Christianos Theologos.

Creata mens quælibet respiciendo vel in suam essentiam, quæ ibi differt ab esse, & in certa specie est à Deo infinitè distante, vel in lumen sibimet proprium, vel in quoduis lumen in ea determinatum, substantiam diuinam intelligere nequit, quæ cum infinita sit, certè quid ipsa sit, per finitum aliquid repræsentari non potest. Solum verò per ea quæ diximus, mentes & Deum esse cognoscunt, & quid non sit potius quàm quid sit, & qua ratione vel ipse ad alia, vel alia referantur ad ipsum. Id Plato in Parmenide probat. Idem Dionysius Areopagita in mystica Theologia comprobat, concludens mentes in summo naturalis cognitionis gradu coniungi Deo velut ignoto, quasi oculum sub Solis lumine caligantem. In eiusmodi verò cognitione naturale desiderium non impletur. Quicquid enim in specie quadam est imperfectum, speciei ipsius optat perfectionem. Talis autem cognitio in ipsa cognitionis specie imperfecta censetur. Solemus enim in nullo cognitionis modo quiescere prius quàm quid sit res ipsa secundum substantiam cognouerimus. Præterea rationis naturalis est continua per rationes discursio, quousque ad summam perueniat rationem, quæ quoniam infinita sit, ideo sola rationis discursum ex se absque fine frustra peruagaturum sistere possit. Siquidem vltra finitum quodlibet mens semper aliquid vlterius machinatur. Quod quidem in numeris & lineis & figuris proportionibusque apparet. Quo fit, vt in sola Dei substantia, quæ sola infinita est, conquiescere valeat. Idque inde prouenire censendum, quod naturalis tum intelligentiæ perspicacia, tum voluntatis ardor, radius quidam est ab ipsa diuina luce proximè per ipsius lumen infusus, in eandemque resilit naturaliter, neque moueri cessat prius quàm in suum se Solem denique restituerit.

Proinde quo quid naturali est fini propinquius, eo vehementius aduentat ad finem. Quod in elementorum motibus est manifestum. Segregatæ verò mentes per naturalem cognitionem propinquiores Deo euadunt quàm coniunctæ. Igitur cum nostræ naturalis cognitionis suæ terminis contentæ non sint, certè multo minus illæ.

Quoniam verò naturalis speciei cuiuslibet appetitus ab vniuersali natura directus omnino inanis esse non debet, oportet mentes posse diuinam videre substantiam, sine qua nihil perfectè vident. At cum videre illam in specie aliqua creata non possint, opus tamen sit forma per quam videant, forma, inquam, diuinę substantiæ propria, quia illam non imaginariè sed propriè cernant, necesse est eas diuinæ substantiæ adeò copulari, vt ipsam iam inspiciant per seipsam. Simile quiddam apparet in visu, qui colores quidem per ipsorum imagines sub lumine cernit, lumen verò per aliud pręcipuè quam per lumen videre non potest. Sed ne quis absurdum putet Deum intellectui coniungere, velut formam, meminisse oportet perfectionem mentis consistere circa verum. Verum autem & ens & intelligibile, idem. Quicquid aut in hoc ipso genere ex essentia atque esse componitur, tanquam ens verumque potius quàm tanquam esse veritasue se habet, neque potest aliorum in eodem genere esse forma, cum iam forma in se sua ad suam quasi materiam sit contracta. Itaque nulla creata mens mentium reliquarum forma fieri potest, imò solus Deus ad genus mentium vbique se habet vt forma, qui solus est ipsum esse, & simplicissima veritas, vt forma, inquam, non tanquam pars compositi, sed operandi principium, quo mens potius vt Deus iam, quàm vt mens, operetur, sicut ignitum aurum vt ignis agit potius quàm vt aurum, quale Apocalypsis Ioannis iubet emendum.

Quo pacto mens Deo coniungitur.

AD hoc autem vt mens diuinam induat substantiam quasi formam, non propria virtute ducitur, sed diuina trahitur actione. Siquidem natura inferior proprietatem formamque superioris ipsius actionis consequi nequit. Quod in elementis est manifestum, in quibus aër non aliter quàm agente igne ignis euadit. Præterea nihil potest ad excellentiorem actionem aliquando perduci, nisi prius in eo virtus corroboretur. Quòd si ad consuetam actionis speciem, sed tamen aliquanto vehementiorem est perducendum, satis vtique erit, si modo solita virtus augeatur, vtpote si aër qui naturaliter vno calefacit gradu, duobus aliquando sit gradibus calefacturus, sufficiet naturalis sui caloris aliquantum intendere qualitatem. Verumtamen si aër actionem specie genereque superiorem sit sibi vendicaturus, videlicet si illuminaturus fuerit, quod corporis est ætherei proprium, nouam ab ipso æthere formam iam sortiatur oportet. Quorsum hæc? Vt intelligamus mentem non posse ad diuinam substantiam per ipsammet perspiciendam attolli per solum naturalis virtutis & luminis augmentum, cum eiusmodi operatio ab ipsa naturali mentis operatione plus quàm genere differat, sed opus esse noua quadam virtute, nouoque lumine ab altiori principio descendente. Quod quidem & gratiæ & gloriæ lumen appellant, quo illuminata mens, & multo magis accensa, diuinam iam substantiam, cuius calore iam feruet, induitur velut flammam, flammam, inquam, non qualem in crinita stella siccus vapor à terra sublatus subit propè ignis sphęram, quamuis id admodum simile videatur. imò flamam supercœlestem, lucentem salubriter, non vrentem. Negabit forte aliquis mentem per quoduis lumen ad perspiciendum Deum posse perduci, quia si nulla est visus ipsius ad sonum proportio, nimirum neque mentis, neque luminis à mente suscepti, ideoque finiti, vlla ad immensum Deum proportio est. Nos autem respondebimus Deum quamuis facultatem intellectus excedat, non tamen sic alienum esse ab intellectu, sicut sonus est alienus à visu, vel insensibile quiddam à sensu cum Deus sit, vt Christianis placet Theologis, intelligibile primum, totiusque intellectualis virtutis & actionis principium, mediumque & finis. Est igitur quędam inter intellectum Deumque proportio, non quia sit vlla commensuratio, sed habitudo quædam potius quasi materiæ intellectualis ad intelligibilem formam, & effectus ad causam. Præterea lumen illud infusum & si terminatum euadit in mente, ea tamen virtute præditum à Deo infunditur, qua eam diuinæ substantiæ copulet, non naturali quidem, sed intellectuali potius copula. Id verò efficere nequit radius naturalis, quia iam ab initio totus in suscipientis transiuit naturam per se prius informem, vnde & ipse caliginosus euasit & debilis. Neque mens cum longè à diuina simplicitate degeneret, totam potest suam per idem sortiri perfectionem, ideoque aliud in ea radius est naturalis, per quem quatenus suæ conuenit speciei, nonnihil intelligit, aliud verò lumen infusum diuinitus, quo subleuante ad gradum super se vltra quàm cogitari possit eminentissimum mirabiliter eleuatur. Denique infinitas ipsa Dei haud priuationem formæ significat, qualis infinitas materiæ conuenit, (cumque sit inefficax & informis, merito cognitioni inepta censetur) sed absolutam significat excellentiam nullo prorsus subiecto

contractam. Hæc autem ceu Sol natura sua id habet, vt mirum in modum lucendo atque illuminando maximè omnium mouere intellectualem visum possit, atque videri, & qua virtute excedit mentem, eadem possit eandem supra vires proprias eleuare. Neque tamen putandum est mentem essentia diuina formatam, quamuis quid ipsa sit intelligat, ipsam tamen penitus comprehendere. Nam & virtus ipsius terminata est, & lumen in ea determinatum, & diuinam cum subit essentiam, non per omnem diuinitatis virtutem inde formatur. Quid ergo? Nunquid partem diuinæ substantiæ cernit quidem, partem verò non cernit? Non ita sanè dicendum, siquidem Deus diuidi nequit. Imò verò putandum est eam aspicere Deum, haud tamen penitus comprehendere, id est, sub rationibus, & tanta certitudine, tantaque perfectione perspicere Deum, sub quot, & quanta sibimet perspectus est Deus. Accedit ad hæc, quòd non cuncta quæ Deus & videt & potest, videndo Deum potest ipsa videre. Videt autem potestque Deus infinita præter illa quæ in natura consistunt, quod probauimus aliàs. Si enim Dei substantiam non comprehendit, certè neque intelligentiam eius atque virtutem. Neque igitur cuncta quæ & intelligit Deus & potest. Alioquin cum virtus per ea quæ potest soleat æstimari, sic quæcunque videt potestque, penitus comprehenderet, comprehenderet pariter viuendi faciendique virtutem atque substantiam. Quid plura? Quo altior intellectus, eo & plura vel numero vel ratione intelligere debet. Ex quo consentaneum est, diuinam mentem seipsam vndique contuentem, tum plura, tum pluribus rationibus videre, quàm videat quilibet intellectus.

Omnes mentium species possunt coniungi Deo.

NEmo verò diffidere debet mentes humanas propterea quòd in seipso mentium genere infimæ sint, ad ipsam diuinæ substantiæ contemplationem posse perduci. Quandoquidem neque ipsæ Angelicæ mentes illuc virtute quadam perueniunt naturali, sed diuina potius, & (vt ita dicam) supernaturali trahuntur. Opus autem quod supernaturali virtute peragitur, propter naturarum diuersitatem, impediri non potest, quippè cum immensæ potentiæ Dei nihil alicubi reluctetur. Tam facilè diuina potestas totam mouet machinam, quam facilè minimam mundi partem. Tam facilè curat ægrotantem grauiter, quàm facilè leuiter ægrotantem. Quamobrem qua facultate infusa diuinitus mentes altissimæ, eadem & infimæ ad sublimia rapiuntur. Præterea suprema mentium creatarum immenso quodam à Deo spacio distat, infima verò ab hac, cum vtraque finita sit, finito discrepat interuallo. Interualli verò huius ad illud nulla esse proportio iudicatur. Quod si finitum additum infinito nullam (vt apparet) affert varietatem, quidnam prohibet ipsam Dei virtutem, quæ spacium ad Angelum vsque subitò percurrit immensum, mox inde pusillum inter Angelum animamque complecti, vt simul tam anima quàm Angelus rapiatur. Denique si mentium generi, qua ratione mentes sunt, naturalis est instinctus ad summum intelligibile peruidendum, quod in omni intelligibili quærendo quærunt, & appetunt appetendo, sequitur vt tam naturalis sit instinctus eiusmodi mentibus infimis quàm supremis, atque tam hæ quandoque quàm illæ terminum consequi possint naturaliter exoptatum. Id autem nobis appetitio ipsa naturalis ostendit, quæ cum trahat ad infinitum, non potest aliunde quàm ab ipsomet infinito inseri ac moueri, atque denique terminari. Quòd si quæ à natura mouentur inferiora, non frustra mouentur, multo minus quæ à suprema ducuntur. Huius quidem radius per omnes sese ordines mentium transferens, singulas & illustrat vt videantur, & accendit vt ament. Cum verò ignis atque Sol lumen latius propagare soleant quàm calorem, consentaneum est, quousque diuini Solis radius calefaciendo protenditur, eousque multo magis posse illuminando protendi. Ergo mentes humanæ sicut inde accensæ diuinum quotidie appetunt bonum, ita & illic diuinum quandoque verum illuminatæ conspiciunt, atque conspiciendo vero bono feliciter perfruuntur.

Diuersi in patria gradus, & quòd omnes omnia creata vident.

POssunt autem aliæ mentes aliis clarius pleniusque diuinam substantiam contueri, quatenus lumen ipsum quoad id quasi materiæ perspicuè præparantur, sub diuersis perfectionis gradibus inde suscipiunt, siue pro naturæ, siue pro dispositionis acquisitæ diuersitate aliter atque aliter præparentur. Maxima verò nostris mentibus varietas ex diuersis amoris gradibus proficiscitur. Quibus quidem gradibus diuersi & visionis & multo magis gaudij gradus non iniuria congruunt. Fortè verò licet singulæ cuncta creata videant, vt probabi-

mus, aliç tamen plura quàm aliæ ex his quç non creantur attingunt, & quæ vident, pluribus rationibus assequuntur, omnes tamen vera ratione perspiciunt. Et cum gaudium velut terminus amori respondeat, quç amauerunt ardentius, hæ coniunctius (vt solet amor) hærentes interius transferuntur in bonum, sic ipso amoris habitu conferente, suauiusque fruuntur. Proinde si mentium finis est ad diuinam substantiam peruenire, necessariò illic tanquam in fine omne mentium desiderium prorsus impletur. Non impleretur autem, nisi ordinem illic vniuersi creatum vndique comprehenderent. Si quidem eiusmodi est consuetum studium intellectus, vt particularia in vniuersalia ad communissimum vsque resoluat, atque ipsum ens sub absoluta ratione describat, perque omnes eius gradus distinctissimè diuidat, quasi ad id prçcipuè natus sit, vt vniuersi forma quandoque formetur. Quidnam prohibet intellectum dum fontem, conspicit vniuersi, vniuersum effluens inde perspicere? Præsertim cum non sicuti sensus ex summo sensibili ad sentienda minora impeditur ad tempus, sic intellectus ex intelligibili summo impediatur ad reliqua, sed potius mirificè roboretur. Prçterea intelligibile genus amplius est genere naturali. Multa enim vltra illa quæ natura facit, intelligi possunt. Igitur quæcunque ad esse naturale complendum necessariò requiruntur, insuper & multa plura ad complendum intelligibile exiguntur. At verò esse intelligibile tunc demum absolutum est, cum intellectus summum attigerit finem, quemadmodum ipsa naturalis esse perfectio in ipsa rerum cunctarum constitutione consistit.

Quamobrem Deus quæcunque ad perfectionem vniuersi produxit, in intellectu sibi iuncto producit. Rursus, quamuis alius perfectius alio Deum videat, singuli tamen ita vident, vt capacitas naturalis impleatur ad votum. Hæc autem in qualibet mente ad omnia vniuersi genera speciesque extenditur, adde insuper & ad singula passim subdita speciebus. Nec enim insuper exoptamus. Itaque mentes in Deo etiam singula distinctè discernunt.

Profectò, cùm virtus superior possit quicquid inferior, atque etiam eminentius, animæ verò coniunctæ corporibus & vniuersalia cognoscant singula, consentaneum est mentes ipsi veritati coniunctas, vna virtute vnoque intuitu vtraque comprehendere, præsertim cùm & ipsæ rerum species amplissimæ sint in illis, & illæ virtutem ibi efficacissimam consequantur, per quam genera speciesque ad singula vsque deriuent. Sanè opposita quodam ordine rerum species ad intellectum perueniunt atque separatum. Hic enim resolutione quadam in singulis materiæ conditionibus separando, ibi verò ex coniunctione quadam mentis cum forma diuina omnium effectrice, & iudice etiam singulorum. Quæ quidem forma non à singulis abstracta est, sed singulorum vbique creatrix: non formæ tantùm, sed & materiæ in qua singularitatis rerum consistit origo. Quamobrem formæ in mentem inde fluentes, vltra communia etiam singula coniunctis mentibus repræsentant. Quod quidem hinc etiam confirmatur, quòd si mentes angelicæ cœlestia corpora per intellectum mouent, necesse est eas hoc ipsum quod mouent, situsque qui motu mutantur, non ignorare. Nostræ verò mentes ad angelicam, præsertim quantum ad motum spectat, notitiam perduci possunt, præcipuè si quod illic gubernationis officium consequantur.

Status animæ apud Deum immmobilis.

CVm mentes illic vnica Dei forma rerum creatarum videant formas, consentaneum est vt omnes vna videant visione: quæquidem si perfectissima est, statu possidetur, potiusquàm successione quæratur. Probabile enim est mentes quietis, potiusquàm motionis auidas, vbi finem consequutæ fuerint, firmiter conquiescere, præsertim quia si omnes vniuersi species ibi cognoscunt, sub quibusdam verò generibus species procedunt innumeræ, ceu sub numero figuraque & proportione consequens esse videtur, vt species quodammodo videant infinitas. At verò cùm infinita pertransire non liceat, non prætereundo dinumerant, sed manendo conspiciunt. Rursus, si perpetua intelligentia ipsius intelligentis vita quædam est, atque ibi intelligentia ob stabilitatem suam particeps euadit æternitatis: sequitur vt beata mens in æternam vitam iure translata dicatur. Meritò quidem. Nempè mens humana inter æterna & temporalia media collocatur. Sicut igitur operatio eius qua iungitur temporaneis, temporanea euadere consueuit: sic & illa qua æternis æterna.

Denique, quonam pacto visio ipsa illic mobilis sit, non video, vbi & videndi virtus tempus tum ab initio, tum vel maximè iam supereminet, & obiectum quod

videtur, ac forma qua videtur, status ipse est, ipsaque æternitas. Hinc sequitur animas Deo semel hærentes, inde discessuras esse nunquam, si modò motum iam transcenderunt, atque naturale desiderium impleuerunt. Quod quidem cùm & in substantia stabili sit fundatum, & ad stabile obiectum naturaliter dirigatur, nimirum non aliam quàm stabilem denique possessionem appetit tanquam finem. Quid mirum si sempiterna mens, quod non propter aliud, sed propter se desiderat, desiderat vt semper habendum? Præterea vbi naturalia sub se nulla ignorat, certè qualis sua illa possessio sit, non nescit. Quocirca si defutura est, defuturam præuidet, ac viuit infelix, cum possessione tam chara aliquando, imò breui se existimet carituram. Adde quòd quicquid naturaliter cuidam adhæret fini, non aliter quàm vi quadam illata inde diuellitur. Cùm igitur Deo mens tanquam fini coniungatur naturaliter præ cęteris exoptato, coniunctionisque huiusmodi efficiens causa ipsa sit Deus, nullaque vis maior ex aduerso queat accedere, quæ violenter quandoque seiungat quod Deus sponte coniunxit, proculdubio mens à nullo vnquam inde recedere compelletur. Quo autem pacto vel à certa veritate per fallaciam, vel à puro totoque bono per voluntatem sese auertat, cogitari non potest. Profecto neque mentis substantia permutatur, neque intelligendi perspicacia sub lumine deficit continuè confirmante: neque lumen subtrahitur vnquam quod ab æternitate infunditur in æternum: neque voluntas vel ob alterius stimulum à totius possessione recedit, vel ob tædium satietatemue ab eo vnquam obiecto se segregat, quod cum penitus comprehendi non possit, nimirum & semper occurrit vt nouum, & cum admiratione summa, ideoque cum desiderio continuè possidetur. Denique si quanto quid summo Dei statui propinquius est, tanto fit immobilius, mentes substantia iam diuina formatas, necesse est immobiles prorsus euadere.

Singuli in Deo contenti.

Hic verò singuli quæcunque appetunt consequuntur. Philosophi veritatis admodum studiosi, hic in ipsa veritate veritatum procreatrice, vera cuncta perspiciunt. Hic viri ciuiles gubernationi ac potentiæ dediti, cum omnipotente gubernatore mundi potentissimi gubernatores euadunt. Hic victoriæ gloriæque cupidi, omnia iam aduersa vicerunt. Nouerunt omnes, beatis noti sunt omnibus. Hic voluptatum sectatores, si modò peruenerint, in ipsa voluptatum causa, tota voluptate fruentur. Nempe quemadmodum corpora vmbræ sunt diuinorum, ita & sensus oblectamenta diuini vmbræ sunt gaudij. Nam mens efficacior admodum est quàm sensus, ac verum totumque bonum falso quodam bono & potentius supra quàm cogitari queat & suauius est. Præterea, intellectus obiectum suum vndique penetrare solet, cùm & intrinseca ab extrinsecis, & propria secernat ab alienis, quod nunquam efficit sensus. Item, intelligibile ob mirabilem puritatem atque virtutem intellectus, ipsius penetralibus prorsus illabitur, quod quidem sensibile sensui non potest efficere. Quamobrem puri intellectus voluptas circa intelligibile summum, non modo continua puraque est, qualis non est in sensibus, verumetiam intima & integra, simulque tota comprehenditur, multoque magis sensus superat voluptatem, quàm saporum suauitas illecebras inanes odorum. Solemus cum in habitum proprium restituimur, quocunque id modo fiat, voluptate perfundi. Nulla verò cogitari potest restitutio maior, quàm vbi animus qui ab idea, imò à seipso degenerauerat, in ideam suam, imò seipsum vndique restituitur. Ibi rursus ipsa gaudij gaudet idea, vnoque in bono bonis fruitur vniuersis. Et cum nos ea delectent quæ cupimus, cupimus autem omnia, quia bona, ibi summa voluptate perfundimur, vbi cum sit omne bonum, perfectè quicquid appeti potest consequimur. Varię verò mentes omni quidem bono secundum essentiam boni præcipuè, boni autem gradibus secundum varias propriè fruuntur ideas, quatenus varios in primis totius boni gradus amantes, variis quoque callibus ad bonum ipsum proficiscuntur.

Denique, vt summatim dicam, vnum est omnino quo beati fruuntur omnes, etsi aliis alij præcipuè modis rationibusque fruuntur, prout variè vel ex affectu vel ex obiecto aliterq; alliciēte, trahit sua quemque voluptas. Sic ergo, vt Plato inquit, liuor omnis abest à choro diuino. Communis enim in eo choro charitas efficit, vt singuli singulorum felicitati tanquam suę congratulentur. Præterea vbi quisque & quod amauit, & ea qua potissimum eligit ratione, & quousque desiderat, ad votum iam consequitur, ibi quilibet absque inuidia & procul à stimulo contentus omnino plenusque viuit. Illic enim tam naturalis quam acquisita capacitas prorsus impletur, neque ca-

pacitas ab vllo maior desideratur. Sua enim cuique naturaliter charissima sunt. Accedit, quòd nihil gratius est beatis diuino prorsus amore flagrantibus, quàm id ipsum velle, quod Deum velle cognoscunt, atque ea tum mensura qua capiunt, tum ratione qua capiunt, tum modo quo Deus ipse se exhibet potiundum, Deo amato potiri. Quòd verò bonum ibi suum omnino comprehendi non posse cognoscunt, & hoc ipso mirificè delectantur, suum videlicet thesaurum eligentes infinitum esse potius quàm finitum.

De corporibus beatorum.

CAPVT IX.

ANimæ puræ duplex felicitas conuenit, altera ex seipsa de qua tractauimus, ex corpore altera, quæ apud Platonicos est eiusmodi. Præstat enim exemplo quodam hanc cogitare. Oculus quidem tuus rotundus est, perspicuus, splendidus, motu celerrimus, mirabilis perspicacia oculum meum videt, seque ipsumque cernit in meo. Affectus animi tui singulos in seipso figurat, ac traducit in meum, meosque affectus per meum mutuo recipit. Tales sunt illi animorum currus & in seipsis, & inuicem. Quisque enim illorum est totus oculus, atque in omnibus fermè ita se habet, vt oculos ipsos se habere videmus. Igitur quasi oculi quidam rotundi sunt, perspicui, splendidi, motu celerrimi, cuncta vndique facillimè circunspiciunt. Animorum suorum affectus cogitationesque præ se ferunt, cæterisque animis quodam quasi nutu facillimè indicant. Accipiunt quoque ab illis similiter alienorum affectuum cogitationumque indicia. Neque solum vndique procul & acutissimè vident, sed etiam audiunt. Similiter quoque stellæ omnes & dæmones, vocesque faciles facilè formant, & sicut absque passione vlla sunt ibi sensus, sic & voces, alterius certè speciei generisque quam nostræ. Hæc Plotinus & Hermias. Platonicam eiusmodi sententiam confirmat in Metaphysicis Auicenna, probans animam à contagione corporis separatam in cœlo cœlesti quodam instrumento vti quasi suo à corpore cœli accepto, perque ipsum imaginationis officium exercere. Vult enim intellectualem animam (ex Platonis sententia) vniuersæ moli corporum naturali dignitate imperioque præesse. Denique currus illi exuberante suarum mentium splendore repleti mirificè fulgent, eisque tanquam radiis quibusdam totum cœlum est peruium. Atque vt multis Platonicorum placet, potissimum in orbe lacteo non aliter quàm stellæ coruscant. Hinc antiqui Poëtæ dicebant, quando felices animæ ad superos reuolabant, stellas in cœlo nouas lucere. Sed hæc illi viderint. Accedit ad hæc, quod Zoroastris & Pythagoræ Platonisque sectatores Plotinus Proculusque præcipuè disputant, iisdem quandoque omnino redeuntibus causis, eosdem numero prorsus homines redituros Et Plato in libro de regno scribit, post præsentem fatalemque mundi cursum, hominum animas imperante Deo, atque suscitante, corpora sua quæ in hoc cursu amiserunt, ideo recepturas, vt quemadmodum sub fato quondam corpora humana in terram deciderant, ita sub prouidentiæ diuinæ imperio ex terra resurgant, atque reuiuiscant. Hæc priscorum mysteria Philosophorum haud multum discrepant ab Hebræorum Christianorumque mysteriis, quæ etiam à Mahumetensibus confirmantur. Communis enim tribus his legibus sententia est, motum ipsum ideo finem reuera esse non posse, quoniam semper ab alio fluit in aliud. Hoc ipsum verò scilicet in aliud tendere, ab ipsa ratione finis præsertim vltimi alienissimum est.

Itaque, summum vltimumque vniuersi finem, quem mundus quandoque consequi debet cum & singula mundo minora quandoque finem proprium consequantur, motum non fore, sed statum. Statum enim motu perfectiorem esse, quietisque gratia moueri singula. Præterea mundi corpus in eo statu, vtpote consummatissimo, fore pulcherrimum. Expleto tandem cœli cursu, quo gignuntur omnia, nihil vlterius generari, sed singula hominum corpora, quorum gratia prius generabantur omnia, è terra iubente Deo resurrectionem primum authoritate diuina confirmant. Sic enim Deum sæpè per Prophetas & Apostolos prædixisse, multosque variis sæculis mortuos suscitasse Præterea sanctos homines etiam vita functos fecisse miracula, atque quotidie facere. Mitto reliqua, innumerabilia enim sunt. Certè nostra ætate, anno M. CCCC.lxxvij. Decembri atque Ianuario reliquiæ quædam Petri Apostoli in vrbe Volaterrana repertæ, miracula duodecim ostenderunt, & ingentia illa quidem, & omni populo manifesta. Hæc & similia potissima sunt resurrectionis indicia, adeò vt Auicenna in Metaphysicis asserat, authoritati diuinæ resurrectionem asseueranti esse credendum. Etsi Auicenna nullam tantæ rei rationem afferre tentat, Christiani ta-

men Theologi rationibus eiusmodi persuadent.

Prima ratio, quoniam ex anima & corpore humano fit vnum quiddam naturale compositum, naturalique instinctu anima ad corpus afficitur. Ideo patet animam non ex ipso solum vniuersi ordine, verumetiam secundum suæ naturæ ordinem corpori copulari, quo efficiatur, vt contra ordinem tam vniuersæ quam propriæ naturæ sit animam seorsum à corpore permanere. Permanent autem post corporis interitum sempiternæ. Cumque id quod est contra naturam, sempiternum esse non possit, consequens est animas quandoque sua corpora recepturas.

Ratio secunda. Singulæ animæ ad corpora singula viuificanda regendaque naturaliter inclinantur. Sic enim fert & natura & prouidentia vitæ inter æternitatem tempusque locatæ, inclinationemque partim ad æterna habentis, partim ad temporanea naturalem. Inclinatio verò naturalis manet semper manente natura. Quapropter animæ à corporibus separatæ, ad illa naturaliter semper inclinabuntur. Naturalis autem inclinatio procliuitasque inanis semper esse non debet. Id enim ab ordine vniuersi alienissimum est. Igitur animæ sua ipsa corpora, ad quæ secundum naturam semper afficiuntur, quandoque recipient.

Ratio tertia. Anima speciei humanæ pars altera est, altera verò corpus. Ergo seiuncta à corpore, ita prout est anima, est imperfecta, quemadmodum pars ipsa solet extra totum, ad quod constituendum est instituta. Idcirco nunquam eius appetitio naturalis quieta erit. Nunquam anima vlla beata erit, nisi ad totum suum resumpto corpore reducatur, speretve reduci.

Ratio quarta. Virtutibus præmia, vitiis supplicia digna debentur. Hæc cum in hac vita non tribuantur, tribuuntur in altera. Corpus autem & virtutum & vitiorum est vnà cum anima particeps. Vt igitur præmiorum quoque suppliciorumve simul sit particeps, tandem animæ redditur. Neque absurdum videri debet animas postquam à naturali habitu suo discesserint, in eundem iterum redituras esse. Siquidem Planetæ domicilia sua naturalia & relinquunt & repetunt. Elementorum quoque particulæ sæpè extra situm proprium expulsæ diuque seiunctæ, interim continuè ad ipsum vergunt, ac denique reuertuntur. Neque difficilè est infinitæ Dei virtuti vbique præsenti, quæ totum creauit ex nihilo, quandoque corpora dissoluta in elementa, ex elementis vicissim restantibus reuincire. Idem verò corpus ideo retexetur, quoniam eadem erit forma quæ quondam, id est, anima, eadem quoque prima illa materia sempiterna, quæ vna cunctis subest. Eadem denique indeterminata dimensio materiæ comes. Quinetiam in hac vita idem corpus à pueritia ad senectutem habere quilibet dicitur, quamuis effluat iugiter atque refluat. Resurget autem corpus penitus immortale. Nam Deus ab initio sic rerum ordinem temperauit, vt rationali animæ, quæ est sempiterna vita, naturalisque forma corporis, materia sua, id est, corpus in hoc ipso congrueret, vt per ipsam semper viuentem, semperque viuificare naturaliter appetentem, ipsum similiter semper viuere posset. Potentia eiusmodi, bonum quoddam est ordini vniuersi maximè consentaneum. Igitur quando Deus qui creauit ab initio, ac tale creauit, vt posset semper viuere, quando, inquam, recreabit, proculdubio id quod conuenientissimum est, implebit, ne potentia tam bona, tanquam vniuerso congrua sit semper inanis. Præterea creatio illa per Deum facta, cessante mundi motu, qui quietis alicuius perfectioris gratia tandem est institutus, ad aliquid duntaxat stabile dirigetur. Itaque corpus semper coniunctum animæ permanebit. Rursus. Intentio naturæ in generando ad perpetuitatem saltem speciei dirigitur, idque ab ipso Deo sortita est, in quo prima perpetuitatis viget radix. Quapropter intentio Dei in regenerando ad perpetuum quiddam multo magis quàm natura dirigitur. Hominem ergo incorruptibilem recreabit, non specie tantum (id enim per consuetam generationem expleri satis poterat) verumetiam numero sempiternum. Non secundum animam solum (nam hoc & prius habebat) sed etiam secundum corpus. Accedit ad hæc, quod in generatione quotidiana corpori iam facto accedit anima, in regeneratione illa contrà animæ corpus accedit. Quare sicut vita hominis compositi præsens caduci corporis conditionem sequitur, ita futura illa vita compositi vicissim conditionem immortalis animæ consequetur, vt priuatio tandem secundum perfectissimam saltem naturalium speciem cesset in habitu. Atque mors tanquam debilissima, vt Prophetæ aiunt, absorbeatur à vita. Item corpora idcirco resurgunt, vt præmia & supplicia etiam corporibus ita merentibus sempiterna in perpetuum persoluantur. Ergo sempiterna resurgent. Adde quòd etiam ideo suscitantur, ne animæ semper maneant imperfectæ.

Cùm igitur hac in re animæ ipsius perfectioni potissimum consulatur, tale reddetur corpus, quale conuenit animæ. Sempiternæ verò animæ corpus conuenit sempiternum, quale etiam ab ipso rerum initio tributum fuisse literę sacræ testantur. Quod quidem munus inordinato quodam motu ad tempus intermissum, Deo tandem ita vniuersum vt melius est ordinante, restituetur. Quod autem naturalis hominis habitus ab initio talis fuerit, hinc ostenditur quòd quanto perfectior homo est quàm bruta, tanto facilius, perfectius, sæpius finem suum posse consequi debet quam illa suum. In præsenti verò habitu contrà contingit. Ex quo patet homines ob id propriè, quòd à prima sua temperatione discesserint, ad felicitatem suam maxima cum difficultate contendere, facillimeque eam tunc demum assecuturos, cum in habitum priorem restituti iam fuerint. Quæ quidem sententia, Zoroastris, Mercurij, Platonis mysteriis, atque Poëtis aurea canentibus sæcula, maximè omnium consentanea esse videtur. Sed ad resurrectionem iam reuertamur. Denique Dei virtus immensa, efficiens resurrectionis causa est. Ergo qua vitæ infinitate suscitat mortua, eadem in æternum à morte libera conuenientissimè seruat. Tantum enim reuiuiscendi miraculum vita solum sempiterna in posterum decere videtur. Qua in re Deus omnipotens reddit corpora vsque adeò animarum suarum imperio subdita, vt vita animæ sempiterna sempiternè quoque exundet in corpus. Quod quidem & præstantissimæ formæ aduersus materiam sibi subiectam naturaliter conuenit, & ordini naturæ maximè consentaneum est. Ordini verò, vt tradunt Theologi, meritorum, id quoque magnopere congruit, vt corpora non tantum secundum vitam omnibus hominum animabus, quæ vitæ quædam sunt, sed puris etiam secundum qualitates actionesque penitus coniungantur, quemadmodum animæ illæ sunt coniunctæ Deo. Itaque intellectus diuino lumine plenus, ac voluntas lætitia efficaciaque incomparabili inde repleta, splendorem, efficaciamque ad motum in corpus mirabilem omnino transfundunt. Vt quemadmodum animæ illæ ad cœlestium mentium, ita corpora ad corporum cœlestium claritatem virtutemque attollantur.

Neque mirum videri debet corpus humanum natura cœlo, propter temperantiam non parum simile, quando rursus dono quodam cœlestem formam quandam induitur, subito ad cœlestem regionem penitus eleuari, trahente videlicet anima, infinita Dei virtute suffulta, quæ & in terra nunc à Deo disiuncta corpus contra elementorum suorum naturam connectit, sustinet, eleuat, & tunc supercœlesti coniuncta Deo, potest etiam ad sublimem attollere secum ætheris regionem. Neque penetratione tunc vel offendit ætherem, vel offenditur purissimum corpus illud, iamiam virtute factum qualitateque æthereum.

Status animæ impuræ.

CAPVT X.

VT autem intelligamus qualis sit status animæ impuræ post mortem, animaduertendum est quales sint viuentium mores & habitus. Quales enim sunt adolescentiæ mores, tales plurimum sunt habitus senectutis, tales quoq; affectiones sunt defunctorum. In vita præsenti virtus nascitur ac vitium. Cum virtute oritur præmium, cum vitio verò supplicium. In futura vita virtus consummatur & vitium. Illic præmiū impletur atque suppliciuḿ. Virtus est exoriens præmium. Præmium est virtus adulta. Vitium est supplicium nascens, Supplicium est vitium consummatum. Idem enim est quod erat semen, & quod fit seges. Idem quoque quod erat seges, & quòd fit pabulum. Qualia igitur in hoc autumno serimus, talia in illa æstate metemus. Talibus aut fusca nocte in Stygia palude pascemur, aut die serena in campis vescemur Elysiis. Quemadmodum natura prouidentiæ diuinæ ministra corpora intrinsecus leuitate sursum mouet, grauitate deorsum, ita & prouidentia intrinseca lege, & quasi naturali cuidam inclinationi persimili omnia ducit. Hac lege supernæ mentes & animæ ipsis insita vniuersum sub primo gubernatore gubernant. Hac similiter insita lege mentes humanæ sese ad loca suæ vitæ conuenientia ducunt. Et sicut humores in animali duo motus habent principia, naturale videlicet, atque animale, naturali quidem leues sursum, graues deorsum sæpius, sese transferunt, animali verò ad ea potissimum, membra quæ his maximè indigent, prout vita exigit animantis, sic animæ duo intus motuum principia possident, alterum quidem vel impetum proprium vel iudicium, alterum verò diuinæ prouidentiæ legem omnino penetralibus insitam. Illo quidem in hos aut illos se transferunt mores, hac autem post mores contractos ipsæmet in loca, supplicia, munera congrua moribus, intrinseca quadam & occulta inclinatione

perducunt. Hanc Plato sententiam à priscis acceptam sæpissimè probat. Hanc & Platonici omnes vbique confirmant. Eam legem semper bonam in se atque diuinam, quidam tamen ita distinguunt vt & gratiam & bonum dæmonem vocent, quando bonis meritis reddit bona. Contrà verò aliquando & nemesin, & furiam, & malum dæmonem appellant, quando peccatores ad supplicia ducit. Ea lex intrinsecus more naturæ, adeoque leuiter ducit, vt nullus donec ad terminum perueniat, à prouidentia sentiat violentiam. Atque interea vniuersum quod ex primo animorum motus principio sæpissimè dissonaret, per secundum hoc principium motionis in suam vndique consonantiam restituitur, dum sua singuli, motu proprio gradatim merita sortiuntur. Præterea, non desunt dæmones boni nobis, qui genij nominantur, ingenij duces assidui, qui non vi, sed persuadendo ducant. Sunt & mali, non tanquam duces naturaliter ordinati, sed aduersarij (vt ita dixerim) peregrini, quos in hac vita per Philosophiam sacrificiaque propulsari Platonici putant.

Sed improbas animas post vitam, & Plato & Mercurius aiunt, mutato ingenio incidere in mali dæmonis potestatem, scilicet postquam suo genio ductæ fuerint ad iudicem, qui falli non possit, præsertim, cùm omnia appareant in animis separatis, & quæ ex natura, & quæ ex affectibus inerant. Hinc Socrates in Gorgia: Cæteris, inquit omissis id considero, quemadmodum iudici sanissimum ostendere animum possim. Summum enim malorum est animo peccatis referto ad inferos descendere. Addit tum ibi, tum in Theæteto, & Republica, hæc non esse tanquam fabulas deridenda. Siquidem, quicumque talia negant, ridicula ipsi in medium semper ducunt. Igitur præcipit hoc maximè contendendum, vt mores optimi comparentur. Mores enim esse inquit vias, vel ad inferos, vel ad superos. Operæpretium fore arbitror repetere latius quæ de his in Republica, & in libro de Scientia scribit. Profectò eos inquit, esse penitus deridendos, cui vel iniustiam sectandam, vel iustitiam fugiendam humanorum, vel præmiorum, vel suppliciorum gratia putant. Illam verò sententiam esse veram, quæ asserit illa non esse vera, vel præmia, vel supplicia, quæ aliquando atque forte, sed illa quæ semper necessarioque ordine virtutes vitiaque sequuntur. Addit in libro de Scientia: Deum ipsam iustitiam esse, nihilque illi iusto similius, nihil contra iniusto dissimilius esse. Veram præterea sapientiam, potentiamque existimandam, quæ id cognoscat, & consequatur ad votum, contrarium verò habitum extremam inscitiam, imbecillitatemque esse censendam.

Proinde, duo in vniuerso extrema inter se exemplaria ponit, in summo quidem beatissimam diuinitatem, in infimo verò oppositum diuinitatis expers atque miserrimum. Affirmatque iniustos ob extremam inscitiam nunquam animaduertere se propter iniustitiam, beatissimo quidem in dies dissimiliores, miserrimo verò similiores euadere. Eiusmodi verò dissimilitudinem similitudinemve esse propriam iniustitiæ pœnam, sed iustitiæ præmium propriè ipsam beatissimi similitudinem, miserrimive dissimilitudinem iudicari. His addit iniustos, neque in hac, neque in altera vita, ab ipsa beatitudinis patria (vtpote qui sint dissimiles) recipi, imò peruerso quodam habitu ad infimum miseriæ situm (cuius facti sunt similes) congruè retrahi, semperque in regione maligna sibi persimili inter malos sibi similes pererrare. Subdit denique hæc à quibusdam ambitiosis irrideri solere, verùm si cogantur in his rationes reddere, atque accipere diligenter, eos tandem (vt supra significauimus) re vera conuictos, tanquam pueros deridendos abire.

Sed iam redeamus ad mores, quibus ordine distributis, qua ratione præmia, suppliciave distribuantur, intelligemus. Antequam verò distinguamus, meminisse oportet mores bonos ita demum ad felicitatem conducere, si præcipuo erga Deum felicitatis authorem amore quæruntur. Malos autem eas potissimum animas in miseriam præcipitare solere, in quibus amor Dei omnis extinguitur. Hinc Platonicum illud: Sapienti viro lex Deus est, insipienti verò libido. Item illud: Beatus ille futurus est, qui humiliter diuinæ legi se subiicit, miser verò, qui eam superbè contemnit. Sunt autem mores viuentium quatuor. Est homo temperans. continens, incontinens, intemperans, Temperans est, cuius ratio verè iudicat, sensualis affectus libenter obtemperat rationi. Continens, cuius ratio iudicat quoque verè, affectus obtemperat ægrè. Incontinens, in quo etsi non malè iudicat ratio præualet tamen corporea perturbatio. Intemperans, in quo ratio vel consopita

consopita est, vel deprauata affectu nimium dominante, vbi ad imperium phantasiæ omnia fiunt, neque affectui ratio aduersatur. Cùm hic temperantiam continentiamve dicimus, intelligimus ritu Platonico componere vel disponere animum aduersus omnes perturbationum species, adeò vt omnium virtutum moralium in his officia comprehendantur. Præterea cum in anima separata phantasiam ponimus, intelligimus vel ritu Platonico sensum intimum quem in vehiculo & æthereo & aëreo collocant, sed cum passione propriè in aëreo, vel more Peripateticorum, maximè Auicennæ, affectum habitumque partis, etiam rationalis, quam obsequendo sensibus in seipsa concepit ad passiones corporeas declinantem, ad materiamque trahentem, quo Auicenna didicit animam quasi natura quadam, etiam sine electione, meditationeque, & hic in altera vita intelligibili modo ad sensibilem detorqueri.

Vt igitur ad institutum iam reuertamur, in animo temperato sola vis nutriendi curat corpus. Phantasia non amat ipsum, ratio odit. Quapropter impleto curandi huius corporis ministerio, vis illa viuifica, quasi contenta est vehiculo, reliquæ vires animæ quæcumque supersunt, sicut in hoc ipso homine temperato solitæ fuerant, veritati rerum omnium considerandæ sese dedunt, & tanto feruentius quàm antea, quanto sunt factæ liberiores Omnes igitur repente communi nixu, curruque æthereo recurrunt in ætherem.

Animus continentis fertur quidem in cœlum, vt ille paulò post, non subitò. In hoc enim appetitio phantasiæ solita erat vix rationi parêre, propter corporis blandimenta, vel territamenta. Ideo corporea in morte ægrè relinquit, qua ægritudine occupat parumper aciem rationis. Verùm ratio quæ illam vincere consueuerat, silere iubet. Vnde sedata phantasiæ querimonia, atque expulsa caligine, cælestis scintilla subrutilat, omnibusque animæ viribus consentientibus patria superna reuisitur. Incontinens autem serò ex his carceribus liberatur, intemperans verò nunquam. Siquidem horum animæ passionibus infectæ corporeis, in tantam hac in vita insaniam prolapsæ sunt, vt ipsis bonis bonorum vmbras temerè præposuerint, vmbras amauerint, vmbrasque timuerint. Atque post hanc vitam insanire similiter compelluntur, illa quidem diu, hæc semper. Quippè incontinentis insania aliquam reperit medicinam, quia licet dominari solita fuerit perturbatio phantasiæ, ratio tamen aduersari quandoq; consueuit in vita. Similiter & post mortem reclamat aduersus phantasiæ cuiusdam furentis insaniam, doletque se rerum sublimium possessione priuari.

Hæc reclamatio pœnitentiaque paulatim vim actumque illius phantasiæ debilitat, præsertim, cùm non adsint incitamenta corporea, quæ eiusmodi nutriant phantasiam. Et quisque libenter auscultet Medico curaturo, tædio diuturni languoris affectus, sitque perinde ac in illo qui cum horrendis vexatur insomniis, interim quia somno non premitur profundissimo, secum ipse inquit forte tunc dormire se, & curis inanibus cruciari. Vnde pauor laborque minuitur. Idem forsitan apud inferos contingit incontinenti, & quantum delirantis phantasiæ minuitur strepitus, tantùm augetur absolutæ rationis imperium. Sic tandem animus expeditus beatitudinem adipiscitur. In animo autem intemperato, & dum hominis vitam agebat, dormiebat ratio penitus, vel affectui prorsus obsequebatur, vnde indelebilem habitum ad corporea declinantem secum transfert quasi naturam. Talis est animi huius habitus, qualem cecinit Orpheus.

Ἄῤῥηκτοι τ' ἀΐδαο πύλαι, χοὶ δῆμος ὀνείρων.

Reserari nequeunt portæ Plutonis, intus est populus somniorum. Hunc animum in septimo de Republica. Plato inquit, in hac vita profundè dormire, & antequam expergiscatur decedere, ac post mortem somno profundiore grauari, somniisq; acrioribus perturbari, quod propriè Tartari nomine designatur Fertur, vt Plato vult, nimio corporis elementalis amore. Terreno igitur corpore dissoluto, alterum sibi quamprimùm ex elementorum retexit vaporibus. Solo quasi quodam nutu retexit ex materia facili. Solo haustu reficit quotidie, quasi respirando corpus illud iugiter euanescens. Addit eiusmodi animum circa corpus elementalemque regionem, erga quæ affectus fuerat, affectu perseuerante reuolui. Neque mirum videri volunt, quod anima vaporeum corpus quasi suum formet, perque ipsum sentiat, cùm id facilius sit, animæque propinquius. Atque in hoc corpore per talem spiritum vitam corpori præstet & sensum.

Si quæratur qualis sit corporis illius figura, respondebimus secundùm Magos,

varia simulachra diuersorum animalium ex huiusmodi vaporibus fieri. Qualis enim quælibet animalis vitam moribus imitata est, talem in primis sese facit, talisque omnino eius affectio & dispositio appareret, si sensu aliquo cerneretur, talem quoque figuram quodammodo in vmbroso ipsius corpore fingit, si modò ex affectu & habitu animæ vehementi colorari possit leue corpus & figurari. Et sicut carnis in vita senserat passiones, ita corporis illius passiones sentit, & tanto acutius, quanto corpus est purius. Sed in alio genere sensus illius sunt, in alio carnis. Atque ita fortè intelligenda est apud veteres hominum in bestias transformatio. Quidam verò dicunt animam non propriè tale corpus formare, perque ipsum sentire, imò sicut arte magica per certam statuariam dispositionem dæmonibus certis accommodatam, dæmonis statuis quasi deuinciuntur (quod Mercurius confitetur atque Plotinus) sic lege diuina animas quæ se corporibus dediderunt, aquæ mancipari vel igni, atq; id quidem adeò seruiliter, vt ob hoc vehementer indignentur, & doleant.

Sed vtcunq; sit hæc passio Tisiphone furia adhibet alias duas animæ furias, quæ eam crucient ab effectu. Megæra quidem propter odium, imaginariique mali timorem. Alecto autem propter imaginarij boni cupiditatem. Quas quidem furias incitari à dæmonibus vltoribus, Plato inquit, Plotinusque probat, & Orpheus ipse magnum dæmonem vltorem proprio hymno describit. Tales sunt enim primæ animæ huius perturbationes, quales sunt eorum qui delirant phrenesi propter febrem, aut eorum qui melancholico terrentur humore. Quod quidem fieri & Auicenna fatetur, & Proculus, cùm dicat esse dæmones quosdam irrationales, significat nihil mirum esse, si animæ miserorum irrationales euadant. Quando enim quinque sensuum actiones cessant, actiones interiores maximè augentur. Ac si ratione vti plurimum consueueris, tunc diligentissimè specularis; si phantasia, tunc imaginaris vehementissime. Id vsque adeò fit in somno, vt quæ rerum imagines sunt, res veras esse putemus, atque horribilibus visis perterriti trepidemus, sudemus, vociferemur, atque surgamus. Multomagis impiis in morte, atque post mortem, fallacia terribilium contingit imaginum.

Tunc enim cessant varia nutriendi officia, sensuum externorum multiplices actiones, humanarum actionum occupationes, rerumque solatia, solius restat (vt Platonici putant) phantasiæ furentis, vel phantasticæ rationis imperium in homine impio, quæ odio quo dixi & timore commota versat secum longo ordine tristes imagines. Nunc cœlum ruere in caput suspicit. Nunc se terræ profundis hiatibus absorberi. Tum impetu absumi flammarum. Tum vasto aquarum gurgite mergi, aut vmbris dæmonum comprehendi. Itaque corpus suum per infima passim exagitat, quamcunque furentis phantasiæ depulerit impetus, malusque dæmon, vt Mercurius ait & Plato, quos quidem duos esse vult hac in re, etiam si non aduertant, legis diuinæ ministros. Atque id ex odio metuque patitur impius per Megæram. Cæterùm per Alecto, ex amoris habitu quem ad corporea contraxerat indelebilem, tales quædam rursus cogitationes surrepunt & affectus, videlicet quemadmodum senes qui vixerunt in iuuentute lasciui, duplici pœna vruntur in senio, scilicet quòd ardent voluptatum cupiditate, quodque omni spe potiundi priuantur, nisi fortè delirent, sic miseri apud inferos ob pristinum habitum cupiditatibus humanarum rerum alij aliis solicitantur, atque plurimùm non sperant, se consequi posse, quamuis nonnumquam velut insani sibiipsis videantur propemodum suas delicias adipisci, sed ad pœnas acerbiores se statim ab illis arceri. Sardanapalus arcetur longius ab amplexu, Midas ab auro, à conuiuio Tantalus, à fastigio Sisyphus.

Tanta vis phantasiæ est, tantus impetus, quando vel ipsa imperat sola, vel solus phantasticus quidam habitus & affectus ex diuturno ipsius commercio in ratione contractus. Ordinem à nobis in superioribus positum confirmat Olympiodorus in Commentariis in Phædonem, tria ex Platonis sententia vitia ponens.

Prima quidem, quæ facilè sanabilia sint, quæ scilicet habitu careant.

Secunda verò difficilè curari posse inquit, vtpote quæ habitu comitantur, sed repugnantiam quandam, pœnitentiamque comitem habeant.

Tertia denique sanari non posse, quæ videlicet & habitu perpetrentur, & repugnantia pœnitentiaque penitus careant. Prima igitur Acheronti, secunda Pyriphlegethonti, atque Cocyto; tertia Tartaro apud Platonicos deputantur, vnde dicit Plato nullum vnquam egredi posse. Totidem gradus bonis in Phædone distribuuntur, vbi asseritur animas innocentes &

pias, sed expertes Philosophiæ, in aëre vnà cum aëreis corporibus facilè viuere, animas autem Philosophia ciuili insuper præditas, in cœlo cum cœlestibus lucidisque vehiculis, denique purgatissimas super cœlum absque corporibus beatissimè viuere. Orpheus autem nouem præcipuas animabus distribuit regiones. Probis quidem vel octauam sphæram vel planetas, vel ætherem sub planetis. Quæ quidem sphæræ nouem sunt, si diligentius partiaris nouem contemplationis gradus quos aliàs diximus congruè.

Mediis autem aërem, aquamue, & terram. Reprobis denique Acherontem, Cocytum, Pyriphlegethontem, vbi nouies insuper Styx interfusa coërcet. Nouenarius autem numerus inde sumitur, quòd vel affectione quadam, vel habitu mobili, vel habitu immobili peccauerunt atque quocunque horum modo deliquerint, vel cogitatione, vel etiam sermone, vel insuper actione peccarunt, vnde nouem gradibus culparum, nouemque pœnarum merito computantur. Oraculum verò illud Maronis in sexto, nullo pacto contemnendum est quasi poëticum, in quo partim Mercurium, partim Platonem secutus, affectus describit quatuor, qui quatuor sequantur humores. Siquidem ex ignea bile appetitum, ex aëreo sanguine voluptatem, ex atra bile terrea timorem, ex aquea pituitam dolorem mollitiemque nasci consentaneum esse videtur.

Deinde subdit ex quatuor his affectibus quatuor tales habitus in animo concipi ad corporea declinantes, quos miseri post obitum secum ferant circa quatuor elementa purgandos. In qua quidem purgatione quatuor præcipuas inferis plagas disponit more Platonico, vbi licet Acherontis, Cocyti, Phlegethontis, Tartari strepitum mugitumque audire. His admodum consentaneum esse videtur, quatuor vicissim in campis Elysiis disponere regiones, quatuor videlicet in Zodiaco signorum triplicitates, quæ quatuor congruant virtutum generibus, quibus quatuor expugnantur affectus, vnde serena mente lumen cœleste recipitur. Meminisse verò oportet eos non esse inter Platonicos admittendos, qui animas in Planetarum sphæris igneque & aëre puro viuentes esse inter inferos opinantur. Quo enim pacto inferis deputantur, si & apud beatos sunt, & in corporibus adeò leuibus obedientibusque imperio animorum, vt inde à diuinorum contemplatione non diuertantur? Quamobrem solam eam mundi plagam vbi tumultuaria elementorum confusio dissonat, inferorum nomine Platonicè nuncupare debemus.

Denique vt priscorum Theologorum sententiam de statu animæ post mortem paucis comprehendam: Sola diuina (vt aliàs diximus) arbitrantur res veras existere, reliqua esse rerum verarum imagines atque vmbras. Ideo prudentes homines, qui diuinis incumbunt, præ cæteris vigilare. Imprudentes autem qui sectantur alia, insomniis omnino quasi dormientes illudi, ac si in hoc somno priusquam expergefacti fuerint moriantur, similibus post discessum & acrioribus visionibus angi. Et sicut eum qui in vita veris incubuit, post mortem summa veritate potiri, sic eum qui falsa sectatus est, fallacia extrema torqueri, vt ille rebus veris oblectetur, hic falsis vexetur simulachris. Propterea Christus vitæ magister sæpè ita præcipit. Vigilate inquam, vigilate, ne dormientes vos Dominus deprehendat. Rursus, Surgite iam, atque hinc abeamus.

Quidnam aliud est expergisci, quam agnoscere se in sensibus somniare? Quid verò surgere aliud & abire, quàm ad Deum seipsa mente conferre? Neque silentio prætereundam censeo causam quandam supplicij occultam quidem dolentibus, sed potissimam, quam Plato significauit in Timæo, Gorgia, Republica & interpretatus est Origenes. Deus animam certa quadam spiritalium partium, virium, motuum harmonia ab eius initio temperauit. Temperatio huiusmodi in hominibus intemperatis iniustisque soluitur paulatim, ac dissoluitur plurimum in damnatis. Necessarium est autem ex solutione & dissolutione hac non mediocrem oriri molestiam doloremque in animo, etiam si nesciat vnde & cuius gratia doleat, quemadmodum soluta naturali corporalium, spirituum, humorum, membrorum temperie, dolor necessariò sequitur, etiam si ægrotans doloris sui nesciat rationem.

Non negabunt hæc omnino Christianorum Theologi, sed addent (vt arbitror) pœnam aliquam ex vero quodam animæ damnatæ iudicio, quoniam cogitabit esse se in æternum diuina visione priuatam. Quæ ideo maxima pœna est, quoniam Deus finis est cuius gratia nati sumus, cuius gratia omnia omnes appetimus atque agimus. Ideoque multo acrior est naturalis sitis quæ ad ipsum, quam quæ ad potum concitat sitibundum. Sed quemadmodum si quis opio soporifero fuerit stupefactus, quamuis siti pereat, tamen sitis stimulum

Mm ij

detrimentumque non sentiet. Opio verò resoluto persentiet, vehementiusque vexabitur, sic animus qui Lethæum merè flumen ingurgitauit, à Deo omnium diuersissimum, stupore circa diuinorum sensum penitus occupatus, naturalis erga Deum sitis tormenta non sentit, sed stupore tandem expulso, & acutissimè sentit, & vehementissimè cruciatur. Ac si quodammodo in vita cogitare possumus esse nos procul à Deo, occupati tamen vitæ solatiis rarius hoc animaduertimus. & quando animaduertimus, speramus breui nos redituros ad patrem, ibi neque solatium miseros, neque spes vlla delectat, quod & Acheron dici potest. Auget pœnam, quòd sua se culpa tanto priuatos existimant, propterea sibiipsis perpetuo indignantur, quod Stygis nomine significari potest. Accedit Tartarea locorum aut vilium aut teterrimorum habitatio, ac tandem humani huius corporis cruciatus, qui in sensu Phlegethon, in animo Cocytus esse videtur.

De medio animorum statu, præcipuè secundum Philosophos.

SOlet de animabus illorum sæpè quæri, qui ante electionis ætatem è corporibus decesserunt. Plato scribit, Herum Pamphilium qui à morte surrexit, de aliorum statu animorum multa & stupenda narrasse, de his autem alia quædam non multum memoria digna. Auicenna verò in Metaphysicis, eos animos qui nondum vel bonum vel malum habitum contraxerunt, ex diuinæ clementię largitate boni aliquid reportare.

Nos igitur, si Philosophicis hac in re coniecturis liceret incidere, forsitan diceremus, ordine rerum ita currente, eiusmodi sortem illis quodammodo præter apparentem ordinem contigisse, sed à diuina sapientia, quæ nihil vsquam esse permittit ordinis totius expers, in ordinem quendam nobis quidem occultum, superis autem manifestissimum redigi. Quid si Deus quemadmodum inter omnia extrema quę inter se longissimè distat, plura semper media interponit, ita inter ipsas beatissimorum miserrimorumque sortes tanquam maximè omnium inter se distantes gradus, quam plurimos interiecit? vt non pauciores in occultis animorum ordinibus, quam in manifestis, corporum gradus existerent, essentque hinc beatissimi multi, multi inde miserrimi, rursus hinc alij minus beati, inde alij miseri minus, omnium verò medij pariter, qui neque miseri sint propriè, neque beati? Siquidem beatus est, qui diuinis in Deo saporibus fruitur, miser verò, qui nusquam diuinum aliquem sentit odorem, semperque esurit. Minus autem inde beatus, qui in illo paucioribus fruitur. Vicissim minus hinc miser, qui esurit doletque minus. Medius tandem, qui in creatura quosdam creatoris sentit odores, viuitq; odore contentus. Quamobrem dicent fortè Philosophi infantum animas non debere de diuina iustitia conqueri, quia si fortè facultate summi boni priuatæ sunt, etiam sunt extremi mali discrimine liberatæ.

Rursus probabile est non conqueri, si modo in perspicuitatem animæ nullis corporalium affectionum nubibus obfuscatam, lumen diuini Solis naturalia creans, naturalium formarum influat plenum, eique vt Timæus inquit, ordinem vniuersi demonstret, atque simul ordinatorem in ordine, quantum ordo ipse capit ordinatoris, & hoc bono iubeat faciatque esse contentam. Itaque sicut in homine inter crassum corpus & animam spiritus est, atque in affectu dolorem inter & voluptatem est indolentia, item in ratione inter scientiam & ignorantiam opinio recta: rursus in vniuerso perspicua inter lucidum & opacum, sic in spiritibus segregatis esse videntur, qui in cœlis tam luce quàm lumine Dei beatè fomentur, atque contra quibus circa terram miserabiliter vtrunque desit. Inter hos autem in puriore aëre medij, quibus etsi non lux ipsa propriè, tamen lumen aspiret. Meminisse verò oportet, quòd significamus aliàs, quemadmodum aliud est lux in Sole permanens, aliud lumen inde manans, perque cuncta diffusum, aliud radius quidam oculis inde naturaliter insitus, sic aliud esse infinitam in Deo lucem, per quam solam & Deus seipso fruitur, & beatæ mentes diuina bonitate fruuntur.

Aliud commune lumen inde per omnes perspicuas mentes se abundè diffundens, per quod quasi creatum externumque mentes singulæ (modo inde non diuertantur) creata cuncta conspiciunt, creatorem verò ipsum propriè in seipso nequaquam, nisi per lumen accensæ transferantur in lucem. Aliud radium quendam tam singulis proprium, factumque ab initio mentibus naturalem, in eisque testantem quodammodo etiam inde diuersis atque discedentibus. In gradu quidem primo beati sunt, in secundo verò neque beati propriè, neque miseri, modò hoc in ipso contenti viuant. In tertio denique animæ sunt humanæ, siue corporibus siue corpo-

reis affectibus alligatæ, atque ex hoc ipso pene iam miseræ, sola verò spe quasi felices. Miserrimi verò sub hoc ipso gradu sunt, quibus solus restat radius, atque ille quidem iam & caliginosus & vrens, lucisque puræ fiducia destitutus. Fortè verò Platonicus aliquis ita coniiciet. Si Deus mentes primæ lucis gratia procreauit, atque ipsæ ad eam consequendam tum diuinæ bonitatis agnitione, tũ vel maximè amore parantur, quippè cum agnito lumine inde formet, & amor hinc illuc luce reformet, verisimile fore diuinam iustitiam velle nulli omnino mentium agnoscendi amandique Dei semper facultatem omnem occasionemque deesse.

Quoniam verò multis ante rationis vsum morientibus, rursusque quibusdam ab initio stolidis, vtrumque maligna fati necessitate subtrahitur, ideo consentaneum fore, facultatem eiusmodi per diuinam prouidentiam vel in hac quandoque miro quodam pacto, vel in altera saltem vita rependi, nequis absque propria culpa fine speciei præcipuo careat. Quamobrem horum animas etsi hic nunquam, tamen à corporibus segregatas, in illo quod diximus lumine, dum creatorem in creaturis agnoscunt, tanto gradatim accendi creatoris amore, vt ad consequendam lucem certo quodam tempore disponantur, tempore inquam, quoniam solæ Angelicæ mentes tanquam in æternitate totæ, momento siue proficiant, siue deficiant. Animæ verò quasi iam naturaliter quodammodo ad temporalia declinantes, suam tempore operam peragant, sed longiori quidem in corpore, extra verò corpus admodum breuiori, momenta verò tum duntaxat, cum primum fuerint in Angelicam fermè translatæ naturam.

Ac si animæ in purgatoriis constitutæ suppliciis, quamuis in deteriori habitu locoque sint, tamen ad beatitudinem vsque resurgunt, nihil mirum videri debere, illorum animas in regione indolentię media, beatitudinique propinquiore positas, ad beatitudinem vsque posse proficere. Hæc de infantibus maximè Philosophi opinarentur. Verum de his qui ab ipsa natura omnino stolidi sunt, difficilior admodum quàm de infantibus quæstio esse videtur. Hi enim si diu vixerint, aliquem circa materiam (quæ est infimum vniuersi) habitum contrahunt, qui à Deo, quòd est vniuersi summum, diuertere solet. Hic habitus animam comitans etiam separatam, adhuc fortè ad materiam vertit, atque interim auertit à Deo. Beatitudo autem nullis nisi in Deum conuersis conuenire censetur. At verò si hi miseri sunt, cum conuerti nullo modo ad summum fato prohibente potuerint, nulla sua culpa sunt miseri, ac Deus frustra conuerti iussisset eos, qui non possent. Respondebit hic fortè Peripateticus aliquis, in stultis ob nimiam phantasiæ ipsius intensionem, rationem adeò vacauisse, vt non agendo habitum non creauerit. Habitum verò proprium phantasię (qui non tam in anima est, quam in corpore animato) cessare statim composito dissoluto, quo efficiatur vt mens statim, nullo prohibente naturali radio, conuertatur in Deum, & diuinum lumen quod vbique adest, accipiens accendatur; deinde amet accensa, & amando vehementius se conuertat, breuique tempore nonnihil promerendo beatitudinem consequatur. Platonici vero, qui habitum & in phantasia quodammodo remanente restare putant, & in rationem illi consentientem, si modo quicquam & tunc quidem coacta consenserit, inde transfundi, respondebunt, oportere prius habitum ad opposita diuertentem omnino deleri, quàm superius erigatur. Sed in hoc delendo tum genij tum Dei virtutem mirabiliter operari. Non enim sub diuina prouidentia minus consultum prouisumque esse mentibus quàm corporibus. Igitur sicut corporibus ægrotantibus, vbi natura morbum non potest expellere, propriaque in sanitatem virtute redire, arte Medicorum confirmata expellere consueuit, similiter & in mentibus quibus naturalis facultas corporei habitus expurgandi, reuisendique Dei deest, omnipotentem Medicum vel propria duntaxat virtute, vel ministrorum felicium ministerio feliciter vtrumq; peragere. Neque id quidem ordine carere putabunt, vt diuina clementia, quæ maximè probatur in principe, hic apertissimè luceat, dum & nullus absque culpa propria condemnatur, & qui extra culpam ad tempus meriti facultate priuatur, in facultatem quandoque diuinitus restituitur, facultatem, inquam, tutam, quæ & aberrare non possit, & breui multum Deo adiuuante promereatur. Hæc illi. Verùm ne de pueris stultisque pueriliter stulteque sentiamus, ita iam concludendum esse videtur. Huc nos fermè coniecturalis Philosophorum ducit via. Sed quoniam humana coniectio circa diuina sæpè multumque fallitur, multo satius tutiusque censemus, nos sanctioribus apud Christianos ducibus obedienti humilitate committere.

CONCLVSIO.

POstquam terminus vitæ non idem nobis, atque cæteris animantibus, est à Deo tributus, quemadmodum primò communibus rationibus, secundò argumentationibus propriis; tertiò tum signis, tum solutionibus quæstionum ostendimus, summa diligentia cauendum arbitror, ne incertum hoc fugacis vitę momentum seculis infinitis anteponamus. Meminerimus autem, si sapimus, non posse nos in æternum aut bene esse, aut perfectè viuere, aut feliciter intelligere, nisi eius formemur essentia, quo creante, vt essemus accepimus, eius vita viuamus, quo afflante spiramus atque mouemur. Eius intelligentia intelligamus ipsum perque ipsum omnia, quo illustrante quotidie & creata consideramus, & quærimus creatorem. Perueniemus autem, Deo duce, ad hunc gradum naturæ supremum, si modo ab ipsa materia, quæ naturæ gradus est infimus, affectum animi pro viribus segregabimus, vt quantum ab ea discedimus, tantùm accedamus ad Deum, & cui nunc posthabito fallacis huius vitæ momento quoad possumus viuimus, tandem eius vita viuamus in æuum. Amen.

AVTHORIS PROTESTATIO DE SCRIPTIS SVIS.

In omnibus quæ aut hîc, aut alibi à me tractantur, tantùm assertum esse volo, quantum ab Ecclesia comprobatur.

FINIS.





MARSILII FICINI FLORENTINI

IN EPISTOLAS DIVI PAVLI.

Ascensus ad tertium Cœlum.

AD PAVLVM INTELLIGENDVM,

PROOEMIVM.



SCIO hominem in Christo, ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, quia raptus est in Paradisũ, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.

Venerandi in Christo Patres, & dilectissimi in Cathedrali collegio fratres, Paulus Apostolus Gentiũm, Sol mundi, Vas electionis, Spiritus sancti tuba, mysteria hęc quæ modò narrabam in 2. ad Corinthios Epistola tanquam oracula cecinit, quæquidem cùm ad eam Epistolam peruenerimus, aspirante Deo, pro viribus explicare conabimur. Interea verò cùm singula verba eius qui raptus est ad cœlum intelligere ab initio cupiamus, neque nobis liceat, cùm in terra tanquam homines vitam agimus, hæc audire, studendum nobis est, humanos quoad possumus supergredi limites, & in primis excelsus Paulus obsecrandus, vt ipse sua clementia secum ad cœlestem quendam angelicumque gradum nos attollat. Est enim in nobis terra, est & quodammodo cœlum, idq; trinum. Terra quidem corpus & sensus, affectusque corporeus. Cœlum verò recta veraque ratio. Ratio autem triplex, quasi cœlum triplex esse videtur. Infima quidem practica rerum humanarum, priuatarumque & publicarum gubernationi & prouidentiæ dedita. Superior autem ratio mundanum ordinem Physica facultate considerans. Suprema denique ratio, siue mens, res diuinas altiores mundo Theologica ratione contemplans. Quamobrem arcana sublimis Pauli mysteria percepturi, debemus corporeo sensu affectuque dimisso quasi terra, itemque ratione practica prætermissa velut primo quodam cœlo, ac rursus Physica ratione posthabita cœlo quasi secundo, ad mentem diuinorum contemplatricem velut cœlum in nobis tertium angelicumque statum, duce Paulo, totis viribus nos ipsos attollere. Quoniam verò nec ipsa mentis contemplatio propriis viribus intelligentiæ ad diuina peruenire potest; in hac nobis iterum tres quidam gradus, quasi cœli tres constituendi, seu potius à Deo per Paulum petendi, videntur, Fides, Spes, Charitas, Spiritus sancti dona, præcipuè verò charitas, omnem scientiam superminens, & cum ordine Seraphico nos coniungens. Hic denique trinum quoque nobis occurret cœlum. Nam in charitate Seraphica ineffabilis ille accendetur in nobis Spiritus sancti feruor. In hoc autem almo feruore, lumen & sapientia Verbi diuini protinus effulgebit, quibus sanè muneribus diuinis gratia prædíti incomparabili potentiæ donum consequemur à Patre, quo quidem mysteria D. Paulo diuinitus reuelata percipere valeamus. Quod autem modo significabamus in calore lumen accendi, diligentius mihi videtur considerandum. Philosophorum sententia est, calorem in corporibus naturaliter à lumine proficisci. Quemadmodum in spiritibus

ab intelligentia voluntatem. Sol igitur velut quidam cœli Dominus perspicuis vbique corporibus, quasi similibus lumen in primis infundit atque inde calorem. Terrenis autem calorem prius tabuit, materiam crassam extenuantem. Postea verò exhalationibus inde surgentibus lumen protinus inserit. Deus similiter mentibus à corpore separatis per intelligentiam infundit amorem. Animis verò tenebroso corpore circumseptis, necessarius in primis est amor, ex fide, speque in Deum erecta creatus. Quo quidem amore purgati in Deumque conuersi, lumen intelligentiæ consequentur. Quamobrem & nos, venerandi, patres fratresque dilectissimi, fide, speque diuina freti, & amore flagrantes ad diuinorum intelligentiam Paulo reuelante proficisci debemus.

PAulus ex tribu Beniamin natus in oppido Gestali Iudææ, quo à Romanis capto in vrbem Ciliciæ Tarsum sese contulit. Inde à patre Hierusalem ad Gamalielem missus disciplinæ gratia, Christianæ legis primordia crudeliter insecutus. Propè finem anni quo passus est Christus, ab Hierusalem Damascum pergens gratia persequendi, repentina coruscatione in teram prostratus est & conuersus ad Christum. Postquam ab Anania Damasci baptismum suscepit, Hierusalem profectus est. Ibi persequentibus Iudæis apud Felicem præsidem, tanquam Romanus ciuis Cæsarem appellauit. Hinc vinctus Romam missus est ad Neronem, secundo Neronis anno, Romæ in libera custodia Christum biennio prædicauit. Deinde annos decem in Occidente. Denique Romam reuersus quarto decimo Neronis anno martyrio coronatur. Annos post conuersionem sex atque triginta pro Christi gloria laborauit.

Summa in Epistolam ad Romanos.

ROmæ fideles erant multi Iudæi simul atque Gentiles, non ab Apostolis, sed ab Iudæis iam conuersis instructi, ij superba contentione alterutrum dignitate quadam vel gratia superare volebant. Iudæi quidem iactabant se populum esse diuinitus electum, ab Ægypto miraculis liberatum, Manna in deserto nutritum, per Mosem instructum, lege & Prophetis refertum, Christi promissione dignum. Gentilibus obiectabant idolorum cultum, quo quidem sacrilegio indignos fore dicebant, vt cum Dei populo comparentur. Gentiles autem contra respondebant, quanto maiora erga vos Dei beneficia narraueritis, tanto maioris vos criminis reos esse monstrabitis. Semper enim his omnibus extitistis ingrati, nam ab Ægyptiis diuinitus liberati, iterum coluistis Idola, Manna fastidio vobis fuit semper in deserto, contra Dominum murmurastis, perdidistis Prophetas. Christum promissum vobis interemistis, quem vt nos cognouimus statim credidimus, cum nobis de eo antea non fuerit prædicatum. Has altercationes Apostolus ita dirimit, vt neutrum eorum sua iustitia salutem meruisse confirmet. Iudæos enim legem præuaricatos, Gentes autem Deum cognitum non coluisse sed idola, vtrosque similiter veniam consecutos, æquales esse demonstrat. Et in lege prædictum Iudęos & Gentes ad Christi fidem vocandos. Quamobrem vicissim eos humilians ad modestiam & concordiam cohortatur. Scribit autem, vt inquit Haimon, Athenis, vt autem Origenes atque Hieronymus, Corinthi. Fortè verò Athenis Epistolam inchoauit, Corinthi verò perfecit. Prima verò posita est ad Romanos Epistola propter ipsam vrbis (vt arbitror) excellentiam, non quia prima scripta fuerit ab Apostolo. Athanasius enim inquit, quatuor saltem scripsisse priores, duas quidem ad Corinthios, vnam insuper ad Galatas, & ad Thessalonicenses vnam. Cum hoc consentit Hieronymus. Siquidem Paulus se hanc scripsisse testatur proficiscentem Hierosolymam, cum Corinthios & alios iam ante, vt ministerium quod secum portaturus erat, colligerent, literis hortatus esset.



IN PROOEMIVM PAVLI.

Quomodo Paulus vocatus & segregatus.

De Natiuitate Christi, æterna & temporali.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



AVLVS, seruus Christi Iesu, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis.] Prooemium Oratorum more narrationi præponit, in quo quidem tria potissimum efficit. Primo quidem officium suum describit, multisque breuiter rationibus comprobat, atque interim attentos auditores facit & dociles. Secundo verò conditiones eorum exponit, ad quos scribit Epistolam. Tertio denique felicitatem illis exoptat, atque interea captat beneuolentiam. Post hæc autem narrare incipiet, vbi dicet primum quidem, & quæ sequuntur. Saulus quidem apud Hebræos dictus est, Paulus autem apud Gentes appellatione, videlicet vnà cum professione mutata. Preterea Pauli nomen cum Gentilium nominibus magis conuenit, ad quos præcipuè missus est Paulus, denique nomen hoc Pauli Sergij proconsulis ab Apostolo conuersi, victori merito competit, sicut & cognomentum ab Aphrica conuenit Scipioni. Seruum verò se dicit Christi, cum non propriæ, sed Christi gloriæ seruiat, & à seruitute velut à conditione quadam humili ad Apostolicam mox peruenit dignitatem. Nempè qui se humiliat exaltabitur. Apostolus missus intelligitur, cum diuina scilicet potestate. Huc tendit illud, Dabit Deus verbum Euangelizantibus in virtute multa. Missus, inquam, non ab hominibus, sed à Spiritu sancto, vt patet in Actis Apostolorum, vbi Paulum & Barnabam à Spiritu sancto missos asseritur, vocatus autem procedente quidem tempore ab hominibus. Qua sanè ratione Corinthiis inquit: Non sum dignus vocari Apostolus, sed ab initio vocatus à Deo, quando ad Apostolicũ munus diuinitus est electus. Vbi Ananiæ dicit Dominus: Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & regibus & populis Israël. Primo quidem vocatus fuit ad fidem, quando cœlesti coruscatione prostratus est ad terram. Sed in verbis modo narratis vocatus ad Apostolicam dignitatem, qua quidem Christum omnibus prædicaret, non Gentilibus tantum, sed Iudæis. Quod & præcedentia Lucæ verba significant. Sed Iudæis inquam, non tam in Iudæa quàm inter Gentes propriè conuersantibus. Quapropter addit: Segregatus. Partim quidem ab aliis Apostolis atque Iudæa. Hinc illud in Actis Apostolorum à sancto Spiritu dictum: Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod elegi eos. Partim etiam segregatus à professione Iudaica. Hinc illud ad Galatas: Cum autem placuit illi qui me segregauit ab vte-

ro matris meæ, id est, à Iudaica Synagoga, vel etiam, me ab ipso natiuitatis initio ad hoc officium destinauit. Sed curnam ab Apostolis & Iudæa Paulum separauit? Et præcipuè misit ad Gentes. Quoniam videlicet & Iudæis admodum infestus futurus erat, qui repentè ex eorum potissimo propugnatore, acerrimus expugnator euasit, & Gentibus propter ingenium & eloquium acceptissimus. Siquidem Paulus ipsa etiam natura, acumine, animo, eloquio omnium præstantissimus. Hinc apud Gentiles Mercurij nomen est adeptus. Tantum profectò virum elegit Deus, vt non solum mirabiliter erudisse rudes iudicaretur, sed etiam ingeniosissimos eruditissimosq; mirificè conuertisse. Fortè verò & ab aliis secreuit Apostolis, ne quis suspicari posset, vel piscatores illos à Paulo instructos, animatosque fuisse. vel Paulum ab illis disciplinam Euangelicam accepisse. Quamobrem segregatus, inquit, in Euangelium, id est, in bonum nuntium & promissum, non ab homine, sed à Deo. Ideo in Euangelium Dei dixit, quod non solum Dauid, vt supra diximus, sed etiam Esaias ita prædixit, quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Quod sanè non leue nouumque fuit inuentum, sed diuinitus longè ante promissum, non per vnum testem, sed per plures, non quoslibet, sed Prophetas, non qui humano ingenio vel instinctu dæmonico, sed afflatu diuino prædicerent. Prædictiones apud Platonicos quinque modis fiunt, aut enim fortuna, aut arte, vel natura, vel dæmone, vel toto moti prædicimus Sola prædictio facta diuinitus certa est, semperque veridica. Idcirco dictum est per Prophetas, non in verbis tantum, ne memoria eorum periret cum sonitu, sed in scripturis, non quibuslibet, sed à Spiritu sancto profectis. Ideo in scripturis sanctis est dictum, quale illud est Hieremiæ: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi in die illa cum patribus vestris, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Moses quidem scriptis legem, Christus autem mentibus commendauit. Vbi verò Propheta significat legem Mosis quidem in tabulis, nouam verò in mentibus imprimi, etiam innuit nouam vetere tanto præstantiorem fore, quanto mentes tabulis excellentiores existunt, vt meritò, sicut Lunæ lumen adueniente Solis lumine cedit occupaturque ab illo, ita cedat vetus & occupetur à noua. In scriptis inquam, non de quauis materia, sed de filio suo. Hinc enim Prophetæ prædicebant cum lege Euangelica profecturum. Quod verò dicitur de filio suo, habet emphasin, ne fortè intelligeremus cum Plotino Christum Dei filium adoptiuum, sed naturalem. Christus profectò naturas habet geminas, diuinam scilicet & humanam. Personam verò vnicam, id est, diuinam, hæc quidem persona Dei filius est semper apud patrem, inde genitus ab æterno. Qua quidem ratione dixit de filio suo, vt generationem significaret æternam. Vt autem natiuitatem exprimeret temporalem, addidit: Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Non simpliciter quidem factus, vt existimat Arrius, sed quodammodo factus homo. Ideo secundum carnem factus asseritur. Perinde ac si dicatur, diuinitus factum est, vt Dei filius carnem assumeret, humanam videlicet naturam. Per hęc interea duo verba, factum secundum carnem, refellitur Manichæus dicens: Deum corpus phantasticum ostendisse. Ex semine Dauid, ex semine Mariæ virginis descendentis à Dauide. Ac ne existimares affectionem huiusmodi nouum aliquid afferre Deo, subiunxit: Qui prædestinatus est filius Dei, id est, decretus & ordinatus ab æuo filius Dei. Non propterea quod persona diuina per voluntariam destinationem à patre processerit, quæ est inde genita per naturam, sed quia diuinitus decretum fuit, vt ipse Dei filius incerto quodam tempore per assumptionem humanæ naturæ se hominem demonstraret. Iure autem non prius dixit destinatus quam factus, vt ostenderet, duntaxat affectionem coniunctionemque humanæ naturæ sub prędestinatione comprehendi. Deus nullum simpliciter ad malum prædestinauit aliquando, sed ad bonum, nā infinita bonitas non decernit aliquem simpliciter, malum fore vel miserum, sed cum conditione quadam statuit, hunc si malus fuerit, fore damnatum. Simpliciter autem prędestinauit quosdam Prophetas fore vel Apostolos vel Doctores. Similiter prædestinauit humanam naturam quandoque cum diuina iungendam. Sed ne fortè putares vnà cum Nestorio, diuinum verbum sola quadam habitationis communione hominem suscepisse, subdidit.

[In virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.] In virtute, id est, in eadē potestate diuina, quasi dicat in vnione personæ. Quod autem diuina virtus tradita

Christo fuerit,inde probat Apostolus quod & Iesus natus fuerit per virtutem sancti Spiritus, foetum in Maria formantem, &, vt ita loquar, sanctificantem,& quia Christus Spiritus sancti gratiam suis infuderit ad vaticinium atque miracula praecipuè postquam surrexit ex mortuis. Per quam ipse prius & mortuos plures & seipsum suscitauit à morte.

Possumus autem ita simplicius accommodatiusque verbis exponere. Iesus destinatus est penes Deum, & à Deo hominibus declaratus filius Dei. Sed in quo? in virtute profecto. In virtute,inquam, miraculorum palam efficiendorum. Deinde per Spiritum sanctificationis, quem Iesus abundantius effudit in suos, postquam resurrexit ex mortuis. Quae quidem resurrectio maximum diuinae virtutis pignus extitit, & id quidem declarato ex manifesto Spiritus sancti dono,in suos deinde diffuso. Appellauit autem resurrectionem Christi, resurrectionem mortuorum. Quia haec generalem, vt inquit Ambrosius,resurrectionem facit [Per quem,sanè,Christum accepimus gratiam & Apostolatũ ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius.]Paulus se accepisse ait à Patre per Filiũ ipsam Spiritus sancti gratiam ad plenum Apostolatus effectũ.Et hanc quidem apud omnes Gentes, vt Christianae fidei tandem omnes obediant. Propterea Esaias ait:Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob,& feces Israël conuertendas.Dedi te in lucem Gentium. Dum verò dicit: [In quibus estis & vos vocati Iesu Christi] Iudaeos etiam connumerat Gentibus mixtos. Nam & in sequentibus Iudaeos etiam suscipit conuertendos. Vocati Iesu Christi, id est, ab Iesu Christo. Vbi verò in superioribus ait, pro nomine eius, gloriam propriam prorsus exclusit. Hic interea profitetur ad Gentes se praecipuè missum, ostenditque in ipso Iesu duntaxat impleri, quod per Prophetas Christo Deus ipse promiserat.Fore scilicet,vt Dei vnius cultum apud Iudaeos tantum hactenus angustum, Christus Gentibus omnibus promulgaret,idololatriamque destrueret.[Omnibus qui sunt Romae dilectis Dei vocatis sanctis.] Scribit autem non Romanis tantum, sed omnibus etiam qui sunt Romae, siue Romani, siue Graeci, siue Iudaei, siue quomodocunque Barbari. His autem non quibuslibet, sed conuersis,Sed qua virtute conuersis? Vocatione diuina per quam sancti fiant, qua Deus ex dilectione sua eos vocat. Interea his vocatis inquit. Vt intelligerent se sola diuinae vocationis gratia profecisse, vel insuper profecturos.[Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.] Denique sic affectis optat promittitque praecipua Spiritus sancti dona,gratiam atque pacem.Per gratiam quidem dilectionem efficaciamque diuinam. Per pacem verò reconciliationem apud Deum ob indulgentiam peccatorum. Atque vt totam exprimat Trinitatem,optat nobis haec Spiritus sancti dona à patre per filium prouenire.Et cum nominauit patrem,non solum naturalem eius filium nuncupauit, sed nos etiam patris illius filios adoptiuos, vbi magna charitatis & obedientiae emphasi dixit, nostro.Huc tendit illud Apostoli in sequentibus, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.Item,haeredes quidem Dei,cohaeredes autem Christi.

De rationibus Trinitatis.

CAPVT II.

HActenus Epistolae prooemium exposuimus, sed antequam ad narrationem perueniamus,operaepretium fuerit de Trinitate diuina & humanitatis assumptione per verbum diuinum facta, nonnihil afferre. Nam haec mysteria Paulus & hic & alibi frequenter attingit. Perstringam verò paucis in praesentia. In libro enim de Religione de his latius pertractauimus. Si natura boni est propagare seipsum bonique maioris,se diffundere magis; consequens est, vt Dei bonitas infinita,sui ipsius propaginem proferat infinitam. Cum autem extra Deum nihil esse valeat infinitum, necesse est infinitam Dei propaginem in ipso Deo prorsus expleri.Aeternam videlicet in aeterno.Illic igitur & Genitor est,& Genitus. Et cum vterque sit infinitus,filius patri semper est aequalis.Atque cum infinita natura propter exactam capacitatem duplex esse non possit,sequitur vt vna tum sit patris filiique natura. Quamuis propter relatiuam generantis genitique oppositionem persona sit gemina. Vbi profectò pater alterum se ad votum generare videtur, alterum quidem duntaxat persona, idem verò natura prorsus, natura videlicet singulari. Hinc igitur omne quod vsquã generat,habet vt aliquid pro viribus sibi simile & aequale, & idem saltem speciali natura quasi alterum se generare conetur,efficere verò reuera se alterum solus potest Genitor infinitus. Praeterea quoniam bonus vbique comitatur amor, necessarium est penes bonitatem ipsam eiusque propaginem infinitam, amorem ad se inuicem vigere similiter infini-

tum. Cum vero spirans amorem & inspiratus amore per relationem inuicem opponantur, quamuis eadem eorum sit natura, persona tamen alia iudicatur. quamobrem fateri compellimur, in vna simplici infinita Dei natura tres esse personas æquales inuicem atque simillimas. Verùm si fortè quæsiueris quomodo generatio hæc & inspiratio fiat, respondebimus, per quendam intelligentiæ voluntatisque modum hæc impleri. Profectò paterna fœcunditas perfectè intelligendo seipsam, & in se cuncta, perfectam totius sui & omnium notionem concipit in seipsa, qui sanè conceptus æqualis plenaque Dei, vt ita dixerim, imago est & exemplar mundi superplenum. Conceptus ipse diuinus non quasi imaginarius est, vt noster, sed proles naturalis existens. Quoniam natura Dei ipsa intelligentia est, & intelligentia idem est atque esse. Quod ergo per intelligentiam generatur intrinsecus, per modum naturæ genitum, proles naturalis existit. Fortè verò Orpheus nesciens, quomodo hanc Palladem Orpheus appellauit solo Iouis capite natam. Hunc Dei patris filium Plato in Epistola ad Hermiam nominauit. In Epinomide verò Logon, id est, rationem ac verbum dicens, logos omnium diuinissimus mundum hunc visibilem exornauit. In septimo de Republica, penes Deum filium significat inuisibilem, dum apertè dicit, Solem quoque esse Dei filium, sed visibilem. Zoroaster quoque vnà cum Mercurio intellectualem Deo prolem attribuit. Dixerint isti quidem quod potuerunt, & id quidem adiuuante Deo. Deus autem hoc solus intelligit, & cui Deus reuelare voluerit. Deus denique per æternam, quam diximus, notionem cognoscens ab æuo seipsum infinitum bonum, per eandem ab æuo infinitum in se ad seipsum spirat amorem. Quamobrem pater & filius & spiritus amatorius, tres à Theologis personæ vocantur, natura quidem diuina conuenientes omnino, ita vt vnicus simplexque sit Deus, sed relatione quadam incogitabili differentes. Nempè non alio pater à filio differt, quam hoc ipso quod generat, nec filius à patre per aliud, nisi quod genitus, vtrique rursus in hoc ipso conueniunt, quod vna virtute rationeque Spiritum tanquam amorem mutuum æquè spirant, à patre per filium procedentem, tanquam à personis quidem duabus, ab vno tamen principio venientem. Qui nec à patre filioque simul differt alio, nisi quod spiratur ab illis, illi spirant, nec a filio per aliud quam quod filius quidem generatur, hic autem spiratione procedit. Siqua mens humana intelligeret perfectè, seipsam intellectam vehementer amaret, expressiorem Trinitatis imaginem penes se haberet. Nunc verò cogimur eam in Sole suspicere. In quo Deus suum posuit tabernaculum. In vna enim natura Solis tres vires inter se æquales existunt. Prima quidem naturalis ipsa fœcunditas, à qua Lux intima semper emicat, à quibus prodit intrinsecus calefactoria virtus. Fœcunditas illa patrem, Lux intima filium, virtus calorifica spiritum repræsentat.

Rationes quibus diuinum Verbum assumpsit humanitatem, atque de mundo.

CAPVT III.

HVmanæ mentis finem esse frui Deo, hinc præcipuè coniicere possumus, quod hoc naturaliter omnes optant, nec alibi conquiescunt. Ad id autem peruenire absque certiore quadam fide, firmiore spe, ardentiore charitate non possunt. Tria verò hæc erga Deum consequi nostræ mentes distractæ sensibus & sensibilibus occupatæ non valent. Nam huiusmodi tenebris semper obscuræ diuinam lucem quamuis præsentem, comprehendere nequeunt, quæ quidem nuda sufficit Angelis ad conuersionis affectum, nobis verò nequaquam. Quorum animus oculos quasi duos habere videtur. Alterum quidem sursum spectaturum, alterum verò deorsum. Sed alterutro nimium patefacto, alter interea clauditur. Superior igitur in nobis est clausus, quàm diu inferior per sensus omnino se distrahit, quæ offeruntur sensibus attentius circunspiciens, & ardentius amans. Itaque diuina bonitas nobis clementissimè prouidens, lucem suam antea inuisibilem nostris oculis offerre decreuit, quando eam humanitate vestiuit, vt sensum saltem ipsius, cui dediti sumus, testimonio esse Deum certius crederemus, speraremusque posse consequi, & ardentius amare eum, qui pro homine factus est homo, vt homo quandoque diuinus euaderet. Huius sanè magistri præcepta quem Deum pariter atque hominem esse credimus spernere facilè non valemus. Esse quidem hominem, passiones humanæ demonstrant. Esse quoque Deum, opera miranda declarant. Negare vtique non debemus, nos tolerare posse quæ pertulit homo. Præcepta Dei negligere non est tutum. Nullum igitur ad salutem nostram remedium fuerat opportunius, quàm hoc ipsum quod diuina clementia factum est, vt diuinum lumen sub humana specie

ad nostros

ad nostros oculos perueniret. Hæc igitur Ioannes Euangelista, & similia contemplatus, postquam dixerat, Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, adhibuit testimonium Ioannis Baptistæ de lumine sensibus manifestũ. Deinde diuinum lumen verbumque carnem indutum inquit, suam nostris oculis gloriam ostendisse, dedisseque potestatem, vt Dei filij fieremus Spiritu sancto renati. Siquidem Deus factus iam esset homo, filiusque hominis ex homine natus. In epistola quoque magna, verbum lumenque diuinum & ipsam Dei vitam ad sensus humanos, aures, oculos, manus, descendisse testatur, vt homines per filium cum patre cœlesti feliciter iungerentur. Simile quiddam antiqui vates augurati videntur, vbi Deorum aliquem introducunt sub humana figura homines salutantem atque iuuantem. Cur autem Deus filium factum iam hominem pro hominibus sacrificari voluerit, in sequentibus cum Paulo declarabimus. Videtur etiam Plato noster nonnihil ad humanitatem à Deo assumptam pertinens, in legibus attigisse, vbi ait: Mensura rerum omnium non homo, sed Deus est, maximè vero si Deus fiat homo. Præterea interrogatus quamdiu suis legibus acquiescendum esset, respondisse fertur: Donec aliquis sacratior homine in terris appareat, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes. Denique si quæratur, quomodo humanitas in Christo diuinitati coniuncta sit, respondet Athanasius, quasi quo pacto in homine quouis corpus animæ. Aquinas verò Thomas, quomodo inest lingua. Non enim Deus fit naturalis quædam humanitatis forma propriè, sicut anima corporis. Sed humanitas fit proprium coniunctumque instrumentum ad Dei miracula, id est, ad opera Dei propria mirabiliter peragenda. quanquam sicut in virtute in Trinitate, ita in eiusmodi copula nulla comparatio penitus satisfacit. Omnino vero sicut neque corporis, neque linguæ augmentum vel decrementum ad animam pertinet, aut mentem, quamuis anima corpori vitales motus, & mens linguæ motus expressionis quoquomodo communicet, ita nec in Christo passiones humanitatis diuinitatem tangunt, & si mirabiles diuinitatis actus per humanitatem celantur mirificè diuinitati coniunctam.

De summa Epistolæ. De adoratione. De cultu Dei spirituali. De variis sacrificiorum ritibus.

CAPVT IV.

PRimum quidem gratias ago &c.) Summæ Epistolæ est, ostendere omnes Romæ fideles, siue Iudæos, siue Gentiles gratia Dei vocatos ad fidem esse, gratiaque seruandos neque prærogatiuam scientiæ Gentibus, neque priuilegium legis obseruantiæque ipsius Iudæis, quibus vtrique gloriabantur, ad diuinam vocationem salutemue sufficere, sed ambos ad vtrumque gratia Dei pariter indigere. quod potissimum inde patet, quia vtrique cum ipsis suis prærogatiuis in vitia horrenda ceciderant.

Quæ quidem grauiter increpaturus, lenit eos inprimis, dilectionemque suam erga eos multis modis ostendit, beneuolentiamque captat, vt eum postea castigantem libentius audiant. Principio igitur narrationem quidem ab oratione, orationem vero exorditur à gratiis, ac dum orat ipse, interim orare nos docet. Monet enim vt primo quidem gratias agamus, Deinde verò petamus. Sed quidnam & quomodo postulemus? Spiritalia videlicet bona, Spirituque in Deum prorsus erecto, non pro nobis tantum, sed pro cæteris, & id quidem sedulo. Atque cum hac duntaxat conditione, si votum nostrum diuinæ volũtati placuerit. Incipere autem à Deo, Plato etiam in Epistolis ita præcipit. Principium in omnibus à Deo faciendum est, agendi atque cogitandi. Sed verba eius iterum disponamus.

Primum quidem gratias ago Deo meo. quod enim creditis, ex ipsa Dei gratia prouenit. Deo meo, in quo omne meum posui bonum, per Iesum Christum.) Nam per quem preces, per eundem aguntur & gratiæ. Ipse enim est ad vtrunque inter Deum hominesque conciliator & medius. Pro omnibus vobis. Summæ charitatis est, alieno bono publiceque gaudere, quasi proprio. quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. Paulus strenuus Christi miles illius gloriæ in primis congratulatur. Romanæ ecclesiæ fides, quoniam caput orbis, per vniuersũ prædicebatur, omnibus exẽplo futura, Aduerte Christi fidẽ passim iam diuulgatã. Nã in omnẽ terram exiuit son' eorũ. (Testis enim est mihi De', cui seruio in spiritu meo in Euãgelio filij eius.) Hic vero testem adducit Deũ, secretæ orationis suę pro Romanorũ fide firmãda.

Cui quidem Deo seruit Apostolus, non in cerimoniali Iudaicæ legis obseruatione, sed in spiritu, non quidem affectu solo, sed etiam Euangelicæ prædicationis effectu, appellant autem Euangelium filij Dei, quoniam à Dei filio reuelatum, & de vtraque illius natiuitate æterna scilicet, temporalique tractat.

(Quod memoriam vestri facio sine intermissione semper in orationibus meis.) Quotiescunque oro, pro vobis etiam oro, Et quomodo? Quo videlicet modo pro me atque charissimis, scilicet sine intermissione, id est, continua prorsus attentione pro eo ipso tempore, quod orationibus destinaui. Similiter Thessalonicensibus præcipit. Sine intermissione orare. Id est summa in Deum attentione orate. Cauentes interea ne distrahamini.

(Obsecrans & si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei venire ad vos.) Atque in hac memoria præ cæteris obsecro, vt si modo diuinæ voluntati placuerit, ad vos veniam, saltem post longum tempus, & quomodocunque etiam cum labore, modo sit iter prosperum, id est, vt tandem perueniã, atque prosim. Sed in primis si Deus velit. Quum enim caput adiuuat, omnia membra iuuat. Fortè vero ob vehementius visendæ huius ecclesiæ desiderium, captus Hierosolymis Cæsarem appellauit.

(Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos vos.) Id est, simul consolari in vobis per eam quę inuicem sit in fidem vestram atque meam. Quid vero postremo desiderat? vt mirificam Spiritus sancti gratiam pro eorum facultate illis impertiatur, ne in materiis, sed in spiritu Deum colant. Modeste vero loquens inquit, ad confirmandos, quasi sine illo non parum iam profecissent. Ad confirmandos inquam in fide. Per quam mutua spes augeatur, & charitas, mutuæ videlicet consolationi futura. Per fidem, inquam, quæ inuicem est, id est, communem.

(Nolo autem vos ignorare fratres, quod sæpe proposui venire ad vos & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus.) Postquam dixerat se desiderare atque insuper obsecrare Deum, vt Romam accederet, nunc addit, ob maximum desiderium se iter sæpius tentauisse. Itaque grauissima quædam causa iam assignanda est, ob quam non venerit. Nulla vero est granior quam diuina. Inquit ergo: Prohibitus sum. Iam vero cum supra dixerit, se optare voluntatis diuinæ consensum, & nunc grauissima causa significet se esse prohibitum nec aperiat, Deo prohibitum intelligitur, volente videlicet opportunius aliquid Paulum interea facere. Non enim dixit impeditus, ne fortè tempestate, negociisue detentum existimares. Socratem scribit Plato, diuersa tentantem, sæpe à genio fuisse prohibitum, prouocatum verò nunquam. Diuinior certè causa ducit Apostolum, aliàs quidem vetans, aliàs vero prouocans. assignat autem rursus vehementis desiderij causam, scilicet vt aliquem fructum habeam in vobis, scilicet, vt vos spiritalem fructum feratis, atque ego referam. Sicut & in cæteris Gentibus, quasi dicat, si membra iuui, multo magis iuuare debeo caput orbis, & vos à me sperare fructum, quem & alibi protuli, nec ego beneficii mei gratiam à vobis expeto, quia vobis & omnibus debitor sum, iubente Deo.

(Græcis atque Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Itaque in me promptum est, & vobis qui Romæ estis euangelizare.) Beneuolentiam multipliciter demonstrauit atque captauit. Sed cum Græce scribat, hic Græcorum more, præter Græcos, omnes Barbaros appellauit. Iusserat enim Deus, vt portaret nomen suum coram omnibus Gentibus & regibus & populis Israël. Itaque Corinthiis inquit. Væ mihi si non euangelizauero sapientibus & insipientibus. Etiam doctos docere audet, & rudes erudire dignatur. Si autem quod omnibus debeo vobis reddidero, gratiam à vobis nullam posco. Quod in me est, quantum ad voluntatem meam pertinet, quandocunque Deus voluerit, ad eiusmodi officium sum propensus. Inquit autem in superioribus in spiritu seruire se Deo, quia Christus ait, veri adoratores in spiritu & veritate adorant. Quia Deus tanquam spiritus & veritas, sit in spiritu & veritate colendus. Quibus in verbis Christus & Paulus materialem cultum vel improbant, vel minimè probant. Apollonius Thianeus Pythagoricus, item Iamblichus Porphyriusque Platonici, species quinque cultus esse disputant, pro quinque speciebus spirituum qui coluntur. Spiritus enim infimos crassum aërem habitantes, sacrificiis ex frugibus animalibusque coli solitos. Spiritus autem purum aërem incolentes, vaporibus sonisq; & cantibus atque luminibus. Ætherea vero numina orationibus luminibusq; simul. Sed intellectus à corporibus separatos intelligentiæ viribus atque moribus.

Horum denique patrem excessu quodam mentis, & ineffabili voluntatis affectu. Iamblichus inter hæc damnat Ægyptios, quod materiali cultu præ cæteris vterētur, aëriorumque dæmonum cultores essent. Anteponit autem iis Chaldæos, qui spiritalem cultum potius sequerentur, vtpote qui separatas à materia mentes patremque earum præcipuè colerent. Hæc quidem illi viderint. Nos autem ne longè digrediamur; Reuertentes ad Paulum, præcipuum esse cultum orationisque modum dicimus, qui spiritu, id est, intelligentia & voluntate per charitatem in Deum erecta perficitur. quod autem communiter traductum est, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis, ita etiam interpretari licet, vt aliquod vobis gratiæ donum impertiar. Nam charisma in Epistola ad Corinthios donum Spiritus sancti significat. Ostendit autem hic Apostolus Romanos vltra fidem, quæ & ipsa Spiritus sancti donum est, indigere duobus præterea donis, scilicet, intelligentia atque charitate, quibus tanquam lumine simul atque odore fides eorum confirmetur, id est, stabiliatur atque roboretur, viuaque & operetur, vt viua quæ hactenus tanquam obscurior atque frigidior & vacillabat, & tanquam exanimis non satis agebat. Arguit enim eos quasi ceremoniis materiisque deditos, nec dum charitate flagrantes. Hinc ergo desiderat profundiores quosdam scripturarum sensus diuinioremque cultum illis tradere & charitatem ardentiorem in eis accendere, per quæ quidem Spiritus sancti dona, quæ & ipse gratis acceperat, proueniat spiritalium donorum effectus ille mirificus paraclesis cum paracleto congruens, scilicet consolatio animum recreans atque fouens lumine, scilicet & calore, & nullis aduersitatibus perturbetur. Idque futurum promittit per fidem ipsis communem, hactenus quidem Romanis inchoatam, tunc vero perfectam, fidem inquam, in ambobus ad Deū quidem vtrinque directam per charitatem bona inuicem operantem. Proinde nisi prolixitatem verere, de luminis & caloris virtute differerem. Quemadmodum illud quidem sensibus monstrat omnia omniumque imagines efficit. Hic autem recreat, atque generat omnia, tantoque charitatem quasi calorem intelligentia quasi luce meliorem esse, quanto melius est efficere quam ostendere, & res ipsas generare, melius quam rerum similitudines ostentare. Denique quanto nobis optabilius est foueri calore, quam lumine delectari. quapropter in symposio Plato noster inquit, mentem nostram denique per amorem cum diuina mente coniunctam ipsas rerum ideas virtutesque non modo spectare, sed in seipsa iam generare. Siquidem vis amoris vnifica genitrixque sexistit, sed de his vbi de charitate in Epistola ad Corinthios prima differetur, oportunius disputandum.

De virtute Euangelij, fide gemina, charitate Quomodo differant, dubium, opinio, scientia, fides, de cultu Gentilium, de lege Mosaica.

CAPVT V.

NOn enim erubesco Euangelium Christi, virtus enim Dei est in salutem omni credenti Iudæo primum & Græco.) Audiuerat præceptum illud Seruatoris apud Lucam: qui erubuerit me & meos sermones, hunc filius hominis erubescet. Euangelij prædicationem tria impedire posse videntur, pericula, labores, ignominia. Cum non Paulus pro Christi gloria nec pericula timuerit, nec labores recusauerit, nimirum nec ob suspicionem ignominiæ vllius erubuit. Quippe cum sciret Euangelium non esse rem debilem vel humanam, sed diuina virtute refertam, scilicet, sancto Spiritu Euangelij præcones vaticiniis & miraculis muniente. Similia Paulus Corinthiis inquit. Prędicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, Græcis vero stultitiam. Ipsis autem conuersis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & sapientiam. Item verbum crucis, quamuis pereuntibus stultitia sit, nobis tamen virtus Dei est. quoniam non videbatur erubescere Christum debere aut vt vile quiddam aut stultum. Ideo dixit: Dei virtutem atque sapientiam. Iam vero filius Dei nominatur sapientia, lux & veritas, quia per modum intelligentiæ nascitur. Nominatur & virtus, quia in hoc conceptu potentia tota patris exprimitur. Vniuersum verò comprehendit Paulus ad Hebræos dicens: Portans omnia verbo virtutis suæ. Virtus autem Dei, quæ in Euangelico verbo tanquam viuente & efficaci spirat, quidnam in credentibus operatur? Diuinam gratiam & salutem. Iudæo primum & Græco, id est, omnibus, Græcorum enim nomine omnes idolorum cultores complectitur. Huius enim cultus præcipui authores Græci fuerunt Dixit autem Iudæo primū, non quia Iudęorū tātū vel pręcipuè

gratia salusque futura sit, non enim est apud Deum acceptio personarum, quantum videlicet ad finem spectat, vel ad ea quæ omnino necessaria sunt ad finem, sed dixit Iudæo primum, quia Iudæi propter priuilegium Prophetarum atque Christi, priores ad salutem properare debent, cæteris exemplo futuri. (Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, iustus ex fide viuit.) Diuina virtus in Euangelio per tres potissimum gradus ad salutem felicitatemque perducit, per fidem quasi geminam atque iustitiam. Credendum enim est, non solum Prophetis Christum prędicentibus venturum, sed etiam Apostolis affirmantibus iam venisse. Credendum verbis, credendum similiter & operibus, nec sola fides habenda est, & simpliciter, sed fides ipsa quam charitas comitans facit viuam & efficit operantem. Auditor igitur Euangelij, hac quasi gemina fide prǽditus, ipsam Dei iustitiam assequi iudicatur beatitudinis effectricem, non humanam duntaxat decretis mortalium institutam, nec illam, inquam, apud Iudæs ceremonialium legum obseruatione cōtentam, sed Euangelicam spiritali veritate constantem. Lex Mosaica data diuinitus, per obseruationem sui ad iustitiam perducebat, non tamen ad ipsam potissimam Dei iustitiam. Data enim erat mancipiis, rudibus, atque pertinacibus potius, pro eorum modo ad tempus quoque videlicet ita dis posito, quam pro voluntate præcipua Dei. Iustitia vero Dei per legem Euangelicam reuelatur. Propheta Abacuc eiusmodi iustum, inquit, hac fide iustitiaque iustum factum, iam diuina quadam vita viuere. Iustitiam sacræ literæ virtutem significant vniuersam. quam Aristoteles legalem iustitiam nominauit, & Plato in legibus præcipuam legum intentionem. Iustitia enim eiusmodi est obseruatio legum, leges autem vniuersam virtutem spectant atque præcipiunt. In Republica confirmat idem dicens: Iustitiam esse harmoniam totius animæ ex omnibus simul virtutibus resultantem. Hanc iustitiam neque Gentiles neque Mosaica lex penitus consummauit. Nam & Gentilis pro hominum opinionibus, & Mosaica pro natura & consuetudine populi promulgata videtur. Euangelica vero lex ad iustitiam, id est, vniuersam virtutem perducit, non ciuilem duntaxat, sed purgatoriam atque potius animi iam purgari. Secūdos quidem animi motus eradicans, primos quoque pro viribus amputans, idque totum Dei gratia faciens. Quatuor hæc inter se differunt, dubium, opinio, scientia, fides. qui dubitat in alterutram partem æquè versatur. Qui autem opinatur, ad alterum quidem oppositorum potius inclinatur, sed interea quodammodo vergit ad alterum. Scientia vero vni extra controuersiam cum ratione consentit, sed fides ad vnum proculdubio authoritate dirigitur. Fides autem, quasi duplex, vt dixi, consideratur, aut enim informis, aut charitatis feruore formata, & si informis atque formata fides eadem forsitan esse potest, tamen ita demum virtus est, si charitate formetur. Quod in superioribus diximus idolalotriam à Græcis esse profectam, Plato noster in Cratylo confirmat. Exponens enim deorum nomen Theous Græcè, id est, currentes, ideo appellatos ait, quoniam veteres ab initio stellas, quæ semper mouentur, adorauerint tanquam Deos. quoniam vero pro stellarum ordine appellationeque in aëre quoque dæmones coluerunt, homines præterea nonnullos stellarum dæmonumque certo quodam, vt opinabantur, influxu progenitos, his consequenter simulachra & sacrificia quædam propria dicauerunt, ex quibus vniuersa idololatria cōstat. Item legem Mosaicam quasi non penitus absolutam, sed pro capacitate suscipiéntium datam, non solum Dominus in Euangelio emendauit, sed Socrates etiam atque Plato. Quod enim illa vindictam permittit æqualem iniuriæ propter sæuitiam iudæorum, hi Philosophi in Critone, Gorgia, Republica, Epistolisque emendant, omnem videlicet priuatam vltionem penitus comprobantes. Iam vero Socrates percutienti genam alteram obtulit. Non dixit Euangelium esse ex diuina virtute, sed Dei virtutem esse. Quod & Corinthiis confirmauit, dicens: Verbum crucis Euangelium Dei virtus est. Virtutem verò Dei sæpe Christū nominat, vt Christum prædicamus Dei virtutem & Dei sapientiam. Cum igitur Euangelium nominat Dei virtutem, dicere videtur Euangelium esse Christum, nempe Christus est Dei verbum, humanitate vestigium, sanctificante spiritu. Euangelium quoque siue in meditatione, siue in voce, siue in scriptis, Dei verbum est, prolatum quidem afflante spiritu, sed humana meditatione, vel voce, vel scriptura vestitum, videtur autem eiusmodi copula diuini verbi cum eiusmodi corpore non solum in Apostolis, sed etiam in Prophetis ab initio extitisse, vt tota diuina scriptura per sanctum spiritum de Christo lo-

loquens, quasi ipse sit Christus, vbique viuens & spirans in omnes, qui vehementiore quodam affectu legunt, audiunt, meditantur. Quapropter Paulus clam hic admonere videtur, vt ad Euangelium cum summa reuerentia, fermè sicut ad Eucharistiam, accedamus.

Contra Gentiles, quomodo Deo ingrati, & de impietate, & quomodo diuino lumine Deum cognouerint.

CAPVT VI.

Reuelatum &c.) Romanis hactenus salutem dixit, optauit bona, præcipuè gratiam atque pacem, demonstrauit ingentis erga illos charitatis affectum, visendi desiderium diuturnum, dilationis longæ causam, firmum in Euangelio institutum, Euangelij denique salutare promissum. Cum igitur beneuolentiam ab his captauerit, salutaribusque promissis parituros mirificè fuerit consolatus, iam minis ac terroribus pertinaces aggreditur, & primo quidem Gentiles corrigit, deinde Iudæos. (Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam eorum hominum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.) Impietatem, id est, diuini cultus præuaricationem. Iniustitiam, id est, vniuersam prauitatem inde profectam. Veritatem Dei, id est, Dei notitiam diuino lumine habitam. Iniustitia, id est, ingratitudine detinent, vt in luto thesaurum. Vide quam consequenter singula singulis opposita reddat, nempe in superioribus dixerat, in Euangelio virtutem vigere diuinam, salutem credentibus afferentem, dum in ea reuelatur iustitia Dei per geminam fidem, scilicet, per pietatem proculdubio comparanda. Hic verò consequenter infert, diuinam iram in Euangelio reuelari de cœlo venturam vltricem, scilicet, impiorum iniustorumque, videlicet in fide, & charitate opera delinquentium. Potissimum vero contra illos, qui veritatē in Dei iniustitia, id est, ingratitudine detinent. Qui, scilicet, ingenio & doctrina, & philosophica facultate cæteris excelluerint, nihilo vero minus ingrati Deo fuerint. Quippe cum naturale lumen donumque philosophicum à Deo tributum, tanquam iniusti Deo, vt par fuerat, non reddiderint. Propterea quod Deum hoc lumine cognitum, non rite coluerint. Tales autem Gentiles Græcique potissimum extiterunt. Appellauit autem iram Dei graue supplicium, si Deus irasci posset, ira grauissima inferendum; Deus peccatores quidem curabiles affligit, tanquam medicus gratia sanitatis, incurabiles autem irati more cruciat, vt disperdat. De cœlo inquit, duplici forsitan ratione, & quia Christus promittitur ad iudicium de cœlo venturus, & quia sicut ordo cœlestium Deum illis ostendit rectius venerandum, sic & cœlum postremò Deum vindicem patefacit. Omnino vero quotidianum iudicium sub figura iudicij postremi significat, vt magis terreat impios. Inquit autem omnem impietatem; quia multæ sunt species impietatis, quas Plato in decimo legum enumerat latius, & effulminat. Impios sane vocat eos, & qui Deum esse negant, & qui affirmato Deo auferunt prouidentiam. & qui Deum prouidere quidem fatentur, sed delictis iratum non tam pœnitentia purgationeque mentis humanæ, quam sacrificiis muneribus, placari putant. Has autem opiniones impias Plato dignas venia minimè censet, nam & quamuis per ignorantiam quadam tam male de Deo sentiant, ipsi tamen vel per negligentiam, vel per ebrietatē quandā ex animi perturbatione profectam, ignorantiæ suæ causam præbuerunt. Quod enim deceat in diuinis, præter lumen intimum, & leges tàm ciuiles quam sacræ, & insignes Philosophorum scholæ palam vbique docent. Proinde quemadmodum nihil acceptius Deo, quam diuina rectè colere, ita nihil detestabilius, quam in ipso diuinorum cultu præuaricari, in quo Gentiles maximè deliquerunt. Inquit autem, detinent, quia lumen naturæ diuinitus insitum in ingratis superbisque remanet, vt quod fuerat index, postea fit & iudex, quodue puris oculis fuerat salutare, noxium fit impuris. At vero ne forte præuaricationem suam ita defendant, quonam modo potuimus celebrare, quæ ne cognoscere quidem possumus? Apostolus obiectionem ita dirimit, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Quod enim supra dixerat veritatem Dei, hic appellat, notum Dei, scilicet, quod verè de rebus diuinis hominibus naturaliter notum esse potest, quod & ad rectum cultum sufficit diuinorum, id ipsum profecto fuit Gentilibus manifestum, atque vt ad eiusmodi cultum arctius eos obstringeret, mox adiunxit, non tam industria operaque mortalis quā ipsemet Deus ipsis manifestauit. Ait autem non tam illis quam in illis, vt declaret, sufficiens ad diuinorū notitiam lumen mentibus ab initio diuinitus insitum.

Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Omnem diuinorum veritatem diuino quodam lumine intrinsecus patefieri, in Theologia nostra rationibus Platonicis demonstrauimus, præsertim à septimo de Republica sũptis, vbi traditur à Platone, sicut oculus solis beneficio solaria, id est, luminosa, videt, sic animus diuina ipso Dei lumine percipit. Hinc & in Epistolis Platonicum illud: Ex diuturna diuinorum meditatione, subito tandem, velut ab igne scintillante, lumen effulget in mente, seque ipsum iam alit. Hinc Iacobus, omne veritatis lumen desuper, inquit, à patre luminum prouenire, à patre qui illuminat, vt Ioannes inquit, omnem hominem venientem in hunc mundum. Dicitur autem: Deus manifestauit, quoniam communem notitiam diuinorum Deus ipse sicut Iudæis reuelauerat per Prophetas, ita Gentibus manifestam effecerat per Philosophos. Hinc quidem effectum est, vt & Iudæi Prophetis, & Gentiles philosophis frequenter gloriarentur, & inanem vtrorumque iactantiam, in hac Epistola Paulus castigauerit. Iamblichus quoque Platonicus artium liberalium inuenta Diis attribuit, Platonem in Timæo sequutus, dicentem, philosophiam donum esse Deorum, notitiamque Deorum atque dæmonum ad nos per antiquos Theologos descendisse, quibus quidem ob familiaritatem, quasi Dei filiis, suorum notitiam Deus ipse concesserit, multi philosophos spernũt omnes, quasi opinione sola scientia vero nulla nitantur. Paulus autem, scientiam illis multam concedit, etiam diuinorũ, sed superbiæ & ingratitudinis accusat.

Quomodo inuisibilia Dei per visibilia cognoscantur. Quomodo trina penes Deum causa, & de triplici cognitione diuina quasi cælo trino.

CAPVT VII.

INuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quę facta sunt, intellecta conspiciuntur.) Si forte quæras quomodo Deus philosophis, perque philosophos Gentilibus suam aperuerit veritatem, respondet Paulus duobus præcipuè modis, per intelligibile lumen atque sensibile, per intelligibile, inquam, mentibus naturaliter insitum; & vt in Republica inquit Plato, quotidie etiam superfusum. Per sensibile quoque lumen, in quo pulcherrimum mundi ordinem artificiumque mirabile mentibus per oculos offert, euidentissimum diuinorum diuinitatisque testimonium, præsertim in stupendo cœlestium splendore & ordine constitutum, quo quidem cœli enarrant gloriam Dei. Mitto nunc quomodo lumen etiam hoc oculis manifestum incorporeum quiddam sit atque diuinum, & quomodo per hoc, quasi vestigium quoddam, ad inuenienda diuina Deumque vnum, progredi liceat, hoc enim in libro de Sole lumineque tractauimus. Profecto Paulus vbi dixit, manifestum in illis, & vbi dicit, intellecta, lumen primum videtur attingere; sed vbi ait, per ea quæ facta item conspiciuntur, secundum lumen significare putatur. Sed quænam inuisibilia Dei significat? Intellectuales forte substantias quæ & nullo sensu vel interno percipiuntur, & sunt Dei solius effectus. Eiusmodi sanè substantias non solum Platonici, sed etiam Peripatetici, per mundanarum sphærarum motum atque ordinem cognouerunt. Hæc autem corporea facta dicuntur, quia ex materia composita sunt, intellectuales verò substantiæ, non tam factæ quam ex nihilo creatæ putantur, huc forsitan tendit illud, opera manuum eius annuntiat firmamentum. Præterea inuisibilia Dei dicuntur exemplaria rerum omnium in ipso Deo, quę & sensum & imaginationem prorsus exuperant. Quod quidem ad Hebræos Paulus ita significare videtur. Intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Nempe in ipso intelligentiæ diuinæ conceptu ideales omnium eorum rationes extendunt, fecit enim cœlos in intellectu. Ex his ideis, velut exemplaribus visibilia omnia sunt effecta, vt ipsæ merito philosophicæ tanquam per imagines cognoscantur. Duo quidem sæcula sunt æternitas atque tempus. Verbum igitur, id est, diuina ratio, rerum artifex, ita hæc sæcula coaptauit, vt ab æternis temporalia dependerent, item vt imagines idearum in ęternitate micantium in temporali seculo refulgerent. Dicit autem, intellecta conspiciantur, nam animus cum primum per sensum iam monitus contemplatus est ideas, mox ad sensibilia ista reuertitur diligentius, & maiori cum admiratione quã ante, conspicienda à creatura mundi, nisi addidisset, mundi, forsitan interpretari licet ab homine, quoniam in eo sit omnis creatura, neque id quidem satis aptè. Cum vero dicat. à creatura mundi, aptius exponemus, ab ipso mundi exordio ingenia philosophica per artificium mundanum, vbique mirandum cæpisse diuinam

artem (qua hæc omnia pulcherrimè disposita sunt) prorsus inuestigare, vt diuinorum notitia non noua sit hominibus, sed antiqua. Plato noster in Prothagora disputat, ante omnes artes ab initio rerum homines propter quandam cum diuinitate cognationem, notionemque intimam incepisse augurari Deum, atque venerari diuina. Præterea in Timæo à creatura, id est, effectione mundi, ita fermè Deum inuestigauit. Mundus profectò cum sub sensu cadat, ideo essentiam non omnino profectam habeat. Merito à causa quadam superiore dependet, & hoc vnum opus à causa tandem vna, & pulcherrimum à sapientissima, & pro viribus optimum ab ipso bono, & quoniam artificiosissimè compositum est ab arte summa, exemplarique exacto, penes causam existente. Nos igitur in Commentariis in Timæum ex hoc opificio tres apud Deum causas operis indagamus. Ex magnitudine quidem machinæ, motu celerrimo perpetuoque, mirabilibus rerum quasi innumerabilium viribus admirandam in causa virtutem atque potentiam. Ex ordine miro artificiosaque pulchritudine sapientiam prouidentiamque prorsus incomparabilem. Ex cõmuni rerum commoditate omniumque ad bonum velut ad finem directione prouidam & mirificam bonitatem. Tria hæc igitur, Potentia, Sapientia, Bonitas, vt placet Theologis, attributa patrem & filium sanctumque Spiritum repræsentare videntur. Diuinam quidem potentiam præcipuè dicimus mundi causam effectricem, sapientiam consequenter operis huius exemplar, bonitatem denique finem. Triplicem hunc ordinem causæ penes Deum Plato noster regi Dionysio declarauit, exemplar quidem dum inquit, ex ipso & per ipsum, & in ipsum omnia. Ex ipso efficientem, per ipsum exemplarem, in ipsum finalem causam nobis exprimens. Quamobrem in præsentia tria hæc attingens, causam prius affert exemplarem, dicens: Inuisibila Dei, id est, intelligibiles rerum ideas per visibilia earum in mundo simulachra coniectari. Deinde efficientem penes Deum causam, vbi ait sempiterna quoque virtus. Postremò finalem dum addit atque diuinitas. Sempiterna virtus, id est, infinita potestas, quam Philosophi etiam Peripathetici ex perpetuo omniformique ingentium machinarum motu perscrutari videntur. Platonici quoque rationibus multis, quas in Theologia & in Platonem Commentariis explicamus. Diuinam Paulus bonitatem, quatenus rerum omnium finis est, omnibusque prouidet, diuinitatem appellare videtur, quia summa rerum causa finis est, vt Plato probat, præcipuumque nomen Dei bonum, vnde diuinitas dicitur, id est, bonitas, & bonum, vt inquit Aristoteles, commune diuinum. Non vtique dicimus Philosophos Deitatem ipsam ex operibus inuenisse. Hæc enim est ipsa Dei substantia, illis adhuc ignota, sed diuinitatem, id est, beneficam prouidamque per cuncta diffusionem, & segregatam interim excellentiam. Proinde triplicem de Deo cognitionem, quasi cœlum trinum, vt in libro de raptu Pauli scribimus, esse putamus. Nam aut Deus in rebus agnoscitur, aut cognoscuntur res in Deo, aut Deus in se ipso cognoscitur. Modos itaq; duos, cœlos quasi duos, Philosophi posse disse videntur. Nam & quantũ diuinitatis sit in mundo, & qua ratione mũdi exẽplar exprimatur in Deo, hactenus comprehenderunt. Quid autem ipse Deus in se ipso sit, & Plato in Parmenide confitetur ignotum. Idemque Dionysius Areopagita confirmat, & solus Paulus raptus ad tertium cœlum est assequutus. Inuestigandum nobis diligentius erit, cur dixerit, intellecta conspiciuntur, videbatur enim potius dicendum, conspectu intelliguntur, nam per aspectum ad intelligentiam peruenitur, videtur autem Paulus hic attingere, quod & Corinthiis inquit, videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc vero facie ad faciem. Hic igitur exponẽdus ita videtur, intellecta perspiciuntur, id est, quando intelliguntur hic à nobis per modum visionis in speculo cognoscuntur, nam καθορᾶται ita significat. Plato Plotinusque res veras esse duntaxat ideas existimant, formas autem naturales rerum verarum, id est, idearum imagines esse, ex influxibus inuisibilium idearum in ipsa mundi materia quasi speculo resultantes ad sensum. quarum aspectu vides homines ita falli vt res veras existiment, perinde ac si infantes imagines apparentes in speculo pro rebus omnino veris accipiant. Hinc forte Salomon materiam vnitatem vocat, vnitatem ostentatricem, & omnia vnitas, id est, omnia fallunt, iudiciumque vanum reddunt atque falsum. Philosophi verò, præsertim Platonici, formas in materia mundi considerantes, agnoscunt eas esse similitudines idearum, vt viri per imagines in speculo, si modo sint in speculo, animaduertunt totidem à tergo res esse. Ad quas quidem ideas in alia vita conuertentes vultum, perspicaciter, vt inquit Paulus, facie ad faciem con-

templantur, ita fermè cum propheta clamantes, Domine Deus virtutum conuerte nos. Illumina vultum tuum super nos, & salui erimus.

Inexcusabiles qui Deum cognitum non coluerunt. Quomodo vani stultique euaserint. Cur alia & quomodo præter Deum coluerint.

CAPVT VIII.

ITa vt sint inexcusabiles.) Præter tres illas impietatis species, quas narrauimus in superioribus, Platonica lege damnatas, Paulus quartam prosequitur contra Gentiles apud eos crebram & nulla venia dignam. Siquidem hanc ignorantia defendere minime liceat. Apud hos enim non Leges solum, sed etiam Philosophi Deum vnum omnium conditorem singulis prouidentem, principium rerum atque finem aptissimè celebrant, vt hoc ignorare nemo debuerit, nisi vel vltro negligentissimus, vel sponte animi perturbationibus ebrius, quibus plane quasi voluntariis ignorantię nostræ culpis iustus Iudex nullus ignouerit, propterea dixit, istos inexcusabiles. Quia cum Deum cognouissent &c. Cognouerunt sanè non solum ipsi philosophantes, sed populi etiam à legibus philosophisque instructi. Cognouerunt inquam, si omnia sunt ex primo, summo iure, primo cuncta reddenda. Si etiam tendunt ad primum velut ad finem, illi merito dedicanda. Illud in cunctis, & præ cæteris venerandum. Illius gratia omnia cogitanda, petendaque similiter & agenda, si ab illo omne veritatis lumen, eidem omnis inuentionis veræ gratia referenda, si ab eodem omnia bona, merito huic soli vel potissimum nos obnoxios esse fatendum. Quamobrem Paulus quartam impietatis speciem acerrimè detestatur, quando quispiam gloriam primo debitam ad aliud quiddam transfert, vel quasi Deum vel quasi diuinum. Hanc enim impietatem esse summam asserit iniustitiam. Siquidem quod primo omnino debemus, eidem hoc auferimus & aliis immeritò indigneq; tradimus. Ideo subiunxit: Non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt id est, non præcipuo quodam, vt par erat, obsequio coluerunt. Neque luminis diuini, quo inuentum est, vel vllius accepti boni gratias, aut soli, aut primas egerunt, & quoniam de lumine modo mentionem fecimus, meminisse debemus, Platonem in septimo Republica probare geminum mentes humanas, vel in hac vita lumen a Deo suscipere. Primum quidem proprium quidem proprium vnicuique naturaliter insitum. Alterum verò commune cunctis in qualibet mentis contemplatione porrectum, quo & vera omnia, & ipsum verorum fontem intelligere valeant, sicut & oculi geminum habent à Sole lumen ingenitum atque diurnum, quo cætera videant, atque Solem. De iis quidem in septimo de Republica, libroque de Sole & in Theologia latissimè disputamus. Apostolus igitur Gentiles increpat, quod nec inuentum Deum honore affectuque debito prosequuti fuerint, neque luminis quo inuenerant gratias vllas egerint. Denique verus Dei cultus est, Deum cogitare frequenter, propter seipsum ardenter amare. In omnibus agere gratias & orare, totam vitam ad illius voluntatem imitationemq; componere, quod quidem Gentiles minimè perfecerunt. Exteriores vero ceremoniæ non ipsæ cultus sunt, sed indicia cultus, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Quod Latinè scribitur cogitationibus, Græce habetur διαλογισμοῖς id est, excogitationibus vel argumentationibus & discursionibus atque syllogismis. Euanescere autem hic, vt ita dixerim, superbire & inaniter gloriari & delectari significat. Id verò totum summatim duobus modo propositis aduersatur, est enim contra illud quod dicitur, glorificare, rursusque gratias agere. Philosophi namque communiter postquam vniuersi ordinem mente complexi, ex hoc vnum ordinatorem omnium assequuti sunt, consueuerunt vniuersa hac inuentione quasi suo quodam fœtu pulcherrimo nimium blandiente, mirificè delectari, hunc ardenter amare, in hoc velut fine penitus conquiescere, quod quidem superbum illud Luciferi facinus repræsentare videtur. Nam ob nimium sui conceptus amorem atque gaudium, quasi obliti sunt venerari Deum, inuentionisque tantæ authori gratias agere. Interea suis confisi viribus, quasi industria sua quæsiuerint & inuenerint, potius quam luce & ope concessa diuinitus. Perinde ac si quis quod sub Luna plena videt, non agnoscit se Solis lumine perspexisse. Huc forsitan tendit illud: Dies diei eructat verbum, id est, diuinum lumen piæ menti dictat inuentionem, nox nocti indicat scientiam, id est, pro confidentia sui, ingratitudini suadet, suis viribus scientiam, adipisci forte etiam nocturna diaboli confidentia, ingratitudinem obscuramque opinionem nostri

nobis adauget. Et obscuratum est insipiēs cor eorum sicut oculus à Sole se auertens euadit obscurus, Solis videlicet splendore priuatus, sic intellectus sui ipsius amore gaudioque distractus à Deo, promissum illud beatum gratiæ lumen non reportans, obscurus euadit, ob humanæ sapientiæ opinionem sapientia diuina priuatus. Omnino vero qui amorem gaudiumque suum non tam in Deo iam inuento, quam in inuentione propria collocat, nunquam ineffabile lumen gaudiumque penes Deū vigens percipere potest, neque gustat vnquam, neque videt, quam suauis sit Dominus, neque thesauros illos apprehendit, quos abscondit Deus diligentibus se. quapropter inanis, vacuus, obscurus, insipiens iudicatur. Et si Philosophi nonnunquam opinati sunt, intelligentiæ lumen, quo Deum cernunt, se habere diuinitus, plurimum tamen gaudio, & amore inuentionis propriæ nimio, tanquam ebrij, diuinitatis verique cultus obliti videntur. Nam & si interdum leui quadam imaginatione vel verbis, nunquam tamen toto prorsus affectu Deum ipsum gratiarum actione, vel laude prosequuti videntur. Dicentes esse sapientes stulti facti sunt. Ex hoc enim ipso quod contemplatione sua, tanquam sapienti suo quodam inuento, gloriabantur, stulti facti sunt, diuinam videlicet lucem, sapientiam non adepti, vide interim decentem in verbis Pauli consequentiam. Ad id enim quod dixerat, euanuerunt, consequenter pertinet, quod subiungit, dicentes esse sapientes, ad illud iterum vbi ait: obscuratum est insipiens cor eorum, oportunè spectat quod modo subiecit, stulti facti sunt. Radius ab ipso Deo ad perpendiculum descendens in animum, si obliquum inæqualem reperit, per eum prosilit è transuerso, neque demonstrat Deum, scilicet, inane quoddam in animo coruscamen. Vanum inquam, quia hic deest obiectum vnde venit, & finis cuius gratia venit. Sin autem nactus est animum planum penitus & æqualem, resilit in Deum protinus, capitque secum animum ad obiectum finemque suum feliciter apprehendendum, vbi mens denique Deo fruens, fruitur quoque seipsa, seipsam videlicet consequens in idea. Animus autē qui primum in seipso quiescere tentat, ob hanc iniustitiam, nec assequitur Deum, neque seipso fruitur, quia caret idea quæ verus animus est, in qua & animus reformatur Hinc obscurus, inanis, insipiens nominatur. quod autem impius hic euestigio etiam stultus euaserit, euentu demonstrat Apostolus, per id quod sequitur, & mutauerunt &c. Gentilium Religionis antistites, qui & fuere Philosophi, simulque Poëtæ, non solum hoc quasi superbia ingratitudineque in Deum peccauisse videntur, sed etiam mūdanorum vel bonorum amore, vel malorum timore nimio deliquisse. Cum enim sub Deo summo non solum separatos à corporibus, intellectus, quos vltra mundanos Deos nominant, inuenissent, verum etiam coniunctos cœlestibus, quos mundanos Deos nuncupant, sphæras videlicet atque stellas, dæmones quoque in aëre vel puro crasso, adorationes & sacrificia Diis mundanis potius quam superioribus, & inter mundanos potissimum dæmonibus, instituerunt atque seruauerunt, spirantes videlicet numinum mundanorum cultu, mundana quidem bona consequi, mala verò vitare. Atque ita vulgus horum etiam studiosius assuefecerunt vouere & sacrificare dæmonibus. Quippe cum etiā speraret à propinquis numinibus magisque à superioribus exaudiri, quod quidem sacrilegium ex nimia diuitiarum auiditate, quæ vitæ vsibus & libidinibus subministrant, quas & dæmones suppeditare creduntur, admodum inualuisse videtur, vt merito Paulus auaritiam Idolorum seruitutem nominare voluerit. Denique quod non solum impium, sed etiam ridiculum iudicatur, animalia multa certis, vt putabant, subiecta dæmonibus vulgo colenda dederunt Iam vero Iamblichus & Porphyrius sacros Ægyptiorum, Græcorumque, & Romanorum ritus improbauerunt, quod corporeorum vel bonorum vel malorum gratia, corporea numina potius quam incorporea colerent, sed iam ad ipsum verborum contextum regrediamur.

(Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentum.) Deum hic quidem incorruptibilem dicit comparatione hominis. Alibi verò, inquit, qui solus habet immortalitatem, quia solus per se est immortalis. Simile quiddam in Timæo Plato noster inducit, sed aduerte precor qua arte & quanta simul indignatione potentissimus Paulus Gentiles à summo ad infimum tanquam fulmen repente præcipitet. Tacuit enim quod summi Dei venerationem ad stellas dæmonesque deduxerunt, quod quidem minus mirabile fuerat, intulit autem subito gloriam primo debitam, homini corruptibili deditam.

Conquestus est etiam, quod non hominem saltem viuum adorauerint, sed simulachrum, nec solum hominis, sed brutorum, nec solum honestiorum saltem, sed serpentum. Inter hæc considera dictum circa hominem, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Platonici enim & Homerus atque Maro, corpus nostrum imaginem animæ vocauerunt. Apostolus ad hoc alludens Gentiles vituperat, quod nec animam ipsam hominis adorauerint, nec saltem corpus hominis animatum, quod imago animæ nuncupatur, sed corporis similitudinem, id est, statuam picturamque honorauerint. Sed nunquid existimandum est, doctissimos illius Religionis Antistites pro nominibus talia coluisse? Nequaquam. Imò tam absurdè adorationis ansas vulgo dedisse. Profecto quemadmodum in Commentariis in Platonem atque Plotinum, & in tertio de vita tractamus, sapientes antiqui mundanorum, vt aiunt, Deorum dæmonumque & numinum gradatim inde sequentium, series quasdam longas disposuerunt. Sub qualibet stella certos ibi cœlicolas, sub iis in aëre alios deinceps, aliosque dæmones, eadem scilicet proprietate cum superioribus cognomentoque præditos. Saturnios, sub Saturno, sub Ioue Iouios, & Martios atque Phœbeos, cæterosque similiter. Præterea sub Saturniis, Iouiisue dæmonibus Saturnios homines atq; Iouios. Animalia rursus præter hominem ad hunc, vel alium cœlestem, vel cœlicolam, vel dæmonem pertinentia, nec animalia tantum, sed plantas etiam & metalla, & lapides quosdam superiorum proprietates saltem imaginarias habere putarunt. Et vt in præsentia mittam, quomodo Magi per inferiorum electionem compositionemque docuerint homines ad se superiora quędam cum inferioribus cõgruentia opportune deducere. Certè religionis illius Antistites, qui ijdem atque Magi fuerunt, vbi templa cœlestibus & cœlicolis dæmonibusque dicauerunt, serie certa dispositas ibidem, & statuas hominum locauerunt, quos præ cæteris existimabant præcipuo quodam eiusmodi numinum influxu genitos, & munere præditos. Saturnumque hominem appellabant, aut Iouem, sub Saturno, vel Ioue cœlesti, vel aërio constitutum. Adhibebant & animalia & ligna & metalla & saxa characteresque simulachra eisdem numinibus congruentia, Forte vero animalia in primis quorum similitudines aliquis in cœlo notauerant vel effinxerant. De his autem in tertio libro de vita latius disputamus. Præterea voluerunt, vt arbitror, nimiũ indulgere vulgo, & inferiorum bonorum cupido, & superstitionibus eiusmodi dedito. Qua quidem indulgentia cæcum miserumque vulgus adorandis infimis subiecerunt. Mercurius ter maximus testis est religionis Ægyptiæ patres statuas in templis arte magica fabricatas collocare consueuisse, & in eas dæmones defunctorumque animas excitare. Iam vero Orpheus, magnus religionis illius author, hymnos quamplurimos non solum cœlestibus, sed etiam dæmonibus dæmonicisque hominibus consecrauit, certasque certis subfumigationes adhibuit. Superstitiones autem multo etiam magis aniles & iniquas, & turpes introduxerunt Pontifices multi, ciuiles & Poëtæ, simul atque fortuna malis vbique dæmonibus incitantibus. Quod Porphyrius, & Iãblichus confitentur. Iure itaque Varro, vbi tres Theologias enarrat, philosophicam & ciuilem atque poëticam, duas hic sequentes prima longè inferiores esse censet. Quamobrem cum Roma tanquam caput orbis, quo omnia confluebant, omnes omnium superstitiones admiserit, & in templis à Græcis aquilam, ab Ægyptiis bouem & crocodilum, à Babyloniis draconem, similiaque vndecunque susceperit, meritò Paulus Gentiles apud Romanos superstitiones in primis effulminat.

Quomodo impij de culpa in pœnam & ex pœna in culpam iterum prolabantur, & quomodo Deus tradat illos in perturbationes concedatque dæmonibus.

CAPVT IX.

PRopter quod tradidit &c.) Nemo grauius miserabiliusque peccat, quam qui cum Angelo rebelli per ingratitudinem superbiamque à Deo deficit, creatore bonorumque omnium largitore. Hic enim sicut infelix angelus perpetuo peccat atque punitur. Quatenus circulo quodam à peccato in pœnam, & à pœna vicissim relabitur in peccatum. Propterea quod in hac circulari successione & pœna peccati, sæpe similiter peccatum est, producens subinde peccatum atque pœnam. Hinc illud: Impij autem in circuitu ambulant. Hanc itaque mirabilem consequentiam Paulus serie quadam longa prosequitur, sæpe vicissim culpam repetens & vindictam. Vidisti primo ingratitudinem atque superbiam. Qui cum Deum cognouissent non sicut Deum glorificauerunt aut gra-

tias egerunt. Huius subinde pœnam similiter atque culpam. Sed euanuerunt in cogitationibus suis. Huius iterum vltionem pariter atque culpam. Obscuratum est insipiens cor eorum. Huius deinde vindictam similiter atque peccatum. Dicentes esse sapientes. Huius quoque supplicium iterumque delictum. Stulti facti sunt. Ob quam stultitiam mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei & quæ sequuntur. quæ quidem commutatio tanquam peccatum, iterum detestabile subsequentes meretur pœnas pariter atque culpas. Propter quod tradidit illos Deus in desideriis cordis eorũ in immunditiam. Non autem legendũ est, tradidit in desideria, sed in desideriis, id est, quando desiderant, tradit eos in immunditiam. Sic enim græcus textus habet. Tradidit, inquam, non inferendo malitiam, sed gratiam subtrahendo. Merito qui Deum pro inferioris amore reliquit, à Deo desertus est, & sub inferioris conditione relictus. Hic illud Augustini nostri præterire non possum: Manifestum est, Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunq; voluerit, siue ad bona pro misericordia sua. siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto. Sed siue inclinationes eiusmodi Deus tantum permitt t, vt supra tetigimus, siue nonnunquam quodammodo moueat, Aurelio teste, omnino diabolicis & superbis, peccatum in pœnam & pœna relabitur in peccatum. Quod autem Augustinus dicit, Deum aliquando mouere inclinatione ad malum, intellige equidem non ad malum culpæ, sed pœnæ, & si vtrumque sit coniunctum, ad malum qua ratione est supplicium, non qua peccatum. Tradidit ergo Deus ingratos superbosque eiusmodi, in desideria cordis eorum, id est, permisit saltem; atque concessit, vt animi ab ipso rebelles rebellionem sensuum ipsi quoque sentirent, & perturbationibus sæpe intolerabilibus supplicio iusto succumberent. Et qui Dei gloriam ad bestias trãstulerunt, ipsi præcipitarentur in bestias. Inquit igitur non in desiderium sed in desideria. Quoniam turba perturbationum in sensu est quasi multiplex animal, vt in Phædro, imò omnigenum animal, & vt in nono de Republica traditur. Omnem vero hanc turbam desiderij, amoris nomine nuncupauit. quia sicut ex amore diuinorum vniuersa trãquillitas virtusque nascitur, sic ex amore mortalium vniuersa perturbatio prauitasque contingit. Libidines idololatrarũ abusu naturali prolapsas, quas & Philosophi immanes appellant, apertis admodum verbis insequitur, vt Satyrorum more deformem ignominiosam libidinum eiusmodi faciem oculis nostris obiiciens, stomachumque mouens palam abominandas efficiat, & interea ritu tragico patefaciat, in quam infimam miserabilemque sortem corruant, qui à summo per ingratitudinem & superbiam defecerunt. Socrates quoque apud Platonẽ in Phædro libidines contra naturã verbis longioribus & apertioribus improbat. Sed ne pudore interim impediatur obuoluto capite loquitur, vt audientes admoneantur, quã turpe sit ea facere, cum etiam nominare sit turpe. Paulus autem non erubescit neque verecundia prohibetur. Sicut enim erubescentia puerum quidem decet, adultum verò dedecet, sic & verecundia quælibet conuenire quidem potest homini ingenio videlicet humano loquenti. Sed in animum diuinitus afflatum nec verecundia, neque similis perturbatio cadit. Videtur autem Paulus tres Gentilium Theologias tangere. Ciuilem quidem qua Pontifices in templis statuas & sacrificia ceremoniasque disponebant, vbi ait: & commutauerunt gloriam Dei. Poëticam vero quam Poëtæ in Theatris introduxerunt, vbi inquit, & commutauerunt veritatem Dei in mendacium, siue, vt græcus textus habet, in mendacio. Quod tendit ad idem. Postremo philosophicam, qua Philosophi sphæras mundi, stellasque & dęmones colere docuerunt. Cum dicit, & coluerunt scilicet creaturam, & seruierunt creaturæ potius quam creatori, in quo etiam cultu dici potest commutari diuina veritas in mendacium. Siquidem responsa dæmonum à stellis accepta, sæpe mendacia sunt, quod & Porphyrius confitetur. Præterea veridicum à Deo lumen infusum, quo & nonnulla vera circa Deum cognouerunt, non sincero studiosoque affectu prosequuti, in mendacium conuertisse dicuntur. Quoniam subinde coniecturis affectibusque humanis inducti, in mendacia quædam circa Deum prolapsi sunt, vel quod non minima quæque curet, vel quod sine mediorum Numinum intercessione, minus hominibus benefaciat Licet etiam simulachra culta Gentilibus mendacia dicere. Quæ quidem à Philosophis concessa & confirmata videntur. Duo vero potissima in cultu Gentilium detestatur, Vnum quod multi obliti creatoris, adorauerint creaturas. Alterum quod plurimi supremum cultum affectum-

que mentis summo Deo debitum propter auaritiam libidinemque ad numina quædam mundana præsertim propinquiora traduxerint. Atque vt declararet sibi primo summum cultum attribuendum, dixit: (Qui est benedictus in secula amen.) Ter vero repetit.) Tradidit illos Deus & quæ sequuntur:) Forsitan vt nos admoneat, Deum pro tribus impietatis gradibus, ter impios destituere, nam incipienti quidem impietati, ipse quoque incipit spiraculum suum influxumque remittere. Crescente vero magis gradatim magisque remittit.

Consummatę denique impietati retrahit penitus atque deserit, summamque contra impios licentiam & potestatem perturbationibus omnibus quomodolibet incidentibus dæmonibusque concedit, tradere enim id significare videtur. Præterea tradit, quasi tribus furiis agitandos; primo quidem perturbationibus sensuum, vt ita loquar, inertibus, secundo autem astutioribus, tertio rationi iam malignitate peruersæ. Tradit autem vbique exterminatoribus Angelis, quos impij omnes imitantur & colunt. Si quæris exemplum quo planius cognoscas impios ob culpas suas à Deo destituti, non mutato Deo, considera Solem suum apertis oculis communiter lumen infundere, sed conniuentibus oculis magis paulatim atq; magis, minus gradatim lucis minusque tribuere. Penitus vero clausis nihil penitus impertiri, sed eiusmodi oculos tenebris quodammodo tradere, vt qui dedignatus Solem hallucinari cæcutireque cœperat paulatim, iam vt par est, tenebris obrutus offendat passim promeritis atque cadat. Trinum Platonici lumen animis putant infundi diuinitus, sicut & oculis à Sole trinum. Primum quidem naturaliter vnicuique proprium. Secundum vero commune contemplantibus superinfusum. Tertium denique cœlicolis animisque vel ad cœlum iam reuersis vel hic nonnunquam abstractis exhibitum vel ostensum. De duobus quidem primis Plato exemplo Solis loquitur in Republica. De tertio autem in conuiuio atque Phædro, quod quidem ad beatos vel abstractos animos ita se habet, sicut lux pura Solis ad cœlestes cœlicolarum oculos se habere putatur. Primum itaque lumen Deus non aufert peccatoribus, sed relinquit ad pœnam, secundum verò magis minusue negat, & perditis omnino negat. Tertium postremo in patria quidem largitur æternum, extra patriam vero mentibus humanos aliquando limites excedentibus sub quadam coruscatione reuelat, humanasque fallacias arguit. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

Quomodo qui non probauerunt Deum habere in notitia, in mala omnia dilabantur.

CAPVT X.

ET sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.) Vbi latinè dicitur sensum, græcè habetur intellectum. Sensum igitur intelligi intellectum merito, quia nondum resipiscunt, in alia flagitia cadunt pro eadem culpa. Paulus peccato pœnam assimulat, vt sicut peccauerunt in sensu Dei, sic in sensu proprio puniantur, & sicut non agunt officia conuenientia consentaneaque notitiæ Dei, sic in flagitia dignitati hominis non conuenientia corruant. Iam vero à libidinibus non humanis tantum, sed immanibus cum stomacho supra narratis, ad iniquitatem multiplicem dilabuntur, diabolica spiritus malignitate productam. Quid vero significat, non probauerunt Deum habere in notitia? Certe opera nulla declarauerunt Dei notitiam se habere. Quam tamen habuisse Paulus confitetur. Nullum enim officium præstiterunt huic notitiæ consentaneum. Inter hæc aduerte Paulum magno significationis pondere protulisse, Deum habere in nottiitia. Siquidem notiam Dei habent quicunque de illo rationibus veris pro arbitrio disputant. Sed in hac Dei notitia, hi soli ipsum quoque Deum habent, qui amore diuino flagrantes, quasi per hunc coniuncti Deo cætera paruipendunt, & pro Dei gloria fortes euadunt.

Pius quidem animus ad Deum se conuertens, tribus quibusdam gratiis diuinitus munitus incedit, fide certa, spe firma, charitate feruenti. Certitudinem quidem fidei filio potissimum offerre videtur, amoris ardorem spiritui, spei firmitatem præcipuè patri.

Deus igitur tribus quoque gratiis comitantibus conuenit in animum, nouo quodam lumine, incomparabili gaudio, inuicto vigore. Lumen quidem filius præcipuè videtur afferre. Gaudium autem spiritus, Pater verò vigorem. Lumen fidei præcipuè distribuitur, spei gaudium, amori denique vigor. Tria hæc ipsius præsentiæ Dei certissima sunt argumenta. Qui autē hæc non habēs dicit habere se Deum, sibi ipsi

sibi ipsi profecto mentitur. Quapropter iure dictum: Numero Deus impare gaudet, id est, ternario, tum in recipiendo tum in dando. Hinc illud: spes autem non confundat, quia charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Similiter & vini notitiam habent aliquam, qui visu olfactuque percipiunt. Sed vinum in notitia ipsum habent, qui re vera iam gustant. Hi soli vini vim fructumque persentiunt. Hac igitur ratione, qui per affectum amatorium cum Deo iam noto arctius copulantur, habere Deum in notitia dici possunt. Quoniam Deus charitas est, qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. Possunt & cum Propheta clamare. De torrente voluptatis tuæ potabis nos, inebriabimur ab vbertate Domus tuæ. Deus igitur cognoscentes quidem ipsum, sed cognitum non habentes: id est, amore minimè complectentes, tradit in reprobum sensum, iure enim si non probauerunt, labuntur in reprobum. Sed in quem reprobum?

Primo quidem in reprobum sensum, id est, intellectum, quo nihil cogitent, nisi à probitate remotum, ideoque sint à Deo, & piis hominibus reprobandi. More quidem vel lippi, qui refugit lumen, vel gustus infecti, qui salubria respuit, noxia concupiscit. Hinc illud Apostoli: sanam doctrinam non sustinebunt. Deinde in sæuam incidunt reprobi dæmonis quasi Cerberi potestatem. Cuius quidem morsu quodam rabido impij homines saucij & prorsus infecti, passim mordeant alios & inficiant, & contra naturæ ipsius ordinem maleficiis, vt ita dixerim, delectentur & in hac interim delectatione falsa verissimè crucientur.

Ideo in eos inuectus Apostolus, inquit: [Repletos omni iniquitate.] Etiam qui solet esse breuis, prolixior nunc apparet, indignatione concitus longiore quadam inuectiua, more etiam inculcantium, complurima impiorum veneficia, & facinora congerit, vt veneficam pariterque miseram impietatem tot tantisque facinoribus, suppliciis simul oppressam procul aufugere totis viribus omnes admoneantur [Cum dicit repletos omni iniquitate & quæ sequuntur.] Duobus modis miseram impietatis culpam exaggerat. Tum quia in ea atque ex ipsa existūt omnia vitia, tum etiam quia singula sunt ad summum. Quod sapientiæ liber affirmat, infandorum idolorum cultura omnis mali causa est. Iniquitate, id est, iniustitia. Sic enim propriè textus habet Græcus, & ipsa iniustitia significat omne vitium. Hinc illud Ioannis, omne peccatum est iniquitas. Sicut & iustitia legalis virtutes omnes, Aristotele etiam teste, comprehendit. Iniustum enim est, quod contrà legem. Omne verò peccatum contrà legem est diuinam & naturalem atque ciuilem. Iniustitia auersio quædam est à Deo. Auersio hæc in omni peccato prorsus includitur. Diuidit Paulus iniustitiam deinceps in multa peccata, propter varias omnesque iniquas ad creata conuersiones. Sed primo repetit pertinentia quædam ad libidines supra narratas, sed hic perpetratas potius per legis vel personæ contemptum. Nequitia enim apud veteres licentiosa quædam lasciuia est, quæ continere se nequit.

[Fornicatione.] Fornicatio est concubitus omnis lege prohibitus. Vbi enim Latini codices post iniquitatem habent malitiam ex πονηρία Græca traductam, ego libentius pono nequitiam, & verbo Græco magis aptam, & cum fornicatione proxima congruentem. Deinde ad noua crimina peruenitur ad auaritiam, scilicet & malitiam vel prauitatem. Vbi enim post auaritiam κακία Græca traducitur nequitia, malo equidem malitiam vel prauitatem interpretari. Id enim Etymologiæ magis consonat. Auaritia siquidem libidinum explendarum gratia pecunias affectamus. Nam astutia prauitateque ad libidines & pecunias vtimur consequendas. [Plenos inuidia, homicidio.] Accumulat deinceps iniustitiæ crimina. Non satis huic erat bona sibi opinabilia comparare, nisi eadem impedire aliis cogitaret, itaque inuidet habentibus vel habituris, & ob inuidiam, homicidia machinatur. (Plenos id quoque magis adauget contentione, dolo.) Inuidus vbi nec proximum perdere nequit, contentione saltem aperta vel clam dolis aggreditur, malignitate. Si minus obiurgare fraudareque potest, saltem venefica voluntatis malignitate imprecationibusque semper insequitur. [Susurrones, detractores.] Malignus enim dum virus intimum aliter euomere nequit, verbis vel palam vel clam euomit. [Deo odibiles.] Quid enim magis contrà beneficum Dei bonum quam maleficiis adeò delectari. Sunt autem odio Deo, quia dum mala volunt, bona nolunt. Si hæc nolunt, Deum consequenter bonorum principium minimè volunt. Ob hoc igitur & propter superbiam inuectionemque malorum sunt odio Deo tanquam osores Dei. Hinc iam non humani, sed diaboli sunt. [Contumeliosos, superbos, elatos.] Non solum maledicunt absentes, sed etiam ad contumeliam veniunt in præsentia. Neque

verbis contenti sunt, sed opera contrà ius separare conatur. Ac se quidem extollere, cæteros vero deprimere. [Inuentores malorum.] Leuia fortasse putant consueta damna. Ad noua quædam excogitanda maleficiorum genera omnes ingenij neruos intendunt. [Parentibus non obedientes.] Hactenus insequutus est iustitiæ culpas affirmatiuas, quæ plurimum in committendo versantur, deinceps autem negatiuas, quæ potissimum consistunt in obmittendo, persequitur, & sicut in illis enarrandis incœpit à Deo, sic in istis incipit à parentibus, qui nobis in terra quasi sunt pro Deo. Parum istis fuerat proximis malefacere, nisi etiam à parentibus rebellarent. [Insipientes.] Merito tam dementes iudicari possunt tanquam paternæ, & cuiuslibet disciplinæ prorsus expertes. [Incompositos.] Id est, procul à compositione, quasi conuentis pactionibusque non stantes. Neque id quidem mirum. Siquidem paterna iura iam fregerint sine affectione. [Absque fœdere.] Si Deum non diligunt, nec parentes quidem. Item si non parentes, quomodo cæteros? Si neminem diligunt, quonam sociatis fœdere, id est, iure vel promisso cuiquam deuinciri poterunt? [Sine misericordia.] Merito, cum caritas omnis iam refrixerit, humanitatemque omnem prorsus exuerint, homini vel miserabili, nec adminiculum subministrant vllum, nec saltem animi misericordia mouentur. Ideò nec homines sunt habendi. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt. Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. (Non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.) Per hæc verba constat eos sibimet aduersari, dum Deum quidem iustum dicunt, sed non punire concedunt, dum se confidunt impunitos fore. Hæc iam superioris disputationis summa est & quasi quidam Epilogus. Redit enim Paulus ad iustitiam cognitionemque Dei in exordio positam & inexcusabile crimen illic adductum. Cum igitur quid apud Deum iustum sit cognouerint, quid Deo, quid sibi, quid proximo debeatur, & tamen propter impiam superbiam contrà hæc omnia iura fecerint, nulla iam venia digni sunt. Nam sua quadam culpa adeò obcæcati sunt, vt non intellexerint, id est, cogitare noluerint, Deum peccata punire, atque alios qui talia perpetrarunt morte dignos esse censendos. Nam animi qui Deum deserunt, digni sunt, vt ipsi deserantur à corpore, morte scilicet temporali atque insuper deserantur à Deo æterna quadam morte damnati. Deus enim est animi vita, sicut anima corporis. Neq; scilicet dum ipsi qui patrauerint, sed etiam qui charitatis defectu minimè prohibuerint, digni hoc supplicio iudicantur. Fortè Paulus Philosophos in pœnitentia quosdam tangit, qui & si ipsi dæmones vel idola non colebant, nec erant propria iniquitate polluti, his tamen Gentium erroribus minimè succurrebant.

Contra Iudæos, simul atque Gentiles. De iniusto eorum iudicio, & quomodo iudicandi sint à Deo, atque de illorum pertinacia.

CAPVT XI.

PRopter quod inexcusabilis es, ô homo, omnis qui iudicas.) Postquam probauit Gentiles non esse iustitiam consequutos per ipsam duntaxat veritatis cognitionem, qua in primis gloriabantur, neque venia dignos esse ostendit, neque Iudæos assequutos esse iustitiam ex priuilegiis multis gratia diuina susceptis, quibus insolenter extollere se solebant. Quo quidem efficitur, vt vtrisque necessaria sit ad salutem gratiæ Euangelicæ virtus. Primo igitur disputat, Iudæos perfectionem iustitiæ non adeptos ex lege, deinde nec ex genere, tertio neque ex ipsa circuncisione. Principio nobis considerandum, quemadmodum Iudæi pariter atque Gentiles Christiani iam facti, adhuc de priori vita insolenter se inuicem iudicabant. Iudæi enim Gentilibus frequenter obiiciebant, eos absque Dei lege vixisse quasi prophanos, atque Idolis immolasse. Gentiles contrà Iudæis quotidie obiectabant, illos acceptam à Deo legem minimè seruasse, ingratosque diuinis priuilegiis extitisse. Primo itaque Paulus de iudicio minus recto vtrosque condemnat, humanum quidem iudicium vniuersaliter improbās, probans vero diuinum. [Propter quod inexcusabilis es &c.] Quasi dicat, propterea quod vos Gentiles veritatem Dei in iustitia vestra detinuistis, & cognito Deo fuistis ingrati, excusatione caretis, neque meremini veniam, simulque tu Iudæe propter acceptam legem, non es excusatione & venia dignus. Ideo in quo alteruter iudicat damnatque alterum, ipse quoque clam suo iudicio condemnatur. Quippè cum in simili quodam crimine deprehendatur. Dicit autem, ô homo, vt vterque meminerit se non diuinum esse, sed humanum. Ideoque in iudicando facilè falli posse, atque esse similiter culpis iudicioque obnoxium. Inquit præterea, omnis. Vt quamuis incœperit à Gentilibus, tamen

mox comprehenderet & Iudæos. Quos & in principio complexus est, vbi dixit: In Euangelio diuinam vigere virtutem, in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Et in disputationis huius progressu Iudæum simul repetit atq; Græcum. (In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas.) Sed quomodo eadem? In effectu saltem aut genere, si minus in modo atque proprietate. Si Iudæus ingratitudinis in Deum damnat Gentilem, quod Philosophico ingenio & scientiæ munere gratus Deo non fuerit, similiter & Gentilis Iudæum accusabit ingratum, quod prærogatiuis multis à Deo tributis gratus minimè fuerit. Rursus si Iudæus Gentilem tanquam naturalis legis præuaricatorem proculdubio nuncupabit. Gẽtilium leges idololatriam quidem præcipiebant, fornicationem verò animaduertere negligentius videbantur, vtrumq; Iudæorum lex censura seueriore, notabat. Iudæus ergo manifestam in Gentili idololatriam fornicationemque damnabat. Gentilis in Iudæo taxabat occultam. Simili ratione deinceps de culpis quoquomodo communibus alter alterum mutuo condemnabat, & vterque dum accusabat alterum, damnabat quoque seipsum. (Scimus autem quod iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.) Apostolus hos altercantes ita monet: Iudicium istud vestrum in opinione versatur, & perturbatione peragitur. Nos autem Apostoli scimus & certi sumus, vos interim à superiore Iudice iudicari, introspiciente veritatem, quamuis occultam & animaduertente in eos qui subiecti criminibus, non sua quidem purgant, sed obiurgant potius aliena non emendationis quidem gratia, sed superbiæ causa. Quod autem de opinione dicebam, Plato in Timæo confirmat his verbis: Veritatis quidem intelligentia certa Dei propria est, opinio verò hominum. Cùm verò dicit talia agunt, non solùm significat reliqua crimina, sed hoc potissimum, quod tu alios iudices atque damnes, præsertim cùm sis ipse damnandus, iudicandique officium, quod solius Dei est, tibi insolenter vsurpes. (Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quod tu effugies iudicium Dei.) Si Deus, vt modo dicebam, secundùm veritatem iudicat, id est, penitissimam inspicit veritatem, neque perturbatione mouetur, existimare non debes tu, ô homo, scilicet terrenum animal, te diuinam vltionem effugere posse. Hunc tendit Propheticum illud, Quo ibo à spiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam; Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero infernum ades. Item, Nec est quo se abscondat à calore eius. Atque illud Hieremiæ: Ego sum iudex atque testis. Idem à Platone in Legibus confirmatur, dicens, singula à diuino iudicio introspici animaduertique. Itaque peccatoribus, nec apud cœlestes, nec apud inferos esse refugium.

Sed cur prætermisimus, quod Apostolus ad Hebræos inquit, Diuinum Verbum penitissima quæque efficacissimè penetrare; omniaque nuda & aperta esse oculis suis. Inquit autem Paulus bis, ô homo, vt tu quando iudicare conaris, bis quoque dicas, Homo sum, semel quidem inter te & proximum recordatus, videlicet te esse peccatorem fallique posse, & illum tanquam fratrem, non esse lædendum. Semel iterum erga Deum, cogitans, te animal terrenum non debere officium tibi vsurpare diuinum, solius enim illius est iudicare, qui solus est mentium perscrutator, & Dominus vniuersi, cuius aduentum ad iudicium expectare iubet Apostolus. Nolite iudicare, & non iudicabimini, scilicet de hoc ipso grauissimo crimine, quod quidem est diuinum iudicandi munus sibimet arrogare, quæ & diabolica superbia est. Nihil silentio facilius esse debet, nihil iudicatori sit difficilius, qui sæpè non suo commodo, sed sola malignitate mouetur, quasi moueatur à diabolo. Fortè verò qui ab iudicio abstinebit, se continebit à grauibus, neque iudicandus erit. [An diuitias bonitatis eius & patientiæ, longanimitatisque contemnis.] Fortè non tam confidis in ignoratione Dei, quàm temerè in misericordia speras. Quatenus & diu iam grauissimè peccas, & vindictam nullam ab hac experiris.

Erras quidem grauiter, dum sub Iudice adeò iusto sapienteque, immeritam tibi promittis impunitatem, grauius dum diuinam contemnis benignitatem, grauissimè dum tam longa Dei patientia tolerantiaque abuteris. Copiosa quidem bonitas Dei est, quæ vel grauiter peccanti naturalia bona non aufert, imò insuper bona suppeditat quotidie quasi blandiens, vt ad gratiarum actionem & ad pœnitentiam reuertaris. Copiosa nimium patientia, quæ tot & tanta peccantes, vel ad tempus sustinet. Copiosa denique longanimitas longum ad pœnitentiam tempus expectans, ignoras quod

benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Deus adeò bonus atque clemens non tuis quidem malis commotus, sed bonitate propria fretus te tamdiu malum non solum non punit, sed accumulat quoque bonis vt pœnitentiæ tempus occasionemque gratitudinis habeas, sed tu interea nequam, quid ad pœnitentiam tibi conceditur, ad temerariam impunitatis confidentiam insipienter adducis, neque auscultas quod admonet Esaias: Expectat inquit vos Deus vt misereatur vestri.

Si primum principium quod à nullo finitur, virtutem possidet infinitam. Hæc autem imaginabile quantumlibet tempus spatiumque comprehendit, vbique proculdubio semperque existit. Si virtute infinita, quæ & ipsa intelligentia est, singula facit atque disponit; intelligit certè regitque singula. Nullæ igitur hominum actiones cogitationesue iudicium eius effugiunt. Clamauit ergo Dauid: Domine ô pater quonam à facie tua, id est, à filio fugiam? Quo nam à spiritu abibo scilicet sancto. Quasi dicat, si tibi amicus ero, paterna me potentia sustinebit. Hinc illud: Tenebit me dextera tua. Si autem inimicus eadem me potentia premet. Durum est incidere in manus Dei viuentis. Item, si amicus vultus mihi tuus sanctus ac lætus occurret. Si inimicus, terribilis atque atrox. Rursum si amicus, Spiritus sancti calor fouebit atque recreabit. Si inimicus, extenuabit atque comburet. Non est qui se abscondat à calore eius. Sed calor eius in animam veniens apertam & liberam atque amplam suauissimè calefacit. In animam verò angustam distortamque conclusus adurit. Profectò mysterio quodam dum ad Solem alluderet, non dixit, non est qui se abscondat à lumine eius, sed inquit, non est qui se abscondat à calore eius. Quoniam lumen quidem Solis non apprehendit omnia, calorem verò quoquomodo res omnes accipiunt. Sic & diuinum lumen tenebræ non comprehendunt, incendium verò præsentiunt.

De diuino iudicio, de retributione secundum opera, de pœna æterna, de gradibus ad parum.

CAPVT XII.

SEcundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.] Deus quidem sicut patientibus atque pœnitentibus mala conuertit in bonum, sic diuina patientia abutentibus statuit, vt bona conuerterentur in malum. Quoniam igitur longanimitate diuina ad pœnitentiam non flectuntur, acerbiorem sibi vindictam exaggerant in die diuini iudicij peccatoribus inferendam. Est autem iudicium diuinum duplex, vnum quidem in fine sæculorum cunctis vniuersale futurum. Alterum verò particulare singulis post præsentis vitæ finem aperiendum. Vtrumque iudicium hic videtur attingere, & vtrumque in die, & cum reuelatione dicitur exhiberi. In die quidem, quoniam diuino iudici, qui & ipse Sol iustitiæ nominatur, singula perspicuè patent. Cum reuelatione verò, quoniam & in animam notæ peccatorum omnium tanquam iustè se præferunt. De Sole diuino, inquit Orpheus, omnia introspicit, omnia intus audit, omnia iustè distribuit. Et Socrates in Gorgia: Diem reuelationemque eiusmodi tetigisse videtur, ybi ait: omnes animę ad diuinum Iudicem absque aduocato nudæ venient, vitiorum cicatrices notasque intimas proferentes. Quas quidem seuerus Iudex prorsus inspiciens discernet atque iudicabit, nec personarum, conditionumque aliarum rationem vllam delectumque habebit. Et in vltimo de Republica probat animas ad iudicium accedentes, palam opera sua singulas secum gerere, bona quidem à fronte, mala verò à tergo pendētia. Hæc ille. [Sic igitur reddet Deus vnicuique iusto iudicio secundum opera sua.] Sed quomodo reddit vnicuique secundum opera sua? Si tempore peccantem perpetuo punit? Hac vtique ratione: Siquidem ille peccauerit in diuinam maiestatem, cuius est dignitas infinita. Ideoque culpa sequitur infinito quodam supplicio digna. Item si peccator statuerit in eodem crimine perpetuo se victurum, hoc verò peccatum non futurum Deo quidem est, sed præsens. Itaque tanquam semper peccauerit punietur.

Denique si peccator ob insignem culpam diuinam gratiam prorsus amiserit, sine qua nemo resurgit à culpa. Sed perseuerans in peccato, perseueraturus est in pœna. Temporalibus verò virtutum officiis largitate diuina præmium datur æternum. Quod ergo dicitur reddere secundum opera, non debes intelligere secundum æqualitatem operum, quasi opera sint æqualia præmiis. Nam præmium excedit meritum. Sed secundum proportionem quandam est intelligendum, scilicet quia bonis quidem bona tribuet, malis verò mala. Meliora rursus melioribus, peioribus verò peiora. Duritiam non pœnitentis animi superius improbatam, doctores nostri cul-

pam in Spiritum sanctum nuncupant nulla venia dignam. Quod quidem, vt planius intelligatur, attende parumper. Patri quidem potentiam attribuere solent, Filio sapientiam, Spiritui verò benignitatem, quæ quidem bona & si tribus æquè communia sunt, tamen certa quadam modi vel muneris ratione singula præcipuè tribuere singulis consueuerunt. Qui igitur perturbationibus superatus, quasi ob impotentiam infirmitatemque delinquit contra potentiam attributam patri, & ideò contra patrem peccauisse videtur. Qui autem per ignorantiam, contra filij sapientiam deliquisse. Sed qui per malitiam malignitatemque transgressus est legem, benignitatem sancti Spiritus offendisse putatur. Idque apparet præcipuè in odio inueterato, in effectu inuidiæ in diuinam gratiam, in superbia confirmata, in criminibus per malitiam voluntariam perpetratis, in contemptu diuinorum, in superbia veritatis impugnatione, in extrema in diuinam clementiam vel confidentia vel diffidentia, in duritia nullam pœnitentiam admittente. Eiusmodi culpæ quasi diabolicæ, non sua quidem natura, sed miraculosa quadam Dei clementia operationeque in nos remitti possunt. Culpæ verò per ignorantiam vel infirmitatem disciplina castigationeque adhibita corrigi, ideò facilius remitti posse videntur. Attribuunt autem iudicandi munus præcipuè filio. Iuxta illud: Pater omne iudicium dedit filio, quem constituit iudicem viuorum & mortuorum. Congrua rerum vicissitudo seruatur, si filius ab hominibus iudicatus, homines ipse iudicet, competens quoque generis humani Iudex, qui super homines est, & homo in se expertus humana. Iudicium quinetiam luce ratione que agendum. Lux autem & ratio patris est filius. Denique si attributa consideremus horribile forsitan videatur iudicium potentiæ paternæ concedere, ne fortè sententia rigidior expectetur. Tribuere verò clementiæ spiritus nimiam præstaret indulgentiæ confidentiam. Ad sapientiam verò iustè iudicare, simul cum æquitate, spectare videtur. Vniuersale quidem iudicium filius ipse per se prorsus explebit. Particulare verò per Angelum vniuscuiusque custodem exploratoremque ab initio constitutum. Hinc Plato in Gorgia iudicium hoc per propria quædam Numina existimat expediri.

(∴) (∴) (∴)

De retributione præmiorum, atque suppliciorum, de superba contentione contra Deum, & vindicta diuina.

CAPVT III.

His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam. His autem qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia) Sicut modo disposui, communiter legitur apud Latinos, eiusmodi verborum textus sensum habet obscuriorem. Quod commentantium mentes fatigauit atque fatigat. Planius autem Græcaque aptius interpretabimur, si cum Athanasio scriptore Græco, doctissimoque ita dicamus. His quidem secundum patientem perseuerantiam boni operis gloriam & honorem &c. His autem ex contentione non acquiescentibus veritati, obsequentibus autem iniquitati &c. ὑπομονὴ Græcum, patientiam perseuerantiamque significat. Patientiam quidem quatenus aliquis ab honesto quodam officio non separatur terrore malorum. Perseuerantiam verò, quatenus nullo tædio vel mollicie reuocante ad finem vsque perdurat. quoniam igitur vt placet Athanasio, Paulus hic vtrumque intelligi seruarique vult, ideo patientem perseuerantiam ego traduxi. Sic etiam quid Paulus velit, facilius intelligitur, scilicet Deum perseuerantibus in bono opere gloriam polliceri. Ex communi verò traductionis forma factum est, vt quidam exposuerunt. quicunque Dei patientia bene vtitur ad bonum opus &c. Sic autem exponere, est quasi verbis Pauli vim inferre.

Sed quamnam gloriam in bono opere perseuerantibus dabit Deus? claritatem, splendoremque mentis in hac vita quodammodo, in alia verò plenissimè, adeò vt in corpus vsque redundet. quod & gloriosum corpus appellant. Hinc illud Esaiæ: Implebit splendoribus animam tuam. Et Dauidis: Exultabunt sancti in gloria. Et Euangelij secundum Mattheum, Fulgebunt iusti sicuti Sol in regno patris eorum. At quem honorem? certum quiddam officij & prudentiæ munus in cœlo, occultum aliquem apud homines. Ideo Dauid: Nimis honorati sunt amici tui Deus. Incorruptionem vocant etiam impiorum corporibus Deus postremo sit con-

cessurus. Cur præcipuè piis in præstantia pollicetur? Quoniam immortalitas in corporibus piorum cum honore erit & gloria, impiorum verò contrà, & quoniam beati æterno firmoque bonorum statu fruentur. Miseri verò habitum reuera immortalem experiri non potuerunt. Sed fortè variarum perturbationum pœnarumque semper mutabili quadam vicissitudine vexabuntur, adiunxit verò Paulus, quærentibus vitam æternam, vt finem pietatis exprimeret. Perseuerantia enim in bonis operibus vel ad finem vsque perdurans, beatitudinem non reportat æternam, nisi æternæ vitæ, scilicet Dei diuinæque fruitionis gratia suscepta consummataque fuerit. [His autem ex contentione.] In superioribus primo posuit merita, deinde præmia. Merita quidem vbi ait: His quis secundum patientem perseuerantiam boni operis. Præmia verò vbi subiunxit, gloria, & quæ sequuntur. Hic quoque primo culpas enarrat, deinde pœnas adiungit, culpas quidem tres præcipuè.

Prima quidem est superbia pertinaciter cum Deo contendens. Secunda verò diffidentia diuinæ veritatis authoritati non acquiescens. Tertia est confidentia sui, indulgens iniquitati. Pœnæ verò quatuor describentur, scilicet indignatio, ira, tribulatio, angustia. In primis animaduerte, quanta ratione Paulus præmia illa ab ipso Deo tribui dicat. Hæc verò supplicia minimè, nam vbi dicitur indignatio &c. Intelligitur sint vel erunt, hæc peccatoribus potius quam tribuantur à Deo. Sed vt redeamus hic ad primum institutum. Nonne senex aliquis venerandus iure indignatur seruo, puero nolenti mandatum eius vllum exequi, nisi prius efflagitauerit omnes in singulis rationes, quas nec exquirere debeat, nec intelligere valeat, præsertim si Domino ad honestiorem vitam verbis & officiis exhortanti seruus contumax semper reluctari contendat, sceleribus se prorsus immergens. In homines ergo huic seruo similes Paulus hic inuehitur, qui erga Deum contra se habeant, atque superiores illi, qui tanquam humiles & sponte subiecti Deo in opere bono scilicet in præceptis Dei opera ipsa seruandis patientia summa perseuerabant. Hi verò inferiores contrà propter superbiam Deo quodammodo se æquantes, quasi Deum ipsum in similitudinem, id est, statuam picturamque honorauerint. Sed nunquid existimandum est doctissimos illius regionis antistites pro numinibus talia coluisse? Nequaquam. Imò tam absurdæ adorationis ansas vulgo dedisse. Sed quemadmodum in Commentariis in Platonem atque Plotinum, & in tertio de vita tractauimus. Item de his quomodo Magi per inferiorem electionem compositionemque docuerint homines ad se superiora quædam cum inferioribus congruentia oportunè deducere, alio loco oportunius disputandum.

Deus pensat opera, non personas, Iudæos atque Gentiles æquè damnat, quamuis illi sine lege, hi cum lege delinquant.

CAPVT XIIII.

GLoria autem, & honor, & pax, omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. (Non enim est acceptio personarum apud Deum.) Superioris disputationis huius discursum, quo Gentiles Iudæosque redarguit in minis malisque conclusit. Iam verò similem discursionem repetens reprehensionis, vtrosque, & ab vtrisque in primis beneuolentiam capturus, à pollicitationibus felicibusque auspiciis facit exordium, & quia Iudæos est alicubi maiori crimine grauaturus. Iudæo primum suo more repetit, & meritò primum, Iudæis enim primis diuinitus promissa sunt optima. Cæteri verò in eorum promissiones intrauisse dicuntur. Gloriam & honorem in superioribus exposuimus. Quod autem ibi dixit, in corruptionem, hic pacem nominare videtur. Quoniam pax concordiaque in viribus animæ partibusque, corporibus præsertim, concordia mentis humanæ cum Deo totum hominem quondam promiserat immortalem iterumque promittit. Huc tendit Platonicum in Charmide: Consummata animi temperantia temperatum corpus immortaleque efficere potest. Etsi primo promissa sunt Iudæis bona, nihil tamen prohibet, quin Gentiles pariter assequi valeant, si bona pariter operentur. Iudæi quinetiam non aliter consequuntur, quàm si bona similiter operentur. Qua quidem ratione dixit: Non enim est acceptio personarum apud Deum. Hac interim ratione, Paulus sæpè repetit opera, vt Iudæorum insolentiam reprimat communiter confidentium priuilegiis suis legibusque, ceremoniis etiam absque opera sua, vel alia gratia se & scelerum impunitatem reportaturos, & salutem præ cæteris habituros. Vbi verò culpatur acceptio personarum, eiusmodi acceptio est rationem duntaxat habere personæ, & solius personæ alicu-

ius propriæ gratia absque alia dignitate, vel ratione prorsus vlla plus alteri tribuere quàm alteri, vel bonorum, vel malorum, quæ vtrique alioquin æquè merentur præcedentibus operibus, vel nullo modo merentur. Delectum huiusmodi nullum in retributionibus malorum vel bonorum pro meritis Deus habet. Forsitan vero habet inuocationibus quorumdam sola gratia factis. De quibus sanè vbi de prædestinatione agitur est tractandum. In præsenti vero de iusta pro meritis præcedentibus retributione differitur, vbi Deus actiones voluntatesque considerat, pensatque merita. Personam vero Græcam Iudæamque nequaquam. [Quicumque enim sine lege peccauerunt, etiam sine lege peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.]

Quòd Deus in puniendo rationem non habeat personarum, sed culpæ momentum pensitet, ita declarat. Quia tam Iudæi, quàm Gentilis peccata & culpas aspicit, non personas. Culpa quidem Iudæi grauior, quia lex Mosaica data diuinitus, neque permittit Iudæum se per ignorantiam excusare, & arctiori vinculo reddit obnoxium. Itaque peccantes apud Gentiles, qui lege Mosaica nec instructi fuerant, nec adstricti leuius punientur. Hi namque sola legis naturalis transgressione peribunt. Sine lege, scilicet Mosaica, id est, lege Mosaica non grauante. Iudæi vero vltra idipsum quod lege naturali contempta peribunt similiter, vt Gentiles etiam Mosaicæ legis iudicio grauante plecterentur.

Præterea, ne Iudæi fortè confidant sola legum suarum lectione, ceremoniarumque obseruatione perfectos fore, nec opera, nec gratia alterius indigere, subiunxit: non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, scilicet, quicumque legis præcepta seruauerint, siue Gentiles legis suæ, scilicet naturalis, siue Iudæi legis præterea datæ per Mosen, & id quidem vsque ad Euangelicam legem vtrisque necessariam ad salutem. Ac ne fortè quod hic Paulus ait, factores legis iustificari, intelligas vniuersaliter dictum, quodcumque iustitiæ per legem quamlibet comparetur, id profectò non per legis auditum lectionemque, sed per obseruantiam præceptorum denique reportari. Tametsi perfecta iustitia, scilicet perpetua salute digna per solam legem gratiamque Euangelicam comparatur.

De Lege naturali atque scripta, de Iudice iudicioque nobis intimo, atque etiam de communi.

CAPVT XV.

CVm enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.] Per hæc confirmat, factores legis etiam si non audiuerint, iustitiam aliquam reportare. Gentes diuinam legem tabulis scriptam, qualem Iudæi, non acceperunt, vt enim inquit Dauid: Non fecit taliter omni nationi. Insculptam verò mentibus naturaliter, id est, ab ipsis vitæ primordiis, diuinitus habuerunt. Meminisse verò debemus, Iudæos à Deo per Mosem legem geminam accepisse. Vnam quidem moralem præcipuè decalogo comprehensam, perpetuo duraturam, nec solum Iudæis, sed etiam Gentibus necessariam. Gentes autem eiusmodi legem non scriptis, sed mentibus acceperunt. Alteram verò ceremonialem, Iudæis duntaxat vsque ad Euangelium obseruandam. Post hæc autem noxiam. Gentibus verò nullo tempore necessariam. Circa obseruationem vel præuaricationem legis & iudicium damnationemque & iustificationem tempora tria commemorat, præteritum & præsens, atque futurum. Ante Euangelium. In Euangelij tempore. In termino sæculorum, & vbique vult legem moralem, siue Gentibus infusam duntaxat, siue Iudæis præterea scriptam, quicquid ad iustitiam salutemque conducere potest, id ipsum non auditu, sed opera, & vtrisq; pariter quouis tempore conducere posse. Et in vltimo iudicio sola opera fore liberanda.

Item Euangelio diuulgato, opera legis ad iustitiam salutemque valentia, hæc intelligi vult, quæ in Euangelica lege gratiaque fundantur. Denique nullam legem, vel naturalem, vel scriptam habere efficaciam ad iustitiam & salutem, nisi diuina gratia præter intellectum moueat & affectum, atque ita moueat, vt ipsius Dei gratia legis præcepta seruentur. Ipsi sibi sunt lex, id est, pro lege, quoties videlicet legem mentibus suis diuinitus ab initio scriptam, quodammodo legentes obseruant. Profectò, lux illa vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, infudit lumen menti veridicum. Vt quemadmodum ipsa lux vera existit Iudex in vniuerso, ita

veridicum inde lumen emicans, tanquam iudex sederet in animo, vicemque Dei teneret in homine. Hoc itaque ex lucerna lumen in mente veridicum legem inde moralem naturaliter secum attulit. Hinc Dauid per lumen in nobis inde signatum ostendi nobis existimat bona. Hinc in Epistolis inquit: Sapienti viro lex Deus est, insipienti verò libido. Quoniam hi sapientes habentur, qui pro viribus intentionem animi auertunt à sensibus, ad intellectum verò conuertunt, vbi diuinam legem auscultant, officia iusta dictantem. Nempè Deus, quemadmodum in ipso lumine intellectus principia posuit speculationibus conducentia, sic & regulas actionibus, & officiis præsidentes, per quas quilibet mentis compos intelligere possit, modo diligenter examinauerit, quid in agendo, vel non agendo bonum, honestum, decorum, iustum. Quodve contra. Item, Deum mundi Dominum, naturali quadam ad illum cognatione cognitum, consensuque omnium confirmatum, verendum esse præcæteris & colendum, suum cuique tribuendum, honorem superioribus exhibendum. Quod tibi fieri nolis, alteri minimè faciendum, cæteraque generis eiusdem.

Eiusmodi regulæ, quasi leges, sunt inscriptæ intellectui nostro iudici, per lumen veridicum infusum à luce vera, iudice mundi. Rationes quidem Platonicas, quibus hæc in Theologia nostra probauimus, in præsentia prætermittam. Quas autem Apostolus breuiter hic attingit, breuiter ego quoque perstringam. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, id est, re ipsa declarant naturaliter sibi notum certumque esse quæ sint opera officiaque legi naturali moralique consentanea, dum ipsi naturali quodam iudicio ista discernunt, & alia quidem probant tanquam iusta, alia verò reprobant, vt iniusta, quod quidem facere nullo modo possent, nisi notam intus haberent ipsius iustitiæ formam, ad cuius normam singula referentes discernere iudicareque valeant, quæ iusta sint, quæ iustiora, & contra quæ iniusta, & quæ iniustiora censenda. [Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & intra se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, quando iudicauerit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium in eum per Iesum Christum.] Vbi Latini Codices hîc genitiuos casus habent, ideo ablatiuos posui, quia & vsui Græco, & sententiæ Pauli magis consonant, & ita doctissimus Athanasius accipit. Legem moralem diuinitus esse mentibus nostris impressam.

Præter argumentum quod modo posuimus, testis est etiam conscientia virtus quædam animi verax animaduersoriaque, ex illo lumine veridico profluens. Quæ quidem, vt vult Diuus Thomas Aquinas, est applicatio quædam cognitionis habitæ ad aliquid iudicandum, vtrum benè vel malè sit factum. Ex hoc igitur quod conscientia de bono vel malo testificatur, coniectamus in penetralibus animi leges extare. Quarum obseruatione vel præuaricatione aliquid iustè vel iniustè factum diiudicetur. Iam vero conscientiæ virtus causam pro anima, vel contra animam agitans, coram intimo lumine, tanquam Iudice leges habente, testes producit in medium cogitationes, recordationesque frequentes, quæ nonnunquam nos accusant, ratione quadam obiicientes aliquid malè factum. Quandoque etiam cogitationes aliæ surgunt contra defendentes illud, alia quadam ratione non esse damnandum. Atque ita sæpè mutua quadam altercatione vicissim, donec lis ista sub Iudice recognoscente interim conscientia dirimatur. Accusatio verò, defensioque & iudicium absque notitia quadam legis agi non possunt. Per hæc igitur confirmatur, moralium legem esse mentibus nostris impressam. Per quam prudentior & temperantior aliquis sine scriptis legibus vitam quodammodo iustam agat. Scripturæ verò leges imprudentibus improbisque videntur armatæ insuper ad compellandos qui leges intimas neglexerunt. Ideo scribit ad Timotheum legem iusto positam non fuisse.

Proinde, meminisse debemus trinum esse iudicij diem. Vnum quidem vniuersalis iudicij in vltimo sæculorum. Aliud autem subito post finem vitæ cuiusque, aliud quoque quotidianum. Vltimum quidem vniuersale in particulari post vitam repræsentatur, & vtrumque in quotidiano refertur. Paulus igitur à quotidiano incipiens, etiam ad duo reliqua peruenit.

Profectò, quoties aliquis se reuocans ab externis ad intima, vt præcipit Prouerbium, se ipsum quandoque recogniturus, toties in controuersiam eiusmodi trahitur, sub intimo Iudice dirimendam Iudicis vniuersi Vicario.

Atque hoc ipso tempore, quo se quodammodo à corpore separat, in iudicium peruenit simile iudicio animarum à corpore sciunctarum. Sed quotidianum hoc iudicium planè differt ab aliis, quòd in hoc alteratio paulatim vicissimque, sicut diximus, agitatur. In cæteris autem non agitur controuersia dubia, sed tota huiusmodi controuersia in subitam ab iudice recordationem sententiamque producitur. Quemadmodum Augustinus in ipsa Dei Ciuitate declarat. Diem verò tempus illud appellat, exprimens diuini iudicis certitudinem, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Et, vt improbi merito terreantur, hominum occulta non minus quàm manifesta discernet atque iudicabit. Euangelium verò apud Matthæum tempus illud appellat noctem, tanquam nobis incertum. Media nocte clamor factus est. Fiet autem iudicium per Iesum Christum, quem Deus omnipotens iudicem viuorum mortuorumque constituit. Inter hæc Apostolus prædicationes Epistolasque suas suum nominat Euangelium Quia doctrinam hanc non accepit ab homine, nec alios Euangelistas legere vel audire compulsus est Quoniam hic sicut & Ioannes atque Matthæus Christum habuit præceptorem, sed illi quidem in terra loquentem, hic autem cœlitus reuelantem. Ex superioribus Pauli verbis intelligere licet, quandoquidem animæ nunc se quodammodo iudicant atque damnant, multo magis in alia vita, vbi seipsas magis animaduertent, illas suo se iudicio damnaturas. Hinc confirmatur & illud quod Dionysius Pauli discipulus scribens ad Ioannem Euangelistam, inquit; Animas impiorum in ipso iudicii tempore, etiam nullo fugante, procul à diuini iudicis cultu pro viribus figuraras Id equidem arbitror terrifica quadam diuinæ indignationis existimatione facturas. Quamobrem suo quodam impetu longius diuertentes à bono, in miseriam labuntur extremam. Fermè sicut oculi ophthalmia laborantes lumen diurnum fugiunt salutare quidem sanis, ægrotantibus verò noxium, qua quidem fuga in malum ipsi suum, scilicet in tenebras sese mergunt. Huc tendit Platonis illud in libro de Scientia & Legibus: Iniqui sua quadam inclinatione loca suis meritis conuenientia petunt, sicut ignis quidem leuitate sursum fertur, terra verò deorsum.

(∴) (∴) (∴)

De prærogatiua Iudæorum, & quomodo abutuntur ea.

CAPVT XVI.

SI autem tu Iudæus cognominaris]Hactenus ostendit obseruatores legis iustitiam assequi, etiam si non sint auditores. Quod ad Gentiles præcipuè pertinebat. Deinceps verò demonstrat, auditores non effici iustos nisi sint præterea seruatores. Quod quidem pertinet ad Iudæos Principio quidem narrabit Iudæorum prærogatiuam, quòd legem soli susceperunt. Deinde vitium increpabit, quòd legem transgressi fuerint. Prærogatiuam autem eorum circa tria disponet. Primò quidem, quantum spectat ad Gentem legi subiectam. Secundò, quantum ad legem ipsam attinet. Tertiò, quantum spectat ad legis effectum. Quantum igitur ad Gentem attinet, cuius nomen est venerabile, inquit [Si autem tu Iudæus cognominaris.] Hinc Dauid: Facta est Iudæa sanctificatio eius. Et Ioannes Euagelista: Salus ex Iudæis est. Iudæi verò nominantur ab Iuda Patriarcha. Quemadmodum in Genesi declaratur: Iuda te laudabunt fratres tui Cùm enim regnante Roboam decem tribus ab eo deficerent, vitulumque aureum adorarent, captiuæ ab Assyriis ductæ traduntur, vt in libro Regum quarto narratur. Quod autem reuersæ quandoque fuerint, nullam Eloquia sacra faciunt mentionem, imò verò regiones earum ab extraneis occupatæ sunt, qui deinde Samaritani nominati dicuntur. Reliquæ verò tribus duæ ab Iuda & Benjamin, trahentes originem in ipsa Roboam dictione, & in cultu Dei vnius perseuerauerunt. Quæquidem etsi deinde captiuitatem in Babylone subierint, tamen per Cyrum regem Persarum in patriam denique restitutæ feruntur, quemadmodum Esdræ historia narrat. Sed quoniam tribus Iudæ maior erat, omnis illa Gens ab ea nomen accepit. Nec solùm Gentes ab ipso Benjamin profectæ, sed multi etiam ex tribubus aliis reuertentes, qui profectò tribui Iudæ se vinxerunt. [Et requiescis in lege.] Prærogatiuam Iudæorum quæ pertinet ad legem iam prosequitur Sed quonam modo requiescis in lege? quia per legem existimas te certũ effici, quid agendum, quidve credendum. [Et gloriaris in Deo.] Legis videlicet authore, & in ipso solius Dei cultu. [Et nosti voluntatem eius.] Scilicet, declaratam lege, quæ quidem notitia susceptæ legis est fru-

ctus. Magnum verò priuilegium in hoc Iudæi sibi vindicare videntur, quod cognouerint per legem quid Deus ipse velit eos agere, quidve nolit, propter quam sanè notitiam, subdit: [Probas vtiliora instructus per legem.] Id est, discernis quæ diuinæ voluntati magis consentanea sint. Quod quidem ad perfectionem tuam præcipuè pertinet. Prætereà, & quantum ad instruendos alios attinet. [Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege.] Ex his verbis apparet Iudæos existimauisse Gentiles esse cæcos, id est, omnino mente captos, vt nihil vnquam veri consequi possent, vel etsi non prorsus oculis mentis orbatos, tamen propter absentiam luminis tanquam in tenebris cæcutire, aut saltem sapientiæ minimum eos attingere. Aut denique virilem maturamque prudentiam non habere. Ad primum ergo se iactabant, duces esse cæcorum. Ad secundum verò lumen eorum qui in tenebris hæsitant & offendunt. Ad tertium autem, eruditores insipientium. Ad quartum denique, magistros infantium. Perinde ac si solus Iudæus scientiæ formam haberet virtute legis diuinitus reuelatam, per quam non modo seipsum, sed etiam Gentes omnes erudire valeret. Quippè cùm non solùm veritatem legis in agendis, sed etiam scientiam mysteriorum profiterentur. [Qui ergo alium doces, teipsum non doces.] Hactenus narrauit priuilegia Iudæorum, quibus partim quidem iure gloriari poterant, partim verò insolentius se iactabant. Nunc verò planius legis abusum præuaricationemque persequitur, & passim Gentilibus quodammodo deteriores esse significat. Atque, vt mihi videtur, eos indignatione quadam interrogat, & quasi quadam inuectiua refellit. Primò quidem quantum pertinet ad doctrinam. Dictum est enim quantum in legis notitia confidebant, seq; duces lumenque Gentium, quasi cæcorũ, profitebantur. Itaq; consequenter doctrinę ac legis abusus illis dicitur, ad eorum videlicet superbiam cohibendam. Perinde ac si dicat, frustrà sapitur qui sibi nõ sapit. Cũ igitur teipsum nec doces, nec emẽdas? Siquidem docere alios castigareque possis. Quòd autem Iudæus doctrinam legis ad vsum ipse suum, disciplinamque perfectam minimè referat, deinceps ita conuincit. [Qui prædicas non furandum, furaris: qui doces non mœchãdum, mœcharis.] Quæ quidem cõtra proximum delicta putantur. Imò verò & contra Deum peccas. (Quid abominaris idola, sacrilegium facis.) Abuteris enim his quæ ad diuinum cultum pertinere censentur. Id quidem primò lege regnante perpetrauerunt, Malachia teste, dicitis, mensa Domini contaminata est. Deinde, Christum execrantes Prophetis hac lege promissum, vbi in Beelzebub dæmoniorum principe miracula facere prædicabant. Mox autem obiicit eis Paulus, quod diuinam gloriam vehementer offendant. (Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.) Dum enim legem, abs te verbis adeo celebratam, flagitiosis operibus præuaricaris, ansas Gentilibus exhibes, vt diuinum apud te cultum, quasi moribus actionibusque inutilem, spernant atque vituperant. Quod quidem nihil aliud est quàm Deum inhonorare, id est, debito honore fraudare. (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes.) Deum propter flagitia vestra, per legis vestræ defectum contingere putant, Deumque propterea à vobis prædicantium recipere dedignantur, sicut scriptum est. Esaias enim inquit: Dominatores eius iniquè agunt, & igitur tota die nomen meum blasphematur. Et Ezechiel: Non propter vos ego faciam Domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus.

Circuncisio duplex corporalis & spiritalis. Prima non sufficit ad salutem.

CAPVT XVII.

CIrcuncisio quidem prodest si legem obserues. (Si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est.) Hactenus legem ad salutem non sufficere disputauit. In præsenti verò neque circuncisionem satisfacere probat. Quoniam videlicet obseruantia legis sine circuncisione vim habeat. At sine legis obseruatione circuncisio iudicatur inualida, sed quonam modo circuncisio prodest? ad originalem culpam videlicet diluendam. Id confirmatur in Genesi: Masculus cuius præputij caro circuncisa est, & quæ sequuntur. Sed tibi adulto, tunc denique prodest, cum mãdata legis obserues, quemadmodum & religiosis duntaxat, si legem suam impleant professio profutura putatur. Circuncisio enim erat quasi professio quædam, circuncisos ad obseruationem legis obstringens, propterea scripsit ad Galatas: Testificor omni circuncidenti se, quoniam debitor est. Quod autem dixit Apostolus: si circun-

cidimini, Christus nihil vobis proderit, de tempore duntaxat loquitur post Euangelium diuulgatum. Hic autem tempus ante passionem Christi significat, in quo circuncisio vim habebat. Si autem præuaricator legis sis &c.] Hic iam quomodo circuncisio non prosit ostendit. Perinde ac si dicat: si tu Iudæe adulte præuaricator es legis, circuncisio tua incircuncisio facta est, non plusquam incircuncisio tibi valet, quia quid per circuncisionem profiteris, minimè seruas. Id quidem Hieremias ita confirmat: Omnes Gentes præputium habent, domus autem Israel incircuncisi sunt corde. Imò verò ex hoc obnoxii magis reique censentur, quoniam promissa non præstant. [Si ergo Gentilis iustitias legis custodiat, incircuncisio eius quasi circuncisio reputabitur.]

Hic iam circuncisionem comparat ad Gentiles, quantum videlicet ad hoc attinet quod fructum eius Gentiles legem obseruando reportant. Nempè si circuncisionem legis obseruatione prodest, sine hac autem minimè, sequitur vt si Gentilis incircuncisus custodiat iustitias legis, id est, iusta præcepta legis, incircuncisio eius quasi circuncisio reputetur, nam veræ circuncisionis fructum refert, huius enim gratia exterior homo in corpore circunciditur, vt circuncidere se admoneatur in animo. Hinc Hieremias inquit: Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. [Et iudicabit quod est circuncisum ex natura legem consumans te qui per literam, & circuncisionem præuaricator legis es.] Iterum circuncisionem comparat ad Gentilem, ostendens hunc propter obseruantiam legis, ideo proferri. Ait igitur Gentilis incircuncisus consumans legem, id est, implens mandata legis ex natura per rationem, scilicet, naturalem. Nempè supra dictum est naturaliter, quæ sunt legis faciunt, hic per comparationem sui iudicabit te Iudæum, ostendens te iudicandum atque damnandum. Qui es præuaricator legis dum eius præcepta transgrederis. Per literam & circuncisionem, scilicet, confidentem in ipso scriptæ legis auditu & circuncisione corporea, quæ quidem non tam vera circuncisio est, quàm circuncisionis intimæ signum. [Non enim qui in manifesto Iudæus est, nec quæ in manifesto in carne circũcisio.] Rationes superiorum hic assignat.] Primo quidem rationem adducit, quare circuncisio vel Iudaismus sine legis obseruatione non prosit, obseruantia verò legis absque circuncisione, vel Iudaismo proficiat. Profectò circuncisus in corpore legis præuaricator, velut incircuncisus habetur, & ab ipso incircunciso legem colente damnatur. Non enim est verus Iudæus, qui in manifesto est Iudæus, scilicet nomine tantum atque stirpe. Quod & in sequentibus declarabitur, vbi dicetur: Non enim omnes qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israëlitæ, sed qui filij sunt promissionis, eadem ratione non est vera circuncisio illa, quæ in carne manifesta est. Illa enim signaculum quoddam esse putatur. Quod quidem sic in Genesi declaratur: Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis. Signum autem non iudicatur verum, nisi & quod significatum est congruè consequatur. Propterea si quis Iudæus fœderis sit transgressor, non erit eius circuncisio vera. Quapropter tanquam incircuncisus habebitur. [Sed qui in abscondito Iudæus est, & cordis circuncisio in spiritu non litera.] Rationem hic assignat, quare incircuncisus legem seruans tanquam circuncisus existimetur, atque sui comparatione iudicet atque damnet circuncisionem duntaxat corpoream, scilicet quia verè est Iudæus, qui Iudæus est in abscondito, id est, qui in affectu cordis habet mandata legis, quæ Iudæi plerumque solo nomine profitentur. Simili ratione circuncisio vera est, quæ est cordis in spiritu, id est, per spiritum facta, per quem superfluæ cogitationes ab animo præciduntur. Item per spiritum, id est, spiritalem legis intelligentiam non literalem. Inquit ad Philippenses: Nos sumus circuncisio, qui spiritu Deo seruimus. [Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.] Superiorem hic rationem confirmare videtur. Siquidem diuinum iudicium in omnibus humano iudicio præferendum, ea verò quæ extrinsecus nobis apparent, siue Iudaismus, siue circuncisio sit, ab hominibus laudari solent; quæ verò in penetralibus mentis nostræ latent diuino iudicio duntaxat probari possunt. Hinc ergo conducitur Iudaismum circuncisionemque interiorem, exteriori præferri, idque ipsum est quod inquit, cuius scilicet interioris circuncisionis laus non ex hominibus, sed ex Deo dependet. Huc tendit & illud, quod Corinthiis inquit: Non enim qui seipsum commendat, & quæ sequuntur.

De prærogatiua, & quomodo illorum infidelitas non mutauit promissiones Dei.

CAPVT XVIII.

QVid ergo amplius est Iudæo? aut quæ vtilitas circuncisionis? multum

per omnem modum.] Postquam Apostolus demonstrauit Iudaismum, ad quem legis susceptio & circuncisio pertinet, ad salutem non satis efficere procul ab obseruantia legis, per quam quidem obseruationem Gentilis sine exteriori Iudaismo, id est, sine lege scripta atque circuncisione fructum vtriusque consequitur. obiicit ad ista nunc atque respondet, nempè si, vt dictum est, nec verus Iudæus, nec vera circuncisio in ceremoniis, sed in affectu consistit, quidnam amplius Iudæo quàm cæteris est tributum? Nil sanè videtur, plus tamen apparet esse concessum, vbi Dominus in Deut. dixit: Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris. [Aut quę vtilitas circuncisionis.] Scilicet exterioris? vtilis tamen esse debet, cum Deus ipse mādauerit. Esaias autem inquit: ego Dominus docens te vtilia. Itaque cum subdit, multum quidem quæstionis dirimens. Primo quidem prærogatiuam Iudaismi defendit, deinde circuncisionis vtilitatem propria ratione tuebitur. Profectò Iudæo amplius est tributum, itaque vt magnitudinem ostendat, respondet, multum, vt numerum quoque comprehendat, adhibet, per omnem modum, scilicet non tam in diuinorum contemplatione quàm in rerum humanarum dispensatione. Primum confirmat Dauid, notus in Iudæa Deus. Idem quoque secundum, non fecit taliter omni nationi. Amplius quoque habent quantum spectat ad patres, ad promissiones, ad prolem. Quæ Paulus in sequentibus enarrabit, quorum est adoptio filiorum Dei & gloria & testamentum. Ac ne in tot tantorumque vel significatione, vel enumeratione bonorum, superbiam augeat Iudæorum, nihil à Iudæis gestum narrat, sed duntaxat diuinitus attributa, existimatque cætera munera ad hunc finem his à Deo concessa, quia filium suum destinauerat corpusque ex stirpe Iudaica suscepturum. Id autem & illa non pro meritis Iudæorum, sed propria voluntate decreuerat. Extollit autem per hæc eos Apostolus, non tam pro tempore post aduentum Christi, quàm pro statu ante temporalem Christi natiuitatem. [Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.] Hæc dictio, primum, hoc in loco non propriè significat initium numerandi, non enim postea subdit, secundum atque tertium, sed significat principalem ante Christum prærogatiuam. Quia scilicet, Deus credidit illis atque concessit, quasi iam amicis eloquia sua, id est, mysteria in Patriarchis & Lege, Prophetisque contenta. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? (Nunquid incredulitas illorum Dei fidem euacuabit? absit.) Prærogatiuæ Iudæorum forsitan aliquis derogabit, quasi propter ingratitudinem suam diuinorum eloquiorum amiserint dignitatem. Huic obiectioni respondet, incredulitatem illorum, Dei fidem euacuare non potuisse. Obiectio quidem est eiusmodi. Quid autem si quidam illorum non crediderunt, nunquid inde conuincitur nihil amplius esse Iudæo? Non crediderunt autem primo quidem legislatori, vt inquit Dauid, non crediderunt verbis eius. Deinde nec Prophetis fidem adhibuerunt. Quod Ezechiel ita confirmat: Increduli & subuersores sunt tecum. Denique nec assensum filio præstiterunt. Itaque vbi dicit. (Nunquid incredulitas &c.) Obiectionem eiusmodi soluit argumento quodam ad inconueniens deducente. Quia si propter quorundam incredulitatem, prerogatiua Iudæorum è medio tolleretur, hinc vtique sequeretur, infidelitate hominis, Dei fidem euacuari atque disperdi. Quod quidem dictu nefas. Perinde ac si dicat: Nunquid incredulitas eorum, qui non crediderunt, Dei fidem euacuauit? Quod quidem duplicem habet sensum, nam aut fidem significat, qua in Deum creditur, aut Dei fidem, qua quidem Deus fidelis in promissis implendis existimatur. Ex hoc autem quod aliqui minimè crediderunt, reliquorum fides credentium non euanuit. Neque rursus ex hoc ipso Dei fidelitas in promissis implendis diminuta esse potest. Quæ tamen sublata iam esset, si propter quorundam incredulitatem accideret, nihil amplius esse Iudæo. Promisit enim Deus populum illum multum, magnumque efficere. Quod quidem patet in Genesi: Multiplicabo semen tuum. (Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.) Latini codicis est, habent. Græci esto, atque ita legit Athanasius. Esto igitur, id est, palàm ab omnibus affirmetur. Iam verò Paulus, hoc quidem absurdum esse declarat, propter humanam incredulitatem fidem disperdi diuinam. Nam Deus quidem verax est, & tamen omnis homo mendax. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mēdax. Hinc patet mendacium infidelitatemque hominis diuinæ veritati non adhærentis, veritatem fidemque non auferre diuinam. Promisit verò Deus Iudæis aliquid absolutè, aliquid autem cum conditione quadam; absolutè quidem legem atque Christum. Hæc igitur firmiter, vt promiserat, sic impleuit, nec ob illorum perfidiam retractauit. Hæc enim nec pro dignitate suscipientium dantur, sed decreto diuino, nec vllis meritis compensantur. Cum conditione

ditione verò mundanam nonnunquam promisit prosperitatem, si videlicet in fide pietateque firmiter permanerent. Eiusmodi verò bona, nonnunquam homines promerentur.

Vbi autem isti conditionem eiusmodi minimè seruauerunt, nec talia Deus promissa seruauit. Et interea nihilominus fidelis & verax extitisse dicendus. Hoc autem quod dicitur, omnis homo mendax, ad hoc præcipuè videtur adductum, vt appareat diuinam promissionem esse factam atque completam, non propter aliquam mendacis hominis dignitatem, sed propter misericordiam singularem, vt gratia etiam impartiatur indignis, appareatque mera gratia hæc existere. Deus quidem dicitur verax propter essentiam immutabilem, certam intelligentiam, firma promissa. Contrariis autem rationibus, homo mendax. Sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Propheta postquam dixit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, e uestigio subdidit, vt iustificeris in sermonibus tuis &c. Continuanti quidem verba Dauidis, sensum verò minus consideranti, videri poterit ita dicere, se videlicet ad hunc finem peccauisse, vt Deus iustificetur in sermonibus suis, quod quidem foret absurdum. Hæc itaque pars vt iustificeris &c. continuanda est, cum obsecrationibus illis, miserere, dele, laua, munda me, non solum quia iniquitatem meam ego cognosco, sed etiam multoque magis ad gloriam tuam. Quæ quidem ex hoc etiam apparebit, si me purgato atque iustificato, tu in venia concedenda, promissisque implendis iustificeris &c. Itaque Deus iustus existimabitur, cum quia promissa seruauerit, tum quia etsi non digno, tamen non prorsus alieno tribuerit. Alienus autem à gratia Dauid non erit omnino, si Deus propter misericordiam suam ignouerit, se verò ad veniam comparat. Peccatum meum ego cognosco, delicti me assiduè pœnitet, quia coram me est semper. Quòd graue sit pensito, Cum tibi soli peccauerim, id est, tibi soli sit notum, quàm sit graue, & peccauerim coram te, cuius nasciturus filius & afflatio spiritus est in me. Denique subiungit: Causam venię validissimam, scilicet, Dei gloriam in hoc etiam consistentem, vt iustificetur in sermonibus suis. Promiserat enim Deus per Nathā Prophetam Dauidi, regnum eius in suo semine in æternum confirmaturum. Quod secundo Legum libro legitur. Posthæc autem Dauid adulterij homicidiique crimine se prorsus contaminauit. Propterea multis oriri suspicio poterat. Deum huic velut indigno promissa minimè seruaturum. Adhæc Dauid ita respondet, propter peccatum meum diuina iustitia non mutabitur, cuius est pręcipua implere promissa. [Vt iustificeris in sermonibus tuis.] Videlicet vt ex hoc in tuis sermonibus iustus appareas Quippè cum propter crimina mea non sis hæc aliquando frustraturus. [Atque vincas cum iudicaris.] Id est, quando ab hominibus iudicaris promissum decretumque mutaturus tanquam ipse meis sceleribus permutatus, in hoc ipso humanam vincas opinionem implendo videlicet, quod terminum expleturum mortalis suspicabatur opinio. Promissio quidem diuinitus facta Dauidi de Christo, ex stirpe Dauidis profecturo, erat prorsus implenda. Pertinebat enim ad propheticum prædestinationis oraculum. Promissiones autem minaces per Prophetas illatas, non est necesse prorsus impleri. Pręnuntiantur enim implendæ pro meritis, quibus interea permutatis, minarum non procedit euentus. Quamobrem nisi fuisset impletum promissum Dauidis, diuina forsitan iustitia culparetur, si quando verò minarum portenta minus eueniunt, diuina quidem iustitia non arguitur, sed mutati mortales existimantur.

Soluit quæstiones circa Dei veritatem & iustitiam & gratiam contingentes.

CAPVT XIX.

SI autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? nunquid iniquus est Deus, qui infert iram?] Si Deus clementia sua vel indignis bona tribuit (in quo quidem munere commendabilior gratia eius apparet) inferre quispiam poterit Deum vti malignitate nostra, velut instrumento quodam, ad suam gloriam celebrandam. Eoque rem deducet, vt dicat iniquum Deum vbi peccata punit, quæ ad suam gloriam conferunt. Inquit ergo Paulus, quidnam dicemus, si quis arguat Deum iniquum, vbi peccata punit ad suam gloriam conducentia? Perinde ac si dicat, quomodo deuitabimus absurda, quæ inde sequentur? exprimit autem quod sequitur inconueniens, ita dicens: nunquid Deus qui infert iram, id est, vindictam, pro peccato, est iniquus? Hoc enim sequi videtur ex dictis. Iam verò peccatum nequaquam Deo necessarium est ad ipsam eius iustitiæ gloriam commendandam. Si enim peccatum propria quadam via tenderet ad diuinam iustitiam celebrandam, non esset supplicio, sed præmio dignum. Atque ita Deus dum

punit homines, pro delictis videretur iniquis, quod quidem dictu nefas. Ideo per verba sequentia prophanum hoc excludit. Dicens absit, scilicet vt Deum iudicemus iniquum. [Secundum hominem dico.] Id est, suspiciosam consequentiam circa iniquitatem in Deo fortè futuram, non mea quidem sententia, sed quorundam ita dubitantium lingua protuli. Aduerte quantum Paulus vertatur verba etiam aliorum proferre, Deum quomodolibet offensura. Similiter Socrates in Phædro, Philebo se dicit summa omnium formidine perterreri, ne fortè contra nomina diuina delinquat. Hoc autem non esse dicendum ostendit ita subdens. [Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum] Scilicet, si Deus est iniquus, nempè sicut ad creatorem vniuersi pertinet esse potentissimum, sic ad vniuersi iudicem attinet esse iustissimum. Hinc illud Dauidis: Iudicabit orbem terræ in æquitate. Atqui & vbi Paulus dicit, quomodo iudicabit hunc mundum? non solum de iudicandis hominibus, sed de vniuerso iudicio vult intelligi, quo quidem Deus omnia potenter attingit, suauiterque disponit, & quæ in cœlis & quæ sub cœlo sunt, mirabili quodam ordine digerit atque dispensat. Non igitur putandus est in solis hominum rebus iniquus esse, qui est in communi totius mundi distributione iustissimus. Si enim veritas Dei in mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?] Si in meo mendacio, id est, propter meum mendacium, quod in omni peccato comprehenditur, veritas Dei, id est, æqua fidelitas abundauit, scilicet, palàm in gloriam ipsius, adeò vt humanum mendacium propriè ad gloriam Dei conferat, duo sequuntur absurda, primum quidem hominem non debere peccatorem existimari propter mendacium, siquidem propriè ad Dei gloriam conferat, propterea dicit peccatoris personam sumit, quid adhuc, id est, cur etiam nunc & ego iudicor ab hominibus pro mendacio tanquam peccator, & omnino peccator? Secundum autem absurdũ est. Quòd ansas falsis Apost cõcedemus ad criminandũ, vt solent Apostolos Christi veros. Cum enim Apostoli veri prædicarent, per abundantiam gratiæ Christi peccatorum abundantiam salui. Quale illud Apostoli, vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, carpebant Apostolos, quasi diuulgarent, debere homines perpetrare mala, vt contingant inde bona. Quod quidem sequeretur, si mendacium hominis reuera Dei gratiam commendaret, & propriè gloriam illustraret, propterea dixit. Et sicut blasphemamur.] Id est: non si ipsi dicimus & sentimus, sicut quidam nos quasi per blasphemiam criminantur, & sicut fingunt, nos dicere, faciamus mala vt veniant bona. [scilicet vt Dei veritas & gratia & æquitas commendetur, abundemus peccatis, vt superabundet & gratia. Non enim nos ita loquimur vel sentimus. Quorum condemnatio iusta est.] Scilicet, eorum qui mala faciunt, vt bona contingant. Sicut enim non debemus proponere falsa, vt concludamus vera, ita nec eligere mala, vt per ea velut ad finem perueniamus ad bonum. Eorum quinetiam iusta est damnatio qui tam iniquas Apostolis notas inurunt. Nec iniuria, qui Deum vel Dei ministros iniustè damnant ipsi iustè damnantur. Et qui diuinam iustitiam trahere in dubium non verentur, eam ipsi damnantem experiuntur, & sentiunt cruciantem.

Inuectiua contra Iudæos atque Gentiles, & quod obseruatio legis non sufficit ad salutem.

CAPVT XX.

QVid igitur? Præcellimus eos? nequaquam. [Paulus se Iudæis adnumerans sic interrogat: Quid ergo dicendum? Nunquid nos excellentiores esse Gentilibus. Aliter quidem hic interrogat, in superioribus aliter. Illic enim quæsiuit nunquid amplius est Iudæo, scilicet à Deo tributum? statimque eloquia, mysteria, oracula Dei præ cæteris Iudæo credita confirmauit. Nunc sub Iudæorum persona quærit, num Gentilibus eminentiores sumus? Quantum scilicet ad personas & actiones humanas. Itaque respondet, minimè, atque sicut in superioribus multa & magna Gentilium vitia numerauit, ita deinceps totidem Iudæorum simul atque Gentilium, vt saltem pares vtrique moribus existimentur, & interea Iudæi tanto peiores quanto maiori munere, donato diuinitus, sunt abusi. Altercatio enim erat inter Iudæos Gentilesque conuersos ad fidẽ an veri excellentiores essent. Vbi Iudæi præcipuè se diuinis muneribus extollebant, & Gentiles quasi minimè idoneos ad salutem paruipendebant. Vtrique igitur, sed Iudæi maximè, cohibendi Apostolo videbantur. Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.] Proinde ac si dicat, rationibus accusauimus & criminati sumus vtrosque, ita peccati esse subiectos, vt sola diuina gratia iustitiam salutemque consequi possint. Nec Græci Philosophia vel lege naturali, neque Iudæi prærogatiua vel lege scripta confidant, sed ad gratiam Euangelicam vtrique confugiant.

Causatus quidem est Gentiles Apostolus, vbi obiecit eis veritatem Dei in iniustitia impietateque detinere. Causatus quoque Iudæos vbi disseruit eos acceptam diuinitus legem præuaricatos suo Deum honore fraudasse. [Sicut scripum est.] Scilicet à Dauide scriptum multas grauesque Iudæorum Gentiliumque culpas accumulante. Esaiam quoque citabit testem contra eosdem In peccatis autem enumerandis, primo quidem obmissis, deinde commissionis culpas adducit in medium. [Non est iustus quisque, non est intelligens, non est requirens Deum.] Non est iustus quisque iustitia perfecta, quæ quidem referri debet ad Deum, atque ad hunc finem gratia diuina contendere. [Non est intelligens.] Exactam scilicet rationem, qua iustè actiones sunt in Deum præcipuè dirigendæ. [Non est requirens Deum.] Quia scilicet non inuestigant quid Deo placeat, quid non placeat. Et quomodo ipse potissimum sit finis actionibus proponendus. [Omnes declinauerunt.] Scilicet via recta. Meritò in delectu viarum itinereque semper erant qui terminum non prospexerunt. [Similiter inutiles facti sunt.] Consequentem finem vltimum, in quo requiescant, non assequuntur, postquam in ipsa finis constitutione viarumque delectu ab initio, errauerunt. Hinc conatus omnis inutilis [Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.] Nimirum cùm in actionum principiis iam errauerint, opus nullum peragunt absolutè bonum, & quia omnes similiter errauerunt, nullus peruenire putatur ad bonum, videlicet facultate sua. Hinc omnes gratia pariter indigere censentur. [Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.] Iam peccata commissionis aggreditur, & à sermonis falsitate detractioneque & maledicentia facit exordium. In hæc enim & quæuis horribilia peccata labuntur, mortales omnes qui ab initio semel errantes diuina gratia passim orbati pererrant. [Dolosè agebant.] Quia non solùm crimina vera vel palam, sed etiam falsa & clam inferunt, atque confingunt. [Venenum aspidum sub labiis eorum.] Maleficia siquidem lingua virus effundunt ad longum tempus quàm plurimos infecturum. [Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.] Auget admodum vbi dicit, plenum. Maledictione etiam in Deum & amaritudine, dum etiam alios ad hoc prouocant & inficiunt. [Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.] Testimonium Esaiæ nunc adducit, & post linguæ culpas, peccata operis iã inuadit. Exprimit igitur, quam propensi ad quæuis facinora putandi sint, quandoquidẽ ad homicidium etiam Prophetarum præcipites efferuntur. [Cõtritio & infelicitas in viis eorum.] Post pedes consequenter vias attigit, id est, motus actusq; scelestos. In his autem contritionem collocat & miseriam, supplicia videlicet verborum & operum pessimorum. Siquidem ipsi etiam in hac vita suis flagitiis, obiter velut offendiculis tribulisq; cõteruntur atq; cruciantur. In vita verò futura miseria premuntur æterna. [Viam pacis non cognouerunt.] Quoniam rectam compendiariamq; viam ad beatitudinẽ, in qua sola pax & quies esse potest, non cognouerunt, id est, non elegerunt. Cõsequenter hac via relicta, quæ vnica est, per vias distrahi multas, in viasq; pererrant ad pessimos habitus infelicitatemq; deducentes. (Nõ est timor Dei ante oculos eorum.) Quod hic postremum posuit, omnium principium est malorum. Sicut enim sapientiæ quidem principium est timor Domini. Sapientia verò principium rectè feliciterq; agendi, quod & Plato in Euthydemo demõstrat, sic non timere Deum origo est ignorantiæ, quasi cæcitatis in eligẽdo plurimum aberrantis. Atq; hinc obliqui infelicisq; itineris est origo. Dixit autem ante oculos, vt admonet non leuiter, sed assiduè valdeq; verendum esse Deum, & eiusmodi redolẽtiam pro indice simul atque duce actionum omnium semper habendam. (Scimus autem quod quæcumq; lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur.) Nonnulli apud Iudæos superiora Dauidis verba aduersus Nabuchodonosor Babyloniæ regem, exercitumq; eius dicta interpretantur. Esto igitur, & Esaias, si placet, loquatur & de Gentilibus. Omnino verò quoniam vtriq; in lege Mosaica fundati loquuntur, pro lege sunt habendi, ad instructionem populi Iudaici missi diuinitus. Quamobrem & si verba eorũ vel Gentes tangunt, vel complectuntur omnes, tamen ad castigandum populum cui præpositi sunt vbiq; cõtendunt, & ideo præcipuè ad eos scilicet formandos, qui in lege sunt loquuntur. Atq; idcirco si quãdo Gentiles tangunt, illorum interim cognomento exemploq; Iudæos quoque comprehendunt. [Vt omne os obstruatur.] Quæ nam est intentio Prophetarum, vbi omnes pariter detestantur? Vt nullus audeat vlterius se iactare quasi prudentem aut iustum. (Et omnis mundus subditus fiat Deo.) Omnes errata sua pariter recognoscant, & quam minimè sufficientes sibi sint perpendant, ideoque Dei gratiam semper expectent.

(Quoniam ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro coram illo.) Nec Gentilis ex operibus legis naturalis atque Mosaicæ iustitiam æterna salute dignam consequi potest. Vtrique igitur ad gratiam Euangelicam confugere compelluntur. Dixit autem coram illo. Quoniam obseruatio legis apud homines quidẽ existimatur sufficiens ad salutem, apud Deum verò nequaquam. [Per legẽ enim cognitio est peccati.] Lex enim non ei leuat culpas & peccata, sed grauat. Duobus videlicet modis, quia per legem naturalem atq; scriptam docemur quid agendum, quid vitandum, vt ignorantia nos excusare nõ possit. Item, lex ad obseruantiam nos astringit. Hinc ergo cùm nitimur in vetitum, reuerentia legis posthabita, grauiore quadam damnatione peccamus. Opus est igitur indulgentiore quadam authoris legum clementia, ope, gratia, vt nos vel per auxilium, vel veniam gratiamque à crimine culpisque redimat.

Quæ sit iustitia Dei, & quomodo non dependeat ab operibus legis, sed à gratia Dei per fidem in Christum, atque de redemptione.

CAPVT XXI.

NVnc autẽ seorsum à lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis.] Iamdiu molitur Apostolus affirmare, salutẽ absq; fide Christi haberi non posse. Hactenus quidem hoc per legis defectum ostendere voluit. Deinceps autem potissimum per Christianæ fidei gratiæque perfectionem idem nobis aperiet. Præterea in superioribus enarrauit Iudæos Gentilesque ante Christi aduentum fermè æquales in culpa fuisse, deinceps autem æquales ad statum gratiæ demonstrabit. Principio iustitiam Dei dicit à lege minimè dependere. Iustitiam verò Dei vocat eam præcipuè, quæ Deus ipse requirit tanquam saluti sufficientem, & qua credentes in filium pater ipse iustificat. Hæc igitur Dei iustitia nunc, id est, in tempore gratiæ manifestata est, cum per Christi doctrinam, tum per eius miracula, tum etiam per operis euidentiam. Siquidem compertum sit, multos esse diuinitus vt ita loquar, iustificatos. Atque hoc quidem seorsum à lege, id est, dum lex eiusmodi iustitiam non efficeret, quemadmodum inquit ad Galatas: Qui in lege iustificamini à gratia excidistis. Hinc & Esaias inquit, propè est salus mea, vt veniat, & iustitia mea, vt reueletur. Et ne quis putet hanc iustitiam esse legi contrariam, ait, testificata est per vaticinium atque figuram. Hinc Christus apud Ioannem: Si crederetis Mosi, forsitan & mihi crederetis De me enim ille scripsit. Quinetiam per effectum. Quia cum ipsa iustificare non posset, satis arguebat aliunde quærendam fore iustitiam. Prophetę autem testificati sunt eam prænuntiãdo. Propterea in Actis Apostolorũ dicitur. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. [Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum.] Iustitia quidem quæ satisfacit Deo, qua iustificatur apud Deum anima, comparatur per ipsam fidem, Christo & Euangelio præstitam. Per fidem, inquam viuãm, id est, charitatem formatam & operantem: quæ quidem fides præparat nos ad gratiã. Gratia verò iustificamur In omnes, inquit: quoniã iustificatio eiusmodi ęquè competere potest omnibus. Inquit, & super omnes: quoniam omnium merita & vires excedit: qui credunt in eũ, scilicet esse Dei Filium. Antea quidem venturum, posteà verò venisse. (Non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt, & priuãtur gloria Dei.) Hoc per Esaiam confirmari videtur, omnes sicut oues errauimus. Inquit non esse distinctionem inter Iudæum atque Gẽtilem: quoniam neuter per suam legem dumtaxat ducitur ad salutem, & vtrique adeò peccauerunt, vt priuati sint facultate ad Dei gloriã. Vtrique igitur æquè indigent gratia Dei. Atq; ad hanc gratiam per fidẽ sunt pariter præparandi. Per quam sanè gratiam æquè iustificandi putantur. Ideo sequitur. [Iustificati gratis, gratia ipsius pro redemptione quæ in Christo Iesu.] Quoniam nec suis legibus, nec meritis, sed sola fide gratiaq; Dei iustitiam sunt adepti. Sed antequã vlterius prosequamur admonendi estis, non esse legendum, vt Latini Codices habent, egent gloria Dei. Id enim neq; cum Græcis conuenit verbis, nec modum dicendi seruat vsui consentaneũ. Non enim propriè loquimur, egent gloria, sed egent gratia, & priuãtur gloria siue carent. Sic Athanasi9 quoq; legit: Nã ob hoc ipsũ quod omnes peccauerunt, similiter gloria carent, & gratia pariter egent ad gloriam consequendam, sed ad institutum proximum redeamus. Neque rursus legendum est, per gratiam ipsius, quemadmodum Latini Codices habent, sed veritate Græca, vt suprà dicebam, gratia ipsius. Alioquin ridiculus est cõtextus. Ipsius Dei gratia nos iustos efficit per redemptionem quæ est in Christo Iesu, id est, per hoc mediũ, quia misit Iesum qui nos à culpis quasi reos sua pro nobis satisfactione redimeret.

Satisfactione, inquam, sustinendo pro nobis mortem. Cui quidem propter originale peccatum obnoxij omnes eramus. Eiusmodi vero satisfactio non aliter ad nos pertinere potest quam per fidem. Qua quidem credamus Redemptorem nostrum esse Iesum, ideo subditur [Quem proposuit Deus Propitiatorem per fidem in sanguine ipsius] Proposuit, id est, prædestinauit, & palàm pro omnibus posuit humani generis cum Deo conciliatorem, in sanguine suo, id est, mirabili suipsius sacrificio per fidem dumtaxat ad nos pertinente. Vbi vero Propitiatorem dicit, Mosaicum tangit Propitiatorium. Quod quidem, vt inquit Philon, Arcæ erit operculum Cherubinis geminis insignitum, vt nostri exponunt, Christi Symbolum Qui & Ecclesiam & Arcâ protegit, & sicut figuratur Cherubin humanus est pariter & diuinus. [Ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.] Finalem assignat redemptionis propitiationisque causam, id est, vt Dei iustitia declaretur pluribus sanè modis, vt diuina ad nos iustificatio veniat. Vt quod diuinitus promissum est, iustè & fideliter impleatur, vt vniuersale generis humani delictum non sit penitus impunitum. Quod quidem sola Christi & innocentis atque diuini pro nobis satisfactione expiari potest. Ideo dixit, ostensionem diuinæ iustitiæ in remissione delictorum præcedentium effici posse In sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore. Quæ quidem delicta Deus hactenus sustinuerat, vt nec puniret nec absolueret, præsertim circa patres expectantes in lymbo, sustinuerat autem vt denique declararet dumtaxat in hoc tempore Christianæ gratiæ absolui posse delicta. Vt sit ipse iustus & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi ad hunc videlicet finem ipse Deus omnino iustus appareat, & iustum insuper reddat in Christo credentem.

Operæpretium fore videtur antequam consequentem disputationem aggrediamur, nonnihil de redemptione per Christum facta disserere. Rationibus videlicet ex libro de Religione nostro breuiter huc adductis. Ibi enim de hoc latius disputamus. Vita corporis anima est, animæ vita Deus, naturæ ordo exigit, vt corpus animæ, anima Deo pareat. Iustitiæ ordo requirit, vt si à Deo dissentit animus, talionis pœna dissentiat corpus ab anima, atque sensus à ratione. Rebellauit à Deo primi parentis animus, rebellauit corpus ac sensus ab eo. Rebellio prima peccatum fuit. Secunda pœna quædam peccati fuit atque peccatum, quoniam rationi derogauit à Deo. Complexio affectioque rebellis à primo quasi sapor quidam profluxit in omnes, proinde quasi vt riuuli à fonte manarunt. Hoc originale vitium est cæterorum malorum animæ corporisque origo. Hoc volumina illa Hebræorum testificantur, quorum diuinitatem testificatur summa illorum præ cæteris antiquitas, consensio penè omnium, propagatio per vniuersum, duratio indefessa, concordia, maiestas, sobrietas & miracula. Hinc illa Magorum à Zoroastre descendentium opinio, omnia scilicet corporis mala à malis animæ proficisci, animaque curata cætera mala vitari. Hoc Plato in Timæo quidem innuit, in Carmide verò declarat. Vtrum, vt ad propositum reuertamur, rebellio eiusmodi, quoniam infiniti Dei derogauit maiestati, mortales ad infinitam beatitudinem ineptissimos reddidit, neque dirigi, nisi per infinitum Deum poterant. Dirigendi tamen aliquando erant, ne frustra à Deo fuissent ab initio ad beatitudinem ordinati. Per voluptatem commissum est peccatum, per contrarium voluptatis dolorem est purgandum. Peccauit semel omnis quodammodo humana natura in homine illo, qui vicem gerebat omnium, pati similiter semel quodammodo debet omnis in aliquo, qui vicem quoque omnium gerat, qui longè magis cum Deo consentiat quam ille dissenserit. Omnium verò vicem post Adam solus ille gerere potuit, qui Deo penitus vinctus esset omnium conditori. Fuit igitur ille Deus simul & homo. Deus, vt omnes complecteretur, infinitamque possit culpam diluere: Homo vt pati pro culpa posset, atque vt pateretur homo, quemadmodum peccauerat homo. Sic & illius hominis pœna meritumque vim aliquam habuit infinitam, in quantum reuera Deo iunctus fuerat infinito. Infinito autem quodammodo supplicio meritoque opus fuerat ad infinitam culpam penitus diluendam.

Proinde Doctores Iudæorum consentiunt diuinam prouidentiam, mala imminentia populo scelerato conuenienter, ac sæpè purgare per supplicium vnius iusti, pro omnibus libenter satisfacturi, sicut per incisionem vnius venæ sæpè curantur omnia membra. Item conueniunt per culpam Adæ humanam speciem infectam fuisse. Atque hanc contagionem nondum fuisse purgatam, sed tempore Messiæ purgandam, quomodocunque purgetur. Nos autem ex eorum principio concludimus purgationem eiusmodi fieri per passionem

Messiæ. Sicut enim pro pluribus satisfacturus gradatim debet esse iustior, ita pro omnibus iustissimus. Talis verò solus est Messias. Quomodo autem oportuit ad animos expiandos Messiam esse sacerdotem, atque hostiam probat Paulus ad Hebræos.

Non per merita legalium operum, sed per Christianam fidem iustus saluusque efficitur Gentilis pariter vt Iudæus.

CAPVT XXII.

VBi est igitur gloriatio tua? Exclusa est. [Per quam legem? operum? non, sed per legem fidei.] Iamdiu Apostolus incœpit iactantiam reprimere Iudæorum, quatenus sola lege vel maximè gloriabantur, confidebantque se Gentilibus ad consequendam salutem esse admodum potiores. Cum ergo Paulus iam pridem probauerit Iudæos in culpa Gentilibus æquales existere, innueritque Gentiles in suscipienda gratia æquales esse Iudæis. Hic itaque prosequitur inanem Iudæorum gloriam repressurus. Ausculta Iudæe, si æquè peccatis es obnoxius vt Gentilis rursus, quando iustificatur pariter atque tu per Euangelicam fidem atque gratiam. Vbi est igitur gloriatio tua? qua scilicet in lege adeò gloriaris, vt existimes operum eiusmodi meritis te solum vel potissimum ad iustitiam peruenisse? Exclusa est videlicet & explosa. Quoniam verò altera quidem lex per alteram excludenda, vel declaranda, vel emendanda videtur, interrogat, per quam præcipuè legem eius iactantia cohibita sit. Vna quidem lex esse dicitur regula operum scilicet Mosaica: Quæ quidem non tam in extirpandis perturbationibus animique in actionibus exterioribus disponendis versari videtur. Altera verò lex fidei nominatur, id est, Euangelica, quæ non solum actiones externas castigat atque disponit, sed etiam omnes animi motus moderatur ad vnguē, & perturbationes extirpat. Per hanc sanè legem sublata est gloriatio Iudæorum. Quippè cum huius munere Gentilis quilibet non minus quàm Iudęi diuinam iustitiam & gratiā consequantur.] Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.] Fides profectò viua & per charitatem operans, exhibita Christo, iustitiam præstat perfectam cuilibet ita credenti, etiamsi in legis operibus non fuerit conuersatus. Necessarium tamen est ita credenrem deinde legitima operari, nec fides sine operibus mortua iudicetur. [An Iudæorum tantum Deus est? Nonne & Gentium? Imò & Gentium.] Deus conditor vniuersi non solum Iudæis: sed etiam Gentibus vbique prouidet. Itaque non Iudęis tantum, sed Gentibus quoque modum adhibuit ad salutem, vt sicut Iudæus sub præceptis Mosaicis educatus aditum habet ad gratiam, ita Gentilis sub lege naturali nutritus & doctus viam habeat ad salutem & vterque per fidem Euangelicam iustitiam prorsus adeptus apud Deum gloriam consequatur æternam. Quoniam vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, Gentilitatemque per fidem.] Ipsemet Deus pariter vtrisque prouidens eiusdem fidei, scilicet Christianæ munere, vtrosque tanquam iustos comprobat & gratia gloriaque dignatur. Inquit autem ex fide iustificare Iudæos, & per fidem iustificare Gentiles. Ex fide scilicet apud Iudæos omnium antiquissima. Siquidem cœpit in Abraham, processitque per Patriarchas alios atque Prophetas: Christum expectans quandoque futurum. In hac itaque Iudæus natus, hac quoque munitus ex hac nimirum iustificari dicitur apud Deum. Apud verò Gentiles nulla de Christo fides antiqua fuit, sed Apostolis prædicantibus per hanc nouam subitamque fidem iustificati censentur. [Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.] Nequis per suprà dicta putet Euangelicam fidem Mosaicæ legi contrariam, subdit: Euangelica lege Mosaicam non disperdi. Sed, vt inquit Dominus, adimpleri. Quæ enim in Testamento veteri cerimonialia erant, tanquam signacula futurorum, in Euangelica substantia veritatem suam reportauerunt. Quæ verò moralia quondam fuerant, optatum finem votumque præceperunt. Disponebant enim animorum motus & pro viribus amputabant, vt denique penitus purgarentur. Quam sanè purgationem puritatemque perfectam lex Euangelica præstitit.

Non Abraham nec alius quisquam propter circuncisionem vel simile aliud legis opus apud Deum iustus habetur, sed propter fidem.

CAPVT XXIII.

IVdæi Gentilibus propter legis circuncisionisque priuilegia seipsos in salute recipienda nimium præferebant. Apostolus igitur cum eiusmodi iactantiam circa legem iam sæpè represserit, deinceps etiam circa circuncisionem cohibere prosequitur, repetens videlicet quæstionem quandam superiorem ita dicentem: Quæ igitur

vtilitas circuncisionis? Et quoniam Abraham primus mandatum circuncisionis accipit, meritò circa personam eius quæstionem de circuncisione resumit, ita dicens: [Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum inuenisse secundum carnem?] Perinde ac si dicat: Postquam diximus Gentilitatem pariter atque circuncisionem apud Deum iustificari, quidnam igitur facultatis eximiæ ad diuinam iustitiam consequendam inuenit reportauitque Abraham secundum carnem, scilicet circuncisam, id est, ex eo quod iussu diuino carnem suam suorumque circuncidit operaque similia est exequutus? Quasi dicat, per huiusmodi opera perfectam non reportauit iustitiam, sed per fidem. Si quis enim mortalis cum diuino mandato spectet circuncidentem, aliaque legitima extrinsecus opera peragentem, comprobabit ipsum iam dignum iustitiæ gloria iudicandum, atque hoc quidem iudicium est humanum externa videlicet circumspectans. Quandoquidem inspicere non valeat intima. Atque ita Abraham gloriam apud homines promerebitur. Non tamen eadem hac ratione gloriam apud Deum inspicientem videlicet intima, ac propter fidem finisque intentionem potius quam propter externos motus iustificantem. Qui sanè & mentiuntur falluntque plerunque Iudicem his intentum, & si quando legitimi sunt, vt in Abraham, non tamen propter eos sed per fidem intentionemque intimam Deus iustitiæ gloria dignum censet Abraham & quemlibet similiter operantem. Iustitia quidem humana bonum humanum spectans externorum operum consuetudine communiter comparatur. Iustitia verò diuina scilicet in primis accepta Deo, diuinum extremumque bonum optans, non tantam habet cum actionibus externis proportionem, vt ex illis comparari queat, sed fide per charitatem in Deum erecta diuinaque gratia prouenit, vt merito dictum sit, externa quidem opera apud homines, iidem verò intentionemque intimam apud Deum gloriam reportare. Quamobrem subdit Apostolus: [Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam; sed non apud Deum.] Quasi dicat, si iudices iustum propter opera legis exteriora, hæc quidem humana comprobatio fuerit potius quàm diuina. Opera verò legis intelligit, quod circuncidit, quodue sacrificia obtulit, cæteraque id genus, qualia lex Mosaica præcipit obseruanda.

Præterea ex operibus externis acquiritur ciuilis & humana iustitia, gloriam inter homines quidem habens, sed non similem apud Deum. Quoniam non efficit hominem æterna gloria dignum, nisi accesserit & præcesserit ingens fidei & charitatis affectus gratia diuina munitus. Considerandum verò quod Latinè traductum est, habet gloriam, Græcè haberi propriè gloriationem. Vbi sensus hic est proprius, scilicet habet in se quo glorietur, id est, si per opera liberi arbitrij, tanquam sua, iustitiam promeretur, merito gloriari potest non solum apud Deum, sed etiam apud se, id est, non solum diuina gratia, sed propriis etiam actionibus atque meritis Si autem non per opera externa, sed per ipsam solius fidei oblationem iustus euadit, sola Dei gratia largitateque gloriabitur. Quod autem Apostolus de Abraham loquitur, similiter de ceteris hominibus vult intelligi. Quid enim scriptura dicit? [Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.] Nempè in Genesi scribitur Abraham credidisse Deo multiplicationem seminis promittenti. Ac propter eiusmodi fidem, non propter exteriora, à Deo iudicatum esse iustum. Credidit autem Deo præcipuè promittenti Christum, vnde confirmatur per fidem in Christum perfectam iustitiam comparari. Perfectam sanè iustitiam Deus non in vili quidem subiecto, scilicet in scriptis motibusque externis, sed in intimo mentis affectu nobis imprimere voluit, in quo quidem affectu fides habet exordium. Inquit autem, credidit Deo. Est enim fidei trinus actus. Credere Deum, credere Deo, credere in Deum. Ille quidem credit Deum qui authoritate nitens, Deum esse prouidereque prorsus affirmat. Credit autem præterea Deo qui diuinis reuelationibus præceptisque fidem adhibet atque paret. Credit denique & in Deum qui fidei charitatem adhibens ad Deum omnia refert vt ad finem. Primus quidem actus materiam fidei continere videtur, secundus autem fidei formam, tertius denique finem. Vt igitur ipsam fidei formam exprimeret, credidit Deo, inquit. [Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ Dei.] Exponit & confirmat Apostolus illud, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cum enim Abraham nihil adhuc exterius operatus, perfectè Deo crediderit, atque ob hanc ipsam fidem iustus à Deo sit iudicatus, gratis à Deo iustitiam accepisse videtur. Similiter & alij multi cum

operandi tempus occasionemque vel facultatem nondum habuerint, ob solam fidem affectumque in Deum, iustitia donati sunt, perinde ac si iustitiæ opera peregissent. Quod enim reputatum dicitur, intelligitur gratis datum alicui, nondum reuera merenti. Hæc in sequentibus confirmantur, vbi dicitur, corde creditur ad iustitiam. qui autem opera multa denique iustitiæ consentanea & ad libitum iustitiæ conducentia iam exercuit, si verò iustus habetur à Deo, non solo quidem munere, sed etiam suo quodam officio mercedem huiusmodi, id est, iustitiã est adeptus. Hæc autem huiusmodi ratione nituntur. quod alicui tanquam merces operanti traditur, non propriè ratione gratiæ datur, sed debiti alicuius conditione rependitur. Iustitia verò perfecta, de qua hic est sermo, gratiæ largitate concedetur. Itaque non per opera legis acquiritur.

Proinde quod inquit, qui iustificat impium, auget argumentum. Nam si Deus aliquando hominem nondum credentem ad fidem vocat, perque fidem gratiamque ad iustitiam salutemque perducit, multo magis animum iam quodammodo pium atque credentem iustum efficit & beatum. Præterea quod inquit, secundum debitum, non ita debes accipere, vt opera temporalia digna sint vel æterna beatitudine vel perfecta comprobatione iustitię. Hoc damnat Paulus vbi dicit ad Romanos: Passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam. Atque ad Titum, non secundum opera iustitiæ, quæ fecimus nos. Opera enim nostra per formam naturamque suam, neque iustitiam perfectam, neque beatitudinem promerentur. Secundum verò diuinum influxum, quo mirabiliter incitantur atque ducuntur promereri videntur. Ipsa profecto fides manifestè non ista meretur, diuina gratia fulciatur. Quod denique subdidit: Secundum propositum gratiæ Dei.] Significat Deum largitate sua prædestinauisse iustitiam & salutem reuera credentibus impartiri. [Sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus.]

Latini Codices accepto habent, mendosum est, nec vllum habet sensum. quod verò dicitur, cùm Deus acceptam fert iustitiam, Latinus loquendi modus est, atque eiusmodi significationem habet, Deus habet iustitiam pro accepta ab illo, videlicet homine qui nondum opera legis exercuit. Sed quomodo habet acceptam? Quoniam ille & si non fert ad Deum opera legis, fidem tamen iam habet. Quam scilicet fidem, vel ipse homo Deo in primis obtulit, postmodum augenti, vel Deus largitate sua fidem fidem principio præstitit, dum ad hanc hominem miraculosa quadam opera compulit. Propterea iustum eum fecit, & reputauit quasi gratis, qui nondum ad opera foris ad iustitiam conducentia perpetrauit. Imò & nonnunquam opera contraria fecit. Quod quidem Propheta declarat vbi sequitur. [Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.] Ex his planè conspicitur, hominem sæpè peccatis onustum ad fidem à Deo mirabiliter prouocari, atque ita pro iusto haberi, gratisque fide iustitiaque donatum ad beatitudinem præparari. Enimuero felix, ac supra modum dilectus Deo, beneque fortunatus iudicatur à Dauide, qui sine operibus, id est, officiis præcedentibus, sine labore, gratis munus perpetuum reportauit. Vbi dicit iniquitates, delicta significat per malitiam perpetrata. Vbi verò peccata, per infirmitatem commissa declarat. Vbi denique peccatum commune cunctis & originale vult intelligi. Peccata rursus tecta dicuntur diuino conspectui. Quæ Deus non aspicit ad hoc vt puniat. Similiter non imputat peccatum, scilicet ad vindictam. Eiusmodi verò gratia prædestinatione quadam paucis concessa traditur. Quemadmodum Paulo similibusque diuinitus compulsis ad bonum. Remissio verò peccatorum iam credenti concessa, vel nondum operanti pluribus contigisse videtur. [Beatitudo ergo hæc in circuncisionem tantùm peruenit, an etiam in Gentilitatem. Dicimus enim quod reputata est fides Abrahę ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? In circuncisione, an ante circuncisionem? Non in circuncisione, sed ante.] Quæritur de eiusmodi gratia, quæ vocatur iustitia fidei, per quam gratis remittuntur peccata, quæ nonnuquam per solam fidem nullis meritis operum præcedentibus credentem, reputat redditque iustum, & nonnunquam etiam malè hactenus operatum vocat atque iustificat: Quæritur, inquam, num circuncisis dumtaxat conueniat, an etiam non circuncisis æqualiter concedatur? Respondetur, & æqualiter. Siquidem nondum circuncisus fuerat Abraham, quando fides ipsa sine operibus præcedentibus reputata illi est ad iustitiam, ante Ismaëlis natiuitatem, circuncisio verò facta est, Ismaële propè iam adulto.

Circuncisio non est iustitiæ causa, sed signum iustitiæ, quæ est per fidem. Item, premissio facta fuit Abrahæ non propter legis opera, sed propter fidem.

CAPVT XXIIII.

ET signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in non circunciso, vt sit pater omnium credentium sine circuncisione, vt reputetur & illis credulitas ad iustitiam, atque sit pater circuncisionis, non his tantum qui sunt ex circuncisione, sed his etiam, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in patre nostro Abraham ante circuncisionem.] Postquam disputatum est beatitudinem illam quæ in peccatorum remissione consistit non solum circuncisis, sed etiam non circuncisis æquè congruere, idque exemplo Abrahæ probatum, qui ante circuncisionem per fidem ipsam ab ipso Deo iustitiam & eiusmodi beatitudinem est consequutus, reliquum erat, quid sibi velit circuncisionis officium patefacere, ne fortè frustra videatur inducta, quandoquidem ipsa non iustitiæ causa. Inquit ergo Paulus, eam tanquam signum atque signaculum esse diuinitus institutum. Signum quidem futuri, id est, spiritalis circuncisionis efficiendæ per Christum. Signaculum verò siue sigillum ipsius iustitiæ quam Abraham per fidem est adeptus. Est autem signaculum eiusmodi affectionis Abrahæ duobus præcipuè modis. Quantum scilicet ad hoc ipsum quod credidit & quantum ad crudelitatis effectum. Credidit enim promissioni de progenie propaganda. Vt conuenienter sigillum in membro propagationis acceperit. Et ipsa fides culpam amouet, quemadmodum circuncisio superfluam pelliculam in membro libidinis aufert. Quod autem circuncisio non tanquam substantia quædam, sed quasi signum vel signaculum introducta fuerit, declarat in Genesi Moses. Circuncideris carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Per hanc enim Dei populus ab alieno discernitur, significaturque libidinum amputatio, quæ animos à Deo separant. Qui tandem per circuncisionem spiritalem corporeis affectibus extirpatis, atque ita fœdere apud Deum instaurato, cum Deo reconciliari dicuntur. Mysterium eiusmodi tetigit Hieremias: Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. Deinde vbi ait, vt sit pater &c. Id profectò vult intelligi. Cum Abraham ante circuncisionem per ipsam fidem iam iustus à Deo sit iudicatus. Diu verò postea circuncisus, sequitur vt sit pater non solum circuncisorum; sed etiam omnium, sine circuncisione, credentium. Quod autem in textu dicitur, sine circuncisione, duo pariter significare potest. Tum quod Abraham per id quod habuit ante circuncisionem, scilicet per fidem sit pater omnium æquè credentium, vt reputetur & illis ad iustitiam scilicet quod credunt, sicut & Abrahæ fuerat reputatum. Tum etiam quod sit pater eorum, qui sine circuncisione credunt.

Quemadmodum & ille absque circuncisione crediderat, & sit pater circuncisionis, id est, circuncisorum, qui ex eo originem ducunt, circuncisionemque acceperunt. Hinc illud apud Ioannem, pater noster Abraham est. Hactenus communiter expositio est. Propria verò magis est eiusmodi, scilicet vt sit pater authorque fidei atque circuncisionis, fidei, inquam, credentibus omnibus, etiam non circuncisis. Quoniam fides ante circuncisionem & deinceps absque circuncisione ad iustitiam sufficit & salutem. Circuncisionis iterum acceptæ communiter, siue corporea siue spiritalis, corporeæ quidem palam Iudæis. Spiritalis autem non Iudæis tantum, sed etiam Gentibus, per imitationem videlicet quatenus congruè sectantur vestigia fidei, quæ fuit in patre Abraham antequam diuino iussu circuncideretur. Id est, ea certitudine, charitate, opera credunt, qua & ille crediderat. Quæ quidem fides ita his sicut & illi est ad iustitiam & salutem absque circuncisione sufficiens. Quærunt nonnulli, vtrum circuncisio ad diluendam originalis peccati culpam conferat. Qui sequuntur Bedam, sic per circuncisionem in veteri testamento remissam fuisse originalem culpam putant, sicut per baptismum in nouo remittitur. Id tamen Thomas noster Aquinas ita moderari videtur, vt circuncisio ex ipso simpliciter opere neque gratiam conferat, nec vim habeat vel ad auferendam culpam, vel ad iustitiam afferendam. Ac nisi iustitiam afferat, auferre nequit culpam. Quoniam sine aduentu luminis tenebræ non expellantur. Non esse autem eiusmodi in circuncisione virtutem, quia in ea non sit ipsa gratia, sine qua non potest esse iustitia. Hinc Augustinus ex mente Pauli sic argumentatur ad Galatas. Si iustitia est per legem, ergo Christus mortuus est gratis, id est, sine causa. Similiter & nobis argumentari licet. Si ex circuncisione iustifi-

cans gratia proficiscitur, Christus gratis mortuus est. Quod quidem dictu nefas. Nempè remissio peccati nunquam sine gratia prouenit. [Quod quidem ita Paulus in sequentibus aperit: Iustificati igitur gratia ipsius &c.] Merito itaque Paulus in circuncisione fermè nihil posuit nisi signum atque signaculum Non ergo per ipsam circuncidendi operam, sed per fidem Christi, cuius circuncisio signum erat, auferebatur originale peccatum, auxiliumque gratiæ ad rectè agendum afferebatur. Quatenus igitur circuncisio futuri signum erat, meritò mutata censetur. Non enim signum idem præsenti conuenit & præterito atque futuro. Ideoque baptismus est præsentis gratiæ signum. Quapropter ampliorem effectum gratiæ continet Quanto enim agens propinquius præsentiusque est, tanto efficacius operatur. Proinde circa promissionem Abrahæ factam, fides quidem promissione prior extitit, circuncisio verò longè posterior Item circuncisio fidei signum dicitur & imago fides autem exemplar & substantia viuens Ex quo planè concluditur, ipsam promissionis causam extitisse, non circuncisionem quidem vel aliquod huiusmodi legis opus, sed ipsam fidem gratia fultam & charitate viuentem. Quapropter ita subdit Apostolus. [Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.] Deinceps ex ipsa promissionis forma, confirmat incœptam circuncisionem, videlicet & quodlibet externum opus legali obseruantiæ simile, perfectam iustitiam non afferre. In Genesi quidem scribitur, promissum fuisse diuinitus Abrahæ, quod in semine suo benedicentur omnes Gentes terræ. In semine autem suo intelligendum est excellenter in Christo. Hinc ad Galatas inquit Apostolus: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, non dicit in seminibus quasi in multis, sed in vno, scilicet Christo, quem & hæredem mundi vocat Paulus, id est, omnium Gentium, quod quidem in promissione patet. Et Dauid ita præsagit: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. quodammodo etiam promissio implenda fuit in semine Abrahæ per imitationem ita cognominato In his videlicet qui per gratiam Christi semen Abrahæ spiritualiter appellantur. Propterea Paulus in sequentibus inquit: qui filij sunt promissionis, existimantur in semine, qui etiam per Christum sunt hæredes mundi. Proinde in hac promissione vnum quidem negat, alterum verò asserit. Negat, inquam, promissionem factam fuisse per legem, asserit autem per iustitiam fidei fuisse factam. Meritò non per ipsam legem, quia nondum data lex erat, neque per ipsam legis obseruantiam quandoque futuram, quia non ea conditione promissum est, vt obseruetur lex futura, vel externum aliquid legi simile, sed simpliciter propter ipsam fidem. quod & promissionis verba declarant. Itaque non talis est facta promissio, vt duntaxat sit implenda per legem Hinc Paulus ad Hebræos: Nihil ad perfectum lex adducit. Affirmat autem promissionem per iustitiam fidei fuisse factam, & per eandem implendam denique fore, vt videlicet finis cum principio congruat. Quoniam, vt dicitur ad Hebræos, Sancti per fidem vicerunt regna. Atque rursus idem ita confirmat Primo quidem non implendam fuisse promissionem per legem, postea verò per iustitiam fidei perficiendam esse monstrabit. Conficitur autem ratio deducens ad impossibile fermè hunc in modum: Si promissio Abrahæ facta per legem implenda foret, sequeretur è vestigio vt fides Abrahæ promissioni credentis foret inanis, quia promissio hæc aboleretur. Cum autem eiusmodi consequens futurum sit absurdum, nimirum & antecedens falsum esse conuincitur. Quis enim dixerit, Deum vel non manere promissis, vel aliquem ei credentem fallere. In disponenda verò consequentia quod dicitur; Si enim qui ex lege hæredes sunt &c. sic accipiendum est, si ad hoc ipsum vt aliqui promissam reportent hæreditatem, necessarium est hanc ex ipsa duntaxat legis obseruantia consequi, exinanita est fides, atque promissio. Primo quidem, quoniam non modo Iudæis, sed manifestè Gentibus omnibus legem eiusmodi non habentibus est promissum. Nunc autem ad Iudæos solum attinere concederetur. Deinde quia si per legem, ergo fides illa in qua fundata promissio fuit, tãquam insufficiens vacillare videtur, simulque cum illa promissio. Nempè si promissa hæreditas reddenda sit, non ratione quidem promissionis, sed legis obseruantiæque futuræ. Promissio eiusmodi fit inanis, quatenus non propter ipsam, sed propter aliud procul futurum redditur quod est promissum. Postremò quemadmodum diuus Thomas noster enarrat, si promissio per legem implenda dicatur, atque lex impediat quodammodo aut differat promissionis effectum, impeditur quidem dum impleri videbitur.

Quòd autem lex saltem contingenter impediat hæreditatis promissæ consequutionem, inde probat Apostolus. Quod lex iram operatur, id est, indignationem diuinam vindictamque in peccatores exaggerat. Quoniam vbi non est lex, nec præuaricatio accidit. Leuius ergo peccant, qui sola lege naturali viuunt, quàm qui præterea legi scriptæ subiiciuntur. Cum igitur lex eiusmodi culpam quidem præuaricantibus augeat, adminiculum verò adiuuantis gratiæ non secum afferat, munus videlicet Christi proprium, consequenter accidit, vt impediat vel differat promissæ hæreditatis effectum. Præsertim quia per notitiam lege datam excusatio minuitur in peccatis, & propter libertatis licentiæque auiditatem nitimur in vetitum. Atque hoc quidem incommodi per legem, in moralibus accidit. In ceremoniis quoque quamplurimum, quibus quidem innumeris obseruatuque difficillimis populum suum saltem vsque ad Messiam Mosaica lex astrinxit. Inde frequens admodum præuaricatio contingebat. Grauior quoque futura, si post Euangelium diuulgatum eiusmodi curiositas prosequatur. Hinc illud Pauli ad Corinthios: Litera quidem occidit, spiritus autem viuificat. Quia, vt in sequentibus affirmabit, spiritus interius adiuuat infirmitatem nostram. Ex omnibus his concluditur, promissionem hæreditatis tanquam optimam, atque de optimo factam, non fundari in eo quod aliquo pacto sit causa mali impedimentique ad consequendum quod est promissum. Ideoque nec in lege fundari. Alioquin firmitatem non habituram.

Promissio Abrahæ quæ non est implenda per legem, est implenda per fidem atque gratiam.

CAPVT XXV.

IVdæo ex fide, vt secundum gratiam, ad hoc ipsum vt firma sit promissio omni semini. Non ei quod ex lege est solum, sed etiam ei quod ex fide existit Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: quia patrem multarum Gentium posui te coram Deo, cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum Gentium, sicut dictum est ei: sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli & arena maris.]

Postquam ostendit promissionem Abrahæ seminique eius à Deo propositam, non esse per legem implendam, consequenter ostendit implendam esse per fidem. Id verò ex supposita quadam disiunctione concluditur hunc in modum: Promissio hæc vel per legem, vel per fidem perficienda videtur, non per legem quidem, alioquin vacillaret atque euanesceret. Ergo per fidem, scilicet, promissionem consequimur, vt ita mundi simus hæredes. Id Ioannes in Epistola ita confirmat: Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Contrarium verò ad superius fundamentum probationis in præsentia iacet. Nempè vt in superioribus dixerat, superius quidem fundamentum extitit. Si iustitia promissaque hæreditas legis virtute foret, fides promissioque euanesceret. Nunc verò fundamentum est eiusmodi, si existit ex fide, id est, si fundatur in fide, per eamque procedit, perstat firma promissio, videlicet propter gratiæ diuinæ virtutem nobis iustitiam afferentem, vt autem gradibus suis probatio ista procedat, vt Græci codices habent, verba Pauli disponenda constitui, vt sit sensus eiusmodi. ex fide existit promissio, vt secundum gratiam præcipuè ad nos accedat. Atque vt propterea perstet firma promissio. Firma, inquam, & ipsa quidem in se semper, & omni semini Abrahæ æquè præstanda.

Profectò si quod promissum fuit, denique legalibus nostris officiis tribuatur, videri nimirum poterit meritis humanis potius quàm diuina gratia & largitate tributum. Hoc autem & opinionem diuinæ clementiæ & beneficentiæ minuit, humanam autem augeat arrogantiam. Sin autem per ipsam fidem affectionemque mentis intimam ad nos procedat, id proculdubio totum diuinæ gratiæ tribuetur. Quod quidem ad mirificam diuinæ bonitatis, & potentiæ gloriam summopere conferre videtur. Quod autem est eiusmodi potius admittendum. Proinde si promissa hæreditas consistat in obseruantia legis, & futuro & ab actionibus nostris admodum instabilibus dependebit, ideoque penitus vacillabit. Sin autem in gratia diuina stabili fecerit fundamentum, stabiliter & ipsa consistet. Accedit ad hæc quòd eiusmodi legis obseruatio tantum attinuit ad Iudæos. Promissio verò manifestè cunctis Gentibus est effecta. Vt igitur & in cunctis habeat firmitatem, non ex lege paucis obseruata, sed ex fide potius vniuersis æquè communi processura videtur. Quod ergo dixit, omni semini, semen tetigit Abrahæ geminum, & corporeum, inquam, id est, & iudaicum, & spiritale pariter, id est, genus hominum

vniuersum, sicut credidit Abraham, crediturum. Semen eiusmodi tangit Euangelium illud: Potens est Deus de his lapidibus suscitare semen Abrahæ, idest, de Gentibus imitatores Abrahæ & quasi filios adoptiuos efficere. Posthæc vbi dicit, qui pater est omnium nostrum, confirmat quod modo posuerat, scilicet, quòd semen Abrahæ sit non solum Iudaicus populus sectator legis, sed & Gens quælibet ritu Abrahæ simpliciter credens. Pater enim omnium nostrum, id est, credentium quorumlibet, siue Iudæorum siue Gentilium. Idem hac Genesis authoritate confirmat: Patrem multarum Gentium posui te. Hinc illud in Ecclesiastico simile: Abraham magnus pater multitudinis Gentium coram Deo cui credidisti. Additum est ad exprimendum quod nobis futurum est extare diuinæ prouidentiæ præsens, & in conspectu quasi iam positum. Abraham quoque tam perfectè credidit Deo vt futura prænuntiata, quasi præsentia & iam facta perspiceret. Qui viuificat mortuos, scilicet Iudæos præuaritionis ingratitudinisque criminibus quasi mortuos. Et vocat ea quæ non sunt. Id est, prouocat ad gratiam & salutem etiam Gentes, quæ hactenus in conspectu Dei quasi non erant, si conferantur ad priuilegia Iudæorum. Tanquam ea quæ sunt, id est, pariter vt Iudæos, qui adoptiui & electi iam erant. Hinc illud in sequentibus: Vocabo non plebem meam, plebem meam &c. Itaque per vocationem eiusmodi promissio Abrahę pertinet & ad Gentiles. Aptissimè verò cum litera congruit, vt dicatur Deus viuificare mortuos, idest, Abraham atque Saram steriles senioque confectos ad propaginem suscitare. Atque etiam futuram inde progeniem nondum existentem eligere & prædestinare quasi iam existentem. Quo quidem sensu loquitur Apostolus ad Ephesios, Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Item in sequētibus, Non ex operibus, sed ex voluntate dictum quod maior seruiet minori. Commendaturus autem Abrahæ fidem addidit: Qui contra spem in spem credidit, scilicet, contra spem virtutemque naturalem, quia steriles senioque confecti erant Abraham atque Sara, ille enim nonagesimum nonumque, illa verò nonagesimū iam annū impleuerat atq; sterilis, vt narratur in Genesi. Credidit tamen promittenti Deo progeniem. Ideo in spem à Deo porrectam credidit, in vita natura. Spes autem diuina est eiusmodi. [Patrem multarum Gentium posui te. Item, sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli & arena maris.] Quibus in verbis successionem Abrahæ, siue per naturam, siue per imitationem ad omne genus hominum pertinere decernit. Per comparationem ad stellas excellentiam diuinitatemque multorum futuram in hac successione declarat, per arenam maris multitudinem prorsus innumerabilem. Quoniam verò spes non solum vehemens atque velox, sed etiam firma fuit, didit: Et nō infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam matricem Saræ. In promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed corroboratus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quòd quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo reputatum est illi ad iustitiam.]

Firma profectò fides fuit, quæ propter impedimenta naturalia, minimè diffidebat. In anno quidem centesimo natus ei Isaac in Genesi traditur, ante verò ferè anno promissus. Quod autem post obitum Saræ genuit filios ex Cetura, ad eandem quoque virtutem Abrahæ diuinitus restitutam attinere censetur. Cetura quidem iuuenis erat, Sara vero sterilis & decrepita, & Abraham iam naturaliter impotens. Eiusmodi facilitatem firmitatemque in diuinis recipiendis Pythagoras valdè probabat, sententiamque leni frequenter habebat in ore, Credere oportet omnia, quoniam nihil est incredibile, omnia Deo facilia sunt, nihil impossibile Deo. Plato quinetiam in Phædro legibus hominem in diuinis incredulum detestatur. Sed cùm Paulus dixisset, non infirmatus est vel non vacillauit in fide, cur nam addidit: In promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia? Quia videlicet, sicut credidit Deo progeniem promittenti, ita fidem adhibuit facilem excellentiam exaltationemque futuri generis portendenti. Postquam enim prædixit Deus: Patrem multarum Gentium posui te &c. Subdidit: Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ.

Comparatio quoque ad stellas, vt dixi, significat excellentiam. Præterea dicens, non hæsitauit diffidentia, carpit diffidentiam Zachariæ, qui in promissione diuina titubauisse narratur, atq; ob hanc diffidentiam visu ad tempus orbatus. Quod autem Abraham sic exclamauit, Putas ne cētenario nascetur puer? Non dubitantis vox eiusmodi fuit, sed admirantis rem insolitam, ac pariter exultantis. Affectu fortè simili ad Gabriëlis vocē Maria virgo clamauit: quomodo fiet istud? quia virum non cognosco.

Quasi

Quasi dicat, istud quidem futurum certo scio, sed modũ ipse planius exprime, quandoquidem non est modus humanus, sed profectò diuinus. Cum igitur Abraham motu quasi proprio non vacillauerit, quod quidem exprimitur vbi dicitur: Contra spẽ in spem credidit. Item, & non infirmatus est fide. Rursus, non hæsitauit diffidentia, merito subiunctum est, sed corroboratus est fide, id est, diuinitus insuper ad hoc adiutus. Quod Abraham animaduertens dedit gloriam Deo, scilicet, & fidei firmitatem, & promissum munus non suis meritis, sed diuinæ bonitati prorsus attribuẽs, atque existimans quod promissũ est, proculdubio fore, quoniam Deus verax, imo veritas ipsa sit, pariter & omnipotens. qui autem inspiratus à Deo vel quomodolibet instructus adhuc in fide vacillat, de prouidentia diuina, vel veritate vel potentia diffisus diuinæ gloriæ derogat. Proinde cum ab initio dixerit fidem Abrahæ pro iustitia fuisse apud Deum acceptam, atque deinceps qualis eius fides fuerit, enarrauerit, concludit, non quãlibet fidem, sed facilem, certam, stabilem, & cum charitate gratias agentem, & ad gloriam Dei vbique tendentem, qualis Abrahæ fides extitit, apud Deũ pro iustitia reputari. (Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quod reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eũ, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.) Paulus in sequentib. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Similiter in præsenti docet, Deum in Abraham summo credentium Patriarcha disciplinæ totius exẽplar constituisse. Et magna forte significatione in superioribus illud adduxit: Patrem multarum Gentium posui te coram Deo, cui credidisti. Id est autẽ Patriarcham, & exẽplar, & ducẽ omnibus Gentibus te constitui pręcipuè credituris, quemadmodum & tu credidisti, & id quidem in conspectu Dei, videlicet non solum in prouidentia Dei, sed etiam, vt Athanasius inquit, velut instar Dei, vt quasi numen aliquod sit omnibus author piè credendi atque benè viuendi. Atque ad ipsius similitudinem nobis quoque, quia pia fides ad iustitiam reputetur. Qualis inquam fides? qualis & illius extitit, vt in superioribus enarrauimus. Atque insuper, vt quemadmodum ille corpus suum emortuum similiterque sacrè credidit quandoque diuinitus suscitandum, sic & nos credamus Christum & mortuum quidem esse, & diuinitus suscitatum. Atque eiusmodi fides ita nobis sicut & illi ad iustitiam reputetur, credentibus videlicet ita venisse Christum, quemadmodum & credidit ille venturum. Quoniam vero eadem virtus est, & operatio manifesta Patris & Filij, sicut dictum est, pater suscitauit Iesum, ita sæpe dicitur, Iesus resurrexit à mortuis. Rursus sicut in sequentibus dicit, proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Sic ad Ephesios, tradidit semetipsum pro nobis. Quod autem hic dicitur, traditus est, intelligi potest à patre, & à seipso, & à Iudæis traditus. Dicitur autem resurrexit propter iustificationem nostram, vt nos resurgendo iustificaret, id est, ea iustitia dignos efficeret, qua & ipsi resurgeremus. Quod autem propter nostra delicta traditus sit in mortem, significat eum morte sua, velut sacrificio quodam pro nobis facto, culpas quodammodo nostras expiauisse.

Gratia diuina quomodo acquiratur. Item quæ mala vitet, quæ bona conferat, scilicet, iustitiam per fidem. Item spem, charitatem diuinam hæreditatem. Item quam sit constans spes diuina.

CAPVT XXVI.

IVstificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum Iesum, per quem accessum habemus in fide in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.) Apostolus hactenus quam necessaria sit ad salutem Christiana gratia, hinc potissimum comprobauit, quod neque Gentilibus cognitio veritatis atque philosophia, neque Iudæis circumcisio, vel obseruatio legis sine gratia Christi suffecerit ad salutem, satisue profuerit. Deinceps autem de virtute gratiæ disputabit, ostensurus videlicet quæ bona per gratiam adipiscamur, ac propter eandem, quæ mala vitemus. In primis autem viam modumque præscribet, quibus perueniatur ad gratiam. Cum igitur dictum fuerit, quemadmodum fides reputabitur omnibus ad iustitiam, videlicet resurrectionem Christi credentibus, tanquam nostræ iustitiæ fundamentum, meritò subdit.

(Iustificati igitur ex fide.) Quatenus per ipsam resurrectionis fidem, effectum eius, quę iustificatio est, consequimur. Habeamus pacẽ ad Deũ.) Particula hæc dupliciter quidẽ legi potest, & habem⁹, scilicet, atque habeam⁹ sed deniq; sẽsus est idẽ. non enim possumus aliter recõciliari Deo quã

per iustitiam, fide gratiaque Christiana fundatam. Hac quidem ratione nos sic affecti pacem iam habeamus ad Deũ. Quod autem exprimitur habeamus, id forte sibi velle videtur, vt pacem eiusmodi quam sic habemus, firmiter teneamus, neque suspicemur vnquam haberi posse aliter vel teneri. Habemus, inquam, vel habeamus per Dominum nostrum Iesum Christum. Ipse enim est pax nostra, sicut scribitur ad Ephesios. Quoniam ad eiusmodi pacem ipse perduxit, quam quidem pacem, gratiam quandam in præsentia nominat, quia non pro meritis tributa nobis est, sed gratis, non nostra quidem facultate, sed ope diuina, ideo subiicit: (Per quem accessum habemus in gratiam istam.) Cuius enim virtute ad hanc accedimus, eiusdem præsidio & tenens, & tenere posse duntaxat, sperare debemus. Merito igitur ad Timotheum, mediator Dei & hominum nominatur. Atque ad Ephesios. Per ipsum accessum habemus ambo in vno spiritu ad patrem. Inquit autem in fide, id est, in ipsa Christianæ fidei firmitate. Græcè non legitur per fidem, vt communiter Latinè dicitur, sed in fide, idque rectius. Alioquin si per fidem dicatur, videbitur forte fides causa quædam gratiæ. Thomas verò noster contrarium asserit, scilicet, gratiam esse fidei causam. Gratia enim diuina sortimur, quod recte firmiterque credamus, vt legitur ad Ephesios: Gratia salui facti estis per fidem, vult autem fidem esse primum gratiæ aduenientis effectum, ideo rectè dictũ est, nos per Iesum ad gratiam peruenire. Ad quam habemus accessum, id est, aditũ & introitum in fide, quasi in ipso gratiæ lumine primo, quam sane fidem sequuntur deinceps & reliqua gratiæ dona, species, charitas, constantia, lætitia, gloria. Vbi vero dicit, in qua stamus; Intelligendum est in virtute gratiæ nos id habere, vt non solum suscitati à culpa, velut à morte fuerimus, sed etiam firmiter in habitu probabili consistamus in Deum prorsus erecti, tanta spe futuræ gloriæ freti, vt hac præ cæteris gloriari possimus. Quæ quidẽ omnia sunt gratiæ munera. Gloriæ, inquam, filiorum Dei, id est, habebimur, quasi filij Dei, sic per adoptionem facti, vt Christus extitit per naturam, sic iterum in seculorum fine, sicut Angeli in principio sæculorum. Quam vero sit excellens spes eiusmodi gratiæ comes, apparet inde potissimum, quod non breue quiddam aut leue, sed æternum speramus diuinumque bonum. Rursus nõ solum per hanc gloriamur, & exultamus summorum expectatione bonorum, sed etiam aduersis omnibus delectamur, quæ & pro hac professione speique approbatione perpetimuí, & existimamus quoquomodo ad futuram gloriam conductura. Quamobrem subiungit Apostolus: (Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.) Sic ergo textus continuatur, non solum autem gloriamur in hoc, quod speramus consequi gloriam felicitatemque Dei filiis congruentem, sed etiam ipsius tribulationibus huius gratia susceptis gloriamur atque gaudemus. (Non opiãtes quidem vel aliorum more mortalium suspicantes, sed certo scientes, quod tribulatio patientiam operatur &c.) Id est in tribulationibus ad inuictum patientiæ habitum exercemur, adiuuãte videlicet Deo, cuius gratia in aduersitate duramus.) Patiẽtia vero probationem.) Sicut igne aurum, ita constans animus aduersitate probatur. Ille enim approbari potest, tanquam diuinorum credulus, & amator, qui horum gratia libenter durissima quæque sustinet. (Probatio vero spem.) Nempe qui in præsenti aduersitate durauit, futuram felicitatem sperare proculdubio posse.) Spes autem non confundit.) Non fallitur vnquã aut labitur, vt inde contingat sperantem aliquando ruborem & ignominiam reportare, aut affici pœnitentia, quod sperauerit. Hinc Psalmus: In te Domine speraui, non confundar in æternum. Spes autem eiusmodi cur nam fortiter perseuerat, feliciterue consequitur? Quia videlicet vegetatur amore, amore, inquam, mentis in Deum erecto, qui sanè amor amore Dei ipsius in mentem est accensus. Hinc Dionysius Areopagita, authore Hierotheo, amorem diuinum circularem quondã motum nominat, ab ipsa bonitate diuina exordiẽtem, progredientẽque in animum, atque hinc in diuinum bonum regredientem. Motus enim animi ad infinitum bonum tendens, cum nequeat à finita virtute animi proficisci, nimirum ab ipso eodem infinito bono sortitur instinctum, vt finis tandem cum principio congruat. Quod si charitas in Deum nostra ab ipsa Dei erga nos charitate principium habet, merito & quæ charitati necessaria sunt, fides scilicet atque spes, ab eadem diuinitate procedunt. Cum vero nec Deus frustra moueat, nec communis, & assidus mentis ipsius instinctus esse debeat, prorsus inanis

efficitur profectò, vt fides, spes, charitas & fortiter perdurent, & quandoque consequantur euentum. Quod autem instinctus ad diuina in nobis, ab ipsa diuinitate procedat, hinc etiam confirmatur, quod omnia circa animum in terris mortalia, contrarium generant in nobis instinctum, vt non valeat animus mortalibus obrutus, nisi per diuinitatem ad diuina prorsus emergere. Dicitur autem Grecè ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται, charitas effusa, quod quidem emphaticam proprietatem habet. Perinde ac si dicit, ex charitate diuina velut ex igne, charitas in nobis quasi flamma per modum scintillantis ignis penitus accenditur. Atque id quidem abunde. Quod sanè Plato in Epistola ad Syracusanos ita tetigisse videtur, ex diuturno animæ nostræ cum diuinitate commercio, subito tandem illinc velut ab igne scintillante, lumen effulget in anima, seque ipsum iam alit. Propriè vero loqui videtur Apostolus vbi dicit, per Spiritum sanctum, quasi afflante Deo ignis in nobis amatorius accendatur. Omnino vero firmitatem spei argumento duplici comprobat. In præsentia quidem ex ipso Spiritus sancti dono In sequentibus autem ex morte Christi. Charitatem interea tangit vtramque, & qua nos Deus amat, & qua nos amamus Deum, vtramque vero charitatem per Sanctum spiritum voluntatibus nostris inustam esse censet. Nos autem, vt cum Thoma nostro loquamur, sic exponimus. Spiritum sanctum, qui est amor Patris & Filij, dari nobis, est nos ad participationē amoris illius adduci, qui sanè ipse Spiritus sanctus existit, qua quidem participatione ipsi Dei amatores efficimur. Iam vero ex hoc quod ipsum amamus argumentum habemus, quod ipse nos amet. Non quasi nos primo dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior nos dilexit. Quod maior Ioannis declarat Epistola. Dicitur autem charitas, qua Deus nos amat, in cordibus nostris effusa, quoniam in nobis late diffundit. Ex vtraque autem horum verborum intelligentia concluditur idem spem videlicet eiusmodi nunquam falli. Nam & quia Deus nos diligit, seipsum non negabit, & quia nos Deum diligimus, sperare possumus eum nobis æterna bona daturum.

(Cur nam Christus cum adhuc infirmi essemus, tempore oportuno pro impiis mortuus est? vix profectò pro iusto quis moriatur. Iam vero bono forsitan quis audeat mori.) Quod Latinè legitur secundum tempus, intelligiturque à plerisque triduum illud, quod Christi corpus latuit in sepulchro, mihi quidem non admodum placet, sicuti nec Athanasio linguæ Græcæ doctissimo. Quod enim Paulus ponit χαιρὸν, non significat simpliciter ipsum tempus (id enim χρόνος Græcè dicitur) sed tempus duntaxat significat oportunum & occasionem proprie tempestiuam oportunitatemque designat. Præterea cum velit Paulus ingentem Christi in nos exprimere charitatem, non id quidem exprimit, si dixerit ad breue tempus pro nobis expertus est mortem. Sed potius, si adduxerit Christum obseruauisse tempus non solum sibi decens, sed nobis etiam oportunum præscitum diuinitus omnino, quodammodo etiam destinatum, vt Athanasius inquit. Id sæpe significat Euangelium, nondum venit hora mea. Item, venit hora. Rursus, venit hora vestra, & potestas tenebrarum. Mors quidem Christi, si diuinam respexeris voluntatem, sacrificium prædestinatum esse censetur. Sin autem impetum occidentium, homicidium est præscitum. Eiusmodi vero sacrificium salutare simul, & homicidium prorsus iniquum in eodem tempore mira quadam occasione concurrit, vt non alio tempore diabolica instigatio apud iniquos homines præualuerit ad hunc euentum quam quod diuina voluntas & homicidium præsciuerit, & sacrificium ipsum prædestinauit. Sacrificium eiusmodi operante Deo oportuno quodam tempore celebrandum. Propheta Abacuc ita prænuntiasse videtur: Opus tuum Domine in medio annorum, viuifica illud. In medio annorum notum facies. Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis. In medio annorum forte significat in medio mundi cursu. Volunt enim aliqui, decem annorum millibus non mundum, sed mundi cursum prorsus expleri, siquidem motus quietis gratia sit institutus, atque in medio hoc mundi cursu, Deum se hominibus ostendisse, vt aduentus eius æquè ab vtrisque seculorum distaret extremis, ne vel expectatio futuri aduentus nimium protraheretur, vel præteriti memoria prorsus aboleretur. Sed tempora Deus viderit, æternitatis fons temporisque productor. Forte vero Pythagorici bonum ipsum oportunitatem ipsam vocant. Quoniam omnibus prouidet oportune, & vna quæque natura tunc optimè sese habet, quando eligit vel sortitur vel aggreditur, quod optauerit oportunè. In hoc enim prosperitas, felixque fortuna consistit, ab influxu superiore, & denique à prouidentia superna proueniens. Sed

verborum Apostoli seriem repetamus Per interrogationem ergo significat Christum pro nobis voluisse mori propter incomparabilem in nos charitatem, vt hinc & firmiter ab eo bona omnia sperare possimus, & pati pro eodem mala omnia debeamus. Auget vero debitum quod infirmi, id est, contra eum peccatores eramus, atque rei, non leui quodam crimine, sed impietate grauati. Non inuenitur alius, qui pro iniusto suoque inimico velit mori, vel laborare quam minimum. Vix etiam inuenitur qui pro iusti alicuius salute, salutem suam spernat. Forte vero aliquanto facilius reperiatur, raro tamen qui mortem obire velit pro bono, id est, pro viro liberali in omnes præ ceterisque benefico, & cui propter beneficentiam quis summopere debeat. Iustum hic nominare videtur eum, qui nocet nemini, aliena non vsurpat, suum cuique reddit, etiam si nihil de propriis bonis eroget. Bonum vero, vt dixi, largum bonorum suorum communicatorem. Id enim bonitatis proprium esse censetur. Nos autem nec erga homines, nec erga Deum iusti eramus, nec erga Deum boni, id est, benefici esse vnquam possumus. Bonorum enim nostrorum non eget. Hinc mirabilis in nos Christi charitas elucet, spem nostram nobis confirmans, mutuamque charitatem in nobis accendens.

Commendat autem charitatem suam erga nos Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.) quod pauloante per interrogationem significabat, idem in præsentia per affirmationem sine interrogatione declarat. Perinde, ac si dixerit, ex hoc potissimum ingens erga nos Dei charitas demonstratur, quod Filius eius Christus pro nobis contra eum peccantibus mortem subire voluit, quasi eadem sit patris filiique voluntas.

IAm vero sicut in superioribus Apostolus charitatem Dei patris erga nos ostendit per hoc potissimum, quod spiritum nobis suum infudit, sic in præsentia tandem ex hoc ipso demonstrat, quod pro nobis suum filium tradidit, & ad reciprocam erga Deum charitatem vtrinque nos prouocat. Suam vero charitatem Deus duobus modis exaggerat, cum videlicet, quia dedit filium pro nostra salute passurum, tùm etiam quia pro inimicis, id est, peccatoribus atque rebellibus. Id vero totum in secunda ad Ephesios Epistola similiter confirmatur: Deus qui diues est in misericordia per nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos Christo &c. Itaque multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius salui efficiemur ab ira propter ipsum.) Hactenus asseruit, quomodo Deus ob incomparabilem erga nos charitatem, sui filij sacrificio pro nobis satisfaciens, nos ex iniustis iustos effecit, videlicet in ipso credentes. Deinceps quomodo iustificationem tribuit & salutem. Salutem primo qua ab ira, id est, à miseria liberemur. Deinde etiam ad felicem cum Deo vitam recipiamur. Si enim recepimus ab eo quod difficilius erat, id autem est, ex iniustis fieri iustos, nimirum & quod facilius est, atque inde consequitur, reportare poterimus, id est, vt iam iustificati liberemur ab ira, id est, à vindicta, quam iniustitia merebatur. Et quoniam dum ex iniustis iustos effecit, etiam ex inimicis fecit amicos, merito nobis quasi iam amicis sua bona communia facit, dum mirabili quadam largitate communioneque beatæ vitæ suæ nos participes efficit. Ideo subdit:

(Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui in vita ipsius efficiemur.) Hic interim nonnulla notanda sunt antitheta ordine quodam posita. Iniustos iustificando Deus ipse facit iustos. Inimicos, videlicet propter iniustitiam, reconciliando reddit amicos. Obnoxios iræ liberat ab ira, scilicet per mortem filij sui ad vitam suam nos admittens. Non solum autem, sed & gloriamur in Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.) Non solum gloriamur in spe atque expectatione gloriæ apud Deum quandoque futuræ per iustificationem reconciliationemque nobis exhibitam, sed gloriamur etiam nunc in ipso Deo, id est, in mira quadam coniunctione cum Deo per fidem charitatemque iam conflatam, conciliante videlicet hanc Iesu Christo per doctrinam & virtutem sacrificiumque suum. Ad superiora vero consequitur: Maius esse iniustum iustificare, quam iustificatum salute donare, quia in illo homine non est proportionale principium ad diuinam iustitiam consequendam, sed totum gratia sola perficitur. In ipso autem iam diuinitus iustificato, inhabitat iam Spiritus sancti donum, quod arbitrium mouens ad actum, efficit vt ita salutem promereatur.

PRopter hoc quemadmodũ per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, ita & per peccatum mors,

atque ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.) Quæret forte aliquis, curnam oportuit per Christum iustificari atque reconciliari mortales? Respondet ita. Propter hoc, inquam, scilicet, oportuit. Deinde causam explicaturus, altius exorditur hunc in modum, quem occulta quadam comparatione præsens hic textus exponit. Congruit autem cum prima ad Corinthios Epistola, vbi dicitur: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Sic casus in peccatum atque mortem, quod quidem mali conditionem habet ab ordine longius alienam, ordinem tamen quondam subit, multo magis ordinem seruat reditus ad iustitiam atque vitam. Sed casus ille tantum saltem ordinis videtur admittere, quod in eo turba quam plurima ad vnitatem principij sui reducitur, vnde mira quadam traductione deducitur. Ab vno enim patre primo, quasi principio speciei, tota hominum species, quasi communis quædam natura vna producta vnius originalis inclinationis culpæque particeps hinc euasit, propterea que obnoxia morti, quid ergo mirum humanam speciem ordine quodam ab vno similiter inchoato in originalem iustitiam vitamque restitui? scilicet ab vno principio salutis atque gratiæ. Atque sicut ab vno generationis initio culpa morsque defluxit in omnes, sic in omnes ab vno regenerationis exordio iustificationem viuificationemque profluere. Verum, vt supra monui, comparationem eiusmodi Paulus hic minuit, clamque significat, vult enim subintelligi, quam deinceps attingit apertius. Si autem præsentia Pauli verba disponantur, aliter quam disposui, in longissimum orationis hyperbaton incidemus, nec facilè verbum quod à grammaticis principale dicitur offendemus. Quæri potest, curnam dixit, peccatum & mortem per peccatum intrasse in mundum potius quam in genus duntaxat humanum? quia forte cum anima primum corpusque subinde nostrum superiorem amisit ordinem, externa quoque quodammodo nobiscum, præsertim nobis, exorbitauerunt. Sequitur vero mors ad peccatum, non solum mors animæ, scilicet, felicitatis diuinæ priuatio, sed mors præterea corporis. Quod quidem Mosaïcum mysterium, vt alibi enarraui, Plato noster in Charmide tetigit, opinione Magorum, significans ex intemperantia quadam animæ intemperiem mortemque corporis proficisci. Quippe cum afferat si animam temperantiam suam recuperauerit, immortalitatem suam in corpus etiam exundaturam, bona enim malaque animæ in corpus ita profluere, sicut à toto corpore in cerebrum, & ab hoc in oculum fit effluxus. Recuperari vero temperantiam philosophicis quibusdam arcanisque rationibus, quasi quibusdam præcantationibus, asserit. Proinde de originali peccato, quod ab Adam profluxit in omnes, esset in præsentia longius disputandum, nisi multa de hoc in libro de Religione disseruissem, satis erit igitur breuiter hoc attingere. Pelagiani quidem istud negant, dicentes non originali successione, sed imitatione quadam potius voluntaria peccatum primi parentis ad posteros attinere, scilicet quatenus isti parentum iniustitiam imitantur. Aurelius Augustinus sic eos arguit: Si peccatum Adæ progressum in omnes dicendum esset imitatione potius quam per Adam. Diabolum enim præuaricatorem primum præuaricatores omnes potissimum imitantur, hoc autem per illud in libro Sapientiæ confirmaturi. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Præterea sicut à Christo iustitiam salutemque suscipimus, non principaliter, quia imitemur eum, sed quoniam inde virtutem accipimus per gratiam satisfactionemque ab eo nobis exhibitam, sic ab Adam originalis quædam iniustitia mortis origo, non tam imitatione nostra quam propagatione quadam nobis influit. Si enim imitatione sola contingeret, comparatio inducta hic ab Apostolo non congrueret. Quod autem quasi naturaliter influat Ephesiis declarat Apostolus. Eramus natura filij iræ. Item Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Dicit autem originale vitium peccatum naturæ. Quemadmodum quotidianũ delictum, quod & actuale vocant, dici solet peccatum personæ, & illud sicut hoc quodammodo voluntarium, quia sicut hoc per voluntatem personæ peccantis committitur. Sic & illud per voluntatem principij humanæ naturæ creditur perpetratum. Profecto quemadmodum varia membra corporis vnius humanæ personæ partes sunt, ita personæ singulæ membra sunt humanę naturæ. Itaque sicut manus pedisque motus per voluntatem principii personalis rationem voluntarii habet atque culpæ, sic per voluntatem culpamque principii humanæ speciei singulorum hominum inclinationes similes voluntariæ obnoxieque censentur. Plura inueniri non potuerunt.



MARSILII FICINI FLORENTINI,

IN OMNES PREDICAtiones suas

PROOEMIVM.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

VNA hæc homilia nostra, dilectissimi fratres, præcipuas tres partes habebit. Vtinam vnicæ Trinitati sit accepta. Vnaquæque pars simili ratione tres partes, per nouenarium numerum inde confectum, imitaturas cœlestem numerum angelorum, nos videlicet excelso Deo benigne conciliantium. Prima quidem Hierarchia vero. Secunda via monstrabit ad veram vitam. Tertia denique & vitæ veritatem summam ante oculos ponet. Videte precor fratres mei quam opportunè ad illam Iacob Patriarchæ scalam Deo duce, perueniemus. In hac sane cœlestes Angeli, & ascendunt pariter & descendunt. Ascendunt quidem contemplantes Deum Deorum in Sion. Descendunt interim hominibus prouisuri. Descendunt, inquam, manus hominum apprehensuri. Ascendunt iterum nos iam apprehensos ad excelsa ducturi. O scalam inestimabilem! ô gradus prorsus incomparabiles: ô ascensum ineffabilem, mirabilemque descensum! Non alio quidem tempore ascendunt Angeli cœlestes, alio vero descendunt, hominum animaliumque more, sed eodem momento mirabiliter vtrumque conficiunt. quemadmodum à Sole radij terram verberantes, momento reuertantur in Solem. Neque solum eodem momento ascendunt Angeli, quo descendunt, verum etiam qua ratione eleuantur contemplatione diuina, perfecti roboratique illinc, ad beneficia nobis conferenda se construunt, diuina videlicet plenitudine prorsus exuberantes.

Sed vt regrediamur illuc vnde iam paulo latius progressi sumus. Primam sermonis nostri partem Hierarchiæ vltimæ commendabimus, qua quidem in parte tres erunt gradus, Angelis, Archangelis, principatibus commendati. Secundam vero sermonis partem Hierarchiæ mediæ dedicabimus, tres quoque gradus habentem, Potestatibus, Virtutibus, Dominationibus commendatos. Tertiam denique destinabimus Hierarchiæ tertiæ, tres gradus similiter continentem, per quos vtinam Throni, Cherubini, Seraphini, nos ad alta perducant. Verum vt manifestius iam quod volumus vobis fiat in omni prædicatione nostra. Primo quidem de animæ Immortalitate tractabimus. Quod quidem pertinebit ad vitam. Idque tribus vel rationibus vel persuasionibus vel modis quibuslibet confirmabimus. Secundo vero de fidei Christianę firmitate loquentur. quod sane spectabit ad viam, ad veram vitam nos denique perducturam. Atque id iterum tribus modis similiter asseremus. Tertio denique declarabimus verum Euangelii sensum, pertinentem ad veritatem, sensum, inquam, triplicem, historicum, moralem, & allegoricum.

Prima pars prædicationis de Immortalitate animæ.

Prædicatio prima.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

PRimam prædicationis partem auxilio primæ Hierarchiæ angelorum aggrediamur. In omni re naturali, per continuam naturalemque eius inclinationem solemus naturæ proprietatem inuestigare, exempli causa. Per inclinationem ad descensum, coniicimus in quouis corpore grauitatem esse. Per inclinationem similiter ad ascensum, inesse inuenimus leuitatem. Si quoddam itaque corpus inclinationem ad vtrumque comperiamus habere, vtramque proprietatem possidere putabimus. Quorsum hæc? Nempe bruta videmus ad caduca tantum præcipitari. Intellectus autem Angelicos ad æterna solum se erigere cogitamus. quamobrem illinc quidem solam in brutis naturam caducam; hinc vero solam in Angelis æternam esse concludimus. Cum igitur anima nostra communiter & assiduè inclinetur ad vtraque tum temporalia tum æterna, vtramque quasi naturam habere coniicimus, per intellectum quidem æternam, per temporalem vero sensum.

Præterea, si homo, vt multis rationibus confirmatur, est animalium perfectissimus, per eam præcipuè partem facultatemque perfectissimus est, quam habet ipse propriam, cæteris animantibus nullo modo communem. Hæc vero sola religio est. Nam & rationis cuiusdam vestigia quædam sagaciores bestiæ videntur habere, nullum religionis indicium. Non foret autem per religionem perfectus, si per hanc & falleretur, & spe futurorum præsentibus fraudaretur. Item religio, vt in Prothagora probat Plato, primo omnium homini contigit, non solum ante omnes artes ad victum necessarias, sed etiam ante sermonem, atque commercia. Cum vero etiam maximè omnium sit communis, & firma, sequitur vt maximè omnium sit naturalis. Et quia instigante Deo, rudibus statim hominibus est inserta, non solum maximè naturalis est, sed etiam diuina quam maximè. Naturale vero speciei iudicium falli non potest. Neque fallit naturalis instinctus, multoque minus fallit Deus summa veritas atque bonitas, æternitatē religionemq; promittens, speque eiusmodi præsentibus tum bonis expoliās, tum malis affligens. Post hæc partem secundam aggrediemur beneficio Hierarchiæ secundæ intrantes viam per probationem fidei ad æternam vitam.

De probatione fidei. Secunda pars prædicationis.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu Angelorum psallam tibi.

SI discipuli Christi decipiendi gratia figmentum introducere cogitauissēt, rationem certè facilioris persuasionis aliquam habuissent. Contra vero fecerunt. Aggressi sunt enim rem & ad credendum & ad obseruādum omnium difficillimam. Adde quot modis etiam difficilimis, si tempora, loca, personasque consideres. In temporibus videlicet eruditis, in vrbibus amplissimis, plenisque omnium doctrinarum, aduersum potentes, plurimosque & doctos, ipsi debilissimi, omnium rerum egeni, ab initio rudes, & paucissimi. Neque accipere voluerunt vel Cerimonias à Iudęis, vel Deos plurimos à Gentilibus. Quod quidem si admisissent, compertum haberemus, omnes subito Christianos fuisse futuros. Audi Paulum Corinthiis ita dicentem: Videte vocationem vestram fratres. Quia non multum sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapiētes, & quę infirma sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Et quæ ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Item si fuissent simulatores, non potuissent summa inter se concordia in tot tantisque difficultatibus perseuerare. Perseuerarunt tamen, alioquin nihil obtinuissent. Paulus pro Christi gloria annos septem atque triginta innumerabili tormentorum gratia tulit. Petrus quoque tantundem. Ioannes annos octo atque sexaginta, cæterique similiter per omnem vitam. Neque præmium tanti laboris vllum in hac vita sperabant, optabantue. Imo omnia vitæ dona, vitamque ipsam penitus contemnebant. Hinc Paulus, Si in hac vita tantum speramus in Christo, miserabiliores sumus cunctis hominibus. Præterea neque in angulis susurrabant, sed palam vulgo suam doctrinam audacter disseminabant. Siquidem Paulus etiam cathena collum vinctus, publicè prædicabat. Hinc ait ad Philippenses, quæ circa me sunt, magis ad profe-

ctũ venerunt Euãgelii, vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni Prætorio, & in cæteris omnibus. Et ad Colossenses ait: Euangelium iam prædicatum fuisse omni creaturæ quæ sub cœlo est. Item nihil horum in Angelis gestum est. Et Corinthiis, non adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos, ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si cui etiam opertum est Euangelium nostrum, his qui pereunt est opertum. In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat in eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, quod est imago Dei.

Pars prædicationis tertia de Euangelio.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

SEd per viam comprobatæ fidei feliciter huc vsque progressi, pergamus iam ad Euangelicam veritatem, hierarchiam angelorum tertiam inuocantes. Principio, Throni historicum nobis aperient Euangelij sensum. Secundo, Cherubini moralem. Tertio Seraphini allegoricum patefacient. Quemadmodum vnusquisque nostrum ab Angelo quodam regitur persuaderturque ad bonum, à quibusdam vero spiritibus malis passim incitantur ad malum, ita Iesus regebatur à Spiritu sancto. Qui postquam in baptismis oculis eius auribusque apparuit, mox eius intellectui persuasit, vt in desertum iret, noxia videlicet hominum commercia deserens, ieiunio, orationi contemplationique vacaturus, vt non ibi iam aduersus carnem sanguinemque certaret, sed aduersus principes caliginosi aëris dæmones quos ieiunio, oratione, contemplatione superans, nobis præberet exemplum, tum in statu perfecto nobis à dæmonibus periculum imminere, tum etiam expugnari posse, & quibus repugnaculis expugnare. Platonici quoque confirmant tentamenta dæmonum, & quomodo eisdem remediis expellantur.

Prædicatio secunda.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

INstitutum à principio ordinem prosequentes ternarium nouenariumque numerum in orationis nostræ partibus tanquam angelicum & nunc & in posterum obseruabimus, neque id quidem ab re, cum in sacra angelorum æde loquamur. Vbi semper illius oraculi memores, Ego sum via, veritas & vita, primam sermonis partem ipsi vitæ, secundam viæ, tertiam veritati, distribuemus, vt ex prima fidem ad credendum æternam vitam, ex secunda spem ad eius bona apud Deum percipienda, & ex tertia charitatem consequamur erga Deum bonorum immortalium largitorem. Atque ita ex fide per ipsam spem ad charitatem, quasi tertium cœlum, ascendemus, duce Paulo, vt vel audiamus arcana Dei quantum libet homini, vel saltem gustemus mirificum charitatis fructum qui superat omnem sensum, quoddam videlicet ineffabile gaudium.

De vita animæ immortali, Prædicationis pars prima.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectũ Angelorum psallam tibi.

NVlla res sponte sua potest suæ origini repugnare Alioquin sponte ad sui ipsius naturaliter ferretur interitum, qui necessario sequitur origine perdita. Quinetiam quicquid effectus aliquis agit, suæ originis vi & auxilio facit. Si ergo aduersus causam pugnaret, in ea colluctatione causa illa sibi ipsi prorsus aduersatur corpori nostro, imò corporibus omnibus. Igitur à nullo corpore ducit originem. Sæpe enim ab incitamentis corporeis abstinet, honestatis, vel veritatis, vel religionis gratia. Cum Plato noster domandi corporis gratia salubrem Atticæ locum Academiam habitandam elegit, nonne animus eius corpori aduersabatur? Cum Xenocrates dilectus Platonis discipulus, & Origenes eorum sectator exusserunt sibi virilia, quo libidinis incendia prorsus extinguerent, nonne iniussus animus bellum membris corporis indicabat? Ante hos Magi Persarum, Ægyptii Sacerdotes, Pythagorici Philosophi, vt venerem eneruarent & sobrii forent ad contemplandum, mero & carnibus abstinebant. Sed sanctimonia, martyriaque Christianorum, multo magis victoriam mentis erga corpus testificantur. Omnes profecto quotidie à corporis incitamentis certa de causa pro viribus abstinemus. Ac etiam si nunquam corporis impetus

frangeremus, satis tamen foret pugna ipsa, quæ fit in nobis continua ad ostendendum aliam in nobis substantiam esse, præter corpoream, corporeis aduersantem, tum humoribus, tum etiam cœlestibus influxibus sensum mouentibus per humores. quod si anima corpori frequenter obsequitur, non violentia ad hoc inducitur, sed amore quoad corpoream vitam, quasi mater ad prolem suam prorsus afficitur. quo quidem vehementius blandiente vel nullo modo vel leuiter consultatur.

Ratio hactenus assignata est, ex eo quod anima in moribus repugnat corpori. Secunda mox assignanda est. Quoniam supra assurgit, quo patet eam non ex corpore dependere. Multis quotidie modis sensibilium imagines fallunt continuò sensum. Quam sane fallaciam ratione corrigit intellectus. Qui quatenus excogitat vel affectat aliquid incorporeum absque controuersia seipsum supra corpus attollit. Res vero nulla causæ suæ vires & ordinem transcendere potest. Sensus quidem interior exterioribus nuntiantibus, nihil præstantius confingere potest, quam lumen ingens variis affectum coloribus & odoribus atque sonis saporibusque mirabiliter oblectantibus. Nihil profecto sublimius interrogata de Deo imaginatio porrigit rationi. Ratio vero è summa mentis specula phantasiæ fallacias prospicit & emendat. Deumque ratione admodum diuersa describit. quemadmodum in Theologia nostra latissimè declaramus.

Tertia ratio adducitur hunc in modum. Si rationalis animus originem vllam à corpore traheret, quanto coniunctius hæreret corpori, tanto melius se haberet. quælibet enim res ab origine sua seruatur atque perficitur. Nunc vero contra contingit. Præcipuè quidem rationalis animę partes duæ sunt, intellectus atque voluntas. Quando circa corporalia occupamur, intellectus aut nihil cernit omnino, aut non syncere discernit, sensibus & phantasia deceptus. quod planè comprobat Socrates in Phædone. Voluntas affligitur, dum curis multis inde vexatur. Contra, quando corporalia despicit, & sopitis sensibus, expulsisque phantasmatum nubibus, nec aliter animum corpore distrahente animus per se aliquid speculatur, tunc intellectus syncere discernit fulgetque maximè. Quod etiam in his apparet, qui aut per somni quietem aut aliam quamuis alienationem à corpore, vaticinantur. Ideo nōnulli, vt in Critone & Apologia inquit Plato, propè mortem cum sunt, futura prędicunt. Quasi tunc illa videant in supernis spiritibus præscripta. Quibus suapte natura iungitur animus, modo seiungatur à corpore. Non solum vero intellectus se à corpore seuocans, quod aptat clarius intuetur, diuinusque euadit, ideoque se melius habet, sed & voluntas nec perturbationibus tunc affligitur, imò diuinis tanquam sibi similibus summopere gaudet. Hinc sequitur, non esse corpus animi rationalis originem. Siquidem quo longius discedit ab illo, eo se perfectius habet. Sequitur & hoc, si quanto magis mens in hoc corpus immergitur, tanto deficit magis, & quo discedit longius, eo magis & proficit, tunc fore perfectissimam mentem cum ab hoc corpore penitus euolauerit. Non est autem inde interitus, vnde summa perfectio. Sed integra vita, vsque adeo vt sit perpetua. Nulla enim mutatione animus vnquam deficiet, quando non perit exeundo è corpore. Qua quidem nulla circa ipsum maior potest esse mutatio.

De probatione fidei. Prædicationis pars secunda.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

APostolos nulla simulatione vel ambitione fuisse adductos ad prædicandum patet, quoniam nō propriam, sed Christi gloriam affectabant. Hinc illud Pauli ad Corinthios: Non enim nosmet ipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum. Nos autem seruos vestros per Iesum. Item, inter vos alius dicit, ego quidem sum Pauli. Alius, ego ipsius Apollo. Nonne carnales estis? Quid enim Apollo? Quid vero Paulus? nisi ministri eius cui credidistis. Et vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Ita neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat & qui rigat vnum sunt. Nemo igitur in hominibus glorietur, omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt, vos autē Christi, Christus, autē Dei. Ideo in Actis Apost. cū quidā Cornelius adorare Petrum voluisset, prohibitus est à Petro. Præterea cum Lycaoniēses propter miracula Paulo & Barnabæ

tanquam Diis immolare vellent, ab eis permissi non sunt. Ioannes quoque in Apocalypsi adorari se vetuit. Sed quidnam hoc Pauli manifestius? Absit vt gloriemur in alio quam in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Accedit ad hæc, quod non inuiti, sed sponte libenterque cruciatus pro Christo ferebant. Hinc Paulus ad Romanos: Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio verò spē, spes autem non confunditur, Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui datus est nobis. Item ad Corinthios, Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Rursum ad Timotheum: In hoc laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primo ostenderet Iesus Christus omnem patientiam, ad instructionem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Rursus ad Colossenses. Nunc gaudeo in passionibus pro vobis & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corde eius quod est Ecclesia. Item Lucas in Actis: Apostoli ab Iudæis cæsi exultantes incedebant, quia digni habiti essent, qui pro Christi nomine iniurias paterentur. Denique testimonium Apostolorum summopere validum est, ex eo quod in fide minime titubabant. Hinc illud ad Romanos: quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? angustia? an persequutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Huc tendit & quod scribit ad Philippenses Romæ vinctus. In nullo confundar, sed cum omni fiducia sicut semper & nunc exaltabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. quod si viuere in carne hic mihi fructus operis est quid eligam ignoro. Coarctor autē à duobus. Cupio enim dissolui & esse cū Christo, atque hoc quidem mihi multo melius. Permanere autem in carne propter vos necessarium est. Et hoc cōfidens scio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudium fidei, vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu, in me per meum aduentum iterum ad vos. quibus in verbis liberationem suam vaticinatus est. Item ad Timotheum: Non dedit nobis Deus spiritū timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri. Neque me vinctum eius, sed collabora in Euangelio secundum virtutem Dei. Ob Euangelium hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. In Euangelij prædicatione laboro vsque ad vincula, sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum cœlesti gloria. Fidelis sermo, quia si commortui sumus, & conuiuemus, si consustinebimus, & corregnabimus. Si negauerimus eum, & ille negabit nos. Si vero non credimus, ille fidelis permanet. Negare seipsum non potest. Idem ad Corinthios: Deus qui dixit de tenebris lumen splendere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationē scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Iesu. Habemus autem Thesaurum istum in uasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei & non ex nobis. In omnibus tribulationē patimur, sed non angustiamur. Attenuamur, sed non destituimur. Persequutionem patimur, sed non derelinquimur. Deiicimur, sed non perimus. Scimus enim quod qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit cum Iesu, propter quod non deficimus. Sed licet is qui foris est noster homo corrūpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Quod enim in præsenti est momentaneum, & leuæ tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ vero non videntur, æterna sunt. Scimus enim quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Idem ad Timotheum, Vigila in omnibus, & labora.

Opus fac Euangelistæ. Ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam immolor & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In posterum reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem iustus Iudex. Non solum autem mihi, sed omnibus qui diligunt aduentum eius. Denique certam Ioannis asseuerationem audire fas est. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita ipsa innotuit. Et vidimus, & testamur, & nuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & apparuit nobis.

Sequentes superiorem ordinem incipiemus, vt inde per viam veniamus ad veritatem.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

QVod corpori, cuius natura determinata est, naturaliter alligatur operi, operationẽ habere non potest liberã & solutam. Animus vero noster hãc habet. Igitur cum à corpore viuere. Bruta videmus iudicium habere natura determinatum. Naturali enim extimatione iudicat ouis lupum sibi perniciosum atque fugit. Neque potest non fugere impellente natura. Naturali instinctu feruntur hirundines ad nidum conficiendum, apes ad aluearia, ad telas araneæ. Ideo omnes eiusdem speciei animantes, eodem modo sua fabricant semper. Neque discunt aliquando neque variant vnquãm. quia species naturalis qua ducuntur, ab initio inest, atque eadem permanet. Homines autem & discunt & sua opera variant semper. Vnam tamen ab initio naturam habent. Non igitur natura trahuntur ad agendum, sed ipsi consilio suo aliàs aliter se ipsos agunt. Vndenam contingere id putamus? quia elementa, arbores, bestiæ, in suis quibusdam motibus, electionibus, artibus nunquam aberrant. Homo verò sępissime. Non quidem ex eo quod intellectus insit illis perfectior. quibus nec intellectus quidem inest vllus, sed quoniam ab intellectu diuino instrumentoque eius natura nunquam errante trahuntur, homo vero ab intellectu proprio, qui errare potest, ducitur. Qui etiã si quando ab actionibus propriis ocium agit ad tempus, tunc ipse quoque à Deo ducitur, neque errat. Quod ex vaticiniis & miraculis declarat. Ac si semper duceretur, sicut alia, tanto minus erraret quam illa, quanto esset perfectius instrumentum. Rursus si alia seipsa ducerent, sicut homo, tanto magis errarent, quanto minus perfectam sortita sunt speciem. Denique si electio nostra illata quadam necessitate ferretur, nunquam aliter ageremus quam affectio corporis simul atque imaginatio præsens à sensibus mota nos allicit.

Quemadmodum & bestiæ faciunt omnes, & bestia nostra. Contra verò sæpè ita primum commoti, mox consultamus, eligimusque contra quam incitatio eiusmodi prouocauerat. Quoniam libertatem animi & virtutem eius æternamque felicitatem rebus mortalibus anteponimus. Quod quidem maximè apparet in Philosophis atque religiosis, qui vel veritatis inueniendæ, vel diuinæ gratiæ ineundæ gratia, institutionem vitæ eligunt, non solum sensibus repugnantem, sed etiam corpori proculdubio noxiam. Qua quidem in re mens humana liberam actionem imperiumque in corpus corporeaque declarat.

TEstimonium Apostolorum pro Christo vnde potissimum confirmatur? quod neque decipere quemque instituerunt, neque etiam decepti fuerunt. Huc tendit illud Petri: Parati semper estote ad satisfactionem omni poscenti à vobis notionem de ea quæ in vobis est spe & fide. Item, non enim indoctas fabulas sequuti notam facimus vobis Dei nostri Iesu Christi virtutem & pręscientiã, sed magnitudinis illius speculatores effecti. Item Paulus ad Corinthios: Ego sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans. Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè, cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hinc Paulus & Apollo vbique cum doctis de Christi mysteriis disserentes Prophetarum volumina in medium adducebant. Iubet sæpe Paulus discipulos suos, præcipuè sacerdotes, profundæ Prophetarum intelligentiæ diligenter incumbere Origenes contra Celsum inquit, Paulus criminatur eos, qui temerè credunt. Profecto Christianis consuetudo est, pro eorum indubitata sententia trahere audientes, hæc ille. Præterea quidem hanc nobis sanguine suo testificati sunt, viri fuerunt iudicio prudentissimo. Ac si non omnes ab initio tamen paulo post doctissimi, quod quidẽ eorum gesta scriptaque confirmant. Et hi quidẽ deinceps quam plurimi, Ioannes,

Paulus, Hierotheusque & Dionysius Philosophi summi, Iustinus, Patenus, Quadratus, Agrippa, Aristides, Lucasque, Marcusque Philosophi. Item Thomas & Apollo legis Iudaicæ peritissimi. Timotheus, Titus, Clemens Romanus, Barnabas, Ioannes senior, Egesippus, Papias, Mellitus Philosophus Asianus, Ignatius sapiens Polycarpus insignis doctor Asiæ, Dionysius Alexandrinus, aliique permulti sapientia excellentes. Quos in libro de Religione longo ordine numeramus. Inter innumerabiles Origenem tacere non possum Philosophum, Martyremque præclarum. Denique si primum Religionis huius fundamentum Dialectici, vel Oratores, vel Poëtæ iecissent, suspicaremur plebem astutia & eloquentia fuisse deceptam. Si docti omnes semper respuissent, iudicaremus eam forsitan contemnendam. Si principes vel ab initio vel paulo post huic legi omnino fauissent, opinaremur debiliores à potentioribus fuisse coactos. Successores deinde, vt fit, legem illam cum lacte suxisse. Diuina igitur prouidentia voluit religionis suæ simplicem veritatem ab hominibus prima rudibus, simplicibus, paucis, primam originem ducere, atque ab eis astutos, doctos, plurimos quasi pisces à piscatoribus feliciter & mirabiliter irretiri. Permisit insuper Religionem suam annos plures quam tercentos à potentibus vbique gentium crudeliter impugnari. Quo maior foret doctorum testium & fidelium numerus, reique ipsius, verior, certior, firmior, authoritas. Nam in prosperitate quidem seruare fidem facilè est, in aduersitate vero difficile.

INtellectus rem vera ratione intellectam attingit intelligendo. Cum igitur rationibus certis substantiam indiuiduam comprehendit, suo quodam indiuisibili tangit rem indiuisibilem & intelligit. Alioquin diuiduum tangeret non indiuiduum. Hoc ipsum intellectu indiuisibili ad intelligendum sufficiens solum quidem ipsum, ipse intellectus existit. Cum igitur intellectualis substantia sit penitus indiuidua, dissolui nunquam potest. Præsertim quia substantia hæc intellectualis non solum impartibilis est, sed etiam in se ipsa subsistens, videlicet à corpore non dependens. Alioquin in se ipsam reflecti non posset quemadmodum in Theologia nostra Proculi ratio ne probamus. Conuertitur autem in se ipsam, dum actionem suã, virtutemque & essentiam animaduertit & causam. quod si actio eius tanquam libera remeat intro, multo magis essentia est à corporibus expedita. Oportet præterea inter naturam cognoscentem, atque cognitam esse proportionem, vt inter visum atque lumen, inter auditum atque sonum. Multo magis inter intellectum & intelligibile proprium. Intellectus enim intelligibile penetrat definiendo atque distinguendo. Quod sensus circa sensibile nunquam efficit. Intelligibile vero proprium est, vniuersalis ipsa specialisque rei cognitæ ratio. Cum igitur hæc à loco temporeque sit absoluta, merito intellectus ab eisdem solutus est atque sempiternus.

LEges humanæ non aliter aut admittuntur ab initio, aut postquam admissæ sunt propagantur, quam vel consuetis communibusque humanarum & naturalium rationum suasionibus vel authoritate quadam imperatoria, impetuue armorum vel facilitate & commoditate viuendi, atque illecebris voluptatum. Præterea siderum dispositio, non aliis vnquam instrumentis quam eiusmodi leges inter homines potest inducere. Quamobrem cum Christianam legem cognouerim apud homines sanæ mentis & ortam aliquando & cito latissimè propagatam, dum probabiles illi multorum argumentationes aduersarentur, dum arma potentum contra illam vbique sæuirent, dum palam omnis humanæ voluptatis vsus spesque ab ea prorsus auferretur. Legem eiusmodi neq; humanam esse neque à cœlesti fato pendere, sed diuinam omnino & à supercœlesti quadam potentia proficisci necessario concludemus. quid? quod multis ante seculis longo ordine à plurimis Prophetis atque Sybillis singula hæc prædicta fuerunt, quod in sequentibus ostendemus. Quid? quod Christus, vitæ magister, mortem suam, persequutionem aduersum discipulos suos vbique futuram, propagationem, immutabilitatem religionis suæ, miserabilem Iudæorum ruinam breui venturam, Gentilium conuersionem, Iudæorum quorundam pertinaciam vsque ad mundi finem duraturam, tum ipse prædixit, tum discipulos suos inspirauit, vt dicerent. Atqui id quod mirabile est, Christus obsidionem in sabbato futuram, & exitium fame ferroque à Gentilibus inferendum, atque stragem inauditam & captiuitatem. Præterea Iudæorum in omnes Gentes, non aliter ante præscripsit, quam Iosephus scripserit post ruinam. Denique si religionis maximè propria puritas est, hæc certè diuinissima est, quæ neque viles posteriorum Iudæorum superstitiones, & spurcissima Talmut deliramenta, neque obscœnas &

nas & iniquas Gentilium fabulas, neque abominabilem Mahumethensium licentiam & Alchorani ineptias admittit. Quæ neque terrena præmia, vt leges aliæ, sed cœlestia pollicetur. Neque aduersarios legis suæ interfici iubet, quemadmodum iussit Talmut & Alchoranum, sed vel ratione doceri, vel oratione conuerti, vel patientia tolerari, neque virtutes ambitionis aut voluptatis aut tranquillitatis humanæ, sed Dei solius gratia ardenter exercet, totumque hunc mundum pessundat & pro nihilo habet, vt mundum alterum consequatur. Ad idem pertinet sermonis puritas simplicitasque & maiestas insolita concordiaque & occulta quædam verbis insita virtus.

De quinque panibus.

CAPVT IV.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu Angelorum psallam tibi.

EX quinque panibus & duobus piscibus satiauit quinque virorum millia. Quæritur quomodo panis ille acceperit incrementum. quatuor id modis effici potuit. Creatione, Rarefactione, Generatione, Magnitudinis attractione, alienæ materiæ non creauit nouam ibi materiã. Creatione namque tanquam actionum omnium nobilissima in operibus vtitur nobilissimis, in productione mundi, angelorum, animarum. Si solum præsentem materiam rarefecisset, nihil amplius nutriuisset. quemadmodum si quis melidem extendat in amplius. Potuit autem probabiliter præsenti materiæ quantitatem adhibere maiorem, non quidem rarefaciendo quæ aderat, sed aliam generando consimili præditam densitate. Nam & ab initio mundi primo, materiam procreauit nondum quantam. Mox adhibuit quantitatem, non quidem rarefactæ materiæ, quæ nondum quanta erat. Rarefacta vero passio quædam est pertinens ad rem iam quantam. Potuit etiam probabiliter virtutem inserere pani mirabiliter attractiuam, quæ efficacissimè sugeret aerem vndique & aquæ terræque vapores. Quæ in pane protinus condensata coctaque subito facerent augmentum. Similiter sagine granum attractiua & digestiua virtute, sugit aërem & humorem, vnde tumet, ex pusillo fit magnum atque procerum, ex vno fit multa. ex deformi formosum. Natura id longo perficit tempore, breui Dæmon efficit idem. Solus momento Deus Facit quoq; pro arbitrio Deus multa, producendo formas etiam sine motu. Dæmon autem mouendo quæ sunt loco coniungit vnde formæ resultant. Disposuit Iesus in prato mensas ordine xij. & in qualibet mensa centum discumbere iussit vtrinque, videlicet quinquaginta. post hũc mensarum duodenarium, adhibuit alium duodenarium in longum, aliumque deinceps vsque ad duodenaria quinque. Sunt igitur ibi sexaginta mensæ & hominum sex millia, virorum scilicet quinque millia, & quingenti pueri & totidem mulieres. Benedixit autem panem dicens: Crescite panes, replete populum fidelem. Similiter pisces subtractis primo spinis. Erant autem libræ quinque panum, & similiter piscis, ac dum benediceret sub Sole, resultabat vmbra digitorum quinque super pisces & similiter aliorum quinque digitorum super panes. Vnde auctum est vtrũque seorsum ad libras vsque vigintiquinque. Deinde fregit panem quemlibet tractu apertæ palmæ digitorumque super panẽ. Cessit digitis panis. Vnde sex resultauere bucellæ. Duxit rursum etransuerso manum, & factæ sũt triginta sex buccellæ. Ex quinque panibus ita multiplicatis facta sunt cẽtũ & octuaginta frusta. Dedit Iesus vnicuique duodecim Apostolorũ frusta in gremio quindecim, id est, vnicuique confinium. Pisces vero integros ipse portauit. Paulatimque distribuit, mensis procedens in latitudinem per semitas laterales. Dum Apostoli duodecim procedebant per semitas duodecim in longum. Deniq; cum repleti essent & collecta fragmenta, benedixit fonti, vt tutius suauiusque combiberent. Dicens: Feratur Spiritus Domini super aquas. Ponimus corpus corpulentum, corpus spiritale, & Spiritum. In primo genere sunt, eTrra, Aqua, Aër mixtus. In secundo autem sunt, Aër purus, Ignis, Cœlum. In tertio anima, Angelus, Deus. deus quidem & Angelus simpliciter spiritales sunt. Anima vero spiritalis quidẽ est, quatenus intellectu agit. Dicitur etiam animalis, exercet opera vitæ, sensusque in corpore. Dicitur & corporalis, quando intellectu nihil agente agit; quod est animæ reliquum. Sic enim affectum & habitum induitur corporalem. Vbi anima ad conditiones corporis traditur, id est, vt fiat passibilis, obscura, tarda, hebes. Potest itaque corpus quandoque ad naturam animæ retrahi, vt fiat impassibile, clarũ, agile, spiritale. Tunc inquam, cum animus totus intellect euadit diuino absorptus intellectu,

Neque id mirum, vidimus enim terram rarefactione fieri aquam hanc, similiter aërē effici, hunc fieri similiter ignem. Ignis, si materiam dempseris, erit cœlum. Si cœlo dimensionem subtraxeris, erit spiritus, id est, lumen à materia & dimensionibus absolutum. Sic vides corporale ad naturam ascendere spiritalem. Sicut cogitare potes Spiritum effici corporalem. Addita lumini dimensione primum, deinde materia. Addito animæ affectu & habitu corporali adhibita condensationi igni, aërique & aquæ.

In illud Pauli, Colossen. 3.

FRatres si consurrexistis cum Christo &c.) Congregatio fidelium secundum Paulum vnum corpus est. Cuius caput est Christus. Caput secundum Platonem est totus homo. Rotundum enim est instar cœli. Septem meatus habet quasi plantas septem, oculos duos, quasi Solem & Lunam. Omnes sensus, qui non sunt in reliquo. Habet septem potentias cognoscendi, quinque sensus, imaginationem & rationem, & secundum Galenum principatum tenet in corpore, & ab eo deriuatur in corpus animalis vita, sensus & motus. Huic reliqua famulantur, vt hominis instrumenta. Itaque fratres, si Christus caput nostrum est in cœlo, nos membra, quatenus in terra sumus, tanquam membra seiuncta, motum, sensum, vitam amittimus, nisi quatenus fide, spe, charitate ad ipsum, quasi tribus neruis, alligati manemus. Quæramus igitur superius ascendendo arctius alligari Christo qui sursum est, ne penitus pereamus. Sapiamus & gustemus, quæ sursum sunt. Terrenas escas passim paratas à Diabolo fugiamus, harum enim sapere velut hamo nos illaqueat, & sapore detinet diuturno, ne euolemus ad Christum. Igitur quæ sursum sunt sapite. Animalis quidem & diabolicus homo, qui in nobis erat, iam per passionem & resurrectionem mortuus est. Interea spiritali homine viuimus, donec vita gloriæ manifestetur in nobis, quæ nunc nobis est abscondita & reseruatur in Christo apud patrem. Hinc illud Ioannis: Filij Dei sumus, quasi iam generati, sed non dum apparuit quod erimus. Cum autem Christus, in quo seruatur nobis vita gloriæ, apparuerit in iudicio, tunc & nos apparebimus & fulgebimus vnà cum ipso per gloriæ splendorem in sempiternum. Nam & intellectus nostri ex lumine intellectus eius, illuminabuntur, & corpora nostra tanquam per radios sui corporis resplendebunt. Vnde & imagines nostræ in nobis inuicem perspicientur, & imago Christi inspicietur in cunctis, & imagines cunctorum conspicientur in Christo, & beatus erit oculus in nobis vterque, mentis scilicet atque corporis. Hinc illud Ioannis: Hæc est vita æterna, vt videant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum, ad eiusmodi vitam vt Deus sua clementia nos perducat. Tradunt Platonici animam esse corporis seminarium. Ideoque formam corporis esse quasi animam quandam degenerantem in naturam materialem. Ideo probabile est vicissim naturam corporalem redigi quandoque ad animæ ipsius naturam. Similiter semen tritici tumescit in herbam, herba redit in semen. Ignis densatur in terram, ad ignem terra reuertitur. In quem materia hæc reuersa ex immobili, inepta, obscura, fit mobilis, agilis, clara, & sine dissipatione penetrans.

Quando igitur natura corporis in naturam animæ redigetur, præter id quod in passibilitatem, claritatem, agilitatem ab anima sortietur, habebit ab anima quod penetret solida, nec dissipans, nec dissipatum, sicut anima solidum hoc penetrat vndique corpus, non dissipata. quoniam ipsa interim id viuificat, nec solum non dissipans, sed etiam repugnantia ligans. Plotinus probat corpus solidum non posse absque fractione solidum aliud penetrare, non quidem culpa materiarum quæ cum prima sui natura indiuisibiles sint, facile possunt simul congredi, nec culpa dimensionum. Hæ namque cum sint efficaces neque frangunt, neque resistunt, sed culpa duritiæ solidæ.

Duritia vero soliditasque qualitas quædam est, Ideo eiusmodi qualitate sublata, statim corpora procul à fractione corporibus se prorsus insinuant. Liquida liquidis, sicut ignis aëri, aër aquæ. Item liquida solidis, vt oleum chartæ vel ligno, ignis ferro. Quid ergo? Nunquid glorificatum corpus quod ad ipsam animæ iam factæ diuinę naturam redactum est, omni soliditate caret? Nequaquam, ait enim, palpate & videte &c. Quomodo igitur lignum vtrinque stante soliditate sine mutua penetrat fractione? Quia qualitas hæc admodum vilis velut propria terræ, quo soliditas vel duritia nominatur, non tantam vim habet ad faciendam fractionē, & penetrationem prohibendā, quantā habet facultas corporis animalis iam atq; diuini, tum ad motum efficacem & penetrantem. Talis enim est animę diuinitatisq; potestas.

Tum ad connexionem partium corporalium & faciendam & conseruandam. Profecto si animæ officium est repugnantia in corpore deuincire, & simul conseruare deuincta, perfectè id efficit: quando & ipsa in diuinitatem absorpta est & corpus in ipsam. Claritas corporis gloriosi magis natura distat ab oculo quam Solis claritas. Sol enim & si summum tenet in toto corporalium genere, genus attamen non transcendit. Gloriosum vero corpus quatenus ad animæ diuinæ conditionem iam ascendit, eatenus transcendit & Solis terminos & oculi facultatem, qui quamdiu simpliciter terrenus est, minus potest gloriosum lumen, quam Solis lumen aspicere. Sed quemadmodum in voluntate arbitrioque animæ positum est demonstrare seipsam, tum ad aures verbis, tum ad oculos nutibus, ita glorificatus homo habet in suæ voluntatis arbitrio ostendere suum corpus iam spiritale, vel occulere. Sed quomodo? Non quidem se alterando. Non enim decet, neque afficiendo intuentis imaginationem, falleret enim, sed vel suos radios continendo, ne vberius effluant vel intuentis oculi radios roborando. Potest & circumfusum aërem in superficie sua prout libuerit figurare. In qua figura se accommodet intuentibus. Sic Christus in gloria visus est in monte Tabor. Sic post resurrectionem visus est matri temperatione videlicet radiorum. Figuratione vero aëris circumfusi, apparuit mulieribus, & discipulis. In hortis quidem velut agricola, peregrinantibus peregrinus, piscantibus vero piscator. Fregit panem, leuissimo tactu, facultas namque diuinæ manus vicem gladij supplet. Nam & homo simplex quatenus habet manum, instrumenta omnia videtur habere. Inflammabat cor audientium verborum suorum flatu quodam flagrantiore. Cum enim adhuc, velut terreni inepti essent ad lucem, incepit sub simplici fide atque sæpè animam calefacere charitatem, quo calore purgaretur & transferretur ad intelligentiæ lumen. Angelus autem qui descendit ad monumentum fuit è numero virtutum, quæ mortis sphæram regunt. Venit itaque ad custodes perterrendos, & forma fulguris & miro terræmotus effectu, quæ pertinere videntur ad Martem, alij duo Angeli grandiores fuerunt ex ordine Dominationum, quæ Iouem, & Potestatum, quæ Solem ducunt. Quanquam & ille prior vestem habuit argenteam, ad consolandas mulieres, sicut per fulgur milites antè terruerat.

De duobus discipulis in Emaus.

Lucæ XXIV.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

IBant discipuli duo in Emaus, & quia carebant firmitate fidei, Dæmon detinebat oculos eorum, ne parentem agnoscerent Iesum. Citans videlicet vaporem quendam ad oculos tum disgregantem pupillas, tum rubore afficientem. Quo effigies Iesus, tum grandior tum rubicundior appareret. Et has rationes elicimus ex quodam Augustini fundamento. Iesus igitur quo eis visus perspicaciam restitueret, explanatione vtitur scripturarum, qua fidem assereret, vt hac adhibita accenderetur & charitas. Incepit paulatim resurgere fides. Flagrare cœpit & charitas. Hinc illud: cor nostrum erat ardens, dum nobis loqueretur in via. Verum sicut neque sufficiebat fides nisi charitas adderetur. Ita neque charitas in affectu satis erat, nisi accederet charitas in effectu. Igitur tunc demum se patefecit Iesus, cum eum hospitio, & conuiuio receperunt. Vbi non solum præbuit se clare videndum, sed etiam sacramento Eucharistiæ degustandum. quin panem benedixit & fregit. Vbi communione Christi expulsus est Dæmon, qui intulerat cæcitatem. Charitate igitur & affectus simul & operis accedere debemus ad Iesum, si modo dicturus sit nobis: gustate me, ac videte quam suauis sit Dominus. Nam & ille charitatis amore accessit ad creandum mundum, descendit ad hominem redimendum. Hinc factum est, vt amore omnia ad generandum operandumque moueantur, quod patet non solum in animantibus, sed etiam in elementis & cœlis, atque, vt alibi diximus, optimum in quolibet ordine proprium amatoriæ charitatis obtinet signum. Seraphini quidem inter Angelos Empyreum inter cœlos, & reliqua. Seraphini sub Trinitate, cui attribuitur cœlum Empyreum, regunt Christallinum, & merito cum ardeant charitate, empyreum, igneum capite tangunt. Cherubini, in quibus est scientię plenitudo, Firmamentum regunt, quod est plenitudo stellarum. Vnde Daniel: Fulgebunt docti tanquam splendor firmamenti. Throni qui sedes sunt, regunt sphæram Saturni stabilitatem significantis. Dominationes Ioui præsunt Dominorũ significatori, Virtutes Martem ducunt, significant enim & ille & hic viriliatem.

Potestates Soli dominantur qui significat Magistratus. Principatus Veneri, cuius est amor affectuum motuumque principium, Archangeli, Mercurio. Merito principales nunti; nuntiorum principio præsunt, Angeli, id est, nuntij præsunt Lunæ, quæ inferioribus nuntiant influxus superiorum. Throni Patrem referunt. Cherubini Filium, Seraphini Spiritũ. Item Principatus patrem, Archangeli Filium, nuntium primum, Angeli Spiritum, qui nuntiauit secundo. Rursum firmamentum Patrem, Christallinum filium, Empyreum Spiritũ. Saturnus patrem, Iupiter Filium, Mars Spiritum. Sol Patrem, Mercurius Filium, Venus Spiritum, Luna Christum. Luce sua diuinitatem eius, fusco suo humanitatem. Rursum sicut tres in Deo personæ in vna conueniunt Deitate, sic Sol, Mercurius, Venus, semper proximi in communi quodam splendore conueniunt. Denique vna in Sole substantia est sub figura, luce, calore, sicut vna in tribus personis est diuina natura.

De laboribus ac ærumnis D. Pauli Apostoli.

Exiui seminare semẽ tuum Domine. Semen quidem tuum bonum est, adiuua nos propter magnam misericordiam tuam, vt & ego bene seminem, & populus tuus hic semen tuum bene suscipiat, fructumque centuplum inde deducat.

MAgnus ab alto Iesus per Ananiam Tharsensi Saulo has voces intonuit: Elegi te hodie Saule tanquam vas meum omnium electissimum, vt portes ad omnes Gentes verbi mei semina, quibus Euangelicos fructus vbique propages. Multa quidem inter seminandum patieris pro nomine meo, sed fient lachrymæ tuæ panes, panes dico cœlestes. Seminabis enim in terris lugens, colliges centum pro vno in cœlis exultans. Surge igitur, vade alacer, memor quod per Dauidem seminantibus sum pollicitus: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibunt & flebunt, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.) Quot subinde & quanta pertulit apud omnes Gentes, xiiij. iam annis die & nocte, terraque marique, ab hominibus, à bestiis & corpore & animo, dum seminat Euangelium, narrat in Epistola ad Corinthios breuissimè Paulus. Quot insuper annis triginta & quinque labores passus fuerit, non posset vnquam absque magno labore narrari, vnum duntaxat, quod obscurius est, exponam. Narrat præter id quod ter virgis cæsus est, semel lapidatus est, se à Iudæis quinquies verberatum, id est, quinque seorsum temporibus, & qualibet vice nouem & triginta plagas se accepisse. Erat enim Mosaica lex, siquis contra legem deliquisset, neque tamen esset capitali supplicio dignus, verberibus affligeretur, non pluribus quam quadraginta. Interpretes vero legis, æquitate ducti, statuerunt plagis multo paucioribus verberari. Sed Paulum rigidius quam cęteros, id est, vna tantum subtracta cruciandum iudicauerunt.

Narrat autem Paulus labores suos, ęrumnas, vigiliasque multas, famem, sitim, ieiunia multa, frigus, & nuditatem, & assiduas Ecclesiarum omnium curas, reuelationesque subinde, vt authoritatem Apostolatus sui confirmet. Qua firmata stabiliatur Euangelica veritas ab eo Gentibus prædicata. Stabiliatur, inquam, contra falsorum Apostolorum insidias qui ex Iudæis ad baptismum profecti contendebant legales cerimonias cum Euangelica lege commiscere. Et quando Paulus Euangelium introducebat, ab externis cerimoniis absolutum, odio erat illis. Vnde calumniabantur, quasi ipse non esset verus Apostolus. At ipse ex passionibus reuelationibusque sui apostolatus veritatem firmat, contra illos, qui & in voluptatibus versabantur & reuelationibus digni non erant. Edixerat enim Iesus, siquis vult meus esse discipulus, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Finis tandem est, vt integra firmaque sit Euangelica veritas. Reuelatione narrata, confirmat, quantam de ipso tanquam de legitimo seruo Deus habeat curam, vt velit eum Iliaca sæpius passione torqueri, ne forte ex diuinis muneribus efferatur, putetque se esse aliquid plusquam hominem, sed ex dolore ventris hominem se prorsus agnoscat. Christumque prædicet non seipsum. quod autem stimulus carnis eius non libidinis feruor extiterit, testatur vita eius innumeris continuisque plena laboribus, victusque parcissimus, inedia, nuditas, labor assiduus. quodue prouidentia Dei commodius tutiusque virtutis dolore corporis quã libidine probat. Neque vos turbet quod stimulum carnis appellet, consueuit enim quicquid ad corpus, & materiã pertinet, carnis nomine nuncupare. Item quod de Diabolo stimulante dicit, memento dæmones humores sæpe mouere ad morbos efficiendos. Quod Serapion &

Auicenna confirmant. Reuelationibus igitur instructus & inter labores atque pericula toto terrarum orbe disseminat Dei verbum. Quod in Euangelio hodierno seminat ipse Deus, atque dum seminat, aliud cadit secus viam &c. Quoniam dicit semen suum, per suum, declarat Deum ipsum esse qui seminat, seminat autem in animabus humanis tùm ab initio intellectuales conscientiæ regulas, tum quotidie veritates suas sanctorum ministerio, Tum maximè in Iesu tempore suo. Exire dicitur, quatenus filius venit ex patre, & ex occulto prodit in manifestum. Audientes vero multi quidem, nullo modo suscipiunt hoc semen, hoc Dei verbum. Qui videlicet nullam rebus diuinis fidem adhibent. qui sunt via quædam à diabolo trita. Vbi nota incitamenta ad vitia ex humoribus facile prouenire, ex cholera ad iram atque superbiam. Ex sanguine ad vanitatem atque libidinem, ex phlegmate ad pigritiam. Ex melancholia ad timiditatem, inuidiam, auaritiam. Incredulitatem verò non facile ex humoribus prouenire, sed ex dæmonibus dissuadentibus aliquid, & aliud suadentibus. Nam & credulitatem augent nobis Angeli. Alij vero suscipiunt semen aliqua fide, sed quia non veram charitatem habent, non perseuerant, ideo non perducunt ad fructum, atque hi quidem duobus modis, aliqui enim fortitudinis defectu, id est, laborem & dolorem non tolerantes, recedunt à fructu verbi diuini, & hi dicuntur timore cadere. Alij defectu temperantiæ. Hi enim corporis voluptatibus obsequuti, sementem intellectualis verbi non proferunt, talesque sunt quamplurimi, plures enim muscarum vino dulci suffocantur quam austero. Sicut autem tribus gradibus fit defectus, sic tribus gradibus fit profectus. qui enim fide suscipiunt verbum, & propter veram charitatem perseuerant, fortitudinis & temperantiæ beneficio : hi, vt tradit Matthæus, si fide excelluerint, producunt triginta pro vno, si spe præualuerint, sexaginta, si charitate, centum. Fortè per tres gradus in fructu designat tres in beatitudine gradus, vt alij ad primum cœlum, alij ad secundum, alij ad tertium eleuentur. Tangitur hic insuper Platonica quædam opinio, ponens tres in qualibet morali virtute gradus. Alii enim ex diuino semine ciuilem producunt virtutem, quæ secundos amputat motus. Alii purgatoriam, quæ motus secundos extirpat, alii purgati animi, quæ primos amputat motus. Sic castitas alia coniugalis est, alia vidualis, alia virginalis, sic fortitudo, alia spernit detrimenta externorum, alia detrimentum corporis, alia totam hanc vitam, virtus purgati animi tanquam perfectissima centenario numero designat, qui resultat ex denario in se ipsum ducto, qui plenus est numerus, vltra enim hunc est quædam repetitio numeri. Memento parabolam hanc afferri proprie de prędicatione Christi ad Iudæos. quorum quarta pars profecit in semine, tres enim partes in vanum proiectæ dicuntur. quamobrem Iesus Astolos, præcipue Paulum, extra Iudæam per tres mundi partes, Asiam, Africam. Europam misit, diuinum verbum seminaturos. Vt autem Paulus ante persecutor sui clarius & ardentius prædicaret, reuelauit ei arcana sua quando rapuit eum. Post annum à passione completum, ante biennium expletum. A die vero conuersionis suæ raptusque sui post annos quatuordecim à Troade secundam Corinthiis scribit Epistolam.

Raptus est autem Damasci in eo triduo, quo non vidit, non bibit, non comedit, sed orabat assiduè. Narrat vero se raptum in tertia persona. Quoniam quasi alter nunc est, & alter quando fuit in raptu, vel alter ante raptum, alter vero post raptum. Dicit item se nescire vtrum animus suus in raptu esset in corpore nec ne, id est, nesciri à se in quantum homo, nesciri ab aliquo simpliciter homine. Nos igitur si scientia id comprehendere non possimus, opinione saltem, ac fide pro viribus tentemus attingere. Et radius visualis in oculo per quem eminus proiectum oculis remotissima quæque tangit, videtque tangendo, quod in animalibus apparet nocte videntibus, multo magis est intellectualis in mente radius, emicans in remota, præsertim quoniam homo præstantissimus quantum deficit inter animalia radio visuali, tantum intellectuali radio recompensat. Potuit igitur eiusmodi radius in Paulo ad remotissima quæque petendi, diuino videlicet fauente lumine. Sicut radius oculi nostri, vsque ad remotissima foueatur lumine Solis. Hoc itaque pacto anima Pauli virtute duntaxat ascendisset in cœlum. Hoc equidem concedo fecisse, sed efficacius aliquid est vlterius requirendum.

Siquidem & raptum asseueranter repetit. Et vtrum cum corpore fuerit, ponit ambiguum. Neque tamen cum corpore terreno vult intelligi. Neque sursum intelligi vult, animam per mortem ab hoc corporis reparatam.

Deus namque beneficus non facit per mortem quod potest sine morte facere. Quid ergo? est inter animam corpusque solidum spiritus, tenue corpus, vapor subtili sanguine procreatus. Vigore talis, qualis odor aquæ vitis aspectu, talis qualis reuerberatio quædam splendoris æstate super arenas, hoc in spiritu propriè habitat anima. Per hanc regit & tractabile corpus. Nam & quando spiritus retractus ad intima deserit extima, anima quoque deserit eadem, quando iterum dilatatur, adest illis simul & anima. Potuit igitur Deus eiusmodi spiritum vsque ad cœlum tertium dilatare. quo illuc vsque porrectò, ipsa quoque substantia animæ cœlo præsens extitit, & interea terreno simul corpori præsens. Eatenus enim præsentem se facit anima vbique totam, quatenus & spiritus dilatatur. Nam & Gigantem præsentia regit, quæ pusillum rexit infantem. Sed quonam pacto potuit ipse spiritus eatenus dilatari? Potuit quidem, siquidem eatenus dilatatur & radius. Spiritus quidem vapor quidam est radiosus, & in conum sicut radius à base protenditur. Adde quod sanctus Dei Spiritus, quatenus Pauli spiritum cœlum versus protrahebat in longum, eatenus in corpus Pauli circumfusum aërem vndique contrahebat, subitoque coctum calore suo in corpore Pauli supplebat in Spiritum. Nam & in nobis Spiritus aëre iugiter attracto reficitur. Igitur interim anima Pauli morte plantæ vegetabat in corpore solido, dum spiritale corpus etiam animabat, tangensque cum eo cœlum tertium, expedita à variis corporis ministeriis, Dei perspiciebat arcana. Sic animus quatenus suprema tangebat, nec erat propriè in corpore solido, nec extra corpus omnino. Quoniam habitabat in corpore spiritali, & hoc qua ratione fiat, nesciri fatetur ab homine. Nos autem & si nescimus, attamen opinamur. Raptus est non sua virtute profectus, sed diuina perductus in tertium cœlum, scilicet corporale, id est, empyreum. Primum namque cœlum est tota syderea regio, stellas videlicet planetas continens atque fixas. Quam & nonnulli Philosophi præsertim Iudęi, non solum contiguitate, sed etiam continuitate molis vnam esse dixerunt, & geminos habere motus, eosque oppositos. Proprium quidem ab Occidente, alienum ab Oriente, Nequit enim natura vna oppositos habere motus æquè proprios. Hac igitur causa ab hac regione syderea ascenditur ad christallinam, cuius sit motus vnus abstractè, quem syderea imitetur. Præterea cum motus in syderea sit multiplex, atque diuersus, qualitas quoque multiplex, scilicet perspicua simul & lucida, varieque lucens, merito procedimus ad Christallinum cœlum, cuius vnus sit motus & qualitas vna. Rursum quia super mobile debet esse stabile tanquam perfecti, & super perspicuam qualitatem, quæ quodammodo passiua est, debet esse lumen velut actiuum, nimirum super candorem motumque Christallini lumen, & stabilitas est empyrei. Primum itaque cœlum sit stelliferum, Secundum, Tertium sit empyreum, vbi Paulus videns lumen, quod sequentia per se non lucida semper illuminet, & mobilia illuminet non mobiliter. Ex hoc excogitauit ipsam Dei bonitatem prorsus æternam, & virtute præditam infinita. In bonitate rursum infinita, ideoque infinita propagabili propaginem reperit infinitã, ac penitus intimam. Nequeunt enim duo esse pariter infinita. Inuenit & in bonitate infinita amorem ad se pariter infinitum. Vbi Paulus post tertium cœlum corporeum, triplex quoque rèperit diuinum cœlum, patrem & filium atque spiritum. Post hoc per trinum quoque descẽdit angelicum cœlum, vidit enim quemadmodum natura diuina intelligentiæ fons non solum cœlos corporeos, sed intellectuales effecit, dum Angelos procreauit, qui tanquam sphæræ circa polum, ita circa Deum perpetuò reuoluuntur. Naturam hanc angelicam in trinum vidit cœlum similiter distributam. Sicut enim vna Dei natura in tres personas mirabiliter deriuatur: sic vnam generalem angelorum naturam cognouit in tres hierarchias, id est, sacros principatus esse diuisam. Prima quidem hierarchia patri, Secunda filio, Tertia spiritui potissimum est attributa. In prima Seraphini patrem pręcipue in se ipso considerant. Cherubini patrem gubernantem præcipuè filium. Throni patrem cum filio Spiritum producentem. In secunda Dominationes filium in se præcipue speculantur, Virtutes filium à patre genitũ. Potestates filium producentem vna cum patre spiritum. In tertia Principatus præcipuè in se ipso Spiritum contemplantur. Archangeli spiritum à patre, simul & filio procedentem. Angeli spiritum à filio simul & patre manantem. Singuli vero & si alij præcipuè aliter omnia contemplantur. Animæ vero beatæ per eosdem nouenarij numeri angelorum gradus distribuuntur. Est & alia quædam apud Dionysium distributio angelorum. Nam hierarchia prima contemplationi prorsus incumbit & contem-

plando ſequentes illuminat. Seraphini, vt exponit beatus Thomas, ipſum diuinæ prouidentiæ ordinem in diuina potiſſimum bonitate conſiderant velut fine. Cherubini eundem in eſſentia diuina potiſſimum velut forma quadam & exemplari. Throni eundem potiſſimum in ſeipſo. Forſan vero Seraphini quam potenter prouideat, potius ſpeculantur. Cherubini quam ſapienter. Throni denique quam beneficè. Secunda hierarchia contemplando peruenit ad agendum. Sed Dominationes velut architecti ſequentibus imponunt communes prouidentiæ regulas. Cæteri iam exequuntur. Virtutes quidem cœlos mouendo gubernant, & cum Deo tanquam inſtrumenta ad miracula facienda concurrunt. Poteſtates interim quæ prouidentiæ ordinem videantur impeditum, propellunt. Tertia hierarchia iam ad inferiora magis gubernanda deſcendit. Principatus publica curant, principes videlicet atque ciuitates. Archangeli vnumquemque ad diuinum cultum dirigunt, ſacriſque interſunt. Angeli minora diſponunt, & ſinguli ſingulis cuſtodes aſſiſtunt. Paulus hactenus inſpexit diuinorum cœlorum faciem in tribus cœlis corporeis, & tribus cœlis angelicis apparentem. Quos quidem cœlos angelicos præcipuè Paradiſum cognominauit, hactenus eſt quaſi videre, dum Dei potius exteriora videt per cœlos vtrinque fulgentia. Audiuiſſe præterea dicit, auditu enim interiora cognoſcimus. Dum Dei cognouit arcana, quatenus ipſi Deus reuelauit vltra ideas angelorum atque cœlorum, ideas inſuper aliorum quæ creare poteſt, modo velit. Quorum ſanè arcanorum cognitio non poteſt ab homine percipi, niſi beato. Ideo Paulo non licuit hæc hominibus eloqui; nam minimè percepiſſent. Nihil prodeſt nobis, ô fratres, ſcire duntaxat, Paulum altiſſima conſcendiſſe & illuc ſubinde ſecum diſcipulos adduxiſſe, niſi & ipſi tales nos Paulo præbeamus, poſſit nos quoque ad excelſa prouehere. Ponderoſa non poſſunt ad altiſſima prouehi. Deponamus itaque fratres omnia terrenorum pondera vitiorum, purgati & leues accedamus ad Paulum, oremus Deum vt manum ſupplicibus piam porrigat. Porriget ille ſtatim benignitate ſua, facileque eleuabit leues in altum. Illic nos diſcubemus dapibus Angelorum. Deſpiciemus itaque terras, vbi mortales tanquam ſues inuoluuntur aſſiduè, luto & ſordibus nutriuntur. Interea nos inter Angelos infinitis veſcemur ſuauiſſimæ Mannæ ſaporibus, & ex ligno vitæ vinum cum Chriſto bibemus æternum. Eloquutus autem eſt quæ vidit, id eſt, facies corporeorum angelicorumque cœlorum diſcipulis, Lucæ, Barnabę, Clementi, Timotheo, Tito, Dionyſio, Hierotheo, quos perduxit in tertium cœlum tribus præcipuè gradibus, ſicut & ipſe tribus aſcenderat, atque deſcenderat, eos igitur ſic eſt alloquutus. Accipite, ô filij, fidem, qua credatis primum bonum eſſe à vobis inprimis amandum, à quo, & res omnes habent vt amari debeant, & vos habetis vt amare poſſitis. Sperate, filij ſi amaueritis ipſum, vos à Deo proculdubio redamari. Quandoquidem niſi prius amati vos ab illo, ipſum non poſſetis amare, amate, filij, tota mente totum bonum & amando illud vnum apprehendite, in quo vno ſunt omnia bona. Quo quidem apprehenſo comprehenditis omnia, quod in ipſo, nec vos, nec alia poſſidetis. Per cœlum itaque fidei primum, ad cœlum ſpei ſecundū, per hoc ad cœlum charitatis tertium proceſſiſtis, qua accenſi ardetis Deo, lucetis ex Deo, gaudetis in Deo, ſicut & quo ad cœlum Veneris, tertium & amatorium peruenerunt, Solem quaſi Deum prorſus attingunt. Rurſus, ô filij, amore Dei prorſus accenſi mortalium amorem procul expellite, habetis in animo circa mortalia motus animi primos atque ſecundos, Primi ſunt quædam incitamenta ſenſus ante iudicium rationis exorta. Secundi ſunt, qui poſt iudicium rationis etiam perſeuerant & ipſi rationis aſſenſus. Hos itaque conſenſus amputate primum moderatioreſque reddite, vnde ciuilis in vobis virtus exorietur. Poſthæc conſenſiones eiuſmodi penitus extirpate, eritque in vobis purgatoria virtus. Denique primos quoque motus pro viribus amputate. Itaque hac purgati iam animi probitate, tanquam tertio cœlo exemplarem in Deo virtutem percipietis. Sicut qui per Martem ferro amputantem ad Iouem æquitatis ſignum & ad Saturnum mentis ſegregatæ ſignificatorē tanquā tertium inde cœlum venerit, peruenit ad Lacteum circulum occultis ditiſſimum ſyderibus quaſi Deum, quem Saturnus ipſe per capricornum ſui domicilium videtur attingere. Poſtremo, filij viſibilem hunc mundum dimittite, ad imaginabilem quaſi ſecundum procedite cœlum, ab hoc ad intelligibilem quaſi tertium, id eſt, ad rationes ordinis vniuerſi, quas ſi abſque materia mundi cogitaueritis, mentem architecti mundani protinus poſſidebitis. Ordo namque mundani artificii, ſubtracta materia, ipſa diuini mens eſt artificis. Ita-

que per cœlum tertium tertio iam peruenietis ad Deum, sicut & qui Zodiacum quasi mundum visibilem recte perspexerit, perueniet ad Christallinum quasi mundum imaginabilem, in quo imaginabilia signa ponuntur ab hoc ad empyreum tanquam ad intellectuale cœlum & intelligibile lumen, vnde ascendet ad Deum, vt à lumine, quod & dispersum est, & in materia, ad lumen tandem vnitum & vbique totum & à materia liberum postremo perueniat.

De passione Domini.

CÆci sumus omnes, ô Domine, miserere nostri propter merita passionis tuæ. Aspice nos clementissime Domine, vt te respiciamus, vt te feliciter videamus. Hodie fratres mei Christianus populus vanis passim bacchanalibus occupatur, Christus interea seruator populi, in Euangelio Lucæ prænuntiat discipulis futuræ passionis suæ dolores. Quos bacchanalium nostrorum culpa sustinuit. Quos & libentissimè perpessus est, vt nos à perpetuis cruciatibus liberaret. Prænunciat autem passionem suam, vt eos animet ad patientiam atque martyria. Prædicit & resurrectionem, ne malis vllis perterreantur. Præmonet omnia vt diuinitatem suam cognoscant quodue non vi humana victus, sed electione sua passurus erat. Ne ab eo in passione discedant, etiam singula confirmat oraculis Prophetarum. Quod apparet per Isaiam atque Danielem & alios. Isaias ita dicit: Obtuli scapulas meas ad verbera, genas meas ad alapas, & faciem meam non diuerti à sputorum dedecore. Hinc & illud de cruce: tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis reputatus est, & de resurrectione Dauid, non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Prædixit autem se passurum sub Gentibus, & Iudæis propter Pilatum eiusque satellites. Discipuli vero non intelligebant scilicet mysteria Prophetarum. Item credebant eum sæpè allegoricè loquutum, sub passionis mortisque suæ nomine aliud quiddam significare. Iam enim conceperant hũc esse adeo diuinum, vt occidi non possit. Mox cæcum illuminat, miraculo diuinitatem confirmans, ne diuinitati futura passio detrahat. Illuminat cæcum, sed petentem iterumque petentem, & superantem impedimenta turbæ mundanæ retrahentis à Deo. Et forte prius illuminatur mente quam corpore. Cæcus enim mendicusque, Prophetarum forsan ignarus, filium Dauid eum vocat. Iesus perseuerantiam illius, diligens suo statu, à se mouet illum. Interrogat quid velit, vt votum coram omnibus fateatur, & cæcum se esse palam ostendat præsentibus. Neque pecuniam postulare sed lumen, cum dicit, Domine, iam illuminatus est mente per ipsum Christi statum. Cum dicit, vt videam, desiderat oculi lumen. Iesus motu linguæ vel oculorum, illuminauit eum, sicut Sol radiorum aspectu reddit nos videntes, quando dixit, respice, scilicet me, quia fides tua erga me te reddidit salute dignum. Agnosce me salutis datorem. Cum dixit respice, prouocauit eum, vt oculos in se verteret. Mox intuitu illuminat eum, dum dicit quinque verba, scilicet, fides tua te saluum fecit. Ille tanquam gratus, sequitur eum, laudans in Iesu Deum & alios prouocat ad laudandum. In cæco mendicante in via, nota humanam cęcitatem in hac vita salutis egenam. In hoc cæco illuminato statim post narrationem dominicæ passionis. Nota passionem Christi humanæ saluti necessariam extitisse, Christi peruiam Hiericho transeuntis, qui significat Lunam, id est, descendentis à cœlo, & momento ad salutem consequendam esse opus, instantia superante impedita. Denique petendum esse à Deo intelligentiæ lumen. Hinc illud Dauidis, Intellectum da mihi & viuam. In hoc autem, vt Ioannes clamat, Apparuit charitas Dei in nobis, quando filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum traderet pro peccatis nostris. Charitas est amare Deum propter se & cætera propter Deum. Cum enim omnis multitudo rerum sit ab vno & ideo referatur ad vnum, nimirum omnia bona referenda sunt ad vnum primumque bonum, ex quo sunt velut ab efficiente, in quo sunt, vt exemplari. Ad quod sunt velut ad finem. Primus enim effector rerum atque motor sui gratia facit, mouetque omnia. Cum igitur per primum bonum omnia sint bona, & quatenus bona sint amanda, meritò propter ipsum, duo quædam videmur dicere. Primum, quoniam aliquam hæc illius habent imaginem. Secundum, vt hæc amando amemus in omnibus ipsum. Sed cuius gratia? duntaxat vt placeamus ipsi. Placeamus autem cur? Nunquid, vt mala vitemus, vel vt commoda consequemur? Nequaquam. Nam primum illud non propter se, sed propter alia, & gratia tui diligeres, & contra prudentiæ ordi-

nem, principium primum vltimumque finem subiiceres sequentibus aliorsumque referres, hucusque igitur. Denique fit resolutio, vt Deo placeas, & si quid addendum est, cur placere velis, adde ad gloriam Dei, vt sit eius imperium gloriosius. Hæc ipsa charitas est, propter quam ad gloriam Dei tu non solum contendis illi placere, sed etiam vt cæteri placeant, videlicet amplificandæ diuinæ gloriæ gratia. Nam & ipse Deus charitate sui, id est, amplificandæ siue communicandæ suæ bonitatis amore, vt Dionysius ait, omnia procreauit. Amor autem in voluntate consistit. Ideo Mercurius atque Plato vna cum nostris Theologis, voluntatem diuinam ex amore bonitatis suæ cuncta procreauisse confirmant. Vniuersum igitur, quod tantum & tale & tunc effectum fuerit, propriè ex diuina voluntate & charitate sortitur. Tantum enim & tale & tunc factum est, quantum & quale & quando Deus voluit. Nam prout ad potentiam & sapientiam pertinet, & aliàs, & aliter fieri potuisset. Cum igitur ex amore diuino facta sint omnia, eodem omnia conseruantur, atque mouentur. Singula igitur inde ducta amore quodam propagationis suæ, qua diuinam imitentur propagationem, mouentur & agunt. Amorem item conseruationis suæ qua diuinam imitentur æternitatem prosequuntur & fugiunt. Quæ sine amore, nec aliquid agerent, nec agendo consequerentur. amore item partium mutuo seruatur totum, conseruantur & partes. Amore tandem omnium inter se communi vniuersum perpetuo conseruatur, omnisque huiusmodi amor charitas nominatur. Quando à Deo insitus ad diuinam imitationem, & legem omnia prouocat. Sola forsan quæ intellectum habent ex libero arbitrij motu ab hoc fine aberrare possunt. quæ tamen ex hoc liberi motus munere plus admodum quam cætera Deo debent. Ideoque multo magis ab eis charitatem Deus exigit, qua Deum propter Deum ament, & se vnà cum cæteris diligant propter ipsum. Quanti vero Deus faciat charitatem, non solum ex eo patet quod ille omnia charitate fecit & seruat, & mouet, quodue regnum eius in subditorũ charitate seruatur, verum etiã ex eo quod symbolum, id est, indicium & imaginem charitatis in summis vbique constituit. Inter Angelos ordo Seraphinorum primus est. Prima, sancti Spiritus & diuinæ charitatis imago. Inter cœlorum sphæras prima est empyreum symbolum charitatis. Dominus inter planetas, Sol calore suo proprietas charitatis. Ignis inter elementa summus charitatis indicium. In calore tandem, charitati persimili, generatio rerum vitaque consistit. quid denique prosunt alimenta corpori, nisi calor concoquat, digeratque & non viuentia in formam vitæ traducat? Similiter mortuæ nobis sunt res actionesque omnes, nec animam nutriunt nisi charitatis calore tangantur, referanturque ad ipsam animæ vitam, ad ipsum videlicet Deum. Omnia sub terris semina rerum quasi mortua iacent, nisi verno Solis feruore viuificentur, & germinent. Nata rursum mortuos habent colores atque figuras, nisi luce Solis illuminentur. Similiter vita carente, quæcunque virtutes ab hominibus nuncupantur, nisi formentur. In qua & calor est & lumen. Calor quidem quatenus Deum appetit. Lumen autem quatenus delectatur Deo & vtrumque summatim vno amoris diuini & charitatis nomine comprehenditur: quo tanquam solaris virtus nostra omnia fecit viua, sic & salis more conseruat. Sed curnam charitas sola facit, vt virtutes cæteræ sint virtutes? Quando & fœlicitatem, id est, ad finem vltimum dirigit. Quod & primum omnium est principium, facit vt & cætera sint nobis bona, quatenus ad primum refert bonum. Cuius tamen participatione sunt bona. Ideo seorsum ab illo quæsita sunt mala. Sola tandem charitate Deum consequi possumus. Cum enim ille sit immensus, non possumus illum apprehendere, nisi nobis ille se dederit. Non dat ille se ipsum, nisi animo charitatẽ danti. Ideo per viam intelligendi nimium tẽpore longo proficimus. Per viam amandi breuissimo plurimum. Paucissimi quoque ingenio ad Deum adniti possunt, charitate omnes accedere, ideo nequis conqueri possit, statuit Deus charitatem quasi felicitatis viam omnibus æquè communem, quæ reducit in patriam. Ibique pro diuersis amandi gradibus gradus digerit gaudiorum, efficitque ipso amoris condimento, vt æterna saturitas fastidio careat. Animus enim per amorem non solum plenitudine delectatur, sed & interim appetit eam. Ideoque perpetuo delectatur. Appetit, inquam, non consequi, sed tenere. Eodem igitur amore desiderat retinere bonum, quo & affectauerat consequi. Sicut & leuia eadem leuitate in sublimi manere contendunt, qua contenderant proficisci. Animus denique non scientia, sed charitate fit Deus. Sicut lignum non quia lumen externum ab igne capiat, sed quia calorem, ignis euadit. Sic & ani-

mus non per externam notitiæ lucem, sed per amorem in Deum, fit Deus & intrinsecus inde lucet vt Deus.

De stella Magorum, cuius ducta peruenerunt ad Christum regem Israelis iam natum.

Adspira precor Alme Deus, monstra nobis tuam hodie stellam, quam olim ostendisti Magis, vt quæ quondam Magos duxit ad Christum, eadem ad Christi mysteria nos perducat.

ORietur stella ex Iacob, & consurget virgo ex Israël. Per hæc verba Balaam in libro Numerorum prædicit Messiam nasciturum. Quando stella quædam miris modis oriatur circa Iudæam. Habitabat autem Balaam in orientali plaga versus Hierusalem, in qua erant Magi, inter quos peritissimi Astronomiæ sacerdotes erant, qui & regebant populum. Hi ergo cœlestium signorum curiosissimi notauerant, quæ prædixerat Balaam prodigio stellæ significandum. Demum nascente Christo, miranda quædam in altis Cometa refulsit. Quod autem fuerit à doctis iudicatus Cometa, testatur Origenes contra Celsum dicens, se legisse in libro Cheremonis Stoici de Cometis, quandoque ex ipsis prospera & salutaria significari, qualis fuerit qui hoc ipso Octauiani tempore fulserit. De qua historiam exponi ab ipso Cheremone asserit, subditque Chaldæos, cum & hunc considerauissent & suos dæmones nuper debilitatos animaduerterent, adiisse Iudæam, prestantiorem quendam dæmonibus suis adoraturos. Testatur idem Platonicus noster Calcidius, qui varias adducit historias de stellis. Quę cum raro videantur, ingentes portendunt calamitates. Deinde subdit. Extat quoque alia sanctior & venerabilior Historia, quæ perhibet ortu stellæ cuiusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilem ad humanæ seruationis rerumque mortalium gratiam, quam à Chaldæis obseruatam fuisse testatur. Qui Deum nuper natum muneribus venerati sunt. Hæc Calcidius. Testis est etiam Suetonius his verbis: Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti, rerum summa potirentur, atque ob hoc Iudæos rebellasse à Romanis atque periisse. Ex his colligitur orientales Astronomos quodammodo per Astrologiæ regulas & per prodigia quodammodo suis regulis consentanea iudicauisse natum eo tempore Regem, qui authoritate mirabili mundum reformet in melius. Vbi enim iudicant Cometam esse prosperum & salutarem, agnoscunt eum esse ex natura Solis, Iouisque & Veneris. Tradunt enim vbi color apparet plumbeus, esse Cometam Saturnium, & significare pestem atque penuriam. Vbi vero color est igneus, esse Martium & prælia incendiaque portendere, plurimum vero tales existere. Vim enim Martis igneam & motiuam attrahere, sursum vapores à terra quamplurimos ad sublimem aëris regionem igni contiguam, ibique protinus inflammari. Iudicant quoque varios ex Cometis euentus, ex signis atque planetis, quibus cum crinitæ exoriuntur & occidunt à meridie, vergunt ad septentrionem atque vicissim. Forte igitur cum viderent orientales Astronomi mense Decembri exoriri Cometam in principio Sagitarij, iudicauerunt esse salutare portentum, quia radios ostendebat tum aureos ex natura Solis, tum argenteos ex natura Iouis, tum mistos ex natura Veneris. Fortè etiam erat tunc in principio Sagittarij Iupiter. Sol enim si rite metimur, tunc medium obtinebat Sagittarii signum. Facilè vero Venus semper vicina Soli occupabat Sagittarii finem, probabile est, talem quoque fuisse postea cœli figuram Christo nascente, Mense Decembri, si natus sit post noctis dimidium. Nam & in Euangelio legitur natum, dum Pastores alternas custodirent noctis vigilias, & ab Angelo dicitur, hodie natus. Ingens vero ex hac cœli positione, tum admiratio, tum controuersia Astrologis incidit, hinc enim ex Ioue, Sole, Venere iudicabant, Regem vero iustissimum, clarissimum, clementissimum. Inde vero ex Sole admodum diuitem esse non posse. Quomodo igitur magnus Rex erit & pauper? Præterea ex Ioue in angulo ascendente existimabant genituram eius valde fœcundam, sed ex Luna prima faciem virginis obtinente genituram fore sterilem, & Virginem quandam potius quam grauidam exaltari. Ex his Astrologorum iudiciis, atque etiam ex prædictionibus Balaam cæterorumque Prophetarum percrebuerat opinio frequens Oriente toto, Regem iustitiæ, propter Iouem, veritatis propter Solem, gratiæ propter Venerem tunc exortum, vel designatum. sed ab orientalibus nati locus ignorabatur. Cometa quidem ad duos forte menses duxit, secundum duas ascendentis horas, & si vergeret ad Meridiem versus Iudæam, locum tamen certum non designabat: Hactenus insuper ob eiusmodi controuer-

ſiam neſciebatur vtrum natus vel naſciturus ille, cœlitus potius, an diuinitus mitteretur. Quod Cometa rurſum poſt duos annos, referens videlicet menſes duos, non in ſummo, ſed in infimo iam aëre ſe monſtrauit, tunc agnoſcentes priorem Magi Cometam, motum eius proſequuti ſunt, eoque duce Hieruſalem quadraginta & vno peruenere diebus, non humanum iam amplius Regem quærentes, ſed diuinum. Videbant enim Cometæ modum motumque naturalem eſſe non poſſe. quod autem Magi venerint, ortumque tanti Regis & tempus Herodi narrauerint, non Euangelium tantum, ſed etiam Macrobius teſtis eſſe poteſt, qui ait: cum audiſſet Auguſtus inter pueros, quos in Syria Herodes Iudæorum rex iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: Præſtat Herodis porcum eſſe quam filium. Nos igitur Cometam non naturalem, ſed diuinum ab Angelo Gabriele motum exiſtimamus & inſuper illuſtratum. qui enim præcurſorem Chriſti Ioannem nuntiauerat Zachariæ, qui Chriſtum nuntiauit Mariæ, idem ortum Chriſti locumque portendit & Gentibus, & per Gentes conuicit quoque Iudæos. Et ſub forma ſtellæ ſtellarum docuit ſtudioſos, per ſtellæ lumen à Sole ſuſceptum duxit ad Solem. Geſtabant Aſtronomi ad Regem natum aurum, quoniam ſolarem exiſtimabant, per Thus odoriferum gratiam Veneris deſignabant, per Mirrham putrefactionis neſciam vitam Iouiam portendebant.

Sed interim in aliud hæc ſunt conuerſa myſterium. Nam auro pauperem adiuuerunt, Mirrha tenerum corpus confirmauere. Thure ſtabulum condierunt. Aurum obtulere Regi, Sacerdoti Thus, Mirrham denique Deo. Probabile vero eſt Cometam illum fuiſſe angelum, vt ſicut Tobiæ iter angelus ſub humana figura direxit, ſic iter Aſtrologorum angelus ſub forma ſtellæ ad Chriſtum quandoque direxerit. Nam, vt teſtatur Moſes Ægyptius doctorum doctiſſimus Hebræorum, ſumma ſtellarum notitia eo perduxit Abraham, vt ſolus & primus ſæculo ſuo vnam eſſe primamque cœlorum cauſam comprehenderet, eamque ſuppliciter adoraret, vnde effectum ſit, vti deinde nactus à Deo fuerit gratiæ lumen & prophetiam. Sed redeamus ad Cometam. In hoc ipſo apud Lucam Euangeliſtam, quo Chriſtus noſter naſcitur, Angelus Domini paſtores lumine circumfulſit, nuntiauitque eis gaudium magnum, dicens: Hodie natus ſeruator mundi. Et merito dixit hodie, quaſi hoc die, quamuis forte nox eſſet media. quoniam diem tunc præferebat ipſum Cometæ lumen, hinc illud Dauidis: & nox ſicut dies illuminabitur. Poſt hac Angelus hanc Orientem verſus ſubito traduxit ad Perſas, Magos inde ducturus ad Chriſtum. Hinc illud Eſaiæ: Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper eo orta eſt, &c. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo. Nam quando ortus eſt Dominus, hoc lumen apparuit circa Hieruſalem. Deinde in hoc lumine Magi Gentiles ambulauerunt quia ſicut ab Iudæa primum proceſſit in Orientem, ita viciſſim ab Oriente rediit in Iudæam, illuc Magos adducens. Quod autem hic Cometa fuerit idem Angelus, qui Paſtoribus dixerat gaudium magnum, ex eo coniicimus, quia Magi cum viderunt iterum eiuſmodi ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno, & dixit valde, quia cum primum ab initio viderant, grauiſi fuerant gaudio magno, ſicut & paſtores. Nunc vero & valde, quia gratiſſimum tibi bonum ſolet accidere, quod guſtaueris aliàs, & intermiſſum quandoque recipias. Idem vero Angelus, qui ſub radiis viſibilibus duxerat Magos ad Chriſtum mox ſub occultis radiis mentes dormientium Magorũ admonet, ne Hieroſolymam aduertantur, & Ioſephum monet, vt cum puero fugiat in Ægyptum. Angelus moriente Chriſto in ipſa Lunæ forma plenam lumine Lunam ſuper naturæ vires momento ſubiecit Soli, diemque meridie conuertit in noctem, qui & naſcente Ieſu ſub forma Cometæ mediam noctem conuertit in diem. Hinc illud Dauidis, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius, quoniam vtrũque eiuſdem Angeli miniſterio eſt impletum. Et vtrumque in ſpatio ſimiliter medio, ſiue noctis, ſiue diei. Quo autem modo Angelus Cometam accumulauit? Stans protinus in aere medio, mille aëris ſtadia circunfuſa ſibi in ſpatium aliquanto Anguſtius congregauit, idque totum velut anima corpus ſibi mira poteſtate deuinxit, & à reliquo elemento ſecreuit. Proinde ac virtute coaguli, lac plurimum cogitur in anguſtius, & ab aqua ſecernitur. Et cur Angelus aërem condenſauit? Vt lumen quod huic aëri exhibiturus erat, hominum oculis appareret. Quæ enim rariſſima ſunt, ſubterfugiunt acies oculorum. At vnde lumen corpori huic adhibuit Angelus? Ab ipſo videlicet ſuæ intelligentiæ lumine. Quod enim in ea eſt intellectuale & inuiſibile lumen, ſi quomodo traducatur in aërem fit viſibile, in aerem quidem ſubtiliorem conſpicuum ſit beatis. In aërem

denique densiorem ab aliis quoque videtur. Diximus in superioribus Magos Hierosolymam die post natiuitatem vigesimo primo venisse. Quando eo purificationis tempore iam absoluto obtulit Maria Filium templo. quo igitur die Simeon & Anna Christum iam agnoscunt, eodem & Magi adhuc ignotum in Hierosolyma prędicant. Postridiè vero Bethlehem accedunt. Proinde cum Ioseph in accessu Magorum iubeatur cum puero fugam arripere, ideoque non sit probabile eum post diuina mandata in templum puerum aduexisse, verisimile videtur Magos post purificationem puerum salutasse. Præterea quod de Sagittario ex aliquorum computatione diximus, probabilius diceretur mea sententia de Virgine atque de media nocte. Necesse quidem fuit oriente Christo signum ex duodecim aliquod pariter exoriri. Ego autem nescio quod signum accōmodem ex virgine nato, potius virginem. Et huius quidem signi faciem præcipuè primam. Tres enim signum quodlibet facies habet. In primaque vero virginis facie, vt testatur Albumasar, Indi pariter & Ægyptij imaginem quandam contemplati sunt, quæ referat puellam virginem & pulcherrimam sedentem puerumque lactantem. Maximè vero faciei huius exortus exorienti puero, ex virgine congruit, & rectè computanti in mense Decembri nocte media facies eiusmodi nascitur. Fuit autem facies hęc in qua & Cometa creditur effulsisse, non causa Christi, sed signum. Si enim vim aliquam ad efficiendum partum virginis habuisset, nimirum in tot seculis sæpius effecisset. Omnino vero cœlestia corpora legem creare non possunt, quæ posthabito cœlo adoret & speret aliquid super cœlum. Summatim vero cœleste fatum non potest faue relegi, quæ neget fatum. Lumen quod ab ipso bono per omnes Spiritus dilatatur est beneficum. Ideoque motum & quietem circa bonum præstat, id est, efficit vt ames bonum & delecteris in bono.

Qualecunque sit bonum quatenus boni ipsius habet imaginem. qui inter homines non habet charitatem, qualis est præcipuè qui laborat inuidia, iam incipit in tenebras exteriores ruere paulatim, id est, extra luminis benefici munera. Odit namque bonum, doletque bono.

De Cantico Simeonis ac vera fidelium pace.

Adspira nobis precor Alme Deus, via, veritas, vita, Trinitas, vnus Deus. In medio Ecclesiæ laudabo te. In conspectu angelorum psallam tibi.

Consolare nos Domine semper in infirmitate nostra. Quemadmodum consolatus es aliquando Simeonem in senectute sua. Simeon sacerdos sapiens cum ex scripturarum obseruatione cognouisset eo sæculo Christum esse venturum, obsecrauit Deum, vt tamdiu viueret, vt videre posset Christum natum. Accepit igitur à Spiritu sancto, eum se in sua vita visurum. Cum vero & differretur aduentus & ille viribus in senectute deficeret aiebat in orationibus suis. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: quando consolaberis me? Memor esto verbi tui Domine seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Respōdet interim illi Dominus, Multitudine dierum replebo te, & ostendam tibi salutare meum. Hac ergo fiducia Simeon pius Spiritus sancti charitate plenus expectat diu aduentum Christi eumque tota mente considerat, non solum ad consolationē suam, sed ad consolationem populo Israeli communem. Et quoniam cum charitate sperat, ideo consequitur hodie quod expectat, & eodem quo sperabat amore, Iesum ipsis amoris vlnis amplectitur. O fortunatum senem, qui tam facilè amplecteris eum, qui mundum pugno complectitur. O Senem reuera beatum, qui regis & sustines eum, qui & te regit & sustinet omnia. Simeon ergo ex diuturno desiderio mirabiliter translatus in gaudium exclamat, ô Domine; vbi Iesum fatetur esse Deum. Nunc primum tu dimittis me, & vnum quęque seruum tuum in pace. Non dimittis quia vsquam à nobis fugias, qui semper es vbique, sed dimittis ex hac vita descendere. Nolebas enim sicut promisisti me prius hinc abire quam ęternum Filium tuum hactenus mente mihi visum, quandoque oculis viderem in tempore genitum. Recedo equidem nunc in pace facta, scilicet per Filium tuum inter homines atque Deum, sublatis culpis hominum. quibus pax inter homines ac te esse non poterat. Paratam intelligo pacem cum primum vidi salutare tuum, hic natum in cōmunem toti mundo salutē. Id salutare verbum tuū prius quidem erat in mundo, sed nobis occultum. Nunc vero assumpto corpore patebit coram facie omnium communiter populorum. Proinde vero erit lumen Gentibus, & gloria plebis tuæ Israel.

Iudæi

tuæ Israël. Iudæi quidem etiam ante hac lumen aliquod possidebant in Prophetis & Lege atque Figuris. Gentiles verò eiusmodi carebant lumine. Sed lumen accipiunt ab Apostolis. Quod quidem lumen est ad gloriam Israëlis, non dico totius populi, sed maximè tui, id est, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & præcipuè Christi patrisque Dei. Hanc lucem, hanc gloriam, hanc pacem, nascente Christo, multitudo pronuntiat Angelorum. Nam & splendor in altis apparet, & Angeli clamant, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tota gloria, totus effectus nostræ salutis est à Deo per Christum eo tempore natum. Vnde & pax facta est hominibus, inter illos & Deum Christum conciliante, hominibus, inquam, bonæ voluntatis, idest, qui voluntatem suam ita cum diuina copulant voluntate, quemadmodum Angeli voluntatem suam cum diuina coniungunt, atque ita facta erit voluntas tua sicut in cœlo, sic in terra. Ideo sic exclamat, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, non eam quam mundus dat, sed quam dat pater meus qui est in cœlis. Dicite rogo fratres mei, quam pacem, quam concordiā inuenire possitis in mundo, qui totus est ex discordibus constitutus. In corpore nostro aduersus humores continuè humores pugnāt. Rationi repugnat sēsus, & in ratione opinionib. opiniones contradicunt. Nunquid inueniemus extra nos pacem in rebus infra Lunam insuper inter se continuè discordantibus. Repugnant frigida calidis, sicca humidis, grauia leuibus, rara densis, mollia duris, albis nigra, amara denique dulcibus. Quæramus saltem in cœlo pacem atque concordiam, quam infra cœlum reperire non possumus. Verùm nec in cœlesti quidem corpore, proh dolor, concordiam & pacem possumus inuenire. Nam & illuc Astronomi repugnantiam multiplicem inuenerunt. Contraria enim illic esse tradunt signa signis, & Planetas repugnare Planetis, & oppositos inter se cœlorum peragi motus. Meritò igitur pacis author ait, pacem nobis dari, non à cœlis quidem, sed à patre omnium qui imperat cœlis, à patre, inquam, per filium, exhortante spiritu, qui appellatur spiritus pacis & charitatis, etiam Apostolus ait: Spes non confundit, quia charitas Dei accensa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quamobrem, dilectissimi fratres, Spiritus sancti charitate feruentes, ingrediamúr hodie templum, vnigenitum ibi Dei filium statim inueniemus, videbimus eum cum admiratione & gaudebunt oculi nostri. Tangemus eum cum timore vna cum Simeone, & gaudebit inde cor nostrum. Amplectemur eum cum reuerentia, sicut & sanctus ille senex, & gaudium nostrum erit plenum, cantabimus: Viderunt oculi nostri salutare tuum, & inueniemus plenam in eo pacem, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis. Deus enim qui possidet & conseruat omnibus omnia, erit nobiscum in sæcula sæculorum.

De creatione rerum.

Figulus principio præparat sibi lutum, quasi materiam, in qua formas vasculorum fingat, quas habet in mente. In vna, inquam, mente multas habet, & similiter in luto vno multas effingit, dum informe lutum prius à se formabile factum extendit, atque extendendo figurat. Similiter Deus ab initio vnam creauit materiam prorsus informem, de qua Moses ait: tenebræ erant super faciem Abyssi. Materia hæc in primo suæ creationis momento, nec formam habebat, vt dixi, nec etiam magnitudinem. Ordine namque naturæ materia prius est id quod est in seipsa quàm sit formosa vel magna. Neque formosa fieri potuit, nisi prius habuerit aliquam magnitudinem. In primo igitur creationis momento materiam fecit, vt simpliciter esset, necdum corpus erat. In secundo protendit eam in dimensionem trinam, idest, longitudinem, latitudinem, profunditatem. Materia igitur sic extensa statim est facta corpus, necdum ipsa quicquam facere poterat. In tertio corpus hoc, id est, materiam, sic extensam Deus multis formauit formis, scilicet elementorum atque cœlorum, & in cœlo confirmauit eam stellarum formis. Sub cœlo pręter elementorum formas, formauit eam formis vaporum, Lapidum, Metallorum, & Plantarum & animalium. Materia quidem vnica est vbique his omnibus induta formis. Omnes autem motiones actionesque rerum per ipsas rerum formas efficiuntur. Grauia enim per grauitatem descendunt, non per materiam. Nam & in leuibus eadem est materia. Leuia similiter ascendunt per leuitatem. Calida non per molem calefaciunt, sed per calorem. Frigidaque per frigida. Grauitas autem leuitasque & calor & frigus formæ sunt.



MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE VITA.


Ad magnanimum Laurentium Medicem, Patriæ seruatorem,

EPISTOLA DEDICATORIA.



Acchum Poëtæ, summum Antistitem, sacerdotem, bis natum canunt. Fortè significantes, vel futurum sacerdotem statim initiatum, oportere renasci, vel perfecti tandem sacerdotis mentem Deo penitus ebriam, iam videri renatam. Aut forsan humiliore sensu, vinum Bacchi germen generari semel in vite quasi Semele, maturis sub Phœbo racemis, regenerari rursum post ipsum vindemiæ fulmen in suo vase vinum, velut in Iouis femore merum. Sed de sacris in præsentia mysteriis non est loquendum; vbi mox Physica potius ope languentibus opitulaturi sumus. Nec agendum stylo grauitatis seruo, sed libero potius & iocoso, postquam à Libero patre nescio quomodo statim exorsi sumus. Et rectè inquam, nescio quomodo, nam forte pudentior aliquis à Phœbo Medicorum primo, potius quam à Baccho Medicinam auspicatus esset. Quid verò? Si quod non vanum omen sit, in ore nunc sorte quadam proferente Bacchum. Hic enim almo quodam vino securitateque lætissima, salubrius fortè medetur, quàm herbis ille suis carminibusque Phœbus. Quocunque verò sensu vel illa, vel hæc acceperis, dux ille sacerdotum Bacchus, geminas quasi matres habuisse fertur. Melchisedech autem summus ille sacerdos, vnam vix matrem, vnum vix patrem habuit. Ego sacerdos minimus, patres habui duos; Ficinum Medicum, Cosmum Medicem. Ex illo natus sum, ex isto renatus. Ille quidem me Galeno, tum Medico, tum Platonico commendauit, hic autem diuino consecrauit me Platoni. Et hic similiter atque ille Marsilium Medico destinauit. Galenus quidem corporum, Plato verò Medicus animorum. Iamdiu igitur sub Platone salutarem animorum exercui medicinam, quando post librorum omnium eius interpretationem, mox decem atque octo de animorum immortalitate libros, & æterna felicitate composui, ita pro viribus patri meo Medici satisfaciens. Medico verò patri satis deinceps faciendum putans, librum de Literatorum valetudine curanda composui. Desiderabant præterea posthac homines literati, non tantùm bene quandoque valere, sed etiam bene valentes, diu viuere. His ergo deinde librum de Vita longa dedi. Diffidebant autem Medicinis atque remediis in re tanta terrenis. Adiunxi librum de Vita, tum valida, tum longa cœlitus comparanda, vt ex ipso mundi corpore viuo, vita quadam vegetior in corpus nostrum quasi quoddam mundi membrum, velut ex vite propagaretur. His verò tu Medicinæ libris ignosce precor indulgentissime Laurenti, si dum Medicus esse volo, nescio quomodo etiam nolens sum, & si non bonus sæpè Poëta. Nam & Phœbus idem est Medicinæ repertor, poësisque magister, vitamque ille suam nobis tam per herbas, quàm per cytharam cantumque largitur. Ipsa quinetiam Venus apud Astrologos Musicum æquè parit & Medicum. Sed hactenus dum literatorum ciuiumque similium vitæ curiosius consulo librorum meorum salutem negligo, quamdiu inter se patior esse seiunctos. Quamobrem in eos nunc primum pius, in corpus vnum copulo. Cuius artubus in vnam formam iam compactis, vita protinus adsit. Non potest autem hoc opus Physicum, id quasi corpus meum, vitam accipere nisi meam. Eiusmodi verò vita, ex mea dumtaxat pendet anima. Hæc autem iamdiu penes te (magnanime Laurenti) mi patrone, viuit, in ea præsertim amplissimarum ædium tuarum parte, vbi vnà cum Platone, nostrum illud de Animorum Immortalitate seruatur opus, tuo iampridem nomine dedicatum. At animus iste meus, & si in beata quadam quasi patria penes te

vitam agit, verumtamen quod & Theologi volunt, inquietus est interea, donec opus id Physicum tanquam suum corpus accipiat. Accipe igitur, optime Laurenti, post illos de Anima, hos etiam de Corpore libros, eodemque afflatu, quo & illis dudum, feliciter his aspira. Ita enim & corpus hoc sub tuo spiritu, per suam viuet animam, & anima vicissim nostra cum iam suo corpore in tuis laribus conquiescet.



MARSILII FICINI FLORENTINI, MEDICI ATQ; PHILOSOPHI CELEBERRIMI,

De Studiosorum sanitate tuenda, siue eorum qui literis operam nauant, bona valetudine conseruanda.

LIBER PRIMVS.

De nouem Studiosorum ducibus.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



Vicunque iter illud asperum, arduumque & longum ingrediuntur, quod quidem vix tandem ad excelsum nouem Musarum templum assiduo labore perducit, nouem omnino itineris huius ducibus indigere videntur. Quorum primi quidem tres in cœlo, tres sequentes in animo, postremi tres in terra, nos ducunt. Principio, in cœlo Mercurius vt inuestigando Musarum iter aggrediamur, vel impellit, vel adhortatur, siquidem Mercurio tributum est inuestigationis omnis officium. Deinde Phœbus ipse, & quærentes animos, & res quæsitas splendore vberrimo sic illustrat, vt perspicue quod quærebatur, à nobis inueniatur. Accedit gratiosissima Venus, Gratiarum mater atque almis omnino lætisque radiis suis, rem omnem adeò condit & ornat, vt quicquid & instigante Mercurio quæsitum fuit, & monstrante Phœbo iam erat inuentum, mirifica quadam & salutari venustate Veneris circunfusum, delectet semper & prosit. Sequuntur tres itineris huius duces in animo, videlicet voluntas ardens & stabilis, acumen ingenii, memoria tenax. Tres in terra postremi sunt, prudentissimus paterfamilias, probatissimus præceptor, Medicus peritissimus. Absque his nouem ducibus nemo ad ipsum nouem Musarum templum peruenire vel potuit, vel poterit vnquam. Cæteros quidem duces ab initio nobis præcipuè Deus omnipotens naturaque tribuerunt, tres verò postremos nostra adhibet diligentia. Sed præcepta officiaque quæ ad patremfamilias, & quæ ad præceptorem circa literarum studia pertinent, antiqui plures sapientesque tractauerunt, præcipuè Plato noster, & sæpè aliàs, & in libris de Republica ac de Legibus diligentissimè. Deinde Aristoteles in Politicis, Plutarchus quoque & Quintilianus egregiè. Solis autem literarum studiosis hactenus deest Medicus aliquis, qui manum euntibus porrigat, salutaribusque consiliis atque medicinis adiuuet eos, quos neque cœlum, neque animus, neque paterfamilias præceptorve destituit. Ego igitur sortem eorum laboriosissimam misertus, qui difficile Mineruæ minuentis neruos, iter agunt, primus tãquam Medicus debilibus

& valetudinariis adsum, sed vtinam facultate tam integra, quàm propitia voluntate. Surgite iam adolescentes, Deo duce alacres. Surgite iuuenes, atque viri, quos ardentius Mineruæ studium nimium eneruat. Accedite libenter ad Medicum, qui vobis ad instituti vestri perfectionem, monstrante Deo atque fauente, consilia remediaque salutaria largitur.

Quàm diligens habenda cura sit cerebri, cordis, stomachi, & spiritus.

CAPVT II.

PRincipio, quantam cursores crurium, athletæ brachiorum, Musici vocis curam habere solent, tantam saltem literarum studiosos cerebri, & cordis, iecinorisque & stomachi oportet habere rationem, imò verò tanto maiorem, quanto & membra hæc præstantiora quàm illa sunt, & ij frequentius, atque ad potiora his membris, quàm illi illis vtuntur. Præterea, solers quilibet artifex instrumenta sua diligentissimè curat, pernicillos pictor, malleos incudesque faber ærarius, miles, equos & arma; venator, canes & aues; citharam citharœdus, & sua quisque similiter. Soli verò Musarum sacerdotes, soli summi boni veritatisque venatores, tam negligentes (proh nefas) tamque infortunati sunt vt instrumentum illud, quo mundum vniuersum metiri quodammodo & capere possunt, negligere penitus videntur. Instrumentum eiusmodi spiritus ipse est, qui apud Medicos vapor quidam sanguinis, purus, subtilis, calidus & lucidus definitur. Atque ab ipso cordis calore, ex subtiliori sanguine procreatus volat ad cerebrum, ibique animus ipso ad sensus tam interiores quàm exteriores exercendos assiduè vtitur. Quamobrem sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus denique rationi. Sanguis autem à virtute naturali, quæ in iecinore stomachoque viget, efficitur. Tenuissima sanguinis pars fluit in cordis fontem, vbi vitalis viget virtus. Inde creati spiritus cerebri, & (vt ita dixerim) Palladis arces ascendunt. In quibus animalis, id est, sentiendi mouendique vis dominatur. Itaque talis plurimum fermè contemplatio est, quale sensus ipsius obsecurum. Talis autem sensus, qualis & spiritus, spiritus verò talis, qualis & sanguis, & tres illæ vires quas diximus, naturalis scilicet, vitalis, & animalis, tales, vt sunt, à quibus, per quas, in quibus spiritus ipsi concipiuntur, nascuntur, atque fouentur.

Literatos pituitæ & atræ bili obnoxios esse.

CAPVT III.

NOn solum verò membra illa, viresque & spiritus, homines literarum cupidi curare diligentissimè debent, verumetiam pituitam semper & atram bilem, non aliter quàm nauigantes Scyllam atque Charibdim, cautissimè euitare iubentur. Quantum enim reliquo corpore ociosi sunt, tantum cerebro ac mente negociosi. Inde pituitam, quod Græci phlegma, hinc atram bilem, quàm iidem melancholiam vocant, gignere compelluntur. Illa quidem ingenium sæpè obtundit & suffocat, hæc vero si nimium abundauerit flagraueritue, assidua cura crebrisque deliramentis vexat, animum iudiciumque perturbat, vt non immeritò dici possit, literatos fore præcipuè sanos, nisi pituita molesta esset, & lætissimos sapientissimosque omnium, nisi bilis atræ vitio vel mœrore sæpè, vel interdum desipere cogerentur.

Quot sint causæ, quibus literati melancholici sint, vel fiant.

CAPVT IIII.

VT autem literati sint melancholici, tres potissimum causarum species faciunt. Prima cœlestis, secunda naturalis, tertia est humana. Cœlestis, quoniam Mercurius, qui vt doctrinas inuestigemus inuitat, & Saturnus, qui efficit vt in doctrinis inuestigandis perseueremus, inuentasque seruemus, frigidi quodammodo siccique ab Astronomis esse dicuntur, vel si fortè Mercurius non sit frigidus, fit tamen sæpè Solis propinquitate siccissimus, qualis est natura apud Medicos melancholica, eandemque naturam Mercurius ipse & Saturnus literarum studiosis, eorumque sectatoribus impertiunt ab initio, ac seruant augentque quotidie. Naturalis autem causa esse videtur, quod ad scientias præsertim difficiles consequendas, necesse est animum ab externis ad interna tanquam à circumferentia quadam ad centrum sese recipere, atque dum speculatur in ipso (vt ita dixerim) hominis centro stabilissimè permanere. Ad centrum verò à circumferentia se colligere, figique in centro, maximè terræ ipsius est proprium, cui quidem atra bilis persimilis est. Igitur atra bilis animum, vt se & colligat in vnum & sistat in vno contempleturque,

assiduè prouocat. Atque ipsa mundi centro similis, ad centrum rerum singularum cogit inuestigandum, euehitque ad altissima quæque comprehendenda, quandoquidem cum Saturno maximè congruit altissimo Planetarum. Contemplatio quoque ipsa vicissim assidua quadam collectione & quasi compressione, naturā atræbili persimilem contrahit. Humana verò eā ex nobis causa est. Quoniam frequens sagittatio mentis cerebrum vehementer exsiccat, igitur humore magna ex parte consumpto (quod caloris naturalis pabulum est) calor quoque plurimum solet extingui, vnde natura cerebri sicca frigidaq; euadit, quæquidem terrestris & melancholica qualitas nominatur. Præterea, ob frequentissimum inquisitionis motum, spiritus quoque moti continuè resoluuntur. Resolutos autem spiritus, ex subtiliore sanguine instaurari necessarium est Quapropter subtilibus clarioribusq; sanguinis partibus sæpè consumptis, reliquus sanguis necessariò densus redditur & siccus & ater. Accedit ad hæc, quod naturā in contemplatione cerebro prorsus cordique intenta, stomachum heparque destituit. Quare alimentis præsertim, vel vberioribus, vel durioribus malè concoctis, sanguis inde frigidus, crassusq; & niger efficitur. Demum nimio membrorum ocio, neque superflua excernuntur, neque glutinosi, tenaces, fuscique vapores exhalant. Hæc omnia melancholicum spiritum, mœstumque & pauidum animum efficere solent. Siquidem interiores tenebræ multo magis quàm exteriores, mœrore occupant animum atque terrēt. Maximè verò literatorum omnium hi atra bile premuntur, qui sedulò Philosophiæ studio dediti, mentem à corpore, rebusque corporeis seuocant, incorporeisque coniungunt, tum quia difficilius admodum opus maiori quoque indiget mentis intētione, tum quia quatenus mentem incorporeæ veritati coniungunt, eatenus à corpore disiungere compelluntur. Hinc corpus eorum nonnunquam, quasi semianimum redditur atque melancholicum Quod quidem Plato noster in Timęo significat, dicens: animum diuina sæpissimè & intentissimè contemplantem, alimentis eiusmodi adeò adolescere, potentemque euadere, vt corpus suum suprà quàm natura corporis patiatur exuperet, ipsumque vehementioribus agitationibus suis aliquando vel effugiat quodammodo, vel nonnunquam quasi dissoluere videatur.

Cur melancholici ingeniosi sint, & qui horum sint eiusmodi, an secus.

CAPVT V.

HActenus quam ob causam Musarum sacerdotes melancholici, vel sint ab initio, vel studio fiant, rationibus primò cœlestibus, secundò naturalibus, tertiò humanis ostendisse sit satis. quod quidem confirmat in libro Problematum Aristoteles. Omnes enim, inquit, viros in quauis facultate præstantes, melancholicos extitisse. Qua in re Platonicum illud quod in libro de Scientia scribitur, confirmauit, ingeniosos videlicet, plurimum concitatos furiososque esse solere. Democritus quoque nullos, inquit, viros ingenio magnos, præter illos qui furore quodā perciti sunt, esse vnquam posse. Quod quidem Plato noster in Phædro probare videtur, dicens Poëticas fores frustrà absque furore pulsari. Etsi diuinum furorem hic fortè intelligi vult, tamen neque furor eiusmodi apud Physicos, aliis vnquam vllis, præterquam melancholicis incitatur. Deinceps verò assignandæ à nobis rationes sunt, quare Democritus, & Plato, & Aristoteles asserant, melancholicos nonnullos interdum adeò ingenio cunctos excellere, vt non humani, sed diuini potius videantur Asseuerant id Democritus, Plato & Aristoteles absque dubio, rationem verò tantæ rei haud satis explicare videntur. Audendum tamen (monstrante Deo) causas indagare: Melancholia, id est, atra bilis est duplex: Altera quidem naturalis à Medicis appellatur, altera verò adustione contingit. Naturalis illa nihil est aliud, quàm densior quædam sicciorque pars sanguinis. Adusta verò in species quatuor distribuitur. Aut enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis, aut salsæ pituitæ combustione concipitur. Quæcunque adustione nascitur, iudicio & sapientiæ nocet, nempè dum humor ille accenditur atque ardet, concitatos furentesque facere solet, quam Græci Maniam nuncupant, nos verò furorem. At, quando iam extinguitur, subtilioribus clarioribusque partibus resolutis, solaque restante fuligine tetra, stolidos reddit & stupidos. Quem habitum melancholiam propriè & amentiam, vecordiamque appellant. Sola igitur atra bilis illa, quam diximus naturalem, ad iudicium nobis sapientiamque conducit. Neque tamen semper. Sanè si sola sit, atra nimium densaq; mole obfuscat spiritus, terret animum,

obtundit ingenium. Si verò pituitæ ſimplici miſceatur, cùm frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis, craſſa quadam frigiditate ſegnitiem adducit, atque torporem, atque vt denſiſſimæ cuiuſque materiæ natura eſt, quando eiuſmodi melancholia frigeſcit, ad ſummum frigiditatis intenditur. Quo in ſtatu nihil ſperatur, timentur omnia, tædet cœli conuexa tueri. Si bilis atra, vel ſimplex, vel mixta putreſcit, quartanam gignit febrem, lienis tumores, & multa generis eiuſdem. Vbi nimis exuberat, ſiue ſola ſit, ſiue coniuncta pituitæ, ſpiritus craſſiores facit atque frigidiores, continuò animum afficit tædio, aciem hebetat, nec ſalit arcadico circum præcordia ſanguis. Oportet autem atram bilem neque tam paucam eſſe, vt ſanguis, bilis, & ſpiritus, quaſi fræno careant, vnde inſtabile ingenium labilemque memoriam eſſe contingat. Neque tam multam, vt nimio pondere prægrauati dormitare atque egere calcaribus videamur. Proinde neceſſarium eſt, omnino eam eſſe quoad eius natura patitur, ſubtiliſſimam. Si enim tenuata pro natura ſua maximè fuerit, poterit forſitan abſque noxa etiam eſſe multa, atque etiam tanta vt æquare bilem ſaltem pondere videatur. Abundet igitur atra bilis, ſed tenuiſſima, non careat humore ſubtilioris pituitæ circunfuſo, ne areſcat prorſus duriſſimaque euadat. Non tamen miſceatur omnino pituitæ, præſertim vel frigidiori, vel multæ, ne frigeſcat. Sed bili ſanguinique adeò miſceatur, vt corpus vnum conficiatur ex tribus, dupla ſanguinis ad reliqua duo proportione compoſitum. Vbi octo ſanguinis partes, duæ bilis, duæ iterum atræ bilis portiones exiſtant. Accendatur aliquantulum à duobus illis atra bilis, accenſaque fulgeat, non vratur, ne, quemadmodum ſolet materia durior, dum feruet nimium, vehementius vrat & concitet, dum verò refrigeſcit, ſimiliter frigeſcat ad ſummum. Bilis enim atra ferri inſtar, quando multum ad frigus intenditur, friget ad ſummum, quando contra ad calidum valdè declinat, calet ad ſummum. Neque mirum videri debet atram bilem accendi poſſe facilè, atque accenſam vehementius vrere. Siquidem videmus calcem illi ſimilem, aqua perfuſam feruere ſtatim atque exurere. Tantam ad vtrumque extremum melancholia vim habet, vnitate quadam ſtabilis fixæque naturæ. Quæ quidem extremitas cæteris humoribus non contingit. Summè quidem calens ſummam præſtat audaciam, imò ferocitatem, extremè verò frigens, timorem ignauiamque extremam. Mediis verò inter frigus caloremque gradibus infecta varie, affectus producit varios, non aliter quam merum, præcipuè potens, bibentibus ad ebrietatem, vel eam paulò liberius, affectus inferre varios ſolet. Igitur opportunè temperata ſit atra bilis oportet. Quæ cùm ita moderata eſt, vt diximus, & bili ſanguinique permixta, quia & natura ſicca eſt, & conditione quantum ipſius natura patitur tenuiſſima, facilè ab illis accenditur, quia ſolida eſt atque tenaciſſima, accenſa ſemel diutiſſimè flagrat, quia tenaciſſimæ ſiccitatis vnitate potentiſſima eſt, vehementius incaleſcit. Quemadmodum lignum in paleis ſi vtraque accendantur, magis diutiuſque calent & lucent. Atqui à diuturno vehementique calore, fulgor ingens, motuſque vehemens & diuturnus proficiſcuntur. Huc tendit illud Heracliti, lux ſicca, anima ſapientiſſima.

Quo pacto atra bilis ingenioſos efficiat.

CAPVT VI.

QVæret fortè quiſpiam, quale ſit corpus illud humoris eiuſmodi ex tribus illis humoribus ea qua diximus proportione conflatum? Tale eſt ferme colore, quale aurum eſſe videmus, ſed aliquantum vergit ad purpuram. Et quando tam naturali calore quam vel corporis vel animi motu accenditur? fermè non aliter quàm ignitum rubenſque aurum, purpureo mixtum calet & lucet, atque velut iris trahit varios flagrante corde colores. Quæret aliquis iterum, quonam pacto humor eiuſmodi conducat ingenio. Nempè ſpiritus ex hoc humore creati, primo quidem ſubtiles ſunt, non aliter quàm aqua illa quam & Vitæ, ſeu Vitis aquam nominant & ardentem, quoties ex craſſiori mero, quadam ad ignem deſtillatione, vt fieri ſolet, exprimitur. Spiritus enim ſub anguſtioribus atræ bilis eiuſmodi compreſſi meatibus, vehementiore ob vnitatem calore, maximè tenuantur, perque arctiores meatus expreſſi, ſubtiliores erumpunt, deinde calidiores ſimiliter atque eadem ratione lucidiores, tertio, motu agiles actione vehementiſſimi, quarto, ſolido ſtabilique humore igitur emanantes, actioni diutiſsimè ſeruiunt. Tali autẽ animus noſter obſequio fretus indagat vehementer, perſeuerat inueſtigando diutius. Facilè quæcũq; inueſtigauerit, inuenit, clare perſpicit, ſyncere diiudicat, ac diu retinet iudicata. Adde quod quem-

admodum in superioribus significauimus, animus instrumento siue incitamento eiusmodi, quod centro mundi quodammodo congruit, atque (vt ita dixerim) in suum centrum animum colligit, semper rerum omnium & centra petit, & penetralia penetrat. Congruit insuper cum Mercurio atque Saturno, quorum alter omnium Planetarum altissimus, inuestigantem euehit ad altissima. Hinc Philosophi singulares euadunt, præsertim quum animus sic ab externis motibus atque corpore proprio seuocatus, & quàm proximus diuinis, diuinorum instrumentum efficiatur. Vnde diuinis influxibus oraculisque ex alto repletus, noua quædam inusitataque semper excogitat, & futura prædicit. Quod non solum Democritus atque Plato affirmant, sed etiam Aristoteles in Problematum libro, & Auicenna in libro Diuinorum, & in libro de anima confitentur. Quorsum hęc de atræ bilis humore tam multa? Vt meminerimus, quantum atra bilis, imò candida bilis eiusmodi quærenda & nutrienda est tanquam optima, tantum illam quæ contrà se habet, vt diximus, tanquam pessimam esse vitandam. Adeò enim dira res est, vt à malo dæmone eius impetus instigari Serapio dixerit, & Auicenna sapiens non negauerit.

Quinque præcipue studiosorum hostes, Pituita, Atra bilis, Coitus, Satietas, Matutinus somnus.

CAPVT VII.

VT autem redeamus illuc vnde iam longius digressi sumus, longissima via est quæ ad veritatem sapientiamque perducit, grauibus terræque marisque plena laboribus. Quicunque igitur hoc iter aggrediuntur, vt Poëta quispiam diceret, sæpè terra marique periclitantur. Siue enim mare nauigent, continuè inter fluctus, id est, humores duos, pituitam scilicet & noxiam illam melancholiam, quasi inter Scyllm Charibdimque iactantur. Siue terra (vt ita dixerim) iter agant, tria monstra protinus sese illis obiciunt. Primum terrena Venus, secundum Bacchus & Ceres, tertium nocturna Heccate frequenter opponit. Ergo & Apollo ab æthere, & Neptunus ab æquore, & à terra Hercules sæpè vocandi, vt monstra eiusmodi Palladi inimica, iaculis Apollo transfigat, Neptunus tridente domet, claua Hercules contundat & laceret. Primum quidem monstrum est Venereus coitus, præsertim si vel paulum vires excesserit, subitò namque exhaurit spiritus, præsertim subtiliores, cerebrumque debilitat, labefactat stomachum atque præcordia, quo malo nihil ingenio aduersius esse potest. Curnam Hippocrates coitum comitiali morbo similem iudicauit? nisi quia mentem, quæ sacra est, percellit; tantumque obest, vt Auicenna in libro de Animalibus dixerit: Si quid spermatis supra quàm natura tolleret, coitu profluat, obesse magis, quàm si quadragies tantundem sanguinis emanarit, vt non iniuria prisci, Musas atque Mineruam virgines esse voluerint, Huc Platonicum illud spectat, quum Venus Musis minitaretur, nisi sacra Venerea colerēt, se contra illas suum filiū armaturā. Responderunt Musæ, Marti, ô Venus, Marti talia minitare. Tuus enim inter nos Cupido non volat. Denique natura nullum sensum longius quàm tactum ab intelligentia segregauit. Secundum monstrum, est vini cibique satietas. Quippè si vinum vel nimium vel nimis calidum vehemensque fuerit, caput ipsum humoribus pessimisque fumis implebit. Mitto quod insanos facit ebrietas. Cibus verò nimius, primum quidem ad stomachum, in ipso coquendo omnem naturæ vim reuocat. Quo fit, vt capiti simul speculationique intendere nequeat. Deinde ineptè coctus, multis & crassis vaporibus humoribusque, aciem mentis obtundit. Quinetiam si satis coquatur, tamen vt Galenus ait, animus adipe & sanguine suffocatus, cœleste aliquid peruidere non potest. Tertium denique monstrum est, ad multam noctem, præsertim post cœnam frequentius vigilare, vnde etiam post ortum Solis dormire cogaris. Quoniam verò in hoc errant falluntur que studiosi permulti, idcirco quantum ingenio noceat, latius explicabo, atque rationes septem præcipuas afferam. Primam ab ipso cœlo. Secundā ab elementis. Tertiā ab humoribus. Quartam ob ordine rerum. Quintam à natura stomachi. Sextam à spiritibus Septimam à phantasia deductas. Principio, tres Planetæ, quemadmodum in superioribus dicebamus, contemplationi & eloquentiæ maximè fauent, Sol, Venus atque Mercurius. Hi verò paribus fermè passibus concurrentes, aduentante nocte nos fugiunt, die verò vel propinquante, vel iam surgente resurgunt, nosque reuisunt. Post verò Solis ortum in plagam cœli duodecimam, quæ carceri tenebrisque ab Astronomis assignatur, repente traduntur. Ergo non qui vel nocte quando nos fugiunt, vel die post Solis or-

tum, quando carceris tenebrarumque domum intrant, sed qui vel propemodum petentibus ortum, vel iam surgentibus ad contemplandum scribendumque, ipsi quoque consurgunt, ij soli acutissimè speculantur, & eloquentisimè inuenta sua scribunt atque componunt. Ratio secunda, scilicet ab elementis est talis. Oriente Sole mouetur aër, tenuaturque & claret, occidente verò contrà. Sanguis autem & spiritus, motum qualitatemque aëris circumfusi, naturaque similis sequi necessario compelluntur. Tertia ratio, quæ ab humoribus ducitur, est eiusmodi. In aurora mouetur sanguis, & regnat, motuque tenuatur & calescit & claret, spiritus verò sanguinem sequi imitarique solent. Verum accedente nocte vel melancholia illa crasior & frigidior, atque pituita dominantur, quę spiritus ad speculandum ineptissimos proculdubio reddunt. Quarta ratio, quæ trahitur ab ordine rerum, hæc erit: Dies vigiliæ, nox somno tributa est. Quoniam quum Sol vel ad hemisphærium nostrum accedit, vel super ipsum incedit, radiis suis meatus corporis aperit, atque à centro ad circumferentiam humores spiritusque dilatat, quod quidem ad vigiliam actionesque excitat atque conducit Contrà verò quando recedit, omnia coarctantur, quod naturali quodam ordine inuitat ad somnum, maximè post tertiam aut quartam noctis partem. Quisquis igitur manè quidem dormitat, quando Sol mundusque excitat, ad multam verò noctem vigilat, quando natura dormire iam & à laboribus quiescere iubet, hic absque dubio quum ordini vniuersi, tum sibiipsi repugnat, dum contrariis simul motibus perturbatur atque distrahitur. Sanè dum ab vniuerso mouetur ad extima, ipse sese mouet ad intima. Atque contrà, dum ab vniuerso ad intima trahitur, ipse se interim retrahit ad externa. Ergo peruerso ordine motibusque contrariis, tum corpus totum, tum spiritus ingeniumque prorsus labefactatur. Quinto loco à natura stomachi in hunc modum argumentamur. Stomachus diuturna diurni aëris actione, apertis poris admodum dilatatur, euolantibusque spiritibus tandem valdè debilitatur. Igitur subeunte nocte, nouam spirituum copiam exigit, qua foueatur. Quapropter quicunque eo tempore contemplationes longas & difficiles inchoat, ipsos ad caput spiritus retrahere nititur. Hi verò distracti neque stomacho satis, neque capiti faciunt Maximè verò nocet, si post cœnam lucubrantes, diu eiusmodi studiis attentius incumbamus. Pluribus enim tunc ad concoquendum cibum spiritibus, multoque calore stomachus indiget. Hæc verò duo, lucubratione studioque tali diuertuntur ad caput. Quo fit, vt neque cerebro, neque stomacho suppetant. Adde quod caput ob eiusmodi motum, crassioribus cibi repletur vaporibus, atque cibus in stomacho à calore & spiritu destitutus, crudescit & putret, vnde rursus caput opplet atque lædit Denique matutinis horis quando surgendum est, vt excrementis omnibus somno retentis singula membra purgentur, tunc id quod pessimum est, qui nocte lucubrando concoctionem penitus interruperat, idem dormiendo manè, excrementorum expulsionem diutius impedire compellitur. Quod quidem tam ingenio quàm corpori, Medici omnes obesse quamplurimum arbitrantur. Meritò ergo qui nocte contrà naturam pro die, atque conuerso, die rursus pro nocte vtuntur, tanquam noctuæ, ij etiam in hoc vel inuiti noctuas imitantur, vt quemadmodum illis sub Solis lumine caligant oculi, ita & iis mentis acies sub veritatis splendore caliget. Sexto loco à spiritibus idem ita pr. batur. Spiritus fatigatione diurna præsertim subtilissimi quique denique resoluuntur. Nocte igitur pauci crassique supersunt, literarum studiis ineptissimi, vt non aliter mancis horum fretum alis ingenium volare possit, quàm vespertiliones atque bubones. Contrà verò post somnum manè spiritibus recreatis, membrisque adeò corroboratis, vt minimo spirituum adminiculo egeant, multi subtilesque spiritus adsunt qui cerebro seruiant, atque expeditius obsequi possunt, in membris fouendis regendisque parum admodum occupati. Postremo septima ratio, sic à phantasiæ natura deducitur. Phantasia, siue imaginatio, siue cogitatio, seu quouis alio nomine nuncupanda videtur, multis, longis, contrariis in vigilando imaginibus, cogitationibus, curisque distrahitur atque turbatur. quæ quidē distractio perturbatioq; sequenti contemplationi, tranquillam serenamque mentem penitus postulanti, nimium contraria est. Sola verò nocturna quiete, agitatio illa sedatur tandem atque pacatur. Igitur accedente quidem nocte semper turbata mente, recedente verò, vt plurimum mente trāquilla ad studia nos conferimus. Quicunq; verò mente nimium agitata res ipsas iudicare conantur, ij non aliter quàm illi qui vertiginem patiuntur, omnia verti putant (vt Plato inquit) quum ipsi vertantur. Quamobrem scite Aristot. in Oeconomicis iubet ante lucem surgere, asseritq; id & ad corporis sanitatem & ad Philosophiæ studia prodesse quàmplurimum.

Sed hoc ita accipiendum est, vt cita & modica cœna matutinam cruditatem diligentissimè deuitemus. Denique sacer ille vates Dauid, omnipotentis tuba Dei, nunquam dicit vespere, sed mane semper atque diluculo in Deum suum canendum se cithara psalmisque surgere. Surgere quidem mente, ea hora omnino debemus, mox etiam corpore, si modo id commodè fieri possit.

Quæ sit hora inchoandis studiis opportunior, quisue continuandi modus.

CAPVT VIII.

EX iis quæ in superioribus disputata sunt, fermè iam satis constat, opportunè nostra nos studia exordiri, vel statim oriente Sole, vel hora vna saltem, vel duabus ad summum ante Solis exortum. Sed antequam è lecto surgas, perfrica parumper suauiterque palmis corpus totum primo, deinde caput vnguibus, sed id paulò leuius. Hac in re Hippocrates admoneat. Nam frictione, inquit, si vehemens sit, durari corpus; si leuis, molliri; si multa, minui; si modica, impleri. Quum è lecto surrexeris, noli subitæ lectioni meditationique prorsus incumbere, sed saltem horæ dimidium cuilibet expurgationi concedito, mox meditationi accingere diligenter, quam ad horam circiter vnam pro viribus prorogabis. Deinde remittes parumper mentis intentionem, atque interim eburneo pectine diligenter & moderatè pectes caput, à fronte ceruicem versus quadragies pectine ducto. Tum ceruicem panno asperiori perfrica, demum reuersus ad meditandum, duas insuper horas, aut saltem horam vnam studio dedicato. Produci verò nonnunquam studia possunt, sed aliquanta interdum intermissione facta, ad horam vsque meridianam. Quinetiam interdum quamuis raro, nisi cibum interim cogamur assumere post meridiem circiter horas duas. Sol enim circa ortum potens est, potens & in medio cœlo. In plaga quoque illa cœli, quæ medium proximè sequitur, quam nonam Astronomi vocant & sapientiæ domum, Sol maximè gaudet. Quoniam verò Poëtæ omnes Phœbum Musarum scientiarumque ducem esse volunt: meritò si quid altius excogitandum est, his horis potissimum cogitetur. Si Musę querendę, horis iisdem Phœbo duce quærantur. Reliquæ enim horæ, veteribus alienisque legendis potius quàm nouis propriisque excogitandis, accommodatæ videntur. Semper autem meminisse debemus, qualibet hora semel saltem paulisper remittendam esse mentis intentionem. Quum enim ob intentionem huiusmodi spiritus resoluantur, meritò si nunquam cesses tendere, lentus eris. Dum laboras animo, interim corpore conquiesce. Mala est defatigatio corporis, peior animi. vtriusque simul pessima, oppositis hominem motibus simul distrahens, vitamque disperdens. Denique haud vlterius meditatio procedat quàm voluptas, potius verò citra.

Vitandæ pituitæ præcepta.

CAPVT IX.

OPeræprecium fore videtur, quæ noxia literatis esse diximus repetere breuiter, atque remedia singulis adhibere. Ergo ne pituita nimis augeatur, exercitatione quotidie stomacho fermè vacuo bis vtendum, nunquam tamen laboriosa, ne acuti spiritus dissoluantur, excrementa diligentissimè ab omnibus meatibus expurganda. Sordes à corporis totius cute, capitis præcipuè, tum lotione, tum frictione penitus abstergendæ. Vitanda alimenta frigida nimium, atque nisi obstiterit atra bilis, etiam humida, & omnino quæ pinguia, virulenta, viscosa, vncta, glutinosaque sint, vel quæ facilè putrescere soleant. Si stomachus, vel natura, vel ætate sit frigidus, aut dimittendus omnino, aut certè minuendus aquæ potus. Moderatus cibus sit oportet, sed potio moderatior. Habitatio alta à graui nubiloque aëre remotissima, tum ignis, tum calidi odoris vsu, humiditas expellenda. Prohibendum frigus à capite, maximè verò ceruice atque pedibus, multum enim obest ingenio. Prodest moderatus vsus aromatum in frigidioribus epulis, nucis muscatæ præsertim, & cinnamomi, & croci, zinziberis quoque conditi manè stomacho vacuo, quod sensibus etiam & memoriæ maximè prodest.

Qua ratione vitanda sit atra bilis.

CAPVT X.

PEssimam verò illam quam in superioribus detestabamur atram bilem, hæc augent. Crassum turbidumque vinum, præcipuè nigrum, cibi duri, sicci, salsi, acres, acuti, veteres, vsti, assi, fricti, carnes bouis & leporis, caseus vetus, salsamenta, legumina, præcipuè faba, lenticula, melangia, eruca, brassica, sinapis, radicula, allium, cæpa, porrum, mora, cariotæ, & quæcunq;

calefaciunt vel frigefaciunt, simulatque desiccant, & omnia nigra. Ira, timor, misericordia, dolor, ocium, solitudo, & quæcunque visum & olfactum auditumque offendunt, omnium verò maximè tenebræ. Præthereà exsiccatio corporis nimia, siue longis nata vigiliis, siue multa mentis agitatione vel cura, seu frequenti coitu, vsuque rerum calidarum multum, atque siccatum, seu immoderata quadam deiectione atque purgatione, vel exercitatione laboriosa, vel inedia, siti, calore vel sicciore vento, vel frigore. Quum verò bilis atra semper siccissima sit, frigida quoque, licet non æquè, huic certè resistendum est, rebus quidem modicè calidis, humidis verò quàm maximè, cibis elixis assiduè, qui coquantur facilè, & subtilem gignat sanguinem atque clarissimum. Sed interim vt stomachi & pituitæ ratio habeatur, perinde atque bilis atræ, epulæ cinnamomo, & croco, & sandalis condiantur. Conferunt semina peponis, atque cucumeris, & pinei nuclei abluti. Conueniunt carnes auium & pullorum gallinaceorum, quadrupedumue lactentium, oua sorbilia maximè, & ex membris animalium, cerebellum, dulcia mala, pyra, persica, pepones, pruna damascena, atque similia, cucurbita ritè cocta, herbæ humidæ, non viscosæ. Cerasa verò, ficus, vuas, minimè laudo. Nauseam verò & satietatem valdè detestor. Nihil autem aduersus hanc pestem valentius est, quàm vinum leue, clarum, suaue, odorum, ad spiritus præ cæteris perspicuos generandos aptissimum. Nam vt Platoni & Aristoteli placet, hic humor, hoc vino non aliter mollitur atque dulcescit & claret, quàm vel lupini aqua perfusi, vel ferrum flammis accensum. Verùm quantum eius vsus spiritibus & ingenio prodest, tantum nocet abusus.

Præterea infundere aurum vel argentum maximè ignitum, eorumque folia in poculis vel in ipso iure prodesse consentaneum est, atque aureo vel argenteo vasculo bibere, cibosq; sumere. Item perutile est, si sæpè stomacho vacuo glychyrrisæ succus deglutiatur, succus quoque punici pomi dulcis atque dulcis arancei. Conducunt non mediocriter suaues odores, temperati maximè, at si regnat frigus ad calidum declinantes, sin dominetur calor, vergentes ad frigidum. Temperandi sunt igitur ex rosis, violis, myrto, camphora, sandalis, aqua rosacea, quæ frigida sunt. Rursus ex cinnamomo, citro, aranceo, gariophyllis mentha, melissa, croco, ligno aloe, ambra, musco, quæ calida. Verni flores prosunt in primis & folia citri siue arancei, odoraque poma, si maximè vinum. Odores eiusmodi prout cuique conuenit, & naribus hauriendi sunt, & pectori atque stomacho admouendi. Odores verò calidos multum siccosque, si soli fuerint & continui non probamus. Tenendus ore hyacinthus, qui animum vehementer exhilarat. Hierobotana quoque, id est, sclarea syluestris, tum cibo tum odore confert. Buglossa rursus, borago, melissa, horumque trium aqua. Rursus lactuca, endiuia, vua passula, lac amygdalinum, mensæ familiarissima esse debent. Fugiendus aër, vt feruens, aut glacialis nimium, aut nubilus, sed aër temperatus serenusque liberrimè admittendus. Mercurius, Pythagoras, Plato iubent dissonantem animum vel mœrentem cithara cantuque tam constanti quam concinno componere, simulatque erigere. Dauid autem Poëta sacer psalterio psalmisque Saulem ab insania liberabat. Ego etiam (si modo infima licet componere summis) quantum aduersus atræ bilis amaritudinem dulcedo lyræ cantusque valeat, domi frequenter experior. Laudamus frequentem aspectum aquæ nitidæ, viridis rubeiue coloris, hortorum nemorumque vsum, deambulationem secus flumina, perque amœna prata suauem, equitationem quoque, gestationem, nauigationemque lenem valdè probamus, & varietatem in primis facilesque occupationes diuersaque negotia non molesta, assiduam hominum gratiosorum consuetudinem.

De curatione stomachi.

CAPVT XI.

SEquitur vt curam stomachi quàm diligenter habeamus, ne nauseam cruditatemue adducat vnquam satietas, caputque offendat. Bis cibus quotidie sumendus est, & modicus atque leuis, cinnamomo, mace, nuce muscata moderatè conditus. Semper tamen siccus cibus pondere alimenta mollita potumque exuperet, nisi fortè atræ bilis siccitatem admodum vereamur. Famem (si commodè fieri potest) cibus, sitim potus expectet. Auiditas vtriusque, supersit mensæ. Fastidium & saturitas procul absint. Abstinendum ab iis quæ ob nimiam humiditatem vel virulentam & vnctam viscosamque materiam stomachum relaxando debilitant, vel etiam frigida aut calidissima sunt, aut propter duritiam ægrè coquuntur. Et quæ talia sunt, vt diu post mensam palato saporem reddant molestio-

rem. siue insient, siue caput multis vaporibus impleant, ab omnibus in primis quæ facilè vel extra aluum, vel in aluo putrescant. Dulces sapores aut acres si soli sint, nullo pacto probamus, sed dulces acri quodam vel acuto vel sicco volumus temperari. Mastix & mentha sicca, saluia recens, vuæ passulæ, cidonia poma cocta, condita sacharo, cichorea, rosa, corallus, lotus capparis & aceto conditus, stomacho amicissima sunt. Mala præterea punica sapore inter acidum dulcemque medio, & omnino quæcunque moderatè acida sunt & aliquantulum austera, quæ Medici styptica vocant, siue quæ aliquantum acuta sint vel salsa vel aromatica. Mirobalani autem omnia superant. Vinum quoque rubeum potius quàm album, sapore quasi paululum subamaro, ac nisi caliditas vel destillatio aliter postulauerit, optimum erit merum bibitum paulatim. Omnino autem liquidiores epulæ prius sumendæ quàm duriores. Sumpto verò cibo conuenit, coriandrum, pomumque cydonium conditum saccharo, mala punica, & pyra austera, mespila quoque & persica, sicca, atque similia. Mandere verò oportet antequam deglutiantur singula exactissimè. Fouendus stomachus si oportet extrinsecus, mastic e, rosa, mentha, corallo. Cauendum ne post cibum, duabus aut tribus proximis horis vel cogitationi difficili, vel lectioni sedulò incumbamus. Necessariæ forsitan erunt horæ vacationis quatuor, si cibus potusue vberior fuerit, aut cibus durior. Malum est cibo potuue ventrem extendere, pessimum stomacho sic extento, difficilia cogitare. Aut igitur nutrimentum sume leuissimum, aut sumpto, vaca donec quasi concoxeris. Neque dormiendum post cibum meridie, nisi maxima cogat necessitas, atque id quidem non prius quàm horas duas vigilauerimus. Nocte tamen sumpta cœna, hora (vt videtur) vna vigiliæ sat est. Coitus stomacho pestilens, præsertim si vel saturo statim vel esuriente concumbas. Ocio mœret stomachus, exercitatione gaudet, nisi dum cibo sit plenus. Sumpto cibo statim modicè deambulandum, mox verò sedendum.

De iis quæ fouent membra præcipua & vires spiritus.

CAPVT XII.

SEd iam operæprecium facturus, vt nonnulla ex Medicorum officina in medium producamus, quæ stomachi, cordis, cerebri, spirituum ingenij, vires vel seruent integras vel restituant, ac si vel pituita vel atra bilis excrescat, vel immineat nausea, longè propellant. Omnes sine controuersia Medici consenserunt, nihil esse salutarius theriaca, fouendis confirmandisque tum singulis membris & viribus, tum spiritibus atque ingenio Huius igitur in primis vtemur drach. dimidia, aut saltem drach. tertia parte, bis qualibet hebdomada hyeme & autumno, sed æstate atque verè semel vel sola, vel si placet frigidis humidisque temporibus cum pauculo mero claro, suaui, temporibus verò calidis siccisque, præsertim si natura vel ætas sit calidior, cum aquæ rosaceæ duabus vnciis aut tribus, stomacho scilicet vacuo sex aut septem horis antè cibum. Si theriaca desit, dabimus mithridatum. Sed vbi theriacam mithridatumue sumimus, eo die ab omni re calida penitus abstinendum, & si æstas aut ver fuerit, frigidis est vtendum. Secundo verò loco eadem in causa probatur ab omnibus aloë ritè electa atque lota. Sume myrobalanorum chebularum drachmas duas, rosarum purpurearum, sandali rubei, emblicorum, cinnamomi, croci corticis, pomi citri, been, melissæ, id est, citrariæ, singulorum drachmam vnam, aloes electæ riteque ablutæ drachmas duodecim. Ex iis confice pilulas optimo mero, quibus hebdomada qualibet semel vtaris diluculo, eo scilicet pondere, quod naturæ tuæ conueniat, æstate quidem cum aqua rosacea, aliàs verò cum vino. Quibus autem diebus neque theriacam, neque pilulas assumes, vtere confectione eiusmodi manè atque vesperè duabus aut tribus ante cibum horis. Sume cinnami electissimi drachmas quatuor, chebularum myrobalanorum duas, & totidem emblicarum, croci, rosarum drachmam dimidiam, sandalorum rubrorum drachmas duas, corallorumque similium drachmam vnam, sacchari albissimi quantum satis est. Funde saccharum aqua rosacea atque succo citri vel limonum, æqualibus videlicet portionibus, coquas suauiter. Deinde adde musci tertiam drachmæ partem; atque ambrę tantumdem. Demum confice bolos solidos, quos morsulos vulgo nominãt, auroque inuolue. Tria hæc, ipsi eo vsu quo præscripsimus, experti sumus, Theriacam & aloen, ita (vt diximus) temperatam, confectionemque illam singulis conferre membris, viribus & spiritibus, acuere sensus atque ingenium, memoriam confirmare Pituitam quoque & bilem atque atram bilem illis pilulis facilè vel educi vel emendari. Præterea ætati cuilibet & naturæ, tria quæ diximus familiarissima iudicantur.

Pharmaca pituitæ repreßiua atque eductiua.

CAPVT XIII.

SI aduersus exundantem pituitam acrius pugnandum fuerit, pilulas aureas ex Hierapicra Galeni, vel quas Mesues Elephanginas nominat, dabimus, scilicet quot & quoties oportuerit, vel etiam in robustiore natura pilulas ex hiera atque trochiscis agarici pari portione compositas, semper verò cum melle rosaceo liquido atque oxymelle aquaque maratri, id est, fœniculi. Qui certè syrupus in pituita digerenda etiam ante pilulas atque post eas maximè prodest. Si vnà cum pituita cæteri quoque humores turbent, pilulis ex rhabarbaro Mesues, vel pilulis quæ Sine quibus à posterioribus nuncupantur, opportunè purgabimus. Omnem verò vehementem repentinamque deiectionem purgationemque penitus detestamur. Nam stomachum corque debilitat, spiritus multos exhaurit, confundit humores, spiritus fumis humorem fuscis obtenebrat.

Catarrhi & destillationis, communis studiosorum pestis remedia.

CAPVT XIIII.

VBi caput propter pituitam destillationibus fluctuat, quandoque hora somni aliquot ex pilulis, quas modo descripsimus, dabimus. Iubebimus præterea ea hora & aliis thus sæpè mandere, nam mirificè destillationibus & sensibus omnibus memoriæque succurrit. Rursus muscata nux & theriaca ore retenta probatur. Maiorana quoque, quam amaracum nominant, vel eius aqua admota naribus vel infusa. Post cibum verò alimentorum fumos coriandro, cydoniisque coërcebimus.

De dolore capitis.

CAPVT XV.

SI caput sæpè doleat humore grauatum frigido, præter illa quæ narrauimus, confectionem illam quam diambram nominant, vel diacori, vel plirisarcoticon tenere ore iubebimus. Quinetiam masticem sæpè mandere. Præterea linire frontem, tempora, ceruicem, maioranæ, fœniculi, rutæ foliis vnà cum oleo, aquaque rosaceis perfectè diluta.

Visus caligantis medela.

CAPVT XVI.

VBi oculi caligant, neque rubent tamen, neque aliud præbent vllum caloris indicium, tunc sanè collyrium ex aqua fœniculi, maioranæ, chelidoniæ, rutæ, adhibito croco & antimonio, confert. Sed aqua eiusmodi prius densiori panno est exprimenda. Nihil tamen admoueas oculis, nisi antea pilulis Lucis sæpè purgaueris. At si caligantes oculi rubeant, subitò pilulis ex fumo terræ compositis purga. Mox collyrium ex aqua rosacea & saccharo prodest. Nonnunquam verò albumine oui, tutia, lacte adiectis quam primum epitulatur. Omnino autem quotidianus vsus marathri visum seruat & acuit. Semen quidem eius frequenter ore tenere oportet, folia verò comedere. Triphera minor à Mesue descripta, optima est. Optimum quotidie vacuo stomacho myrobalanum, chebulam conditam sumere, atque cum ea nonnihil panis ex saccharo, marathroque in puluerem ducto compositi, quod insuper ingenio mirum in modum, ac producendæ vitæ prodest. Eufrasiæ quinetiam vsus, oculis est singulare præsidium. In omni vel dolore capitis, vel caligine oculorum, diuertendi sunt retro vapores frictionibus cucurbitulisque. At si calor in causa sit, sanguisque abundet, hirundines ceruici & humeris adhibebimus.

De sensorio iustus instaurando.

CAPVT XVII.

STomachus sæpè literarum studiosis gustum ferè omnem amittit. Si id pituitæ vitio incidit, quod acidus oris sapor, vel saliua multa & glutinosior indicat, postquam aluum subduxeris Medicinis, quas supra narrauimus, aromatico rosaceo vtere, scilicet saccharo rosaceo mixto, melle quoque rosaceo cũ cinnamomo, solo etiã vel zingibere condito, vel menthæ syrupo, sed in primis theriaca. Sin autem bilis copia fortè contingit, quod quidem os amarum ostendere solet, similiter post purgationem ex aloe, sicut diximus, præparata, vel rhabarbaro adsume, vel triasandalum, vel oxysaccharum, saccharo, aceto albo, & vino acrioris punici mali, compositum, vel persica, pyraue siue condita siue syrupo confecta, sicut Mesues docet, vel nostram eiusmodi confectionem gustui saluberrimam. Sume sacchari rosacei vncias quatuor, diamarenati vncias duas, diacytonites

tonites tantumdem, scilicet vncias duas, myrobalanorum chebularum semunciam, emblicarum tantumdem, sandali rubei, coralli rubri, vtrorumque æqua drachmam dimidiam. Funde insuper iulep ex succo citri vel limonis vncias tres aut duas. Quod si stomachus debilis est & frigidus, adiice duas cinnami drachmas. His ante cibum duabus horis vtendum. Nauseam semper ab vtroque natam humore tollit diacytonites, & vsus capparis cum aceto. Item potus modicus ieiuno stomacho albi aceti rosacei, si duplo sacchari pondere misceatur. Rursus menthæ syrupus atque absynthij. Item mentha vel aceto condita, vel acido mali punici succo diluta atq; rigata.

Exquisitissima atræ bilis remedia.

CAPVT XVIII.

VErùm missa hæc tanquã leuiora iam faciamus, atque ad id quod periculosissimum est reuertamur, ad atram bilem scilicet, quæ quoties abundat & furit, cùm corpus totum, tum vel maximè spiritum quasi quoddam instrumentum ingenij, ipsumque ingenium & iudicium labefactat. Primum in ea curanda præceptum sit, vt docuit Galenus, ne repente illam educere contendamus, ne forte eius parte liquidiore subtilioreque subducta, densius admodum, sicciusque resideat, sed paulatim molliatur digeraturque pariter atque educatur. Secundum, vt interim tam cibis humidioribus quàm lauacris dulcibus & modicis, vnguentisque similibus caput & corpus totum ad summum pro viribus humectetur, ea tamen cautione, ne vel destillatio irritetur, vel destruatur stomachus aut iecur, vel meatus corporis obstruatur. Tertium verò, & id quidem maximè necessarium, vt continuè cor foueatur, roboreturque rebus congruis partim intus acceptis, partim extra pectori naribusve adhibitis. Aspiciantur quoque & audiantur, odorentur, & cogitentur assiduè quæ oblectent, contraria verò longius arceantur.

Syrupi melancholicis maximo futuri commodo.

CAPVT XIX.

MVlta quidem à multis aduersus hunc humorem composita sunt. Ego autem in præsentia tria quædam remediorum genera è plurimis adferam electissima omnium atque tutissima, accepta primum à priscis, deinde à recentioribus confirmata, interdum etiam à nobis ad vsum nostrum accommodata. In primo est syrupi optimi cõpositio. In secundo pilulæ probatissimæ. In tertio electaria saluberrima. His tribus opportunè adhibitis, melãcholicus humor mollitur, & digeritur, atque soluitur, spiritus acuuntur & illustrantur, fouetur ingenium, memoria confirmatur. Syrupus est huiusmodi: Sume boraginis, buglossæ, florumque vtriusque, melissæ, capillorum Veneris, endiuiæ, violarum, cuscutę, polipodij, senæ, epithymi, singulorum quantum manu capitur, pruna damascena numero viginti, odora poma numero decem, passularum vnciam vnam, liquiritiæ vnciam dimidiam, cinnami, sandali rubri, corticum citri, singulorum drachmas tres, croci drachmam dimidiam. Coquantur in aqua omnia præter epithymum & aromata, donec pars tertia consumatur. Decoctio expressa post, cum saccharo iterum & epithymo moderatè coquatur. Postremo infundantur aromata scilicet cinnamum atque crocus. Huius syrupi aurora calefacti vnciæ tres bibantur, simulque vnciæ duæ aut tres aquæ buglossę, atque vnà cum iis ex sequentibus pilulis accipi debent duæ saltem, aut plures, prout cuique conuenit, eo scilicet pacto vt aluus quotidie paulum moueatur.

Pilulæ ad humores vitiosos molliendos & expurgandos.

CAPVT XX.

PIlularum verò quantum ad propositum spectat, duo sunt genera, aliæ delicatis congruunt, robustioribus aliæ. Primæ, aureæ siue magicæ nominari possunt, partim Magorum imitatione, partim nostra inuentione, sub ipso Iouis Venerisque fluxu compositæ, quæ pituitam, bilem, atram bilem educunt absque molestia, singula membra corroborant, spiritus acuunt & illuminant. Ita eos dilatant, ne constricti mœstitiam pariant, sed dilatatione & lumine gaudeant. Ita rursus stabiliunt, ne extensione nimia euanescant. Sume igitur auri grana duodecim, maximè foliorum eius si pura sint, thuris, myrrhæ, croci, ligni aloës, cinnami, corticis citri, melissæ, serici crudi coccinei, menthæ, been albi, been rubri, singulorum drachmam dimidiam, rosarum purpurearum, sandali rubri, coralli rubri, myrobalanorum trium, scilicet emblicarum, chebularum, Indarum, singulorum drach. vnam, aloës ritè ablutæ tantundem quantum cunctorum pondus. Confice pi-

lulas mero quàm electissimo. Sequuntur pilulæ ad soluendam melancholiam aliquanto validiores, verumtamen minimè violentæ. Sume pæoniæ, myrrhæ, stechados Arabici, melissæ, thuris, croci, myrobalanorum trium, scilicet emblicarum, chebularum, Indarum rosarum singulorum drachmam vnam, trochiscorum agarici, polipodij, epithymi, senæ, lapidis lazuli ritè loti & præparati, lapidis armeni effecti similiter, drachmas treis singulorum, aloës lotæ vncias duas, vino perfecto pilulas consla. Si cum melancholia manifesta caliditas dominetur, quæ in hac compositione sunt frigida, ad tertiam insuper ponderis sui partem augenda erunt. Has pilulas vt literarum studiosis conuenit, Græcorum, Latinorum, Arabumque imitatione composui, nolui verò fortiora miscere, quale veratrum quo Carneades fanaticus vtebatur. Viris enim literatis tantum vel paulò firmioribus consulo, quibus nihil pestilentius est quàm violentia, ideo prætermisi pilulas Indas, lapidisque lazuli vel armeni notas, & quam compositionem Ieralogodion appellant. Si denique decet simpliciorem compositionem inserere, qua ego familiarius vtor. Sume aloës lotæ vnciam vnam, mirobalanorum emblicarum atque chebularum, vtriusque pariter drachmas duas, masticis drachmas duas, duas quoque rosarum, præsertim purpurearum, confice pilulas vino. Proinde pilulis aut iis, aut illis, ex iis scilicet quas probauimus, nemo vnquam solis vti debet, ne fortè nimium exsiccetur, quod quidē in melancholia pessimum est, imò vnà cum syrupo, quem sequuti partim Mesuen, partim Gentilem Fulginantem, suprà descripsimus, vel cum vini odori, leuisque vncia vna, siue duabus, siue tribus, vt cuique conuenit. Aut cum aqua mellis & passularum atque liquiritiæ. Aut sicubi caliditas dominatur, cum Iulep violaceo aquaque violacea. Omnino autem consulo literatis, quicunque ad atram bilem sunt proniores, vt hac purgatione bis quolibet anno, Vere scilicet Autumnoque vtantur, diebus quindecim continuis vel viginti, pilulis scilicet cum syrupo atque similibus. Quicunque verò paulò minus huic morbo obnoxii sunt, sat habebunt si pilulas primas aut vltimas toto anno sumant, semel hebdomada qualibet, Æstate quidem cum Iulep, vt diximus, aliàs verò cum vino.

(∴) (∴) (∴)

A liquidarum Medicinarum vsu medele.

CAPVT XXI.

MEminisse verò oportet, vbi maximum in exiccatione periculum imminet, purgare tamen necessitas cogit, operæprecium esse pilulas intermittere, atque in ipso syrupo vel simili quadam decoctione, facta in aqua buglossæ, quando purgandum est, interdum infundere diasenæ, vel diacatholiconis, vel Tripheræ persicæ vnciam vnam, aut saltem dimidiam. Quod si vel corpus robustius sit, vel astrictior & durior aluus, addere electuarij Hamech drachmam vnam aut duas. Vtilis quoque hic est confecta Casia, vtilior Manna. Nec omni melancholiæ speciei conueniunt, sed illi maximè quæ adustione creatur. Sin autem melancholia naturalis sit, conueniunt quidem, verùm præcipuè si in syrupo addatur polipodij portio dupla vel tripla, similiter liquiritiæ crocique & passularum. Item Medicinæ addantur mellis rosacei liquidi vnciæ duę. Quoties verò syrupus sumendus sit, in superioribus diximus. Sed Medicina cum ipso ter viginti diebus sumenda erit. Verùm si melancholicus nullus humor appareat, tantum verò complexio melancholica, scilicet frigida membrorum qualitas atque sicca, memento ducere aluum vel mittere sanguinem minimè expedire, sed reliqua duntaxat facere, quæ vel diximus, vel dicemus, præsertim quæcunque ad corpus pertinent, mediocriter calefaciendum, atque magnopere humectandum, spiritusque quoad fieri potest illuminandos, fouendaque membra. Vbi verò ipse atræ bilis humor exundat, non madefacimus tantum corpus atque humorem, sed etiam soluimus aluum ea cautione qua diximus, nunquam verò vehementer. Siquidem Plato in Timæo nos monet, diuturnum morbum, qualis est Melancholicus, non esse nimis valentibus medicamentis atque molestis pharmacis irritandum.

Sanguinis mittendi Canones.

CAPVT XXII.

NOnnulli sunt in sanguine mittendo audaciores, quos Medici sapientes admodum detestantur. Nam sanguis est atræ bilis temperamentum, spiritus fomes, vitæ thesaurus. Solum verò vbi abundantiam sanguinis indicat vel profusior risus, audaciaque & confidentia multa, vel color rubens, venarumque tumor, mittere san-

guinem literatis quando res postulat, debemus è vena lienis sinistri brachij, lata quidem incisione, quatuor vncias manè, vespere totidem. Deinde paucos dies, saltem septem, ad summum quatuordecim, tum frictione quadam asperiore, tum admotis hirundinibus, quas sanguisugas nominant, mariscas irritare, vt sanguinis vnciæ tres aut quatuor inde destillent. Hæc ambo robustioribus tantùm facienda videntur. Debilioribus verò, si necessitas postulat, mariscas solùm, sicut docuimus, irritare. Sed neque ventrem medicinis soluere, neque sanguinem licet, nisi prius clysteribus pinguibus, mollibusque lenieris. Atque hoc sit in melancholica natura commune præceptum, dandam esse operam, vt si oportuerit eiusmodi clysteribus frequentatis venter inferior lubricus semper sit atque purgatus.

De electuariis & confectis.

CAPVT XXIIII.

Sequuntur electuaria, ex quibus laudo equidem quod Rasis exhilarans appellauit. Præterea, quæ in libro de Viribus cordis Auicenna componit, sed multo magis quod Mesues ita conscribit. Sume crudum sericum colore coccineo nuper tinctum, pondere libram vnam, id merge succo pomorum dulcium & suauiter redolentium, atque succo buglossæ, aquaque rosacea, singulorum libra vna, post quatuor & viginti horas, totum id coque suauiter, donec aqua rubeat. Deinde extrahe sericum, atque insuper exprime diligenter. Infunde mox sacchari candidissimi centum & quinquaginta drachmas, coque rursus donec quasi mel spissetur. Amoue tunc ab igne, atque infunde dum calet, ambræ crudæ diligenter conscissæ drachmas sex, & vt liquescat ambra permitte. Postremò adde his puluerem eiusmodi. Sume ligni aloes crudi, cinnami, vtriusque æquè sex drachmas, lapidis lazuli ritè abluti drachmas tredecim, ynionum, id est, albarum margaritarum drachmas duas, auri veri drachmam vnam, musci electi partem drachmæ dimidiam. Dantur ex eo cum vino drachmæ duæ vel vna, manè ac vesperè ante cibum tribus aut quatuor horis. Id mihi præ cæteris valdè placet. Verumtamen probo etiam diamuscum Mesues dulcem compositionemque gemmarum, modo cum aqua rosacea adsumantur. Laudarem quoque mirificè quod est à Petro Ebanensi Philosopho summo, conflatum, nisi ipsemet ex eius immodico vsu dilatationem exhalationemque spirituum nimiam formidaret. Quamobrem duo quædam insuper excogitaui tutissima, atque ob temperationem suam cuilibet tempori, ætati, naturæ conuenientissima, in quibus miscetur vtile dulci. Quæ tantum nutriunt quantum fouent & roborant. Præterea spiritui & ingenio tantum stabiliendo, quantum acuendo & illustrando conueniunt. Sume sacchari vnà cum floribus buglossę concocti vncias duas, corticis pomi citri saccharo conditi vnciam, chebulæ conditæ vncias duas, cinnami electi drachmam vnam, sandali, coralli scilicet vtriusque rubri, item serici coccinei crudi & conscissi, croci, margaritarum, singulorum drachmam dimidiam, auri, argenti, singulorum tertiam drachmæ partem, ambræ, musci, vtriusque grana duo. Funde omnia simul succo citri vel limonis, saccharo cocti. Sequitur confectio altera aliquanto salubrior, certè multo suauior. Sume amygdalarum dulcium quatuor vncias, nucleorum pineorum scilicet ablutorum diei vnius spacio, seminum cucumeris, vtrorumque pariter vncias, sacchari duri quod Candum, id est, candidum vocant, quatuor vncias, sacchari alterius & albissimi libram vnam atque dimidiam. Funde cuncta hæc aqua rosacea, atque limonis & citri, in qua extinctum fuerit ignitum aurum & argentum, simul coque suauiter. Demum adde cinnami, been rubri, coandali rubri, coralli similis singulorum drachmam vnam, margaritarum nitidissimarum, croci, serici crudi, coccinei minutissimè attriti, singulorum drach. dimidiam, auri, argenti vtriusque grana duodecim, hyacinthi, smaragdi, saphiri, carbunculi, singulorum tertiam drachmæ partem. Si cui verò desunt aurum, argentum, ambra, muscus, pretiosi lapilli, confectiones illæ etiam prodesse multum sine his poterunt. Quarum treis potissimum eligo, vnam scilicet Mesues, quam recensui, duas verò nostras, quas modo descripsimus. Quo verò pacto iis vtendum sit, superius satis exposuimus. Si quis autem simplicius aliquid appetat, omnibus tamen accommodatum, hic citri pomum perfectè maturum, integrum perfectè contundat, multoq; saccharo & multo rosarum succo adhibito coquat, coctum verò modico cinnamo crocoque condiat, aut aromatico rosaceo, vtatur sic temperato. Sume aromatici rosacei vnciam vnam, sacchari rosacei sacchari diabuglossati, vtriusque vncias duas, aut similiter, misceat diamuscum. Quanquam enim duo hæc non sint simplicia, tamen facilè satis haben-

tur. At si caliditas timeatur, diaprunis & saccharum violaceum adiungantur.

Emaciantis vigiliæ remedia.

CAPVT XXIIII.

SÆpè melancholicis, præsertim literatis accidere solet, vt nimium exiccato cerebro vigiliis longis extenuentur. Quoniam verò nihil atræ bilis mala magis auget, quam longa vigilia, tanto malo omni studio succurrendum. Ideò lactucas post cibos alios edant vnà cum pane modico, pauculo croco, vinumque purum sorbeant post lactucam, neque vltra horam lucubrent. Quumque se dormitum conferunt, confectionem eiusmodi sumant, in qua seminis papaueris albi vnciæ duæ sint, seminis lactucæ vncia vna, amomi, croci scilicet vtriusque pars drach. dimidia, sacchari vnciæ sex. Dilue & coque omnia simul syrupo papaueris. Edant huius drach. duas, simulque nonnihil syrupi papaueris gustent aut vini. Illinias eis frontem temporaque oleo ex violis, & ex nenufare adiecta camphora. Item lacte oleoque amygdalino atque violaceo. Odorem croci & camphoræ, putaminumque dulcis mali naribus admouebis. Aceti insuper modici, sed aquæ rosaceę plurimæ. Sternes quoque lectum plantarum foliis frigidarum. Aures suauibus cantibus sonisque delinies. Humectabis sæpè caput eiusmodi lauacris, scilicet aqua in qua cocta sint frusta papaueris, lactucæ, portulacæ, maluæ, rosarum, vitis, salicis, arundinumque folia, addita camomilla. Balneis quoque dulcibus ex rebus eiusmodi sæpè tibia brachiaque, sæpè totum corpus est humectandum. Lac insuper bibere mixtum saccharo, scilicet stomacho vacuo, si modo stomachus optimè tolerauit, maximè prodest. Humida hæc melancholicis, etiam si satis dormiant mirificè conferunt. Memento lac amygdalinum mensæ familiarissimum esse debere.

Memoriæ hebetis atque obliuionis remedia.

CAPVT XXV.

ACcidit verò nonnunquam vt studiosis, vel quia sedulò inclinato capite legant scribantue, vel quia ocio nimio torpeant, pituita quædam viscosior vnà cum frigidæ nimis melancholia caput occupans grauet, atque hebetes obliuiososque efficiat. His ergo caput exonerandum est iis remediis, quæ aliàs diximus pituitæ conuenire. Sin minus illa suffeceri nt, ad pilulas Indas & cocchias hieralogo diumque confugito. Præterea ad iaram diacoloquintidos vel Archigenis, vel Andromachi, vel Theodotionis, aut ad pilulas Iudæi, quas Mesues in capitulo De capitis dolore describit. Quod si natura ætasue frigidior sit, nec æstas obstiterit, post purgationem vtere confectione illa anacardina, quam Mesues Sapientum confectionem nominat in Antidotario. Rursus anacardina illa, quam in capitulo de Obliuione ex sententia filij Zachariæ recenset. Da summo manè drachmam vnam, sed qui eam sumit, ab ira, coitu, ebrietate, labore, rebusq; calidis eo die prorsus abstineat. Hæc quidem aduersus hebetudinem obliuionemque valentissima sunt. At verò si familiaria magis optet, da gingiber conditum, sed modico thure mixtum quod sensibus & memoriæ magnopere prodest, præsertim his adiectis, scilicet melle anacardi, melle chebularum, acoris, ciperis, ambra musco. Prodest etiam diambra, pliris sarcoticon, & diacori. Sed hæc ore diutius retinenda naribus etiam & auribus infundenda. Odor quoque thuris, amaraci, marathri, nucis muscatæ, rutæ, gariophylorum, prodest non mediocriter. Memento tamen theriacam, in his atque similibus, quemadmodum ab initio diximus, nulli vnquam remedio postponendam. Præterea hebetibus obliuiosisque tempora & ceruicem vnctione eiusmodi vnge. Sume olei sambucini vnciam vnam, olei de been vncias duas, euphorbij vnciam dimidiam, castorei quoque tantundem, perfricabis brachia, crura, ceruicemque vehementer. Ac si opus fuerit, ceruici cucurbitulas admouebis. Verticem præterea capitis amaraco, thure, nuce muscata tunsis, operies atque fouebis.


Spirituum custodiæ nos esse intentos debere.

CAPVT XXVI.

SI homines veritatis cupidi, tanta Medicorum diligentia corporeum spiritum curare debent, ne fortè omnino neglectus, vel impedimento sit, vel ineptè seruiat quærentibus veritatem, multo proculdubio diligentius incorporeum spiritum, id est, intellectum ipsum disciplinæ moralis institutis colere decet, quo solo veritas ipsa quum sit incorporea, capitur. Neque enim fas est solum animi seruum, id est, corpus colere, animum verò corporis dominum regemque negligere, præsertim quum Magorum Platonisque sententia sit, corpus to-

tum ab animo ita pendere, vt nisi animus bene valuerit, corpus bene valere non possit. Quapropter Medicinæ author Apollo, non Hippocratem, quamuis ex sua stirpe genitum, sed Socratem sapientissimum iudicauit. Quippè quum quantum Hippocrates corpori, tantum Socrates animo sanando studuerit, quanquam quod tentauerant illi, solus Christus effecit. Proinde mentem nostram optimis colere motibus à Socrate idcirco iubemur, vt lucem veritatemque à nobis naturæ instinctu quæsitam serena mente facilius assequamur, quanto magis veritatem ipsam diuinam in primis religione sancta fas est venerari. Ad quam quærendam capiendamque non aliter creata mens est, quàm oculus ad lumen Solis perspiciendum. Atque, vt Plato noster inquit, quemadmodum visus nihil vsquam visibile perspicit, nisi in ipso summi visibilis, id est, Solis ipsius splendore, ita neque intellectus humanus intelligibile quicquam apprehendit, nisi in ipso intelligibilis summi, hoc est, Dei lumine nobis semper & vbique præsente. In lumine inquam, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In lumine de quo canit Dauid. In lumine tuo videbimus lumen. Profectò quemadmodum purgatis oculis, inque lumen ipsum aspicientibus, subito splendor eius infunditur, coloribus figurisque rerum abundè refulgens, ita quum primum ab omnibus corporis perturbationibus per moralem disciplinam purgata mens est, atque in diuinam veritatem, id est, Deum ipsum religioso quodam flagrantissimoque amore directa, subito, vt diuinus inquit Plato, diuina menti veritas influit, rationesque veras, quæ in ipsa continentur, quibusue omnia constant, feliciter explicat, quantoque mentem circunfundit lumine, tanto simul & voluntatem gaudio beatè perfundit.

(∴) *LIBRI I. FINIS.* (∴)



MARSILII FICINI FLORENTINI,

IN LIBRVM II. DE VITA PRODVCENDA,

Ad Philippum Valorem Epistolare.

PROOEMIVM.



Vanquam Plato noster Genio suo viuit, & victurus est, vt arbitror, dum mundus ipse viuet, meus me tamen Genius huc semper impellit, vt post diuinum cultum ante omnia Platonis vitæ prospiciam. Ad hoc ipsum iam diu nobis aspirat præ cæteris Medica domus. Ad idem conspiras & tu mi Valor, Medicum amicissimus, & Platonicæ gloriæ atque disciplinæ admodum studiosus. Quam ergo vitam Platoni semper exopto, eandem opto Medicibus, similemque Valori. Quamobrem hortor & obsecro te, mi Valor, vt quanta semper opera gloriæ Platonicæ faues, tanta aliquando diligentia præcepta hæc nostra de Vita producenda legas atque serues, quibus diu viuens resurgenti nuper disciplinæ Platonis diutius vnà cum magnanimo Laurentio Medice patrocinari possis. Vale.

MARSILII FICINI FLORENTINI, MEDICI ATQ; PHILOSOPHI INSIGNIS,

DE VITA PRODVCENDA, SIVE LONGA.

(∴) LIBER II. (∴)

Ad perfectionem scientiæ necessaria est vita longa, quam diligentia præstat.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



D artem scientiamque perfectam non tam vel docilitas ingenij, vel memoriæ firmitas, quàm prudentis iudicij perspicacia nos perducit. Iudicium verò propter ambiguitatem ex coniecturarum diuersitate conceptam, adeò difficile est, vt experimento sit necessariò confirmandum. Experimentum quoque fallax, tum propter iudicij ipsius difficultatem, tum propter fugacem opportuni in experimento captando temporis breuitatem. Quibus sanè de causis, artem esse longam vnà cum Hippocrate rectè concludimus, nec posse nos eam nisi vitæ longitudine consequi. Vitam verò longam non solùm ab initio semel fata promittunt, sed nostra etiam diligentia præstat. Quod & Astrologi confitentur, vbi de Electionibus & Imaginibus agunt, & Medicorum cura diligens, experientiaque confirmat. Qua quidem prouidentia non solùm homines natura validi sæpissimè, sed etiam valetudinarij vitam longam aliquando consequuntur, vt non mirum sit Herodicum quendam literarum studiosum omnium sui temporis infirmissimum, vt Plato & Aristoteles testantur, eiusmodi prouidentia annum ferè centesimum impleuisse. Plutarchus præterea narrat, multos corpore alioquin parum firmo, vitam sola diligentia longam consequutos. Mitto in præsentia, quod imbecilles ipse nouerim prudentiæ munere robustissimorum annos superauisse. Neque igitur inutile fuerit neque vanum, post librum de Curanda valetudine literatorum, à nobis compositum, præcepta quædam insuper ingenij scientiæ cupidis ad vitam longam conducentia, tradere. Instituta verò hęc nec in itineribus ignauisque communicari volumus. Quid enim cupiamus istos diu viuere, qui nec viuunt quidem, quasi fucos nutriamus, non apes? Nec hominibus diuulgari, perdita voluptatum libidine dissolutis, qui breuem quotidie voluptatem longæ vitæ, stulti præponunt. Nec improbis iniquisque patefieri, quorum vita mors est bonorum. Sed viris duntaxat prudentibus atque temperatis, solertis ingenij viribus humano generi, vel priuatim, vel publicè profuturis.

(∴) (∴) (∴)

Vitalem calorem nutriri humore, cuius vltra citraque excessu fieri corruptionem dissolutionemque.

CAPVT II.

VIta quidem, tanquam lumen in naturali calore consistit. Caloris verò pabulum est humor aërius, atque pinguis quasi oleum. Siue igitur humor eiusmodi fortè deficiat, siue prorsus excedat, vel inquinetur, calor naturalis statim debilitatus, extinguitur. Si humoris defectu calor debilitatur & perditur, mors resolutione contingit. Si potius obruitur humoris excessu vel vitio, vita suffocatione perit. Suffocatio verò humoris cuiuslibet exundantia vel putrefactione contingit, præsertim pituita, vex excrescente, vel quomodolibet putrefacta, vt non immeritò pituita petẽs vitam fuerit nominata Præcepta igitur ad producendam vitam maximè necessaria, hinc quidem resolutionem, inde verò suffocationem putrefactionemq; æquè deuitãt. Æquè, inquã, ratione cõmuni Nam si calidiorem sicciorem ve hominem fortè curant, & cui meatus quidem aperti sunt, humores autem spiritusque subtiles resolutioni magis occurrunt. Sin autem contraria ratione corpus affectum tractant, potius suffocationi subueniunt. Maximè verò in alterutro student, si ad alterutrum locus tempusve declinet. At vbi ingeniosis studiosisque consulitur, vtrumque præceptum fermè est pariter necessarium, in vtroque similiter laboratur. His enim acutum quidem calidumque ingenium, & imaginationis motus assiduus, resolutionem, ocium verò corporis atque cruditas, suffocationem minitari videtur. Nusquam igitur Medici vehementius quàm eiusmodi curatione laborant. Etsi tota libri superioris disputatio ad propagandam vitam maximè confert, propriam tamen quandam res tanta curam, qualem deinceps quoad potero paucis comprehendam, postulare videtur.

Quomodo sint temperandi calor & humor, quodam Mineruæ consilio.

CAPVT III.

CÆterùm, dum oleum istud pingue, igneo huic vigori nostro necessarium, pingui Minerua tractamus. Minerua interim oliuifera olei vitalis origo, almi videlicet Iouis capite nata ridet, quod sui muneris quantitatem planè cernentes, interea non satis vidimus qualitatem Ridens ergo; Vobis, inquit, oleum non modo quantum sat flammæ nutriendæ foret, abundè dedi, sed etiam sine amurca syncerum infudi lucernæ. Hæc illa Nos autem inter loquendum errantes offendimus, quoniam lucerna pedibus nostris verbum suum nondum nobis auditum. Ex hac ergo lucerna discamus, oleum iugiter flammæ subministrandum, ea scilicet diligentia, vt nec repentina quadam lumen obruamus illuuione, nec rursus differamus sibitundo potum. Sed hæc quidem duo, satis in superioribus tractata putamus. Reliqua nobis duo sunt, quorum alterum leuiter tetigisse, alterum vix attigisse videmur. Tangentes interim ita Palladem vt ridere nunquam solita, nos rideret. quid ergo? Primo quidem considerabimus flammam vel pauculam esse prorsus edacem, ideoque lucernam illam lucere diutius, in qua sic flammula est ad ellychnium, id ad licinium temperata, vt non ebibat oleum, sed pitisset. Itaque & nos in omni diæta cauebimus, ne quando præsertim in iuuentute, nimium inualescat insitus ignis suapte natura vorax. Sat verò fuerit tum humorem inundantem, tum penetrabile frigus hinc arcere. Deinde lucernam cogitabimus frequenter extingui, quando non syncerum oleum instillauerit, sed (vt ita dixerim) amurcosum. Vnde paulò post concrescunt ex amurca fungi, lumenque extingunt. Iam verò nos alumnum à Pallade suscepimus oleum, scilicet aërium quamplurimum purumque, & natiuo quodam lentore tenaxque atque firmum. Quod ergo huic paulatim absumpto suggeritur, non solùm huic æquale debet esse, sed simile. Vt verò sit simile, non tantùm aërium esse debet & pingue, sed penitus ab amurca secretum, id est, à fæce quadam ex terra & aqua crassiore congesta. Hanc ergo congestionem fæcemque vitaturi, alimenta eiusmodi fugiamus, & ocium & cruditatem atque sordes. Interea verò Mineruam ea moderatione colamus, vt caput quidem de quo nata est ipsa, nobis augeat; neruos autem stomachumque non minuat.

Arescentis humidi naturalis & alieni exuberantis causa, Et quàm necessaria sit ad vitam perfecta digestio.

CAPVT IV.

NAturalem humorem velociter hæc exsiccant, sanguinis fluxus vberior, Violenta solutio ventris, Diu lubrica aluus;

Profusus sudor, Latius patefacti meatus, Coitus ad debilitatem factus, Sitis anhela, Fames crucians, Vigilia longa, Vsus præcalidarum rerum simulatque siccarum, Laboriosus animi corporisque motus, Anxietas, Ira, Dolor, Siccior simulatque feruentior aër, præsertim igne calescens, Ventus aridior & violentus atque diuturnus. Humorem suprà modum augent iis contraria. Ebrietas frequens vtrumque facit. Nimio enim tum calore siccat, tum humore suffocat ebriosum. Nihil autem magis quàm cruditas ad vtrumque nocet. Vbi enim non concoquitur alimentum, hinc quidem deest quo naturalem irriget humorem, inde verò putrefactum superest, quod exundans, calorem obruat naturalem. Quamobrem Auicenna corrumpi sanguinem inquit, vbi digestio ipsa corrumpitur, secutusque Galenum appellat digestionem, vitæ radicem. Optima igitur est & quasi vnica hæc regula Galeni, concoctionem cibi præ cæteris vbique curare. Nam quod maximum videtur esse præceptum, salubribus videlicet vti, nihil proderit nisi coquas. Siquidem ex his fermè sicut ex contrariis noxius humor profluit, si cruda membris influxerint. Ex cibis autem etiam minus arte laudatis, sæpè minus malum accipitur nutrimentum, si vehementius concoquantur. Cruditatem igitur tanquam grauem, resolutionis simul & suffocationis causam, diligentissimè deuitemus, quantitate videlicet cibi potusque nobis accommodata. Qualitate, simplicitate, præparatione, contritione, ieiunio, reuocante famem ac si opus fuerit, stomachi etiam exteriore fomento, rebusque quibusdam stypticis post epulas intus assumptis. Caueamusque diligenter, ne cibum potus exuperet, neue cibus sit liquidior, aut durior, aut hic vel ille valdè sit actu frigidus, aut alimenta sint longè diuersa, aut crudum addamus crudo. Hæc enim concoctionem magnoperè prohibent. Caueamus insuper diligentissimè, ne vel coitu statim post cibum, vel somno meridiano sæpius non necessario, vel nocturna vigilia, vel labore animi vllo, siue corporis importuno, vel alio quopiam pacto digestionem impediamus. Digestionem dico equidem non primam tantum, quæ fit in stomacho, sed secundam etiam quæ fit in iecinore: tertiam insuper quæ in venis: quartam denique quæ in membris efficitur. Quæ longo quodam indigent interuallo, & quauis impedita, pabulum non suppeditatur humori.

Proinde sicut digestionem, sic excrementorum purgationem adimuare in primis necessarium est ad vitam. Necessarium sordes etiam acutè detergere. Necessarius est motus corporis tam continuus, tam temperatus, tam varius, quam cœlestium aërisque motus & ignis & aquæ, seruata dumtaxat concoctionis & somni necessitate, defatigatione verò & resolutione vitata. Præterea sub vmbra situm cariemque obducimus. Sub dio, sub lumine viuimus. Quod pater meus Ficinus insignis Medicus, frequenter habebat in ore. Sed ad hæc feliciter peragenda operæprecium foret, non tam vrbanis negotiis quàm rusticis quibusdam exercitationibus à tenera statim ætate corpus assuefecisse, & quodammodo similibus. Interdum etiam nutrimentis, & vitæ genus quodammodo varium tenuisse. Quod me sæpius ille prudens monebat. Qui enim in omni ætate lautissima quadam curiositate viuunt, sæpè minus tuti viuunt. Qui verò adolescentes se minus assuefecerint, adulti saltem assuefaciant, cautioribus tamen & paulatim id tentantes.

Sanguis & humor accommodatus vitæ, aërius esse debet, qualitate temperatus, substantia medius atque tenax.

CAPVT V.

GRæci omnes inter præcepta ad diuturnam vitam maximè necessaria, mandant vt euchymis alamur. Euchyma vocamus alimenta salubria, quæ bonum afferunt nutrimentum, id est, sanguinem bonum Bonum verò sanguinem appellamus, non frigidum, non siccum, non turbulentum, sed calidum & humidum atque clarum. Calidum quidem calore non acri. Humidum verò humore non aqueo. Clarum quoque, nec tamen interea tenuissimum. Iam verò feruentior sanguis, naturalem tum calorem exacuit, tum exiccat humorem, & quem ipse humorem infert vel calorem, resolubilem præstat atque fugacem. Sanguis præterea humidior proniorque ad aquam, naturalem obtundit calorem, humorem quoque naturalem vel hebetat, vel impellit sub calore liquescere, vel suffocat humiditate calorem Et omnino, si qua portio naturalis humoris ex aqueo sanguine trahitur, tum putrescit facilè, tum citò diffluit, atque dissoluitur. Hinc efficitur, vt qui molliores fructus herbasque comedunt, nisi raro forsan & pro Medicina tunc ventrem leniente sumant, breui venas succo crudo putrefactionique obnoxio peni-

tus impleant. Ac ne id accidat, tutius pro alimento vel coquuntur, vel saltem cum pane miscentur. Sanguis ergo nec igneus esto, nec aqueus, sed aërius. Non aëri crassiori similis, ne proclivior sit ad aquam. Non aëri subtilissimo, ne facilè incalescat in ignem, sed substantiam teneat mediocrem, in qua medius aer dominatum habeat plurimum. Cætera elementa insint, quatenus aëris accommodantur imperio. Non sit eius substantia subtilissima, ne humorem instabilem generet, spiritumque volatilem & dissolutioni subiectum. Non sit crassissima, alioquin & ingenio minimè ministrabit & vix in naturalem humorem ac spiritum permutabitur, meatus obstruet, suffocationi dabit occasionem. Et spiritus qui vix tandem crassus inde creatur, densitate sua, & ipse parum idoneus est ad vitam, & calorem naturalem ita suffocat, sicut fumus densior flammam comprimit protinus & extinguit. Mitto quod saltem adeò tenebrosus est, vt vitam efficiat mœstam, morte deteriorem. In primis autem, vt mihi videtur, ad vitam expedit diuturnam, sanguinem vnà cum substantia quidem aeria valdè, nec admodum crassa, habere glutinosum aliquem in se humorem atque tenacem, qualem fermè cum subtilitate habet oleum oliuarum, & humor anguillæ pinguis simulatque tenuis, & oleum ex terebinthina quadam sublimatione tractum. Tu igitur alimenta, cæteraque omnia quæ sanguinem pro viribus, humoremque talem efficiant, diligenter eligito. Sanguis enim humorque talis sicut oleum flammæ, ita vitali calori pabulum est, & vna cum subtilitate habet etiam firmitatem. Præceptum enim Rasis est pro iuuentute seruanda, rebus vti sanguinem ad præcordia traducentibus, ibique condensantibus, corque fouentibus. Quod Auicenna probat, aquosam labilemque sanguinem præcipiens euitandum. Differens autem in hoc, pro differentia corporum ratio est habenda. Nam vbi densius corpus est, ad subtilitatem sanguinis, vbi rarius ad crassitudinem eiusdem, omnibus est remediis declinandum. Vbi media corporis habitudo, via similiter media tutius imus. Nunquam tamen naturalem corporis habitudinem extirpare conabimur, alioquin vitam ipsam extirparemus. Expedit insuper meminisse, vbi subtilitatem sanguinis valdè veremur, & stomachus interea non sit admodum natura validus, minutioribus ad crassitudinem gradibus accedendum esse, dum gracilem hominem crassioribus alimentis nutrire contendimus, & fouendum interim stomachum & producendum somnium Exercitationem corporis pro viribus augendam, animi minuendam, quæ plurimis sæpissimè nocet. At si minus ferat alimenta viscosa nimium duraque vel admodum frigida, vsu saltem corallorum, sandalorum, rosarum, coriandrorum, myrobalanorum, cydoniorum & diacydonion, saccharique rosacei, stypticarumque rerum eam sanguinis humorisque firmitatem denique consequemur, quam rebus nimium glutinosis hic tuto consequi non valemus. Commodissimè verò ex nucleis pineis pistaceisque & glycyrrhizæ succo, & amido additis amygdalis dulcibus, earumque oleo & cydoniorum semine, atque oleo sesamino vnà cum saccharo candidissimo aquaque rosacea nutrientur, qui viscosa grandiorum animalium membra concoquere nequeant. Concedemus his præterea extrema gallinarum vel hœdorum, & testudines & limaces atque testiculos. Vina dabimus non alba, sed rubra stypticaque & quodammodo subamara, aqua vinum ferrea vel masticea temperantes. Oleo quoque masticis cydoniorumque cutem leuiter leniemus, & vitabimus interim quæ sanguinem subtilem faciunt vel feruentem, nisi forsan nonnihil croci vel cinnamomi tenacioribus epulis infundamus, vt & facilius concoquatur, & cocta per meatus angustos transferantur ad membra. Difficile namque est viscosa vel alimenta paulò firmiora ex stomacho non admodum valido vsque ad digestionem tertiam quartamque perducere, nisi eiusmodi vehiculis perferantur, atque insuper frictionibus lenibus prouocentur. Quas quidem quum facies, manibus eas mollioribus facito, ac memento madefacere manus odorifero quodam vino, in quo camomillam myrtumque coxeris atque rosas.

De communi edendi bibendique regula, & qualitate epularum.

CAPVT VI.

SEd missa in præsentia faciamus obtusissima hominum corpora vel tenuissima, ad communem viuendi rationem perueniamus, communi mediæque corporis habitudini prorsus accommodatam. Caue ne vlla ratione meatus corporis vel supra modum pateant, vel nimium obstruantur. Ibi enim in resolutione & iniuria extrinsecus inferenda discrimen, hic autem in putrefactione & suffocatione periculum. Etsi non arctissimo regulæ fræno, quod Hip-

pocrates damnat, te cohibeo, non tamen habenas tibi ad licentiam vsque relaxo. Herbas & fructus humidiores accipe parcè. Parcius lac & pisces, & vtrumque cum melle. Parcissimè fungos, atque cum aromaticis ac semine pyri. Similiter purum aquæ potum, atque vnà cum parcitate. Quæ humidiora sunt vel pinguia, aromaticis acribusq; condito, alioquin & humorem alienum membris plurimum inferunt atque putridum, & si quem necessarium naturæ humorem suggerunt, hunc præstant citæ admodum corruptioni subiectum. Quod non aliter quàm aquosum vinum conturbatur celeriter & corrumpitur. Hinc cita canicies, & pallor rugositasque senilis. Carnes quoque si quotidie comedantur, ac etiam si pondere pani propinquent, citam putrefactionem inferunt. Vnde Porphyrius Pythagoreorum antiquorumque authoritate fretus, esum animalium detestatur. Nonne homines accepimus ante diluuium longæuos, animalibus pepercisse? Quanquam Medici non tam carnium vsum vetant quàm abusum.

Denique, humida tanquam putrefactioni obnoxia fuge, memoria tenens humidos & pingues senescere citius atque mori. Quod & Hippocrates ait, & res ipsa declarat. Siccissima rursum accipe moderatè, vel saltem liberiore tempera potu. Media tutus eligito. Tametsi Auicenna formam cibi paulo ficciorem molli præponit, ad caniciem euitandam. Ad frigida nimium aut calida cautissimus esto. Calida simul & humida sequere. Si feruet aër, epularum humor calorem superet, si friget, calor humorem. Vtrobique verò modicus fit excessus. Vbique calor & humor nonnihil glutinosum habeat atque stypticum, vt illinc membris irrigatus humor inhæreat firmius, ac diu sub calore perduret. Electum triticum & panis electus hoc in primis habet. Deinde rubrum stypticumque vinum parumque dulce. Tertio pinei nuclei resque iis temperie & lentore persimiles. Quarto carnes non humidæ simulatque laxæ, vt suillæ & agninæ lactentes. Medici tamen veteres, maximè Galenus, suis carnes & sanguinem, propter quandam cum corpore nostro similitudinem valdè commendant. Optimæ sunt igitur similibus corporibus, vt rusticis & robustis, corpusque multum exercitantibus, præsertim si quatriduum gariophylis, coriandris præparatis, sale conditæ seruentur. Et sanguis forsan vtilis si cum saccharo coquatur, defecatusque ad summum fuerit atque liquens. Sed vt ad numerum reuertamur, non probantur carnes humidiores, quales diximus, non duræ simulatque siccæ, quales vetustioris leporis atque bouis, sed mediæ quædam, vt gallinaceorum, pullorum, caponum, pauonum, phasianarum, perdicum, fortè etiam pullorum columbinorum, præsertim domesticorum. Tales quoque sunt capreoli vitulique iuuenes & anniculi verueces, pariter atque apri. Hœdos non sperno lactentes, caseumque recentem. Auiculas equidem prætermisi. Frequens enim subtiliorum alimentorum vsus, stomacho solum conuenit crassiora minimè toleranti. Qui verò validior est, fugacem ex iis fumum reportat vel humorem. Oua tamen gallinarum non prætermitto, si vitellus vnà cum albo comedatur. Vitellus namque solus delicatorum est nutrimentum, nam Auicenna probat nutrimentum nullum expedire magis in diminutione sanguinis & dissolutione spiritus cardiaci quàm vitellum oui gallinæ, vel perdicis, vel phasianæ. Neque fortè ab re fuerit anseres nutrire spelta aquaue nitida, ac post necem carnes sale & coriandris aceto præparatis conditas, dies septem seruare prius quàm edas. Ceruumque similiter, si stomachus fuerit validissimus.

Probabile namque est longæua quædam animalia ad vitam conferre longæuam, si tamen huiusmodi carnes iuuenes comedant: Similiter aliæ carnes vicissim sint tum assæ, tum elixæ. Cibus esto duplus ad potum. Panis duplus & sesquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, herbas, fructus humidiores. Ne incipiat à potu mensa, neque potus sit semel vberior. Semper stypticum aliquid absque potu vel modico, sequatur mensam. Vbi complexio, ætas, locus, tempus, ad calidum siccumue labitur, tu quoque paulisper ad opposita declinato. Vbi ad frigidum aut humidum, similiter ad opposita vergito. Vbi temperies, seruato temperiem. Eatenus autem exercitationi quidem corporis est addendum, & animi detrahendum, quatenus epulis vescimur durioribus ad diuturnitatem vitæ aliquando forsitan necessariis. Mensæ tibi sint in nouem diei horis duæ, & vtrobique parcæ. Parcior verò cœna. Exercitationes corporis duæ fermè post digestionem primam ad sudorem quasi productæ. Somnus quidem nocturnus, quia semper est necessarius, semper bonus, diurnus autem nisi admodum necessarius, nunquam bonus.

(.:) (.:) (.:)

Non esse vtendum alimentis quæ citò putrescant, vinum & triticum præ cæteris eligenda, putrefactio & resolutio fugienda.

CAPVT VII.

Animalia verò quæcunque in nostram custodiam veniunt, mundis electisque alimentis nutrienda sunt antequam vescamur. Atque hæc & alia omnia ex pascuis altioribus & odoriferis eligenda sunt. Inter hæc regulam ante omnes ab Arnoldo Philosopho comprobatam, memori semper mente teneto. Animantes, herbas, poma, fruges, vina ex altis oporiferisque, vt diximus, regionibus eligere oportere, quas venti temperati serenant, suaues Solis radij fouent, vbi aquę nullæ stagnant, culta sterquilinio non pinguescunt, sed humore natiuo, vbi etiam quæcunque nascuntur, diu permanent incorrupta. Hic dumtaxat habitandum est, hic quoque nascentibus vescendum est, ex alimentis quæ breui putrescunt, humorem nos comparaturos diuturnum, & à putrefactione remotum. Neque sperandum facilè nos diu victuros, vbi terræ fructus incorrupti diu non conseruantur, vbi raro admodum homines sunt longæui. Quantum verò sit in loco victuque discrimen, pomum declarat persicum. In Persica quidem venenum, in Ægypto, cordis amicum. Et helleborus in Anticyra impunè sumptus, alibi verò venenum. Aristoteles habitationem eligit altam ad meridiem orientemque spectantem, sub aëre subtili, nec humido, nec frigido. Et Plato longæuos in æditissimis atque temperatis reperit regionibus. Deterrimum verò est stercorare agros, vel aquas stagnantes ex agris minimè deriuare. Omnia enim illic citæ corruptioni subiecta nascuntur. Quamobrem eos non vituperare non possum, qui sapientem Hesiodum idcirco vituperant, quod in re rustica sterquilinium prætermiserit. Sed ille prudens salubritati potius quàm fertilitati consuluit. Satis autem ex lupinorum fabarumque foliis tempestiuè subuersis, agrum pinguefieri posse putauit. At verò si regiones humidiores immundasque colere, & alimenta minimè duratura sumere compellamur, eum quasi seruemus victum, quem sub aëre pestilenti Medici mandauerunt. Qua de re in libro contra Pestilentiam satis egimus. Summatim verò suauibus & quodammodo calidis vtemur odoribus. Aloë ritè præparata sæpè, leuiterque purgabimur. Ritè vero præparatam dicimus, si lota fuerit aqua rosacea vel succo rosarum, aut si cum rosis recentibus contritisque fuerit perfectè commixta.

Deinde addatur ei myrobalanus atque mastix, & fortè rosa. Medicina hæc extra controuersiam mirabilis est ad conseruandam diu mentem sanam in corpore sano. Præterea corpus exercitabimus, opportuno vtemur foco. Hoc puluere epulas condiemus. Myrobalanorum emblicarum sit pars vnciæ quarta, sandalorum vero dimidia, cinnamomi integra, octaua croci. Hoc itaque puluere rebusque simul acribus imminentem & putridis alimentis & locis corruptionem forsitan inhibere poterimus. Meminerimus autem, vbi multo plures putrefactione suffocationeque quàm resolutione pereunt, ibi putrefactioni, & suffocationi maximè resistendum. Vbi vero contrà, vicissim vti condimentis aromaticis, & quodammodo austeris, vt diximus, odoribusque similibus quouis tempore putrefactionem prohibet vngi oleo; frigoris iniuriam, vti lauacris ex aqua & oleo, resolutionem ex labore vel calidis temporibus imminentem. Similiter os aqua sæpè colluere, succum glycyrrizæ vel saccharum crystallinum ore tenere. Aqua rosacea multa, paucoque aceto rosaceo manus faciemque perfundere, similibusque odoribus vti. Septima, quaque hora alimentis modicis recreari, corpore simul & animo conquiescere, calore vitato. Plurimum vero interest, quale sit vinum & triticum, quibus assiduè vescimur. Hæc ergo sint talia, vt vltra annum & potius ad triennium integra perseuerent, si modo incorruptibilem ex iis alimoniam sperare debemus. Vinum, siue album siue rubrum sit, esto clarum, suaue, stypticum, odoriferum, & quod indigeat aqua. Nisi fortè vinum repereris, leue simul atque durabile, quod rarissimum esse solet. Quod verò validius est, Philosophus Isaac vinum dicit esse vinosum, coctum Sole, ventisque purgatum, quod aqua fontis puri temperari iubet, aliquamdiu antea quàm bibamus, vt perfectius misceatur. Aquosum verò vinum atque debile vel acerbum, fugiendum monet, vtpote quod intra venas & membra acidum cito fiat, aut aliter putrefiat. Vinum quidem aquosum putrefactioni subiectum, si conseruata eius substantia coctum fuerit, hoc saltem erit vtile, alioquin non laudatum, quod humorem corruptibilem non creabit, sed acumen eius aqua electa temperandum erit. Vinum verò quale probauimus, Isaac ex antiquorum sententia theriacis magnis inquit esse persimile. Quod, vt diximus, temperatum,

habitudinem corporis frigidam calefacit, refrigerat calefactam, humefacit siccam, humidiorem verò desiccat, atque (vt Galenus ait) naturalem humorem recreat, calorem fouet, vtrunque contemperat. Miscere verò vinum eiusmodi magis necessarium est iuuenibus: minus senibus, frigidis verò senibus minimè. Frigida namque duraque senectus (vt inquit Plato) ita mero feruet atque mollitur, sicut vel igne ferrum, vel aqua lupini. Quod diximus per vinum opposita fieri, atque dissidentia temperari, scito etiam per glycyrrhizam fieri, sed debilius. Fieri etiam per oleum rosaceum, sed extrinsecus. Hæc ergo tibi familiaria sunto. Neque diffidas quicquid & qualitate temperatum est, & virtute potens, posse reliqua temperare, sicut frigus alia frigefacere, id in primis habere temperamento Iouis quo etiam saluberrima sunt. Sed de his alibi disputandum.

Diæta, victus & Medicina senum.

CAPVT VIII.

QVi septimum iam septenarium impleuerunt, quinquagesimum attingentes annum, cogitent Venerem quidem significare iuuenes, Saturnum verò senes, atque has apud Astronomos stellas inter se maximè omnium inimicas existere. Rem ergo veneream Saturno fugiant, quæ iuuenibus etiam vitæ plurimum detrahit. Non enim natis consulit, sed nascituris, ipsasque etiam herbas statim producto semine siccat. Præterea frigus aeremque nocturnum lethiferum sibi putent, atque eum omnino victum serient, ex quo sanguinem plurimum sperent, spiritumque quàmplurimum, ex vitellis videlicet ouorum recentibus, vino aliquantum quidem dulci, odorifero vero quàmplurimum. Nam hic vitellus propriè cordis sanguinem, vinum præcipuè spiritum recreat. Carnibus electissimis coctuque facillimis omni summatim vtantur diæta, calidum pariter atque humidum augente. Spiritum odoribus præsertim vini assiduè recreent. Vigiliam & inediam sitimque deuitent, laborem rursus corporis atque animi, & solitudinem & mœrorem. Musicam repetant si fortè intermiserint, nunquam intermittendam. Ludos quosdam & mores quoad decet olim anteactæ pueritiæ reuocent. Difficillimum namque est (vt ita dixerim) reiuuenescere corpore, nisi ingenio prius repuerascas. Itaque in omni etiam ætate magnopere conducit ad vitam nonnihil pueritiæ retinere, & oblectamenta varia semper aucupari. Longum verò profusumque risum minimè, spiritum namque nimis ad exteriora dilatat. Sed redeamus ad senes. Hi præterea si frigeant, fomenta petant aromatica & calida simulatque humida. Meminerint puerile non esse puerile illud Auicennæ fomentum, factum quidem à Dauide; sed tardius fortè factum. Fomentum seni mirificum. Medulla recentis adhuc calentis panis infuso maluatico vino cum puluere menthæ, appositæ stomacho & sæpè ad olfactum adhibita. Nam & medullas eiusmodi etiam sola Democrito iamjam expiraturo retinuit spiritum, quoad placuit fugitiuum. Præterea frictionibus vtantur leuibus, seu quandoque lauacris nutrimentum prouocantibus ad extrema. Nucleos ante omnia pineos videlicet ablutos, familiares habeant Hoc enim nutrimentum Medici veteres senibus aptissimum probauerunt. Calidum enim & humidum est & pingue, & omnem lenit asperitatem, atque simul, quod mirum est, dum naturalem humorem auget, interea superfluum desiccat, putridumque expurgat humorem. Sunt qui nucleorum eiusmodi drachmam vnam quotidie post cibos exhibent senibus comedendam. Ego drach. quoque alteram ieiuno stomacho senibus exhiberem, vel recens, calens, auratum, pinucleatum. Componerem quoque electuarium hoc pacto. Sume amygdalarum dulcium mūdatarum vncias quatuor, tantundem eiusmodi nucleorum, pistaciorum duas, vnam seminum cucumeris, vnam nucum auelanarum mūdatarum, contunde, coque vnà cum candidissimo saccharo, cui tamen addideris vnam zinziberis recentis conditi drachmam, croci dimidiam, musci tertiam, ambræ tantundem, saccharum, aqua melissæ, idest, citrariæ rosarumque fundito, multa aurifolia his adhibeto. Huius enim vsu quotidiano, vitam senes validiorem longioremque consequentur Possunt & in mensa hoc accipere & pluribus horis ante mensam. Vtilius autem tunc erit, si quid albi odorique vini vnà cum confectione eiusmodi biberint. Temporibus verò calidioribus saccharum rosaceum vnà cum aurifoliis, & conditæ myrobalani vitam senibus prorogabunt. Theriacam nemo dubitat ad idem humidis conuenire personis atque temporibus. De cuius vsu satis in libro superiore dictum. Nemo etiam negabit his prodesse admodum radices enulæ, beeniasque radices, albas similiter atque rubeas, maximè verò recentes illam quidem pro nutrimento, has etiam pro aromate, & omnia simpliciter calida, humidaque, &

que & aromatica simul & styptica, simulque pinguia. Certum est senes electo glycyrrhizæ succo familiares vti debere. Tradunt enim glycyrrhizam esse humani corporis calori pariter & humori persimilem, præterea variis senum morbis opitulari. Lac quoque amygdalinum, & amidus cibus familiaris esto, & saccharum atque passulæ Rasis tripheram ex myrobalanis Indis, emblicis belliricis confectam. Item myrobalanos Indas conditas saccharo, non solum ad retinendam, sed etiam ad retardandam senectutem valdè probat. Auicenna laudat tripheram myrobalanorum maiorem atque minorem. Rursus confectionem de squama ferri, maximè verò auri. Iubet quotidie mandere myrobalanos, præcipuè chebulas ritè conditas, ad differenda senectutis incommoda.

De naturis aromatum & cordialium necessariis, & rursum qualis senum victus.

CAPVT IX.

SCito myrobalanis varias inesse virtutes. Vnam quæ mirabiliter superfluũ exsiccat humorem, vnde caniciem prohibet. Secundam quæ humorem colligit naturalem, & à corruptione simul & inflammatione tuetur, vnde vitam producit in longum. Tertiam quę styptica aromaticaque potentia, virtutem & spiritum naturalem & animalium congregat & fouet, & roborat. Hinc aliquis vitæ lignum in paradiso myrobalanum fortè fuisse putabit. Simile quiddam fermè faciunt aurum & argentum, corallus, spodiumque, & preciosi lapilli, quamuis pro aromatica virtute facultatem afferant illustrandi Tu verò memento aromatica tunc maximè prodesse nobis ad vitam (vt suprà significauimus) quando cum vigore quodam aromatico humida sunt pariter atque calida, lentoremque pinguem habent, commodum augmento, quales sunt in primis radices beeniæ albæ, similiter atque rubentes præsertim recentes. Aut saltem quando cum virtute quadam subtili odorifera & acuta, substantiam densam habeant, & stypticam valdè proprietatem, qualis vtique compositio inter cordialia frigida primum myrobalanis inesse videtur & succino. Deinde rosis & succo, & semini citri. Tertio sandalis & coriandris, atque myrto, cæterisque similibus. Inter calida verò cordialia zedoariæ, ligno aloës, citri cortici, & chariophylis, nuci muscatæ, maci, olibano, mastici atque doronico. qualem etiam saluiæ experimur inesse. Tradunt ambrâm & muscum stypticam habere virtutem. Zinziber autem ob quandam eius humiditatem, præsertim recens & conditum, senibus sæpè prodest. Sed hoc & chariophylus propter caloris vehementiam, cautè videtur accipiendum. Zedoaria quoque caute, tametsi theriacæ similis iudicatur, & stypticam simulatque pinguem naturam habet, senibus commodissimam. Ambra propter calorem quasi temperatum tuto fermè sumitur, ac propter lentorem cum styptica subtilitate mixtum, prærogatiuam habet ad vitam in membris & spiritibus confirmandam, tum verò si ex ea fiat aqua, cutisque lauetur, digestionem quartam restituit, ac morbos eius defectu contingentes expellit. Aromatica verò, quæ subtilem admodum substantiam habent, qualem cinnamomum atque crocus, cordialibus frigidis & durioribus sunt miscenda. Nam aromatica si tantum calida subtiliaque sint, & sola sumantur, naturalem calorem nimis excitant, humoremque dissoluunt. Necessaria tamen sunt, tum frigidioribus & humidioribus epulis concoquendis, tum cordialibus duris ad præcordia transferendis. Te namque latere non debet, humorem ipsum vitæ necessarium primas in corde sedes habere & arteriis venisque eiusdem, quod Isaac perspicuè docet, atque, vt Auicenna probat, hic humor naturali cæterorum membrorum humore frequenter irrigatur atque fouetur Quapropter cauendum est, ne membri vllius humor casu quopiam arefiat, multoque magis, ne præcordiorum humor comminuatur. Atque vt nutrimenta vel fomenta, & cordialia omnia per angustos meatus ad præcordia latissimè perferantur, his insere crocum Vt verò sistantur ibi, myrobalanos adhibe Vt autem consequaris vtrunque, accipe inter calida muscum atque ambram, inter frigida rosas atque myrtum. Memento dulce marathrum senibus profuturum. Nam & nutrimentum per membra diffundit, & qua facultate lac, eadem humorem auget naturalem. Vnde Dioscorides marathro serpentes ait annuam exuere senectutem. Probamus & saluiam. Hęc enim naturæ virtutem temperatè calefacit & firmat, paralysim propulsat. Probamus & moderatũ conditi zingiberis vsum, habet enim cũ calore pinguedinem.

De auro, & aureis alimentis, & refocillatione senum.

CAPVT X.

AVrum omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum tempera-

tissimum, & à corruptione tutissimum. Si quidem propter splendorem, Ioui autem propter temperaturam consecratum, ideoque posse calorem naturalem cum humore mirificè temperare, humores à corruptione seruare, Solarem & Iouialem spiritibus & membris inferre virtutem. Verumtamen oportet durissimam auri substantiam, subtiliorem facere, penetratuque facillimam. Nouerunt enim cordialia tunc maximè latentem cordis recreare virtutem, quando in eis attrahendis minimè natura laborat. Vt autem minimè fatigetur, vel subtilissima iam effecta, vel cum subtilissimis sunt exhibenda. Optimum fore putant, si absque aliena permixtione aurum potabile fiat. Sin minus possit, contusum, & in folia redactum accipi volunt. Aurum fermè potabile habebis (vt dicam) Collige flores boraginis, buglossæ, melissæ, quam citrariam nominamus, & quando Luna Leonem subit vel Arietem, vel Sagittarium, aspicitque Solem aut Iouem, coque cum candido sacharo, aqua rosacea liquefacto, & pro qualibet vncia insere diligẽter aurifolia tria. Ieiunus cum vino quodam aureo sume. Item aquam ex capone destillantem foco vel aliter consumpto, vnà cum Iulep sume rosaceo in quo auri folia quædam antè contuderis. Præterea in nitidissimam fontis aquam aurum extingues ignitum, cum eodem auri contundito folia. Eadem vinum aureum temperato, & vnà cum eiusmodi potu comedito recentem oui vitellum. Facilè verò in tota corporis arbore seruabis humorem, si in radicibus conseruaueris. Accipe igitur gallinarum & pullorum eiusmodi atque caponum, cor, iecur, stomachum, testiculos, atque cerebellum, coque aqua modica, minimo sole. Cocta contunde ex tota carne & toto iure & sacharo, addito recentis oui vitello, fac placentam modico cinnamomo crocoque conditam & auratam. Hac vescere esuriens semel saltem, quarto quoque die, & tunc quidem sola, claro tamen ad potum addito vino.

De vsu lactis sanguinisque humani pro vita senum.

CAPVT XI.

SÆpè post decimum statim & nonnunquam post nonum septenarium, arbor humana arefacto paulatim humore tabescit. Tunc primum humano iuuenilique liquore irriganda est hæc arbor humana, quo reuirescat. Eliges ergo puellam sanam, formosam, hilarem, temperatam, & famelicus lac eius sugito crescente Luna, statimque comedito marathri dulcis modicum puluerem sacharo ritè confectum. Saccharum quidem lac in ventre cogi vel putrefieri non permittit, marathrum verò quum & subtile sit & lactis amicum, dilatabit ad membra. Quos hectica senilis exedit, Medici diligentes liquore humani sanguinis, qui arte sublimi destillauit ad ignem reficere moliuntur. Quid ergo prohibet, quo minus senio iam quasi confectos interdum hoc etiam potu reficiamus? Communis quædam est & vetus opinio, aniculas quasdam sagas (quæ & striges vulgari nomine nuncupantur) infantium sugere sanguinem, quo prouiribus iuuenescant. Cur non & nostri senes omni videlicet auxilio destituti, sanguinem adolescentis sugant? volentis inquam adolescentis, sani, læti, temperati, cui sanguis quidem sit optimus, sed fortè nimius. Sugant igitur more hirudinum ex brachij sinistri vena vix aperta, vnciam vnam aut duas. Mox verò sacchari vinique tantundem sument, idque esurientes & sitibundi facient crescente Luna. Si crudus ægrè concoquitur, coquatur prius vnà cum sacharo, vel ad aquam calidam moderatè destillet sacharo mixtus, deinde bibatur. Fouere quoque stomachum tunc sanguine suillo præsens auxilium est, quem vtique sanguinem è vena suilla fluentem, spongia calente vino madefacta cõbibat, & stomacho statim calens admoueatur. Galenus atque Serapio morsum rabidi canis sanguinis canini potu curari dicunt. Rationem verò illis assignare non placuit. Ego igitur biduum eam quæritans, opinor denique saliuam carnis rabidi venenosam, impressam hominis pedi læso, per venas paulatim ad cor ascendere, more veneni, nisi quid interea distrahat. Si igitur interim canis alterius sanguinem ille biberit, sanguis ille crudus ad multas horas natat in stomacho, cum denique velut peregrinum deiecturo per aluum. Interea caninus sanguis iste saliuam caninam superiora membra prensantem prius quam ad præcordia veniat, deriuat ad stomachum, nam & in canino sanguine virtus est ad saliuam canis attrahendam, & in saliua vicissim virtus ad similem sanguinem prosequendum. Venenum igitur à corde semotum, sanguinique imbibitum in aluo natanti, vnà cum sanguine per inferiora deducitur, hominemque ita relinquit incolumẽ. Quorsum hæc? Primo quidem vt rei tam occultæ, succurrentem inter disserendum causam aperuerim. Deinde vt moneam, sanguinem potari posse & quidem salubriter, atque in sanguine

humano virtutem esse, qua humanum sanguinem attrahat, & mutuo prosequatur. Ne fortè diffidas iuuenilem sanguinem à sene bibitum trahi ad venas membraque posse, ibique prodesse quamplurimum.

De diæta, habitatione, & consuetudine senum.

CAPVT XII.

MEminisse decrepitos expedit, naturam debilem non esse nutrimentorum pondere fatigandam, vel etiam epularum diuersitate nimia distrahendam. Nam & iuuenilis ætas hoc vitio fit citò senilis. Diuidant ergo mensas, nec tam multa naturam alimonia quam frequenti reficiant, interuallo tamen interim ad digestionem dato. Nam sæpè etiam postquam stomachus ipse concoxerit, nisi & iecur quasi digesserit, sumere nutrimentum, naturam distrahit atque fatigat, quæ quidem lassitudine sæpius frequentata, aduolat intempestiua senectus. Senes hyeme velut oues aprica petant, æstate velut aues amœna riuosque reuisant. Frequenter inter virentes versentur plantas, & suauiter redolentes, hæ namque viuentes, spirantesque conspirant ad spiritum hominis augendum. Ad loca verò communiter apibus amica confugiant, mellaque hyeme degustent. Mel enim cibus est senibus in primis amicus, nisi vbi bilis timetur incendium. Amicus caseus recentissimus, amici dactyli, ficus, passulæ, cappares, dulcia punica, zizipha, hyssopus, scabiosa, betonica, sed pistacia multo magis. Pinei verò nuclei maximè omnium, sicut diximus. Ex quibus plurimum referent adiumentum, si eos horas duodecim in aqua paulum calida teneant priusquam edant. Sic enim stomacho non nocebunt. Ac præterea, si dum his vtuntur, etiam inter pineta & oliueta vitesque versentur, aut saltem pini vaporem accipiant & odorem. Item gummi lachrymaque pini cum oleo vel vino corpus sæpè deliniant. Probabile enim est arbores longa naturaliter vita donatas, præsertim sic etiam hyeme virescant, ad longam tibi vitam vmbra, vapore, nouo fructu, ligno & tempestiuo quolibet vsu prodesse. De animalibus autem longæuis suprà diximus. Iam verò ad idem tibi fortè conducet, si viuas plurimum penes eos qui sani, tibi sano natura sint similes & amici, ac magis forsan si paulò iuniores. Vtrum verò & quomodo frequens adolescentum consuetudo parumper senium retardare valeat, pudicus Socrates consulendus.

Quæ adminicula senes à Planetis accipiant ad omnia membra fouenda.

CAPVT XIII.

VErum consulite potius soliciti senes Apollinem, qui Socratem Græcorum sapientissimum iudicauit. Consulite Iouem insuper atque Venerem. Phœbus ipse artis Medicinæ repertor, nucem muscatam vobis fouendo stomacho dabit. Iupiter cum Phœbo mastichen atque mentham. Venus verò corallũ. Fouendo rursum capiti Phœbus pæoniam, thus, amaracum, & cum Saturno myrrham. Spicam nardi macemque Iupiter. Venus denique dulce marathrum atque myrtum. Ad cor verò fouendum accipietis à Phœbo quidem citrariam, crocum, lignum aloës, thus, ambram, muscum, doronicum, modicum chariophylorum, citri corticem, cinnamomum. Ab Ioue lilium, buglossam, ozimum & mentham, beeniasque radices, & candidas pariter & rubentes. A Venere sola quidem myrtum & sandalum atque rosam, vnà cum Saturno coriandrum. Hæc vos condite diligenter. Et quæ stomachi sint, cydonicum oleo in formam ceroti cõficite. Quæ verò capitis, oleo spicæ perfundite ac illinite ceruicem, tempora, frontem. Quæ denique cordis, aureo vino spargite, aquaque rosacea, eaque foris præcordiis admouete. At iecur in primis creando sanguini necessarium, nescio quomodo prætermisimus. Huic ergo semper Eupatorio & opobalsamo Phœbus opitulabitur. Pistaceis Iupiter atque passulis, Venus autem hepatica, endiuia, spodio, cicorea. Lieni tandem fouendo Saturnus ille vester vnà cum Ioue capparim dabit vobis, scolopendriam, tamariscum. Sicut vesicam Iupiter cum Venere, pina, glycyrrhiza, amido, cucumeris seminibus, malua, althæa, manna, casia curat. Saturnum verò verendum pluribus, ne adeò vos fugite senes. Hic enim quàm peregrinus est iuuenibus, tam vobis domesticus erit. Vt igitur totum ipsi quoque vobis corpus vegetet pro viribus, atque confirmet, accipietis nonnunquam ab eo regnante pariterque à Phœbo muniam simul, & anseris assi pulpam, hæc anseris adipe modico delinite, contundite diligenter, Myrobalanorum chebularum atque Indarum melle concoquite, ambra, musco, croco condite, credentes Medicinarum ad vitam conferentium veram esse fidem. Qua speretis & Deum supplicantibus vobis adspiraturum, & res ab eo creatas, præsertim cœlestes mirificam proculdubio ad augendam vel conseruandam vitam habere potentiam.

De confabulatione senum sub Venere per virentia prata.

CAPVT XIIII.

Sed à grauioribus his numinibus ad Venerem parumper vos per hortos & prata senes virentia reuoco. Ad almam Venerem vos omnes aduoco, non ludentem quidem vobiscum, sed jocantem. Hæc & vobis, inquam, & mihi iam seni, primo quidem iocosum hoc fundit oraculum. Ego filij (si nescitis) voluptate motuque vobis vitam dedi. Ego igitur voluptate quadam motuque & si non simili, vobis seruabo vitam. Eandem quoque seruabit libertatem Liber vitis sator, propagator vitæ. Liber ipse semper odit seruos, & quam vino promittit vitam, solis liberis implet longam. Meæ quidem vitæ simul atque menti quondam profuit regnante Saturno diminuta mentha, placetq; quotidie. Vobis autem maior mentha mente vitæque prodest, diminuta nocet. Risum ex meis hortis legite, negligite ficum. Has verò violas quando carpitis, carpere vos existimate lilia, prehendentes lilium, comprehendere crocum. Crocum à Phœbo Iupiter ipse nactus propagauit in lilium. Lilium à Ioue suscipiens, in has quas hic videtis, violas transformaui. Denique rosa quidem vobis esto Lucifer, Hesperus verò myrtus. Post oraculum nobis cogitandum, mandat rerum viridium naturam, quatenus virent, non solam esse viuam, sed etiam iuuenilem, humoreque prorsus salubri, & viuido quodam spiritu redundantem. Quapropter odore, visu, vsu, habitatione frequenti iuuenilem inde spiritum nobis influere. Inter virentia verò deambulantes interim causam perquiremus, ob quam color viridis visum præ cæteris foueat, salubriterque delectet. Inueniemus tandem naturam visus esse lucidam, ac lucis amicam, volatilem tamen ac facile dissipabilem. Idcirco dum per lucem se dilatat amicam, interdum nimio lucis excessu rapi prorsus, & vehementi dilatatione dissolui, tenebras autem naturaliter velut inimicas fugere, ideoque radios in angustum inde retrahere. Optat verò visus ita perfrui lumine, vt per amicum hoc suum amplificetur quidem, nec tamen interim dissipetur. Iam verò in quocunque colore plus admodum tenebrarum siue nigredinis quàm lucis, non dilatatur, nec ideo delectatur radius visus ad votum. Vbi vicissim plus admodum splendidi coloris est quàm nigri, spargitur latius, noxia quadam voluptate distractus. Quamobrem color viridis, maximè omnium, nigrum cum candido temperans, præstat vtrumque, delectans pariter atque conseruans, & molli insuper & adhuc tenera qualitate, sicut & aqua radiis oculorũ absque offensione resistit, ne abeuntes longius disperdantur. Quæ enim dura sunt simul & aspera, frangunt quodammodo radios. Quæ verò rarissima sunt, dissolutioni aditum patefaciunt. Sed quæ soliditatem aliquam habent, lenemque simul æqualitatem, sicut specularia corpora, nec ipsa quidem frangunt, neque longius disperdi permittunt. Quæ denique præter hæc beneficia, tenera quoque sunt & mollia, sicut aqua resque virides, liquidis oculorum radiis mollitia blandiuntur. Denique visus radius quidam est in quadam oculorum aqua naturaliter nobis accensus, ac temperatum lumen in aqua quodammodo resistente requirit. Itaque gaudet aqua, delectatur speculis similibus, viridibus oblectatur. In quibus sanè viridibus solis lumen insitum adhuc vernum secum habet humorem, aquamque subtilem occulto quodam lumine plenam. Ex quo fit etiam, vt color viridis cùm tenuatur, in croceum resoluatur. Quorsum hæc? Vt intelligamus frequentem viridium vsum, siquidem visus spiritum recreat, qui in animali spiritu quodammodo præcipuus est, animalem quoque reficere. Atque etiam meminerimus, si color viridis, quia inter colorum gradus medius atque temperatissimus est, tantùm animali spiritui prodest, multo magis quæ per qualitates temperatissima sunt, naturalem & vitalem spiritum in natura, atque admodum profutura nobis ad vitam. Nihil in mundo temperatius est quàm cœlum, nihil sub cœlo fermè temperatius est quàm corpus humanum, nihil in hoc corpore temperatius est quàm spiritus. Per res igitur temperatas vita permanens in spiritu recreatur. Spiritus per temperata cœlestibus conformatur. Denique discamus ex temperie viridis, quæ illuminando æquè congregat animalem spiritum atque dilatat, ideoque maximè iuuat, nos quoque in cordialibus eligendis, componendis, vtendis, aromatica, subtilia & acuta, quæ spiritum extendere vel etiam illuminare solent, quod facit crocus atque cinnamomum, cum aromaticis semper stypticis congregantibusque, ceu myrobalanis, & similibus commiscere, atque vicissim.

Neque præmittere quæ absque acumine etiam aromatico simul vtrumque conficiunt, aliquanto videlicet dilatant,

atque admodum congregant, multumque illuminant, quæ & aliàs narrauimus, quod efficit aurum, argentum, spodium, corallus, electrum, sericum, pretiosi lapilli, inter quos hyacinthus vel ore detentus ob Iouialem temperiem plurimum comprobatur. Cùm enim sub terra nequeant speciosissima, & quasi cœlestia procreari absque summo quoddam beneficio cœli, probabile est rebus eiusmodi mirificas cœlitus inesse virtutes. Compositio verò eiusmodi quæ dilatando & illuminando spiritum æquè congregat, ita delectat eum intrinsecus atque recreat, sicut foris viriditas oculos; atque ipsum etiam apud senes in naturali quadam viriditate diutissimè seruat, quasi laurum, oliuam, pinum, etiam hyeme virentem. Tantoque magis id efficit, quod efficit, & interius, atque maximè si compositio talis aromatico flagret odore alliciatque sapore. Profectò sicut corpus ex crassioribus humorum partibus compositum in quintam redigitur formam, ita spiritus ex subtilissimis eorundem portionibus constitutus, formam habet quintam naturaliter temperatissimam atque lucidam, ideoque cœlestem. Atque in hac ipsa forma conseruandus est, vt subtilis quidem sit, & interea firmus, sicut diximus. Sit omnino lucidus, sed etiam quodammodo solidus. Ac præterea rebus odoriferis, firmis, lucidis, assiduè foueatur; si vitam cupimus conseruare quæ viget in spiritu, & vendicare nobis cœlestia dona. Hæc hactenus iussu Veneris contemplati, Venerem ipsam audiuisse putemus.

Prosopopœia Mercurij senibus consulentis circa voluptatem, odores, cantus, & Medicinas.

CAPVT XV.

INterea dum inter senes ipsa quasi Venus confabularetur, fortè quidem hactenus satis belle, deinceps verò prolixius forsan fabulatura foret. Sermonem hunc his Mercurius vocibus, sermonum autor interpellat. Quidnam vobis est cum Venere istac semper puella senes? Quid rursum Veneri cum sermonibus? Nonne mei simul atque vestri sunt sermones? Mea ratio pariter atque vestra? Audite me igitur eadem nunc attentione, qua illam, & multo maiore insuper attentione quam Venerem. Quinque scitis esse sensus, visum, auditum, olfactum, gustum, tactum. Esse rursum quinque (vt ita dixerim) discite rationes. Dum enim per quinque sensus quotidie imbuitur vobis animus, rationesque inde rerum ipse concipit, interea notiones habitusque ad res iudicandas quinque, tanquam rationes quinque resultant. Præterea sicut quinque hinc quidem sunt sensus, inde verò quodammodo rationes, ita vitæ tenor quinque gradibus circa sensum rationemque disponitur. Vnde quinque numerantur ætates. Prima quidem sensu tantum trahitur. Secunda, sensu magis admodum allicitur, quàm ratione ducatur. Tertia post hæc alternis pariter rationis & sensus persuasionibus agitur. Quarta, ratione potius quàm sensu ducitur. Quinta tandem ratione tantum regi debet. Prima igitur ętas atque secunda tanquam subiecta Veneri, Venerem si placet loquentem audiat, reliquæ verò Mercurium. Ego igitur reliquos vos omnes alloquor, non pro me quidem tantum, sed pró Diana etiam hac, quam ad sinistram meam cernitis; nempè quum hæc elinguis sit, ego verò bilinguis, iure pro hac ipsa, cuius ego linguam habeo, loquor. Vnam profectò noxiamque Venus vobis indidit voluptatem, qua noceret quidem vobis, prodesset verò futuris, exhauriens paulatim vos per latentem quandam quasi fistulam, aliudque vestris liquoribus implens atque procreans, vos tandem quasi vetustum quoddam spolium cicadarum iam exhaustum humi relinquens, cicadæ interim teneriori prospiciens. Nonne videtis quod Venus de materia vestra generat esse recens quiddam & viuum, sensuque præditum? Surripit ergo vobis iuuentutem & vitam atque sensum, ex toto, inquam, corpore per totius voluptatem, vt efficiat inde totum. Ego interim materiæ illius quæ quartæ digestioni superest qualitate monitus, vos commoneo, alimenta similiter quarta digestione cocta plurimum vitæ vestræ succurrere. Ouum recens videlicet integrum & sorbile vna cum saccharo exiguoque croco, lac humanum, vel suillum, vel caprinum cum pauculo melle sumptum. Atque hæc duo tunc salubriora sunt, quando natiuo adhuc calore flagrant. Etsi ouum aliam mox cocturam desiderare videtur, præsertim in stomacho minus valido sed leuiter est coquendum. Verum vt parumper ad Venerem redeamus. Si quando vidistis Venerem, iuuenilem admodum vidistis, & quasi meretriciis fucis & ornatibus expolitam. Hæc ergo quæ noua semper est, noua semper affectat, odit vetera, facta destruit, vnde construat facienda. Hæc rursum (si dictu fas est) quasi meretrix non vno quouis est contenta viro, vulgus amat, & vt dialecticè loquar, speciei passim

potius quàm indiuiduo suffragatur. Iam verò neque tactu tantum vos præcipitat, sed etiam gustu fallit quotidie perditque deceptos. Quos enim vos in rebus sapores percipitis mediocri quadam temperie gratos, hos Diana hæc Apollinis Iouisque munere tradidit. Illecebras verò saporum miras, quibus quotidie velut homo capti clam miseri vitam perditis, Venus insidiosa fabricat. Quid igitur Martem incusatis? Quid Saturnum? Mars quidem raro admodum vobis palamque nocet. Saturnus quoque sæpius vultu se profitetur hostem, nocet tardius, tempusque remediis nulli negat. Solã Venus palàm vt amica venit, clam inimica venit. Hanc igitur incusate potius, si quem inter superos incusare licet. Ad multiplices huius insidias, tum oculis Argi vosipsos instruite, tum Palladis clypeo vos munite. Aures autem ad blandas pollicitationes eius tanquam ad lethales Syrenum cantus obstruite. Hunc denique prouidentiæ florem à me accipite, quo Circes huius veneficia deuitetis. Hæc vobis duas vix tandem & has quidem lethiferas pollicetur voluptates potius quam largitur, ego verò beneficio patris atque fratris quinque promitto vobis, quinque præsto, puras, perpetuas, salutares, quarum infima est in olfactu, superior in auditu, sublimior in aspectu, eminentior in imaginatione, in ratione excelsior atque diuinior. Quæ maior delectatio in tangendo percipitur atque gustando, eo vitæ grauius frequenter accidit detrimentum. Contra verò quanto maiorem in olfactu voluptatem & auditu atque visu, item imaginatione & sæpè ratione quotidie reportatis, tanto fila vitæ longiora producitis. Verum sicut in blandimentis tangendi atque gustandi cauendam vobis subdolam admonui Venerem, sic in ipsa secretiore nimisque assidua contemplatiuæ mentis delectatione cauete Saturnum, illic enim frequenter filios ipse suos deuorat. Nam quos sublimiorum contemplationum suarum rapit illecebris, & illic agnoscit vt suos interim (si modo diutius gradum ibi sistant) falce quadam è terris amputat, terrenamque incautis vitam sæpè surripit. Hoc saltem Venere interim indulgentior, quod Venus quidem vitam quam tibi detrahit, donat alteri, nihil tibi pro detrimento restituens. Saturnus autem pro vita terrena, à qua separatus ipse, te denique separat, cœlestem vitam reddit atque sempiternam. Hoc ipso similes esse videntur inter se Venus atque Saturnus, qui sanè quam Aquario gaudet, tam regnat in Libra, quod homines & hic & illa generandi libidinè vexat nocetque vexatis, vt inde posteritati prosit. Sed hæc quidem fœcundat corpus, stimulatque fœcundum. Ille mentem suo semine grauidam vrget ad partum. Vos igitur prouerbij memores, Nequid nimis, assiduis prudentiæ frænis parturientis vtriusque libidinem cohibete. Tametsi multo citius grauiusque ille lædit, quos tædio, torpore, mœrore, curis, superstitione premit, quam quos supra vires corporis moresque mortalium eleuat ad excelsa. Omnino verò seruare moneo, quod æquus Iupiter Pythagoram docuit & Platonem, humanam vitam in quadam æquali animæ ipsius cum corpore proportione seruari vtrumq; suis quibusdam alimentis & exercitationibus ali, ac similiter augeri. Si quis alterutrum educatione præcipuè sua multo robustius altero tandem efficit, non mediocrem facit vitæ iacturam. Propterea quicunque inter res Medicorum arte laudatas potissimum eas eligit, quæ corpori simul & ingenio prosunt, maximum vitæ sibi vendicat adiumentum. In earum verò numero vinum, mentam, myrobalanum, muscum, ambram, zinziber récens, thus, aloëm, hyacinthum, similesque lapillos, herbasue consimiles esse putate, & quæ ad vtriusque vtilitatem à Medicis pariter componuntur. Sed longioribus his quandoque interceptis ambagibus ego quoque Medicus huc accessi Si sapores ex rebus acceptis non vltra viuentibus, item odores ex aromatibus iam siccis vitaque vacuis, multum ad vitam conferre censentur, quidnam dubitatis odores ex plantis, radicibus adhuc suis hærentibus viuentibusque, mirum in modum vitæ vires accumulaturos? Denique si vapores exhalantes ex vita dumtaxat vegetali magnoperè vitæ vestræ prosunt, quantum profuturos existimatis cantus aërios, quidem spiritu prorsus aërio, harmonicos harmonico, calentes adhuc viuosque viuo sensu praeditos sensuali ratione conceptos rationali? Hanc ergo vobis à me fabricatam trado lyram, cantumque cum ipsa Phœbeum, solamen laborum, diuturnæ vitæ pignus. Sicut enim res qualitate temperatissimæ simulque aromaticæ, tum humores inter se, tum spiritum naturalem secum ipso contemperant, sic odores eiusmodi vitalem spiritum, sic rursum similes quoque concentus spiritum animalem.

Dum igitur fides in lyra sonosque, dum tonos temperatis in voce, similiter spiritum vestrum intus contemperari putate. Ac ne ipse Venere sim auarior, quæ sine Baccho friget, ab hoc ipso Libero patre per me nectar hoc accipite. Qui præcipuè

inter vos frigent, temporibus similibus bis septimo quoque die vncias vernacei, vel malnatici dulcis meri duas sumant cum vna panis vncia, tribus ante mensam horis. Semel autem drachmam vnam sublimis aquæ destillantis ex vino cum iulep rosacei semuncia. Quo quidem liquore illinire etiam cutem, & ad olfactum vti commodissimè possunt. Atque vt post eiusmodi nectar ambrosiam quoque vobis afferam, hanc insuper acceptam ab Ioue largior medicinam. Quatuor myrobalanorum vncias accipite chebularum, tres rosacei sacchari, conditi zinziberis, hyeme quidem vnciam, æstate verò semunciam. Tria hæc cum emblicarum melle concoquite suauiter, septemque auri foliis exornate. Ieiuni bolum ante prandium quatuor horis accipite. Anno saltem integro quotidie id assumite, vt inde velut Aquilæ renouetur vestra iuuentus. Hactenus quasi Mercurium loquutum existimemus.

Confirmatio superiorum, & vitandi coitus assiduæque cogitationis præcepta.

CAPVT XVI.

ASTROLOGI Venerem & Saturnum inimicos inuicem esse ferunt. Cum verò in cœlo, vbi omnia mouentur, vbi defectus est nullus, odium esse nequeat, inimicos, id est effectu diuersos interpretamur. Mittamus in præsentia reliqua. Ecce nunc Saturnus quidem nobis in centro, Venus autem in circumferentia posuit voluptatem. Voluptas verò spirituum esca quædam est. Igitur ex opposito Venus atque Saturnus spiritus nostri volatum aucupantur. Illa per voluptatem suam allicit ad externa, hic interim per suam ad intima reuocat. Distrahunt itaque spiritum, si fermè eodem tempore moueant atque dissipent. Quamobrem nihil contemplatori vel curioso pestilentius, quàm venereus actus, nihil vicissim hunc sectanti alienius quàm cura & contemplatio esse potest. Contemplatorem verò Physicum religiosumque eodem in gradu connumeramus. Et gradu simili quemlibet in negotiis suis valdè cogitabundum grauibusque curis obnoxium. Hinc rursus efficitur, vt si quem Saturnia vel contemplatione nimium occupatum vel cura pressum, leuare interim & aliter consolari velimus, per venereos actus, ludos, iocos, tentantes tanquam per remedia longè distantia, frustra atque etiam cum iactura conemur. Atque vicissim si quem venereo vel opere perditum, vel ludo iocoque solutum moderari velimus, per Saturnum seueritatem emendare non facilè valeamus. Optima verò disciplina est, per quædam Phœbi Iouisque, qui inter Saturnum Veneremque sunt medij, studia similiaque remedia homines ad alterutrum declinantes, ad medium reuocare. Sed vt tandem simus Medici. Sicut flamma duobus communiter modis violentis extinguitur, aut velut difflata ventis, aut contra quasi compressa cineribus, sic spiritum vel celeriter effectu venereo dissipamus, vel sensim Saturnio suffocamus, ac sæpè exprimimus comprimendo, pariterque resoluimus. Spiritus vtique frequenter ad extima volans, intima reddit vel vacua vel aliena vitæ. Sed ad intima sæpè coactus, cætera circum membra præstat vitæ minus idonea. Citam igitur senectutem, tum Venus interioribus nostris, tum Saturnus exterioribus infert. Venus quidem præcipuè, vbi ex quouis eius motu facilè corpus debilitatur atque labascit. Saturnus quoque potissimum, quando ex quocunque contemplationis officio vel cura, labore, ingenij corporisq; vires labefactantur, & si vel qui ad contemplationem, vel qui ad libidinem natus est, plerumq; ad suum vterque officium est natura fortissimus. Natura enim sæpè coniungit cum voluptate simul & facilitate potentiam. Vnusquisque igitur se cognoscat, suique ipsius moderator ac Medicus esto. Coitum quidem frequentaturi cæteros consulant. Ego verò exercitaturis ingenium libro etiam superiore consului, denique omni diæta omnibus remediis vti debent, quibus membra, spiritus sensus, ingenium, memoria confirmentur, cogitationes per interualla repetere, nec expectare, vel minimum ex cogitatione laborem, maximè verò quam primum canescunt, quamuis nonnulli sint qui non tam debilitate naturæ videlicet adhuc iuuenes canos emittunt, quàm vel ægritudine, vel ægrotatione aliqua præcedente, aut etiam parentum similitudine, à quibus scilicet iam canescentibus fuerint generati.

Medicinæ senum, & de habitatione iterum atque diæta.

CAPVT XVII.

CHALDÆORUM regula est fortè probanda ad iuuentutem recuperandam, peregrinos humores imbibitos corpori expurgare gradatim, tum interiores competentibus Medicinis, tum exteriores frictioni-

bus & lauacris prouocationibusque sudoris, intereaque salubribus daturisque alimentis paulatim corpus implere. Sunt autem qui trochiscis quibusdam ex vipera factis, vel helleboro præparato, promittunt humores omnes veteres putridosque prorsus educere. Quibus expurgatis & humore rursum saluberrimo alimentis salutaribus recreato, restituere iuuentutem. Et qui cautiores sunt, helleboro gallinas pascunt, hominem verò gallinis. Eiusmodi verò curationem tanquam periculosam in iuuentute arbitror, potius quàm in senectute tentandam, ne fortè iuuentutem illam a Medæa Peliæ seni promissam experiamur. Nam & iuuenes Medicinis exquisitè purgantibus citò senescere Hippocrates asserit. Sed vbi diæta non sufficit, clystere, vel manna, vel aloë præsertim lota securus vteris. Si tibi sit aluus astrictior, manna cum iure caponis myrobalanique vtere. Sin minus, hac te iuuenem etiam in senectute purgatione seruabis. Sume vnciam lotæ aloës vnam, myrobalanorum emblicarum drachmas duas, chebularum quoque tantundem, duas item rosarum purpurearum, masticis quoque tantundem, maluatico vino confice pilulas, quando Luna feliciter collocata, propitio fruitur Iouis aspectu, præsertim si domicilia fixa possederit vel ipsa, vel Iuppiter. Hæc enim ad diuturnitatem vitæ magnopere conferunt. Potes etiam vtiliter Rheubarbarum hic cum aloë componere, scilicet dimidiam aloës partem, dimidiam rheubarbari, & quoties opus fuerit, vnam manè sumere pilulam ad tres vsque vel quinque, modicumque insuper vinum bibere. Vbi verò pituitam magis times, potes commodè in his pilulis trochiscorum agarici tertiam partem accipere vna cum tertiis aloës duabus, omisso rheubarbaro. Sed primam illam ego iam multis annis pilularum compositionem omni ætati experior esse tutissimam. Eadem hora confectionem eiusmodi facito. Sume myrobalanorum emblicarum, belliricarum, Indarum, chebularum, vnciam vniuscuiusque vnam, cinnamomi verò duas, vnam quoque doronici rosarum purpurearum vnam, sandalorum rubeorum duas, vnam croci drachmam, tertiam drachmæ partem musci, ambræ tantundem, candidum post hæc cum aqua rosacea succoque citri fundito saccharum, coque, ac bolos, auroque inuolue. Hoc ante prandium quatuor horis sumentes atque dantes, vtiliter experti sumus ad virtutem corroborandam, ad illustrandum spiritum atque firmandum. Maximè verò proderit si paulum quid insuper vini aurei biberis. Proderit & sępè calefactum panem aureo mero & rosacea aqua perfundere, & modico insuper cinnamomo saccharoque vberiore condire. Frequenter etiam duo hæc cum lacte amygdalino & modico pane misce, nam eiusmodi mixtiones naturam referunt Iouialem. Præter omnia quæ in superioribus explicauimus, vel saltem significauimus, ab iis omnes vrbani diligenter cauere debent, æstu, gelu quolibet, vel post calorem frigore vel nocturno, nebulis, ventis, vel ex palude flantibus, vel irrumpentibus ex angusto, locis item vbi aër vel mouetur violentius, vel nullo modo mouetur. Habitatione quauis humidiore, fœtore, mœrore, torpore. Diligentius autem Mercurij sectatores, diligentissimè senes. Qui præterea postquam manè corpus totum leniter perfricuerint, delinient ipsum aduersum aëris & laboris incommoda, calente oleo vel vino quopiam subamaro, cui prius infuderint myrrham & rosam atque myrtum. Saluiam frequenter ore ferant, neruis ac dentibus amicissimam. Et quando dentium vitio liquida, velut infantes, alimenta repetere cogantur, mollissima caueant. Lac quidem vino referant moderato. Vtantur igne dumtaxat vt Medicina, quantum videlicet expellendi frigoris & suscitandi caloris innati necessitas postulat, alioquin tanquam edace humorem naturalem exiccaturo. Solem verò quoad delectat sequantur vt alimentum, destillatione vitata, & æstu similiter declinato. Faciles quidem motus diligant, excitando calori admodum necessarios. Labores autem corporis oderint, & multo magis animi, nec minus longam sitim, & inediam atque vigiliam.

De nutrimento spiritus, & conseruatione vitæ per odores.

CAPVT XVIII.

Legimus in calidis quibusdam regionibus, ac plurimo passim odore fragrantibus, multos gracili corpore & imbecillo stomacho, quasi solis odoribus ali. Fortè quoniam ipsa natura loci, tum herbarum & frugum, atque pomorum succos fermè totos redigit in odores, tum corporum humanorum humores illic resoluit in spiritum. Cùm igitur vterque, videlicet odor & spiritus sit vapor quidam, & simile simili nutriatur, nimirum & spiritus & spiritalis homo, plurimum ab odoribus accipit alimentum. Nutrimentum verò qualecunque id sit, per odores

fine fomentum, apprime senibus & gracilibus necessarium est, quo defectum alimenti solidioris atque verioris vtcunque compensare possimus. Ambigere tamen nonnulli solent, vtrum spiritus odoribus nutriatur. Ego autem opinor solis forsan ita nutriri, vt nisi alimenta quæ crassa sunt digestione, in vapores extenuentur, spiritus ipse, quem diximus vaporem esse, nullum illinc suscipiat nutrimentum. Itaque vinum odore plenum, spiritum subitò recreat, quem cætera vix tandem reficere possunt. Vaporem verò illum in quem cibi cocti denique transferuntur, ideo appellamus odorem, quoniam & odor vbique vapor quidam est, & hic tractus intus ex alimentis vapor, nisi spiritui quodam odore placeat, vix vllum spiritui exhibet alimentum. Quamobrem Auicennam nostrum valdè probamus dicentem, corpus quidem dulcedine, spiritum verò quadam (vt eius verbis vtar) aromaticitate nutriri. Quoniam crassitudo corporis non nisi crassa natura, qualis est in dulcedine, coalescere valeat. Tenuitas verò spiritus non alio quàm fumo quodam atque vapore, in quo aromaticitas ipsa viget, refici possit. Aromaticam verò qualitatem dicimus odoram & acutam, & quodammodo stypticam. Proinde, quoniam iecur quidem corpori per sanguinem alimentum pręstat, dulcedine plurimum augetur. Cor autem, quia & creat spiritum, & spiritui procreat alimentum, meritò desiderat aromatica. Expedit tamen & aromatica pro corde condiri dulcedine, & dulcia pro iecore aromaticis commisceri, dulcedinemque intereà nimiam euitare. Quid plura? Galenus ipse sequutus Hippocratem, spiritum non solùm odore putat nutriri, sed aëre. Aëre inquam non simplici, sed potius opportunè permixto. Quibus quidem si fidem habebimus, nec alimentorum, nec rei vllius delectum magis ad vitam necessarium, quàm aëris nobis accommodati, esse censebimus. Aër enim & inferiorum & cœlestium qualitatibus facillimè semperque affectus, & immensa (vt ita dixerim) amplitudine circumfusus, perpetuoque motu nos vndique penetrans, ad suam nos mirabiliter redigit qualitatem, præsertim spiritum præcipuè vitalem in corde vigentem, in cuius penetralia, tum assiduè influit, tum repente, sic protinus afficiens spiritum vt est affectus, perque spiritum vitalem, qui & materia & origo est spiritus animalis, pariter afficiens animalem. Cuius quidem qualitas maximi momenti est ingeniosis eiusmodi spiritu plurimum laborantibus. Itaque ad nullos potius quam ad eos attinet puri luminosique aëris odorumque delectus, atque Musicæ. Hæc enim tria spiritus animalis fomenta præcipua iudicantur. Potissimus verò ad vitam est aër electus. Nam octauo mense nati in Ægypto plurimi viuunt. & nonnulli in plagis Græcię temperatis saluberrimi aëris beneficio, quod Aristoteles narrat, & Auicenna confirmat. Sed profectò sicut corpus ex variis compositum, variis (quamuis non eadem immensa) nutriendum est alimentis, ita spiritus similiter compositus varietate quadam aëris semper electi oblectandus est atque fouendus. Simili quoq; electorum varietatē quotidie recreādus. Nam aër & odor quasi spiritus quidā esse videntur. Iā verò Alexāder, & Nicol. Peripatetici vnà cum Galeno concludunt spiritum vitalem & animalem ideò nutriri tum odore, tum aëre, quoniam vterque mixtus est atque conformis, & vtrumque haustum in præcordia penetrare, ibi coqui temperarique ad vitam, perque arterias diffundi. Vbi vterque coctus iterum nutrit spiritum (vt aiunt) vtrumque, præcipuè animalem. Aiunt etiam spiratum aërem non solum refrigerando calori prodesse, sed etiam nutriendo. Nam & animalia etiam valdè frigida spirant. Addunt aërem crassiorem spiritui naturali tanquam magis corporeo conuenire, subtilem verò, purum, lucidum, spiritui potius vitali, potissimum animali. Neque mirum videri debet spiritum adeò tenuem rebus quoque tenuibus ali. Siquidem & pisciculi multi aqua nitidissima nutriuntur, & ozimum in aqua simili viuit, crescit, floret, redolet. Mitto quibus elementis chameleontem & salamandram nutriri ferant. Redeamus ad nostra. Interest certè quamplurimum qualem spiremus aërem, quales hauriamus odores. Talis enim & spiritus in nobis euadit. Eatenus verò, nos anima per vitam vegetat, quatenus spiritus harmoniam seruat cum anima continentem. Spiritus quidem in nobis primus viuit & maximè, & quasi viuit solus. Nonne repentino quodam sæpè casu vel affectu, vita, sensus, motus, subito membra deserunt, regresso videlicet ad cordis penetralia spiritu? & sæpè statim reuertuntur ad membra, per frictiones & odores illuc spiritu redeunte, quasi vita in ipso spiritu videlicet reuolatili potius insit quàm humoribus aut membris. Alioquin propter horum crassam tenacitatem tardius admodum accederet vita membris atque recederet. Quicunque igitur vitam in corpore producere cupitis, spiritum in primis excolite, hunc augete nutrimentis sangui-

nem augentibus, temperatum videlicet atque clarum, hunc aëre semper electo fouete, hunc quotidie suauibus odoribus alite, hunc sonis & cantibus oblectate, sed interea odores cauete calidiores, frigidiores fugite, capessite temperatos, frigidos calidis, siccos humidis temperate. Odorem verò omnem, quia pars corporis subtilissima est, scitote nonnihil habere caloris, atque ex rebus quæ ipsæ nutriunt, odores sperate potius nutritos, vt ex aromatico pyro pomoque persico, similique pomo, magis autem recente pane, calente, maximè carnibus assis, quàm maximè vino, atque si vt sapor qui mirificè placet, plurimi velocisque nutrimenti causa est vel occasio corpori, sic odorem ad spiritum se habere putate. Commemorare vobis iterum placet Democritum iamiam expiraturum, vt obsequeretur amicis, spiritum ad quatriduum vsque olfactu calentium panum retinuisse, vlterius etiam, si modo placuisset, spiritum seruaturum. Sunt & qui dicunt id mellis odore fecisse. Ego, si modo vsus est melle, existimo illum mel vino liquefactum albo, calentibus panibus infudisse. Neque enim spernendus est mellis odor. Flos namque florum mel existit, nec parum nutrit ipsa dulcedine, ac diu qualitate sua res integras à putrefactione tuetur. Itaque si quis nouerit hoc etiam ad cibum ita vesci, vt nec dulcedine nimia meatus oppleat, nec tali quodam calore bilem exaugeat, certum habebit longioris vitæ subsidium. Saltem igitur condimentum hoc frigidis & humidis adhibete. Verum vt vos reuocem ad odores. Vbicunque suffocationem, compressionemque spirituum nimiam extimescetis, quod mœror frequens torporque portendit, odores circunfusos amate. Vbi verò fugam exhalantium spirituum expauescetis, odores potius infusos nutrimentis accipite. Et si quid odorum præterea foris sumitis, velut clypeum costis dumtaxat admouete sinistris. Nonne videtis quam repente sursum vel deorsum ad odores se matrix ipsa præcipitet? quàm velociter ad os, ad nares spiritus aduolet, suauis odoris esca pellectus? Vbi igitur spiritus vel exiguus vel fugacissimus esse deprehenditur, quod pusillanimitas sæpè declarat corporisque debilitas, vel parua de causa multa contingens, odoribus non tam extrinsecus obiectis, quam intrinsecus iniectis allicite, imò potius pascite, retinete. Odorem verò vini ante omnes eligite. Multum namque nutrit spiritum odor exhalans ex natura tum plurimum & velociter nutriente corpus, tum voluptate sensum afficiente. Tale verò vinum est præ cæteris calidum, humidum, & odorum atque clarum. Tale etiam saccharum esse dicitur, si sumat odorem. Cinnamomum quoque simile & doronicum, anisumque & dulce marathrum, si acumini suo ad exiguam dulcedinem adderent ampliorem. Sed quam temperiem natura non fecit, vobis ipsi conficite. Et quoties distractionem spirituum formidatis, calidioribus acutioribusque & subtilissimis adhibete, quæ cohibere parumper volatum spiritus ac sistere valeant, ceu croco, gariophylis, cinnamomo, adustum panem, rosaceam aquam, acetumque rosaceum, rosam, myrtum, violam, sandalum, coriandrum, cydonium pomum atque citrum. Hordeo verò camphoram vbi contrà canitiem est agendum. Recentem verò semper mentham diligo, menti etiam salutem spirituique tutissimam.

Denique, mementote res omnes veneno contrarias, esse vitæ admodum salutares, non gustu tantùm, sed etiam odoratu, maximè theriacam. Has verò in libro contra pestilentiam enarrauimus, narrabimus & in libro sequenti. Inter eas autem, ne quid vos lateat, numeramus & vinum. Nam sicut homini venenum est cicuta, ita cicutæ vinum, non simul quidem, sed paulò post ebibitum. Ac ne solis vos odoribus illic alliciam, componendum vobis mando electuarium quotidie mane gustandum, olfactu gustuque suaue, & vitæ admodum salutare. Accipite tres chebularum vncias; vnam emblicarum, & Indarum vnam, vnamque belliricarum, semiunciam verò doronici, cinnamomi vncias duas, croci drachmam vnam, ambræ partem drachmæ tertiam, musci quoque tantundem. Contundite diligenter, tantùm rosacei sacchari adhibete, quantum gustui satis facit. Sandalorum rubentium, quantum sat est colori, mellis item emblicarum vel chebularum quantum molli expedit electuarij formæ. Auri folia totidem quot prædictæ sunt vnciæ. Vbi verò difficilior est compositio multiplex, experti sumus hanc simplicem hanc optimam esse, scilicet ex chebulis, marathro dulci, saccharo, aqua rosacea liquefacto, sumptam vero tum ieiuno stomacho, tum post cœnam. Memineritis autem myrobalanos conditas meliores esse, siccas vero saltem diem integrum oleo amygdalarum dulcium, vel butyro vaccino prius infundite quàm conficetis. Probat & Auicenna vobis confectionem ex emblicis atque Indis cum melle anachardorum coctoque butyro. Item che-

bulas cum zinzibere & squama ferri, & potius auri. Probat item Petrus Aponensis compositionem ex croco, mace, castoreo, per partes acceptis atque contusis, & vino commixtis. Vnde affirmat vitam etiam propemodum moribundis produci consueuisse. Denique Haly Astrologus, Medicusque excellens, asserit vsu tripheræ similiumque rerum vitam effici longiorem. In omni vero triphera myrobalanus fundamentum est, sed hanc temperant subtilius quibu dam atque mollibus, præsertim vbi siccior est myrobalanus, vt & penetret, nec meatus obstruat, nec aluum exsiccet nimium vel astringat. Cum vino præterea commodissimè vtimur, sed modico, ne fortè diluat. Compositionem vero Petri, quam modò narrabam, si modò vtilis est, arbitror olfactu potius quàm potu vtilem fore.

Magorum medicina pro senibus.

CAPVT XIX.

MAgi stellarum obseruatores, ad Christum vitæ ducem stella duce venerunt pretiosum vitæ thesaurum offerentes, Aurum, Thus & Myrrham; tria dona pro tribus Planetarum dominis stellarum Domino dedicantes. Aurum quidem pro temperamento Iouis maximè omnium temperatum. Thus autem pro Sole, præcipuè Phœbeo, calore simul odoreque flagrans. Myrrham denique firmantem corpus atque confirmantem pro Saturno omnium firmissimo Planetarum. Huc igitur omnes ad sapientes Magos venite senes, munera vobis quoque vitam productura ferentes, quibus authorem vitæ quondam venerati traduntur. Venite senes, inquam, senectutem grauiter tolerantes. Venite & vos præterea, quoscunque senectutis propemodum aduentantis formido solicitat. Accipite, precor, alacres vitalia dona. Sumite vncias quidem thuris duas, vnam verò myrrhæ, auri rursum in folia ducti dimidiam drachmæ partem; contundite tria simul, conflate, confundite in pilulas, aureo quodam mero, idque tunc opportunè conficite, quando Diana propitio Phœbi vel Iouis gaudet aspectu. Sumite posthac thesauri tanti aurora qualibet portiunculam, ac exiguo perfundite meri potu, nisi forsan incaluerit æstas. tunc enim aquam rosaceam bibere præstat. Siquis autem inter vos calorem quouis tempore magis metuat, is myrobalanum, chebulam aut emblicam æqualem ad thuris, myrrhæque & auri simul pondus adiiciat. Hoc humorem proculdubio naturalem putrefactione mebitur. Hoc humoris resolutione longius propulsabit. Hoc tres in vobis spiritus, naturalem, vitalem, animalem fouebit, confirmabit, corroborabit. Hoc rursum vegetabit sensum, acuet ingenium, memoriam conseruabit.

De periculis vitandis ex quolibet vitæ septenario imminentibus.

CAPVT XX.

QVum Astronomi singulas deinceps diei horas Planetis ordine singulis distribuerint, similiterque septem hebdomadæ dies, atque in ipso fœtu menses digesserint officia Planetarum, cur non etiam per annos eadem disponamus? vt quemadmodum infantem in aluo latentem rexit primo mense Saturnus, vltimo Luna, sic statim natum ordine iam conuerso, primo ipsius anno ducat Luna, secundo (si vis) Mercurius; tertio, Venus; quarto, Sol; quinto, Mars; sexto, Iupiter; septimo verò Saturnus; atque deinceps ordo per vitam similis repetatur. Itaque in septimo quolibet vitæ anno, fit in corpore mutatio maxima, ideoque periculosissima, quandoquidem & Saturnus nobis communiter est peregrinus, & ab eo tunc Planetarum summo ad Lunam euestigio Planetarum infimam gubernatio redit. Hos annos Astronomi Græci Climactericos nominant, nos Scalares, vel Gradarios, vel Decretorios appellamus. Fortè verò in morbis ipsum humoris vel naturæ motum Planetes per dies eodem ordine regunt, vnde & septimus quisque eadem ratione Iudiciarius appellatur. Quartus quoque, quoniam medium in septenario tenet. Tu igitur si vitam producere cupis ad senectutem, nullis eiusmodi gradibus interruptam, quoties septimo cuilibet propinquas anno, consule diligenter Astrologum. Vnde immineat tibi discrimen edíscito, deinde vel adito Medicum, vel prudentiam & temperantiam accersito. His namque remediis prohiberi minas Astrorum Ptolemæus etiam confitetur. Addit quinetiam astrorum promissa sic augeri posse, vt agrorum cultor auget terræ virtutem. Probat Petrus Aponensis argumentationibus multis & testimonio Aristotelis, Galeni, Haly, naturalem vitæ finem non esse ab initio ad vnguem determinatum, sed vltra citraque moueri

posse. Idque asserit tum ex astris, tum etiam ex materia. Concludit his Authoribus rationibusque obitum etiam naturalem differri posse, cùm Astrologiæ machinis, tum præsidiis Medicorum. Igitur neque nos temerè in his præceptis elaboramus. Neque te pigeat perquirere à Medicis quæ naturaliter tua sit dixta, & ab Astrologis, quæ stella vitæ faueat, & quando hæc bene se habet, & ad eam Luna, compone quæ prodesse didiceris. Neque pudeat sæpè illos auscultare, qui non tam fortuna, quàm virtute senectutem prosperam consequuti videntur. Præterea Ptolemæus, & cæteri Professores Astronomiæ, imaginibus quibusdam ex certis lapidibus & metallis sub certo sydere fabricatis, vitam prosperam pollicentur atque longæuam. Verum de imaginibus quidem ex parte, ac plurimum de reliquo fauore cœlesti Commentarium componimus in Plotinum, quem librum huic operi deinceps subiiciendum existimamus, quemadmodum hoc post librum scribi volumus, quem de Curanda literatorum valetudine composuimus. Fauorem verò cœlestem, quem modò dicebam, pro iuuentute longa, tunc quantum quasi Poëtæ cuidam licet loqui, quantum rursus Medico licet facere, à Phœbo Bacchoque petemus.

Solis æterna est Phœbo Bacchoque iuuentus,
Nam decet intonsus crinis vtrumq; Deum.

Phœbus & Bacchus semper indiuidui fratres sunt, ambo ferè sunt idem. Phœbus quidem est ipsa sphæræ illius anima, sphæra verò Bacchus, imò & Phœbus est totus ipse sphæræ circus, Bacchus autem est flammeus ille in hoc circo circulus, imò verò Phœbus est almum in hoc flammeo globo lumen. Bacchus autem existit ibidem salutaris ex lumine calor. Semper ergo fratres comitesque sunt, ferè semper alter & idem. Quid verò? si Sol in Vere quidem Phœbus est, cantu suo tunc auium cantus excitans, cithara rursum tempora temperans, in autumno verò Sol idem autor vini Bacchus existit. Tria nobis ad seruandam iuuentutem pater ille Liber, qui amat colles, Bacchus affert, hos quidem apricos primum colles, in his autem collibus suauissimum præcipuè vinum, perpetuam in vino securitatem. Tria quoque Phœbus Bacchi frater pari benignitate largitur, diurnum primo lumen, sub fomento luminis herbas suauiter redolentes, ad luminis huius vmbram, citharam cantumque perennem. His ergo pensis potissimum, his staminibus Clotho nobis iam non Parca longa vitæ fila producet. Tres Parcas ferè omnes Poëtæ canunt. Tres quoque nos non Poëtæ canimus. Prudens quidem in omni victu parcitas, vitam nobis longam inchoat, constans quoque in curis subeundis parcitas producit vitam, parcitas verò in cœlo fruendo negligens vitam occat. Tres Pythagoras temperantius ante omnia celebrat, tres etiam nos in præsentia celebramus. Temperantiam in affectibus conseruato, temperantiam in omni victu seruato, temperiem aëris obseruato. Hac enim prouidentia humorum intemperiem, quæ citæ senectutis & intempestiuæ mortis causa est, aspirante Deo, procul admodum propulsabis. Aspirabit autem author ille vitæ, si ea tantùm conditione vitam optaueris diuturnam, vt diutius cum genere humano viuas illi, quo mundus totus inspirante viuit.

De vita producenda libri II. finis.

MARSILII



MARSILII FICINI FLORENTINI,

IN LIBRVM III. DE VITA Cœlitus comparanda,

Ad Sereniſsimum Pannoniæ Regem Epiſtolare

PROOEMIVM.



PHiloſophi veteres (Rex omnium feliciſsime) cœleſtium vires inferiorumque naturas diligentiſsime perſcrutati, cùm exiſtimarent hominem fruſtra ſapere, qui ſibi non ſapit, totam meritò perſcrutationem ſuam in primis ad vitam ſibi cœlitus comparandam retuliſſe videantur, iudicantes (vt arbitror) tum elementa, & quæ ex his componuntur fruſtra ſibi cognita fore, tum motus cœleſtium & influxus temerè nimium obſeruatos, niſi hæc vna cum illis cognita ſimulatque coniuncta, aliquando ſibi ad vitam felicitatemque conducerent. Profuit autem illis, vt videtur, eiuſmodi contemplatio ad vitam primo præſentem. Nam Pythagoras & Democritus, Apolloniuſque Theanæus, & quicumque ad id potiſsimum ſtuduerunt, rerum ſibi cognitarum vſu proſperam valetudinem conſequuti ſunt, vitamque longæuam. Contulit inſuper ad futuram vitam, tum per gloriam apud poſteros propagandam, tum apud Deum in æternitate fruendam. Siquidem ex mirabili mundi totius ordine, eius tandem cognouere rectorem, & ante omnia cognatum amauerunt. Tibi verò gloriam per ſecula cuncta futuram, magnanimitas, magnificentia, victoria perpetua pollicentur. Vitam quoque apud Deum in æuo beatam diuina clementia, inſigni pietati tuæ iuſtitiæque promittit. Vitam denique proſperam inter mortales ſatiſque longam (quantum ex indiciis quibuſdam mihi licuit coniectare) felicia tibi ſydera decreuerunt. Vt autem quod pollicentur id & præſtent firmiſsima fide, & cumulo inſuper prorogent pleniore, diligentia tua, & Medicorum Aſtrologorumque cura efficere proculdubio poteſt. Iam verò id poſſe ſcientia & prudentia fieri, doctiſsimique quique Aſtrologi ac Medici confitentur. Cùm igitur inter Plotini libros magno Laurentio Medici deſtinatos, in librum Plotini de Fauore cœlitus hauriendo tractantem, nuper Commentarium compoſuiſſem, inter cætera in eum noſtra Commentaria numeratum, id quidem ſeligere nunc, Laurentio quidem ipſo probante, atque maieſtati tuæ potiſsimum dedicare decreui. Spero equidem, dum vitæ tuæ proſperitatique conſulam, vitæ interim, & ſplendori ſeculi noſtri, & humani generis conſulturum. Atque vt valetudini proſperitatique regiæ, validius hæc noſtra prodeſſent, per Valorem ipſum mittenda putaui. Hunc tu igitur Valorem noſtrum clementiſsime Rex, complectere precor. Tantùm enim natura, virtus, authoritas tua valet, vt abſque te nequeat vel Valor ipſe valere. X. Iulij M. CCCC. LXXXIX. Florentiæ.





MARSILII FICINI FLORENTINI,

AD LECTOREM EXHORTATIO.



SAlue hospes ingeniose. Salue iterum quisquis es salutis auidus, qui nostra ad limina tendis. Vide precor, hospes cupide primùm, quàm hospitalis sim. Intrantis erat certè, salutem statim hospitio dicere. Ego verò salute præueniens, mox prospectum saluere te iussi. Intrantem & adhuc ignotum perlibenter excepi. Trahentem apud me moras, promissa (si Deus aspirauit) salute donabo. Hospitium ergo nactus es amicum quidem omnibus, & amoris erga te nunc plenum. Si quid fortè fers tecum amori contrarium, siquid odij habes, prius ponito precor, quàm medicinas hic vitales attingas. Vitam enim tibi dedit amor, voluptasque parentum. Vitam vicissim demit odium atque dolor. Quem igitur odiosus vexat dolor, huic nullus vsquam Medicinæ vitali relictus est locus. Quamobrem deinceps te non vt hospitem tantùm alloquor, sed amicum. Officina Marsilij tui aliquantò est amplior, quàm his cancellis dumtaxat, quos hic vides, coërceatur. Non enim solo hoc libro sequente, sed duobus etiam præcedentibus circunscribitur. Tota verò summatim quædam est pro viribus opiulatura vitæ, vt valida tibi vita sit, & longa. Idque vbique Medicorum ope cœlitus adiuta molitur. Varia sanè pro diuersis hominum ingeniis atque naturis nostra hæc officina, antidota, pharmaca, fomenta, vnguenta remedia profert. Si qua tibi fortasse minus placeant, mittito quidem ista, cætera propterea ne respuito. Denique, si non probas imagines Astronomicas, alioquin pro valetudine mortalium adinuentas, quas & ego non tam probo, quàm narro, has vtique me concedente, ac etiam, si vis, consulente, dimitto. Medicinas saltem cœlesti quodam adminiculo confirmatas, nisi fortè vitam neglexeris, haud negligito. Ego enim frequenti iamdiu experientia compertum habeo, tantùm interesse inter medicinas huiusmodi, atque alias absque delicto Astrogo factas, quantum inter merum & aquam, vt etiam infans octauo à cõceptione mense natus Florentiæ mense Martio, nocte ascendente, Saturno retrogrado semiuiuus, eiusmodi diligentia videatur à nobis, imò à Deo, quasi vitæ redditus potiùs, quàm seruatus, trienniumq; validus fermè iam impleuerit. Iam verò si præter ea generis eiusdem plura narrauero, vera loquar. Nec gloriabundus (quod est à Philosopho penitus alienum) sed exhortabundus potiùs afferam. Verùm satis iampartim quidem conciliantes, partim etiam exhortantes alloquuti te sumus. Deinceps igitur cum Plotino loquamur, ita demum tibi diligentius consulturi.

(∴) (∴)

MARSILII FICINI FLORENTINI,

LIBER DE VITA COELITVS COMPARANDA,

Compositus ab eodem inter Commentaria eiusdem in Plotinum.

In quo consistat, secundùm Plotinum, virtus fauorem cœlitus attrahens, scilicet in eo quod anima mundi, & stellarum dæmonumq; animæ facilè alliciuntur corporum formis accommodatis.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



I tantùm hæc duo sint in mundo, hinc quidem intellectus, inde verò corpus, sed absit anima, tunc neq; intellectus trahetur ad corp⁹ (immobilis enim est omnino, caretq; affectu motionis principio, tanquā à corpore longissimè distans) neque corpus trahetur ad intellectum, velut ad motum per se inefficax & ineptum, longeque ab intellectu remotum. Verùm si interponatur anima vtrique conformis, facile vtrimque & ad vtraq; fiet attractus. Primò quidem ipsa omnium facilime ducitur, quoniam primum mobile est, & ex se & sponte mobile. Præterea cùm (sicut dixi) media rerum omnia suo in se modo continet, & vtrimque ratione propinqua. Ideoq; conciliatur & omnibus, etiam æqualiter illis quæ inter distant ab ea, videlicet non distantibus. Præter enim id quod hinc quidem conformis est diuinis, inde verò caducis, & ad vtraque vergit affectu, tota interim est simul vbique. Accedit ad hæc quod anima mundi totidem saltem rationes rerum seminales diuinitus habet, quot ideæ sunt in mente diuina, quibus ipsa rationibus totidem fabricat species in materia. Vnde vnaquæque species per propriam rationem seminalem propriæ respondet ideæ, facileque potest per hanc sæpè aliquid illinc accipere, quandoquidem per hanc illinc est effecta, ideoque si quando à propria forma degeneret, potest hoc medio sibi proximo formari rursum, perque id medium inde facilè reformari, ac si certè cuidam rerum speciei vel indiuiduo eius ritè adhibeas multa, quæ sparsa sunt, sed etiam ideæ conformia. Mox in materiam hanc ita opportunè paratam, singulare munus ab idea trahes, per rationem videlicet animæ seminalem. Non enim intellectus ipse propriè, sed anima ducitur. Nemo itaque putet certis mundi materiis trahi numina quædam à materiis penitus segregata, sed dæmones potius animatique mundi munera stellarumque viuentium. Nemo rursum miretur per materiales formas animam quasi allici posse. Siquidem escas eiusmodi sibi congruas ipsamet quibus alliceretur, effecit, & semper libenterque habitat in eisdem. Neque in mundo viuente toto quicquam reperitur tam deforme, cui non adsit anima, cui non insit & animæ munus. Congruitates igitur eiusmodi formarum, ad rationes animæ mundi, Zoroaster diuinas illices appellauit, quas & Synesius magicas esse illecebras confirmauit. Nempè denique credat ad propriam quandam materiæ speciem, & tempore certo hauriri omnia prorsus ex anima dona, sed pro opportunitate dona dumtaxat seminis quo talis species pullulauit, seminumque conformium.

Itaque hic homo humanis tantum adhibitis, non proprias piscium vel auium dotes inde sibi vendicat, sed humanas atque consimiles. Adhibitis autem quæ ad stellam talem pertinent atque dæmonem, stellæ dæmonisque huius proprium subit influxum, velut lignum per sulphur paratum ad flammam vbique præsentem. Atque hunc non modo per ipsos stellæ dæmonisque radios, sed etiam per ipsam mundi animam vbique præsentem, in qua & cuiuslibet stellæ dæmonisque ratio viget, partim quidem seminalis ad generandum, partim etiam exemplaris ad cognoscendum. Hæc enim secundum Platonicos antiquiores, rationibus suis ædificauit vltra stellas in cœlo figuras, partesque ipsarum tales, vt ipsæ quoque figuræ quædam sint, impressitque his omnibus proprietates. In stellis autem, figuris, partibus, proprietatibus, omnes rerum inferiorum species continentur & proprietates earum. Vniuersale verò figuras octo posuit atque quadraginta, scilicet in zodiaco duodecim, extra verò sex atque triginta. Itē in zodiaco triginta sex ad numerum facierū. Rursus ibidem ter centū atq; sexaginta ad numerū graduum. In quouis enim gradu sunt stellæ plures, ex quibus ibi conficiuntur imagines. Similiter imagines, extra zodiacum in plures diuisit figuras, pro facierum ibidem graduumque suorum numero. Constituit denique ab imaginibus his vniuersalibus ad vniuersales imagines habitudines & proportiones quasdam, quæ ipsæ quoque imagines illic existunt.

Eiusmodi verò figuræ continuitatem quæque suam habent ex radiis stellarum suarum in se inuicem, peculiari quadam proprietate coniectis. A quibus formis ordinatissimis dependent inferiorum formæ, illinc videlicet ordinatæ. Sed & cœlestes illæ tanquam inter se disiunctæ, procedunt à rationibus animæ coniunctis inuicem, & quodammodo mutabiles à stabilibus. Sed hæ quatenus seipsas non comprehendunt, referuntur ad formas in mente vel animali vel eminentiore sese comprehendentes, quæ tanquam multiplices ad simplicissimum rediguntur vnum atque bonum, sicut figuræ cœlestes ad polum. Sed redeamus ad animam. Quando igitur anima gignit speciales inferiorum formas viresque, eas per rationes efficit proprias, sub stellarum formarumque cœlestium adminiculo. Singulares verò indiuiduorum dotes, quæ sæpè nonnullis insunt tam mirabiles quam in speciebus esse solent, exhibet per seminales similiter rationes, non tam sub adminiculo formarum figurarumque cœlestium, quam situ stellarum & habitu motionum, aspectuumque Planetarum, tum inter se, tum ad stellas Planetis sublimiores. Anima quidem nostra vltra vires membrorum proprias, communem vbique promit in nobis vitæ virtutem, maximè verò per cor, tanquam ignis animæ proximi fontem. Similiter anima mundi vbique vigens per Solem præcipuè suam passim explicat communis vitæ virtutem. Vnde quidam animam & in nobis & in mundo, in quolibet membro totam, potissimum in corde collocant atque Sole. Semper verò memento sicut animæ nostræ virtus per spiritum adhibetur membris, sic virtutem animæ mundi per quintam essentiam, quæ vbique viget tanquam spiritus intra corpus mundanum, sub anima mundi dilatari per omnia, maximè verò illis virtutem hanc infundi, quæ eiusmodi spiritus plurimum hauserunt.

Potest autem quinta hæc essentia à nobis intus magis magisque assumi si quis sciuerit eam aliis elementis immixtam plurimum segregare, vel saltem his rebus frequenter vti, quæ hac abundant, puriore præsertim, ceu electum vinum & saccharum, & balsamum atque aurum, preciosique lapilli, myrobalanique, & quæ suauissimè redolent, & quæ lucent, maximè verò quæ in subtili substantia qualitatem habent calidam, humidamque & claram, quale præter vinum, est albissimum saccharum, præsertim si huic adhibueris aurum, odoremque cinnami atque rosarum. Præterea sicut alimenta ritè in nobis assumpta, per se non viua, rediguntur per spiritum nostrum ad vitæ nostræ formam, sic & corpora nostra rite accommodata corpori spirituique mundano, videlicet per res mundanas, & per nostrum spiritum, hauriunt ex vita mundana quamplurimum. Si volueris vt alimentum rapiat præ cæteris formam cerebri tui vel iecoris atque stomachi, simile quantum potes accipe alimentum, id est, cerebrum, & iecur, & stomachum animalium ab humana natura non lōgè distantium. Si optas corpus tuum atque spiritum ex aliquo mundi membro, videlicet ex Sole, virtutem accipere, quære quæ ante alia sunt Solaria inter metalla lappillosque, magis autem inter plantas, sed inter animalia magis, maximè inter homines. Similiora enim tibi magis proculdubio conferunt. Hæc & extra sunt exhibenda, & intus pro viribus assumenda, præsertim in die & hora Solis, & Sole in figura cœli regnante Solaria verò sunt omnia ex la-

pillis & floribus quæ heliotropia nominantur, quia vertuntur ad Solem. Item aurum & auripigmentum, aureique colores, chrysolithus, carbunculus, myrrha, thus, muscus, ambra, balsamum, mel flauum, calamus aromaticus, crocus, spica nardi, cinnamomum, lignum aloës, cæteraque aromata, aries, astur, gallus, olor, leo, cantharis, crocodillus, homines flaui, crispi, sæpè calui, magnanimi, superiora partim cibariis, partim vnguentis, suffumigationibus, partim vsui accommodari possunt. Hæc sentienda, & cogitanda frequenter, & in primis amanda. Et luminis plurimum est quærendum. Si dubites ventrem ab iecoris fomento destitui, trahe ad ventrem iecoris facultatem, tum frictionibus, tum fomentis per ea quæ iecori congruunt, per cicoream, endiuiam, spodium, eupatorium & hepaticam, atque hepata. Similiter ne destituatur tuum corpus ab Ioue, moue corpus in die, horaque in regno Iouis, & vtere interim Iouialibus, argento, hyacintho, topazio, corallo, crystallo, berillo, spodio, saphyro, viridibus aëriisque coloribus, vino, saccharo albo, melle, & cogitationibus affectionibusque plurimum Iouialibus, id est, constantibus, æquis, religiosis atque legiferis. Et inter homines eiusmodi, sanguineosque & pulchros, venerabilesque versantor. Sed memento primis illis rebus frigidis inserendum esse aurum & vinum, menthamque & crocum. Animalia verò Iouialia esse agnum pauonemque, & aquilam & iuuencum. Quomodo verò virtus Veneris attrahatur turturibus, columbis & motacillis, & reliquis, non permittit pudor ostendere.

De concordia mundi, & de natura hominis secundùm stellas. Quomodo fiat attractus ab vnaquaque stella.

CAPVT II.

NEq; verò diffidere debet quisquam, nos atque omnia quæ circa nos sunt, præparamentis quibusdam posse sibi vendicare cœlestia. Nam cœlitus hæc facta sunt, assidueque reguntur, & illinc in primis præparata sunt ad illa. Et quod maximum est, mundus animal in se magis viuum est, quàm quoduis aliud animal perfectissimum. Ergo sicut in nobis membri cuiuslibet, præsertim principalis qualitas motusque ad alia pertinet, ita membrorum principalium actus in mundo commouent omnia, & membra inferiora facilè capiunt à supremis vltro dare paratis. Quo enim potentior causa est, eò promptior est ad agendum, eò igitur propensior est ad dandum. Exigua igitur præparatio nobis insuper adhibita sufficit cœlestium muneribus capiendis, si modo quisque ad id præcipuè se accommodet, cui est præcipuè subditus. Sed ante vniuscuiusque nostrum proprietatem, humanæ speciei proprietatem considerare debemus. Hanc igitur esse solarem Astrologi Arabes consenserunt. Quod ego è statura hominis erecta pulchraque, humoribusque subtilibus & spiritus claritate, imaginationisque perspicuitate, studioque veritatis & gloriæ, verum esse coniecto. Addo quinetiam proprietatem huic Mercurialem, ob strenuum versatilis ingenij motum. Et quoniam humanum genus natum, nudum, inerme, omnium egenum, hęc omnia propria industria sibi comparat, quod est Mercurij proprium. Addo etiam Iouialem ob complexionem corporis temperatam atque leges. Et quoniam secundo mense, quo Iupiter dominatur, vitam accipimus, atque nascimur nono, quo iterum recipit dominatum. Itaque humana species ab his tribus potissimum dotes insuper ampliores ita demum sibi poterit vendicare, si per Solaria Mercurialiaque & Iouia, seipsam eis magis indies atque magis accommodabit. De reliquis autem quid? Saturnus non facilè communem significat humani generis qualitatem atque sortem, sed hominem ab aliis segregatum, diuinum aut bruta, beatum aut extrema miseria pressum. Mars, Luna, Venus, affectus & actus homini cum cæteris animantibus æquè communes. Ad Solem igitur & Iouem atque Mercurium reuertamur. Solaria quidem nonnulla & Iouia diximus, Mercurialia verò nescio quomodo prætermisimus; sunt autem eiusmodi, Stannum, argentum, præsertim viuum, marcassita argentea, lapis Achates, vitrum Porphyriticum, & quæ croceum cum viridi misceant, smaragdum atque lacca. Animalia sagacia & ingeniosa simul & strenua, simiæ, canes. Homines eloquentes, acuti, versatiles, oblonga facie, manibusque non pingues. Sunt autem quærenda & exercenda quæ ad aliquem Planetam attinent, eo videlicet dominante (vt diximus) in die & hora eius, si fieri potest, etiam quando ipse sit in domicilio, vel exaltatione, vel saltem triplicitate sua & termino & angulo cœli, extra combustionem directus ac sæpius orientalis, si Sole sit superior, item in Auge, & aspiciatur à Luna. Si quis autem ab ipsa Luna beneficium, & à Venere poscat, tempora similia obseruare debebit. A Venere quidem per

animalia sua quæ diximus, & per Corneolam & Saphyrum lapidemque lazuli, æs croceum atque rubeum & corallum, omnesque pulchros variosque vel virides colores & flores, atque concentus, suauesq; odores atq; sapores. A Luna peralba & humida & virida, per argentum atque crystallum & vniones, & argenteam Marcassitam. Quoniam verò Saturnus quidem statui & perseuerantiæ dominatur. Mars autem efficaciæ motus, cogimur nonnunquam horum quoque gratia ab eis patrocinia postulare, temporibus videlicet similiter obseruabis. Ab illo quidem, per materias quasdam quodammodo terreas & fuscas atque plumbeas, & fuscam jaspidem & Magnetem, & camoinum atque chalcidonium, & ex parte quadam per aurum & auream Marcassitam. A Marte verò per ignea rubea, æs rubeum, sulphurea omnia, ferrum lapidemque sanguineum. Neque diffusas Saturnum habere nonnihil in auro. Nam propter pondus id putatur habere. Quinetiam Soli aurum simile, sic omnibus metallis inest, sicut Sol in Planetis omnibus atque stellis. Iam verò si quis conuicerit Saturnum & Martem natura noxios esse, quod equidem nunquam crediderim, tamen his quoque vtendum, quemadmodum venenis nonnunquam vtuntur & Medici, quod Ptolemæus in Centiloquio probat. Proderit ergo quandoque vis Saturni cautè sumpta, sicut apud Medicos quæ adstringunt atque continent, imò & quæ stupefaciunt, sicut opium & mandragora. Martis quoque sicut Euphorbium & helleborus. Cautissimi verò hac in re fuisse videntur Magi Brachmanes Pythagorici, qui quum ob sedulum philosophandi studium Saturni tyrannidem formidarent, vestibus albis amiciebantur, Iouialibusque siue Phœbeis, quotidie sonis & cantibus vtebantur, plurimumque sub duo viuebant. Vbique verò memento per affectum studiumque animi, & per ipsum spiritus qualitatem, nos facillimè subitoque exponi Planetis, eundem affectum atque eiusmodi studium & qualitatem significantibus. Persæpè rationem igitur à rebus humanis, per ocium, solitudinem, firmitatem, per Theologiam, secretioremque Philosophiam, superstitionem, Magiam, agriculturam, per mœrorem Saturno subiicimur. Per ciuilia & ambitiosa negotia, per Philosophiam naturalem communemque, per religionem ciuilem, perque leges Ioui, Marti per iram atque certamina, Soli Mercurioque per studium eloquentiæ, cantusque & veritatis & gloriæ atque solertiam, Veneri per lætitiam & Musicam & festiua, Lunæ per victum plantis similem. Sed hanc inter hoc differentiam mente teneto, exercitationem ingenij magis publicam atque amplam ad Solem spectare, priuatam verò & artificio mancipatam, potius ad Mercurium. Tum verò Musicam grauem quidem Iouis Solisq; esse, leuem Veneris, mediam verò Mercurij. Similis quoque de stellis fixis ratio est.

Hæc quidem communis humanæ speciei regula. Propria verò vnicuique regula fuerit explorare quæ stella, quid boni cuique in genitura promiserit, atque ab ea potius quam ab alia reposcere gratiam. Et ab vnaquaque non quodlibet donum, & quod aliarum est, sed eius proprium expectare, nisi fortè tum à Sole communia multa reportes, tanquam communi quodam duce cœlestium, & ab Ioue fermè similiter, tum mundana pariter omnia ab anima spirituque mundi. Quem sicut & quoduis animal multoque efficacius animatum esse, non solùm Platonicæ rationes, sed etiam Astrologorum Arabum testimonia comprobant. Vbi etiam probant ex applicatione quadam spiritus nostri ad spiritum mundi per artem Physicam affectumque facta, traiici ad animã corpusq; nostrum bona cœlestia. Hinc quidem per spiritum nostrum in nobis medium, & tunc à mundi spiritu roboratum, inde vero per radios stellarum feliciter agentes in spiritum nostrum, & radiis natura similem, & tunc seipsum cœlestibus coaptantem.

Quod inter animam mundi & corpus eius manifestum, sit spiritus eius, in cuius virtute sunt quatuor elementa. Et quod nos per spiritum nostrum hunc possimus haurire.

CAPVT III.

PRofectò mundanum corpus quantum ex motu generationeque apparet, est vbique viuum, quod Indorum Philosophi probant ex eo, quod passim ex se viuentia generet. Ergo per animam viuit vbique sibi præsentem, ac prorsus accommodatam. Igitur inter mundi corpus tractabile, & ex parte caducum, atque ipsam eius animam, cuius natura nimium ab eiusmodi corpore distat, inest vbique spiritus, sicut inter animam & corpus in nobis, si modo vbique vita est communicata semper ab anima corpori crassiori. Talis namque spiritus necessariò requiritur tanquã medium

quo anima diuina & adsit corpori crassiori, & vitam eidem penitus largiatur. Corpus autem omne facile tibi sensibile, tanquã sensibus tuis accõmodatũ, crassius est, & ab anima diuinissima lõge degenerans. Opus est igitur excellentioris corporis adminiculo quasi non corporis. Proinde scimus viuentia omnia tam plantas quàm animalia, per quemdam spiritum huic simile viuere atque generare. Atque inter elementa, quod maximè spiritale, velocissimè generare perpetuoque moueri quasi viuens. Sed quæres interea, si elementa atque animantes generant aliquid simile suo quodã spiritui, cur lapides & metalla non generant, quæ inter elementa animantes media sunt? Quia videlicet spiritus in eis crassiori materia cohibetur. Quasi quando ritè secernatur; secretusque conseruetur, tanquam seminaria virtus poterit simile generare, si modo materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem, qualem spiritum Physici diligenter sublimatione quadam ad ignem ex auro secernentes, cuiuis metallorum adhibebunt, aurumque efficient. Talem vtique spiritum ex auro, vel ex alio ritè tractum atque seruatum Elixir, Arabes Astrologi nominant.

Sed ad mundi spiritum redeamus, per quem mundus generat omnia, quandoquidem & per spiritum proprium omnia gnerant, quem, tum cœlum, tum quintam essentiam possumus appellare. Quia talis fermè est in corpore mundi, qualis in nostro noster. Hoc in primis excepto, quod anima mundi hunc non trahit ex quatuor elementis tanquam humoribus suis, sicut ex nostris nostra, imò proximè vt Platonicè siue Plotinicè loquar) ex virtute sua procreat genitali quasi tumens, & simul cum eo stellas, statimque per eum parit quatuor elementa, quasi in illius spiritus virtute sint omnia. Ipse verò est corpus tenuissimum, quasi non corpus, & quasi iam anima. Item quasi non anima, & quasi iam corpus. In eius virtute minimum est naturæ terrenæ, plus autem aqueæ, plus item aëriæ, rursus igneæ stellarisque quamplurimum. Ad horum graduum mensuras, ipsæ quantitates stellarum elementorumq; prodierunt. Ipse verò vbique viget in omnibus generationis omnis proximus author motus, de quo ille:

Spiritus intus alit.

Totus est suapte natura lucidus, calidusque & humidus, atque viuificus, ex dotibus animæ superioribus dotes eiusmodi nactus. Quem plurimum hausisse Appollonium Theanæum, testificatus est Indus Hiarchas dicens: Mirari nemo debet, ô Appolloni, te diuinandi scientiam consequutum, cùm tantùm ætheris in anima geras.

Quod spiritus noster hauriat mundi spiritum per radios Solis & Iouis, & quatenus ipse fiat Solaris & Iouialis.

CAPVT IIII.

HVnc tu igitur studebis tibi in primis insinuare. Hoc enim medio naturalia quædam beneficia reportabis, tum corporis mundani, tum animæ, tum etiam stellarum atque dæmonum. Nam ipse inter crassum mundi, & animam medius est, & in ipso stellæ sunt & dæmones, atque per ipsum. Siue enim mundi corpus atque mundana sint ab anima mundi proximè (sicut Plotino placet atque Porphyrio) siue mundanum corpus sicut & anima proximè sit à Deo, vt nostris placet, & fortè Timæo Pythagorico, omnino viuit mundus atque spirat, spiritumque eius nobis haurire licet. Hauritur autem propriè ab homine per suum spiritum, illi suaptè natura conformem, maximè si reddatur etiam arte cognatior, id est, si maximè cœlestis euadat. Euadit verò cœlestis, si expurgetur à sordibus, & omnino ab eis quæ inhærent sibi dissimilia cœlo.

Quæ quidem sordes non solum intra viscera si fuerint, verumetiam si animo, si in cute, si in vestibus, si in habitatione & aëre, spiritum frequenter inficiunt. Efficietur tandem cœlestis, si ad orbicularem animi corporisque motum, ipse quoque orbes efficiat. Si ad aspectum cogitationemque lucis frequentiorem etiam ipse subrutilet. Si adhibeantur ei similia cœlo, ea communiter diligentia qua Auicenna in libro de Viribus cordis, spiritum curat, & nos in libro de Curanda literatorum valetudine curare contendimus. Vbi primum segregantur ab eo vapores obnubilantes, Medicinis ita purgantibus. Secundo rebus lucentibus illustratur. Tertio ita colitur, vt & tenuetur simul & confirmetur. Fiet denique cœlestis maximè quantum dictat ratio præsens, si applicentur ei potissimum radij influxusque Solis inter cœlestia dominantis. Atque ita ex hoc spiritum tanquam in nobis medio cœlestia bona in primis insita sibi in nostrum

tum corpus tum animum exundabunt: Bona inquam cœlestia cuncta, in sole enim omnia continentur. Conferet autem sol ad spiritum solarem efficiendum propriè, quando sub Ariete fuerit vel Leone, ipsum aspiciente Luna, maximè in Leone, vbi adeò spiritum nostrum vegetat, vt ipsum muniat contra venenum Epidemiæ repellendum, quod perspicuè apparet in Babylonia & Ægypto, & regionibus spectantibus ad Leonem, vbi Sol Leonem intrans, Epidemiam sedat, ea dumtaxat ratione, qua diximus. Tunc ergo & tu Solaria passim exquisita compone. Tunc incipe solaribus vti, ea tamen cautione, qua sub æstu exsiccationem diligenter euites. Non poterit autem facilè spiritus solaris euadere, nisi sit quàm plurimus. Ad solem enim maximè pertinet amplitudo. Quàm plurimum verò faciet tum diligentia, cor rebus cordialibus intus & extra fouens, tum etiam victus ex alimentis quidem subtilibus multum tamen & facilè & salubriter nutrientibus. Motus quoque frequens atque lenis, & opportuna quies, aërque tenuis atque serenus, & ab æstu geluque remotus, præcipuè lætus animus. Rursum, nec Solaris erit, nisi calidus fuerit, & subtilis, & clarus. Subtilem clarumque facies si tristia & crassa deuitabis & fusca. Vtêris lucidis lætisque intus, & extra Luminis multum die nocteque excipies, Sordes expelles, & ocium, & torporem. In primis tenebras deuitabis. Perducturus autem spiritum ad calorem Soli naturalem; caue ne ad tertium caloris gradum siccitatemque deducas. Calor enim ipse Solis naturaliter non excitat, alioquin non esset Sol vitæ generationisque Dominus, & author augmenti. Siccare verò contingit radiis eius in concauis materiæ siccæ conclusis. Humorem itaque calori subtilem, qualis est solaris, & maximè Iouius, adhibebis & conseruabis in spiritu, rerum eiusmodi vsu, si solarem sis effecturum, ne alioquin ad Martium potiùs quàm ad solarem fortè deducas. Martem quidem Soli esse similem in paucis, & his quidem manifestis, nec admodum excellentibus, & interim inimicum esse ferunt. Iouem verò Soli simillimum in plurimis excellentibusque muneribus, quamuis occultioribus, & amicissimum esse scimus Vnde & Ptolomæus vbi de consonantia disputat. Iouem ait cum Sole præcæteris perfectissimè consonare, Veneremque cum Luna, omnesque Astrologi vniuersalem beneficentiam Soli tribuunt similiter atque Ioui. Quamuis Sol eadem efficacius agat, & Iupiter sub virtute Solis efficiat. In vtroque calor viget, super atque humorem. Sed in Ioue superat modicè, in Sole superat excellenter, vtrobique beneficè. Cùm igitur adeò consonent, facilè poteris spiritum solarem efficere pariter atque Iouium, ac res solares & Iouiales ritè poteris inuicem commiscere, præsertim si & has inuicem componas, & spiritui adhibeas, quando Iupiter Solem trino aspicit vel sextile, vel saltem quando Luna ab aspectu alterius ad alterum procedit aspiciendum. Maximè è quando ab aspectu Solis ad coitum cum Ioue progreditur. Seorsum verò Solarem propriè facies vel Iouialem, quando aspectum Lunæ ad Solem obseruaueris vel ad Iouem. Tametsi consequutus naturam huius, naturam mox illius facilè consequêris. Sextilem verò aspectum intellige, quando Planetæ duo inter se signorum duorum spatio distant. Trinum autem, quando quatuor signorum discrepant interuallo. Coniunctionem verò vel aspectum Lunæ ad alios, duodecim gradibus citra, totidemque vltra metiuntur.

Quod tres Gratiæ sint, Iupiter, & Sol, & Venus, & quod Iupiter sit Gratia geminarum media, & maximè nobis accommodata.

CAPVT V.

COmpositiones quidem, & curationes Iouias, simul atque Solares inuenies in libro nostro de Vita longa, & in lib. de Literatorum cura. Vbi etiam miscuimus pleraque Venerea. Nam & nos in studiosis timemus exsiccationem, cui resistit Venus. Et hæc ipsa Venus est amicissima Ioui, sicut & Soli Iupiter, quasi Gratiæ tres inter se concordes, atq; coniunctę. Ab his quidem tribus cœli Gratiis, & à stellis eiusdem generis Astrologi gratias & sperant, & diligenter exquirunt, easque per Mercurium atque Lunam, quasi nuncios transmitti putant atque curant, facilè verò communiterq; per Lunam, Lunã quidem cum Ioue coniunctam, aut Venere feliciorem esse putant, quam si per sextilem aspexerit, aut trinũ. Verumtamen si per trinum aspiciẽs etiam suscipiatur ab illis quasi existimant esse coniunctam. Similiter si à Sole perspecta fuerit, simulq; cepta. Nos autem si horum trium, stellarumq; similium vires effectusque omnes percurrere singulatim velimus, longum opus aggrederemur, exquisitu difficile, difficillimum obseruatu.

Si ad Venerem nos propriè conferamus, non facilè Solem habebimus. Si ad Solem propriè, non facilè Venerem. Vt igitur tres simul in vno gratias complectamur, ad Iouem tandem confugiemus, inter Solem Veneremque natura effectuque medium, qualitate admodum temperatum, & quæcunque sperantur à Venere, vel à Sole, suo quodam pacto tradentem, magnificentius quidem honestiusque, quàm Venus, temperatius quoque quàm Sol, & in omnibus cum humana natura maximè congruentem. Vtemur itaque Iouiis, quando & ipse & Luna dignitatem tum naturalem, tum accidentalem habuerint, sintque simul, vel feliciter se aspiciant. Si quando id fieri omnino non possit, misce Solaria in vnum simulatque Venerea, faciesque sic Iouiale ex vtrisque compositum, quando videlicet Luna à coitu Veneris eat ad sextilem Solis aspectum, vel è conuerso. Memento verò in rebus componendis quæ cor spiritumque foueant & corroborent, Lunam conferre potissimum, si vnà cum his muneribus hoc etiam habuerit, vt per aëria signa discurrat, maximè per aquarium, quod esse maximè putatur aërium. Vel si in suo domicilio sit, aut exaltatione sua, vel domo Iouis aut Solis. Et vbicunque sit, si mansionem ex viginti illis & octo teneat, tum sibi, tum etiam operi competentem.

De virtutibus naturalibus, vitalibus & animalibus, & qui Planetarum singulis aut commodent incommodentue, idque maximè per aspectus.

CAPVT VI.

PRæcipua verò disciplina est, rectè tenere quem spiritum, quam vim, quam rem potissimum hi Planetæ significant. Luna ergo Venusque vim & spiritum naturalem, atque genitalem, & quæ hunc augent. Iupiter eadem sed efficacius, heparque & stomachum, habetque non mediocrem partem in corde & spiritu, virtuteque vitali, quatenus suaptè natura cum Sole consentit, imò & per seipsum, alioquin cor vitalem spiritum non propriè in mense Iouis acciperet. Vnde Iouem Græci appellant vitam, & per quem vita. Habere quoque in animali spiritu potestatem testantur Astrologi, dicentes Iouem ad Philosophiam & veritatem inueniendam, religionemque conferre. Et Plato, vbi ait ab Ioue Philosophos proficisci. Quod etiam significauit Homerus antiquorum opinione dicens: Talis est mens hominibus, qualem indies addacit pater hominum atque Deorum. Nusquam verò numen aliquod cognominat præter Iouem. Sol spiritum vitalem præcipuè, corque significat, & habet nonnihil, imò non parum in capite propter sensum atque motum, cuius est ipse Dominus, neque vim deserit naturalem. Mercurius cerebrum & instrumenta sensuum, ideoque spiritum animalem. Proinde tutissima via erit, nihil sine Lunæ beneficio facere Quandoquidem cœlestia communiter & frequenter atque facilè ad inferiora demittit, quam alterum Solem nominant, quolibet mense quatuor anni tempora facientem. In prima enim sui quarta Peripatetici putant esse calidam atque humidam. In secunda calidam & siccam. In tertia frigidam atque siccam. In quarta frigidam atque humidam. Lumenque eius proculdubio Solis esse lumen. Humores generationemque regere, omnesque mutationes fœtus ipsius in aluo, conuersionibus suis metiri, & quoties Soli iungitur, viuificam ab eo virtutem accipere, quum infundat humori, atque ibidem à Mercurio vim humores commiscentem. Quam vim Mercurius & transformatione in omnes sua & gyris multiplicibus affert. Ibidem mox à Venere vim, quæ conducat ad formas genituræ conuenientes. Operæprecium verò fuerit meminisse, diurnum Lunæ cursum in quatuor distribui quartas. In prima quidem ab Oriente ad medium ascendit cœlum, atque interim humorem & spiritum auget naturalem. In secunda à cœli medio petit occasum, efficitque in nobis oppositum. Tertia ab occasu cœlum subtermedium adit, iterumque spiritum illum auget & humorem. Quarta cadit inde versus ortum, minuitque vicissim, quod maximè in Oceani ripis apparet, vbi ad hunc cursum mare manifestius accedit atque recedit, eodemque ordine vigor in ægrotantibus. Probabile etiam est, Solem per easdem sui quartas ad calorem naturalem, & spiritum vitalem augere, vel diminuere. Animalem quoque, quatenus Mercurium habet comitem. His cognitis poterit Medicus pro humore & calore naturali, & quolibet spiritu recreando, tempora opportuniora seruare. Sed nunc de Luna satis. Neque dimittere docet Iouem, in cuius mense altero quidem vitam accepimus, altero autem communiter & felicius nati sumus. Et qui inter Solem atque Venerem item inter Solem atque Lunam est qualitate effectuque medius, ideoque complectitur omnia. Solem verò ipsum prætermittere cœli Dominum nefas atque periculosum existima-

mus, nisi fortè quis dixerit, eum qui Iouem habet, in Ioue Solē iam habere, illic potissimum ad homines temperatum. In Sole certè omnes cœlestium esse virtutes, non solum Iamblichus Iulianusque, sed omnes affirmat, & Proculus ait, ad Solis aspectum omnes omnium cœlestium virtutes congregari in vnum atque colligi. Iouem verò esse Solem quendam ad nos temperatum nemo negabit. Lunam quoque temperatam ad Venerem haud neglexeris. Multum enim ad validam prosperamque vitam adiuuat. Siquidem Venus fœcundat hominem, facitque lætum, hanc igitur obseruabis. Quanquam si Lunam Veneri similem, humore prorsus æqualem, & vix minus calidam, cum Ioue ritè misceas aut Sole, propemodum iam Venerem habes. Quid ergo? Vt tutissimum omnium & commodissima simul incedas via, Lunam obserua, quando Solem aspicit, coitque cum Ioue, vel saltem Iouem simul aspicit atque Solem, aut certè quando post aspectum Solis mox ad Iouis coitum progreditur vel aspectum. Atque eo ipso tempore compone inuicem, vel adhibe tibi Solaria Iouiaque simulatque Venerea. Quod si te ad vnum ex magnis confugere necessitas vrgeat, vel negotium, ad Iouem ipsum, vel potius ad Lunam simul Iouemque confugito. Nulla enim stella naturales in nobis vires, imò & omnes magis quàm Iupiter fouet atque corroborat, nulla rursum pollicetur prosperiora simulatque plura. Et vbique hunc accipere faustum est, Solem verò accipere, forsitan non vbique tutum. Semper enim ille iuuat, hic sæpè nocere videtur. Venus autem quasi debilis. Ideo solus ille iuuans pater est appellatus. Id autem comprobat Ptolemæus vbi ait: Pharmacum vix quicquam mouere naturam dumtaxat, quando Luna cum Ioue congreditur. Vsque adeo illinc propriè totam putat vniuersi corporis corroborari naturam. Expertus sum quinetiam, Luna coniuncta cum Venere, Medicinam vix mouere. Quamuis autem vbi pituitam valdè timemus, Lunam præcipuè obseruemus ad Solem, vbi verò bilem exsiccationemque eiusmodi ad Venerem, tamen directio Lunæ ad Iouem, & adhæc omnia quodammodo confert, & præcipuè ad atram bilem expellendam, necnon ad communem hominum complexionem instaurandam atque firmandam. Sicut enim glycyrrhiza & oleum rosaceum frigidiora refrigerat, vinumque similiter, quod insuper humectat sicca, humidiora siccat, ita Iupiter humano congruus calori, vt vinum, oleum rosaceum, camomilla, glycyrrhiza. Vbi igitur audis Albumasar, dicentem: Non est vita viuentibus, præter Deum, nisi per Solem & Lunam. Id intellige, quantum ad communem omnibus spectat influxum. Proprius autem homini accommodatissimusque influxus est ab Ioue. Sunt autem in natura corporis vires attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi. Has igitur omnes Iupiter ipse iuuat, potissimum verò coquendi, siue digerendi virtutem, atque generandi & nutriendi simul & augendi, propter humorem eius aërium atque multum, & calorem eiusdem amplum, humori mediocriter dominantem. Profectò per radios Iouis semper vsquequaque diffusos, lumen Solis proprium ad salutem hominum maximè temperatur, radiis interim Veneris ad idem assiduè conferentibus, atque similiter transferente Luna. Radij quidem Veneris atque Lunæ tanquam humidiores quædam indigent temperante, sicut & Solis radij tanquam calidiores, humidioris cuiusdam temperiem exigunt. Radij autem Iouis temperamentum nullum desiderant. Quid enim aliud Iupiter est nisi Sol quidam ad salutem rerum præcipuè humanarum ab initio temperatus? Quid rursus aliud, nisi Luna Venusque facta tamen calidior atque potentior? Ideo Astrologi ab Ioue auspicantur annum, fertilem, ferreum, salubrem & ab eo imminentium morborum remedia sperant. Atque Empedocles vbi propria vnicuique Planetarum munere tribuit Iouem solum generationis principem nominat, Orpheum imitatus. Præter Iouem præcipiunt Lunam diligenter in omnibus operibus obseruandam, tanquam medium inter cœlestia competens, atque terrena. Sit ergo Luna in gradu situque & aspectu ad opus optatum, conueniente. Non sit in eclyptica, ne sub radiis Solis per gradus duodecim vltra citraque, nisi fortè sit in eodem minuto cum Sole. Plerique verò volunt omnes Planetas fore fortes quando in vnitate Solis extiterint. Vnitatem verò metiuntur minutis duobus atq; triginta, vt XVI. quidem citra, XVI. verò vltra connumerentur. Non impediatur à Saturno vel Marte, non descendat. In latitudine meridionali, quando duodecim dictos gradus egreditur. Non sit opposita Soli, nec lumine minuatur, nec tarda cursu, quando scilicet die vno, duodecim non peragit gradus. Nō sit in via cōbusta à gradu Libræ vigesimooctano ad tertium Scorpionis, nec in octaua, nec in Ascendente, nec in finibus Martis, vel Saturni. Quidam verò nec in sexta duodecima nona, quarta, Lunā vo-

sunt. In cæteris verò cœli plagis approbant. Vbi hæc omnia complecti non potes, Iouem saltem expecta vel Venerem in ascendente, vel decima, sic enim subueniunt detrimentis Lunæ. Nec ab re fuerit recordari quatenus Luna lumine augetur, eatenus & nobis non solum humorem, sed spiritum etiam virtutemque augeri, atque hæc ad circunferentiam dilatari, maximè in secunda eius quarta. Quando verò minuitur, contrà contingere, præsertim in vltima quarta. Primum eius ad Solem trinum præesse secundo. Hunc sextili primo. Hunc sextili secundo, Lunam quatenus lumine, eatenus repleri calore. Videntur ergo quidam non tam obseruare quo modo aspiciat Luna Solem (semper enim aspicit) quàm vt plurimum lumen habeat, præsertim dum augetur. Aspiciat verò interim trino vel sextili Iouem aut Venerem.

Proinde virtutem attractiuam ignea iuuant, retentiuam terrea, digestiuam aëria, expulsiuam aquea. Si tu has omnes in te adiuuare volueris, attractiuam quidem per ignea maximè roborabis, quando Luna in signis vel stationibus igneis constituta Iouem aspicit, scilicet Ariete, Leone, Sagittario. Retentiua per terrea, potissimum quando intuetur eundem in signis vel stationibus terreis collocata, Tauro, Virgine, Capricorno. Digestiuam generatiuamque per aëria, scilicet Geminos, Libram, Aquarium, quoties sub aëreis Iouem suspicit, aut subit. Expulsiuam per aqueam. Cancrum, Pisces, Scorpium. Quando sub aquis ipsa posita, Iouis radiis illustratur. Maximè verò in his omnibus consequeris optata, si Iupiter eadem vel similia, vel saltem non dissimillima signa mansionesue possederit. Citaturus aluum solidis Medicinis, accipe Pisces, Liquidis, Scorpionem. Mediis verò, Cancrum. Per inferiora purgaturus, Pisces & Scorpium. Per superiora, Cancrum. Malum Saturni vel Martis ad Lunam deuitabis aspectum. Ille enim vexat stomachum, hic intestina dissoluit. Capricornum euitabis & Taurum, nauseam enim afferunt. [illegible]cis membrum irritandum non esse, quando Luna signum occupat membro præfectum (humores namque mouet) sed potius esse fouendum. Hæc verò de virtute & spiritu naturali in iecore præcipuè dominantibus, quæ in quatuor officia, vt narrauimus, diuiduntur, dicta sufficiant. De virtute spirituq; vitali in corde vigente quidnam monemus? Satis id fermè significatum est. Nam per res in primis igneas & quodammodo simul aërias hæc adiuuantur, quando Luna in domiciliis mansionibusue consimilibus suspicit Iouem, præcipuè si Iouem complectatur & Solem. Virtutem quoque animalem per sensum & motum in capite dominantem confirmare potes per aëria in primis, subiunctis igneis, quando Luna in domiciliis vel sedibus consimilibus Iouem suspicit, præsertim si Iouem propemodum Mercuriumque complectitur.

Hic verò te moneo, ne Mercurium putes aqueum esse vel terreum (quod & ego aliquando suspicatus sum, alioquin motibus celeritatique ingenij non conferret) sed quodammodo aërium esse scias. Nam & ob eandem causam tam mobilis est, tam facilè conuertibilis, tantum ingenio confert, præsertim aquario plurimum aërio constitutus. Humor quidem in eo temperatus est, calor exiguus. Sub Sole positus dicitur exsiccare. Longior autē à Sole factus, humectare putatur. Ibi quidem calefacere multum ex natura Solis, hic verò calefacere parum admodum, & humefacere magis suaptè natura. Calore forsitan non cedit Veneri, Lunam superat, humore verò cedit vtrisque. Haly probat Mercurium qualitates cœlestium commiscere, quoniam facillimè permutetur, tum in qualitatem termini quem subit, tum in naturam stellæ quam aspicit. Ego igitur hunc tam facilè permutari puto, quia nec excellentem potestatem, quam Iupiter habet, nec excedentem qualitatem, quam pleraque cœlestia, per quam alterationi resistat. Denique probabile est Mercurium assiduum Solis Achatem, multas illius vires habere, ideoque sperari solaria quædam à Mercurio posse. Aliquando verò & Martem tradunt, Solem in quibusdam muneribus imitari, ac Venerem quæ ad Lunam pertinent elargiri. Hæc igitur in agendo memineris. Neque negligas vnquam terminos. Aiunt enim Planetas in diuersis terminis ceu lucidis atque tenebrosis opposita facere. Denique vbi Martem times, oppone Venerem. Vbi Saturnum adhibe Iouem. Ac da operam vt in perpetuo quodam pro viribus motu verseris, tantùm defatigatione vitata, vt & proprium motum externis motibus clam nocituris opponis, & cœlestem actum pro viribus imiteris. Quòd si poteris spatia motibus ampliora peragere, sic & cœlum potius imitaberis, & plures cœlestium vires passim diffusus attinges.

(:) (:) (:)

Quomodo membra foueantur in nobis per comparationem Lunæ ad signa & ad stellas fixas.

CAPVT VII.

TOtum quemadmodum diximus corpus fouere poteris, caput verò potissimum si Planetas obseruaueris in Ariete, vel in suo quemque domicilio primo. Præcordia si in Leone. Stomachum iecurque, si in Cancro atque Sagittario, aut saltem in Virgine. Et acceperis ea quæ propriè membrum petunt. Expedit quoque nosse, quę quisque Planeta membra in signo quolibet habeat. Potes etiam propriè pro ætatis discrimine consulere vnicuique per quatuor ætates Lunæ. Hæc enim à Nouilunio vsque ad quadraturam primam iuuenis est. Deinde ad plenilunium est iuuenis atque virilis. Hinc ad quadraturam alteram, virilis simul atque senilis. Inde vsque ad coniunctionem est senilis. Ætatem itaque Lunæ feliciter ætati curandi corporis adhibebis, si tunc aspectu eius ad aliquantum trium Gratiarum acceperis. Qui sanè aspectus Lunæ semper, & cito, gratiosa largitur. Neque tamen facilè admodum diuturna vel maxima, nisi præter intuitum Lunæ, etiam ipsæ Gratiæ mutuo se conspiciant iam, vel propè modum conspecturæ sint, aut tres ipsæ aut duæ. In primis verò diuturna præbent signa fixa. Leo scilicet, Aquarius, Taurus, Scorpius Si fortè non possis in præsentia Lunam ad Planetas gratiosos opportunè dirigere, stellas elige fixas gratiarum naturam, id est, Iouis aut Veneris aut Solis, habentes, & eas directam Lunam elige. Tutius tamen est, Lunam interea Iouem propemodum adire vel Venerem. Stellæ namque fixæ si solæ spectent, proportionem humanam, id est, vnius hominis, nimis exuperant. Proportionem verò cum ciuitatibus moderatiorem habent.

De virtutibus & vsu stellarum fixarum.

CAPVT XIII.

TRadunt Astrologi maiores quasdam stellas à Mercurio compertas, authoritatem habere quamplurimam. Qualis est in Arietis gradu xxij. vmbilicus Andromedæ, Mercurialis atque Venereus. Item in Tauri XVIII. caput Algol, naturam Saturni possidens, atque Iouis. Cui subesse volunt adamantem & artemisiam, & audaciam victoriamque præstare. In eiusdem gradu XXII. Pleiades, Lunare sidus & Martiũ. Cui subiiciunt crystallum, herbam diacedon, semen fœniculi, conferre putãt ad acuendũ visum. Quod autẽ nonnulli dicunt conducere ad dæmones cõuocandos, figmentum esse iudico. Aldeboran primo vel tertio geminorũ gradu, Martium atq; Venereum. Hircus gradu eorũdem XIII. Iouius atq; Saturnius. Huic subiiciunt saphyrum, prassium, menthã, arthemisiam, mãdragoram. Ad dignitatem & principum gratiam adiuuare cõfidunt, nisi forte eos opinio fallat. Illi subesse volunt rubinum, titimallum, matrisyluam, diuitias & gloriam augere. In Cãcri sexto vel septimo Canis maior Venereus, præest berillo, sauinæ, arthemisiæ, dracõteæ. Præstat gratiã, item in VXII. eiusdem Canis minor Mercurialis & Martius. Cui subesse volunt lapidẽ Achatẽ, herbam solsequiũ, & pulegiũ. Atq; gratiã elargiri. In Leonis XXI. Cor Leonis, stella regia Iouialis & Martia. Huic subiici putant lapidẽ Granatum, chelidoniam, masticẽ, melancholiam reprimere, temperatũ gratiosumque efficere. In Virginis XIX. Cauda Vrsæ maioris Venerea & Lunaris. Lapidem eius Magnetem putant herbã cicoreã à raptoribus veneficiisq; tueri. In Libræ VII. Ala Corui dextra. Item in eiusdem XII. & fortè XIII. Ala sinistra, Saturnia simul & Martia. Eius herbam lapathum & hyoscyamum esse, cum lingua ranæ audaciã augere. Fore noxiã, in eiusdem quindecimo vel sedecimo, spica Venerea Mercurialisque. Quam sequatur Smaragdus, saluia, trifolium, prorulla, arthemisia, mandragora. Diuitias augeat & victoriam, & ab angustia vindicet.

Denique in eiusdem XVII. vel XVIII. Alchameth. Huic subdunt jaspidem & plantaginem. Firmare sanguinem sperant, febres omnes expellere. In Scorpionis quarto, Venerea Martiaq;. Secundũ verò computationem aliam in gradu eiusdem quinto est cornea, forsan eadem præsidens topazio, rorimarino, trifolio, hederæ, augere gratiam, castitatem, gloriam putant. In Sagittarij tertio, Cor Scorpionis Martium atque Iouium, præsidens Sardonio, Amethisto, Aristolochiæ longæ, Croco. Opinantur colorem bonum efficere, animum lætum, sapientemque reddere, dæmonia propulsare. In Capricorni gradu septimo Vultur cadens, hãc sequitur Chrysolithus, Satureia, Fumus terræ. Stella est Mercurialis atque Venerea, temperata. In ascendente medioque cœlo prodest. Quod autem excantandi authoritatem afferre dicant, nihilipendo. In Aquarij XVI. cauda Capricorni Saturnia, Mercurialisque. Quam sequitur Calcidonius, maiorana, nepeta, artemisia, mandragora.

Præstare

Præstare in causis gratiam opinantur, diuitias augere, hominem ac domum incolumem reddere. In Piscium tertio humerus equi Iouialis & Martius. Thebit Philosophus docet ad captandam alicuius stellæ modo dictæ virtutem, lapidem eius accipere, herbamque eiusdem, annulumque aureum facere vel argenteum, in quo lapillum inseras herba subiecta gerasque tangentem. Id autem efficias quando Luna subit stellam, aut aspicit aspectu trino vel sextili. Et stella in medio percurrit cœlo vel ascendente. Ego vero quæ ad eiusmodi stellas attinent, in formam potius medicinæ quam annuli componerem, intrinsecus vel extrinsecus adhibendæ, opportunitate videlicet prædicti temporis obseruata. Tametsi prisci annulos magnifecerint. Nam Damis & Philostratus narrant, Hiarcham sapientum Indorum principem simili quadam ratione septem annulos confecisse, stellarum septem nominibus appellatos eosque Apollonio Theanæo dedisse. Qui deinde singulos diebus singulis gestauerit, iuxta dierum nomina hos distinguens. Dixisse vero Hiarcham Apollonio, auum suum Philosophum annos centum atque triginta vixisse, eiusmodi forsan cœlesti munere fretum. Quo & Apollonius deinde vsus, centesimo etiam anno, vt aiunt, iuuenem præferebat. Denique si quid eiusmodi annuli virtutis habent ex alto, id quidem non tam ad animam vel ad crassum corpus pertinere arbitror, quam ad spiritum, calefacto paulatim annulo, sic inde vel sic affectum, vt firmior efficiatur, aut clarior, vehementior, aut mitior, seuerior, aut lætior. Quæ quidem affectiones in corpus quidem omnino, & in animam sensualem quodammodo, plerumque indulgentem corpori transeunt. quod autem aduersum dæmonas aut hostes, aut ad principum gratiam profuturos anulos pollicentur, vel fictum est, vel inde deductum, quod spiritum intentum, firmumque efficiant, vel etiam mansuetum, obsequioque amabilem, atque gratiosum. Iam vero si quid cœlestia præter corpoream valetudinem, conferre ad ingenium, artem, fortunam dicerem, ab Aquinate Thoma nostro non diffiderem, qui in libro contra Gentiles tertio probat à corporibus cœlestibus imprimi nonnihil in corpore nostro, cuius munere disponamur ad eligendum sæpè quod melius est, etiam si rationem finemque nesciamus. Qua quidem in re bene fortunatos appellat, atque (consentiente Aristotele) bene natos. Addit etiam virtute cœlesti fieri nonnullos in quibusdam artium effectibus efficaces (vt eius verbis vtar) sicut miles in vincendo, agricola in plantando, medicus in sanando, felices. At enim sicut herbæ lapidesque mirabiles quasdam vltra naturam elementarem vires cœlitus habent, sic homines quoque in artibus nonnullos habere. Mihi vero satis fuerit factum, si cœlestia quomodocunque quasi medicinas, siue interiores, siue exteriores, ad prosperam conferant valetudinem, dummodo interea salutem corporis perquirentes, iacturam nullam salutis animæ faciamus. Nihil omnino tentemus à sancta religione prohibitum. Præterea in opere quouis conficiendo, fructum operis ab eo speremus atque petamus in primis, qui & cœlestia, & quæ continentur cœlo fecit, & virtute donauit, mouetque semper atque conseruat.

De dignitatibus Planetarum in signis ad vsum medicinarum obseruandis.

CAPVT IX.

Saturni domus Aquarius & Capricornus. Exaltatio Libra. Iouis domus Sagittarius atque Pisces. Exaltatio siue regnum, Cancer. Martis domicilium, Scorpius & Aries. Exaltatio Capricornus. Solis sedes quidem est Leo. Regnum Aries. Veneris habitaculum Taurus atque Libra. Exaltatio Pisces. Mercurij ædes Virgo atque Gemini, Regnum virgo. Lunæ domus Cancer, Exaltatio Taurus. Saturnus & Iupiter triplicitatem habent in igneis aëriisque signis. Sol igneis tantum Mercurius in aëriis solum. Mars, Venus, Luna, in aqueis atque terreis. Planetæ quilibet præter Solem ac Lunam, in quolibet signo fines quosdam suos possident, quos & terminos appellamus. Igitur in Ariete Iupiter sex ibi primos terminos obtinet. Venus sex inde sequentes, Mercurius posteriores octo, Mars quinque deinceps, postremos quinque Saturnus. In Tauro ordine deinceps simili Venus fines habet octo, Mercurius sex, Iupiter octo, Saturnus quinque, Mars denique tres. In Geminis Mercurius sex, Iupiter sex, Venus quinque, Mars septem, Saturnus sex. In Cancro Mars septẽ, Venus sex. Mercurius totidem, Iupiter septem, Saturnus quatuor. In Leone Iupiter sex, Venus quinque, Saturnus septem, Mercurius sex, Mars totidem. In Virgine Mercurius septem, Venus decem. Iupiter quatuor, Mars septem, Saturnus duos.

In Libra Saturnus sex, Mercurius octo, Iupiter septem, Venus totidem, Mars duos. In Scorpione Mars septem, Venus quatuor, Mercurius octo, Iupiter quinque, Saturnus sex. In Sagittario Iupiter duodecim, Venus quinque, Mercurius quatuor, Saturnus quinque, Mars quatuor. In Capricorno Mercurius septem, Iupiter septem, Venus octo, Saturnus quatuor, Mars totidem. In Aquario Mercurius septem, Venus sex, Iupiter septem, Mars quinque, Saturnus totidem. In Piscibus Venus duodecim, Iupiter quatuor, Mercurius tres, Mars nouem, Saturnus denique duos. Sol autem & Luna alia ratione fines suos habent. Nam Sol quidem signa sex pro finibus habet, Leonem, Virginem, Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum, Luna vero reliquos, Aquarium, Pisces, Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum. Solem igitur atque Lunam in his signis eum principatum effectumque, quem reliqui Planetæ in suis finibus habere putant. Præter fines habent in signis suas Planetæ facies, quas Græci Decanos nominant, decem occupantes signi gradus. In Ariete facies prima Martis. Secunda Solis, qui Martem in cœlo sequitur, ordine Chaldæorum. Tertia Veneris, quæ Soli succedit in cœlo. In Tauro prima facies Mercurij, sequentis Venerem. Secunda Lunæ, quæ Mercurio succedit, Tertia Saturni. Ad hunc enim redeundum est, impleto iam numero Planetarum. In Geminis prima Iouis, sequentis videlicet Saturnum, secunda Martis, Tertia Solis eodem ordine, similiter deinceps.

Quomodo Planetis vti debeamus in Medicinis.

CAPVT X.

Commemorauimus autem quas in signis Planetæ dignitates habent, vt quoties facturi compositurique sumus quæ ad Planetam aliquem attinent, sciamus eum in suis dignitatibus collocare, præsertim quando habuerit in nostra reuolutione & genesi principatum, vt etiam Saturnus atque Mars, alioquin deprimendi, nobis tamen sint erigendi, si genituræ nostræ significatores extiterint. Maximè vero operæ precium ex hac commemoratione fecerimus, si quando vsuri in medicinis conficiendis beneficio Lunæ & Veneris atque Iouis, cauebimus ne in finibus Saturni vel Martis existant, nisi fortè vbi cogimur, vel per Saturnum cohibere dissolutionem æstumque reprimere, vel per Martem frigidissima calefacere, torpētia suscitare, alioquin fines Iouis & Veneris eligemus, accipiemus quoque Mercurij fines, Mercurialibus in primis hominibus profuturi. Neque latere nos debet, homines valde Mercuriales, quales sunt qui ingenio, artificio, eloquio pollent, non mediocriter esse Solares. Mercurius enim semper est Apolline plenus. Vt autem quiuis intelligat quomodo figuras in cœlo describamus in oras signum quod ab Oriēte surgit, primam appellamus vitæque domum. Quod succedit in ortum, secundam, tertiamque deinceps, aliasque similiter, ita vt septima domus sit signum, quo in Occidente iā descendens opponitur ascendenti. Huic octaua succedit. Nona vero è medio cadit cœlo, quod decimam domū efficit. Huic succedit vndecima. Sed duodecima cadit ab ascendente. Vt igitur Planetæ sint potentes, habendi sunt in angulis vel Orientis, vel Occidētis, vel medij vtrinque cœli. Maximè vero in angulo ascendentis, aut decimæ mediū supra caput obtinentis cœlum, aut saltem in plagis quæ angulis mox succedunt. Tametsi Solem quidē nona, quæ à medio cadit cœlo, Lunam vero in tertia etiam cadente gaudere putant. Duas inter hæc regulas mente teneri Astrologi volunt. Vnam quidem ægrotantis ratione, alteram vero medici. Nempe vbi ægrotantis septima domus per Saturnum vel Martem infortunata est, vel Dominus eius infelix, separa medicum ab ægroto, si Ptolomæo credis. Præterea medicum electurus, Saturnium Martialemque declinare iubent, eumque perquirere in cuius genitura domus sexta per aspectū Solis, vel per Venerē aut Iouem, quomodocunque fuerit fortunatam. Infortunatum vero dicimus signum vel Planetā per Saturnum aut Martem, nisi propria domicilia sint vel regna, quando videlicet, vel ibi sunt, vel illuc aspiciunt opposito vel quadrato. Oppositum verò aspectum dicimus inter illa quæ interuallo discrepant quam longissimo. Quadratum vero, vbi hoc ab illo quarta parte cœli, id est, signorum trium spacio distant. Minus tamen per coniunctionem oppositum quadratum Saturnum & Mars Planetis aliis nocent, quando tanquam hospites eos domicilio vel regno suo terminoue suscipiūt. Quemadmodum Planetæ felices magis prosunt, quando per sextilem trinumue aspectum atque coniunctionem etiam, vt diximus, sic excipiūt. Solis tamen coniun-

ctionem Planetæ verentur, aspectu gaudent, trino videlicet vel sextili. Proinde necessarium est meminisse, Arietem præesse capiti atque faciei, Taurum collo, Geminos brachiis atque humeris, Cancrum pectori, pulmonibus, stomacho, lacertis, Leonem cordi & stomacho, atque iecori, & dorso, & costis posterioribus, Virginem intestinis & fundo stomachi, Libram renibus & fœmori atque natibus, Scorpionem genitalibus, vuluæ, matrici, Sagittarium fœmori atque subinguinibus, Capricornum genibus, Aquarium cruribus tibiisque, Pisces pedibus. Huius enim ordinis memor cauebis membrum tangere ferro, vel cucurbitulis, quando Luna sub eius signo discurrit. Tunc enim auget Luna humores in membro, quorum affluentia, & consolidationem prohibet, & grauat membri virtutem. Obseruabis autem tunc membrum remediis quibusdam amicis, vel extra vel intus adhibitis, opportunè feliciterque fouere. Expedit vero nosse quod signum ascenderit tibi nascenti. Nam præter Arietem hoc etiam tibi caput significat, atque in hoc Luna tibi caput aspicit. Præterea quando Luna Arietem subit, opportune balnea tentas & lauacra. Quando Cancrum, feliciter minue sanguinem, medicinam accipe, præsertim electuarij formam. Quando est in Leone, prouoca vomitum. Cum in Libra, clysteribus apta est. In Scorpione, balnea nec tentes. Sunt qui medicinam soluturam dare nec prohibent, neque iubent. In Capricorno, medicinam sumere nocet. Similiter in Aquario. In Piscibus vero prodest. quæ vero membra in quouis signo vnusquisque habeat Planetarum, etsi scitu necessarium est, tamen narratu prolixum. Neque vero in purificatione alui latere nos debet Ptolemæi præceptum. Medicinam accipere purgatoriam, quando Luna est in Cancro, Piscibus, Scorpione, probamus, præsertim si dominus signi tunc ascendentis applicat se Planetæ sub terra currenti. Sin autem ascendentis Dominus coniungatur interea supra caput cum Planeta medium tenente cœlum, nausea statim & vomitus incitabitur. Denique concludamus cum Galeno, Astrologiam esse medico necessariam, qui de criticis diebus disputans ait: certam esse Ægyptiorum sententiam, id est, Lunam significare affectionem indies ægrotantis atque sani, adeo vt si misceantur cum Luna radij Iouis & Veneris, bene afficiatur vterque Sin autem Saturni vel Martis, contraria ratione se habeat. Sed latius iam peruagati, ad spiritum tandem & vitam atque gratias reuertamur.

Quibus modis spiritus noster haurire plurimum possit de spiritu vitaque mundi. Et qui Planetæ spiritum procreent atque recreent. Et qualia ad vnumquemque Planetam pertineant.

CAPVT IX.

HVc vero tendunt hæc omnia vt spiritus noster ritè per naturalia præparatus atque purgatus accipiat ab ipso vitæ mundanæ spiritu plurimum per radios stellarum opportune susceptos. Vita quidem mundi omnibus insita, propagatur euidenter in herbas & arbores, quasi pilos sui corporis atque capillos. Tum & insuper in lapides & metalla, velut dentes & ossa. Pullulat quoque in viuentes conchas, terræ & lapidibus adhærentes. Hæc enim non tam propria quam ipsi communi totius vita viuunt. Quæ sane communis vita, multò etiam magis super terram in corporibus viget subtilioribus tanquam propinquioribus animæ. Per cuius vigorem intimum, aqua, aër, ignis viuentia sua possident, atque mouentur. Vita hæc aërem ignemque etiam magis quam terram & aquam fouet agitatque perpetuo motu. Et denique cœlestia corpora, quasi mundi caput vel cor, vel oculos quam maximè vegetat. Vnde per stellas velut oculos, radios non visibiles solum, sed etiam visuales vsquequaque diffundit. Quibus more Struthij, vt diximus alibi, inferiora conspicit, fouetque videndo, imò etiam ita tangendo generat & format omnifariam atque mouet. Igitur ad motum nitentis aquæ, sereni quoque aëris, ignisque moderate distantis, atque cœli, motum mundanæ vitæ suscipies, si ipse quoque leniter & fermè similiter mouearis, quosdam pro viribus gyros agens, vertigine deuitata, cœlestia lustrans oculis, mente versans. Item frequenti quodam vsu planetarum, similiterque viuentium potes è mundi spiritu plurimum haurire. Præsertim si adhuc viuentibus recentibusque & matri terræ quasi adhuc hærentibus nutriaris, atque fouearis. Inter planetas suauiter redolentes, vel saltem non male olentes verseris quam frequentissimè. Omnes enim herbæ, flores, arbor, poma redolet, quamuis sæpe minus animaduertas. Quo quidem odore quasi flatu spirituque vitæ mundanæ te vndique recreant atque vegetant. Spiritum inquam tuum

odoribus eiusmodi natura simillimum, perque spiritum medium inter corpus & animam, facile corpus quoque reficiunt, & animæ mirificè prosunt. Inter hæc diutissimè diurno tempore sub dio versaberis, quatenus tuto vel commode fieri potest, in regionibus altis & serenis atque temperatis. Sic enim Solis stellarumque radij expeditius puriusque vndique te contingunt, spiritumque tuum cõplent mundi spiritu per radios vberius emicante. Præterea naturalis ipse motus aëris, qui perpetuus est in orbem, quamuis ob lenitatem suam, consuetudinemque diuturnam vix percipiatur ab vllo, te die sub dio deambulantem, habitantemque in patentibus editisque locis liberè lambit, penetratque purè, ac motum vigoremque spiritui tuo mundanum mirificè præstat. Dixi equidem die, compertum enim habemus nocturnum aërem esse spiritibus inimicum. Confert autem diurni vsus, præsertim si plurimum in aperto deambulans deuites primo quidem nimiam aëris intemperiem, deinde frequentius mouearis in eo, quando præter temperiem & serenitatem eius, stellarum positio magis est hominibus salutaris. Item si loca eligas præ cæteris odorifera per quæ situm quotidie mutes, & ipse quasi continue, & leniter mouearis. Mutare locum quamuis semper cum delectu præcepi, quoniam bona cœlestium & vniuersæ naturæ apud nos sunt rebus locisque aliis passim atque aliis distributa, quibus denique omnibus est fruendum. Mitto quod varietas tædium prohibet, spiritibus inimicum, propriumque Saturno. Voluptatem vero affert, per quam (vt ita dixerim) Venus ipsa voluptatis amica venit in spiritum, atque quod eius officium est, hunc statim ingressa propagat. Summatim vero si quis consideret Paradisum, & pomi vitæ vsum apud Mosen. Item similem victum à Platone positum ni Phædone, & quæ Plinius de populis ait odore viuentibus, intelliget esse vera quæ dicimus. Sed ad naturam spiritus descendamus. Spiritus qualitas est proculdubio Iouia, cuius tempore nobis infunditur. Est & Solaris. Iupiter enim hunc infundit, quatenus ingentem Solis in se temperat potestatem. Item alia quoque ratione Iouia est, quoniam calida est & humida, & calore abundat potius quam humore, nasciturq; ex sanguine, & vapor quidem sanguineus appellatur. Rursus quoniam feruet, & subtilis est admodum atque lucens, oriturque à corde, Solaris proculdubio iudicatur. Habet quodammodo Veneream in se virtutem. Nam motu Venereo prorsus exundat, profluit, transfertur, prolemque propagat, ad voluptatem cuiuslibet sensus se dilatat refugitque dolorem. Summatim vero, spiritus quatenus corpori ad vitam & motum propagationemque conducit, Iouius, Venereus, Solaris existimatur. Quatenus animo ad sensum imaginationemque ministrat, Solaris Mercurialisque censetur, & vbique Mercurialis existit, quando quidem adeo mobilis est, & tam facilè conuertibilis, atque formabilis. Saturni, Martis, Lunæ, sanus communiter Spiritus non multum habet, alioquin ex illo sæpè stupidus, ex hoc furiosus, ex hac obtusus quodammodo foret. Quamobrem Lunaria quidem velut crassiora simulque humidiora à subtili & volatili natura spiritus sunt admodum aliena. Quæ vero Saturnalia multum, atque nimium Martialia sunt, quasi venena sunt, spiritui naturaliter inimica. Illa quidem ob extremam frigiditatem atque siccitatem, hæc autem ob siccitatem, caloremque edacem. Iouia igitur & Solaris in primis, deinde Mercurialis & quodammodo Venerea, spiritus natura censetur. Distinctione verò præcipua, Spiritus quidem naturalis Ioui propriè dedicatur, vitalis autem Soli, animalis verò Mercurio. Quando igitur res postulat aliquem è tribus spiritum adiuuare, patrono tunc suo infortunato, vel debili, non facile clientulo succurrere poteris. Difficillime vero spiritui animali, dum Mercurius infeliciter est affectus, qui tantam in animali spiritu authoritatem habet, vt caduceo quodam suo animos tum consopire, tum suscitare dicatur, id est, suo quodam aspectu sic aut aliter se habente obtundere ingenium, vel acuere, debilitare, siue corroborare, vexare vel sedare mirificè possit. Tu igitur quoties spiritum aliquem studes excolere, non modo patronum suum obseruabis fortunatum atque potentem, sed etiam Lunam eliges ad hunc opportune directam.

Non creatur autem neque recreatur aliquando propriè per influxum Saturni solum substantia spiritus, sed semper ab externis ad intima, & sæpè ab imis reuocatur ad summa. Vnde ad secretiora & altiora contemplanda conducit. Potest tamen, etsi raro, vis Martis atque Saturni, spiritui tanquam medicina prodesse, vel calefaciendo quum opus fuerit, & excitando atque dilatando, vel vicissim nimis volatilem coërcendo. Per ea vero potissimũ, quæ quatuor illis Planetis con-

sentanea sunt, creatur natura Spiritus atque recreatur. Verum si ad Solaria quælibet valde & absque delectu declines, exacues illum, & exiccabis tandem atque dissolues, si similiter ad Venerea, liquefacies paulatim, vel obtundes. Si confidas tantum Mercurialibus, parum admodum inde proficies. Erit igitur operæ precium Iouialibus vti quam plurimum, eisque reliqua mediocriter admiscere, ac frequentius vti rebus, quæ vel his omnibus æquè sint communes, vel propriè Ioui. Nam hę quoque omnibus quodammodo sunt cōmunes. Communiter autem ad hos omnes attinent, quæ substantiam habent nec igneam nimis, nec prorsus terream, nec simpliciter aqueam, nec acutissimam, nec obtusissimam qualitatem, sed mediocrem & tactu leuem, & quodammodo mollem, vel saltem non duram, siue asperam, item gustu quodammodo dulcem olfactu suauem, visu gratam, auditu blandam atque iucundam, cogitatu lætam Dulcedo igitur quædam saporis, & gratia his omnibus est communis, Si dulcedo quasi aquea est, & simul pinguis, ad Venerem magis attinet, si quasi insipida, vel aliquantum austera, potius ad Mercurium, atque hæc spiritui non multum prosunt, necessaria tamen sunt interdum ad hebetandum nimium eius acumen Si dulcedo manifesta sit atque subtilis, & paulum habeat styptici acutique saporis Iouialis propriè iudicatur. Cui congruit substantia dulcis amygdalæ, pinei nuclei, auellanæ, pistacij, amidi, glycyrrhizæ, passularum, vitelli oui, carnium gallinacei pulli, fasianorum, pauonum, perdicum, similiumque, item radicum been, atque enulę. Rursum vini odoriferi clari, aliquantum dulcis, & styptici, sacchari candidissimi, tritici albissimi. Ad Iouem pertinet etiam manna, si modo myrobalani infusa virtute firmetur, alioquin non minus ad Venerē attinet quam ad Iouem. Hæc est vtique substantia dulcedoque Iouis propria. quæ sanè spiritui creando & recreando ante omnia confert. Iouia vero plurimum sunt omnia, quæ in libro de longa vita diximus, & seruare iuuentutem, & senibus salubria fore. Sin autem dulcedo admodum pauca sit, multumque acuti stypticique habeat, vel etiam nonnihil amari, Solaris esse censetur. Similis quædam ratio est, & distinctio de ordinibus. Hi enim saporum germani sunt. Similis etiam de coloribus. Colores sanè aquei, albi, virides aliquantum crocei, similes violarum, rosarum, liliorum coloribus, necnon odores eiusmodi Venerem referunt, & Lunam atque Mercurium. Colores vero saphyri, qui etiam dicuntur aërei, item purpurei pleniores, aureique argento mixti, & perpetuò virides, Iouem. Ardentes autem crocei, aurei puri, purpurei clariores, Solem. Quilibet vero colores si viui sint vel saltem sericij, magis stellares existunt. In metallis quoque & lapidibus atque vitris propter cœlestem similitudinem sunt potentes. Sed vt redeamus ad Iouem, sapor & odor eius quasi est, qualis in aureo pomo persico, similique pyro, vel aranceo, & vino maluatico leuiore, leuique vernaceo, qualis in viridi zinzibere, vel cinnamomo, vel dulci marathro, vel doronico, si hæc plurimo saccharo condita gustentur. Nam quatuor hæc, & nux muscata recens, sola si sunt, potius solaria sunt, Solaris & cariophilus & muscus, sed odoratu non gustu, aut aspectu. Ambra Solaris plurimum atque Iouia. Crocus in omnibus est Solaris, tametsi color eius & odor apud Astrologos omnibus gratiis dedicatur, sapor autem ad Solem propriè pertinet. Denique omnia odorifera & aromatica, quatenus odorem gratum ferunt, ita ad Iouem Veneremque & Mercurium pertinent vt ad Solem, quāuis inter hæc, acutiora magis ad Solem, obtusiora ad Venerem Mercuriumque potius, ad Iouemque propriè temperata, olfactu, gustu, auditu, visu, tactu. Soni quinetiam cantusque grati, blandique ad gratias omnes spectant atque Mercurium. Minaces autem admodum atque flebiles Martem præferunt & Saturnum. Neque vero mireris nos multum coloribus, odoribus, vocibus attribuere. Nam sapores quidem ad spiritum pręcipuè pertinent naturalem, odores autem potius ad vitalem animalemque, colores, figuræ, voces ad animalem. Motus quoque animi vel lætus, vel mœstus, vel constans, spiritum ad similitudinem suam agitat vehementer, animalem primo, per hunc vitalem, per hunc insuper naturalem. Spiritus tandem omnis, quia ob naturam quodam modo igneam, aëriamque omnino & lucidam atque morbilem, similis est luminibus, ideoque coloribus & vocibus aëris, & odoribus motibusque animi, ideo per hæc subito in vtramque partem mouetur atque formatur.

Et qualis euadit ipse, talem vicissim efficit quodammodo affectum animi, & omnino corporis qualitatem. Denique cum primum per illa quæ gratiarum propria sunt opportunè gratiis est expositus, vtpote qui & naturaliter illis

consentaneus erat, statim per illarum radios tum vbique vigentes, tum ipsi germanos, mirifica reportat munera gratiarum.

Quod res naturales atque etiam artificiosæ habent virtutes à stellis occultas, per quas Spiritum nostrum stellis eiusdem exponunt.

CAPVT XII.

QVum vero dicimus, Spiritum exponi gratiis per illa quę sunt gratiarum, non solum per qualitates quæ videntur, audiuntur, odorātur, gustantur, sed etiam per illas quæ tanguntur commodari putamus. Memento igitur calidum in primo gradu Iouis esse, in secundo Solis cum Ioue, in tertio Martis cum Sole, in quarto Martis. Frigidum in primo Veneris, in secundo Lunæ, in tertio Lunæ cum Saturno. Humidum in primo Mercurij cum Ioue, in secundo Veneris cum Luna, in tertio Lunæ cum Venere, in quarto Lunæ, quando Veneri Mercurioque coniungitur. Siccum in primo Iouis, in secundo Mercurij cum Sole, in tertio Solis cum Marte, in quarto Martis cum Saturno. Summatim ex qualitatibus Planetarum, quas Ptolemæus scribit in quadripartito, colligimus harmoniam ex cunctis conflatam ad calorem humoremque declinare. Calor enim Martis ingens atque Solis & temperatus Iouis, ingentem superat Saturni frigiditatem, & Veneris Lunæque exiguam, ita vt calor ibi frigus excedat. Item humiditas Lunæ Venerisque plurima & propinqua nobis atque temperata, Iouis siccitatem Saturni Martisque multam superat, & temperatam Solis. Cum igitur humor frigori siccoque dominatur, atque similiter calor humori. Quemadmodum in sani corporis homine ad cœlestem consonantiam temperato ex calore & siccitate cordis, item calore & humore iecoris, rursum frigore & humore cerebri, coalescit complexio quædam ad calorem humoremque vergens, mediocriter calore regnante. Calor enim cordis & iecoris, frigus cerebri superat. Item humor iecoris atque cerebri siccitatem cordis excedit. Neque vero prætermissum à nobis velim, talem existere ex stellis fixis harmoniam cunctis communem, qualem diximus ex Planetis, hos enim illis similes Astrologi putant. Quorsum hæc? Vt memineris spiritum corpusque nostrum per temperiem quandam ad calorem humoremque vergentem, vel natura cōstantem vel quæsitam accommodari posse cœlestibus, sibique cœlestia vendicare. Neque tamen dicimus Spiritum nostrum cœlestibus duntaxat, per qualitates rerum notas sensibus præparari, sed etiam multoque magis per proprietates quasdam rebus cœlitus insitas, & sensibus nostris occultas, rationi vix denique notas. Nam quum proprietates eiusmodi, earumque effectus elementari virtute constare non possint, consequens est à vita spirituque mundi per ipsos stellarum radios singulariter proficisci, ideoque per eas spiritum affici quamplurimum, atque quamprimum, cœlestibusque influxibus vehementer exponi. Hac vtique smaragdus, hiacynthus, saphyrus, topazius, rubinus, vnicorni cornu, præcipuè vero lapis bezaar apud Arabes appellatus, occultis gratiarum proprietatibus prædita sunt. Et idcirco non solum intus assumpta, sed etiam si carnem tangant, ibique calefactu virtutem suam promant, vim inde cœlestem spiritibus inferunt, qua se contra pestem tuentur atque venena. Quod autem hæc similiaque tale aliquid agant virtute cœlesti, id argumento est, quia etiam exiguo pondere sumpta non exiguum habent in agendo momentum. Quod elementari qualitati vix vnquam est concessum, igni videlicet valde cœlesti. Materialis enim virtus vt agat multum, materiam desiderat multam. Formalis autem, etiam quum minima materia valet plurimum. Simili virtute in primis phœbea Pæonia carnem tangens, contra caducum morbum spiritus armat vapore ad eos intus infuso. Simili corallus & chalcidonius aduersum atræ bilis illusiones, Iouis præcipuè Venerisque virtute, cæteraque similiter eiusmodi quadam proprietate myrobalani iuuentutem seruant, acuūtque senes, & ingenio prosunt atque memoriæ, propter Iouem in primis Saturni temperatorem, atque Mercurium sensus amicum. Quam quidem arborem forte aliquis in paradiso ad vitam prorogandam extitisse putabit. Mercurio lapidē Achatē consecrant. Vnde Physici conueniunt, ad facundiam visumque & contra venena valere. Serapio scribit eum qui hiacynthum vel ex eo sigillum gestat, esse à fulgure tutum, atque hanc virtutem eius esse latissimè diuulgatam, quam si habet, ab Ioue putamus habere. Lapis aëtites vel aquilinus habet à Lucina, id est Venere atque Luna, vt admotus vuluæ, partum mox & facillimè citet. Quod Rasis confirmante Serapione frequenter se dicit expertum.

Forsan & à Phœbo qui transfixit Pythonem, Cretæa Dictamus habet, vt & venenosis obsistat, & ferrum è vulnere trahat. Solis virtute zinziber infusum epulis arcet syncopem. Gentiana canis rabiem sedat, fugatque serpentes. Verbena vaticinium præstare fertur, lætitiamque & expiationes & visum. Ruta & zeduaria contra venena Theriacam agunt. Thus vitalem & animalem spiritum aduersus hebetudinem, obliuionem, timorem, fulcit. Saluia vero mentha que virtute Iouis, illa quidem paralysim fugat; hæc vero odore roborat animum. Eadem virtute Pentaphyllon resistit venenis, eiusque folium bis quotidie vnum vino bibitum curat Ephemeram, tria, tertianam, quatuor vero quartanam. hac herba sacerdotes antiqui propter puritatem suam in purificationibus vtebantur. Agnus castus potestate Saturni Venereum sistit motum, Iaspis vero sanguinem. Mirabiles autem prouenire solent effectus, vbi occultæ proprietati proprietas seruit elementaris, velut in myrobalano ad spiritum corpusque firmandum, non solum virtus illa cœlestis agit, sed etiã styptica multum, nec parum aromatica virtus, quæ putrefactionem dissolutionemq; mirificè prohibet, spiritumque corroborat. Iam vero vt crocus petat cor, spiritum dilatet, prouocet risum, non solum occulta Solis virtus mirabiliter efficit, sed ad idem quoque conducit ipsa natura croci subtilis, amplificabilis, aromatica, lucida. Quod autem de simplicibus dico, de compositis similiter dictum intelligi volo. Dic age theriaca quomodo contra venenum nobis opituletur? Non educit illa venenum, astringit enim aluum, non mutat omnino tam subito veneni naturam, non enim hæc adeo debilis est atque mutabilis, sed spiritum vitalem potius valde tenuem & mutabilem, subito conformi quadam ad ipsum proportione corroborat vsq; adeo, vt ipse iam validus tanquam agens, vna cum theriaca velut instrumento partim superet venenum, partim mutet, partim à præcordiis arceat. Sed quanam proportione siue virtute id efficit theriaca? Iouiali simul atque Phœbea, quam ex commixtione multarum rerum secundum certam proportionem inuicem confusarum sibi vendicasse videtur. Est autem in eo virtus triplex. Hæc ipsa inquam cœlestis, quam modo dicebam, item cœlestis alia prius in herbis aromatisque proprietas, quibus electis ipsa rite componitur, quæ virtuti prius dictæ subministrat ad idem. Est insuper alia virtus in plerisque partibus eius, elementaris potius quam cœlestis, verumtamen talis vt spiritui muniendo conducat, stypticam dico & aromaticam qualitatem. Illa quidem spiritum firmat, ista fouet. Mirabilem ergo theriaca vim nacta est contra properantem senectutem atque venenum, tribus videlicet in ea virtutibus ad idem pariter conspirantibus, quarum vna quidem est cœlestis per artificiosam acquisita commixtionem, alia cœlestis iterum, sed partibus eius naturaliter insita, alia prorsus elementaris. Sed illa quã prius dixi, cœlitus acquisita, multo etiam foret admirabilior si non solum proportione Iouia Solarique, & ex rebus eiusmodi conflaretur, sed etiam opportunum ad hoc, obseruatione cœlestium, tempus eligeretur: Nam quemadmodum corpus se habet ad locum atque tempus, ita motus & actio se habet ad tempus. Sicut ergo certa passim corpora eorumque formæ certis & locis & temporibus coalescunt atque seruantur, sic & propriæ quędam actiones ex propriis quibusdam temporibus efficaciam nanciscuntur. Idque in Alcibiade significat Socrates, & Proclus explicat. quod sane Pythagoras animaduertens, ipsum bonum perfectionemque rerum, opportunitatem cognominauit. Primum namque principium sic apud Pythagoram & Platonem omnium est mensura, vt aliis corporibus actionibusque alia loca distribuerit atque tempora. Vnde sicut res quædam non alibi quam hic, nec aliàs quam tunc propriè nascuntur feliciter & coalescunt, atque seruantur, sic & materialis actio, motus, euentus talis, aut talis, non aliàs efficaciam sortitur, effectumque perfectum, quam quando cœlestium harmonia ad idẽ vndique consonat, quæ sane harmonia tantam habere potestatem existimatur; vt non solum agricolarum laboribus, atque medicorum artificiis per herbas aromataque conflatis, sed etiam imaginibus, quæ apud Astrologos ex metallis lapidibusque fiunt, virtutem sæpe mirificam largiatur. Sed imagines caput iam proprium exigũt. Quantum vero ad horas pro actionibus & operibus eligendas pertinet, plurimum confirmatur à Ptolemæo vbi ait in Centiloquio: Qui eligĩt quod melius est, nihilo differre videtur ab eo qui habet hoc ex natura. quibus in verbis tùm cœlestium, tum arbitrij electionisque nostræ potestatem confirmare videtur. Albertus quoque Magnus inquit in Speculo: Non enim libertas arbitrij ex electione horæ laudabilis coërcetur, sed potius in magnarum rerum inceptionibus electionem horæ con-

temnere, est arbitrij præcipitatio, non libertas.

De virtute imaginum secundum antiquos, atque Medicinarum cœlitus acquisita.

CAPVT XIII.

PTolemæus ait in Centiloquio, rerum inferiorum effigies vultibus cœlestibus esse subiectas, antiquosque sapientes solitos certas tunc imagines fabricare quando Planetæ similes in cœlo facies, quasi exemplaria inferiorum ingrediebantur. Quod quidem Haly comprobat ibi dicens. Vtilem serpentis imaginem affici posse, quando Luna serpentem cœlestem subit, aut feliciter aspicit. Similiter Scorpionis effigiem efficacem quando Scorpij signum Luna ingreditur, ac signũ hoc tenet angulum ex quatuor vnũ. quod in Ægypto suis temporibus factum ait, seque interfuisse, vbi ex sigillo Scorpionis in lapide Bezahar, ita facto, imprimebatur thuri figura, dabaturque in potum, ei quẽ Scorpius ipse pupugerat, ac subito curabatur. Quod quidem vtiliter effici Hahameth Physicus affirmat, confirmante Serapione. Præterea narrat Haly, notum illic sibi virum sapientem industria simili fecisse imagines quæ mouerentur, qualem effectam, nescio quomodo, legimus ab Archita. Quales & Trismegistus ait, Ægyptios ex certis mundi materiis facere consueuisse, & in eas opportune animas dæmonum inserere solitos, atque animam aui sui Mercurij. Item Phœbi cuiusdam, & Isidis Osyridisque sic in statuas descendisse, profuturas hominibus, vel etiam nocituras. Huic illud simile: Prometheum figmento quodam luteo vitam rapuisse, lucemque cœlestem. Magi quinetiam Zoroastri sectatores, ad euocandum ab Hecate spiritum, vtebantur aurea quadam pila characteribus insignita cœlestium, cui & saphyrus erat insertus, & scutica quadam facta tauri corio inurebatur, atque interim excantabant. Sed cantiones equidem libenter omitto. Nam & Psellus Platonicus eas improbat atque deridet. Hebræi quoque in Ægypto nutriti, struere vitulum aureum didicerunt, vt eorundem Astrologi putant, ad aucupandum Veneris Lunæque fauorem, contra Scorpionis atque Martis influxum Iudæis infestum. Porphyrius quoque in Epistola ad Anebonem, imagines efficaces esse testatur, additque certis quibusdam temporibus qui à propriis suffumigationibus exhalabant, aërios dæmonas insinuari statim consueuisse. Iamblichus in materiis quæ naturaliter superis consentaneæ sint, & opportune riteque collectæ vndique, conflatæque fuerint, vires effectusque non solum cœlestes, sed etiam dæmonicos & diuinos suscipi posse confirmat. Idem omnino Proclus atque Synesius. Opera quidem ad salutem mira, quæ à medicis in Astrologia peritis, per res ex multis compositas, id est pulueres, liquores, vnguenta, electuaria fieri possunt, probabiliorẽ in se rationem & notiorem quam imagines habere videntur. Tum quia pulueres, liquores, vnguenta, electuaria, opportune confecta, cœlestes influxus facilius citiusque suscipiunt quam materiæ duriores, ex quibus imagines fieri consueuerunt, tum quia vel assumuntur intus affecta iam cœlitus, & in nos conuertuntur, vel saltem admota foris inhærent magis, & denique penetrant, tum etiam quoniam ex vno quodam duntaxat, aut perpaucis imagines construuntur. Illa vero ex quamplurimis constari pro arbitrio possunt. Vt si centum Solis Iouisue dotes per centum plantas & animalia similiaque sparsæ fuerint, componere simul hæc centum tibi comperta possis, & in vnam conficere formam, in qua Solem fermè Iouemque totum iam videaris habere. Scis profectò naturam inferiorem non posse vno quodam capere cunctas superioris naturæ vires, ideoque illas per plures apud nos naturas esse dispersas. commodiusque per opera medicorum atque similia, quam per imagines colligi posse. Proinde imagines ex ligno confectæ vim forte paruam habent, nam lignum & forsan durius est ad cœlestem influxum facilè capiendum, & minus tenax si acceperit, retinendum, & omnino postquam ex matris terræ visceribus est euulsum, paulo post ferme totum amittit mundanæ vitæ vigorem, & facile in qualitatem aliam transmutatur. Lapilli vero atque metalla, & si ad accipiẽdum cœleste munus duriora videntur, diutius tamen retinent, quod confirmat Iamblichus, si acceperint. Sua nempe duritia, vestigia quoque donaque vitæ mundanæ post euulsionem diutissime continent, quæ quondam hærentia terræ possederant. Quamobrem ob hoc saltem aptæ materiæ ad capienda tenendaque cœlestia iudicantur. Est & probabile quod libro superiore dixi, res adeo speciosas non posse sub terra conflari, nisi maximo quodam conatu cœli, atque durare in eis impressam semel ex conatu virtutem. Nam in his coquendis cogendisque diu-

tissimè cœlum elaborauit. Verum quum nequeas facilè eiusmodi plura componere, cogeris diligenter exquirere, quod metallum inter cætera in ordine sit alicuius stellæ potissimum, quisue lapis in ordine summus, vt saltem in vno quodam totius generis ordinisque supremo, reliqua pro viribus comprehendas, atque eiusmodi susceptaculo cœlestia huic consentanea mutueris, ceu si, exempli causa, in ordine Solari sub homine Phœbeo, summum inter animalia teneat Astur aut gallus, inter plantas balsamum aut laurus, inter metalla aurum, inter lapides carbunculus vel pantaura, inter elementa feruidus aër, nam ignis ipse Martius esse censetur. quod autem diximus influxum Solis vel Iouis aut Veneris augendum, intelligimus ratione communi, non tamen illi in cuius genesi aliquis horum interfector appareat.

De ordinibus rerum à stellis pendentium, vt Solarium atque similium. Et quomodo Spiritus fiat Solaris.

CAPVT XIV.

Dixi equidem alibi, desuper ab vnaquaque stella (vt Platonicè loquar) seriem rerum illi propriam vsque ad extrema pendere. Sub ipso Scorpionis corde post eiusmodi dæmonas atque homines, scorpiumque animal, collocare possumus etiam herbam Asterion, id est stellarem, figura stellæ similem nocte fulgētem, quam medici tradunt qualitatem habere rosæ, vimque contra morbos genitalium mirabilem possidere. Sub serpente vel serpentario cœlesti Saturnum ponunt, & quodammodo Iouem. Postea dæmonas, qui sæpè serpentum formas induunt. Similes insuper homines, serpentes animantes, serpentariam herbam, lapidem Draconitem capite draconis natum. Item communi nomine Serpentinum. Et præterea quæ in sequentibus afferam. Sub stella Solari, id est Syrio, Solem primo, deinde dæmonas quoque Phœbeos, quos aliquando sub leonum vel gallorum forma hominibus occurrisse, testis est Proclus. Homines subinde persimiles bestiasque Solares. Phœbeas inde plantas, metalla similiter & lapillos, & vaporem aëremque feruentem. Simili ratione à qualibet firmamenti stella per aliquem Planetam existimant contextum rerum gradatim sub illius proprietate descendere. Si igitur (vt dicebam) Solaria omnia per gradum eius ordinis quemlibet opportunè comprehenderis, homines videlicet tales, vel talis hominis aliquid, item bruta, plantas, metalla, lapillos, & quæ ad hæc attinent, virtutem Solis vsquequaque combibes, & quodammodo naturalem Solarium dæmonum facultatem. Similiterque de aliis dictum puta. Solares quidem homines sūt quales antea dixi, & qui ascendente Leone, Soleque hunc vel tenente vel aspiciente nascuntur, & qui sub Ariete similiter. Solaris est & sanguis è sinistro eorum beneualentium brachio missus. Phœbeus, crocodillus, astur, leo, gallus, cygnus & coruus. Nec alia ratione leo veretur gallum, nisi quoniam in ordine Phœbeo gallus est leone superior. Eadem ratione inquit Proclus, Apollineum dæmonem, qui nonnunquam apparuit sub figura leonis, statim obiecto gallo disparuisse. Maximè vero in his animalibus cor est Solare. Arbitror etiam marinum vitulum cœlestis Leonis cordi subesse, & hac ipsa ratione corium eius quem cingit nudum fibula eiusdem osse confecta, à renum dolore redimere. Nam contra dolorem eiusmodi solent Astrologi sideris illius influxibus vti. Eadem forte ratione fertur hæc pellis à fulgure nos tueri. Inter plantas palma Phœbea est, & in primis laurus, qua virtute venenosa repellit & fulgur. Fraxinus quoque simili facultate venenosa longius arcet. Loton esse Phœbeam, rotunda tum folia tum poma testantur, & explicatio foliorum eius die, replicatio vero nocte. Pæoniam Phœbeam esse, non solum virtus indicat, sed & nomen. Ad idem attinent flores & herbæ quæ restringuntur abeunte Sole, redeunte protinus explicantur, & ad Solem continuè vergunt. Aurum præterea & lapis Elitis radiis aureis Solem imitans. Lapis item qui Solis oculus appellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumē emicat. Rursum carbunculus nocte rutilans, vel Pantataura omnes in se lapidum vires continens, vt aurum metallorum, & Sol stellarum. Multa denique in superioribus nobis significata, vnde si modo liceat, sub imperio Solis ex illo sanguine, & animalium illorum cordibus, & foliis fructibusque arborum prædictarum, item floribus atque herbis & auri foliis, nec non pulueribus pilulas, electuarium vel vnguentum conficere poteris, addito croco, balsamo, calamo aromatico, thure, musco, ambra, ligno aloes, zinzibere, mastice, spicanardi, cinnamomo, doronico citri corticē, zedoaria, nuce muscata, mace, cariophylis cum melle flauo vel oleo balsamino, masticeo, laurino, nardino, ad cor,

& stomachum, & caput intus aut extra fouendum, vt spiritus inde Solaris euadat. Ex his omnibus, inquam, aut saltem ex pluribus componendum dominante Sole aliquid, quo etiam sub eiusdem dominatu incipias vti, dummodo & Solaria induas, habites, conspicias, audias, olfacias, imagineris, cogites, cupias. Item imiteris & vita dignitatem & munera Solis. Inter Solares homines plantasque verseris, laurumque assiduè tangas. Tutius autem ad valetudinem fuerit, Solaribus admiscere Iouialia simulatque Venerea; Veneream maximè humiditatem Solaris caloris moderatricem, qualis est aqua succusque rosarum atque violarum. Sed medicinas eiusmodi in libro de curandis literatis primum, deinde in libro de Vita longa, partim equidem composui, partim ab aliis compositas enarraui, partim etiam temperaui. Item quales herbæ à Sole Iouéque miras contra epidemiam & venenum vires habeant, diximus in libro Contra pestem, inter quas Perforata, fugadæmon appellata est, nec alia facultate quam cœlestium gratiarum noxios malorum dæmonum vapores à nobis arcere putatur, & si qua inter herbas alia vel lapillus vt corallus, idem videatur efficere. Herba profectò Lunaris à Mercurio tradita foliis cæruleis atque rotundis, crescente Luna vnum quotidie producens folium, decrescente deponens, annos vtenti promittit Lunares. Sed iam ad imagines altero quodam exordio redeamus.

De virtute imaginum secundum antiquos atque Medicinarum. Et quomodo Medicinæ sint longè validiores quam imagines.

CAPVT XV.

SI lapillos, quos paulo ante Phœbeos narrauimus, nactus fueris, nihil opus erit imagines eis imprimere. Suspendes itaque collo comprehensos auro, crocei serici filis, quando Sol sub Ariete vel Leone percurrit ascenditque, vel medium tenet cœlum, aspicitque Lunam. Multo vero potentiores in serie Lunæ lapillos narrat Proclus. Primum quidem Selinitim, qui non modo figura Lunam imitetur, sed & motu, circumeatque cum Luna. Hunc si forte repereris, & argento circundatum argenteo filo collo suspenderis, Luna Cancrum vel Taurum subeunte, angulosque tenente sibi conuenientes, spiritum inde tuum reddet, postremo lunarem. Dum videlicet calefactus abs te lapillus ipse Lunaris virtutem suam tuis assiduè spiritibus inserit. Alterum vero recenset lapillum, helioselinon cognomento, qui Solis Lunæque coniunctæ Soli, naturaliter habet imaginem. Hunc ergo quisquis argento inclusum de aurato similibus collo filis admouerit, quando Luna in domicilio suo vel Solis in eodem minuto cum Sole congreditur, suosque teneat angulos, solarem simulatque lunarem spiritum reportabit, aut saltem talem qualis euadit Luna per centrum copulata Soli. Hic vero tu vides dispersas Phœbi dotes, velut Osyridis membra, sororem eius Phœbem velut Isidem congregare. Sed vtinam solarem alicubi lapidem facilè reperiremus vel lunarem, adeo in eorum ordine præpotentem, quemadmodum sub serie septentrionalis poli magnetem habemus & ferrum. Solarem profectò ferunt inuenisse apud Indos Apollonium Theanæum, lapidem scilicet nomine Pantauram, ignis instar micantem, sub terra passus quatuor nascentem, cui tantum spiritus insit vt tumeat, & plerumque scindatur terra, vbi eiusmodi lapis concipitur, ita cæteros ad se lapillos trahens, sicut magnes ferrum. Sed lapis hic Herculeus ad se contemplandum vehementius adhuc nos in præsentia rapit. Videmus in specula nautarum indice poli libratum acum affectum in extremitate Magnete moueri ad Vrsam, illuc videlicet trahente Magnete, quoniam & in lapide hoc præualet virtus Vrsæ, & hinc transfertur in ferrum, & ad Vrsam trahit vtrumque. Virtus autem eiusmodi tum ab initio infusa est, tum continuè Vrsę radiis vegetatur. Forsitan ita se habet Succinum ad polum alterum & ad paleas. Sed dic interea, cur Magnes trahit vbique ferrum? non quia simile, alioquin & Magnetem Magnes traheret, multo magis ferrumque ferrum, non quia superior in ordine corporum, imo superius est lapillo metallum. Quid ergo? Ambo quidem ordine Vrsam sequente clauduntur, sed superiorem in ipsa Vrsæ proprietate gradum tenet Magnes, inferiorem vero ferrum. Superius autem in eodem rerum contextu trahit quidem quod est inferius, & ad se conuertit, vel aliter quomodolibet agitat, aut efficit virtute prius infusa. Inferius vicissim eadem ad superius infusione conuertitur, vel aliter agitatur, vel prorsus afficitur. Sic in serie Solis inferior homo admiratur superiorem, in ordine Iouio veneratur, in Martio timet, in Venereo inferior ad superiorem rapitur amoris ardore, deseritque seipsum, in Mercuriali semper hic dis-

cit, vel persuadetur ab illo, in Lunari motum hic ab illo sæpius exorditur, in Saturnali quietem. Ego autem quum hæc explorata hactenus habuissem admodum gratulabar, cogitabamque iuuenis adhuc Magneti pro viribus insculpere cœlestis Vrsæ figuram, quando Luna melius illuc aspiciat, & ferreo tunc filo collo suspendere. Sperabam equidem ita demum virtutis me sideris illius compotem fore. Sed cum diutius explorassem, inueni tandem sideris illius influxus Saturnales esse plurimum atque Martiales. Accepi à Platonicis malos dæmonas plurimum septentrionales existere, quod etiam Hebræorum Astronomi confitentur, noxios Martiosque dæmonas in Septentrione ponentes. Propitios autem & Iouios, in meridie. Didici à Theologis, & Iamblicho, imaginũ fictores à dæmonibus malis occupari sæpius atque falli. Vidi equidem lapillum Florentiam aductum ex India, ibi è capite draconis erutum, rotundum, ad nummi figuram punctis ordine quamplurimis quasi stellis naturaliter insignitum, qui aceto persusus mouebatur parumper in rectum, imo obliquum, mox ferebatur in gyrum, donec exhalaret vapor aceti. Existimaui equidem lapillum eiusmodi cœlestis draconis habere naturam atq; quasi figuram, motum quoque illius accipere quatenus per aceti seu vini valentioris spiritum, draconi illi siue firmamento familiarior redderetur. Hunc igitur qui gestaret, & aceto sæpè perfunderet, vim aliquã fortè draconis illius acciperet, qui geminis anfractibus hinc quidem Vrsam maiorem implicat, inde minorem. Extat & prope Scorpionem serpentarius quasi homo serpente cinctus, manu dextra caput serpentis tenens, sinistra caudam, genibus quasi flexis, capite paulum resupino. Legi equidem Magos Persarum regi consuluisse vt imaginem hanc lapidi imprimeret Hæmatiti, quem aureo clauderet annulo, ita tamen vt inter lapillum atque aurum serpentariæ radicem insereret. Hoc enim annulo gestantem contra venenum morbosque venenosos tutum fore, videlicet si Luna serpentarium aspiciente feceris. Hanc imaginem Petrus Aponensis confirmauit. Ego vero, si hanc annulus ille vim habet, arbitror non tam per figuram quam per materias eiusmodi, & hoc pacto temporeque compositas sibi cœlitus vendicare. Memento lapillos nascentes in animalibus, nec inde languentibus vt in dracone, gallo, hirundine, ceterisque efficaces existere ferme, vt lapilli in terra nascentes, atque easdem referri stellas, ad quas hæc animalia pertinent. Hinc Alectorius ex ventriculo galli veteris tractus pollet potestate Solari, per quem Dioscorides ait sæpe compertum esse, eum pugnare inuictum, qui lapillum hunc ore gestaret. Idem ait, Chelidonium erutum ex hirundine rufum curare melancholicum, & amabilem idoneumque reddere. Quod quidem habet ex Ioue, per ea quæ diximus, scilicet res vbique infra Lunam stellares existere. Cõfirmatur dictum illud valde Platonicum, hanc mundi machinam ita secum esse connexam, vt & in terris cœlestia sint conditione terrena, & in cœlo vicissim terrestria dignitate cœlesti, & in occulta mundi vita menteque regina mundi, cœlestia insint, vitali tamen intellectualique proprietate simul & excellentia. Per hæc insuper confirmant nonnulli etiam illud magicum, per inferiora videlicet superioribus consentanea posse ad homines temporibus opportunis cœlestia quodammodo trahi, atque etiam per cœlestia supercœlestia nobis conciliari, vel forsan prorsus insinuari, sed postremum hoc illi viderint. Verum illud arte quadam rite, & opportunè in vnum plurima colligente, fieri posse probabile satis (vt diximus) esse videtur, tum rationibus quas in superioribus assignauimus, tum quia eiusmodi multa quando apud medicum & astrologum colliguntur, contunduntur, commiscentur, concoquuntur subsidere certo, dum ipsa per se ratione concoctionis atque fermenti nouam paulatim formam subeunt hanc ipsam acquirunt certo quodam fomento cœlesti, radiis tunc intus agentibus, ideoque cœlestem. Metallum vero vel lapillus quando momento sculpitur, non videtur nouam accipere qualitatem, sed figuram. Neque motio illa per debitos digestionis gradus, quos alteratio naturalis atque generatio solet obseruare, progreditur. Quum vero natura cœlestis, tanquam inferioris naturæ regula, soleat tenore quodam progredi naturali, & ita progredientibus aspirare, merito diffidunt plerique, imagines eiusmodi cœlestem aliquam virtutem habere. Ego quoque ambigo, sæpius, ac nisi & omnis antiquitas, & omnes Astrologi vim mirabilem habere putarent, habere negarem, Negarem equidem non omnino, opinor enim (nisi quis aliter persuaserit) ad prosperam valetudinem saltem aliquam habere virtutem, electæ præsertim ratione materiæ, tametsi multo maiorem inesse pharmacis arbitror, & vnguentis sidereo fauore

conflatis. Quid vero voluerim vbi modo dicebam electæ ratione materiæ, in sequentibus declarabo. Quæ vero ex Magorum vel Astrologorum opinione ad Plotinum interpretandum pro imaginibus allegari possunt, deinceps breuiter afferam, si te prius hic admonuero, ne putes probare me vsum imaginum sed narrare. Ego enim medicinis ad cœlum temperatis, non imaginibus vtor, atque ita cæteris quotidie consulto. Tu vero si concedis Deum rebus infra Lunam mirabiles inseruisse virtutes, mirabiliores concede cœlestibus. Præterea si licere iudicas homini ad prosperam valetudinem inferioribus vti, iudica, superioribus quoque licere atque inferiora ad superiorum normam, sic medicorum artificio temperare, sicut etiam à Deo sunt ab initio temperata.

De potestate cœli, de viribus radiorum vnde vim sortiri putentur imagines.

CAPVT XVI.

IMmensa fermè cœlestium magnitudo, virtus, motio facit, vt omnes omnium siderum radij terræ molem quæ quasi punctum est ad cœlum, momento facillimeque vsque ad centrum recti penetrent, quod omnes Astronomi confitentur. Ibi vt placet Pythagoreis atque Platonicis fortissimi sint, tùm quia recti vndique centrũ tangunt, tum quia in angustum collecti sunt cuncti. Quorum vehementia, materia ibi terræ sicca procul ab humore remota prorsus accenditur, accensaque extenuatur, atque dispergitur per meatus vndique, & efflat incendia pariter atque sulphur. Sed ignem hunc putant valde caliginosum esse, & quasi incendium quoddam luminis expers, sicut in cœlo extat expers incendij lumen, ignis autem inter cœlestem atque infernum, lumen cum feruore coniungit. Putant autem ignem è centro flantem ignem esse Vestalem. Siquidem Vestam esse terræ vitam numenque putabant. Ideoque Vestæ templum veteres in mediis vrbibus construebant, ignemque in medio perpetuum collocabant. Sed ne vlterius peruagemur concludamus iam, si stellarum radij totam mox terram penetrant, negari non facile posse metallum atque lapillum, quando cælantur imaginibus subito penetrare, eisque miras vel saltem qualescunque imprimere potes. quandoquidem & in aluis terræ preciosissima generant. Sed quis neget per hæc radios penetrare? Siquidem aër & qualitas eius, & sonus minus efficax solida transit subito, & sua quadam afficit qualitate. Iam vero si duritia radiis obsisteret penetrantibus, lumen multo citius aërem quam aquam pertransiret, & hanc ocyus multo quam vitrum, similiter quam crystallum. At quum eodem momento solida, quo liquida cuncta transuerberet, perspicuè constat duritiam radiis nullo modo resistere. Atque idcirco dicent, non esse negandum metalla cœlestium radios influxusque suscipere, atque etiam conseruare ad tempus, tunc sibi cœlitus destinatũ. Conseruare, inquam, virtutem quandam ex radiorum concurrentium contractu creatam. Quid vero, si materia durior hoc ipso quod videtur obsistere causæ præpotenti magis ictibus se exponit? Sic ensis lignum sub lana incidit, non incisa lana. Sic radius ille fulmineus corio quandoque nõ læso dissoluit in eo metallum. Quum vero natura cœlestis nostro hoc igne incomparabiliter sit præstantior, non est putandum radij cœlestis officium esse duntaxat quale opus ignei radij manifestè videmus scilicet illuminare, calefacere, exiccare, penetrare, extenuare, dissoluere quæ nostris sensibus notissima sunt, sed multo plures mirabilioresque vires & effectus habere, alioquin & materia inferior, & caducis sensus cum diuinitate cœli penitus æquaretur. Sed quis nesciat virtutes rerum occultas, quæ speciales à medicis nominantur, non ab elementali natura fieri, sed cœlesti? Possunt itaque (vt aiunt) radij occultas & mirabiles vltra notas imaginibus imprimere, vires, sicut & cæteris inserunt. Non enim inanimati sunt, sicut lucernæ radij sed viui, sensualesque tanquã per oculos viuentium corporum emicantes, dotesque mirificas secum ferunt ab imaginationibus mentibusque cœlestium, vim quoque vehementissimam ex affectu illorum valido, motuque corporum rapidissimo. ac propriè maximeque in spiritum agunt cœlestibus radiis simillimum. Agunt insuper in corpora vel durissima, omnia enim hæc ad cœlum infirmissima sunt. Sunt autem in variis stellis variæ quoque vires, & idcirco in radiis earum inter se variæ. Præterea in radiorum ictibus aliter atque aliter incidentibus virtutes diuersæ nascuntur. Denique in concursibus radiorum mutuis aliter atque aliter, & hic aut ibi, & tunc aut aliàs effectis diuersæ subitò vires suboriuntur, multo magis atque citius quam in aliis atque aliis elementorum qualitatumque elementalium mixtionibus multo etiam citius quam in tonis & numeris

numeris apud Musicum aliter & aliter concinentibus. Si hæc diligenter consideraueris, forsitan non diffides, dicent, subito quodam radiorum iactu vires imaginibus imprimi atque ex diuerso iactu diuersas. Nunquid ergo tam cito? Mitto fascinationes repentino quodam intuitu factas. Et amores acerrimos statim accensos radiis oculorum, qui & ipsi fascinamenta quædam, quod in libro de amore probamus. Mitto quam citò rubens oculus inficiat intuentem, & speculum intuẽs fœmina menstruosa. Nonne & familiæ quædam apud Illyricos & Triballos iratæ, intuitu homines interemisse feruntur? Et fœminæ quædam in Scythia idem facere consueuisse? Et Catoblepæ regulique serpentes radiorum ex oculis iactu homines perimunt. Torpedo quoque marina tactu etiam procul per virgam manum subitò stupe facit. Echinus quoq; pisciculus grandem solo præterea tactu nauem sistere fertur. Phalangia quinetiam in Apulia ictu quopiam vel occulto spiritum animumque repentino stupore permutant. Quid rabiosus canis facit, vel non apparente morsu? Quid scopa, deinde quid arbutus? Nonne leuissimo tactu venenum concitant atque rabiem? An ergo negabis cœlestia oculorum suorum radiis, quibus nostra contuentur, simulatque contingunt statim miranda perficere? Iam verò grauida mulier tactu statim signat membrum hominis nascituri, rei desideratæ nota. An vero dubitabit radios aliter aliterue tangentes diuersa conficere? Quum & tu helleborum herbam colligens, siue folium deorsum trahas, siue sursum, hoc subito tactu, causa sis helleboro, vt deorsum educat humores, aut sursum? Nonne ab initio rei cuiusque generandæ cœlestes influxus concoctione materiæ, digestioneque perfecta non tam tempore quam momento dotes mirificas largiuntur? Nonne suffragante coeli vultu innumerabiles sæpe ranæ, similesque animantes ex arenis momento prosiliunt? Tanta est in materiis præparatis potentia coeli, tanta celeritas. Denique si ignis hoc habet, vt tempore quam breuissimo faciat quæ cætera longo, ob id præcipuè quod est coelo simillimus; quis nam dubitet, coelum magna quasi momento perficere, etiam in materia minus parata, sicut flamma solet ingentior? Quid ergo dubitas, inquiunt, in imagine construenda fermè similiter agere coelum? Dices opinor, sicut & ego dicebam, naturales hic alterationis gradus subesse. Qui sanè delectus minuit quidem coeleste donum, nec tamen penitus auferre videtur.

Nolunt enim Physici ex quolibet metallo vel lapide imaginem fabricari, sed certo. In quo quidem natura coelestis, virtutem olim ad hoc ipsum quod optatur naturaliter inchoauerit, & quasi iam iam perfecerit, vt in sulphure flammam. Quam sanè virtutem tunc demum perficiat, quando materia hæc per artem sub simili quodam influxu coelesti vehementer agitatur, & agitata calefacit. Itaque ars suscitat inchoatam ibi virtutem, ac dum ad figuram redigit, similem suæ cuidam coelesti figuræ, tunc suæ illic ideæ prorsus exponit, quam sic expositam, coelum ea perficit virtute qua coeperat exhibens quasi sulphuri flammam. Sic potentia quædam ad rapiendas paleas coelitus data succino, quodammodo debilis, sæpe per frictionem calefactionemque facta validior, subitò rapit. Similem virtutem Serapio scribit datam lapidi Albugedi quasi hyacintho simili, sed non prius trahere paleas, quam capilli hoc lapide perfricentur.

Sic item lapis ille Iouius Bezaar, id est, à morte liberans, quem descripsimus in libro contra pestem, vim ab initio contra venenum accepit ab Ioue, sed non vsque adeo validam, vt eandem tradere possit materiis aliis exercendam. At vero quum primum sub Scorpionis coelestis influxu figuram superni illius acceperit, perfectam contrà Scorpiones subito vim reportare putatur, quam mastici communicare valeat aut thuri. Eadem quoque de hyacintho, topazio, smaragdo, cæterisque ratio est habenda. Vt fabrica figurarum non alibi efficaciam habeat, quam vbi materia cum stella congruit & effectu, à qua hunc faber exoptat accipere. Ac præterea vbi hæc ipsa materia quasi iam talis ab initio, qualem affectas reddere per figuram.

Nullius ergo materiis ad imagines vti consulunt, nisi his ipsis quæ tibi notæ sunt, hanc ipsam fermè iam vim habere quam cupis. Lapillorum itaque vires atque metallorum diligentissimè perscrutari iubent, intereaque meminisse, inter lapillos quidem Carbunculum in tenebris coruscantem, atque Pantaurum præcipuè Soli subesse, Saphyrum Ioui, Smaragdum Veneri, Mercurio, Lunæ. Præterea metalla pręter aurum & argentum vix vllam ad hæc habere virtutem. Tutioremque in his rationem fore, si aurum quidem purum ad Solem referas atq; Iouem, ad illũ quidem

propter colorem, ad hunc autem propter temperatam commixtionem, nihil enim Ioue & auro temperatius. Purum vero argentum ad Lunam, sed ad Iouem similatque. Venerem aurum argento permixtum. Præterea imaginem efficaciorem fore, si virtus in materia eius elementaris conueniat cum speciali eiusdem virtute naturaliter insita, atque hæc insuper cum virtute altera speciali per figuram cœlitus capienda. Denique figuras inferiores & formas cælestibus conformari, inde perdisces, vt aiunt, quod Perseus truncato Medusæ capite, futuram nonnullis obtruncationem portendere consueuit, multaque similiter, & Lunam aliosque Planetas sub certis signis certa in nobis memoria mouere non dubitant.

Quam vim habeant figuræ in cœlo atque sub cœlo.

CAPVT XVII.

SEd ne figuris nimium fortè diffidas, meminisse iubebunt, in regione hac sub Luna elementari, elementarem quoque qualitatem posse quam plurimum, in transmutatione videlicet ad aliquid elementare tendente, calorem scilicet & frigus, & humorem atque siccitatem. Qualitas autem quæ minus elementares materialesue sunt scilicet lumina, id est, colores, numeros quoque, similiter & figuras ad talia forsitan minus posse, sed ad cœlestia munera, vt putant, valere permultum.

Nam & in cœlo lumina, & numeri, & figuræ, sunt ferme omnium potentissima, præsertim si nulla sit ibi materia, quod Peripatetici plerique putant. Sic enim figuræ, numeri, radij, quum non alia sustineantur ibi materia, quali substantiales esse videntur. Atque quum in ordine rerum Mathematicæ formæ physicas antecedant, tanquam simplices quidem magis, & minus egenæ, meritò in antecedentibus mundi gradibus, id est, cœlestibus, authoritatem sibi maximam vendicant, vt non minus inde fiat numero, figura, luce, quam elementari quadam proprietate. Huius quidem authoritatis habetur etiam sub Luna signum. Qualitates enim valde materiales plurimis rerum speciebus sunt communes, eisque quodammodo permutatis, non vsquequaque species commutantur. Figuræ autem numerique partium naturalium, proprietatem cum specie inseparabilem peculiaremque possident, vtpote quæ cœlitus vnà cum speciebus destinata fuerunt. Imò & cum idæis maximam habent in mente mundi regina connexionem. Atque quum ipsæ numerique species quædam sint idæis ibi propriis designatæ, nimirum vires inde proprias sortiuntur. Ideoque tum species naturalium certis figuris, tum motus, & generationes, & mutationes certis numeris astringuntur. De lumine vero quid dicam? Est enim actus intelligentiæ vel imago. Colores autem sunt lumina quędam. Quamobrem vbi lumina, id est, colores, figurasque, & numeros Astrologi dicunt in materiis nostris ad cœlestia præparandis posse quamplurimum, non temere, vt aiunt, debes ista negare. Non ignoras concentus per numeros proportionesque suas, vim habere mirabilem ad spiritum & animum & corpus sistendum, mouendum & afficiendum. Proportiones autem ex numeris constitutæ, quasi figuræ quædam sunt, vel vt ex punctis lineisque factæ, sed in motu. Similiter motu suo se habent ad agendum figuræ cœlestes, hæ namque harmonicis, tum radiis tum motibus suis omnia penetrantibus spiritum indies ita clam afficiuut, vt Musica præpotens palam afficere consueuit. Nosti præterea quam facilè multis misericordiam moueat figura lugentis. Et quantum oculos imaginationemque, & spiritum & humores afficiat statim atque moueat amabilis personæ figura, nec minus viua est & efficax figura cœlestis. Nonne principis in vrbe vultus quidem clemens & hilaris exhilarat omnes? Ferox vel tristis repentè perterret? Quid ergo cœlestium vultus, dominos omnium terrenorum, aduersus hæc efficere posse putas? Quippe quum etiam coëuntes ad prolem plerumque vultus, non solum quales ipsi tunc agunt, sed etiam quales imaginantur, soleant filiis diu postea nascituris imprimere. Vultus eadem ratione cœlestes materias confestim suis notis inficiunt, in quibus si quando diu latitare videntur, temporibus deinde suis emergunt. Vultus autem cœli sunt figuræ cœlestes. Potes vero facies illic appellare figuras cæteris ibi stabiliores; vultus autē figuras quæ magis ibi mutantur. Aspectus quoq; inter se stellarū motu quotidiano cōfectos, vultus appellare potes, similiter & figuras. Nā hexagoni, tetragoni nominātur. Esto, dicet quispiam, sint vt placet, potentissimæ ad efficiendū figuræ cælestes, verum quid hoc ad figuras imaginum artificio factas? Respondebunt, non id potissimum contendere vt potentissimę

per se ad agendum sint nostræ figuræ, sed vt paratissimæ ad actiones & vires figurarum cœlestium capiendas, quatenus opportunè fiunt dominantibus illis, atque ex amussim ad illas configurantur. Exigit enim figura illa figuram. Nonne sonante cithara quadam, altera reboat? ob id tantum, si & ipsa similem figuram habeat, atque e conspectu sit posita, & fides in ea positæ & intentæ similiter. quidnam hic efficit, vt cithara subitò patiatur à cithara, nisi situs aliquis & quædam forma conformis? Figura speculi lenis, concaua, nitens, cœlo congrua, ob hoc ipsum propriè munus tantum cœlitus accipit, vt radios Phœbi in se cumulatissimè complectatur, & solidissimum quodque ad centrum suum è conspectu locatum repente comburat. Ergo ne dubites dicent, quin materia quędam imaginis faciendæ, alioquin valde congrua cœlo, per figuram cœlo similem arte datam, cœleste munus, tum in seipsa concipiat, tum reddat in proximum aliquem vel gestantem. Non solum verò figura, sed etiam dispositio peruia, quam Diaphanam vocant, inefficax quiddam est & passiuum suapte natura. Veruntamen quoniam peruia dispositio est in cœlo proprium luminis susceptaculum, ideo vbicunque sub cœlo hæc est naturalis, vel modo aliquo comparatur, subitò præsens cœleste lumen acquiritur, atque etiam conseruatur, vbi vnà cum hac vel calor est igneus, vt in flamma, vel est aliquid aëriũ, aqueumue simul & glutinosum, vt in nocti lucis & nocticernis, & carbunculis, atque forsan quodammodo in Camphora. Quid inde sequatur prò imaginibus ipse reputa.

Quales cœlestium figuras antiqui imaginibus imprimebant, ac de vsu imaginum.

CAPVT XVIII.

ALiquis autem quæret, quas potissimum cœli figuras imaginibus imprimere soleant. Sunt enim ibi formæ oculis valde conspicuæ, & à multis, quales sunt quasi depictæ, vt Aries, Taurus, similesque figuræ zodiaci, & quæ sunt extra zodiacum manifestæ. Sunt ibi præterea formæ quamplurimæ, non tam visibiles quam imaginabiles per signorum facies ab Indis, Ægyptiis, Chaldæisque perspectæ, vel saltem ex cogitatæ. velut in prima facie Virginis virgo pulchra sedens, geminas manu spicas habens, puerumque nutriens. Et reliquæ, quales describit Albumasar, cæterique nonnulli. Sunt denique characteres quidam signorum & Planetarum ab Ægyptiis designati. Volunt igitur imaginibus omnia hæc insculpi. Vt si quis exspectet proprium à Mercurio beneficium, collocare eum in Virgine debeat, vel saltem ibi Lunam cum aspectu Mercurij, & imaginem tunc ex stanno conficere, vel argento, in qua totum sit Virginis signum, & character eius characterque Mercurij. Ac si prima Virginis facie sis vsurus, addas etiam figuram, quam in prima facie diximus obseruatam. Similiterque de cęteris. Postremi quidem imaginum authores, vniuersam earum formam ad cœli similitudinem accepere rotundam. Antiquiores autem, quemadmodum in quodam Arabum collegio legimus figuram crucis cunctis anteponebant, quia corpora per virtutem agunt ad superficiem iam diffusam. Prima vero superficies cruce describitur. Sic enim in primis habet longitudinem atque latitudinem.

Primaque hæc figura est, & omnium recta quam maximè, & quatuor rectos angulos continet. Effectus vero cœlestium maximè per rectitudinem radiorum angulorumque resultant. Tunc enim stellæ magnopere sunt potentes, quando quatuor cœli tenent angulos imò cardines, orientis videlicet occidentisque, & medij vtrinque. Sic vero dispositæ, radios ita coniiciunt in se inuicem, vt crucem inde constituant. Crucem ergo veteres figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum, ideoque habere summam in imaginibus potestatem, ac vires & spiritus suscipere Planetarum. Hæc autem opinio ab Ægyptiis vel inducta est vel maximè confirmata. Inter quorum characteres crux vna erat insignis, vitam eorum more futuram significans, eamque figuram pectori Serapidis insculpebant. Ego vero quod de crucis excellentia fuit apud Aegyptios ante Christum, non tam muneris stellarum testimonium fuisse arbitror, quam virtutis præsagium, quam à Christo esset acceptura, Astrologos autem qui statim post Christum fuerunt, videntes à Christianis miranda per crucem fieri, nescientes autem vel nolentes in Iesum tanta referre, in cœlestia retulisse, quanquã considerare debebant per crucẽ ipsã absq; nomine Iesu miracula minime perpetrari. Cõuenire quidẽ imaginib' eam, quia referat fortitudinẽ Planetarum omniũmque stellarum, forsitan est proba-

bile, non tamen ob hoc duntaxat ingentem habere potentiam, posse vero nonnihil vnà cum cæteris, quæ necessaria sunt, coniunctam, ad prosperam forsan corporis valetudinem. Sed ad narrandas aliorum opiniones, vt cœpimus, reuertamur. Saturni veteres imaginem ad vitæ longitudinem faciebant in lapide Feyrizech, id est, Saphyro, hora Saturni, ipso ascendente atque feliciter constituto. Forma erat. Homo senex in altiore cathedra sedens vel dracone, caput tectus panno quodam lineo fusco, manus supra caput erigens, falcem manu tenens aut pisces, fusca indutus veste. Ad longam vitam atque felicem Iouis imaginem in lapide claro vel albo. Erat homo sedens super aquilam vel draconem coronatus, hora Iouis, ipso in exaltatione sua feliciter ascendente, croceam induto vestem. Contra timiditatem hora Martis imagines fabricabant prima Scorpionis facie oriente, Martem armatum & coronatum. Ad morbos curandos fingebant Solis imaginem in auro, hora Solis, prima facie Leonis ascendente cum Sole, Regem in throno, crocea veste, & coruum Solisque formam. Ad lætitiã roburque corporis, Veneris imaginem puellarem, poma floresque manu tenentem, croceis & albis indutam, hora Veneris, prima facie Libræ, vel Piscium, vel Tauri ascendente cum Venere. Imaginem Mercurij ad ingenium & memoriam, prima facie Geminorũ. Item contra febres sculpebant hanc in marmore, subinde materiæ cuipiam imprimebant languentibus assumendæ. Hinc omne genus febrium curari dicebant Imaginem Lunæ ascendente prima facie Cancri ad augmentum. Forma Mercurij. Homo sedens in throno galeratus cristatusque, pedibus aquilinis, sinistra gallum tenens aut ignem, alatus, aliquando super pauonem, dextra tenens calamum, veste varia. Luna puella cornuto capite super draconem vel taurum, serpentes supra caput & sub pedibus habens. Ad curandum calculum, genitaliumque dolores, & ad sanguinem adstringendum, imaginem hora Saturni, surgente tertia facie aquarij cum Saturno. Item Leonem auro imprimebant, lapidem in formam Solis pedibus reuoluentem, hora Solis, primo gradu faciei secundæ Leonis oriente. Hanc expellendis morbis profuturam existimabant. Ad renum morbos similem faciebant, quando Sol in corde Leonis cœlum medium obtineret, à Petro Aponensi comprobatam, & experientia confirmatam, sed hac conditione, vt Iupiter aut Venus medium aspiciat cœlum. Planetæ vero noxij cadant, infortunatique sint. Accepi à Mengo physico præclaro eiusmodi imaginem factam Ioue ibidem coniuncto cum Sole, liberauisse Ioannem Marlianum, Mathematicum nostro seculo singularem, à pauore quo sub tonitru affici consueuerat. Præterea ad firmandam sanitatem & veneficia deuitanda, imaginem ex argento fingebant hora Veneris, Luna angulos obtinente, ac Venerem feliciter intuente, dummodo Dominus sextæ domus Venerem aspiciat aut Iouem trino quodam intuitu, vel opposito. Mercurius autem non sit infelix. Agebant hæc hora diei Solis vltima, ita vt dominus hora decima teneret cœli plagam. Petrus Aponensis inquit, medicum per imaginem infirmum curare posse. Modo in ea fabricanda obseruet, vt anguli ascendentis medij cœli occidentis sint fortunati, & ascendentis dominis, & eadem ratione secunda, sed sexta & Dominus eius sit infelix. Ait etiam sanitatem fore firmiorem vitamque longiorem, quam ab initio fuerit instituta, si nati vitare perspecta fiat imago, in qua hæc fortunata ponatur, scilicet illius significator vitę. Item vitæ datores, tum signa, tum domini, præsertim ascendens eiusque Dominus. Item cœli medium, locus Solis, pars fortunæ, Dominus coniunctionis vel præuentionis ante natiuitatem factæ. Mali quinetiam infortunati cadant. Concludit Astrologorum nullum dubitare, quin ad producendam vitam talia conferant. Prolixum foret dictu, quas per quælibet signa facies antiqui, & quas Lunæ stationes tanquam necessarias in exprimendis imaginibus obseruabant. Nam in statione Lunæ à gradu Virginis decimo septimo ad finem eius faciebant imagines contra morbos & odia, & ad iter felix. In statione à principio Capricorni ad gradum duodecimum, contra morbos & discordias atque captiuitatem. In statione à gradu duodecimo Capricorni ad gradum vigesimum quintum, aduersus languorem & carcerem. In statione à gradu quarto Piscium ad gradum eiusdem decimum septimum ad curandos morbos, ad lucrũ, ad societatem, ad augendas messes. Et in aliis similiter alias vana sæpius curiositate machinabantur. Solas vero recensui quæ non tam Magum quam Medicum redolerent. Nam & medicinam eiusmodi vanam plurimum fore suspicor. Pro aliis autẽ magis legitimis medicinarũ cõfectionibus eiusmodi mansiones Lunæ arbitror eligẽdas atq; etiam in ariete gradũ

sextum, rursus decimum nonum, minuta xxvi. Item in Geminis granum decimum, minuta xxxxxi In Cancro gradum decimum nonum, minuta xxvi. In Libra gradum sextum, minuta xxxiiij. In Capricorno gradum decimum nonum, minuta xxvi. In Aquario gradum secundum, minuta xxvij. In eodem gradu decimum quintum, minuta viij. Preterea sententiam Haly mente tenendam. Quodlibet signũ quamdiu Sol est in eo, viuum fieri, cæteris dominari, effectum eius præ cæteris euenire, vt illuc Lunam dirigas ad donum inde proprium pro medicinis suscipiendum. Illuc inquam, id est, ad signum & faciem, & maximè gradum, vt si bona Iouis affectas, ad hæc directam Lunam erigas vel vnitam, quamdiu locum eiusmodi Sol illustrat, vbi proprietas Iouia viget. Similiterque de cæteris. Curiosum vero narratu foret & fortè noxium, quas imagines, & quemadmodum associãdos vel dissociandos inter se animos fabricabant, ad afferendam felicitatem vel inferendam calamitatem, vel vni cuidam, vel domui, vel ciuitati. Ego quidem fieri posse talia non affirmo. Astrologi autem fieri posse putant, & quomodo, docent, qualia ego narrare non audeo, Porphyrius vbi vitam Plotini magistri sui describit, talia fieri posse confirmat. Atque Olympium Magũ & Astrologum Ægyptium narrat contra Plotinum Romæ talia tentauisse, dum conaretur per imagines vel res eiusmodi siderare Plotinũ sed conatus in authorem suum ob excelsam Plotini animam fuisse retortos. Albertus quoque Magnus Astrologiæ pariter atque Theologiæ professor, ait in speculo, vbi à licitis discernere se inquit illicita, imagines rite ab Astrologis constitutas, virtutem effectumque acquirere à figura cœlesti. Atque subinde narrat mirabiles earum effectus, quales Thebith, Benthorad, & Ptolemæus, cæterique Astrologi pollicentur. Describitque imagines ad calamitatem alicui, prosperitatemque afferendam, quas consulto prætermitto. Et interea confirmat effectum eas habere posse, quanquam & vt vir bonus artis damnat abusum, & vt legitimus Theologus orationes suffumigationesque detestatur, quas impii quidam dæmones imaginibus fabricandis adhibuerunt. Neque tamen reprobat figuras & literas dictionesque imaginibus impressas ad hoc ipsum duntaxat, vt donum aliquod accipiant à figura cœlesti. Quod quidem posse per imagines comparari Petrus Aponensis confirmauit. Imo & affirmauit regionem nescio quam fuisse destructam per imaginem illam, quam Thebith narrat à Phedice Astrologo fabricatam. Thomas autem Aquinas dux in Theologia noster, magis ista formidat, & minus tribuit imaginibus. Tantum namque virtutis duntaxat per figuras cœlitus putat acquirere, quantum conducat ad illos effectus, quos solet communiter cœlum per herbas resque alias naturales efficere. Non tam quia figuralis sit in ea materia, quam quoniam compositum tale iam positum est in certa quadam artificij specie, qualis cum cœlo consentiat. Hæc ait in libro contra Gentiles tertio, vbi characteres & literas figuris additas ridet. Figuras vero non adeo, nisi pro signis quibusdam ad dæmonas adiungantur. In libro etiam de fato ait, constellationes dare ordinem essendi atque perdurandi, non solum rebus naturalibus sed etiam artificiosis, ideo imagines sub certis constellationibus fabricari. At si quid mirabile per eas vltra consuetos naturalium effectus nobis eueniat, in dæmonas reiicit hominum seductores, quod in libro contra Gentiles perspicuè patet, maximè vero in libello de occultis naturæ operibus, vbi videtur etiam ipsas imagines paruipendere, quomodocunque factas, quas & ego quatenus ipse iusserit, nihilipendam. Referre autem mirabiles quosdam effectus imaginum in dæmonum falsitatem, nec est à Platonicis alienum. Nam & Iamblichus ait, eos qui religione summa sanctimoniaque posthabita, imaginibus duntaxat confisi, ab eis diuina sperant munera, hac in re à malis dæmonibus sæpissimè falli, sub prætextu bonorum numinum occurrentibus. Contingere tamen ex imaginibus legitima Astrologiæ ratione constructis naturalia quædam bona non negat. Denique tutius fore arbitror medicinis quam imaginibus se committere, rationesque à nobis potestate cœlesti, pro imaginibus assignatas, in medicinis potius quam in figuris efficaciam habere posse. Probabile enim est, si quam vim imagines habent, hanc non tam per figuram nuper acquirere, quam per materiam possidere naturaliter sic affectã. Ac si quid denuo acquiritur dum insculpitur, nõ tam per figuram comparari quam per calefactionem contusione quadam prouenientem. Quæ quidem contusio calefactioque facta sub harmonia, cœlesti simili harmoniæ, quæ quondã materiæ virtutẽ infuderat, excitat virtutem ipsam atq; corroborat sicut flatus flammam, & manifestam efficit ante latentem, sicut calor ignis in aspe-

ctum producit literas scriptas succo cepæ prius delitescentes. Atque literæ hirci adipe inscriptæ lapidi prorsus occultæ, si lapis submergatur aceto, prodeunt, & sculptæ eminentes extant. Imò verò sicut tactus scopæ vel arbuti suscitat rabiem consopitam, sic fortè contusio quędam & calefactio sola labentem in materia virtutem prodit, facta videlicet opportunè. Qua quidem cœlesti opportunitate expedit in medicinis conficiendis vti. Aut si quis fortè tractare metalla lapidesque voluerit, præstat percutere solum atque calefacere, quam figurare. Præter enim id quod inanes esse figuras suspicor, haud temerè vel vmbram idololatriæ debemus admittere. Item nec temere vti stellis vel salutaribus ad morbos his simillimos expellendos. Hos enim sæpe augent, sicut noxiæ stellæ dissimiles sibi morbos aliquando minuunt, quod sanè Ptolemæus & Haly perspicuè docent.

De fabricanda vniuersi figura.

CAPVT XIX.

Sed curnam vniuersalem ipsam, id est, vniuersi ipsius imaginem præmittimus? Ex qua tamen beneficium ab vniuerso sperare videntur. Sculpet ergo sectator illorum fortè, qui poterit formam quandam mundi totius archetypam si placebit in ære, quam deinde opportunè in argenti lamina imprimat aurata. Sed quando potissimum imprimet? Quando Sol minutum primum Arietis attigerit. Hinc enim Astrologi tanquam ex sui natalis reuolutione, fortunam mundi eo saltem anno imminentem auspicantur. Ille igitur in hoc ipso mundi natali totius imprimet mundi figuram. At videsne quam belle inter disserendum mundi aliquando nati nobis succurrerit argumentum? siquidem quolibet anno renascitur. Nonne in ipsa hominis genesi metiuntur Astrologi, primum in quo signo, quo gradu, quo minuto Sol extiterit? Ibique totius figuræ iaciunt fundamentum. Et quolibet deinceps anno, quum primum Sol minutum subierit idem, quasi renatum hominem arbitrantur, atque inde præsagiunt anni fortunam. Sicut igitur id in homine facere non valerent, nisi quasi renasceretur, atque hic non posset quasi renasci, nisi fuisset aliquando natus, sic & mundum conijcere licet aliquando genitum. Sole videlicet sub minuto Arietis primo tunc posito, quandoquidem per eundem quolibet anno situm, sors quædam quasi renascentis mundi reuoluitur. Tunc igitur fabricauit mundi figuram. Cauebit autem ne sabbato Saturni die figuram sculpat aut exprimat. Hoc enim die Deus mundi faber ab opere traditur quieuisse, quod ab ideali die Solis inceperat. Quantum enim Sol generationi accommodatus est, tantum Saturnus ineptus. Perfecerat autem opus in Venere, pulchritudinem operis absolutam significante. Sed de mundanæ fabricæ rationibus vltra. Ioannes enim Picus noster Mirandula diuina de genesi mundi mysteria Moseos diuinitus his diebus expressit. quamobrem vt redeamus ad institutum, & ille mundum suum primum die vel hora Saturni non sculpet, sed potius vel hora Solis. Imprimet autem in anni natali, præsertim si tunc felices accedant Iupiter atque Diana. Optimum vero fore putabunt præter lineamenta opificio colores inserere. Sunt vero tres vniuersales simul & singulares mundi colores, viridis, aureus, sapphyrinus, tribus cœli gratiis dedicati. Viridis quidem Veneri simulatque Lunæ, humidus videlicet humidis atque nascentium proprius, accommodatus & matribus. Aureum Solis esse colorem nemo dubitat, & ab Ioue insuper atque Venere non alienum. Sapphyrinum denique Ioui maximè dedicamus, cui & Sapphyrus ipse dicitur consecratus. Vnde & lapis lazulus hoc colore dotatus ob virtutem Iouiam contra bilem atram à Saturno profectam, apud medicos prærogatiuam habet, nasciturque cum auro, aureis distinctus notis, ita comes auri sicut Solis est Iupiter. Similemque vim habet lapis Armenus, colorem similem cum viridi quodammodo possidens. Expedire igitur iudicabunt ad gratiarum cœlestium munera capessenda, treis potissimum hos colores frequentissimè contueri, atque in formula mundi quam fabricas, sapphyrinum colorem mundi sphæris inserere. Operæprecium fore putabunt aurea sphæris ad ipsam cœli similitudinem addere, sidera, atque ipsam Vestam, siue Cererem, id est, terram, viridem induere vestem. Eiusmodi formulam sectator illorum vel gestabit, vel oppositã intuebitur. Vtile vero fore spectare sphærã motibus suis ã prædit, qualem Archimedes quondam & nuper Florentius quidam noster, Laurentius nomine, fabricauit. Neque spectare solum, sed etiam animo reputare. Proinde in ipsis suæ domus penetralibus cubiculum construet in fornicem actum, figuris eiusmodi & coloribus insignitum, vbi plurimum vi-

gilet atque dormiat. Et egressus domo non tanta attentione singularum rerum spectacula, quanta vniuersi figuram coloresque perspiciet. Sed hæc imaginum fictores illi viderint. Tu vero præstantiorem in te finges imaginem, nempe quum noueris nec quicquam ordinatius esse quam cœlum, neque temperatius aliquid cogitari quam Iupiter, sperabis ita demum beneficia cœli Iouisque consequi, si cogitationibus, affectibus, actionibus, victu teipsum ordinatissimum temperatissimumque præstiteris. At postquam in mentionem temperaturæ cœlestis incidimus, opportunum forte fuerit recordari nullum inesse cœlo elementaris qualitatis excessum, vt Peripateticè loquar, alioquin siue ita compositum sit, iam esset tot seculis dissolutum, siue etiam simplex, tanta saltem magnitudine, potentia, motione cætera perdidisset. Sed profectò tanquam moderatissimum omnia moderatur, ac diuersa commiscet in vnum. Præterea tum hac ipsa temperantia sua, tum excellentia formæ diuinitus vitam meruit. Nam & res compositas tunc demum vitam adipisci videmus, quando qualitatum perfecta commixtio priorem iam contrarietatem fregisse videtur, vt in plantis. Perfectiorem deinceps in animalibus vitam, quatenus inest in eis complexio à contrarietate remotior quam in plantis. In hominibus rursum eadem ratione perfectiorem, & quodammodo iam cœlestem. Siquidem humana complexio ad cœlestem temperantiam iam accessit, præsertim in spiritu, qui vltra substantiæ suæ subtilitatem qualitatumque temperantium quibus cum cœlo consentit, cœlestem quoque lucem est adeptus. Hic insuper vbi maximè talis potissimum est cœlestis, vitamque cœlestem diuinitus præ cæteris est adeptus. Et quatenus se talem in omni victu legeque vitæ efficit atque seruat, eatenus singularia cœlestium dona reportat. quando vero dicimus non esse in cœlo vllum elementaris qualitatis excessũ, intelligimus vel nullam esse ibi eiusmodi qualitatem, sed virtutes potius effectrices qualitatum temperatas, vel si quæ sunt illic quodammodo similes qualitates, quasi aëriam habere temperiem. Atque vbi quædam illic frigida siccaque nominamus, Platonica hæc accipimus ratione, id est, vt frigidum appelletur quod minimi caloris est causa. Siccum vero quod humorem nobis exhibet minimum. Sic Astrologus Abraham, Saturnum inquit corpus nostrum quodammodo relinquere frigidum atque siccum, quia calorem atque humorem affert nostro minorem. Eadem ratione carnes bouis & leporis in se quidem calidę atque humidæ, nobis frigidæ sunt & siccæ. Ex hac autem inductione duo accipe corollaria. Primum quidem, si corpora magis deinceps temperata, magis viuunt, cœlũ exactissimè temperatum absolutissimam in se vitam possidet, coniectari, vt quatenus reliqua ad temperiem vitamque illius accedunt, eatenus vitam sortiri præstantiorem. Alterum vero, vitam esse formam in se perfectam, perficientemque corpus, motionisque principium exhibentem. Principium, inquam, intimum, motionis quoque tum intrinsecus actæ, tum per omnem partem extrinsecus expeditæ. Si igitur idipsum vita est, mente captum existimato qui eiusmodi formam non cognouerit inesse cœlo, corpore præstantissimo, circumeunte semper motione perfecta, cuncta viuificante, magisque illa gradatim, quæ vel ad ipsius similitudinem naturaliter propinquius accesserunt, vel quotidie huius influxibus aptius se exponunt.

Quantam imagines vim habere putentur in spiritum, & spiritus in eas. Et de affectu vtentis & operantis.

CAPVT XX.

Compertum habemus, si quis rite vtatur helleboro, feratque potenter, mutare quodammodo exquisita purgatione & occulta eius proprietate qualitatem spiritus corporisque naturam, & ex parte motus animi, & quasi reiuuenescere, vt fermè videatur esse renatus. Vnde Medeã Magosque tradunt herbis quibusdam reddere iuuentutem consueuisse, quam non tam reddunt myrobalani quam conseruant. Similem Astrologi potestatem propitias habere imagines arbitrantur, per quam gestantis naturam & mores quodammodo mutent, in meliusque restituãt, vt quasi iam alter euaserit, aut saltem prosperam valetudinem diutissime seruent. Imagines vero noxias aduersus gestantem habere vim hellebori pręter artem potentiamque assumpti, venenosam videlicet atque pestiferam. Aduersus autem alium quendam, ad cuius calamitatem fabricatę intentæque fuerint, vim ænei speculi concauique sic prorsus obiecti, vt collectis repercussisque in oppositum radiis, cominus quidem comburat, eminus autem caligare compellat. Hinc orta est historia vel opinio, putans Astrologorum machinis,

Magorumque veneficiis homines, bruta, plantas, siderari atque tabescere posse. Ego autem imagines in rem distantem, vim habere vllam non satis intelligo. Habere vero in gestantem nonnullam suspicor, non tamen talem opinor qualem plerique fingunt, & hanc ratione materiæ potius quam figuræ, atque, vt dixi, longo interuallo medicinas imaginib. antepono Quanquam Arabes & Ægyptii tantum statuis imaginibusque attribuunt arte Astronomica & magica fabricatis, vt spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœlestium vires, alii vero dæmonas etiam stellæ huius illiusue pedissequos. Spiritus igitur stellarum qualescunque sint, inseri statuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac dæmones soleant humana nonnunquam corpora occupare, perque illa loqui, moueri, mouere, mirabilia perpetrare. Similia quædam per imagines facere stellarum spiritus arbitrantur. Putant dæmonas mundani ignis habitatores per igneos humeros vel ignitos, similiterque per ignitos spiritus, & affectus eiusmodi nostris insinuari corporibus. Similiter stellarum spiritus per radios opportunè susceptos suffumigationesque & lumina, tonosque vehementes competentibus imaginum materiis inseri, mirabiliaque in gestantem vel propinquantem efficere posse. Quæ quidem nos per dæmonas fieri posse putamus, non tam materia certa cohibitos, quam cultu gaudentes. Sed hæc alibi diligentius. Tradunt Arabes spiritum nostrum quando ritè fabricamus imagines, si per imaginationem & effectum ad opus attentissimus fuerit, & ad stellas coniungi cum ipso mundi spiritu, atque cum stellarum radiis, per quos mundi spiritus agit, atque ita coniunctum esse ipsum quoque in causa, vt à spiritu mundi per radios quidam stellæ alicuius spiritus, id est, viuida quædam virtus infundatur imagini potissimum hominis tunc operantis spiritui consentanea. Adiuuari quoque suffumigationibus ad stellas accommodatis opus eiusmodi, quatenus suffumigationes tales aërem, radios, spiritum fabri, imaginis materiam sic prorsus afficiunt, Ego vero odores quidem tanquam spiritui aërique natura persimiles, & quum accensi sunt, stellarum quoque radiis consentaneos arbitror, si Solares vel Iouii sunt, afficere acērē a spiritum vehementer ad dotes Solis aut Iouis tunc dominantis opportunè sub radiis capiendas, atque spiritum sic affectum, ita donatum, posse vehementiore quodam affectu, non solum in proprium corpus agere, sed propinquum præsertim natura conforme quidem, sed debilius, & consimili quadam afficere qualitate. Materiam vero imaginis duriorem ab odoribus & operantis imaginatione, vix minimum quiddam suscipere posse puto, spiritum tamen ipsum ab odore sic affici, vt ex ambobus vnum conficiatur. Quod quidem ex eo patet, quod odor non agit vlterius in olfactum, postquam satis egit. Olfactus enim & quoduis aliud à seipso vel simillimo quopiam nihil patitur. Sed de his alibi. Proinde imaginationis intentionem, non tam in fabricandis imaginibus, vel medicinis vim habere, quam in applicandis & assumendis existimo, vt si quis imaginem (vt aiunt) gestans ritè factam, vel certè medicina similiter vtens, opem ab ea vehementer affectet, & proculdubio credat, speretque firmissimè, hinc certè quamplurimus sit adiumento cumulus accessurus. Nam vbi vel virtus imaginis si qua est, tangentis carnem penetrat calefacta, saltem virtus in electa eius materia naturalis, vel certe medicinę vigor intus assumptæ, venis ac medullis illabitur, Iouiam secum ferens proprietatem, spiritus hominis in spiritum eiusmodi Iouium affectu, id est, amore transfertur. Vis enim amoris est transferre. Fides autem spesque non dubia, spiritum hominis iam ita percitum sistit in spiritu Iouio penitus atque firmat. Quod si quemadmodum Hippocrates & Galenus docent, ægrotantis amor fidesque erga Medicum interiorem exterioremque ad sanitatem plurimum conferunt (imò vero fiduciam hanc Auicenna plus inquit efficere quam medicinam) quantum ad cœlestem opem conducere putandum est, affectum fidemque nobis erga cœlestem influxum iam nobis insitum, agentem intus, viscera penetrantem? Iam vero amor ipse fidesque erga cœleste donum, sępe cœlestis adminiculi causa est, atque vicissim amor & fides hinc aliquando forsan proficiscitur, quod ad hoc ipsum iam nobis faueat clementia cœli.

De virtute verborum atque cantus ad beneficium cœleste captandum, ac de septem gradibus perducentibus ad cœlestia.

CAPVT XXI.

VErba præterea quædam acriore quodam affectu pronunciata, vim circa imagines magnam habere censent ad ef-

fectum earum illuc propriè dirigendum, quorsum affectus intenduntur & verba. Itaque ad duos ardentissimo quodam amore conciliandos, imaginem sub Luna coeunte cum Venere in Piscibus vel Tauro fabricabant, multis interim circa stellas verbaque curiosius obseruatis, quæ referre non est consilium. Non enim philtra docemus, sed medicinas. Probabilius autem est effectus eiusmodi per Venereos dæmonas confici, his operibus verbisque gaudentes, vel per dæmonas simpliciter seductores. Nam & Apollonium Theanæum sæpè Lamias deprehendisse & prodidisse ferunt, dæmonas scilicet quosdam salaces Venereosque, qui formosas puellas simulent, pelliciantque formosos, quos vt serpens elephantem ore, sic illi illos ore vulua pariter exugant, ac prorsus exhauriant. Sed hæc Apollonius ipse viderit. In verbis autem certis vim esse certam atque magnam Origenes asserit contra Celsum, & Synesius atque Alchindus de Magia disputantes. Item Zoroaster vetās barbara verba mutare, Iamblichus quoque similiter. Item Pythagorici verbis & cantibus atque sonis mirabilia quædam Phœbi & Orphei more facere consueti. Quod Hebræorum antiqui doctores præ cæteris obseruarunt, omnesque Poëtæ miranda canunt carminibus effici. Et grauissimus ille Cato in re rustica, in curandis bestiarum morbis, aliquando barbaris cantionibus vtitur. Sed præstat dimittere cantiones. Concentum vero illum, quo adolescens Dauid Saulem ab insania redimebat, nisi mysterium iusserit ad diuinitatem referri, referet fortè aliquis ad naturam. quum vero pro septem Planetarum numero, septem quoque sint gradus, per quos à superioribus ad inferiora fit attractus, voces medium gradum obtinent, & Apollini dedicantur. Infimum quidem tenent gradum materiæ duriores, lapides atque metalla, ac Lunam referre videntur. Secundum in ascensu locum habent, quæ ex herbis, arborum fructibus, gummis, membris animalium componuntur, respondentque Mercurio, si ordinem in cœlo sequimur Chaldæorum. Tertium pulueres subtilissimi, eorumque vapores ex prædictis electi, odoresque simpliciter herbarum & florum & vnguentorum ad Venerem pertinentes. Quartum verba, cantus, soni, quæ omnium ritè dedicantur Apollini, Musicæ præ cæteris authori. quintum vehementes imaginationis conceptus, formæ, motus, affectus vim Martiam referentes. Sextum rationis humanæ discursiones deliberationesque consultæ pertinentes ad Iouem. Septimum secretiores simplicioresque intelligentiæ quasi iam à motu seiunctæ, coniunctæ diuinis, destinatæ Saturno. Quem merito Sabath Hebræi nomine quietis appellant. Quorsum hæc? vt intelligas, quemadmodum ex certa herbarum vaporumque compositione confecta, per artem tùm Medicam, tum Astronomicam, resultat communis quædam forma velut harmonia quædam siderum dotata muneribus. Sic ex tonis primo quidem ad stellarum normam electis, deinde ad earundem congruitatem inter se compositis, communem quasi formam fieri, atque in ea cœlestem aliquam suboriri virtutem. Difficillimum quidem est iudicatu, quales potissimum toni, qualibus conueniant stellis, quales item tonorum compositiones, qualibus præcipuè sideribus aspectibusque consentiant. Sed partim diligentia nostra, partim diuina quadam sorte non aliter id assequi possumus, quam Andromachus in theriaca componenda diutissimè fatigatus, ac tandem post diligentiam, diuina sorte consequutus theriacæ virtutem. Quod quidem contigisse diuinitus Galenus & Auicenna confirmat. Imò verò totam Medicinam exordium à vaticiniis habuisse, testis est Iamblichus atque Apollonius Theanæus. Ideoque Phœbum vatem Medicinæ præponunt. Tres verò potissimum regulas adhoc afferemus, si prius admonuerimus, ne putes nos in præsentia de stellis adorandis loqui, sed potius imitandis, & imitatione captandis. Neque rursum de donis agere credas, quæ stellæ sint electione daturæ, sed influxu potius naturali. Ad quem profectò multiplicem & occultum, ita nos exquisitis studemus modis accommodare sicut quotidie ad manifestum Solis lumen caloremque salubriter excipiendum nosipsos accommodamus. Aptare vero seipsum ad occultas dotes eius atque mirificas, solius sapientis est officium. Sed iam ad regulas tantum sideribus accommodaturas perueniamus.

Prima est, exquirere quas in se vires quosue ex se effectus stella quælibet & sidus & aspectus habeant, quę auferant, quæ ferant. Atque verborum nostrorum significationibus hæc inserere, detestari quæ auferunt, probare quæ ferunt. Secunda, considerare quæ stella cui loco maximè vel homini dominetur. Deinde obseruare qualibus communiter hæ regiones, & personæ tonis vtantur, & cantibus vt ipse similes quosdam vnà cum signi-

ficationibus modo dictis adhibeas verbis, quæ sideribus eisdem stupes exponere. Tertia, situs aspectusque stellarum quotidianos animaduertere, atque sub his explorare, ad quales potissimum sermones, cantus, motus, saltus, mores, actus incitari homines plerique soleant, vt talia quædam tu pro viribus imiteris in cantibus, cœlo cuidam simili placituris, similemque suscepturis influxum. Memento vero cantum esse imitatorem omnium potentissimum. Hic enim intentiones affectionesque animi imitatur & verba, refert quoque gestus motusque corporis & actus hominum atque mores, tamque vehementer omnia imitatur & agit, vt ad eadem imitanda vel agenda, tum cantantem, tum audientes subito prouocet. Eadem quoque virtute quando cœlestia imitatur, hinc quidem spiritum nostrum ad cœlestem influxum, inde vero influxum ad spiritum mirificè prouocat. Iam vero materia ipsa concentus purior est admodum, cœloque similior, quam materia medicinæ. Est enim aër etiam hic quidem calens siue tepens, spirans adhuc, & quodammodo viuens, suis quibusdam articulis artubusque compositus, sicut animal, nec solum motum ferens, affectumque præferens, verum etiam significatum afferens quasi mentem, vt animal quoddam aërium & rationale quodammodo dici possit. Concentus igitur spiritu sensuque plenus, si fortè tum secundum eius significata, tum secundum eius articulos atque formam ex articulis resultantem, tum etiam secundum imaginationis affectum huic sideri respondeat, aut illi, non minorem inde virtutem quam quælibet alia compositio traiicit in cantantem, atque ex hoc in proximum auditorem, quousque cantus vigorem seruat spiritumque canentis, præsertim si cantor ipse sit natura Phœbeus, vehementemque habeat vitalem cordis spiritum, atque insuper animalem. Sicut enim virtus ac spiritus naturalis, vbi potentissimus, est mollit statim, liquefacitque alimenta durissima, atque ex austeris mox dulcia reddit, generat quoque extra se seminalis spiritus productione propaginem, sic vitalis animalisque virtus vbi efficacissima fuerit, ibi intentissima quadam sui spiritus per cantum, tum conceptione agitationeque in corpus proprium potenter agit, tum effusione mouet subinde propinquum, afficitque cum suum, tum alienum siderea quadam proprietate, quam tum ex ipsa sui forma, tùm ex electa temporis opportunitate concepit. Hac vtique ratione orientales meridionalesque multi, præcipuè Indi, admirandam feruntur in verbis habere potentiam, vtpote qui magna ex parte solares sunt. Vimque non naturalem dico, sed vitalem & animalem habent fermè omnium potentissimam, & quicunque in regionibus aliis maximè sunt Phœbei. Cantus autem hac virtute, opportunitate, intentione conceptus, fermè nihil aliud est quam spiritus alter, nuper penes spiritum tuum in te conceptus, factusque Solaris, & agens tùm in te, tùm in proximum potestate Solari. Si enim vapor & spiritus quidam aliquando per radios oculorum, vel aliter foras emissus fascinare, inficere, aliterque afficere proximum potest, multo magis id valet spiritus ab imaginatione cordeque simul vberior profluens & feruentior, motuque valentior, vt non omnino mirum sit, morbos quosdam animi atque corporis sic auferri posse aliquando, vel inferri præsertim, quoniam spiritus eiusmodi Musicus propriè tangit, agitque in spiritum inter corpus animamque medium, & vtrumque affectione sua prorsus afficientem. Mirabilem vero in concitato canenteque spiritu vim esse concedes, si Pythagoricis Platonicisque concesseris, cœlum esse spiritum, motibus tonisque suis omnia disponentem.

Memento vero totam procedere Musicam ab Apolline. Atque eatenus Iouem esse Musicum, quatenus est cum Apolline concors. Venerem insuper & Mercurium Musicam vicinitate Apollinis reportare. Item ad hos quatuor duntaxat attinere concentus, tres vero reliquos voces quidem habere, non cantus. Iam vero voces tardas, graues, raucas, querulas, Saturno tribuimus. Marti vero contrarias, veloces, acutasque & asperas & minaces. Medias vero Lunæ. Concentus autem Ioui quidem graues, & intentos dulcesque, & cum constantia lætos. Contra veneri cum lasciuia & mollitie voluptuosos cantus adscribimus. Inter hos vero medios Soli tribuimus & Mercurio. Si vna cum gratia suauitateque sunt venerabiles & simplices & intenti, Apollinei iudicantur. Si vna cum iucunditate remissiores quodammodo sunt, strenui tamen atque multiplices, Mercuriales existunt. Tu igitur horum quatuor vnumquemque cantibus tibi suis conciliabis, præsertim si competentes cantibus sonos adhibeas, adeo vt quum eorum more opportunè canendo & sonando clamaueris, responsuri protinus videantur, vel instar Echo,

vel ſicut chorda quædam in cithara tremens, quoties vibratur altera, temperata ſimiliter. Atque vt vult Plotinus & Iamblichus, ita naturaliter id tibi continget è cœlo, quemadmodum vel ex cithara reboatus ſiue tremor, vel ex oppoſito pariete fit Echo. Profectò quoties ex frequenti quodam vſu, harmoniæ Iouiæ, vel Mercuriales, vel Venereæ, factæ videlicet his regnantibus, ſpiritus tuus ad hoc ipſum attentiſſimè canens, harmoniæque conformatus euadit Iouius, vel Mercurialis, vel Venereus. Interea Phœbeus euadit, ſiquidem Phœbi ipſius Muſicæ ducis virtus in omni conſonantia viget. Atque viciſſim ex cantu ſonoque Phœbeo ipſe Phœbeus euadens, virtutem Iouis interim tibi vendicas & Veneris atque Mercurij. Rurſuſque ex ſpiritu ſic intus affecto, ſimiliter afficis animam atque corpus. Memento vero orationem aptè & opportunè compoſitam, & affectu ſenſuque plenam atque vehementem, ſimilem cantibus vim habere. Quantam in orando potentiam Damis & Philoſtratus habere ſacerdotes quoſdam Indos narrent, referre non expedit, nec etiam quibus verbis Apollonium euocaſſe manes Achillis affirment. Non enim loquimur nunc de numinibus adorandis, ſed de naturali quadam poteſtate ſermonis & cantus atque verborum. Eſſe vero Phœbeam medicamque in ſono, & eo quidem certo potentiam, ex eo patet quod quæ in Apulia tacti Phalangio ſunt, ſtupent omnes, ſemianimeſque iacent, donec certum quiſque ſuumque ſonum audiat. Tunc enim ſaltat ad ſonum apte, ſudat inde atque conualeſcit. Ac ſi poſt annos decem ſimilem audiuerit ſonum, ſubitò concitatur ad ſaltum. Sonum verò illum ex indiciis eſſe Phœbeum Iouialemque coniicio.

Quomodo ſeptem modis nos cœleſtibus accommodare poſsimus, & quibus Saturnus ſit maleficus, quibus propitius. Quos Iupiter à Saturno defendat. Quomodo cœlum agat in ſpiritum & corpus & animam.

CAPVT XXII.

QVoniam vero cœlum eſt harmonica ratione compoſitum, moueturque harmonice, & harmonicis motibus atque ſonis efficit omnia, meritò per harmoniam ſolam non ſolum homines ſed inferiora hæc omnia pro viribus ad capienda cœleſtia præparantur. Harmoniam vero capacem ſuperiorum per ſeptem rerum gradus in ſuperioribus diſtribuimus. Per imagines videlicet (vt putant) harmonicè conſtitutas. Per medicinas ſua quadam conſonantia temperatas. Per vapores odoreſque ſimili concinnitate confectos. Per cantus muſicos atque ſonos. Ad quorum ordinem vimque referri geſtus corporis ſaltuſque & tripudia volumus, per imaginationis conceptus, motuſque concinnos, per congruas rationis diſcurſiones, per tranquillas mentis contemplationes. Sicut enim corpus per harmoniam quotidie ſuam, id eſt, per ſitum & habitum & figuram opportunè lumini calorique Solis exponimus, ſic & ſpiritum occultis ſtellarum viribus comparandis, per ſuam quandam ſimilem harmoniam, imaginibus vt opinantur, & certe medicinis, odoribus harmonicè compoſitis comparatam, & denique per ſpiritum ſuperis ita paratum (vt ſępe diximus) animam eiſdem exponimus atque corpus. Animam, inquam, quatenus affectu ad ſpiritum inclinatur & corpus. In anima vero nunc imaginationem, rationem, mentem ponimus. Poteſt vtique imaginatio noſtra, vel propter qualitatem motumque ſpiritus, vel per electionem noſtram, vel etiam vtrinque ita diſponi, componi, confirmari Marti Soliue, vt ſit eueſtigio proprium influxus Phœbei vel martij ſuſceptaculum. Similiter ratio, vel per imaginationem ſpiritumq; ſimul, vel per deliberationem, vel vtrinque, ſic ad Iouem imitatione quadam comparare ſe poteſt, vt multo magis ob dignitatem propinquitatemque ſuam ipſa Iouem capiat & munera Iouis, quam imaginatio ſiue ſpiritus, quemadmodum imaginatio ſpirituſque eadem ratione multo magis cœleſtia capiunt, quam res & materiæ quæuis inferiores. Mens denique contemplatrix quatenus ſeipſam non ſolum ab his quæ ſentimus, verumetiam ab eis quæ imaginamur communiter moribuſque argumentamur humanis, reuocat, & affectu, intentione, vita, ad ſeparata ſe reuocat, Saturno quodammodo ſe exponit. Huic ſoli proprius eſt Saturnus. Sicut enim Sol animalibus quidem nocturnis inimicus eſt, diurnis autem eſt amicus, ita Saturnus hominibus vel vulgarem palam vitam agentibus, vel fugientibus quidem vulgi conſuetudinem. Vulgares tamen affectus non dimittentibus eſt aduerſus. Vitam namque communem conceſſit Ioui, ſeparatam verò ſibi vendicauit atque diuinam. Mentibus autem hominum reuera hinc pro ſegregatis tanquam ſibi cognatis quodammodo eſt amicus. Nam & ſpiriti-

bus sublimem habitantibus aërem ipse Saturnus (vt Platonicè loquar) est pro Ioue, sicut Iupiter hominibus communem agentibus vitam est iuuans pater. Nullus vero Saturnus est infensior, quam hominibus contemplatiuam vitam simulantibus quidem, nec agentibus. Hos enim nec Saturnus agnoscit vt suos, nec Iupiter ipse Saturni temperies, adiuuet eos, qui communes hominum leges moresque & commercia fugiunt. Hæc enim sibi Iupiter vsurpauit (vt aiunt) ligato Saturno, segregata Saturnus. Quamobrem Lunares illi populi, quos Socrates in Phædone describit, eminentissimam terræ superficiem, & altiorem nubibus habitantes, videntes sobrij admodum frugibusque contenti, & secretioris sapientiæ studio religionique dediti Saturni felicitatem gustant, vitamque agunt ita prosperam, tam longæuam, vt non tam mortales homines, quam immortales dęmones habeantur, quos heros multi nominant, aureumque genus Saturnio quodam seculo regnoque gaudens. Quod forsan Astrologos Arabes voluisse puto, vbi aiunt vltra lineam æquinoctialem ad meridiem esse subtilissimos habitatores quosdam dæmonas, qui nec oriri videantur, neque mori, ibique potestatem habere Saturnum, caudamque Draconis. Quod sanè confirmare videtur Albumasar in libro Sadar, dicens quasdam Indiæ regiones Saturno subiectas esse, ibique homines esse valde longæuos, ac senio plurimum extremo decedere. Rationemque assignat, quoniam Saturnus non lædat domesticos, sed externos. Tu verò potestatem Saturni ne negligas. Hunc enim ferunt Arabes omnium potentissimum, Planetas sanè vires eorum subire ad quos accedunt, omnes verò ad eum accedere potius quam vicissim, Planetasque coniunctos illi, natura illius agere. Est enim ipse inter Planetas orbis amplissimi caput. Quilibet sanè Planeta sui orbis caput est & cor & oculus Saturnus, item stellis proximus est innumeris, primoque mobili quam simillimus, longum agit circuitum. Est altissimus Planetarum, vnde felicem eum vocant, cui ille feliciter aspirauerit. Et quamuis eum tanquam à communi vita hominum alienum plerumque maxime vereantur, placari tamen etiam communi vitæ putant, si quando plurimam in ascendente potestatem dignitatemque habuerit, aut Iupiter eum suus feliciter aspexerit, vel in suis finibus excellenter acceperit, alioquin influxus illius opportunè susceptus, in materia prçsertim crassa fit quasi venenum, sicut & ouum putrefactione vel adustione fit venenosum, vnde nascuntur vel euadunt immundi quidam, ignaui, tristes, inuidi, dæmonibus immundis expositi, quorum commercium procul effugito. Nam Saturni venenum alibi quidem sopitũ latet, ceu sulphur à flamma remotum. In viuentibus vero corporibus sæpè flagrat, atque vt sulphur accensum non comburit solum, sed vapore etiam noxio omnia circũ implet, atque inficit propinquantes. Contra influxum eius hominibus communiter peregrinum, & quodammodo dissonum nos armat Iupiter, tùm naturali qualitate sua, tùm alimentis medicinisque certe suis, atque (vt putant) etiam imaginibus, tum etiam moribus negociisque, & studiis atq; rebus ad ipsum propriè pertinentibus. Noxium vero influxum Saturni effugiunt, subeuntque propitium non solum qui ad Iouem confugiunt, sed etiam qui ad diuinam contemplationem ab ipso Saturno significatam tota mente se conferunt. Hoc enim pacto malignitatem fati deuitari posse Chaldæi & Ægyptij atque Platonici putant. Quum enim cœlestia nolint esse corpora vana, sed diuinitus animata, atque insuper mentibus recta diuinis, nimirum illinc ad homines non solum quamplurima ad corpus & spiritum pertinentia, sed multa etiam bona quodammodo in animam redundantia proficisci volunt, non à corporibus in animam sed ab animis. Magis autem hæc pluraque eiusmodi à mentibus superioribus cœlo profluere. Inter hæc si rationes omnes assignare volueris, quibus adductus Moses ocium sabbati mandauit Hebræis, forsan vltra sublimiorem secretioremque allegoriam inuenies Saturni diem actionibus ciuilibus bellicisque ineptum, contemplationibus aptum, eoque die diuinum contra discrimina patrocinium obsecrandum. quod quidem impetrari posse aduersum Martis & Saturni minas Abraham & Samuel, & plures Hebræorum Astrologi, eleuatione mentis in Deum votisque & sacrificiis confitentur, præceptum illud Chaldæum confirmantes scilicet: Si mentem ad pietatis opus ardentem erexeris, corpus quoque caducum seruabis. Considerατu dignum est illud Iamblichi, cœlestia mundana numina vires quasdam in se superiores, nonnullas inferiores habere. Per has quidem effectibus nos fatalibus deuincire, per illas autem vicissim soluere nos à fato, quasi claues, vt inquit Orpheus, ad aperiendum habeant & claudendum.

Multo

Multo igitur magis diuinitas mundo ſuperior à fatali neceſſitate nos redimit. Explorare quoque dignissimum eſt Hebraicum illud, in mactandis animalibus rebuſque noſtris ſacrificio diſſipandis mala cœlitus imminentia, à nobis ad noſtra deflecti. Sed hæc Pico noſtro exploranda relinquimus. Denique vbicunque dicimus cœleſtium ad nos dona deſcendere, intellige tum corporum cœleſtium dotes in corpora noſtra venire per ſpiritum noſtrum ritè paratum, tum eadem prius etiam per radios ſuos influere in ſpiritum naturaliter, vel quomodocunque illis expoſitum. Tum etiam animarum cœleſtium bona, partim in eundem ſpiritum per radios proſilire, atque hinc in noſtros animos redundare, partim ab animis eorum, vel ab Angelis in animos hominum illis expoſitos, peruenire. Expoſitos, inquam, non tam naturali quodam pacto, quàm electione arbitrij liberi vel affectu. Summatim verò quicunque voto, ſtudio, vita, moribus, beneficentiam, actionem, ordinem cœleſtium imitantur, eos exiſtimato tanquam ſupernis ſimiliores, ampliores illinc dotes accipere. Homines autem artificioſè cœleſtium diſpoſitioni diſſimiles atque diſcordes, & clam eſſe miſeros, & denique palam infelices euadere.

Vt proſperè viuas agaſque, in primis cognoſce ingenium, ſydus, Genium tuum, & locum eiſdem conuenientem, hic habita, profeſſionem ſequere naturalem.

CAPVT XXIII.

Qvicunque ſanæ mentis ſuique compos naſcitur, eſt à cœlo honeſtum aliquod opus & vitæ genus naturaliter inſtitutus. Quiſquis igitur cælum optat habere propitium, hoc opus, hoc genus in primis aggrediatur, hoc ſedulo proſequatur. Cælum enim ſuis fauet incæptis. Ad hoc ipſum verò præ cæteris es natura factus, quod primum à teneris annis agis, loqueris, fingis, aptas, ſomnias, imitaris, quod tentas frequentius, quod facilius peragis, quo ſummopere proficis, quo præ cæteris delectaris, quod relinquis inuitus. Hoc eſt ſanè ad quod te cælum rectorque cæli genuit. Eatenus igitur tuis fauebit incæptis & aſpirabit vitæ, quatenus genitoris ipſius auſpicia proſequeris, præſertim ſi verum ſit Platonicum illud (in quo tota conſentit antiquitas) vnicuique naſcenti eſſe dæmonem quendam vitæ cuſtodem, ipſo ſuo ſydere deſtinatum. Qui & ad hoc ipſum officium adiuuet, cui naſcentem cæleſtia deputarunt. Quicunque igitur per argumenta, quæ modo diximus, ſuum ingenium perſcrutatus, ita naturale ſuum opus inueniet, inuenerit ſimul ſydus & dæmonem, quorum exordia ſequens aget proſperè, viuetque feliciter, alioquin & fortunam experietur aduerſam, & cælum ſentiet inimicum. Duo igitur ſunt præ cæteris hominum infortunatorum genera. Alterum eorum qui nihil profeſſi nihil agunt. Alterum eorum qui profeſſionem ingenio alienam ſubeunt, Genioque contrariam. Illi quidem ignauia torpent, interim ad actiones incitante cælo ſemper agente. Hi dum aliena à patronis cæleſtibus agunt, fruſtra laborant ſupernis deſtituti patronis.

Primum quidem antiquo prouerbio confirmatur, Dij adiuuant facientes, ignauis autem infenſi ſunt. Secundum prouerbio ſimili, Nihil agas inuita Minerua. Ob hanc arbitror rationem Iouem in Pythagoricis carminibus obſecrari, vt vel ipſe tot malis leuet genus humanum, vel ſaltem quo duce dæmone vtamur, oſtendat. Proinde operæprecium fuerit indagare, ad quam potiſſimum regionem habitandam, & excolendam te tuum ſydus dæmonque tuus ab initio deſignauerit, ibi enim magis aſpirant. Ea verò eſt in quam primum profectus ſpiritus tuus quodammodo recreatur, vbi ſenſus vegetior permanet, vbi corporis habitudo validior, vbi magis plerique fauent, vbi vota ſuccedunt. Hæc igitur experire, hanc regionem elige, hanc cole feliciter. Hinc videlicet diſceſſurus infelix, niſi & rediturus & ad ſimilia pergas. Sed interea frequentibus in hac regione motibus te exerce, gyroſque quoſdam cæleſtium inſtar agito. Motu enim circuituque eiuſmodi genitus ſimilibus conſeruabere. Quantum præterea ad habitationem pertinet, vtiliter recordabere. Sicut alimenta vitæ neceſſaria rus quidem vrbi ſuppeditat, vrbs verò conſumit, ſic & ipſam vitam ruſticatione frequenti, vbi tædium te minimè cæperit plurimùm augeri, ſed vrbano cum ocio tum negotio conteri. Quantum verò ad habitationem ſimul & profeſſionem ſpectat, illud Orientalium Aſtrologorum minimè contemnendum videlicet mutatione nominis, profeſſionis, habitus, victus, loci cæleſtem influxum nobis tum in melius, tum in deterius permutari. Dæmones quoque vel commutari, vel ad eoſdem aliter hic & alibi nos habere Platonici iudicabunt. Dæmonem verò vniuſcuiuſque cuſtodem Aſtrologi cum Platonicis geminum eſſe poſſe conſentiunt, alterum quidem genituræ proprium, alterum verò profeſſionis. Et quoties profeſſio cum natura con-

sentit, eundem vtrisque dæmonē vel certè simillimum nobis adesse, vitamque inde nostram magis secum fore concordem atque tranquillam. Sin autem professio dissidet ab ingenio, dæmonem acquisitum arte, esse à genio naturali discordem, vitamque laboriosam atque solicitam. Qualis autem vnicuique dæmon ab ipsa generatione præsit cupientibus inuenire, Porphyrius regulam inuestigat ex Planeta domino geniturę. Iulius Firmicus Planetam geniturae dominum esse inquit, vel eum qui plures illic habeat dignitates, vel ex firmiori sententia potius eum cuius domicilium mox petitura sit Luna, post signum quod homine nascente iam tenet. Sed dæmonem non eadem regula putat inuestigandum, verùm ex Chaldæorum opinione à Sole potius aut Luna. A Sole quidem ad Lunam in natiuitate diurna, à Luna vicissim ad Solem in natiuitate nocturna, vt computato inter hæc interuallo, æquale spacium peragas ab ascendentis gradu descendens, & in quem terminum desinis animaduertas. Cuius enim stellæ est ille terminus, eiusdem esse dæmonem arbitrantur. Summatim verò à domino geniturae simul atque dæmone, tenorem vitæ fortunamque perpendere solent. Fortunam adiunxi quoniam nonnulli partem fortunæ, eadem fermè computant ratione. Optabant veteres suum ad se dæmonem ab aliquo cœli cardine descendisse, ab Oriente videlicet vel Occidente, vel medio vtrinque cælo, aut saltem ab vndecima vel quinta plaga. Vndecima quidem medio supra caput nostrum cælo succedit, ac bonus dæmon cognominatur, & ascendentem ab Oriente gradum aspicit ex sextili. Quinta verò cælo antipodum medio succedit, appellaturque bona fortuna, & ascendentem gradum contuetur ex trino. Optabant tertio loco dæmonem, si modò à cadenti plaga venerit saltem, vel à nona venisse, vel à tertia. Nona enim appellatur Deus, tertia verò dea. Et illa descendentem gradum ex trino, hæc aspicit ex sextili. Cadentes verò duodecimam atque sextam exhorrebant. Illam sanè malum dæmonem, hanc malam fortunam cognominantes. Nos autem optare pręterita superuacuum arbitrati, monemus easdem plagas quas illi pro dæmonibus fortunisque optabant, obseruari pro Planetis & stellis ad opus efficiendum accommodandis, vt vel sint in angulis, aut in duabus quas diximus succedentibus, aut saltem in duabus dumtaxat cadentibus, quas antea nominauimus. Neque enim ab re Solem nona gaudere dicunt, Lunam tertia, Iouem vndecima, Venerem verò quinta Hæ namque gradum conspiciunt ascendentem. Sed redeamus ad institutum. Siue igitur ab illa quam in superioribus narrabam, experientia diligentiaque, siue ab hac arte quam modo recensui, primum inuestigemus naturæ dæmonisque instinctum, infortunatum esse censebimus, qui officium nullum profitetur honestum. Nam & ducem professionis reuera non habet, qui opus honestum non aggreditur, & ducem naturalem vix vllum habet. Quoniam stellarum dæmonumque siue Angelorum ducum diuinitus ad custodiam dispositorum officium est agere semper, & excellenter & latissimè. Infortunatum insuper eum, vt suprà diximus, qui professione naturæ contraria diuersum à Genio subit dæmonem. Memento verò pro dignitate professionum digniores gradatim accipi dæmones, seu mauis Angelos, atque in gubernatione publica etiam digniores. Posse verò artem vitæque tenorem accipi Genio & ingenio non contrarium, neque longè diuersum, etiam si ad excellentiora processeris. Memento rursus familiaritatem eorum inire, quibus Gratiæ cœlestes afflant. Quod ex bonis animi, corporis, fortunæ perpendes, sicut enim odor ex musco, sic ex bono boni nonnihil exhalat in proximum, ac sæpè perseuerat infusum. Mirificus autem foret cœtus trium felicium vel duorum inter se mirabiliter redundantium. Memento denique effrenatos & impudentes & malignos ac infelices procul fugere. Hi namque malorum pleni dæmonum vel radiorum, malefici sunt, & tanquam leprosi pestilentesque non solum tactu nocent, sed propinquitate etiam & aspectu. Sanè propinquitas ipsa corporum animatorum putatur esse contactus, propter efficacem vaporum exhalationem foras à calore, spiritu, affectu manantem. Maximè verò pestilens erit flagitiosorum familiaritas atq; crudelium, si verum fuerit, post vegetalem vitam mense Iouis, id est, secundo nobis infusam deinceps mense Martis, id est, tertio sensualem animam infundi perturbationibus mancipatam. Sic enim qui perturbatione feruntur, Martis pleni Martiali contagione propinquos inficiunt. Contraria verò ratione consuetudo frequens contiguumque commercium cum felicibus excellentibusque, vt diximus, prodesse mirificè consueuit. Apollonium Theanæum ferunt Ephesi deprehendisse senem, sub cuius figura lateret dæmon, qui sola præsentia totam ciuitatem peste contaminabat. Quantum verò Socrates multis præsentia sola profuerit, Xenophon & Plato testantur.

Qua ratione literati cognoscant ingenium suum sequanturque victum spiritui consentaneum.

CAPVT XXIIII.

QVoniam verò literarum studiosis loquor, recordari vnumquemque volo literarum amore captum in primis se esse Mercurialem, præterea Solarem, quatenus ipse Mercurius est Solaris. Atque hęc communis his omnibus est conditio. Propriè verò præter naturam Mercurialem quisquis eloquij gratia, lepôre, dignitate, venustate pollet, Apollinem in se agnoscat & Venerem. Qui ad leges vel naturalem communemque Philosophiam est propensior, non ignoret Iouem se habere patronum. Sed qui ad secretissima quæque curiosius perscrutanda penitus instigatur, sciat se non Mercurialem solum esse, sed Saturnium. Sub cuius etiam principatu sunt omnes in quouis studio vsque ad finem seduli, præsertim in rebus diis negligentes. Denique si verum est quod nonnulli tam Physici quàm Astronomi tradunt, animam intellectu præditam in conceptum humanum, mense Solis, id est, quarto descendere, qui plurimum intellectu viuunt, & ab initio sunt pręcipuè & quotidie Solares euadunt. Horum itaque Planetarum fauor his hominibus auspicandus erit. Sub eorum spiraculo Medicinæ confiandæ. In eorum regionibus habitandum. Verum ad Apollinem Musarum ducem in primis nos ô literati Musarum cultores aduoco. Quicunque igitur inter vos dilectissimi in Musarum amore fratres, ingenio multo magis longiusque quàm corpore valent, ij profecto sciant in genitura quondam sua Phœbem quidem materiam suppeditasse perpaucam, Phœbeum verò spiritum infudisse quàmplurimum, imò & quotidie humores alimentaque in corpore in spiritum maxima quadam ex parte resoluere. Vnusquisque igitur vestrum totus est fermè spiritus. Spiritalis, inquam, homo quidam, terreno hoc corpusculo personatus, spiritum ante alios perpetuo quodam labore fatigans, vt ipsi præ cæteris sit assiduè spiritus recreandus, & in senectute præterea, in qua communiter euadit crassior, ad subtilitatem propriam reuocandus. Scitis profectò crassum corpus crassis elementis quatuor ali. Scitote igitur spiritale corpus suis quibusdam tenuibus elementis quatuor enutriri. Huic enim vinum est pro terra, odor ipse vini vicem gerit aquæ, cantus rursum & sonus agit aërem, lumen autem præfert ignem elementum. His ergo quatuor præcipuè spiritus alitur, vino inquam eiusque odore & cantu, similiter atque lumine. Sed nescio quomodo ab Apolline primum exorsi, incidimus mox in Bacchum. Et meritò quidem à lumine peruenimus ad calorem, ab Ambrosia in nectar, à veritatis intuitu in ardentem veritatis amorem. Fratres certè sunt, indiuiduique comites Phœbus atque Bacchus. Ille quidem duo potentissimum vobis affert, lumen videlicet atque lyram. Hic item præcipuè duo, vinum, odoremque vini ad spiritum recreandum, quorum vsu quotidiano spiritus ipse tandem Phœbeus euadit & liber. Quamobrem ita vos ad excipiendum Solis lumen quotidie comparate, vt quatenus deuitata destillatione quadam & exiccatione fieri potest, frequentissimè sub luce viuatis, saltem in conspectu lucis, tum eminus, tum cominus, tum recti, tum aperti, ad vsum vbique vestrum vitalem Solis potentiam temperantes, atque igne referentes in nocte Solem citharæ cantusque interim non obliti. Spirate verò semper & vigilantes & dormientes aërem viuum, aërem luce viuentem. Similiter habere vos oportet ad merum Bacchi donum, Apollinis beneficio procreatum. Eadem igitur proportione qua lumen, accipite vinũ. Abunde quidẽ, quatenus nec destillatio nec exiccatio, qualem dixi, ebrietasue contingat. Atque præter substantiam vini quotidie bis acceptam, odorem verò frequentius haurire partim quidem os, vbi spiritus fuerit recreandus, colluentes mero, partim lauantes eodem manus, partim naribus & temporibus admouentes. Satis iam fratres colloquuti sumus, satisque combibimus. Ergo valete.

De Astronomica diligentia in liberis procreandis, in præparandis epulis, in ædificiis & habitatione atque vestibus, & quantum curare talia liceat.

CAPVT XXV.

SEd iuuat etiam parumper alloqui seuerum religionis antistitem. Dic age quidnam in astrorum vsu damnas antistes? Quicquid inquies, arbitrio nostro detrahit; quicquid vnius diei cultui derogat. Eadem ego tecum non damno solum, sed etiam valdè detestor. Execraris quinetiam scio, atque ego insuper perhorresco nonnullos, qui quum Deum exoratum volunt, ad Iouem in medio cœlo vasum illud draconis caput subeuntem, tam miseri quàm stulti

confugiunt, ab ipso videlicet dracone, qui quondam è cœlo corruit, tertiam stellarum partem secum trahens denique deuorandi. Verùm concedes ne contractibus, matrimoniis, colloquiis, itineribus, similibusque operibus peragendis horas opportunas eligere? Non facilè te his assensurum video, nescio quid arbitrio metuentem. Ego igitur, & si Theologus ille Magnus Albertus ista dabit, & ratio quædam fortè dictabit, per electionem ipsam arbitrium pertinentem, cœlestia ita prudentiæ nostræ vsui subiici, quemadmodum herbæ Medico subministrant, tibi tamen potius in præsentia credam. Et quàm tu difficilè nunc ea permittis, tam facilè ipse dimittam. Obseruationes verò Lunæ ideoque aliarum stellarum ad morbos curandos, & idcirco ad remedia præparanda iamdiu (vt arbitror) permisisti. Concessum quoque abs te, & insuper approbatum, crescente Luna, eademque aucta lumine, nec aliunde infortunata seminibus ægros spargere, vites oleasque serere. Cur non igitur ad plantandum (vt cynice loquar) hominem, vtamur beneficio Lunæ Iouisque & Phœbi? Nam Veneris quidem adhæc officio semper vtimur. Sed rectius modo dixissem, semper vtuntur. Nam ipsa mihi Venus est Diana. Quid item de victu dicemus? Nonne licebit & proderit sub felici sydere tum autumno vinum, tum indies panem epulasque conficere? Ac si nequeamus in his præparandis aspectus syderum expectare, expediet saltem ascendentes accipere, vel aliter angulares, Solem, Iouem, Venerem, atque Lunam. Sic enim omnia quibus vtimur feliciter affecta cœlitus, feliciter nos afficient. Hactenus te video absque controuersia concessurum, nisi fortè dicas, ita vitam nostram nihil fore aliud quàm perpetuam seruitutem. Ad hæc ego subiiciam, frustra mortales cumulandis pecuniis & honoribus seruituros, quibus sunt perpetuo mancipati, nisi interim diligentia Physica dies vitæ sibi plures accumulent. Aut igitur soli Deo seruiant, quod quidem est potissimum, aut si cui præterea seruituri sunt vitæ, tum validæ, tum longæ potius, quàm pecuniis honoribusque vanis indulgeant. Concordes ergo sumus. Sed nunquid vel domos fundabunt temerè, vel infaustas habitabunt? Vbi contagiosa quædam calamitas ædificij fermè sic inficit habitantem, vt venenosus pestilentiæ vapor etiam ad biennium in pariete seruatus qualis etiam ex Epidemia latens in veste, diu postea vtentem inficit incautum atque perdit. At postquam hic in vestium incidimus mentionem, prohibebis ne, pie pater, in veste conficienda, vel primum induenda spiraculum Veneris diligenter aucupari, quo quasi Venerea facta vestis, similiter prospera quadam corpus & spiritum afficiat qualitate? Nonne Medici vetant vulpium pelles, agninas probant? Non aliter fortè sydus indies quasi nascentes vestes afficit, quàm semel ab initio natas. Vestes quidam & cætera artis opera certam à sydere qualitatem accipere, Thomas Aquinas in libro de Fato confirmat. Tu igitur affirmabis. Infectas verò vestes vtentem inficere, etiam testis est scabies atque lepra. Denique si populi vitæ consulis (vt opinor) ista permittes. Atque ego permissione tua consulam obseruanda. Sin autem eiusmodi moribundæ vitæ curam non improbas quidem, sed negligendam mones, ego quidem negligo, melioris vitæ fiducia fretus, cæterisque similiter consulo faciendum. Vale.

Quomodo per inferiora superioribus exposita deducantur superiora. Et per mundanas materias mundana potissimum dona.

CAPVT XXVI.

SEd ne longius digrediamur ab eo, quod interpretantes Plotinum instituimus ab initio, breuiter ita collige. Mundus ab ipso bono (vt latè vnà cùm Timæo Pythagorico docet) quam optimus effici poterat, est effectus. Est igitur non solum corporeus, sed vitæ insuper & intelligentiæ particeps. Quamobrem præter corpus hoc mundi sensibus familiariter manifestum, latet in eo spiritus corpus quoddam, excedens caduci sensus capacitatem. In spiritu viget anima, in anima fulget intelligentia. Atque sicut sub Luna nec miscetur aër cùm terra, nisi per aquam, nec ignis cum aqua, nisi per aërem, sic in vniuerso esca quædam, siue fomes ad animam corpori copulandam est ille ipse quem spiritum appellamus. Anima quoque fomes quidam est in spiritu corporeque mundi, ad intelligentiam diuinitus consequendam; quemadmodum summa quædam in ligno siccitas ad penetraturum oleum est parata. Oleum huic imbibitum pabulum est ad ignem, ad calorem dico proximè. Calor ipse luminis est vehiculum, ac si lignum hoc eiusmodi sit, vt igne præsente fulgeat, non vratur, qualia quandoque vidimus. Iam hoc exemplo videbimus, vtrum vel homo, vel aliud quiddam sub Luna certis quibusdam præparamentis, partim quidem naturalibus, partim arte quæsi-

tis, vitalia atque etiam forte intellectualia quædam bona opportune quodammodo desuper accipere possit. Verum quod hic ad religionem pectat discutiemus alibi, vt Plotinus in medium hæc adducet. Quod verò ad naturales spectat influxus, qualescunque sint desuper venientes, scitu eos in nobis materiisque nostris ita demum per artem comparari posse, quando fomenta nobis nostrisque ad illos natura suggesserit, cœlumque ad eosdem opportunius conspirauerit. Nonne in ipso fœtu natura fœtus ipsius artifex, quum certo quodam pacto corpusculum affecerit figurauerit que, hoc ipso statim præparamento, velut esca quadam spiritum ab vniuerso deducit? Perque hunc velut fomitem, vitam haurit atque animam? Ac denique per certam animæ speciem dispositionemque corpus ita viuens dignum est præsentia mentis tandem iam donatæ diuinitus. Vbique igitur natura maga est, vt inquit Plotinus atque Synesius, videlicet certa quædam pabulis vbique certis inescans, non aliter quàm centro terræ grauia trahens, Lunæ concauo leuia, calore folia, humore radices, cæteraque similiter. Quo quidem attractu se cum ipso deuinciri mundum testantur sapientes Indi dicentes mundum esse animal passim masculum simul atque fœminam, mutuoque membrorum suorum amore vbique coire secum, atque ita constare, vinculum verò membrorum inesse per insitam sibi mentem, quæ tota infusa per artus agitat molem, & magno se corpore miscet. Hinc Orpheus naturam ipsam mundi Iouemque mundanum marem appellat & fœminam. Vsque adeò mutui partium suarum coniugii vbique mundus est auidus. Esse verò masculinum sexum fœminino vbique commixtum, declarat illinc quidem ordo signorum, vbi præcedens perpetuo deinceps ordine masculinum est, subsequens fœmininum, hinc verò arbores atque herbæ, quæ etiam sicut animalia vtrunque sexum habent Mitto quod ignis ad aërem, aqua ad terram masculi vicem tenet ad fœminam, vt non mirum sit membra inter se mundana, & omnes eius articulos mutuum coniugium concupiscere. Quod & Planetæ conciliant, partim quidem mares, partim verò fœminæ, præcipuè verò Mercurius masculus atque fœmina, Hermaphroditi pater. Quod sanè animaduertens agricola, præparat agrum seminaque ad cœlestia dona, & insitionibus quibusdam vitam plantæ propagat & ad speciem alteram melioremque perducit. Similia quædam efficit & Medicus, Physicus, & Chirurgus in corpore nostro, tum ad nostram fouendam, tum ad vniuersi naturam vbérius comparandam Idem quoque Philosophus naturalium rerum astrorumque peritus, quem propriè Magum appellare solemus, certis quibusdam illecebris cœlestia terrenis opportunè quidem, nec aliter inserens quàm insitionis studiosus agricola veteri recentem stipiti surculum. Quod & Ptolemæus valdè probat, affirmans eiusmodi sapientem sic astrorum opus adiuuare posse, quemadmodum agricola terræ virtutem. Subiicit Magus terrena cœlestibus, imò inferiora passim superioribus, vt proprias vbique fœminas suis maribus fœcundandas, vt ferrum magneti trahendum, vt camphoram aëri feruenti sugendam, vt crystallum Soli illuminandum, vt sulphur & sublimem liquorem accendendum flammæ, vt oui testam vacuam & impletam rore Soli eleuandam, imò vt ouum ipsum gallinæ fouendum. Præterea sicut nonnulli fouentes oua, etiam sine animalibus vitam illis ex vniuerso conciliant, & sæpè materias quasdam opportunè parantes, absque ouis manifestisque seminibus animalia procreant, vt ex ocymo scorpionem, apes ex boue, ex saluia autem merulæ similem, vitam videlicet à mundo materiis certis opportunisque temporibus adhibentes Sic & ille sapiens vbi cognouit quæ materiæ, siue quales partim inchoatæ natura, partim arte perfectæ, & si sparsæ fuerint congregatæ, qualem cœlitus influxum suscipere possint, has eo regnante potissimum colligit, præparat, adhibet, sibique per eas cœlestia vendicat. Vbicunque enim materia quædam sic superis exposita est, sicut speculare vitrum vultui tuo pariesque oppositus voci, subito supernè patitur ab agente videlicet potentissimo, à potestate vitaque mirabili vbique præsente, virtutemque passione reportat, non aliter quàm & speculum imaginem repræsentat ex vultu & ex voce paries Echo. His fermè exemplis ipse Plotinus vtitur, vbi Mercurium imitatus ait veteres sacerdotes siue Magos in statuis sacrificiisque sensibilibus diuinum aliquid & mirandum suscipere solitos. Vult autem vnà cum Trismegisto per materialia hæc non propriè suscipi numina penitus à materia segregata, sed mundana tantum, vt ab initio dixi, & Synesius approbat. Mundana, inquam, id est, vitam quandam, vel vitale aliquid ex anima mundi & sphærarum animis atque stellarum, vel etiam motum quendam & vitalem quasi præsentiam ex dæmonibus, imò interdum ipsos dæmonas eiusmodi adesse materiis. Mercurius ipse, quem

Plotinus sequitur, inquit, dæmonas aërios non cœlestes, nedum sublimiores, statuasque Mercurius ipse componit ex herbis, arboribus, lapidibus, aromatis, naturalem vim diuinitatis (vt ipse ait) in se habentibus. Adiungit cantus cœlestibus similes, quibus ait eos delectari, statuisque sic adesse diutius, & prodesse hominibus vel obesse. Addit sapientes quondam Ægyptios, qui & sacerdotes erant, quum non possent rationibus persuadere populo esse deos, id est, spiritus aliquos super homines, excogitasse Magicum hoc illicium, quo dæmonas allicientes in statuas esse numina declararent. Sed Iamblichus damnat Aegyptios, quod dæmonas non solum vt gradus quosdam ad superiores deos inuestigandos acceperint, sed plurimum adorauerint. Chaldæos verò dæmonibus non occupatos, Ægyptiis anteponit. Chaldæos, inquam, religionis antistites, nam Astrologos tam Chaldæorum quàm Ægyptiorum quodammodo tentauisse dæmonas per harmoniam cœlestem in statuas fictiles trahere suspicemur. Quod significare videtur Astrologus Samuel Hebræus, authoritate Dauidis Bilastrologi fretus, antiquos videlicet fictores imaginum fecisse statuas futura prænunciantes. Harmoniam verò cœlestium his accommodatam esse tradit. Metallum fundere ad hominis pulchri formam, die Mercurij hora tertia scilicet Saturni, quando Mercurius Saturnum in Aquario subit, in nona cœli plaga vaticinium designante, ascenditque Geminorum sydus significans Prophetas vt aiunt, Mars à Sole comburitur nec Mercurium intuetur, Sol tamen aspicit coniunctionis illius locum, Venus interea aliquem obtinet angulum, occidentalis est & potens, Luna ex trigono gradum aspicit ascendentem, similiterque Saturnus. Hæc ille. Ego autem primo quidem ex beati Thomæ sententia puto, si modo statuas loquentes effecerint, non simplicem ipsum stellarum influxum ibi formauisse verba, sed dæmonas. Deinde si fortè contigerit eos in eiusmodi statuas ingredi, non arbitror hos ibi per cœlestē influxum fuisse deuinctos, sed sponte potius suis cultoribus obsequutos denique decepturos. Nam & natura superior ab inferiore conciliatur quidem aliquando, sed cohiberi nequit. Et dispositio illa syderum paulo ante descripta, concurrere fortè non potest. Quamuis autem dæmones astronomica ratione statuis includantur, tamen vbi per cultum eis exhibitum præsentes extiterint, Porphyrius ait eos regulis astronomicis oracula reddidisse, atque ideò frequenter ambigua, & merito, quoniam Iamblichus probat prophetiam veram atque certam, nec malis dæmonibus conuenire, nec humanis artibus vel natura, sed spiratione diuina purgatis mentibus prouenire. Sed ad Mercurium, imò ad Plotinum iam reuertamur. Mercurius sacerdotes ait accepisse virtutem à mundi natura conuenientem, eamque miscuisse. Sequutus hunc Plotinus, putat totum in anima mundi conciliante facile confici posse, quatenus illa naturalium rerum formas per seminales quasdam rationes sibi diuinitus insitas generat atq; mouet. Quas quidem rationes appellat etiam Deos, quoniam ab ideis supremæ mentis nunquam destituuntur. Itaque per rationes eiusmodi animam mundi facilè se applicare materiis, quas formauit ab initio per easdem, quando Magus vel Sacerdos, opportunis temporibus adhibuerit formas rerum ritè collectas, quæ rationem hanc aut illam propriè spectant, sicut Magnes ferrum, Rheubarbarum choleram, Crocus cor, Euparorium Spodiumque iecur, Spica Muscusque cerebrum. Fieri verò posse quandoque, vt rationibus ad formas sic adhibitis, sublimiora quoque dona descendant, quatenus rationes in anima mundi coniunctę sunt intellectualibus eiusdem animæ formis, atque per illas diuinæ mentis ideis. Quod & Iamblichus approbat, vbi de sacrificiis agit. Qua de re alibi nos opportunius disputabimus. Vbi etiam apparebit, quàm impura superstitio populi Gentilis extiterit, contra verò quam pura pietas Euangelica fuerit, quod magna ex parte in libro de religione Christiana iam fecimus.

(∴) (∴) (∴)

De vita cœlitus comparanda libri III. finis.



MARSILII FICINI FLORENTINI APOLOGIA,

IN QVA

DE MEDICINA, ASTROLOGIA, Vita mundi. Item de Magis qui Christum statim natum salutauerunt, agitur.



Marsilius Ficinus Florentinus, dilectissimis suis in veritatis studio fratribus, tribus Petris, Nero, Guiciardino, Soderino, ter quaterque salutem. Rectius modo Tripetro quàm tribus Petris fortasse dixerim. Sicut enim vbi palma est vna, non faciunt plures in ea digiti manus ibi plures, sic vestra amici corpora tria nihil prohibere videntur, quò minus vnum efficiat Petrum vna voluntas. Faber ille cœlestis patriæ Christus tam ingentem procreauit petram, vt immenso huic ædificio Ecclesiæ suæ vna hæc petra fundando sufficeret. Ego quoque tam grandes nactus sum diuina quadam sorte petras, vt tres nunc meo vel arduo satis ædificio faciant. Nunc vobis amici, nunc si nescitis arx illa Palladis necessaria fore videtur, qua procul à nobis sæuum impiorum gygantum impetum arceamus. Quamobrem vestra primum arce tribus constructa petris, trium librorum meorum vitam, vitæ publicæ succurrentium munire decreui. Scitis (vt arbirror) me de Vita librum composuisse, in libellos tres diuisum. Quorũ primus, de Vita sana: Secundus, de Vita longa: Tertius, de Vita cœlitus cõparanda inscribetur. Igitur esca tituli tam suauis quamplurimos alliciet ad gustandum. Sed in numero tanto ignorantes plerique futuri sunt (vt arbitror) maligni quoque non pauci. Alius ergo dicet: Nonne Marsilius est sacerdos? Est profectò. Quid igitur sacerdotibus cum medicina? quid rursum cùm Astrologia commercij? Alius item: quid Christiano cum magia vel imaginibus? Alius autem, & quidem indignus vita, vitam inuidebit cœlo. Cuncti denique sic affecti, beneficio in eos nostro ingrati nimis erunt; atque aduersus charitatem nostram, qua vitæ prosperitatique publicæ pro ingenij facultate consulimus, non pudebit esse crudeles. Communis igitur erit nobis iste labor, sed vt quodammodo leuior sit, tres enim estis aduersum tres hostes, distributum subite c[illegible]rtamen. Nec inuectiua (noui enim ingenium vestrum) confutabitis inuectiuam, sed alieni fellis amaritudinem (quæ vestra suauitas est mirifica) vestri mellis dulcedine superabitis.

Principio (candidissime Nere) respondeto primis, antiquissimos quondam sacerdotes fuisse Medicos, pariter & Astronomos. quod sanè Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum testificantur historiæ. Ad nullum præterea, magis quàm ad pium sacerdotem pertinere singularis charitatis officia; quæ quidem in maximo omnium beneficio quàm maximè lucent.

Officium verè præstantissimum est pro-

culdubio, quod & maximè necessarium & in primis ab omnibus exoptatum, efficere videlicet, vt hominibus sit mens sana in corpore sano. Id autem ita demum præstare possumus, si coniungimus sacerdotio Medicinam. At quoniam Medicina sine fauore cœlesti (quod & Hippocrates Galenusque confitentur, & nos experti sumus) sæpius est inanis, sæpè etiam noxia, nimirum ad eandem sacerdotis charitatem Astronomia pertinet, ad quam attinere diximus Medicinam. Eiusmodi (vt arbitror) Medicum honorari sacræ literæ iubent, quoniam propter necessitatem húc Altissimus procreauerit. Et Christus ipse vitæ largitor, qui discipulis mandauit languentes toto orbe curare, sacerdotibus quoque præcipiet, si minus verbis vt illi quondam mederi possint, saltem herbis & lapidibus medeantur. Quæ si minus ipsa sufficiant, opportuno quodam afflatu cœli conflare hęc, & ægrotis admouere iubebit. Nam & ipse eodem afflatu cœli animalia passim ad suam quæque concitat Medicinam, vsque adeò vitæ omnium abundantissimè prouidet. Sic instinctu cœlesti diuinitus instigante, serpentes quidem marathro, hirundines autem chelidonia oculis medicantur, aquilæ vexatæ partu, aëtitem lapidem diuinitus inuenerunt, quo feliciter oua statim enitērentur. Itaque Deus ipse, qui per cœlum animalia quæuis ad Medicinas instigat, sacerdotes certè permittit non mercede, inquam, sed charitate Medicinis cœlitus confirmatis morbos expellere. His verò tu deinceps plura etiam si expedierit ingenij tui aculeis addes. Surge post hæc tu Guiciardine vehemens, atque curiosis ingeniis respondeto, magiam vel imagines non probari quidem à Marsilio sed narrari, Plotinum ipsum interpretante: Quod & scripta planè declarant, si æqua mente legantur. Neque de magia hæc prophana, quæ cultu dæmonum nititur, verbum quidem vllum asseuerari, sed de magia naturali, quæ rebus naturalibus ad prosperam corporum valetudinem cœlestium beneficia captat, effici mentionem. Quæ sanè facultas tam concedenda videtur ingeniis legitimè vtentibus, quàm Medicina & agricultura iure conceditur, tantoque etiam magis, quanto perfectior est industria, terrenis cœlestia copulans. Ex hac officina Magi omnium primi, Christum statim natum adorauerunt. Quid igitur expauescis Magi nomen formidolose? nomen Euangelio gratiosum, quod non maleficum & veneficum, sed sapientem sonat & sacerdotem. Quidnam profitetur Magus ille venerator Christi primus? Si cupis audire; quasi quidam agricola est, certè quidam mundicola est. Nec propterea mundum hic adorat, quemadmodum nec agricola terram. Sed sicut agricola humani victus gratia ad aerem temperat agrum, sic ille sapiens, ille sacerdos gratia salutis humanæ inferiora mundi ad superiora contemperat, atque sicut oua gallinæ, sic opportunè terrena subiicit souenda cœlo. Quod efficit semper ipse Deus, & faciendo docet, suadetque facere, vt à superis infima generentur & moueantur atque regnatur. Denique duo sunt magiæ genera. Vnum quidem eorum, qui certo quodam cultu dæmonas sibi conciliant, quorum opera freti fabricant sæpè portenta. Hoc autem penitus explosum est, quando princeps huius mundi eiectus est foras. Alteram verò eorum qui naturales materias opportunè causis subiiciunt naturalibus, mira quadam ratione formandas. Huius quoque artificij species duæ sunt. Altera quidem curiosa, altera necessaria. Illa sanè ad ostentationem superuacua fingit prodigia, ceu quando Persarum Magi ex saluia sub fimo putrefacta, dum Sol & Luna secundam Leonis faciem occuparent, eundemque gradum ibi tenerent, generabant autem merulæ similem, serpentina cauda, eamque redactam in cinerem infundebant lampadi, vnde domus statim plena serpentibus videbatur. Hoc autem tanquam vanum & saluti noxium procul effugiendum. Tenenda tamen species necessaria, cum Astrologia copulans Medicinam. Si quis autem pertinax vlterius instet, morem huic ita gerito Guiciardine, vt ne legat hæc noxia, nec intelligat, nec meminerit, nec vtatur homo, si homo est tanto beneficio prorsus indignus. Multa sunt præterea quæ tu aduersus ingratam ignorantiam in medium afferre tuo ingenio poteris. Quidnam agis & tu strenue Soderine noster? Tolerabis ne superstitiosos cæcosque nescio qui vitam in animalibus vel abiectissimis, herbisque vilissimis manifestam vident, in cœlo, in mundo non vident? Iam verò si homunciones isti vitam minimis concedunt mundi particulis, quæ tandem dementia est, quæ inuidia nec nosse, nec velle totum viuere in quo viuimus & mouemur, & sumus? Quod quidem canit Aratus, Iouem manifestè significans communem corporis mundani vitam. Peropportunè nunc in hæc Arati verba nescio quomodo videor incidisse. Memini Lucam Euangelistam, memini Paulum Apostolum his verbis libenter vti, in quibus mundi vitam sapientes illi non horrent. At verò superstitiosus quidam his

obiiciet, non facilè conuinci ex verbis eiusmodi Paulum assentiri mundum, habere animam, sed tantum subesse Deo, ac nos in hoc ipso Deo viuere. Esto igitur, ne nominemus in mundo quando non placet animam. Nomen anima sit prophanum. Licebit ne saltem vitam qualemcunque dicere? quam Deus ipse mundi faber huic operi suo tam feliciter absoluto clementer inspiret, quandoquidem erga vilissima quæque viuentia non est auarus, & quotidie per cœlum quàm plurimis quæ sunt in eo largissimè præstat vitam Dic amabo, nonne vides boues & asinos, ô bos, ô asine, qui tactu quodam ex se viuentia generant esse viuos? Si ergo hæc præterea ex se viua quædam aspectu etiam generarent an non multo magis hæc viuere iudicares? si quod modo ipse iudicium, si quam vitam habet. Cœlum terræ maritus, non tangit (vt communis est opinio) terra cum vxore non coit, sed solis syderum suorum quasi oculorum radiis vndique lustrat vxorem lustrando fœcundat, procreatque viuentia. Num ergo vitam vel intuendo largiens, ipsum in se propriam nullam habet vitam? Et quod dedit aui Struthio vitam aspectumque viuificum, longè est hoc ipso deterius. His tandem adductis in medium nisi persuaseris, superstitiosum istum mitto semiuiuum, imò verò non viuum. Proinde vt pluribus causam nostram patronis agamus, addito Petre, mi Nere, Amphionem illum nostrum Landinum Christophorum oratorem pariter & Poetam. Ille noster Amphion suauitate mira celeriter lapidea hostium nostrorum corda demolliet. Tu verò Guiciardine charissime compater ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem accersito. Hercules quondam vbi periculosius certandum foret vocitabant Iolaum, tu nunc similiter Herculem nosti profectò, quod barbara monstra Latium iam deuastantia Politianus Hercules inuaserit, lacerarit, interemerit, quam acriter expugnet passim, quam tuto propugnet. Hic ergo vel centum hydræ capita nostris liberis minitantia, statim contundet claua flammisque comburet. Eia mi dulcissime Soderine, surge age, Picum salutato Phœbum. Hunc ergo sæpè Phœbum appello meum, ille me Dionysium vicissim atque Liberum. Fratres ergo sumus. Nuncia Phœbo meo venenosum contra nos Pythonem, ex palude iamjam emergentem. Tendat arcum obsecra, precor. Confestim spicula iaculetur. Intendet ille protinus, scio quid loquar, venenum totumque semel vna nece necabit. Valete iam feliciter amantissimi fratres mei, non valetudine tantum felici, sed ipsa etiam felicitate digni, liberorumque meorum in lucem iam producentium valetudinem felicitatemque curate. Decimoquinto Septemb. M. cccc. lxxxix. in agro Caregio.

(.·.) *APOLOGIÆ FINIS.* (.·.)



QVOD NECESSARIA SIT ad vitam securitas & tranquillitas animi.

MArsilius Ficinus dilectissimis in veritatis venatione fratribus Bernardo Canisiano, Ioanni Canacio, & Amerigo Cursino salutem. Quum primis hic in verbis venationem quandam instituissemus, merito forsan canes statim adhibuimus & cursores. Aptè quidem philosophantes appellauimus venatores, anhela semper veritatis indagine laborantes. Num etiam aptè canes? Aptissimè inquit in Republica Socrates. Philosophantes enim vel legitimi sunt vel spurij. Ambo canes. Illi quidem veritatem ipsam sagaciter inuestigant, modicus inuentam tenent. Hi verò pro opinione latrant, mordent, lacerant. Tantum profectò canes inter Philosophos sibi vendicant, vt non solum seipsos in sectam aliquam inseruerint, sed etiam sectam ipsi suam nomine Cynicam quandoque confecerint. Habet quinetiam suos Academia canes. Huc ergo vos sagaces Academiæ canes, huc vos velocissimi cursores aduoco. Treis enim est. Treis ergo nunc meos precor defendite liberos adhuc teneriores, inter lupos (vt vereor) euestigio prodituros. Currite inquam, alacres, negotia enim nunc vobis optata mando, non curas. Georgium Benignum Saluiatum cognoscitis meum, qui veritatem illam per cuius nunc vos vestigia passim venando discurritis, iamdiu est sagaciter assequutus Qui & fratres suos Solis instar, maior ipse minores illustrat. Huic igitur si quem luporum vlulatum audieritis,

nunciate. Fortissimus ille Georgius omnes facilè fugabit lupos, qui & vastu m draconem quandoque transfixit. Ille me igitur, ille solicitudine simul & vos cura leuabit. Solet enim inter vos aliquis,& quidem tam sæpius dicere, nihil ad vitam salubrius experiri, quam magna cum securitate tempora deglutire. Cæteri verò dicenti protinus arridere. Sed dic age Canaci, quidnam hoc tuum est toties repetitum, Tempora deuorare? Quid denique tibi vis? Non esse inquies,sed bibere potius, non mandere vel conterere, sed faucibus plenis ingurgitare. Siquidem tempus ipsum natura quædam est liquens(vt ita dixerim)atque labilis. Liquentium verò hæc conditio, vt si cohibeas in angustum,subitò perdas. Difluunt enim coacta celeriterque diffugiunt. Si aquam spongiæ imbibitam fortè compresseris, exprimes eam, statimque disperges. Si latius hanc tenueris, retinebis, multo magis aërem, ignemque & ætherem. Hinc apud Poëtas frustra contendunt, qui ampla diuorum maniumue simulachra vlnis capessere moliuntur. Latè admodum accipienda sunt latissima. Liquentia & amplissima sunt amplissimè possidenda. Tunc certe grauiter nos premit angustia, quando animum ipsum motumque eius naturaliter amplum, redigimus in angustum. Quicunque studia negotiaque pensitant examussim, & in minima quęque semper exactisimè deterunt, vitam interea suam, heu suam vitam clam miseri conterunt. Rectè igitur Pythagoras præcepisse videtur. Caue ne quando in angustum fortè cohibearis, nihil cœlo amplius, nihil est vitalius. Angustissima vicissim terra vitam habet in mundo quam minimam. Denique si cœlo temporeque viuimus, quanto hæc latius absorbemus, tanto viuimus & diutius. Viuite ergo læti ab angustia procul ô amici. Viuite læti. Lætitia cœlum vos creauit sua, quam suo quodam risu, id est, dilatatione, motu, splendore declarat quasi gestiens. Lætitia cœlum vos seruabit vestra. Ergo quotidie in præsens viuite læti. Nam solicitudo præsentium rapit vobis præsens, præripitque futurum. Curiositas futurorum celeriter in præteritum traducit. Item igitur precor atque iterum, viuite læti. Nam fata sinunt, dum securi viuitis. Sed vt reuera sine cura viuatis, ne vnam quidem hanc curam sumite, qua soliciti curetis vnquam, qua potissimum diligentia curas effugiatis. Vna enim cura hæc mortalibus heu miseris omni cura corruit. Negligite igitur diligentiam, negligentiam verò diligite, atque hanc etiam negligenter, quoad licet vobis inquam, atque decet. Hæc autem non tam vt sacerdos amici mando vobis, quàm vt Medicus. Nam absque hac vna tanquam Medicinarum omnium vita, Medicinæ omnes ad vitam producendam adhibitæ moriuntur. xvi. Sept. M.cccc.lxxxix. In agro Careio.



ANDREAS LENNIVS, Medicinæ studiosis. S.



NOn abs re nobis visum est his de Vita libris, eiusdem Authoris Epidemiarum antidotum, veluti coronidem adsuere, quam ille quidem sua vernacula lingua, hoc est Tuscana, precibus amicorum conscripserat. Nunc verò hic vitæ thesaurus à Hieronymo Ricio Ticinensi in coloniam Romanam deriuatus est, vt si vnà cum voluptate & commoditatem metiaris, non sit aspernabilis. Traduntur in eo morbi, ne dum definitiones, causæ morbi effectrices, signa, verumetiam prophylacen, & præsentis mali curationem, variis diuersisque corporibus accommodatas, mira breuitate, simul atque facilitate perstringens medelas. His fretus præsidiis vitæ & sanitatis rationem ineas, tibique persuade.

Ἀνδρὶ δ' ὑγιαίνειν ἄριστον ὥς μοι δοκεῖ.

MARSILII FICINI FLORENTINI,

MEDICI ATQ; PHILOSOPHI clarissimi Epidemiarum Antidotus,

EX IDIOMATE THVSCO à Hieronymo Ricio latinitate donata.



PRAEFATIO.



OPeræpretium duxi (patriæ pietatis impulsu, aliqua consilia contra pestilentiæ morbum conscribere. Vt verò quisque huius penetrare intelligentiam & curam exercere possit, institui subtiles omnes longasque disceptationes reiicere. Satis namque erit, quod quicquid in præsentia sum traditurus, etsi breui verborum contextu haud plura dici queant, sufficientibus tamen rationibus, multorumque tam priscorum quàm recentiorum Authoribus & experientiis, præsertim Patris nostri Marsilij Ficini, inter Medicos præcipui, qui haud paucos hac labe infectos pristinæ sanitati restituit, & comprobatum est & traditum. Imploramus itaq; Deum Optimum Maximum humanæ vitæ largitorem, necnon verarum salutariumque medicinarum reuelatorem, vt contra pestis pericula efficacia nobis detegat remedia, vtque suum vitale donum nobis ad laudem gloriamque suam conseruet.

Quid qualisve sit pestis.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



PEstis, venenosus quidam vapor est in aëre concreatus, vitali inimicus spiritui, non quod propter elementarem aliquam qualitatẽ sibi contrarietur, sed specifica quadam proprietate. Veluti Theriaca, amica quidem est, non quia calida sit vel frigida, sicca vel humida, sed quoniam eo vniuersa eius compositione forma resultat quædam, vitalis formæ spiritus accommodata. Sic & pestifer ille vapor non quia calidus, frigidus, humidus vel siccus, naturæ inimicus est, sed quia sua proportio quasi ad amussim proportioni contraria est, in qua spiritus consistit in corde vitalis. Et quemadmodum continuò in terra nascuntur venena, sic sæpenumero nascitur venenosus in aëre vapor, attamen non ita potens, quia magis spargitur. Nec puro stabiliri potest in aëre, quousque talis aër est spiritui conformis, & igni, qui ex suæ naturæ potentia alterius non recipit naturæ mixtionem, vnde fit quod vllam capiat putrefactionem. Sic purus aër nullam recipiendo mixtionem, putrefieri minimè potest.

Rursus, venenosus huiusmodi vapor, humano ei solùm applicatur corpori, in quo

apti ad febrem extant humores, vtpote qui ad putredinem inflammationemque sunt dispositi.

Etenim, si vitalis potentior ipso fuerit spiritus, procul à se pellit, si verò debilior, fugit eumdem, suum veluti contrarium opus. Quapropter est ex vsu, aërem, humores, & denique cor corripere, purgare, roborare. Notandum (vt rectè capias) cùm dico venenosum hunc esse vaporem, tu ne credideris ipsum fore talem secundùm formam, & totam sui naturam, quia omnes inde inficerentur. Sed huiusmodi est qualitatis, vt quàm facillimè in veneni naturam transeat. Et propriè venenum efficitur, quando per ipsum in humano corpore, certo quodam gradu putrefiunt humores, simul & ebulliunt. Quod communiter die tertia solet accidere, & interdum citius, maximè vbi quis superfluis abundat humoribus, presertim sanguine & cholera. Et quando iam veneni suscipit naturam calcis vel arsenici, qualitatem recipit, cuius effectus est putrefacere, rodere, ardere intus & extra. Summe igitur necessum est, vt his trinis effectibus, potissimum interius, omni qua possumus industria resistamus.

Epidemiæ ortus causæ, & quæ potissimum huic malo obnoxia sint corpora.

CAPVT II.

COncreatur huiusmodi vapor in aëre, vniuersalioris tempore pestis ex malignis quibusdam constellationibus, præsertim ex Martis cum Saturno coniunctione, & ex luminarium eclipsibus. Qualis est præsens pestis, in anno, scilicet, millesimo quadringentesimo septuagesimonono; & qualis etiam fuit anno eiusdem millesimi, octauo, & hoc potissimum lædit homines. Hisque grassatur in locis, quæ horoscopum siue suum ascendentem ob prædictos syderum aspectus infortunatum habent. In magis verò particularibus pestilentiis, præfatum nescitur venenum ex ventis & malignis lacunarum cloacarumque vaporibus, atque pariter ex terræ motibus. At verò data istarum quacumq; causa semper tamen grosso potissimum regnat in aëre, inque paludoso, nebuloso, fœtido. Et quando subtilem ad aerem extenditur, penetrat, velociusque interimit, ac citius, frequentius, diutiusque in grosso, calido, humido, fœtidoque aëre regnat. Asserunt Doctorum nonnulli pestilentialem putrefactionem subtili prius, post verò grossiori aëri, sed multo puttibiliorem in grosso. Haud scio quo mentis discursu, quo fundamento primæ sit mihi parti adhærendum, cùm contrarium experientia monstret. Præterea nobis ratio dictat, quod cùm non purum, sed tantummodo mixtum elementum putrefieri possit, quò minus est mixtum, quemadmodum esse constat subtiliorem aërem, eò minus aptum est ad putrefactionem. Et propterea eam non nisi per assiduum suscipit augmentum pestiferæ syderum influentiæ. At veluti grossior, mixta & stabilis aqua facilior putrefieri solet, sic vtique haud difficulter putrefactionem recipit grossus & nebulosus aër. Hoc dat præceptum Raimundus, quod peste inferius excitata altior subtiliorque petendus est aër, sed orta superne, duos menses primò fugiendum est deorsum ad grossiusculum frigidum, humidum, purumque aërem, vbi rara esse soleat infirmitas. Sequentes verò duos menses ad mediam aëris regionem, deinceps ad paulò altiorem, videlicet siccum, frigidum & subtilem, semper fugiendo calidum, humidum & nebulosum. Quo in aëre tales sunt homines, quales turbidis pisces in aquis. Id insuper facit pestilentialis aër in hominibus, quod caliginosæ putresque in piscibus aquæ. Sed quod hominibus venenum est, non oportet vt semper tale cæteris sit animantibus, propter cœlestium signorum, ac animalium specierum diuersitatem. Hinc oritur vt de illorum opinione quid dicam, ignorem penitus, asserentium quando pestilentiale incipit in aëre venenum, quod tunc quæ semper in alto degere solent auiculæ, descendunt ad ima, & planitiem inhabitant. Sed quando in terra oritur, tunc lumbricos & serpentes exire dicunt de sinu terræ, & auiculas, quarum consuetudo est volare, habitareque ad imum, sublimia petere, & montes adire.

Addunt præterea, quod quando primùm in aëre, post verò in terra venenum accenditur, interdum fugiunt animantia ex alto deorsum, & exinde rursus altiora repetunt. Hinc est quod vulgò dici solet; vultures seu miluos pestilentiali cedere aëri, & quæ loca huiusmodi tenent milui, pestifero non subesse aëri. Sæpius audiuimus hanc contagionem ab hominibus transiisse ad porcos. Fieri forsitan id potuit per aliquam non quidem spiritus, sed carnis similitudinem. His proximè elapsis diebus semel atque iterum

rum pestilentiæ morbum ex vna in alteram domum tulere feles & canes, ipsis tamen nulla ex parte hac contagione læsis. Nec vlla te propterea admiratio capiat, quod interdum sine omni nocumento, homo vel bestia prædictum suscipiant vaporem, ac tamen alios inficiant. Ignitum namque ferrum stupam consumit & paleam, ipsum verò nullatenus consumitur. Hoc enim ex recipientis subiecti dispositione prouenit, in quo potissimum secundùm Aristotelem, Galenum & Auicennam, rei consistit effectus, itavt his proximis diebus bimus nostro in rure puerulus integro stetit die, infecto cum puero, annorum plus minus septem, cibo sæpius vescebatur infectiore pueri masticato, neque vllam ab ipso morbi labem suscepit, qua tamen correpti fuerunt alij longiusculè distantes. Nec nimiam habeas tua in dispositione fiduciam, cogitando te eius esse valetudinis vt minimè hæc tibi timenda sit contagio, sed hunc Physicum obserua Canonem. Quod quando multum disposita est materia, agens tunc causa quantumcunque imbecillis, citò producit effectum, sic accendit stupam & sulphur fauilla ex suscipientis aptitudine. Et contra potentissima quæ fuerit causa, etiam in non dispositam operatur materiam. Et licet sulphur ignis suscipiat operationem citiùs quàm lignum, & siccum lignum minuteque incisum, facilius quàm cætera ligna, ardens nihilominus fornax ligna statim rapit in flammam, & grassiora & viridia, eo quòd summa agentis potentia citò disponit atque informat. Et multoties pestifer huiusmodi vapor fit suarum vi causarum potentissimus, nec scire tu poteris quando scilicet hoc fiat. Et licet vno in tempore talis non adsit dispositio, est tamen futura in alio.

Quo pacto & quales temperaturas pestis ex contagio feriat ocyssimè.

CAPVT III.

VEnenosus iste vapor adeò subtilis, sæpenumero existit, vt visu diiudicari nequeat; interdumque dissoluitur, sed facilè exinde regeneratur, manente ad hoc ipsum disponente, influentia, iamque tametsi pusillus à principio fuerit, tamen multomagis quàm sulphur, cùm accenditur, velociorique cursu de loco in locum expanditur, & longè magis contrariatur vitali cordis spiritui, qui est vapor ex subtili sanguine, quàm sulphur naso. Eiuscemodi vapor solùm in dispositis ad hoc corporibus infecto ab aere accenditur, sed postquam est accensus, corporibus mira velocitate facilitateque, accensum veluti sulphur, plus quàm antea circumquaque dilatatur, præsertim quando subtili in humore, & tenui æstatis aëre accensus fuerit, & spargitur, salitque ex vno in alterum corpus. Accenditurque potissimè vbi maior est naturæ similitudo, & in corpore excrementis pleno, cum fœtidis intus & extra vaporibus, & in cibis humoribusque superfluis, & ad inflammationem putredinemque aptis, & vbi calida est materia, & humida, corve coitu debilitatum. Et pariter in corpore passionibus animæ defatigato, & vltra modum calido, quodve balneis est assuetum, cuiusve pori sunt nimis patentes, seu multum opitulati. Hæc quidem Galeni & Auicennæ fuit sententia. Pueri & fœminæ multum ad pestem sunt apti, eo quod tenuis mollisque materia ad transmutationem est facilior, & pleni sunt humoribus ad putredinem aptis, estque præter modum & ordinem illorum vita. Quemadmodum enim perturbat confunditque vinum calidus ventus & grossus, sic pestifer iste vapor inficit cogitque circumquaque ad cor, primo spiritus, postmodum humores, qui iam putrefacti ebulliunt.

Est verò hæc ebullitio febris ipsa, quæ per vniuersum inde spargitur, plus quàm cæteræ bullit seu inflat, quia tanta est venenosa materia, vt natura quantum potest, principalibus à membris hanc statim conetur expellere. Iste quidem vapor omnem maculare potest humorem, sed potissimum sanguinem, secundò choleram, tertio phlegma, quartò verò melancholiam. Vnde fit quod magis huic subiiciuntur periculo sanguinei, paulò minus cholerici, postmodum phlegmatici, & minus reliquis melancholici, quia frigidus & siccus humor ad inflammationem & putredinem ineptus est; & maximè quia strictos habent meatus, per quos transire venenum oportet. Idcirco senes minus sunt pestifero morbo obnoxij, licet huius anni pestis nec seniores etiam reliquerit intentatos. Cuius fortè ratio fuit, quod vltra cæteros aduersos syderum aspectus; Saturnus retrogradus Dominus fuerit anni. Est mirum dictu, quod licet ex vrbe nostra Florentina vniuersus fermè populus aufugerit, omni tamen die vita functi circiter centum & quinquaginta.

De signis indiciisque pestis.

CAPVT IIII.

QVæ verò signa indicent, quibus febrem esse pestilentiam faciliter & clarè deprehendatur, haud tam facilè ostendere quisquam potest, propter tam multiplicem accidentium diuersitatem & fallaciam. Hoc enim testatur vniuersus Doctorum conuentus, præsertim Auenzoar & Rasis. Erit namque clara interdum vrina, eò quod non pertingent ad hepar humores, apparebit modica febris, eo quod non erit calido in humore venenum, seque propterea non diffundit ad extra, sic statim morietur patiens. Videbitur interdum restitutus, eo quod natura primo in aggressu venenum à corde depulerit, tamen paulò post destituetur spiritu, eò quod potens non erit secundum pellendi aggressum. Ex quo primò lassata fuerit conflictu, etiam quia venenum multiplicatum est, vel magis mutatum in malignum, vel propinquius factum cordi quàm prius. Omnes ferè in principio aliquantulum in melius tendere videntur, quia tunc robustior natura tantùm contra hostem omnes colligit vires, verum in aliis minus malis ægritudinibus, ad tam repentinum tantumque non inducitur conatum. Videbitur præterea virtutis robur obtinere, quia dictum venenum non aliis vt cordi membris à principio contrarium est, & quando ipsum cor aggreditur statim interimit. Quare his in temporibus haudquaquam conuenit morbi signa examinando moram trahere, quia falleris, nec te natura expectabit, nisi administrando remedia festinaueris. Hac igitur de causa his cùm temporibus febrem adesse conspexeris, præsuppone quod absit, vel citò futura esse possit pestis, ac ei pestilentialis curam febris administra, & & eò maximè quod quamdiu venenosa durat aëris influentia, omnis superfluus humor facilè inficitur. Et omnis quæcumque fuerit infirmitas, in pestilentiam facilè transire poterit, febres præsertim furiosæ & continuæ. Vnde communiter euenire solet, quod hoc morboso tempore nulla præter pestem ægritudo appareat. Quod si aliæ & multiplices quidem apparuerint ægritudines, tunc pestilentia remittitur & cessat.

Sunt nonnulla pestilentialis febris signa, videlicet febris continua, absque ordinata & manifesta declinatione, cum anhelitus & pectoris angustia, cum repentina pulsus debilitate, cum vniuersi corporis grauamine, præcipuè capitis, phrenesi, anxietatibus, ardore, siti, sanguineis maculis pluribus in locis, cum vrina grossa, turbida, qualis est iumentorum. Memineris tamen quod signa fallunt. Aduerte insuper, quod quicumque puer eo tempore vermium laborarit infirmitate, dici poterit pestilentia infectus, quia est materia ad pestem disposita, vt sulphur ad ignem. Hoc multi nescientes Medici, iuuandi studio post sunt fraudati. Et ex signis propinquæ pestis vltra aëris turbiditatem, & animalium ex putredine genitorum abundantiam, est principaliter vermium multitudo, variolarum & morbillorum, febriumque continuarum & conclusarum, vrinæ turbidæ, oculorum rubores, excoriationes palati, phrenesis, & vniuersaliter quacumque in febre, qua se versus cor frequenter dirigit humor, humanam significat complexionem ad pestem esse dispositam. Scias iterum, quando multo tempore pestifer vapor in aëre durat, tunc aquam terræque fructus inficit, propterea tutius est aquam decoquere, vel ferratam, scilicet aquam conficere, cum eaque vinum lymphare, quia vinum fumosum est, & non conuenit, iuxta Auicennæ & Rhasis sententiam his in temporibus merum, vtpote purum. Opportunum præterea aliqua quæ sumuntur in cibum rebus boni odoris corrigere, & cum salsis acetosisve saporibus, præsertim quando pestis post terræ motum oritur. Præstiterit quoque non parum rebus vti aridis, in locis odoriferis, & æditis locis nascentibus, & inhabitare montes & colles.

Prophylactica cura à diæta & victus ratione in statu pestilentiali.

CAPVT V.

ABstinendum est tempore pestifero à rebus inflammantibus, & nimis aperitiuis, quia ad venenum suscipiendum disponunt. Videlicet, cauendum est extra à Solari calore, pariter à calore ignis, vestimentorum, & intro, à sale, à speciebus & medicinis calidis, similiter ab herbis intensæ caliditatis, à multo vsu acrium, excepto cæpe & chicoria, vel raphano cum aceto, quia veneno aduersantur. Item, à vino nimium fumoso, ab exercitio post cibum, præsertim tempore calido, & à sudore, quia humores alterat, & in aëre infecto, non licet se multum

aëri exponere, nec excessiuo sub dio exercitio, quia calefaciendo, & poros aperiendo, statim multum de aëre suscipit infecto.

Idem, abstinendum absfacientibus oppilationem, & putrefactionem, quia pestilentialis dant febris materiam, qualia sunt viscosa, frigida & humida, præsertim quando aliquid accidentalis seu extranei caloris suscipiunt. Etiam à viscosis, calidis & humidis, vbi humidum calido prædominatur & malè decoctum est, & vt summatim dicam, humiditas putrefactionis est mater. Et quæ extra nos difficulter conseruantur, etiam in nobis haud facilè conseruari poterunt. Vitandi igitur pisces quantum fieri poterit, in quorum genere parui minus nocent pisciculi, & qui ex flumine sunt claro, petroso, & currente, frixi in oleo cum sale, & immersi staphisagria seu aceto, aut succo aranciorum cum sale & modico piperis, vel cinnamomi. Etiam vitandum est lac & omnia recocta. Quod si eo vti volueris, sit primum inter alia cibaria & modica quantitate cum parum sacchari. Fructus vitandi sunt omnes, exceptis amygdalis, cerasis acetosis, pyris chrysomelis, persicis, pomis cydoniis, auellanis, prunis siccis, prunellis, mespilis & cornulis, malis apiis, malis granatis, malatestis. Cæteris verò fructibus nequaquam vtere, vel raro, vel rarissimè. Poteris tamen diutius vti fructibus & herbis frigidis, siccis & acetosis, vel aliquantulum amaricantibus. Sed vtendo fructibus calidis & humidis, vt sunt ficus, vua, mora, cerasa dulcia, fac sint modica, & immediatè post comede pomum anaranciæ cum sale.

Præterea si vteris frigidis & humidis, vt sunt melones, pisces molles & teneri, pruna pinguia, sume post aliquid fœniculi, & pomi anarantiæ cum sale, suprabibendo parum vini boni & odoriferi. Vitare etiam debes fungos & herbas humidas, portulacas, cucurbitam, & omnem humiditatem, necnon & rem quæ facilis est putrefactionis. Cauebis quoque fructus & res nimium dulces & humidas herbas, permitto tibi lactucam permixtam mentæ vel cinnamomo. Eandem quoque corrigere poteris cum basilicone, cariophilato minutissimo & quasi ad rubedinem quandam tendente, odorem habente cariophilorum, est enim cordi gratissimum. Concedo etiam tibi cucurbitam, & herbam, quæ Tusca lingua Selbastrella appellatur. Rursus aduerte, ne te Rasis sententia fallat, quæ tempore multum calido admittit olera & fructus frigidos & humidos, quia Ægyptum inhabitabat vbi extrema est siccitas, vbi eiusce modi fructus & olera sunt exquisita à natura decocta. Cautus igitur esto, ne talem præsumas licentiam in regionibus non similibus Ægypto.

Notandum insuper quod res acetosæ, asperæ & acres in conseruatiuo æquè ac curatiuo administrandæ sunt regimine, quia periculum potissimum imminet in calido & humido, & in putrefactione illinc dependente, in spirituum resolutione, inque accessione veneni ad cor. Res itaque prædicti saporis omnibus iam dictis obsistunt malis, quia refrigerant, desiccant, conseruant, confortant, restringunt, & vniunt. Operæprecium hic est meminisse, quod res nimis acres, vbi timetur pectoris strictura, aut stomachi debilitas, temperandæ sunt in saccharo, sale & lacte amygdalarum, cinnamomo, pipere, fœniculo, croco, ouis, & modico pinguedinis. Commendo plurimum panem speltæ, hordei, & fercula ex his condita. Item biscocta, risum, passulas tendentes ad acredinem, panem optimi grani sufficienter coctum cum modico salis. Vtere sæpius capparibus cum aceto, & aliquando eo genere casei, quod Florentini Marzellinum vocant. Vitandus est caseus multum pinguis vel salsus. Nec laudo tibi caules nec legumina, exceptis lenticulis. Prohibeo super omnia phaseolos, nec laudo multum rapas spinachias. Concedo tibi petroselinum & pastinacas. Prohibeo autem erucam, cariotas, sapam, sinapi, citrullos, melones, bacellos, cicer recens, cucumeres, cerasia dulcia & mollia, vuas, ficus dulces & mora. Nec te repleto nimio vino, carnibus, & ouis, ne nimium sanguinem, choleram, putrefactionem inflammationemque multiplices. Vtere ouis cum agresta & aceto, & pomis arantiis. Carnes sint leues & siccæ, benè coctæ, pulli, auiculæ, hœdi castrati, pipiones, turtures, & syluestres auiculæ. Si vsus fueris carnibus humidis sint assatæ, sed fac vt intus per totum bene impleantur cum acribus condimentis & acetosis, cum modico piperis, cinnamomo, coriandro & sale. Vina turbida sunt omnino noxia, & præsertim musta. Esto in cibo & potu plus solito parcior, cibus sit aliquantum copiosior potu. Nec tamen volo, vt nimium feras sitim & inediam. Caue stomachũ fastidire permittas, sed eum præserua cum cibi & potus mediocritate, cum exercitio & ieiunio, cum appropriatis euacuationibus. Abstine à coitu & passionibus animæ excessiuis, nisi forsitan per coitus abstinen-

tiam te omnino grauatum perceperis. Ad mentem reuoca dictum Auicennæ tertio naturalium, quod superflua per coitum seminis euacuatio plus nocet quàm si quadragesies tantum exiret sanguinis. Dixit Hippocrates, coitum speciem esse quandam morbi Epilepsiæ. Caue ab aëre multum nubilo, denso, recluso & humido, ac scias aërem qui non frequenter mouetur & innouatur, vbi nec ventus, nec Sol penetrat, nec purgat, facilè mixtionem suscipere & putrefactionem venenosam, veluti immobilis aqua. Ab hominum te turba semoueto, præsertim existens ieiunus, & quando calidum successerit humido, humidum calido. Declinato etiam aërem nimis calidum, quia aperit & nimis debilitat. Habitatio tua sit spaciosa, sicca, aërem recipiens siccum continuo, & tempore æstatis subinde recentem. Caue quando multum incalueris, ne te protinus exponas frigido vel humido, nebuloso, & vento calido & humido, præsertim in locis infectis, & de infecto loco veniente, etiam ab omni vento de prædictis locis flante, nisi fuerit nimis longè distans, aut fractus pluuiis. Ventus autem qui aërem infrigidat & siccat & serenat, sua natura est salubris, si eum cum temperamento receperis, & est principalis Medicus contra huiuscemodi venenum. Magnam adhibe curam vitando ventos à stagnis vel paludibus venientes, aquas fuge putridas, herbas continentes, immaceratumque linum, & quemcunque prauum odorem. Procul esto à caulium nucumue odoribus, & fœtidis ab herbis. Abstinendum item à balneis, à somno meridiano, ab adhærenti arctoque hominum consortio. A turba fuga cito & procul ac tarde reuertaris, quoniam longo durare solet tempore venenum, ad offendendum perquàm promptissimum. Vtere cibis siccis, optimi saporis, acribus, acetosis, vitando brodium, pinguedinem, dulcia, viscosa, vinis subtilibus, claris, odoriferis, aliquantulum fumosis, sed parum acetosis non dulcibus, dilutis aqua multum subtili & clara. Summa, omni tempore à rebus caue sanguinem generantibus aut nimium, aut aquosum, grossum & turbidum, & pariter quamcunque rem stomacho nocentem. Hæc est regula cibi potusque. Vtilis est, indicio meo, omnibus superspersa cibariis talis specierum compositio. Accipe sandalorum rubeorum vnciam dimidiam, cinnamomi electi drachmas tres & dimidiam, croci drachmam dimidiam. Gentilis omni tempore his vtitur speciebus. Sume cinnamomi semunciam, mannæ drachmam vnam & dimidiam, cariophilorum, been albi & rubei drachmam dimidiam, corallorum rubeorum drachmam vnam, cardamomi drachmas duas, croci drachmam dimidiam, sacchari ad pondus omnium. Item nonnulli aliã habent descriptionem, & est talis. Cape margaritarum drachmas duas, corallorum alborum & rubeorum drachmam vnam, croci scrupulum vnum. Item, Sume cinnamomi vnciam dimidiam, cariophilorum drachmam dimidiam, corallorum rubeorum scrupulos duos, croci drachmam dimidiam, sacchari ad pondus omnium.

Pro primo cibo vtile est, nisi te calor offenderet, sumere ficus, rutam, & nuces cum sale, præsertim tempore frigido vel humido. Notandum quod speciebus multum calidis, vt est quarta compositio ex his quas narrauimus, vtendum est solum in ferculis multum humidis, frigidis & acetosis, aliis verò vti possumus in omnibus. Post cibum magno sunt adiumento semina coriandri præparati, & etiam secundum Auicennam ieiuno stomacho, qui hæc ipsa tali in causa plurimis effert laudibus. Vtere ieiuno stomacho frictionibus bene, pectina capillos, omnem expurga superfluitatem, vniuersum corpus mundum conserua. Matutino tempore ignem præpara temperatum, & interdiu quandoque, præsertim humidis temporibus. Bonis sæpius odoribus domum suffumigato, similiter & vestimenta. Admoueas naso pariter & ore teneas vbi plus opportunum fuerit, aliquid theriacæ, aliis verò in locis siue temporibus corticem citri, zedoariam, vel modicum thuris, manu etiam supradictum gestare poteris cedrinum pomum. Cape ladani drachmam vnam, been albi & rubei, rosarum rubearum ana drachmas duas, styracis liquidæ scrupulum vnum, myrrhæ, mentæ, cariophilorum drachmam vnam, sandalorum alborum & rubeorum, camphoræ ana drachmam dimidiam. Fac pomum cum aqua rosarum muscata, suspende collo cornu vnicornis, hyacinthum, topazium, smaragdum, vt pectus tangat, & etiam in ore. Dixit Auicenna, fore necessarium vt hyacinthus & similia, à naturali calore nostro calefiant, qui illorum ad actum producat virtutes, vt operentur in nobis. Fer tecũ etiam in manu ad odorandum poma odorifera, præsertim citri, limonum, aranciorum & cætera. Sæpius ablue os faucium, & manus aceto, & aliquando cum vino potenti. Nec omittas

odorem mentæ, melissæ, querculæ, rutæ, violarum rubearum, & myrti. Vtere odoribus frigidis, quos tempora cum calidis, ita tamen vt frigidi prædominentur præsertim calidis temporibus, quia calidus per se aperit odor & inflammat, quamuis aerem purget.

Super omnia cura, vt hoc facias, scilicet permisce æquali parte acetum rosatum album & aquam rosarum cum vino albo potenti, cum modico zedoariæ vel corticis citri, de qua sæpius modicum aliquid bibe, & sæpius cum ea manus ea lauato & faciem. Defer tecum in spongia cum ligno fraxini, & laua etiam cum eisdem manè & serò tepidis, vniuersum corpus. Vtere temperato exercitio sub tecto, quando es in locis infectis, ieiuno stomacho, sitque locus exercitij spaciosus, aliis autem in locis facies exercitium sub diuo & pariter ieiunus. Rustici bibant loco vini acetum permixtum aquæ. Admoneo omnes, vt non nisi summa cum cautela res tangant ex infectis locis allatas, nec quicquam gustent ex illis nisi coquatur, mundetur, vel abluatur. Haud equidem scio an dicere in præsentia debeam, an silentio potius præterire. Quod Doctorum nonnulli sæpius ieiuno stomacho dare solent in potu, vrinam pueri recens emissam, vel lixiuium. Detur oro remedio rusticis accommodato.

Præseruatrix curatio Epidemiæ. De pilulis & pulueribus præseruatiuis.

CAPVT VI.

NEcessaria nobis est bis in hebdomada, ipsa omnium compositionum regina, cœlitusque tradita theriaca. Vera quidem theriaca, vt eam noscas saporem longa mora in ore conseruat, & stypticitatem ingerit ventri, ætatis esse debet annorum quatuor, & non vltra duodecim, de ea debet antea fieri experientia in venenatis animalibus. Theriaca electa iuxta Galeni, Auerroisque sententias, securum reddit hominem ab omni veneno, morboque venefico. Etiam in ipsa pestilentiali febre admittitur. Dicit Galenus se inuenire theriacam plusquam res omnes diuinam in conseruando & curando. Dixit Moses Ægyptius, mirabilem factum esse cum ea experientiam in pestilentia Antiochensi. Nec silentio transeundum puto Galeni typum dicentis. Pestem esse draconem cum corpore aereo, qui venenum contra hominem spirat & theriacam purgatorium quoddam esse, purgans venenum & draconem domans. Accipiatur post cibum horis nouem, & ante cibum horis sex vel septem. Qui eam sumere non potest, saltem cordi apponat & stomacho nasoque & pulsibus, frequentius detur drachma vna prouectis aliis verò drachma dimidia, seu scrupulus vnus. Qui calidæ sunt temperaturæ, bibant æstiuo tempore sumpta theriaca tertiam partem cyphi aquæ rosarum cum modico aceti rosati, alij scilicet alterius complexionis, & alio tempore, sumant cum vino albo permixto cum aqua scabiosæ & melissæ. Quod si theriaca non affuerit, vel non competens fuerit tuæ naturæ, sume mithridatum. In aliis diebus hebdomadæ sume pilulas contra morbum saltem horas quatuor vel quinque ante cibum, vnam scilicet aut duas, vel plus, secundum complexionem, superbibendo parum de vino albo cum aqua scabiosæ & melissæ temporibus frigidis, vel cum aqua rosæ & cum aceto rosato temporibus æstiuis. Pilulæ antiquiores sunt istæ. Sume myrrhæ, croci, ana vnciam vnam, aloës vncias duas, sed quia nimium aperiunt, calefaciunt, resoluuntque spiritus, ideò nonnulli abluunt ipsum aloë, & addunt terram sigillatam, vel bolum armenum secundum dosim myrrhæ, sed eligibilius est bolus armenus. Nonnulli componunt sic. Accipe aloës drachmas sex myrrhæ drachmas tres, seminum citri scrupulos duos, tormentillæ drachmam dimidiam, croci drachmam vnam, reubarbari drachmas duas, cariophilorum scrupulum vnum, agarici, corticum citri, sandalorum rubeorum ana drachmam vnam seminum citri scrupulos duos, seminis acetosæ drachmam vnam cum dimidia, corallorum rubeorum drachmam vnam cum dimidia, boli armeni drachmas tres, camphoræ grana duo, confice cum syrupo de citro. Auicenna & Auerrois dicunt, qui vtitur aloë, myrrha & croco nunquam periclitabitur peste. Prædictæ compositiones temperant illorum qualitatem, & virtutem augent. Sed multo meliores compositi Nicoli, secundum quam veræ pilulæ sunt istæ. Sume myrrhæ, croci, boli armeni, charabæ, corallorum rubeorum, ana drachmam vnam, emblicorum drachmas duas, aloës læti ad pondus omnium, fient pilulæ cum vino albo, odorifero Credo quod essent nobiliores, & magis ad propositum, si loco emblicorum ponerentur terræ sigillatæ drachmę duæ, & boli armeni drachmæ tres, fiant pilulæ cum acetositate citri, & accipiantur cum vino albo, aqua rosata, aceto rosato.

In aliis vero sequatur compositionem prędictam. Fac autem vt aloe sit splendidum, leue, aliqualiter rubescens, delicatum, odoriferum, frangibile, pinguescens, & immittendo super ipsum flatum, madescit. Sit & myrrha clara, & corallus delicatus, absque theriaca & dictis pilulis non bene fieri poterit præseruatio Itaque præ omnibus aliis vtere duobus prædictis, scilicet theriaca, duobus diebus diuersis, & pilulis tribus saltem, quia desiccando humiditatem præseruant à putrefactione. Etiam fortificant cor, stringunt meatus, ne venenum transitum habeat ad cor & ipsum illinc depellunt. Videtur mihi quod aloë in prædictis pilulis, quando sunt tempora humida & frigida, similiter & complexio, non debet lauari; sed in aliis temporibus & complexionibus sumere pilularum compositionem in pulueribus, melius est solùm quando opus est festinatione. Potest etiam sumi ante cœnam tribus horis, vel quatuor, sicut etiam ante prandium. Poteris etiam semel in hebdomada, vel duabus vicibus autem plus, quando pilulæ offenderent (licet nullius sint offensionis) in tempore hyemali & humido, loco pilularum sumere ficum siccam cum dimidio nucis, cum modico rutæ & parum salis, superbibendo parum aquæ rosarum, vel aceti rosati. Quod si & istud te offenderet, vtere loco illius nō accipiendo aliquid aliud parum panis tosti intincti in vino albo potēte, cū pomo aranciæ madefacto in aceto rosato, & intincto cinnamomo. Sunt nonnulli qui dant huiuscemodi pilulas sero vel mane, vnam scilicet pro vice. Sume ligni aloës, drachmam dimidiam, tormentillæ scrupulos duos, dictami albi scrupulum vnum, zedoarię drachmam dimidiam, croci drachmam vnam, berberis drachmam dimidiam, cornu cerui adusti scrupulos duos, sandalorum rubeorum scrupulum vnum, seminis acetosæ & corallorum rubeorum, boli armeni ana drachmam vnam, camphoræ scrupulos duos, gemmarum ex quibus fit electuarium de gemmis, drachmam dimidiam, margaritarum drach mam vnam, hyacinthorum drachmam dimidiam, confice cum syrupo de ribes, vel de limonibus Ego autem in omni tempore etiam in calido, eiuscemodi pilulas dare soleo Sume zedoariæ, ligni aloës, agrimonię, croci, aristolochiæ rotundæ, dictami albi, gentianæ, corticum citri, seminis citri, ana scrupulum vnum, coriandri præparati, tormentillæ, sandalorum rubeorum, corallorum rubeorum, rosarum rubearum, spodij, emblicorum ana drachmam vnam, terræ sigillatę drachmas duas boli armeni drachmas quatuor, fac pilulas cum acetositate citri, quas administra cum vino albo, aceto rosato albo, & aqua rosæ. Ego multum adhibeo fidei huic nostræ compositioni, eam accipiendo quando non sumitur aliquid de pilulis cum aloë compositis. Etiam post operationem prædictarum pilularum, additur ipsi compositioni, ambræ, musci, hyacinthi, smaragdi, topazij, margaritarum, cornu vnicorni ana scrupulus vnus. Melius etiam erit & laudabile multum, bibere ista cum vino acetosæ, vel aceto albo, cum aqua rosæ, terra sigillata & bolo armeno, cum exigua portione smaragdi, & hyacinthi, & topazi:, vel saltem cum margaritis & corallis. Ista multum commendantur à Galeno & Auenzoar. Alij dant cortices & semina citri, & limonum, cum vino vel aceto rosato, & aqua rosarum. Ego verò frequenter dare soleo hanc simplicem confectionem, & quidem efficacissimam atque securam, cum vino albo, vel aceto rosato & aqua rosarum. Accipe boli armeni drachmas duas, terræ sigillatæ, corallorum rubeorum ana drachmam vnam, corticum citri, zedoariæ, croci ana drachmam dimidiam, sacchari rosati ex rubeis rosis conditi vncias sex, acetositatis citri vncias decem, fac electuarium. Raimundus & Arnoldus, theriacales quasdam pilulas, tribus modis componunt. Primo, sume boli armeni drachmas tres, barbæ tormentillæ drachmas duas, barbæ herbę tunici drachmam vnam, sacchari ad pondus omnium, fac pilulas. Item, sume ambræ drachmam dimidiam, musci scrupulum vnum, camphoræ grana sex. Item, accipe smaragdi, hyacinthi, topazij ana partes æquales, triturentur & lauentur sicut abluit Mesue lapidem lazuli, fac pilulas cum succo aceto sellæ. Dicunt huiuscemodi lapides ab antiquis appellari Bezoar, id est, liberatores mortis, & quod in hoc theriacam excellunt, quod ipsa venenum à se pellit, non trahit ad se, huiusmodi autem lapides vtrumque faciunt, ideò debent per os administrari Etiam possunt superponi plagæ, morsuræ, & bullæ venenosæ. Hac etiam vtuntur compositione, scilicet auri optimi, margaritarum, serici crudi triti. Laudant etiam electuarium diambræ, de gemmis & chermes Mesue, laudant granata, rubinos, carbunculos, sapphiros, palladios, corallos, grana tinctorum, & lapidem inuentum in capite aspidis, & pariter cornu vnicorni. Item electuarium lætificans Almansoris cum re aliqua refrigeratiua. Vtere etiam rebus sanguinem clarificantibus, vt sunt lupuli, myrobalani, fumus

terræ. Credo quod vti semine iuniperi cum semine myrti sit multum vtile contra huiusmodi venenum Item tale electuarium. Sume citrum vnum integrum, maceretur bene & coquatur cum saccharo & aqua rosarum. Et vbi non habetur citrus, fac cum limone seu pomo arancio integro, multi vtuntur verbena Sum dare solitus pauperibus parum panis bene tosti, intincti aceto cum modico rutæ, & aliquando cum cepæ portiuncula. Do etiam nonnunquam ad superbibendum parum vini puri. Item eiuscemodi panem tostum intinctum aceto rosato cum paucnlo cinnamomi, quandoque supersumendo pomum arancium, & parum boni vini.

De his quidem rebus administrare poteris, modo vnam, modo alteram, his scilicet diebus quibus theriacam non sumis nec veras pilulas, vel etiam illis eiusdem diebus post vesperas. Vti etiam poteris sero, ieiuno stomacho, parum istius nostræ confectionis. Cape sacchari rosati, diamarenati ana vncias quatuor, coriandrorum præparatorum, corallorum rubeorum ana drachmam vnam, cinnamomi drachmas duas, sed æstiuo tempore drachmam vnam, sandalorum rubeorum, croci ana drachmam dimidiam, verum in æstate croci scrupulum vnum, confice cum acetositatis citri vnciis quatuor, superbibe parum vini optimi, vel aceti rosati. Poteris etiam vti eo matutino tempore aliquando loco prædictarum. Dixit Raimundus, quod suo tempore iuncti fuerunt Saturnus, Iupiter & Mars in vndevigesimo gradu Aquarij, anni millesimi trecentesimi quadragesimi octaui, in mense Martio, quæ quidem coniunctio horribilia significabat, præsertim graues pestilentias frequentius per spacium annorum quadragintaquinque, eo quod fuerit in signo humano fixo in domo Saturni. Inter quas erat pestilentia illa anni quadragesimi octaui, vbi Medici Parisienses & ex Auinione, & Pedimontani nouam composuerunt theriacam ab ipsis expertam, & cum felicitate eos conseruauit. Arnoldus Receptam conscripsit, quam Raimundus eiusdem discipulus his verbis recitauit. Sume seminis iuniperi drachmas duas cum dimidia, cariophilorum, macis, nucis muscatæ, zedoarii, zinziberis ana drachmas duas, aristolochiæ longæ & rotundæ, barbæ herbæ tunici, dictami, enulæ campanæ ana drachmam vnam cum dimidia, saluiæ, rutæ, seminis balsamitæ, mentæ, pæoniæ, pulegij ceruini ana drachmam vnam, doronici Romani, baccarum lauri, seminis acetosæ, seminis citri, basiliconis, masticis, thuris, boli armeni, terræ sigillatæ, spodij, ossis de corde cerui, rasuræ eboris, & cornu vnicorni, margaritarum, sapphiri, smaragdi, corallorum rubeorum, ligni aloës, sandalorum rubeorum, hyacinthi, topazii ana drachmam dimidiam, sacchari rosati, diaboraginati, diabuglossati, dianenufarati, diacetosellati, pulparum tamarindi acetosi, theriacæ ana drachmam dimidiam, sacchari libras tres, fac electuarium aut morsellos, cum aqua scabiosæ & rosata parum camphorata, & cum vino cydoniorum, addendo folia auri quadraginta. Qui sitim patitur extra cibum, vtatur acetosa simplici cum pauxillo aquæ frigidæ, vel vini mali granati acetosi cum iulep rosato, vel vino acetoso. Possis etiam exprimere acetositatem citri vel limonis, vel pomi arancii, & bibere cum aqua & saccharo. Item succi rosarum, sacchari rosati, diamarenati, diaprunis, diacydonitis dissoluti cum aqua colata & expressa, bibendo cum aqua frigida. Item rosæ, myrobalani, tamarindi, cerasa acetosa, pruna, persica sicca, cydonia trita, dissoluta, colata & expressa, bibe cum aqua & saccharo ponendo plus de saccharo vbi minus est de calido, & minus de saccharo vbi plus fuerit de calido. Item succus rosarum cum vino granatorum, item oxysacchara cum aqua frigida recenti. In pluribus etiam rebus proficuum est vinum cydoniorum. Vti herbis cor ipsum sua virtute respicientibus, vtile est, vt sunt borago, buglossa, melissa, endiuia ac mentæ parum. Item septem principales herbæ quas contra venenum plurimum valere fertur, quarum prima est herba hypericon, alio nomine Perforata, secunda est herba dicta vincetoxicon, tertia enula, quarta raphanus, quinta dictamus, sexta aristolochia, septima lactucella. His additur ab Arnoldo & Raimundo, herba tunici. Nec prætermittenda est agrimonia, acetosella, cichoria, matrubium, hyssopus, scabiosa, pentaphyllon, capparis, limones, citrulli, arancii scilicet quos poma aurea vocamus, & vniuersaliter cuncta acetosa, & quę ponticitatem quandam participant. Scias flosculos vitis multum conferre, si eis in cibo & potu atque electuariis vti consuescas, pariter & aqua scabiosæ, necnon melissæ, in his omnibus quæ sanis simul & infirmis administrantur mirabilis est, eo quod humiditates exiccet venenosas. Et vbi in desiccando refrigeratione multa opus sit, vtendum potius est aquis endiuiæ, rosarum, plantaginis, aceto rosato, vel aqua, vel succo acetosellæ, succo limonum, cedri, aranciorum, cichoriæ, pimpinellæ, fumi terræ.

Cùm verò temperatis vti oportet, accipe aquam boraginis & buglossæ, singulis decoctionibus impone pruna damascena, myrobalanos, & tamarindos. Et hoc memori serua mente, quod cunctis in remediis quàm bene conueniunt hæc quatuor, videlicet vinum album, acetum album rosatum, aqua rosata, omnia æquali pondere, crocus pauxillula quantitate. Vbi absque mora ac cum facilitate quadam operari necesse fuerit, administrabis quæ opportuna sunt in forma subtili & liquida, vel ad suprabibendum dato quæ prædiximus.

Raimundus inquit, quod si tamdiu differri potest, vt præmemoratarum fiat compositio pilularum, melius esse vt exhibeantur pilulæ quàm pulueres, tum quia huiusmodi compositio melius fermentata est, qua quidem fermentatione vltra complexionalem, specificam quoque contrahit virtutem, tum quia permanendo in stomacho mage conseruat, roborat, confortat, ac melius discurrit per corporis remotiora, suprabibendo parum alicuius liquidæ substantiæ, & multum abstinendo. Nec tamen ideo volumus vt pilulæ sint valdè siccæ ac induratæ, imò tales fuerint, decet vt reformentur. Congruit sanguineis plebotomia, videlicet extrahere sanguinem, vt conseruentur, si aliàs nullum ex se fluxum sanguinis haberent. Sanguineos eos intelligo qui decenter carnosi, colore rubei sunt, pilosi, robusti, quibus venæ amplæ, & qui rebus vescuntur multi nutrimenti. His, inquam, extrahatur sanguis ex basilica dextra, inde post bimestre spacium fiat iterum minutio ex basilica sinistra. Nec vna pro vice excedas pondus libræ. Fiat etiam temporibus anni temperatis, ac Luna in bono & fortunato aspectu existente. Sanguis purus minuitur oriente Sole, cholericus in meridie, melancholicus in occasu, phlegmaticus in medio noctis.

Vult ideo Raimundus, vt iuxta ordinem Auicennę secundùm quatuor species sanguinis prænumeratas, obseruentur in exthahendo illæ quatuor horæ. Cognoscuntur autem hæ species: primò, per earumdem signa; deinde, iuxta quatuor ætates quibus dominantur, succedendo ordine prędicto. Et vbi non apparuerit multa sanguinis abundantia, vult ne penitus minutio fiat, nec causa conseruationis, nec curæ. Et cùm extrahere volueris, cura vt die præcedenti fiat clystere, & exhibita sit aliqua Medicina non solutiua. Nec prætermittendum duco, quod vbi sanguis ad alios multum declinat humores, minimè sit euacuandum. Memineris Galenum & Auicennam, quanto magis medendi artem exercuere, tanto semper timidiores erga phlebotomiam esse factos, eo quòd plus trahit phlebotomia ex naturali & bono, & ex spiritibus quam ipsa Medicina, ac minus temporis concedit ad discernendum malum sanguinem à bono. Conferunt infantibus & pueris ea quæ contra vermes valent, quorum his potissimum temporibus imminet periculum, administrato illis in potu semel in hebdomada dictami drachmam vnam cum vino aliqualiter styptico, siue cum vino decoctionis absynthij & nigellæ, aut seminis sancti. Illiniatur item stomachus, vmbilicus, gula & pectus, oleis herbisque amaris & huiusmodi, quandoque etiam exhibebis pillulas de reubarbaro. Verùm quia multum humida complexio, multumque calida periculosa est tempore pestis, opus est refrigeratione, desiccatione, & frequenti euacuatione, quæ quidem secundum opportunitatem cum moderaminè fiant. Hunc defer sacculum cordi applicatum.

Sume rosarum rubearum drachmas duas, sandalorum rubeorum corallorum rubeorum spodij ana drachmam vnam, zedoariæ, lignialos, cinnamomi, cariophilorum, corticum citri, croci ana drachmam dimidiam. Esto diligens vt omnis expurgetur superfluitas ac cura, ne stypticus maneat venter, sitque tardus ad soliditas constringendum expurgationes vel fluxus siue superfluitates hæmorrhoides, scabies, naturales solitosque sudores plagas veteres apertas, quibus sine molestia profluit humor, lachrymæ, sanguinem è naribus fluentem, solitum & ordinarium vniuersales guttas & huiusmodi, quoniam hæc dicta expurgamenta securiorem reddunt à morbo. Admoneo rerum publicarum gubernatores, secundum Hippocratis experientiam, si fecerint ac ordinarint ignes & fumigia ex iunipero, myrto, terebinthina, & thure, manè & sero ante posticas quarumque ædium, domuum, & habitationum, statim expelleretur ab eo loco pestis. Valet loco iuniperi, laurus, saluia, rosmarinus, & herbarum quicquid est odoriferarum. At terebinthina mirabilis est. Multi Doctorum dicunt, ignem semper fore tempore pestis vtilem, eo quod omnem dissoluit vaporem. Inquit Raimundus vtendum esse confortantibus solum, cùm grossi apparent vapores & humidi. Calidis temporibus superare debent odores infrigidi...te alios, è diuerso cùm tempora frigida

sint & humida, rosæ, sandali, myrthus, camphora, cortices pomorum, mala granata, calidos contemperant odores, similiter acetum, & virides herbulæ frigidiusculæ. Cõsuluere Magi Persarum regi pro sui defensione ab omni veneno morboque venefico, sculpi faceret in lapide Hæmatite hominem flexis genibus stantem, cinctum serpente, dextra eius caput, læua caudam serpentis tenentem, & imprimi ligarique faceret hunc lapidem in annulo aureo, verum lapidi in loco capsulæ supponi barbam serpentariæ, quem quidem annulum gestaret in digito. Laudat Auerrois hircinæ odoramentum vrinæ. Moneo vt continuis vtaris remediis, quum fueris in loco infecto vel propè, eo quod contagio frequens est, infectusque aër continuè noxius offendit. Volo diligenter aduertas, quum fuerit coniunctio Solis & Lunæ, quumque oppositio, id est, quando est pelnilunium. Item quando coniungitur Luna Saturno, & magis quando coniungitur Marti. Item quum fuerit in quadra cum dictis Planetis.

Et nota (vt refert Rhasis) fortiter moueri solet venenum huiusmodi pestilentiæ in Solis ortu, in occasu, in meridie, & medio noctis, quia Sol quatuor his vicibus mutationem causat in aëre. Regnat in vere, in æstate magis, plus in autumno. In vere est aër calidus & humidus, & accedit sanguinis dominium. In æstate cholera, calidus aër multum aperit & penetrat, debilitantur corpora, rebus replentur corruptilibus materiam humidam aëris caliditate in putredinem tribuentibus. Qui quidem calor si tam intus quàm extra cum siccitate foret, parum abesset. quemadmodum etiam haud multum nocet humidum cum aëris tum complexionis frigiditati adiunctum. Sed valdè periculosum est, vbi calidum humido permixtum fuerit, vel foris vel intus. Experimento compertum habuimus, quod longa siccitas calido minuit tempore pestem, at frigido, excitat, affert. Denique in autumno augmentatur fructuum repletio, ac corporum debilitas, aër tenuis est ob æstatem præcedentem vaporum facilè susceptiuam, quas non resoluit propter caloris diminutionem, deinde nebulosus est ac variabilis. Sæpenumero ventus adest grossus & humidus, excedit caliditas humiditatem, & frequenter aduenit, augmentaturque pororum oppilatio propter aëris crebro post calidum præcedens, frigiditatem. Sciendum etiam quod cum pori valdè oppilati sunt, comprimunt putrescibilem ad intra materiam. E contrario quum plus æquo aperti, repente nimis venenosum capiunt aërem, ita vt nonnunquam (maximè post sudorem vel coitum) paucis (vt gladius) occidit horis.

De modo curandi secundùm rationem Physicam.

CAPVT VII.

IN pestilentiali febre non expurgato veneno, caue ne administres intus, ne extra res partium pectoris simpliciter aperitiuas, eo quod aditum præbent veneno ad cor, & spiritibus viam aperiunt exhalationis, sed vt inflammatio prohibeatur & putrefactio, vtere subito aliquantulum infrigidantibus & multum desiccantibus. Roborant namque cor, & vias claudunt versus ipsum tendentes, ne venenum ad illud perueniat. Pro parte etiam bene purgandus est humor, & spiritus nutrimento sæpius recreandi, & quæ contra venenum valent continuè administra, id quidem sua natura cor petit. Quod si differas donec venenum eò peruenerit, fortasse fieri poterit, vt partes cordis multum inde constringantur, quas quidem denuo aperire quàm proficuum, plus fortè noxium periculosumue esset. Igitur quum primum caput omniaque membra grauari simul adiuncta febre quispiam perceperit, vide ex signis ne mendacibus ambiguisque fidem habeas, nec differas quousque appareat inflatio vel bulla. Sed hæc quum emineant, eo citius quo poteris confestim inungas oleo de scorpionibus & theriaca, pulsus temporum manuum & pedum, nares, occiput, gulam, pectus & locum circa bullam & apostema si apparuerit. Vera olei compositio talis est.

Sume olei oliuæ annorum quinquaginta vncias octo, imponas scorpiones numero quinquaginta, simul cum oleo bulliant, ita vt fundum petant, quod facias in æstate, & maximè mense Augusti, serua & vtere, est enim mirabile contra venena. Quod si stomachus cibo grauatus fuerit, prouocandus est vomitus cum facilitate, cum aqua tepida, aceto, & oleo, etiam cum raphano, tentando etiam prouocationem cum penna, & statim postea facias clysterem. Et renouabis omni die maluarum decoctionem & matris violarum, bletæ, hordei, lactucæ, camomillæ, mellis violati, sacchari rubei, vitelli vnius oui, diasenæ vel cassiæ vnciam vnam, succi rosarum solutiui drachmas duas, salis communis & olei violati quod satis est. Hoc facto, applicabis Epi-

thema cordi ex rebus cordialibus frigidiusculis à prædominio.

Sume aquarum rosarum, buglossæ, acetosellæ, nenufari ana drachmas duas, aquarum melissæ, succi granatorum medij saporis, acetositatis citri ana drachmam vnam, succi cydoniorum vnciam vnam, sandalorum alborum, rubeorum & citrinorum ana drachmas duas, spodij, rasuræ eboris, seminum citri, seminis acetosæ ana drachmam dimidiam, granorum tinctorum grana sex, camphoræ drachmam dimidiam, conterantur bene omnia, & calefiant in vase vitreato puro. Post cum panno de Grana temperatè calido superponas pectori, singulis tribus horis ipsum renouando. Item pro stomacho hanc habeto in sacculo compositionem, ad viuificandum & roborandum spiritus eius. Sume absynthii, mentæ ana manipulum vnum, melissæ, acetosæ ana manipulum dimidium, rosarum rubearum vnciam vnam, corticum citri, risi ana drachmas tres, coriandrorum præparatorum drachmas duas, corallorum rubeorum, masticis, sandalorum rubrorum ana drachmam vnam, macis, foliorum cariophilorum ana drachmam dimidiam, nucum cupressi numero quatuor, componas cum succo cydoniorum. Item sub brachiis hoc remedium administrabis. Sume rosarum, florum camomillæ, meliloti, florum myrti, nucum cupressi, sandalorum omnium in debita quantitate, bulliant in aqua cui intingatur spongia vel stuppa, quæ postmodum exprimatur, & temperatè calida applicetur, sæpiusque renoua. Istud enim mirabile est.

Cucurbitularum vsus, & curandi ratio per sanguinis missionem.

CAPVT VIII.

His factis & debite, vt dictum est, administratis, si bulla vel signum in tibiis adhuc non apparuerit, duas confestim natibus ventosas applica, & duas pariter coxis à parte posteriori. Voluere veteres vt post huiusmodi ventosarum depositionem fieret phlebotomia. Et si bulla vel signum solitum non apparuerit, fiat ex vena communi à parte dextra, ad prohibendum ne venenum partes cordis attingat: etsi etiam apparuerit huiusmodi signum vel bulla, eodem in latere extrahendus est sanguis, & hoc ne se extendat dilatetque venenum (vt semper solet) per omnes venas ac corporis partes. Quod si circa aures apparuerit, vel collum, minuatur ex cephalica in parte qua signum, iuxta pollicem manus. Si sub axillis apparuerit, euacuetur hepatica in brachio eius partis in qua signum. Si in inguinibus, fiat phlebotomia ex saphena, hoc est sub talo pedis eiusdem lateris. Denique in vniuersali, quoties ab origine gulæ ad caput vsque huiusmodi signum appareat, fiat minutio ex cephalica in parte signi apparentis. Si ab ea parte vsque ad vmbilicum antè vel retro, fiat pariter phlebotomia ex hepatica. Si ab vmbilico infrà, debet minui saphena modo quo suprà. Et phlebotomandum est quàm citius fieri potest, saltem quum primo apparere incipit apostema. Intrepide autem bonam quantitatem extrahi facias, nisi patiens fortè modici fuerit sanguinis, extractis duabus vnciis vel circa, siste paululum, vt diiudicari possit an bonus sit sanguis vel ne. Si malus, extrahere poteris copiosius, si bonus, parcius. In debilibus & sanguine non multum abundantibus sufficit extractio duarum vnciarum. At febrilis tempore rigoris id minimè feceris.

Patiens autem quum fit sanguinis minutio, degustet vel ore teneat pomum anarancíæ & acetosa quæque, naso, fronti, ac temporum pulsibus acetum applicando, hic namq; cõmunis phlebotomãdi est modus. Fulgineus Gentilis plurimum laudat id quod iam dicemus, vt rem quampiam expertam. Si solitum apparens apostema venerit circa spatulas, applicandæ sunt ventosæ vbi iunguntur ipsæ spatulæ, minutio autem fiat ex mediana quæ dici solet communis & nigra. Si apparuerit in collo vel capite, minuatur cephalica iuxta pollices manuum. Si sub vel dextro in brachio, phlebotomandus est de vena pulmonis inter medium & anularem eiusdem lateris digitum. Si circa brachium vel latus sinistrum, ex vena Saluatella inter dextræ manus paruum & anularem. Si in inguinibus vel in sinistro latere, ex vena Paralytica minutio fienda est inter poplitem pedis & alium propinquum eodem in latere. Si appareat in tibia vel pede dextro, ex vena sic dicta Vena mulierum, solent Doctores Hispani & Catellani prima post factum clystere vel saltem secunda die, facere phlebotomiam duabus interpolatis vicibus. In sanguineis robustis ac bonæ ætatis hominibus primo die sic faciunt. Primo extrahunt sanguinem in parte opposita, eo quod humor in motu adhuc existat, nec iam veneficus factus est. Si apostema sub brachio sinistro apparuerit, minuunt subito à manu dextra vncias sex vel quatuor, vel ex canilla pedis sinistri vncias tres.

Post verò horas sex vel octo recreato patiente atque quieto, extrahunt à sinistro brachio vncias sex vel quatuor aut tres iuxta compressionem & virtutem venæ grossioris, quoniam ea opportunius phlebotomiam exposcere se monstrat. Ediuerso faciunt vbi apostema in inguinibus appareat, primo quidem minuunt in brachio eiusdem lateris, secundo in pede illius etiam eiusdem partis ex saphena. Verum si patiens haud multum robustius fuerit, nec sanguine abundans, attamen naturalem habet decenter vigorem virtutisque constantiam, aut sit vt iam existat in fine secundi, vel in tertio die, quum iam verisimile sit materiam ipsam suum cursum motumque cœpisse, iamque veneno infectam esse, euacuant vncias duas vel quatuor à latere apostematis, loco apostemati quàm sit possibile propinquiori. Si post aures extiterit, minuunt ex cephalica eiusdem lateris. Quod si hæc ipsa haud ita facilè comprehendi possit, fiat in Mediana vniuerso corpori comparticipante. Quod si nec ista pateat, fiat in manu eadem ex vena quæ est inter pollicem & indicem. Similiter autem faciunt à medio secundæ diei ad sequentes, sed ab initio ad medium secundi facerent phlebotomiam ex parte opposita, similiter à primo ad medium secundi. Si apostema est sub brachio, euacuandum est ex vena eiusdem brachij, & ex vena communi, vel saltem ex hepatica, aut eiusdem manus infra digitum medium & sibi adhærentem. Si in eodem prædicto tempore signum ipsum in inguinibus fuerit, incidas venam sub eiusdem lateris genu, aut sub cauilla eiusdem pedis. Si signum vergit versus nates, mitte sanguinem de grossiori vena, & magis apparente in dorso pedis eiusdem lateris. Istorum quoque modus est, quod circa secundæ dimidium diei, incipiunt vt plurimum in contrarium.

Nos autem ad canones nostros vniuersales accedamus. Quia eiuscemodi morbus vel est in ipso sanguine, vel in humoribus sanguine permixtis, ideò mihi videtur extrahendum esse sanguinem omnibus, ab annis quatuordecim vsque ad sexaginta, ratus multo satius fore, vt venenum quod per venæ apertionem expiret, quàm sanguinis effluxu magnopere cruciari. Extrahe ipsum iterata vice cum sex horarum interstitio. Robustis autem corporibus & sanguine multum abundantibus, extrahe ad summum, libram vnam. Mediocriter verò robustis, & mediocriter sanguineis adusque vncias octo, debilioribus autem constante pulsu, vncias quatuor vel tres, siue duas aut saltem vnum. Vbi verò dominium cholera obtineat, non excedat vncias extractio duas. Multi extrahere præcipiunt, quousque non debilis, debilitetur. Hoc autem mihi minimè placet, quandoquidem spiritus dissoluit. Vbi pulsus vacillat, nil prorsus extrahendum. Maior verò mihi est cura prius appareat apostema, etiam postmodum prouocentur hæmorroides frictionibus factis cum rebus asperis, & succo cœparum, cum ventosis & scarificationibus, & sanguisugis. Vbi sanguis abundat, facias idem post alteram venæ sectionem. Vbi autem modicum fuerit sanguinis, saltem id feceris.

De Medicinis venenum dissoluentibus & extrahentibus.

CAPVT IX.

Qvidam vt primo semel euacuatus est sanguis, applicant Epithema. Verum sapientiores id agunt à principio, sæpiusque renouant, videlicet à tertia in tertiam horam, apponunt temperatè calidum cum panno coccineo. Descripsimus vnum suprà alterum, hoc est. Sume aquarum rosarum, endiuiæ, buglossæ, melissæ ana libram dimidiam, aceti vncias duas, sandalorum, rosarum, corallorum, ana drachmas tres, spodij drachmas duas, margaritarum, sapphiri ana scrupulum vnum, been albi & rubei, ossis de corde cerui, seminum citri ana drachmam dimidiam, musci scrupulum dimidium, camphoræ, croci ana scrupulum vnum. Si insolitam in patiente noueris caliditatem, fac vt vngatur hepar & regio renum, vnguento sandalino, bis in die. Inde post horas quatuor (more consueto & ordine) exhibendæ sunt pulueris contra morbum drachmæ duæ vel vna cum albo vino & aquis endiuiæ, necnon aceto sellæ, pariter & theriacæ drachmæ duæ, vel saltem vna. Post hunc ipsum potum coadiuua cum pannis & fumigiis calidis, naturam ad sudorem. Nec erraret qui theriacam solam administraret, verumtamen plus in vsu est eam dare cum pulueribus. Addunt nonnulli acetum, & id mihi haud displicet, placet quoque eam sæpius administrari. Et vtilis simul cum theriaca, aqua scabiosæ & melissæ, vbi non multa adsit caliditas. Antiqua contra morbum pulueris talis est descriptio. Cape dictami albi, corallorum alborum, tormentillæ, boli armeni, gentianæ ana vnciam vnam, terræ sigillatæ vnciam dimidiam. Modernior hæc est. Sume barbam tormentillæ, agrimoniæ, ligni aloës, boli armeni, valerianæ, lapatij, sandalorum

rubeorum ana partes æquales, barbæ scabiosæ ad pondus omnium misce cum sanguine tauri desiccati ad Solem & destillati. Alia descriptio. Sume spodij, dictami albi, gentianæ, tormentillæ, granorum iuniperi, seminum citri, carlinæ ana drachmas quatuor, foliorum albatri vncias duas. Tertia descriptio. Sume tormentillæ, dictami albi, cornu cerui vsti, zedoariæ ana drachmam vnam, margaritarum, corallorum rubeorum ana scrupulos duos. Quarta descriptio. Sume tormentillæ, dictami albi, boli armeni, camphoræ, margaritarum, sandalorum rubeorum cornu cerui vsti, aristolochiæ rotundæ, sacchari albi ana drachmas duas. Quinta descriptio. Sume tormentillæ, dictami ana drachmas duas, seminis acetosæ, seminum citri ana drachmas tres, zinziberis albi, cinnamomi, croci ana scrupulum vnum, boli armeni, terræ sigillatæ ana drachmas duas cum dimidia, sacchari vncias duas. Hic puluis multum (vt fama est) valet cõtra venenum, tam antè quàm post administratus. Sexta descriptio. Sume radicum tormentillæ drachmas duas, sandalorum rubeorum, dictami albi recentis, cornu cerui vsti, margaritarum, boli armeni, aristolochiæ rotundæ ana drachmam vnam, camphoræ drachmam dimidiam, sacchari albi drachmas duas, pimpinellæ, myrrhæ, zedoariæ ana drachmam vnam, sandalorum, terræ sigillatę ana drachmas duas, seminum citri, croci ana scrupulum vnum, hiacynthorum ana drachmã dimidiam. Hi pulueres vigorem præstant cordi, adiuuantque ipsum in expellendo à se venenum, putrescibiles humores desiccant, cohibent vias cordis ne venenum ipsum attingat, frequenter etiam venenum expellunt per viam sudoris. Experimento compertum habetur priorem, quam diximus antiquam, descriptionem, ac inter modernas vltimam, cæteris esse multo ac longè efficaciorem. Sunt quidam qui post vomitus prouocationem (si ea opus sit) facto etiam clystere & inunctione, primo exhibent pulueres atque Epithema, post cuius operationem, tunc primum euacuant sanguinem. Id autem faciunt vbi patiens sanguinis multum habuerit, nec fortè in hoc errant. At vbi fieri non possit sanguinis extractio, tum defectu sanguinis, loco phlebotomiæ exhibent Medicinam, prius tamen puluerem.

Postquam sudauerit infirmus, aut debitum sudoris tempus elapsum fuerit, non expectanda est humoris digestio, quoniam non adest temporis mora atque facultas pro celebrãda digestione. Equidem quum necessitas immineat (siquidem ea ipsa non subest legi) minimè obseruanda est consueta temporum discretio atque dierum. Nec confidendum est spe aliqua in opere naturæ ad euacuationem enitentis, quoniam irregularis est propter indigestionem impetumque veneni, equidem oppressa natura vt potest, plus operatur quam debeat. Post ideò competens sudandi tempus, vel sanguinem si abundat minues, vel non abundante dabis purgationem, ex rebus tamen non commouentibus stomachum. Factus enim cum violentia vomitus, pectoris dilatando vias facit vt ad cor venenum percurrat, trahitque ipsum ad cerebrum. Hac de causa errant qui capraginem & res huiusmodi exhibent vomitiuas & venenosas. Vix enim vni resistere potest natura veneno. Posset fortè nobis quispiam opponere, cur venenatos ad vomitũ producere Physici soleant. Dico non parem esse venenorum conditionem, cætera enim plus habent materiæ, & ad educendum aptiora per vomitum, & sunt in stomacho, istud verò vapor est quidam venenosus, & in partibus pectoris. Nulla igitur adsit Medicina, quæ vomitum violenter producere possit, at eum qui nulla violentia, dãnarem minimè, approbarem tamen magis, vt per inferiora diuerso fiat. Dissoluatur, quam dabis, Medicina in vino albo, & aquæ scabiosæ, endiuiæ, rosarum, plantaginis, buglossæ, melissæ, aceto rosato, in quibus facta sit decoctio ex prunis damascenis, myrobalanis, tamarindis. Si autem morbus inuadit aliquem stomacho repleto, quidnam faciendum erit iuxta ordinẽ modernorum? Fac vt post vnctionem cum oleo scorpionum & theriaca faciliter vomat, cum aqua tepida, aceto, oleo, & succo raphani, tentando etiam prouocationem cum penna longa, deinde administrabis clystere, postmodum Epithema, & de ipsis pulueribus. Deinde tempore quo iam quietior & restauratus ægrotans fuerit, venam seces, si est sanguineus, sin minus, administra Medicinam. Et si in phlebotomia vltra quatuor sanguinis vncias extraxeris, abstine à Medicina quousque transactæ sint à phlebotomia horæ duodecim. Et licet phlebotomiam peregeris; spem tamen non ponas in sola ipsa, præsertim in plethorico, sanguineo, & robusto corpore. Quinimo & in aliis quibus parum sanguinis extraxisti; etiam propinanda est suo tempore Medicina iuxta complexionis qualitatem & virtutis. Similiter si prius Medicinam dederis, non eris ea contentus, si fuerit plethoricum corpus, virtute consentiente, phlebotomiam quoque tempore

tempore & modo iniunge. Et hanc distinctionem facies, scilicet in administrando vnum & alterum, vbi & possibile & conueniens. Sed vbi sanguis abundat, præcedat phlebotomia & sit copiosior, vbi vero sanguis non abundat, medicina præcedat, & phlebotomia sequatur, modica tamen, scilicet potius euentandi quam diminuendi causa. Post tertium diem nulla fieri debet sanguinis extractio, nisi te ad hoc sanguinis multitudo compellat. Quotiescunque medicinam vel phlebotomiam seu vomitiuum administras, ad hoc vt eiuscemodi agitatione ipsum venenum à signo non reuertatur ad intus si signum fuerit apparens, fac vt in tali commotione ponas sub & supra signum, ventosas & sanguisugas, & super cor epithemata frigida. Et ante & post propinabis per eos ea quæ defendunt à veneno, videlicet theriacam, bolum armeni, smaragdos, hiacynthos, topazium, vel saltem alia gemmarum genera, aut corallos cum succo herbarum contra venenum. Quum facis purgationem, exhibe medicinam cum modico croci in decoctione supradicta. Principalis & securior medicina secundum Persarum Medicos, & Mesuen, est triferæ persicæ vncia vna cum electuarij hamech drachmis duabus, vel ad minus triferæ vncia dimidia, & electuarij hamech bon, & Persiani eam administrant cum aqua frigida vel succo solatri vel endiuiæ. De hoc sæpius audiui, & felix periculum feci iam præsenti anno. Vbi autem trifera & electuarium hamech defuerint, propinabis diasenæ loco triferæ, & diamanna, vel succum rosarum loco electuarij hamech modo prædicto. Experientiam feci, & multæ vtilitatis securitatisque hanc compositionem reperi. Sume triferæ persicæ, pulpæ casiæ ana vnciam dimidiam, reubarbari, diamannæ vel electuarii hamech drachmam vnam. Sed vbi natura valida est & venter stipticus, dabis diamnanæ vel electuarii hamech drachmas duas, distempera cum aquis buglossæ, endiuiæ, cum decoctionibus supradictis & aquis prædictis.

Ego vero reubarbarum in vino albo & aquis endiuiæ cum modico spicæ teneo per horam, quod do in substantia commiscendo omnia simul, sæpius etiam addo postmodum mannæ vnciam vnam. Conueniunt & pilulæ de fumo terræ, aggregatiuæ pilulæ, partes æquales, robustis quidem in toto drachma vna, aliis vero in toto drachma dimidia, suprabibendo vinum album cum aquis endiuiæ, vel rosarum & scabiosæ. Etiam ipsæ solæ aggregatiuæ in omni tempore, præsertim minus æstiuo drachma vna vel dimidia. Notandum si febris inhæret humoribus subtilibus & calidis, apparebit sitis vehemens, gulæ ariditas, linguæ nigredo, acutus capitis dolor, phrenesis, vel similia horrenda accidentia. Si autem grossioribus inhæserit humoribus & minus furiosis, febris videbitur lenta, & prædicta accidentia remissiora. Considera eiuscemodi signa, & scias quod in quocunque humore conuenit trifera cum agarico, & pilulæ aggregatiuæ vel solæ, vel cum pilulis de fumo terræ. Syrupus etiam solutiuus quem dicemus inferius si fuerit in materia furiosa, etiam conuenit diasenæ cum electuario hamech vel succo rosarum. Item casia cum reubarbaro, item manna cum diamanna in decoctionibus frigidis. Si est in materia grossa frigida & humida, conueniunt robustioribus pilularum aggregatiuarum scrupuli duo, pilularum de agarico scrupulus vnus. Debilioribus vero diacatholiconis vncia vna cum diafeniconis drachmis duabus, vel cum agarici trochiscati drachma vna vel semis. Item de pilulis contra morbum dictis superius, drachma vna vel semis, & fortè eiuscemodi pilulæ conueniunt in quocunque humore. Nota quod agaricus bene pręparatus & trochiscatus, est singularis in hoc casu in quocunque humore & membro. Ideo quando certior essem de sua præparatione, vterer eo in omni medicina, dando drachmas duas, vel vnam, vel semis de eius trochiscis, iuxta potentiam medicinæ, & iuxta complexionem hominis. Et vbi dubitarem de eius præparatione, infunderem eum in oxymelle squillitico cum salgemma, & postea colando ponerem super medicinam absque expressione. Item notandum quod pilulæ aggregatiuæ sunt appropriatę, & loco illarũ debent administrari pilulæ Sine quibus, minus robustis. Et scias melius esse dare medicinam quam pilulas in hoc casu. Et si haberi possit diamanna melior est succo rosarum & fortior. Et electuarium hamech melius est ambobus, scilicet & diamanna & succo rosarum.

Demum in omni humore mirabilis est iste syrupus solutiuus loco medicinæ ad minus vncia vna, & ad vltimum duæ, cum aqua rosarum & vino albo. Sume corticum citri, radicum capparis, berberis, sandalorum rubr. spodii ana drachmas duas, cariophillatæ, melissæ, buglossæ, boraginis, cichoriæ ana manipulum vnum, acetosæ, prassii, hepaticæ ana manipulum

vnum cum dimidio, scariolæ syluestris drachmas duas, seminis cucurbitæ, scilicet peponum, citrulli, cucumeris, violarum ana manipulum vnum, thymi, epithymi, agarici, rhabarbari, senæ, polipodij ana drachmas duas, succi absynthij, fumiterrę, ebuli & plātaginis ana drachmas sex, mirobalanorū chebulorū drachmā vnā, citrinorū drachmā dimidiā, diagridij drachmas duas, sacchari albi libras duas: fac syrupum cū aceto cydoniorum. Iste syrupus à Doctoribus vocatur diuinus in cōseruādo & curando, quia statim abscindit humores putrescibiles, confortat membra principalia, pellit venenum ad extra, & de eo plures visæ sunt experientiæ. Inter cæteros Doctores Petrus de Tussigniana, & Gentilis Fulgineus, eum mirum in modum commendant, & mihi videtur eum factum esse ad intensionem triferæ persicæ, sed magis solutiuus, & mihi summopere placet in personis non debilissimis, & non habentibus ventrem valde lubricum. Sumatur semel in hebdomada è sanis & ægris. Nota quod post operationem medicinæ, aut phlebotomiam, si medicinam non administraueris die sequenti, propinetur theriacæ drachma vna, cum aquæ rosarum vncia vna, cum modico aceti rosati. Nec timeas theriacæ caliditatem, quoniam tam modica portio parum calefacere potest, eo quod qualitas elementaris, qualis est caliditas, & similes, quum sint valde materiales, haud multum operatur, nisi multa cum materia.

Verum specifica virtus, vtpote quæ donum sit cœleste, & quasi spiritale, multum operatur secundum Galenum pauca etiam cum materia. Theriaca autem à proprietate specifica operatur contra venenum, ac præter hoc, caliditatis secundum vix perficit gradum, ideò longe potentior est ad venenum expellendum, quam ad calefaciendum. Febris item pestilentialis multo magis venenosa quam calida ad exhibenda est theriaca cum aqua rosarum, & etiam in cæteris curandum est, vt tendant ad quandam frigiditatem, quatenus hac ipsa vti valeas. Potest etiam dari Mithridatium loco theriacæ, sed multo potiores ex theriaca visæ sunt experientiæ. Ideò inquit Moyses Ægyptius, narratum sibi esse à sapiente quodam Medico, se dum tempore pestis in Antiochia artem exerceret, ipsa re verum reperisse, cætera remedia cuncta fore debilia, at solum qui monitu suo theriaca assumebant, tutos & superstites euasisse, cæteri nequaquam.

Et hi tantum qui ea post morbi inuasionem vsi sunt, liberati fuere, alij vitam morte commutarunt. Per hoc confirmatur quod inquit Galenus in lib. De theriaca ad Cæsarem, eam esse omnibus venenis per aduersam, foreque potentem, vbi cætera deficiunt ac sunt debilia. Hoc autem habet à virtute quadam miraculosa. Sunt etiam qui vrinam potu exhibeant, vel lixiuium, item succum cæparum albarum cum aceto, haud scio quid mihi dicendum. Hoc moneo, ne confidentiam habeas in purgatione postquam eam feceris, etiam si ex ipsa melius se habeat infirmus, sed quum æger melius habere videbitur, tertia die aut quarta post purgationem. Sed multa adhuc adsit sanguinis superfluitas, extrahe parum de sanguine, & reitera eandē medicinalem purgationē. Quod si non admodum abundat, repete saltem pulueres & medicinam, ne recidat in peius. Quidam exhibent euphorbium cum mastice ac gumma elemi. Sume euphorbij drachmas quinque, & scrupulum vnum, gummi elemi vncias duas, masticis vnciam vnam cum dimidia, dabis robustis ad pondus drachmam vnam, debilibus scrupulum vnum, cum aquis endiuiæ & scabiosæ. Est quidem periculosa medicina, nec nisi robustissimis appropriatur, ac nisi in principio. Asserunt nonnulli gummam elemi fore gummam arboris cedrini. Sciendum quod hoc in casu non debilis exhibenda est medicina, id est, quæ exilem faciat operationem, quoniam natura ipsa si prima medicina non bene sit operata, secundam non expectat. Nec tamen decet nimio impetu soluere, nam ex hoc resoluerentur spiritus, istudque malum mage consistit in qualitate quadam venenosa, quam in quantitate materię. Inquit Gentilis Fulgineus se multa expertum cum supradicto puluere, ab initio sic ipsum administrabat. Sume euphorbij drachmam dimidiam, masticis drachmam vnam, dabat ex his scrupulos duos, & multum plethoricis drachmam vnam. At mihi multo magis placet agaricus, quia vt aiunt Democritus, Galenus & Auicenna, ab omnibus membris aliquē trahit humorem, similiterque habet virtutem quasi theriacæ, aduersus omne venenum corroborat, idque ab omni veneno expurgat, grossos principaliter purgat humores, nec relinquit tenues quoque intentatos. Sit albus, prorsus rotundus, nec non & fractu facilis, dulcis ac leuis. Sit quoq; modicę amaritudin. & stypticitatis, bene tritus, & mixtus cū salis gemæ parte tertia, & sic corrigatur cum sal gemma,

melle rosato colato, oximelle squillitico, & vino infusionis zinziberis, & sic præparetur in trochiscatum. Et debilibus tutius est vt detur permixtus aliis rebus, quam solus & melius in decoctionibus, quam in substantia, quoniam frequenter longos producit vomitus, ventrisque dolores, nisi bene electus & præparatus sit. Quod si debite fuerit electus & præparatus, est medicina sancta & familiaris secundum Democritum & Mesue. Felices namque fecimus (modo & ordine dicto) ipso cum agarico experientias. At circa euphorbium compertum habuimus, quod valde bonum nonnunquam fecerit opus, ac sæpiuscule contrarium. Vniuersaliter & in summa, sis celer euacuando & frequens, obseruatis modo & ordine. Frequentius infirmum recrea, quoniam spiritus aliàs plurimum resoluuntur, nec tantum ea dato, siue cibaria, siue medicinalia, quę solum mollificant, sed his permisce refrigeratiua, desiccatiua, & cordis confortatiua, quæ etiam veneno resistant.

De cibatione, & regimine ægrotantis.

CAPVT X.

Cibus esse debet, secundum Rasim & Auicennam quarto Canonis, frequens, modicus, leuis, elixus, ac multi & humidi nutrimenti, conditus cum rebus acetosis & frigidis, vt scilicet cum endiuia, acetosella, aceto agresto, malis granatis, aranciis, limonibus, cerasis acetosis, prunis. Cibi substãtia sint pulli, perdix, phasianus, cuntusũ consummatũ, destillatum, oua recentia. Hœdinas quoque carnes non prohibeo. Summa, nutriatur rebus liquidis, humidis, & multi nutrimenti. Sic tamen nutriri debet vt natura toleret, nec febres multiplicentur, plus enim multo quam cæteris hoc in casu vberiori opus est alimento. Inquit Auicenna quarto Canone, quod venarum repletio per nutrimentum prohibet vaporis venenosi aëris & humoris transitum, & quod hi frequentius liberentur qui intrepide nutrimento adiuuantur. Nota, quod facto clystere solutiuo, de quo supra mentionem fecimus, si restauratione opus sit alia, sumat aliquid per os, facies solutionem vel cum enemate vel suppositorio, inde ad horas quatuor administrabis aliquid nutrimenti, de quo paulò suprà disseruimus. Vinum sit album, subtile, odoriferum, dilutum cum aqua ferrata, recenti saltem parte æquali. Melior vero esset aqua aurata in qua aurum ignitum extinctum sit vel etiam extingui potest aurum in vino. Non sinas eum pati sitim, nec os exsiccari, sed continue fac ipsum gargarizare cum vino albo bene diluto. Res teneat in ore humidas frigidulas, frequenter bibat de acetositate citri, & iuleb rosato ana partes æquales cum vino granatorum & aqua siue succo acetosellæ. Vtilis est syrupus acetosæ simplicis cum aqua ferrata, & pariter succus citri vel limonum siue aranciorum expressorum, hæc dabis cum aqua & sacharo qui, vel forte melius cum aqua hordei vel ferrata. Item saccharum rosatum aut diamarenatum vel diaprunis & diacydonitem dissolutum in aqua, colatum & expressum, vel rosas, cerasa acetosa, myrobalanos, tamarindos, pruna, cydonia, persica sicca, trita & infusa in aqua, post colata, expressa & cum saccharo & aqua recenti exhibita, vtilia sunt. Conuenit etiã acetum album cum aqua ferrata & saccharo ægris simulatque sanis. Confert etiam oxysacchara composita cum aceto albo, succo granatorum acetosorum, & saccharo. Prodest quoque succus granatorum medij saporis vel succus siue vinum acetosorum cum modico sacchari, & aqua hordei cum vino granatorum. Bonum est annulos aureos in aquam tamdiu confricare, donec aliquantulum rodantur per aquam. Item bullire aquam cum auro, & ea vti in cibo & potu bonum est. Secundum Gentilem fieri fortasse potest, vt aurum ad formam reducatur liquidam aptam ad potandum, hoc modo. Sume auri vnciam vnam, argenti viui vncias duas, misce, & simul mixta maneant quousque aurum dissoluatur, deinde imponas alembico cum igne lento, in tantum quod argentum viuum alembicum exeat. Postea excipias aurum ex fundo alembici, & adde aquarum buglossæ vncias quadraginta septem, ponas in alembicum vitreum bene obturatum. Continuabis sub eo ignem per tres dies & noctes, ignem dico bene proportionatum. In fine si callueris artem, inuenies aquam minimè consumptam, & aurum liquefactum, & hoc est aurum potabile, cordialissimum, & digeri potest. Aurum quidem alia forma parum est vtile, quia digeri nequaquam potest. Administrabis bis in die ieiuno stomacho ex his syrupis, scilicet de acetositate citri, de limonibus, de cichorio, de fumo terræ ana drachmam dimidiam, cum vncia vna aquarum melissæ & succi acetosellæ. Item syrupi de agresta, de ribes, rob berberis, de cydoniis, de granatis medij saporis, de granatis

cum aquis endiuiæ & buglosſæ. Item ſyrupi de endiuia cum aquis endiuiæ & acetoſitate citri, cum ſucco acetoſellæ, & vino granatorum acetoſorum, item ſuccum limonum, vel citri, vel aranciorum expreſſorum exhibendum cum aqua & ſaccharo.

Non diſpliceret ſi loco aquæ adminiſtrares brodium pullorum, quod appellari vulgariter ſolet piperata, aut perdicem coctam cum agreſta & endiuia, exinde colata, cui mixtum ſit aliquid ex memoratis ſuccis cum dulcibus contemperando acetoſa, veluti natura facit in granatis medij ſaporis. Etiam mala granata acetoſa cum vino & ſucco ſuo ſola, vel etiam cum aliis ſuccis, condiantur bene omnia. Item ſuccum roſarum, myrobalanos, tamarindos, ſaccharum roſatum, & diamarenatum, diaprunis, diacydoniten diſſoluta in aqua, & colata & expreſſa, bibenda ſunt cum aqua recepti. Item oxyſacchara cum iuleb roſato & aqua ferrata. Item ſuccum roſarum & acetoſitatem citri cum vino granatorum. Nota, ſyrupus acetoſæ ſcilicet in quocunque vtilis eſt ſyrupo. Vbi non habeatur acetoſitas citri, exprime limones vel arancios, & cum ſaccharo tempera, & vbi maior adſit caliditas, maiori quantitate dabis acetoſa, vbi minori. Et vbi non habeatur ſyrupus acetoſus, dabis acetum, aquam, & ſaccharum ſimul permixta. Album acetum melius eſt rubro. Item ſyrupum hunc optimum. Sume ſucci meliſſæ, boraginis, buglosſæ depurati ana vncias tres, aquæ roſarum, aceti albi ana vnciam vnam cum dimidia, acetoſitatis citri & limonum vnciam dimidiam, ſacchari albi libram vnam, ex hoc propinabis vncias duas cum aquarum buglosſæ & acetoſellæ vnciis duabus & dimidia, ex his vtere quo placet. Et ſimul dato duos trochiſcos de camphora. Quidnam ſapientum loco ſyrupi hanc dant potionem. Sume aquæ roſarum libram vnam, vini albi odoriferi libram dimidiam, boli armeni optime pulueriſati & cribrati vnciam dimidiam, pro vice vna exhibeto drachmas duas, eſt enim remedium & antiquum & potens. Experimentatores duobus potiſſimum vtuntur, videlicet ſucco florum aranciorum cum vino in caſu & poſt caſum, & ſemine cardui benedicti cum vino, quia hæc ſunt experta aduerſus venenum fungorum. Solent & hæc dare ſapientes. Sume ſucci ſcabioſæ vncias tres, terræ ſigillatæ drachmam vnam cum modico vini, ſemini citri drachmas duas cum vino bono. Item ambram & charabe cum vino, item ſpecierum coagulatarũ drachmã vnam cum vino. Coagula ſunt mucilagines quędam in certis veſicis, appenſæ in viſceribus hœdorum & leporum. Item radicem palmæ Chriſti cum vino. Hæc quibus (vt tradidimus) ſapientes vtuntur, remouent venenum à corde. Conueniunt ad conſeruandum & curandum hæ confectiones. Multum confide in hac noſtra compoſitione ſimplici, ſecura, efficaciſſima. Accipe boli armeni drachmas duas, terræ ſigillatæ, corallorum rubeorum ana drachmam vnam, corticum citri, zedoariæ, croci ana drachmam dimidiam, ſacchari roſati, roſis rubeis conditi vncias ſex, acetoſitatis citri vncias decem, dabis ſemper cum vino albo & aqua roſarum, quandoque commiſcendum eſt parum aceti roſati. Ex his etiam conficere poſſumus pilulas, ſi loco ſaccari roſati accipiamus roſarum rubearum vnciam dimidiam cum acetoſitate citri quantum ſufficit.

Quidam dant iſtas conſumptiones: Sume ſacchari roſati, trium ſandalorum, diadraganti ana vncias quatuor, folia auri numero decem, margaritarum, hiacynthorum, oſſis de corde ceruici ana drachmam vnam. Item cape margaritarum ſcrupulum vnum, ſapphiri, hiacynthorum, ſmaragdorum drachmas duas, terræ ſigillatæ, trium granorum, ſerici crudi triti ana drachmam dimidiam, ſmaragdorum drachmam vnam, manus Chriſti roſati quantumlibet, aquæ roſarum in qua confricentur anuli aurei vel vaſa aurea huiuſmodi, quantum ſufficit. Item aquæ roſarum, ſacchari albi ana libram vnam, ſandalorum rubeorum & alborum, corallorum rubeorum, ſpodij ana drachmam dimidiatã, margaritarum drachmam vnam, hiacynthorum, ſmaragdorum, ſapphiri, oſſis de corde cerui ana ſcrupulum vnum.

Omnia aromatica conueniunt ad conſeruandum & curandum, maximè quæ attinent frigiditati & caliditati. Et ſi non conueniant ad febrilem calorem, valent tamen aduerſus venenum ipſius, & maximè ſi contemperentur cum frigidis, ita vt ad frigiditatem aliquam declinent, & plus declinent ſtante vel temporum vel complexionum vel febrium acutarum caliditate. Item nota quod inter terram ſigillatam, & bolum armenum hæc eſt diſtantia quod quamuis vtraque valeant contra venenum & morbum, nihilominus plus vtuntur ſapientes terra quam bolo in cæteris venenis, at in morbo peſtilentiali potius è conuerſo faciunt.

In hoc conueniunt omnes, in cæteris venenis nil melius esse terra maximè exhibendo eam cum modico boli armeni, & granorum iuniperi, & aceto diluto secundum modum Galeni, quia statim constringit, clauditque vias pectorales, ita vt venenum per eas transire non possit, eiicitque venenum per vomitum. Pariter & venenum quod per solutiua educibile, id facit administratam; tam postquam ante casum, sed securius ante.

Similiter consentiunt omnes, quod quum ad conseruandum se à peste tum etiam expellendum ipsam bolus armenus cætera simplicia superet omnia, maximè exhibitus cum vino albo & aqua rosarum, secundum ordinem Galeni, Serapionis & Auicennæ, qui aiunt se esse expertos tempore magnæ pestilentiæ fuisse cum hoc faciliter & conseruatos & sanatos humores. Est enim bolus armenus rubeus parum croceus, delicatus, frangibilis. Terra vero sigillata aliquantulum fit rubens, gustui parum acetosa & arida, nonnihil viscosa, nec tamen adeò tenax vt digitis adhęreat. Aduerte quod nonnunquam initium capit morbus cum sputo sanguinis abundante, hoc in casu non datur bolus, neque aliud huiusce venenosi sanguinis strictiuū. Imò coadiuuatur iste fluxus cum rebus pectoralibus, extrahiturque sanguis ex ambabus venis saphenæ, in qualitatem complexionis.

Quod si ægrotans est multum sanguineus, fit etiam minutio postmodum ex mediana, Nec sunt prætermittendæ fricationes stomacho ieiuno. Fac vt admoueat naso spongiam intinctam in aqua rosarum & aceto rosarum, & cum vino odorifero, quibus etiam sæpe lauat omnes pulsus & faciem. Vbi adsit de futura phrenesi suspicio, admoueas quandoque fronti aquam rosarum cum aceto rosarum. Et nisi nimiam metuas somnolentiam, addas parum camphoræ. Cura ne infirmus in profundum nimis deueniat somnum, sufficiunt enim horæ sex vel quinque per diem & noctem, siquidem dormitio multa retrahit venenum ad intra. Ventosæ à tergo positæ, frictiones & ligamenta circum extremitates, conferunt ad phrenesim pariter & somnolentiam. Item confert suppositorium ex sapone duro cum modico salgemmæ. Somnus modicus in principio morbi vtilis est, nec ideo tantum vigilandum est vt inde spiritus resoluantur. Camera euentari debet sæpe aperiendo & reserando, ex hoc enim variatur aër, sic tamen euentari debet, ne ob id sentiat ægrotans & patiatur frigoris quicquam. Debent tendi per latera lecti lintea aceto madefacta. Asperge parietes ac solum cameræ aceto aqua permixto, spargantur hinc inde, & per angulos & parietes apponantur frondes, pampini, cannæ, salices, rosæ, plantulæ & folia citrullorum & alia quæque viridantia, flosculi & poma odorifera.

Facies suffitum ex sandalis & rosis, mirthillis & camphora, terebinthina, thure, corticibus citri, corticibus granatorum & pomorum communium, additis modicum cariophilorum & croci. Super omnia curæ sit, quod singulis horis sex oportet te mutare & renouare infirmo camisiam & omnes pannos, linteamina, fumigia, vna cum vase pro fumigio. Si commode fieri potest mutabis singulis viginti quatuor horis stratum & cameram.

Antea autem quam introducatur, sit camera bene emundata, ac bonis (vt conuenit) odoribus fumigata. Aliter enim amictus, lectus & habitatio veneno inficiunt. Nec volo cum silentio præteriri, quod vbi insolita, appareat caliditas, stomachi robur, dolorumque ab intestinis securitas, consueuerunt Rasis & Iohannitius semel tantum ad potandum dare aquam frigidam & recentem multa cum quantitate. Ego vero vt securius agerem, darem aquæ hordei recentis libras tres, cum vnciis tribus sacchari. Et forte darem etiam succi cucumeris libram dimidiam cum vncia vna sacchari bene simul permixta, postea succi aranciorum vel granatorum vnciam vnam, & drachmam vnam sacchari. Quidam compatriota noster vir robustus, quamprimum hic ipsum morbus inuasit, immersit se aquis frigidis, perque duas horas sic stetit, exiens liberatus est, veruntamen fallacissimum hoc est experimentum. Forte securius esset sedere in aquis tepidis, quę pectoralia non attingerent, quoniam hæ partes non sunt aperiendæ, nec ad ipsas prouocandi sunt humores.

Nonnulli hoc in casu assumpserunt venena, & maximè quæ frigidæ naturæ, & fortassis etiam ea quæ calidæ naturæ, prius vel post theriacam vel terram sigillatam cum bolo armeno & aceto aqua permixto, & similia quæ contra venenum sunt. Inter quos quidam physicus liberatus fuerat. Videtur tamen mihi res admodum periculosa.

De cura per artem Chirurgiæ,

CAPVT XI.

HOc in casu non expectandum, quousque appareat inflatio aut bulla, sed facta purgatione vel phlebotomia sis celer & promptus ad venenum extrahendum, faciendo cum fermento & cantharidibus ruptorium, vel aliud ex his quæ inferius narrabimus. Applices musculo dextri brachij sub cubito interiori à parte vel vbi tangi solet pulsus, non tamen super proprio pulsu. Similiter facies super talo pedis dextri quatuor digitis ad intra, vt fiat vesica, quam aperi, apertamque teneas. Si solitum apparuerit signum, & incommoditas breuitasque temporis obseruandum ordinem impediant, fiat phlebotomia atque purgatio. Quibus factis vel saltem phlebotomia, facies ruptorium, & applicabis eidẽ lateri sex digitorum sub signo distantia. Sunt qui temporis varietati non confidãt, sed & præter ordinem primo & post, simulque quo melius possent remediis curæ student. Modernorum talis ordo quorundam est, vt vbi nil expediat, primo purgetur infirmus cum clysteribus, pulueribus, phlebotomia & medicina. Post vero applicanda vt diximus (etiam non apparente signo) ruptoria, ac tutius est confestim (appareat signum vel non) ponamus ruptoria & reliqua huic morbo appropriata. Si videatur apparens, sic facito. Si enim apparuerit circa aures subito ruptorium applica collo in posteriori parte, eiusdem tamen lateris in quo signum. Si sub brachio, musculo ruptorium apponatur eiusdem brachij, vel prope pulsum, non tamen supra. Si in inguinibus, pone iuxta cauillam, hoc est, super talo pedis eiusdem lateris. Quum alibi appareat, applica ruptoriũ sub signo per distantiam sex digitorũ, vel sextantis, ne tamen ponatur, vtcunque sit, supra pectus. Et si fuerit in gula, videlicet a parte anteriori, ponatur ruptorium à posteriori videlicet in collo, si vero in posteriori parte eodem in loco fuerit, non debet in anteriori applicari, sed potius sub loco signi, sicque tandiu permittes ibidem ruptorium donec vesicam fecerit, quam aperias, & supraponas butyrum & folia caulis, item spongiam hac intinctam decoctione. Sume camomillæ britannicæ, meliloti, scabiosæ ana manipulum vnum, bulliant in libra dimidia aquæ ad consumptionem dimidij, hanc quia venenum trahit renouato, teneto sæpius in finem vsque curæ.

Simplicium descriptio ruptoriorum.

CAPVT XII.

RVptoria hæc sunt, vincetoxicon, vitriolum, flos æris, nux rancida, cordumenium, arsenicum, calx viua, antipharmacum, cuscuta, calx cum sapone fullonum, aura, cynoglossa, fermentum cum lixiuio, galbanus cauda equina, euphorbium, stercus columbinum, stercus accipitris, anserum, anatum, nasturtium, limacia viua vel suo cum cortice trita, rana excoriata & assata, calamentum, pulegiũ ceruinum, aristolochia, raphanus, viscum, centinodia, costum, piper, lapis spongiæ marinæ, flammula trita, vrtica, sinapis vitalba, mentastrum, scabiosa, canapis, canapatium, cantharides & salgemma, grana masticata, pirethrum, vitellum oui cum multo salis, consolida maior, & scabiosa, tritæ intra duas lapides mirabiles sunt. Dicta ruptoria debent cito, vt dixeram, applicari, & fortè pariter super signum apparens. In delicatis personis vtendum est lenioribus & in aliis, fortioribus. Et tutius est vt sub signo ponantur quam supra, vel suprapponantur minus fortia, sub vero, fortiora.

Curandi apostematis rationes, modi, & conditiones.

CAPVT XIII.

HOc signum vocatur apostema, quod quum venit ante febris accessum, indicat cor forte esse & potens ad expellendum venenum, & tunc est febris accidens apostematis. E diuerso est quum venerit post febrim. Hoc enim apostema est duarum generationum, altera est bulla & nominatur anthrax & carbunculus, altera est inflatio, & vocatur bubo & glandula. Bulla communiter per emunctoria exit, & quanto plus à principalibus distat membris, tanto minus periculosa est. Nigra est omnium pessima, secundo viridis loco est paulo minus mala, tertio glauca, rubea quarto. Et quanto aridior, tanto peior est. Inflatio communiter in emunctoriis venire solet, hoc est principalium membrorum purgatoriis, quæ tres sunt, in locis scilicet post aures, sub brachiis, in inguinibus. Cerebrum per emunctoria post aures demittit venenum, nec non in collum. Cor sub brachia mittit. Ad vel circum inguina hepar. Hac de causa peior est inflatio quam bulla, quoniam veneni mul-

tum ad principalia decurrisse membra ostendit. Et quanto cordi propinquior inflatio fuerit, tanto quidem periculosior. Vtrorumque scilicet bullæ pariter & inflationis quasi similis est cura. Sunt qui accedente apostemate ante febrem & procul à corde, faciunt subitò ligaturas inter locum doloris & cor, supra ponuntque repercutiendi causa res frigidas, siccas. At supra doloris locum proprium, res ponunt calidas & humidas, resolutiuas. Alij quamprimum apparere incipit apostema, ponũt supra simul & à latere ventosas, vt diximus, & ruptoria, subitò hanc exhibendo medicinam. Sume hellebori nigri præparati, senæ, cinnamomi ana drachmam dimidiam, diagridij scrupulum dimidium, infundantur in vini granatorum vncias quatuor, & sacchari vnciam vnam. Si ad multas horas in infusione staret, melius esset, postea cola & exprime, propinanda quum apparet apostema antequam dormiat. Sic vero præparant helleborum. Scindunt per longum in frusta minuta, ponunt ipsum in pomum in stuppis prius aqua rosarum intinctis, sicque coquunt sub cineribus calidis, cocto semel proiiciunt pomum, recoquunt helleborum alio in pomo, modo quo prius, separatim à pomo conseruatur. Dant robustissimis helleborum mixtis miscendis, modo & ordine dicto. Cæteris vero & minus robustis, dant solummodo pomum secundæ coctionis. Præparant scamoneam coquendo ipsam in malis cydoniis vel in pasta farinæ hordei facta cum vino cydoniorum. Non reprobo istorum regulas, sed ad nostras regrediamur.

Regula & modi applicandorum ruptoriorum.

CAPVT XIV.

QVum opportunum non est vt extrahi possit sanguis cum ventosis vel sanguisugis, nec incendi signum, poni debent sub vel suprà, vel simul vtrobique ruptoria ex dictis, & his etiam quæ in sequentibus dicam compositionibus. Exhibe autem prædicta, si videatur temporis adesse commoditas, postquam extractus est sanguis, ac parum quieuit ægrotans, vel saltem post assumptionem medicinæ, & eius perfectam operationem, & non præsto affuerit qui manu operetur, dato puluerem, quem si non habeas, exhibe medicinam. Si nec medicinam habueris, applica sine dilatione ruptoria supra & extra signum, cum moderatione, vt diximus, & ordine, & si tempus instet, nec quicquã adhuc factum sit, exhibe simul purgationem & ruptoria, nec cesses vnquam à remediorum administratione, nec differas vt speres te omnia cum temporis commoditate facturum. Aduert, ne super signo ponas res adeò frigidas & stipticas, vt venenum ad intra repercutiant. Vtere his quæ aptæ ad trahendum & resoluendum, vt sunt res calidæ. Ac aliquantulum temperandæ sunt quandoque, si sis eas continuaturus cum rebus frigidis, vt nimia euitetur inflammatio, nec tamen ita frigidis vt inde restringant.

Nec multum metuas dolorem, quoniam venenum trahit ad postrema. Nolo tamen toleres excessum, quoniam vires adderet veneno, augmentaret pariter & febres, naturamque nimis lassaret. Locum ruptorii nolo per artem in totum consolides, donec tres elapsi sint menses, hoc verò quum facis reitera purgationem. Quidam Florentinus noster hoc verè incidit bullam, quod cum inde ab hoc morbo ita liber esset, vt non diuersus foret à sanis, haud ita multo post quam primum plagam consolidauit, transactis vero post diebus quadraginta iterum morbo infectus bidui spacio interiit, maximè hoc quia sine purgatione plagam restrinxerat. Hoc etenim scias, quod qui post septimum perit diem, mala potius cura id euenit quam huiusce natura morbi. Scito quod postquam venenum in tantum decurrit ad apostema, vt principalia membra per hoc sint alleuiata, nisi tu perbenè & continue idipsum trahas, rectifices, & purges, intrinsecum apostematis venenum plus exasperatur, contractum vaporat ad intra & occidit. Idcirco continuè cor ipsum fortifica constringendo vias eius intus & ab extra, humores sæpius euacua, venenum plagæ rectifica, purga. Nil speres certi ex illorum præter rationem sanitatis spe, quinimo nec ad instans ob hoc à remediis cesses, maximè si adhuc septimus non elapsus fuerit dies.

Composita ruptoria & emplastra quædam fortia.

CAPVT XV.

MVltifariam sunt ruptoria composita, fortiaque in trahendo venenum ad extra. Enarrabimus multa, vt secundum opportunitatem cuiuslibet auxilio cõmode vti possis. Sume ficus, ireos, & grana tritici contusa, parte æquali, maturat hoc citò ac rumpit. Item fermentum cum

oleo & sale. Item pix cum passulis & melle. Item stercus passerinum cum axungia porci. Item vitrum puluerisatum cum terebinthina. Item nisi abominosum foret stercus humanum, valet multum ante & post rupturam, supraponendo medullam panis feruenti oleo intinctam. Item oleum cum cineribus bullitum. Item cantharides numero decem, cum vnciis passularum vna, fermenti vna & semis, scabiosæ, cynoglossæ, consolidæ maioris, antipharmaci ana vnciam vnam, incorporentur cum oleo liliorum. Et si fortius facere volueris adde sal & columbinam herbam, rutam ana drachmas duas. Item nasturtium cum oleo, & sale. Item auripigmentum, piper ana drachmas duas, caricas numero decem, fac emplastrum cum melle quantum sufficit. Item baurach, salis amoniaci, scabiosæ, antipharmaci, allij, piperis ana partes æquales, fac emplastrum cum succo scabiosæ. Item galbanum, radices liliorum alborum, stercus humanum, consolidam maiorem tritam inter duos lapides. Item fermenti vncias quatuor, sinapis, rutæ scabiosæ, absinthij ana manipulũ vnũ, radicum liliorum alborum partem tertiam, vitrioli drachmas duas, cantharides numero decem, galbani vnciam vnam, nuces rancidas numero tres, olei liliorum quantum sufficit, coquantur herbæ & radices in oleo, & fiat emplastrum, addendo cætera ingredientia secundum artem. Item cantharides cum oleo saponis. Item cineris quercini, quo tinctores vtuntur, partes quatuor, calcis partes sex, misce, & quum vteris suprapone prædictum emplastrum. At istud nunc dictum emplastrum facies cum oleo oliuarum nigrarum, & fortius est, si oleum cineribus bulliat. Item fermenti, vrticæ, pinguedinis carnis exiccatæ, barbæ maluauisci, maluæ, partes æquales. Quinque sunt herbæ hoc in casu tùm omnibus emplastris tùm etiam intus sumptæ valde conuenientes, quoniam tàm intus quàm extra veneno resistunt, & sunt quasi temperatę, scilicet consolida, scabiosa, agrimonia, brictanica, aristolochia.

De emplastris temperatis.

CAPVT XVI.

FOrtia sunt admodum supradicta ruptoria & emplastra, cum ad rumpendum, tum etiam ad extrahendum citò venenum. Sed non sunt continuanda, quoniam nimis inflammarent, attamen eis plus vti quis posset, vbi apostema non esset coloris multum viridis aut rubei vel nigri. Ac etiam vbi non multa foret corrosio, temperatoria quædam adducam & magis conuenientia, vbi de magna metus esset inflammatione. Sume barbæ maluauisci vncias duas, caput vnum liliorum alborũ, farinæ seminis lini ana vnciam vnam cum dimidia, bulliant in aqua communi, & pistentur cum fermento & axungia veteri, applicetur calide. Item sume furfuris non penitus expurgati à farina manipulos duos, coquatur in aceto. Item columbina cum aceto & oleo rosato. Item farina hordei cum succo brictanicæ vel consolidæ. Item cæpas cum butyro coctas, addendo post caricas, & fermentum cum oleo camomillino dulcorari potest (si opus sit ob odoris vehementiam) addendo poma cocta, aut maluauiscum, & maluam, ipsarumque mucilagines. Quod si maiori adhuc opus sit dulcoratione, accipe cæpas coctas & poma cocta, scilicet cum butyro & oleo camomillino. Item maluæ, barbæ maluauisci, scabiosæ ana manipulum vnum, bulliant herbæ in aqua communi, cum qua incorporetur farina. Pistentur autem herbæ & condiantur simul omnia cum vncia vna pinguedinis gallinæ, & totidem olei camomillini, croci drachma dimidia, est enim delicatissimum emplastrum. Item scabiosa, pes columbinus, cichoria, consolida maior. Conuenit post hæc emplastrum ex apio, brictanica, farina orobi cũ prædictarum herbarum succis, secundum aliquos etiam cum theriaca. Item emplastrum ex opoponaco trito cum passulis. Item assa, ruta, & nitrum cum melle. Bonum quandoque fuerit vnctum esse cum theriaca, suprapositis cępis & malua coctis. Supraponunt etiam nonnulli flores aranciorum, & folia contusa cum axungia & maluis. Quantum vero ad ipsam theriacam, volunt aliqui non esse ei quicquam superponendum, quoniam remittit venenum ad intra.

Emplastra temperatissima.

CAPVT XVII.

QVum bulla multum nigra est, & supra modum ardens, ac per quam cito accendit, corrodit, & dilatatur, temperatoria debent esse ea quæ administras, desiccatiua cum aliquali frigiditate, temperataque caliditate resolutiua. Exempli gratia. Sume plantaginem & gallas cum aceto coctas, item lentes cum pane mixto, cum cribratura furfuris. Item granata ace-

tosa & medij saporis in quatuor partes scissa & cocta in aceto vsque ad eorundem dissolutionem, conterantur & applicentur, conueniunt ab initio morbi vsque ad declinationis statum. Conuenit alterum hoc emplastrum ante vlcerationem causatam à bulla. Sume acacij, draganti, opij, corticum granatorum ana drachmā vnā, viridis æris, hioscyamum album, fac emplastrum cum vino & serua ad vsum. Quādo videas iam factam vlcerationem, suprapone id aliquantulum desiccatiuum. Sume esdram cum vino & rob grauato & similibus, aduerte ne partes signo circumstantes putrefiant, defende ipsas cum bolo armeno, aquarosarum, oleo rosato, aceto rosato & cæteris. In recessu inflammationis, vlceratione remanente, pone emplastrum ex litargyrio, & ea quæ ad malignas & corrosiuas plagas conferunt, id est, quæ refrigerant, desiccant, repercutiunt, ex quibus aliqua superius commemorauimus. At temperate facito cuncta, vt & repente expedit, purgationis ad intra.

De modo mitigandi dolorem circa ipsum apostema.

CAPVT XVIII.

QVæ superiori tractata sunt capite in bullis multum nigris & corrosiuis verificantur, at in cæteris non tantæ inflammationis temperatior esto maturiorque in repercutiendo. Ardorem doloremque partim à morbo, partim ab ruptoriis siue ab inflammatione prouenientem, si mitigare studeas, circumpone signo medullam panis calidi recentis primum excepti è furno vino acetoso vel succo plantaginis intinctam. Item coque prædictam medullam, necnon & lentes in aceto, applica & sæpius muta, & ne desiccetur emplastrū illico suprapone folia plantaginis. Quando emplastrum deponis lauetur plagæ superficies cum vino pontico siue aceto, suprapone farinam hordei cum melle. Intelligo autem poni debere ista non supra, sed circum plagam, quamuis secundum Petrum de Tussigniana aliosque & doctos & expertos, hæc quæ diximus non multum repercutiant, verum pellunt caliditatem, confortant doloris locum, & temperato quodam calore resoluunt. Remanentem postea plagam his rebus curato quæ ad venenosas corrosiuasq; attinent plagas.

De modo incidendi putrem ipsius apostematis carnem.

CAPVT XIX.

QVando est mortificata plaga, cura subito vt tristis illa caro decidat. Sume brancæ vrsinæ, barbæ maluauisci, herbæ peruincæ, foliorum maluæ ana vnciam vnam, coquantur, pistentur & misceantur cum axungia porci non salita, & cum butyro veteri, sic simul ad tres dies permittantur, postea colentur, exprimantur, addendo colaturæ parum ceræ & masticis, serua ad vsum. Vtque competentem faciat plaga crustam, quam postea bene diuellas, quum dicto vsus es emplastro, vngatur cum butyro & oleo. Crustam autem nulla cum violentia depone (id quidem multum obesset) morare donec natura id per se facere incipiat, quam postmodum cum supradictis adiuuā. Interea ne corrodat venenum, perque sanas corporis partes discurrat, hunc in modum succurrere opus est. Habeas ventosam amplam, ita vt totam (quum applicatur) plagam hoc modo ambiat, videlicet vt suprapositā tangat circumcirca tantummodo carnem sanam, ita vt plaga nulla ex parte contingi queat à ventosa. Hanc igitur ventosam applicato sic trahendum venenosum ex profundo sanguinem prohibendumque ne intro reuertatur.

De modo mundificandi plagam.

CAPVT XX.

RVpto apostemate extractaque veneni materia, propinanda sunt constrictiua simulque mundificatiua. Sume farinam ordei cum melle & modico salis, suprapone folia caulium. Item sarcocollam pulueriżatam, & mel parte æquali, si fortius volueris, coque in primis ipsum mel, post vero adde sarcocollam. Est equidem secundum Gentilem de Fulgineo & Petrum de Tussigniana solennis compositio, quoniam omne vulnus mundificat, omnemque saniosam plagam. Commendo pariter ad hanc rem emplastrum diachilon.

De modo regenerandi carnem bonam.

CAPVT XXI.

MVndificata quum fuerit plaga, ad bonam carnem regenerandam, accipe folia basiliconis optimè contusa. Item recipe xanthos, centaureæ maioris, herbæ pentaphyllon, consolidæ maioris ana partes æquales, destillentur in Vere per alembicum, vel facito his ex herbis succum sicque simul permitte donec bene permisceantur. Postea adde illis aquæ vitæ partem quintam, serua ad vsum, istud enim mirabile inuenies in regenerando carnē. Item confert ad hoc barba asphode-

li, hoc est lappa, cocta cum fæcibus vini. Item emplastrum ex coriandris viridibus cum melle & passulis.

De variis modis extrahendi sanguinem à signo. De modo cauterizandi per incendium.

CAPVT XXII.

OMnis circa signum prædicta cura, quæ (vt antea narrauimus) fit cum ruptoriis simplicibus & compositis. Laudabilior fieret Italicorum omnium Doctorum sententia, modo quem iamiam dicemus, postponendo ipsa ruptoria, & sic faciendo. Pone cauteria distanter à signo quemadmodum iam diximus, & simul supra signum magnam pone ventosam, qua deposita, tange ipsum variis in locis cum rasorio & lanceola, postea ventosam repone, vt sanguinem attrahat, eamque cessante sanguinis attractione amoue. Deinde tres bene purgatas sanguisugas applica, hisque iam repletis & amotis, gallorum vel pipionum columbarumque pullos scinde per medium, & sic calide vnum post alterum appone. Post secundum quosdam debet inungi cum theriaca, dein vero permittas eum quiescere. Nonnulli istorum loco deplumant locum circa anum galli, & accipiunt saponis aliqualiter obscuri ac quasi viridis vnciam vnam, opij scrupulum dimidium, pistantque bene, & cum sale albo puluerisatissimo faciunt suppositorium gallo, & totum in simul superponunt. Quo peracto restaura ægrotantem, postmodum eum leniter cauteriza. Non dico cum cera nec oleo feruenti, quia oppilant, sed cum auro ignito, aut argento vel ferro, ipsumque instrumentum in summitate rotundam habeat planitiem ad formam vnius satis magni quadrantis, sitque in medio huiuscemodi planitiei acies siue acumen ad formam adamantis, non nimis acuti. Et post incendium inunge cum butyro, & cooperias locum folio caulis, & permitte eum quiescere. Hoc multo eligibilius est ruptoriis, eo quo citius operatur, magisque pellit venenum, meliorem insuper qualitatem in membro relinquit. Post hac vtuntur rebus plagæ superponendis, & circa quas superius commemorauimus post ruptorium administrandas & eodem modo. Nonnulli pestilenti morbo laborantes, non aliud ostendunt signum quam maculas, veluti morbilli, per corporis cutem disseminatas. Istiusmodi debent inuolui panno coccineo calido, & custodiri à frigore, apponanturque duæ magnæ spongiæ dorso cum renibus, & pectori calidè, intinctæ decoctioni meliloti, camomillæ & lentis, & bene expressę, & ieiuno stomacho, sæpius mutentur. Dabis etiam in potu decoctionem caricarum, lentis granorum tinctorum, & croci.

De cura secundum morem Hispanorum & Catelanorum.

CAPVT XXV.

DIctum à nobis in præcedentibus de istiusmodi morbi cura secundum Græcorum, Latinorum, necnon & Barbarorum intentionem, maximè vero secundum vsum Italorum, at in præsentia iuxta Hispanorum morem pariter & Catelanorum, de hisce medicamentis considerabimus. Itaque secundum istos fit statim clystere, post vero, si sanguis abundat, phlebotomia. Sin minus exhibetur iuxta peccantis humoris qualitatem medicina. Ab initio applicant epithema, deinde facta aliquali euacuatione, saltem cum clystere, ad curam procedunt apostematis. More etiam istorum, nihil ex inflammationibus ardentibusque superponi debet apostemati, quia spasmum inducunt, febres accendunt, malignius reddunt venenum, maximè si in emunctoriis fuerit apostema. Aiunt item non esse in principio apponenda maturantia multum ac maceratiua, quoniam glutinant, oppilant, putrefaciunt, referuere faciunt, pelluntque venenum ad intra. Nec frigida quoque dicunt administranda, nec quicquam (quia desiccat) cum spongia, neque cum panno, quia intus claudunt vapores, stringitque. At vero cum lana munda, siue cum stupa (maximè ex cannabo) laudabile est. Pręsens decoctio est maximè familiaris, his præcipuè qui sunt natura delicati, ac etiam in emunctoriis. Accipe flores camomillæ, melilotum, capillos Veneris, bulliant in aqua, imbibe lanam siue stuppam, exceptam manibus exprime, applica tepidam vel parum calidam, singulis horis renoua, donec resoluat vel aperiat. Post vero aperturam transacto die quinto vtere maturatiuis & quæ mundificant, & regenerant. Bullis autem vt rumpantur securè superponitur scabiosa pista vel sola vel cum veteri axungia porci, & salita. Si viridis est bulla vel nigra, nec tamen est in emunctoriis, aperias eam subito variis in partibus cum lanceola, vel rasorio, vt inde citò exeat venenum. Deinde lana bullam cum aqua salsa, ne ibidem remaneat san-

guis coagulatus, applica sanguisugas. Post quum fuerit rupta & veneno expurgata, transacto (vt suprà) die quinto superpone maturatiua, mundificatiua, regeneratiua. Præter hæc (nisi admodum tenellæ sit ætatis ægrotans) debet non supra, sed sub bulla per sex digitorum distantiam poni ampla ventosa. Postea fieri debet apertio cum lanceola vel rasorio, & iterum apponi ventosa vt sanguinem attrahat, videlicet vncias duas vel tres, vel plus etiam iuxta tenorem consensumque virtutis.

Aduerte signo in emunctoriis existente, proprio signo applices ventosas, nec incidas, nec nimis ipsum molestes frequentando ventosas, quoniam sic rugetur spasmus, multi trahuntur calidi humores, peius efficitur venenum, & multi sic faciendo pereunt. Verum si circa aures, vel in gula huiusmodi signum appareat, applica ventosam retro sub spondilibus colli, non supra vel in spatulis. Si vero appareat sub brachiis, applica ventosam sed eodem latere, declinando versus deorsum. Si in inguinibus, applica ventosam in coxa, vel retro sub clunibus. In quocunque horum casuum sic facito, pone per sex digitorum spacium procul à signo (vt diximus) ventosam & scarificando trahas sanguinem cum ventosis vel sanguisugis. Sed supra signum, supradictam pones decoctionem, vt temperatè leniat atque resoluat. Vna cum decoctione bonum esset, si posses apponere lapidem quempiam veneni tractiuum puluerisatum, vel integrum, vt sunt smaragdus, hiacynthus, topazius. Tamen secundum aliquos istorum possumus superponere signo sanguisugas, & quandoque etiam ventosas, esto quod sit in emunctoriis, nulla tamen fieri debet cum violentia post vero lauando cum aqua salsa. Hoc fit quando signum summè inflatũ est, vel mali caloris, & quum est apertum signum, transacto die quinto vtuntur maturatiuis. Quod si hæc ipsa decoctio minimam facit operationem, reduces eam ad formam docciæ vel guttæ. Quando ipsum apostema plus solito est inflatum, quidam post diem tertium fortiter incidunt ipsum per longum eius membri in quo signum apparet, per interuenia scilicet, euitando venas & arterias. Et si nimis flueret sanguis, obuiant cum stuppa intincta vitello oui, & oleo rosato, non vero in albumine, quia frigidum est & viscosum. Eo tempore confortant ægrotum cum cordialibus intus & extra. Verum sapientiores inter istos non approbant hanc incisionem, iudicando ipsam maximi esse periculi, præsertim in emunctoriis. Post vero quintum diem si febris non est ardua, ac signum non multum est venenosum, nigrum, vel viride, si etiam approximat rupturæ, corpore bene purgato, incipe cum maturatiuis, postquam feceris quæ diximus, ad maturandum apostema. Sume barbæ maluauisci, barbæ liliorum, enulæ campanæ, cucumeris asinini, cæparum ana libram dimidiam, caricarum pinguium, seminis fœnogræci, seminis lini ana vnciam vnam, foliorum maluæ, maluauisci, brancæ vrsinæ, herbæ violariæ ana manipulum vnum; coquantur, cum impetu in aqua bene pistentur. Si pro delicatis hoc maturatiuum fiat, colentur prædicta, coquantur, pistentur, & exprimantur. Postea addatur axungiæ porci recentis, liquefactæ, colatæ, libra vna vel quantum sufficit. Aliqui addunt limacias bene pistas, vnà cum cortice, hoc enim conuenit vbi cutis multum densa est, veluti in inguinibus, & post aures. Alij addunt fermenti panis grossi ana vncias duas aut plus, vel minus, secundum opportunitatem trahendi & rumpendi, quæ res conuenientior est in bullis, quam in inflationibus emunctoriorũ. Sunt & alia quædam leuiora maturatiua, vt est farina tritici cum oleo & aqua simul bullita, donec ad aliquantulam tenacitatem perueniant, vel cum medulla panis furfurei, & cum caricis pinguibus simul coctis & postea pistis. Possumus addere oleũ oliuarum, vel oleum amygdalarum dulcium, & axungiam porci recentem. Si talis axungia vetus esset, & salita, foret hoc emplastrum vtile ad leniter rumpendum bullas. Etiam addere possumus pinguedinem gallinæ recentem, si tali cum pinguedine, axungia, & butyro recenti, oleo violato, barbis liliorum coctis fiat emplastrum gratum delicatis. Huiusmodi maturatiua (vt ante diximus) fieri debent post purgationem cessante febre, & postquam signum est apertum, expurgatumque veneno, transacto etiam die quinto, deinde vtuntur mundificatiuis, postea regeneratiuis, vltimo consolidatiuis signi. Si bulla fuerit nigra vel viridis & corrosiua, nec est in emunctoriis, incide cum profundatione lanceola vel rasorio. Postmodum administrabis docciam cum aqua salsa aliqualiter calida, ne sanguis (vt diximus) coaguletur, deinde applica ventosam aut sanguisugas, vel anum galli deplumatum: quidam applicant limaciam viuam, nonnulli ranam viuam, hoc autem fieri potest quando signum non sit in emunctoriis, postea ap-

poni aliquod facile ruptorium quod suprà tradidimus, vel etiam istud. Sume vitellum oui cum modico salis, nec fortius, quia bullám malignaret, mutetur autem istud sæpius. quod si & hoc bullam nimis conturbaret, vtere axungia porci salita, vel simul vtrisque.

Sunt quædam ruptoria admodum fortia, quæ non debent poni super emunctoria, nec vbi grauis adsit febris; quæ etiam si ponantur, vbi non minus sit fortis, minime conducunt. Sume caricas crudas, & fermentum. Item si hoc non valet, faciunt hoc fortius, obseruatis tamen modo & ordine narrato. Sume cantharides bene tritas, & tertiam partem axungiæ porci, hoc pone super bullam malignatam ter vel quater. Dicunt chirurgi hoc esse sæpius expertum. Quando adhuc fortius hoc ipsum habere volunt, addunt quartam partem saponis fullonum, quod quidem dicunt in malignata bulla, & in homine robusto mirabiliter operari. Item aliud forte pro bullis. Sume pulueris nitri bene puluerizati vnciam dimidiam, granorum tritici tritorum vel dentibus masticatorum vnciam vnam, vitella ouorum numero duo, croci drachmam vnam, terebinthinæ vnciam vnam, bene commisceantur & superponantur cum stuppis mundis. Reliqui apponunt calcem viuam cum sapone. At quoniam huiusmodi ardentia & violenta frequenter malignius faciunt apostema & febres, ideò securius est ante vlcerationem aduertere, ne materia intro reuertatur, etiam ne quasi rabida efficiatur his cum rebus acutis, in debilibus præsertim complexionibus, vel multum cholericis, ideo his intentionibus vtile est emplastrum Galeni toti membro superponere.

Sume plantaginis, lentis, panis surfurei ana partes æquales, coquantur in aqua donec ad quandam soliditatem perueniant, superpone loco doloris & circumcirca perlatum spacium. Auicenna addit galas, vbi plus de subtili sanguine apparet quam de compacto. Item ad istud vtile est emplastrum granatorum dulcium, & acetosorum coctorum in aceto & aqua, præsertim vbi apparet materia incensa. Post vero quam cessare incipit ardor, conuenit emplastrum Auicennæ, ex caricis pinguibus, passulis, nucibus, farina hordei, simul coctis ad maturandum & rumpendum. Post vero factam rupturam, mundificetur plaga cum succis apii, absynthii, plantaginis, melle rosato, farina, coctis cum modico terebenthinæ lotę, deinde consolidatur secundum ordinem aliarum plagarum, circumponitur vero vnguentum ex bolo armeno, & oleo rosato. Quidam ab initio causa fortis attractionis, ponunt inter musculos tibiarum, vel brachii, vel super spatulis herbam flammulam; id est, cuscutæ tritam, quæ quidem faciendo hulcerationem emunctoriorum ad se trahit vmores, & membrorum principalium. Istud remedium in robustis corporibus, & vbi nulla adest febris, vtile est, non alibi nec aliter. Nonnulli actuale faciunt cauterium super signo cum ferro ignito, quod quidem plus conuenit robustis, & vbi non est ardua febris.

Raimundus inquit, quod theriaca & bolus armenus non trahunt ad se venenum, sed procul depellunt; ideo dicit non esse assumenda per os post secundum vel tertium diem, quando materia iam venenosa est, & cor ipsum attigit, nisi bene euacuata sit & correcta. Item prohibet ne vnquam super signo ponantur, nec etiam vult vt apponantur, nisi signum extra emunctoria fuerit, & quoque ante tertium diem, & in circuitu, non supra. Potest administrari bolus armenus etiam post septimum diem, plaga veneno expurgata, vngendo in circuitu. Sic igitur conuenit in tertio antequam plaga sit facta venenosa, & conuenit post septimum postquam plaga veneno expurgata est, in circuitu autem vngi debet cum oleo rosato, aceto rosato, & aqua rosarum ad defendendum membrum. Hactenus Hispanensium & Catelanorum narrauimus opiniones vnà cum correctionibus Arnoldi & Raimundi medicorum singularium, vera res est, & Raimundus huius est sententiæ, scilicet quod non debeat purgari infirmus cum phlebotomia, medicina, aut vomitu, quando apostema repletum est admodum, & venenosum, hoc est, transacto die secundo, ne venenum tali motione intro reuertatur.

Hæc Quidem opinio videtur corrigenda secundum alios, & sic videlicet purgari debet si opus sit (cum dictis obseruantiis) etiam post ipsum diem secundum, sic tamen quod dum purgatur applices ventosas & sanguisugas, sub & super signo, & quod cor defendatur intus & extrà cum cordialibus frigidis, & hic quoque modus non prorsus est alienus ab intentione præfati Raimundi.

De astantium

De astantium conseruatione qui infirmum regunt.

CAPVT XXIIII.

HVius astantes præterea quæ dicta sũt in principio pro conseruatione(scilicet theriacam,pilulas & similia) nisi vacui fuerint sanguinea superfluitate,debent aliquantulum sanguinis extrahere ex vena communi, facta bona purgatione cum dictarum pilularum drachma vna, vel saltem media. Vtile est sæpius sumant pulueres & medicinam contra morbum, vt in præcedentibus dictum est, & mane aut quò magis procul possunt ab infirmo, præsertim cum sunt ieiuni. Euentetur sæpè locus habitationis,& fiant fumigia, vt suprà dictum est, nunquam prætermittendo terebenthinam,gestent in manibus faces ardentes,& carbones bene succensos bonis odoribus fumigantes, lauent vniuersum corpus cum aceto tepido bis in die scilicet manè & serò. Sæpenumero mutet indumenta,& frequentius remoueat fumigia, maximè cum thure,terebinthina,iunipero,myrto,sandalis, rosis,& camphora vel roremarino,lauro & similibus. Teneat in manibus arantium & faciscuIum rutæ vel querculæ maioris & mentæ ac melissæ cum myrto & flosculis recentibus,sit semper bene purgatus ab omni humore & cibo superfluo. Iterum repete salutiferum illum odorem cum aqua rosarum aceto rosato , vino maluatico, zedoaria vel corticibus citri,super omnia lauet sæpius cum his manus & vultum. Cuius etiam compositionis pauculum bibat,&teneat etiam admotam naribus spongiam in eadem iam dicta mixtura intinctam , ligatam in ligno fraxini , quoniam tantam habet fraxinus contra venenum potentiam , vt nullum animal veneficum eius appropinquare audeat vmbræ,suo neque odori,potius enim sese sponte ad concremandum igni concederet,quàm vt huic proximè adhæreret arbori. Faciant sæpiusculè ignes & focum per vniuersam domum,maximè cum lignis & rebus odoriferis. Nec putet qui semel ab hoc morbo liberatus est,sese deinceps non posse hoc in casu perire, quia præsenti anno ter virum ex Florentinis nostris hic morbus inuasit, qui secundo perfectè liberatus, tertio mortem euadere non potuit. Eodem iterum anno in mense Septembri mulierculam liberaui quadam à peste, sana equidem erat, vt cæteri qui semper sospites extiterant, ac cum inter morbosos versaretur, post dies XVIII. iterum infecta periit. Nulli confidendum est in hoc quod cæteris sit fortior & magis sanus, quoniam venenum ita fortes interimit vt debiles. Imò venenum istud plus quam reliquos offendit sanguineos atque robustos, eò quod apertæ sunt illis pectoris viæ, habent & cor valdè validum, multumque sanguinem calidum & humidum, ideo cordis ipsa caliditas per meatus apertos multum trahit aërem perniciosum , & quidem subito trahit , antequam temperari transitu possit. Etenim sanguinis caliditas per quàm cito succenditur & inflammatur. Confestim putrefactioni subest humiditas, inque venenum conuertitur , quippè vt quanto plus in vase vini , & quanto potentius,tanto etiam in plus,tumque in mordacius vertitur acetum , sic potens venenum, tanto quidem abundantior , quanto calidior fuerit in pectore sanguis,quando equidem sanguis fit ipse venenum, perquàm faciliter paruoque ipsius contactu transmutatur ad idem. Conuertunt enim se alterutrum contactæ inuicem partes ad venenum. Nec te prætereat ô qui patientis curam geris,quod quanto illi es propinquior, tum cognatione,tum complexionis vel naturæ ac constellationis symboleitate,tantò quidem maiori contagionis subiaces periculo , quia lationis quædam inest qualitati promptitudo , vt similis ad simile adimpleri transmutatio possit veluti ignis ad aërem, ad aquam aëris huius ad terram. Et cum duæ citharæ , binæ vel fidiculæ versu modulantur eodem , tunc quidem resonat motus, voxque huius in illam. Si verò petis , quas intret per vias venenum ? respondeo, quod omnes per corporis poros,maximè qui magis aperti. Citius autem offendit quando per nares, per os,perque pulsus ingreditur, & multo quidem fortius si vias adinuenerit in calidis,humidis subtilibusque apertas humoribus , & si quoque à similibus prouenit humoribus,sique influentia Martis cum diuerso euenit & modo contrario , cumque Saturnio influxu se quidem eo tardius demonstrat. Multoties immanet vestibus diu & cute viis patentibus & venis cordi propinquis , nec inde quisquam grauari videtur , quia pauculus est leuisque vapor , nec eam habet cæteris vt cordi partibus contrarietatem,sed ipsi tantillum cum primum cordi contiguum efficitur, manifestè non occultè lędit. Similiter rabidicanis venenũ, nec non & alia suam lõgo etiam post tempore detegunt offensionem. Hæc denique scias velim , quod scilicet per bimestre spacium remanet venenum in personis. Parietes, ferramenta, & quæ sunt ex lignis constructa , nisi corrigantur cum lotionibus,

fumigiis, ignibus, per annum vel plus fortè suam reseruant venenositatem. Vestes quoque laneæ, & id genus nisi euententur, lauentur, sæpiusque fumigentur, vel ponantur ad ignem, ad ventum, ad Solem, tribus annis & vltra remanent infectæ. Nosti quidem mucidi odorem aranci;, in qua mucesserit capsula, multos seruari per annos. Similiter suo quo prius erat bombace musci diu permanet odor. Equidem vt ignis oleum, sic nutrimentum huius est lana veneni, & quidem ita enutrit hęc lana venenum, vt non modo conseruet ipsum, sed & augmentet simulque fortificet. Non est vtendum pro cibi vel potus dispositione vasis illorum qui infecti sunt, nec tangi debet quicquid adhęserit illis. Iucundè tibi viuendum est, eo quod lætitia vitalem confortat spiritum. Continenter & sobriè viuas, siquidem tanti est valoris sobrietas & continentia, vt ea sola mediante in multis & quidem grauibus (Athenis quæ fuerant) pestilentiis Socrates Philosophus sese seruarit incolumē. Inquiunt ideo Aristoteles atque Galenus talem esse in puris corporibus dispositionem, vt fermè nunquam sentiant pestem vel ea ipsa (& si infecti) saltem non pereunt. En tibi iam duo, vt conseruet singularia trado. Parato vt bibi possit smaragdum, vt tangi, vt ore teneri suspendique collo, cuius tanta est aduersus venena virtus, vt, teste Rasi, Auenzoar, Serapione, tyris & bubonibus eius conspectu ex sese statim lumina cadant. Pauperibus dare soleo raphanum syluestrem, parum pro vicene sanguinem incendat, tantam enim habet contra venenum efficaciam, vt scorpionem eius contactu crepari faciat, & dicit Dioscorides, quod trito cum aceto eius semine lotis manibus, tangendo serpentes, nocere minimè possunt. Lapis bezoar (si quis posset habere eum) super omnia valdè aduersus venena, quamuis enim Persico idiomati id omne bezoar ab antiquis appellari solet, cuius est proprietas virtusque pellendi venena, secundum tamen Serapionem, & Rasim principaliter vocatur bezoar, lapis quidam omnibus venenis tum calidis tum frigidis morsibus cunctisue vlceribus venenosis sua virtute resistens, & confert siue sumatur per os, tum etiam ore teneatur, vel è collo suspensus, tum denique quouis modo applicatus ad extra. Oritur in Syria, in India, in partibus Orientis, estque diuersi, diuersus trini coloris. Nam quidem glaucus est & fuscus, quidam glaucus, fuscus & viridis, alter verò albus & aliqualiter glauculus videlicet similis colori vini, albi, clari, hic inter cæteros est optimus, leuis, delicatus, mollis, absque sapore, splendens vt lumen. Dosis eius quando per os recipitur est grana duodecim. Testificantur Rasis & Serapio sæpius se suis compertum habuisse temporibus, quod preciosissimus iste lapis omnes tam simplices quàm compositas Medicinas, tum etiam compositas theriacas propria qualitate superauerit in resistendo venenis. Inquit Hahamed, ligetur in anulo, insculpaturque scilicet lapidi Scorpionis imago, cum Luna est in Scorpione, respiciendo ipsum ascendentem. Quo facto sigillentur cum eo thura, quando fuerit in signo Scorpionis. Quod si postmodum huiuscemodi thuris puluerisati ad debitam quantitatem yenenato in potu dederis, tantum valebit aduersus venena, quantum proprius ipse lapis. Inquit Abdallahamarac hunc se vidisse lapidem, quem comparasse ait filium Mamari, seque in solutionem lapidis Cordubæ palatium dedisse. Serapion ait eundem mirabilia operari non solum in hominibus, sed & in cæteris quibusdam animantibus, primum quod contingendo hoc lapide Scorpionis aculeum deperdit pungendi potentiam. Præterea tritum mixtumque cum aqua serpentisque ori impositum, occidere eum asserit.

Fuge cito, procul, ac tarde reuertaris.

CAPVT XXV.

Reseruare visum est ad libri calcem principalium hac in materia regularum declarationem. Fuge quantum potes hominum conuersationem, & maxime quando es ieiunus. Sis semper remotus à socio ad minus per spacium bicubiti, & in loco aperto, & ab infecto (cum secum loqueris) remotior saltem per sex cubitorum interstitium, & sub dio vel loco aëreo, & caue ne ventorum status ab eo versus te spiret. Inter te & ipsum sit Sol, ignis odores, vel tendens ad ipsum ventus, loca enim angusta simulque turba hominum, valdè periculosa sunt. Hoc etiam commemoro, quod parietum procinctu ac domuum contingentia & continuatione multiplicatur morbosa contagio. Super omnia suadeo vt cito ac procul fugias ab his locis quibus imminet pestis, tardeque redeas. Dixi cito, hoc est, quam primum apparent signa proximæ pestis, quæ quidem signa sunt, quando eius loci aër extra naturalem suam dispositionem esse videtur, declinando ad calidum & humidum, quando nebulosus, nubesque densæ, pulueru lentus apparet, venti grossi & tepidi, ac etiam quando aquæ &

aeri fumant & olēt, sic pariter & pisces mali sunt saporis atque odoris. Cùm multa super terra ex putrefactione nata apparent animalia, fungorum & putridarum herbarum copia, terræ fructus & animalia insipida sunt, & parum conseruantur, turbida efficiuntur vina, multa & terrestria, & aëria animalia ab eo loci recedunt, insolitæ oriuntur febres latentes, furiosæ, continuæ, fallaces, cum pectoris anxietate, cum pulsus prosternatione, phrenesis, vrinarum turbulentia, palati, intestinorum excoriationes, oculorum rubedo, vermes, morbilli, multæ fœminarum conturbationes, iræ rabidæ, rixæ, dira bella, monstra naturæ, mirandaque vel naturæ vel à Deo signa, inuisa multum & rara. Hæc enim quæ diximus præsagia sunt propinquæ pestis. Tunc igitur fuge antequam vnus efficiaris de duodecim mille signatis. Id verò dupliciter fieri potest, scilicet vel quia iam captus eris contagione infectorum, vel quia tristem infecti aeris qualitatem iam recepetis, sic quod pedetētim fiat ille tibi familiaris aer, ita quoq; nec aeri natura, nec aer illi resistet, verùm si alienam subitò quæsieris auram abibit primus aer, illique natura resistet, & hic naturæ, prouenit vnde pestis origo. Et etiam vt procul aufugias moneo, videlicet vt ea te ad loca conferas quibus res, nec personæ, nec soni, strepitus, rumores quicunque infecti loci ad te peruenire valeant. Sicque remotus esto, vt alti intermedient montes, quibus vaporum prohibeatur accessus, ne ventorum flatu, vel aeris dilatatione te possint contingere. Considera loci ad quem curris dispositionem & situm, videlicet ne pestilēti quouis modo sit similis aeri, vtpote in calido, frigido, humido, siccoque, nubibus, pluuiis, ventis; sit denique tali in loco firmatus, vt venti, nubes, pluuiæ, spirare, dilatari, ab inde ad te moueri nequaquam possint. Nec te hoc fugiat, quod Horoscopus, siue Ascendens alicuius vrbis vel castelli infectæ, vel infecti, sæpius ad ea loca omnia pestem extendit, quæ illi ab initio ciuitati vel castello subiacent, & quæ aliqualem eo cum Ascendente conformitatem habent. Tertiò dicimus, vt tardè reuertaris, quoniam pauxillula transacti morbi remanens infectio, potens est ad eos per quam subito maculandum omnes, qui etiam haud intempestiuo fugam tempore ceperunt, quia maiori subsunt periculo, qui locum frequentant infectum cùm prius aufugerint, quàm hi qui semper ibidem, cum cautela tamen, permanserunt, quoniam subita nouaque malè toleret natura accidentia, & præter hoc diutissimè quidem remanent hæ (vt ante diximus) qualitates in parietibus, lignamentis, vestibus, pannis quibusq; & cæteris. Quantum vero ad solius aeris dispositionem vna sufficit angaria, ita vt vbi ad tres menses immunes ab hoc morbo omnes quicunque sunt perstiterint, iudicare potest aerem iam fore purgatum. Sed esto cautissimus in appropinquatione & contactu eorum quæ plus aere venenum retinent. Procinctus fornacium in muris diutius seruant quàm ligna venenosam caliditatem, verum purificando (vt sæpius diximus) videlicet cum ignibus, lotionibus, euentationibus, fumigiis, odoribus, & reliquis. Purificantur homines communiter spatio quatuordecim dierum, domus, lignamenta, & cætera in viginti vno. Panni, vestimenta, & huiusmodi spatio dierum viginti octo. His habeas temporibus separata ad bibendum pariter & manducandum vascula & lectisternia quæque, vel saltem si cætera non possis linteamina reliqua lotionibus & fumigiis purificata Equi, pecuniæ, suppellectilia, sarcinulæ & huiusmodi, nisi admodum cautè egeris, venenum diu seruare solent, quare vigil, cautus, & prudens esto, cunctisque ordinatim prouideas.

(.·.)

MARSILII FICINI EPIDEMIARVM
Antidoti finis.





MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

(.) LIBER PRIMVS. (.:)

PROOEMIVM IN EPISTOLAS.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus cunctis semel
Epistolis suis, S.



*Q*VOTIES *Epistolæ meæ amicis meis, (me iubente) salutem dicitis, toties amicissimo vestro Hieronymo Rossio immortales salutes dicite. Vos enim ego mortales genueram, ac nescio qua fortuna propediem moribundas. Hieronymus autem insignis pietate vir regenerauit vos nuper (vt spero) iam immortales. Latebatis enim iamdiu lucis cupidæ, nec quisquam adhuc è tenebris eruebat, Fato forsan vel Genio nondum volente. Rossius autem noster, imò & vobis Roscius qua pietate semper erga parentem vestrum Marsilium se gessit, eadem nunc & vos charitate hæreditaria feliciter est prosequutus, diligentia simul & opera curans, vt vestræ facies iam oppressæ prorsus exprimerentur. Hunc ergo doctum piumque restitutorem vestrum, hactenus quidem tristes, nunc hilares salutate, atque pro ingenti immortalitatis munere, immortales gratias agite.* XV. *Decembris.* M. CCCC. XCIIII. *Florentiæ.*



MARSILII FICINI FLORENTINI, IN EPISTOLAS SVAS PROOEMIVM

SCILICET IN I. LIBRVM:

AD IVLIANVM MEDICEM, Virum Magnanimum.

MARSILIVS FICINVS IVLIANO MEDICI, Viro Magnanimo, S. D.



AGNVS Cosmus (Magnanime Iuliane) auus tuus patronus, sæpè Platonicum illud habebat in ore, nihil ad egregias res agendas commodatius esse quàm prudentium doctorumque virorum beneuolentiam, nullumque certius argumentum esse vel iustitiæ prudentiæque quàm si amici huiusmodi adsint, iniustitiæ & imprudentiæ quàm si desint. Aureum hoc Platonis nostri præceptum. Cosmus re ipsa etiam multomagis quàm verbis in omni eius vita probauit, vir certè, præ cæteris diues pecuniarum, longè ditior hominum, prudentiæ iustitiæque ditissimus. Atque id quod rarissimum & mirabile est, filium & nepotes huius omnis thesauri reliquit hæredes. Quo fit vt Iuliano meo senem illum ex quo vnico post Deum salus mea pendebat agnoscam. Nemo est igitur quem magis saluere cupiam quàm Iulianum, atque id quidem quotidie Deum precor & obsecro. Vt autem tibi animi mei votum affectumque certius declarem, volumen primum Epistolarum ad amicos mearum tibi amicorum regi dedicare decreui. Quo & amici omnes ad vnum præcipuum referantur amicum, & tum in iis legendis, quoties salutem legis, toties Iulianum à Marsilio intelligas salutari.

De fœlicitatis desiderio.

COSMVS MEDICES,
Marsilio Ficino Platonico, S. D.

CONtuli heri me in agrum Charegium, non agri, sed animi colendi gratia, veni ad nos Marsili quamprimum. Fer tecum Platonis nostri librum de Summo bono, quem te isthic arbitror iam è Græca lingua in Latinam, vt promiseras, transtulisse. Nihil enim ardentius cupio, quàm quæ via commodius ad felicitatem ducat cognoscere. Vale & veni non absque Orphica lyra.

Quæ sit ad fœlicitatem via.

MARSILIVS FICINVS
Magno Cosmo, S. D.

VEniam ad te cum primum potero quàm libentissimè. Quid enim gratius quàm in Charegio, hoc est, gratiarum agro vnà cum Cosmo gratiarum patre versari? Interim accipe paucis quæ apud Platonicos via sit ad felicitatem accommodatissima. Et quamuis existimem non oportere ei viam monstrari qui propè iam peruenit ad calcem, desiderio tamen tuo & in absentia, & in præsentia obsequendum esse censui. Omnes homines bene agere, hoc est, bene viuere volunt. Bene autem viuent, si bona illis adsint quamplurima. Bona verò hæc dicuntur, diuitiæ, sanitas, forma, robur, nobilitas generis, honores, potentia, prudentia, præterea iustitia, fortitudo, temperantia, & præ cæteris omnibus sapientia, quæ quidem vim omnem felicitatis complectitur. Felicitas quippè in prospera optati finis consecutione consistit, id autem in singulis facultatibus sapientia præbet. Siquidem periti tibicines quicquid tibiarum vsus requirit optimè consequuntur, & eruditi Grammatici quod ad literas tum legendas, tum scribendas pertinet, sapientes quoque gubernatores quoad prosperum nauigationis portum, prę cæteris assequuntur, necnon belli dux sapiens quod ad militiam attinet tutius expedit, & sapiens Medicus melius ad optatam perducit corporis valetudinem. Quamobrem sapientia in singulis humanis operibus nos voti compotes pro viribus efficit, neque aberrat vnquam, neque fallitur, alioquin sapientia reuera non esset. Cum verò causa consequendi finis sapientia sit, necessarium est eam ad fœlicitatem totum valere. Præterea ij dumtaxat quibus bona plurima adsunt beati dicuntur. Hi tamen non prius beati sunt, quam bona ipsis præsentia prosint, neque prosunt vnquam, nisi illis vtantur. Sola enim sine vsu possessio, nihil momenti ad felicitatem habet. Verumtamen nec vsus etiam sufficit, potest non quis malè vti, ex quo contingit vt lædatur potius quam adiuuetur. Vt igitur possessioni vsum addimus, sic & vsui rectitudinem addere decet, ne vtamur solum, verumetiam rectè vtamur, vt autem singulis rectè vtamur, sola nobis sapientia præstat. Quod quidem licet in artibus intueri. In quibus illi dumtaxat, qui artis periti sunt tam materia quàm instrumentis rectè vtuntur. Eadem quoque ratione vt diuitiis, sanitate, forma, robore, ac cæteris quæ bona vocantur, vtamur rectè, sapientia efficit. Quapropter in omni possessione, vsu, operatione, causa prosperè beneque agendi scientia est. Nam qui sine mente & possidet multa & vtitur, tanto læditur magis possidet, plura pluribusue abutitur. Sanè qui insipiens, quo minus agit minus errat. Minus errans, minus etiam male agit. Minus autem male agens est miser. Agit certe minus, si pauper sit quam si diues, sit debilis quam si robustus, timidus quam audax, piger quam vigil, tardus quam velox, hebes quam sagax. Itaque nulla eorum, quæ in superioribus bona nuncupabantur, per se bona sunt. Nam si illis inscitia præsit, tanto deteriora sunt quam eorum contraria, quanto vberius improbo duci adminicula scelerum possunt suppeditare, sin autem prudentia sapientiaque illi præsideant, tum denique meliora. Ipsa tamen per se neque bona sunt neque mala, sapienti si quidem viro tam aduersa quam prospera denique euadunt, vtilia rectè vtrisque vtenti, insipienti vero contra. Sola igitur ex omnibus rebus nostris sapientia per se bonum est, sola insipientia per se malum. Cum ergo omnes felices esse velimus, felicitasque absque recto rerum vsu haberi non possit, rectum verò rerum vsum scientia præbeat, cæteris omnibus prætermissis omni cum Philosophiæ plenitudine tum pietatis studio niti quisque debet, vt quam sapientissimus fiat, sic enim animus noster Deo, qui sapientia ipsa est, euadit simillimus, in qua quidem similitudine summum Plato consistere gradum beatitudinis arbitratur.

(·:) (·:) (·:)

Imitatio vtilior est quàm lectio.

MARSILIVS FICINVS
Amerigo Bencio, viro
magnifico, S. D.

ACcepi hodie tuo nomine Græcos Platonis nostri Dialogos, munus certè magnificum, animo tuo dignum, meo gratissimum. Gratias tibi ago magnas. & immortalem gratiam quandoque cœlestes tibi referant gratiæ. Imitari in hoc, sicut in plerisque aliis, magnum Cosmum, vt arbitror. voluisti, is enim superioribus diebus Bibliothecam meam Græco ornauit Platone. Donum Amerige tuum laudo equidem, imitationem probo. Accommodatior namque ad virtutem via est imitatio quàm lectio, sane quemadmdum harmonia, dum præsens aures nostras illabitur, vehementius afficit, quam dum præterita cogitatur, ac prælium cum spectatur acrius mouet, quam cùm narratur, sic egregia viuentium Heroum opera ardentius ad virtutem inflammant exactiusque formant, quam veterum Philosophorum de Moribus disputantium verba.

Medicina corpus, Musica spiritum, Theologia animum curat.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Musano Cesiensi, S. D.

CVm primum tertiana notha medicinis nostris expulsa, vna cum Ioanne Aurelio Academiam nostram, tanquam Medicum tuum salutauisses, citharæ sonum, cantumque hymnorum postulasti à nobis & impetrasti. Deinde multa sparsim in nostra illa Theologia legisti. Noli Francisce mirari, quòd medicinam lyramque cum Theologiæ studiis misceamus. Meminisse debes, cùm Philosophiæ sis deditus, naturam in nobis corpus & spiritum cum anima coniunxisse. Corpus quidem remediis medicinæ curatur. Spiritus autem qui aëreus sanguinis vaporem, & quasi quidam animæ corporisque nodus, aëreis quoque odoribus, sonisque & cantibus temperatur & alitur. Animus denique tanquam diuinus diuinis Theologiæ mysteriis expiatur. Apud naturam vnum quiddam est ex anima & corpore spirituque compositum Apud Ægyptios sacerdotes vna eademque facultas erat, pharmacis fidibus, mysteriis occupara. Vtinam hanc naturalem & Ægyptiam facultatem tam fœliciter assequamur quàm obnixè libenterque sectamur. Sed de his in præsentia satis. Iussisti heri vt prouerbium illud meum academiæ parietibus vndique inscriptum, tibi transcriberem. Accipe, à bono in bonum omnia diriguntur. Lætus impræsens. Neque censum existimes, neque appetas dignitatem, fuge excessum, fuge negotia, lætus impræsens. Vale.

Dialogus inter Deum & animam Theologicus.

MARSILIVS FICINVS
Michaëli Mercato Miniatensi dilecto conphilosopho suo. S.D.

SÆpè de moralibus naturalibusque vnà philosophati sumus dilecte Michaël, sæpius de diuinis, memini autem te sæpenumero solitum dicere, moralia vsu comparanda esse, naturalia ratione quærenda, diuina à Deo oratione petenda. Legi etiam apud Platonem nostrum, diuina ob vitæ puritatem reuelari, potiusquam doctrina verbisque doceri. Hæc igitur atque similia cum sedulo cogitarem, cœpi quandoque lugere animo. Vtpote qui & rationi iam diffiderem, & nondum reuelationi confiderem. Ortus hinc est intimus quidam inter animam Deumque Dialogus. Hunc audi si placet, quamuis existimem te fortè propius iam quam nos alloqui Deum. DEVS. Misera quid tantum luges anima mea, pone iam finem ô filia lachrymis. En adsum tibi pater tuus, adsum Medicina salusque tua. ANIMA. O vtinam meus mihi pater aspiret. Ah! si putarem posse tantum mihi munus obtingere, ah! quantum lætitia insanirem? Nunc verò quo pacto fieri valeat istud non video, neque enim qui mihi tantum extrinsecus adest summus est pater meus. Ille siquidem naturæ artifex, vt opinor, interius etiam me prolem suam genuit quàm naturam suam, neque qui tantum intrinsecus inest summus est pater meus, ille siquidem maior me est, qui verò intra me est, me est proculdubio minor. Quo autem modo & intra simul & extra me quicquam esse queat ignoro. Hoc me hospes quicunque sis, hoc me grauiter angit, quòd sine patre meo viuere nolim, & ipsum reperire posse diffido. DEVS. Pone finem, ô filia, lachrymis ne te afflictes ô filia, & non hospes est qui tecum loquitur, sed domesticus familiarior tibi quàm ipsa tibi. Adsum equidem tibi simul & insum. Adsum equidem tibi quia insum, insum tibi quia tu es in me, quæ nisi esses in me, non esses in te, imò omnino non esses.

Pone finem, ô filia, lachrymis, ecce parens. Parens tuus, quantum mole est, omnium minimus, tantùm virtute est maximus omnium, & quoniam angustissimus est, est intra omnia, quoniam amplissimus, extra omnia, ecce tibi adsum, & intus & extra angustia maxima, minima amplitudo. Ecce, inquam, nonne vides? Cœlum & terram ego impleo, & penetro, & contineo. Impleo, non impleor, quia ipsa sum plenitudo. Penetro, non penetror; quia ipsa sum penetrandi potestas. Contineo, non contineor, quia ipsa sum continendi facultas. Non impleor, ne indignus fuerim, quia copia ipsa sum. Non penetror, ne esse desinam, qui ipsum esse sum. Non contineor, ne desinam esse Deus, qui infinitas ipsa sum. Ecce nonne vides, ingredior per omnia non permixtus, vt & supergredi valeam, qui excellentia ipsa sum. Supergredior omnia non disiunctus, vt simul & ingredi valeam, & ingredi penitus, & vnire qui vnio ipsa sum, per quam fiunt, per quam constant, quam appetunt omnia. Cur diffidis reperire parentem, ô demens, non difficile reperitur vbi sim, siquidem in me sunt, ex me fiunt, per me seruantur quælibet, semper vbique. Et infinita virtute, per infinitum amplificor interuallum. Quin potius nullo modo reperitur vbi non sim, per me quippe hoc ipsum vbi est, diciturque vbique, per me ducem, per me lucem agit, & quærit quodcunque agit quisque & quærit alicubi, non desideratur vsquam nisi bonum, non reperitur vsquam nisi verum, ego sum omne bonum, ego sum omne verum, quære faciem meam & viues. Sed ne mouearis, vt me tangas, qui stabilitas ipsa sum, ne distraharis per varia, vt me apprehendas, qui vnitas ipsa sum. Siste motum, collige multitudinem, me protinus assequeris, iamdiu te penitus assequutum. ANIMA. Hui tam citò me deseris, ô mea salus! Cur tam repente filiam deseris sitibundam? Perge, age vlterius, perge precor, venerabile Numen, dic obsecro, per maiestatem tuam, si placet, planius, ah! fac vt placeat, dic ergo, quia placuerit, planius, quid non es pater meus, vt reuiuiscam? Quid es iterum, mi pater, vt viuam? DEVS. Non corporis natura parens est tibi filia. Tãto enim melior est quanto parenti magis obtemperas, es autem tanto præstãtior, quanto magis corpori aduersaris. Bonum tibi est esse cum patre, malum tibi est esse cum corpore. Non animus aliquis te genuit, ô anima, alioqui nihil super animum cogitares, & in ipsa animi mutabilitate sisteres gradum, neque stabilem prorsus naturam exigeres. Non intellectus aliquis multiplex te creauit, non enim simplicitatem summam attingeres, & intellectus ipsius tibi sufficeret consequutio, nunc autem ad ipsam vitam, ad ipsam essentiam, ad ipsum esse absolutum intelligendo atque amando ascendis super quemlibet intellectum, neque satis tibi intelligentia est nisi & bene & bonum intelligas. Bonum verò ipsum tibi satis est absque dubio, non enim ob aliam rationem requiris quodlibet, nisi quia bonum. Bonum igitur ipsum procreator tuus est anima, non bonum corpus, non bonus animus, non bonus intellectus, sed bonum. Bonũ quod quidem in seipso consistit, extra subiecti limites infinitum, infinitáq; tibi tribuit vitam, vel ab æuo in æuum, vel saltem ab initio quodam in sempiternum. Boni faciem intueri desideras? mundum conspice vniuersum, Solis lumine plenum. Lumen conspice in materia mundi plenum omnibus rerum omnium formis, atq; volubile, subtrahe materiam, relinque cætera. Habes animam in corporeum lumen, omniforme, mutabile. Deme rursus huic mutationem, es iam intellectum Angelicum consequuta, incorporeum lumen, omniforme, immutabile. Detrahe huic eam diuersitatem per quam forma quælibet diuersa est lumine, & aliunde infusa est lumini, ita vt eadem luminis & formæ cuiusque essentia sit, lumenque ipsum sese formet, perque formas suas formet omnia. Lumen hoc infinitè lucet, quia natura lucet sua, neque alterius mixtione inficitur, vel contrahitur, per omnia est, quia in nullo, in nullo est propriè vt æquè per omnia fulgeat. Viuit ex se, & vitam præstat cunctis, quandoquidem vmbra eius qualis est lux ista Solis, sola incorporalibus est viuifica. Sentit quælibet, sensumque largitur, si vmbra eius sensus omnes omnibus excitat. Amat denique singula, si maximè sua sunt singula. Ergo qui Solis est lumen? Vmbra Dei: Ergo quid Deus est? Sol Solis est Deus, Solis lumen est Deus in corpore mundi, Deus est Solis lumen super Angelicos intellectus. Talis vmbra mea est, ô anima, vt rerum omnium corporalium pulcherrima sit. Qualem esse meam lucem existimas? Si tantùm mea lucet vmbra, quantum lux mea fulget? Amas lucem vbique præ cæteris, imò solam? Ama me solum, solam, ô anima, lucem infinitam, lucem me, inquam, infinitè ama, fulgebis iam, & oblectaberis infinitè. ANIMA. O rem miram, quæ admirationem ipsam exuperat!

Quis nunc me insolitus vrit ignis? Quis mihi Sol nouus, & vnde subrutilat? Quis nam, & vnde tantus, & tam dulcis spiritus meas modo medullas pungit, & mulcet? mordet & lambit, stimulat & titillat, quàm amara dulcedo hæc est? Cogitare quis possit, etiam amara dulcedo, quæ me liquefacit penitus & euiscerat. Cuius comparatione, quaue sublata, amara mihi vel quæ dulcissima sunt videntur. Quam dulcis amaritudo quæ me dilaniatam conglutinat & reintegrat, qua cum mihi vel amarissima quæque dulcescunt. Quàm necessaria voluntas hæc est, cum bonum ipsum nolle non possim, & aliud quodlibet vitare potius valeam, vel differre, quam boni auiditatem. Nam & si hanc vitare voluero, non nisi quia deuitationem ipsam bonam existimauerim, deuitare tentabo, quam rursus voluntaria huiusmodi necessitas est. Cum nihil magis voluntarium sit quam bonum, propter quod omnia, imò quod in omnibus vbique volo, & ita volo, vt velim insuper non posse nolle, quam viua mors ista est, quis cogitet, per quam in me morior, in Deo viuo, per quam morti morior, vitæ viuo & viuo vita, & gaudeo gaudio. O voluptatem super sensum. O lætitia super animum. O gaudium super mentem. Sum equidem nunc extra mentem, neque amens tamen, quia super mentem. Furo rursus, furo nimium, neque præcipitor tamen, quia tollor in altum. Gestio nunc vndique totus, & diffluo, neque dispergor tamen, quia me colligit mecum, quia me viuit secum. Deus vnitas vnitatum. Exultate igitur nunc mecum omnes quorum Deus exultatio est. Deus meus obuius factus est mihi, Deus vniuersi amplexus est me. Deus Deorum meas modo medullas illabitur. Iam iam alit me Deus ipse totam, & qui genuit me regenerat. Genuerat animam, reformat in Angelum, conuertit in Deum, quam ego gratiam tibi referam, ô gratia gratiarum? Tu ipse doce me gratia gratiarum, doce precor & præsta. Gratia denique tibimet, Deus ipse tu, Deus esto.

Lex & Iustitia.

MARSILIVS FICINVS Octoni Nicholino, Benedicto Aretino, viris consultis, Petro Pactio & Bernardo Iunio Equitibus, S. D.

PErsuasistis mihi vt Græcas Platonis leges Latinas efficerem, ad idem cohortatus est me etiam magnus Cosmus. Itaque feci iam, atque eo libentius, quòd arbitrabar ciuitati magis opus esse optimis viris consultis quam mercatoribus bonis aut Medicis. Ac tanto magis profuisse Græcis Minoen quàm Galenum, quanto animus præstantior est quàm corpus, aut spiritus, & æterna vita quàm temporalis. Mercatura quippè corpus, Medicina spiritus, lex anima ciuitatis esse videtur, & quamuis multæ videantur esse leges in ciuitate, non tamen multæ sunt ciuitatis animæ. Sicut enim multæ artes, variique ciuium gradus, non plures ciuitates, sed vnicam faciunt, si ad finem eundem simili ratione proficiscantur, ita quamuis multæ sint magistratuum constitutiones in vrbe, vnica tamen est publica lex, communis, scilicet, rectè viuendi regula, ad publicam conducens felicitatem. Ad hanc legem Deus nos & natura præparant, constitutiones cohortantur, Deus vnicus denique format. A diuina enim lege, tum lex syderum, tum lex hominum proficiscitur. Quamobrem omnes legum conditores partim Mosen, tanquam simiæ, imitati diuinarum legum verissimum authorem, partim nescio quomodo veritate compulsi, à Deo leges se habuisse sub variis figmentis affirmauerunt, Ægyptiorum legumlator Osiris à Mercurio, Zautrastes apud Arimaspos à bono numine, Xamolxis apud Scythas à Vesta, Minos Cretensis & Solon Atheniensis ab Ioue, Lycurgus Lacedæmonius ab Apolline, Numa rex Romanorum à Nympha Egeria, Mahumetes rex Arabum ab Angelo Gabriele, noster Plato legum libros exorditur à Deo, quem esse ait communem legum omnium conditorem, quod etiam in Dialogo qui Prothagoras inscribitur, confirmauit, dicens, artes illas quæ ad victum pertinent à Prometheo, hoc est, humana prouidentia nobis traditas esse, Legem verò bene feliciterque viuendi ab Ioue, id est, diuina prouidentia per Mercurium, hoc est, inspirationem Angelicam, fuisse concessam. Non possum amici optimi viri legis non admirari. Legis siquidem ordo & concentus aliquis necessarius est in elementis mundi animalisque humoribus, in brutorum victu, in conturbernio quoque latronum, hi enim absque iusto quodam ordine vna versari non possunt. Quid autem dicemus ad hoc quod cum apud inferos alia nulla sit virtus, non desunt illic tamen lex & iustitia, quam pro meritis improbos puniant, & cum inter beatos non sint virtutes illæ morales amplius necessariæ, quæ ad sedatas corporis sensuumque perturbationes mortalibus conferunt, à quibus liberati iam sunt qui beata vita fruuntur, lex tamen inter eos & iustitia vigent, quæ pro digni-

te singulos æternis afficiunt præmiis seruantque beatos. Valete felices.

De diuino furore.

MARSILIVS FICINVS
Peregrino Alio, S. D.

TErtio calendas decembres Ficinus Medicus pater meus duas Epistolas tuo nomine ad me Fighinium attulit, alteram quidem soluta oratione scriptam, versibus alteram, quibus profectò legendis effectum est vt nostris temporibus admodum gratuler, quòd eum adolescẽtem protulerint, cuius fama & gloria illustrari possint. Equidem Peregrine mi suauissime, cum ætatem tuam pariter, & ea quæ abs te quotidie proficiscuntur considero, non solum tantis amici bonis gaudeo, verumetiam vehementer admiror, atque haud scio, vt recentiores istos omittam, quis nam è priscis illis quorum memoriã veneramur, tantum in ea qua tu nunc es ætate profecerit, id verò non arti modo ac studio, sed & multo magis diuino illi furori, sine quo quẽquam magnum vnquam fuisse virum, Democritus ac Plato negant, adscribo. Quo te afflari, vt ita dixerim, ac penitus corripi, concitatiores quidam motus affectusque ardentissimi, quo scripta tua exprimunt, argumento esse possunt, atque hanc ipsam quæ externis motibus fit concitationem, potissimum Philosophi veteres argumentum esse voluerunt vim quandam in animis nostris esse diuinam. Sed quoniam à nobis de furore mentio facta est, ea de re Platonis nostri sententiam paucis, & ea breuitate quam Epistola exigit referam, vt quid furor sit, quot in partes deducatur, & quis cuique furori Deus præsit facilè intelligas, quod quidem tum voluptati, tum etiam vtilitati maximè tibi fore confido. Cẽset igitur ille animum nostrum priusquam in corpora laberetur, vt etiam Pythagoras, Empedocles, atque Heraclitus antea disputauerant, in cœlestibus sedibus extitisse, vbi veritatis contemplatione, vt Socrates in Phædro inquit, nutriebatur atque gaudebat. Cumque ij quos paulo ante memoraui Philosophi, Deum summum fontem quendam ac lumen, in quo rerum omnium exemplaria, quas ideas nominãt, elucescant, esse à Mercurio Trismegisto Ægyptiorum omnium sapientissimo didicissent, necessarium fore putabant animum æternam Dei mentem assiduè contemplantem, rerum quoque omnium naturas clarius intueri. Videbat igitur animus, inquit Plato, ipsam iustitiam, videbat sapientiam, videbat harmoniam, & quandam diuinæ naturæ mirabilem pulchritudinem, atque has omnes tum ideas, tum diuinas essentias, tum primas naturas quæ in æterna Dei mente sint, nominat, quarum perfecta quadam cognitione hominum mentes quamdiu illic degunt feliciter nutriantur. Cum verò ob terrenarum rerum cogitationem appetitionemque animi ad corpora deprimuntur, tunc qui prius ambrosia ac nectare, id est, Dei cognitione perfectoque gaudio nutriebantur, continuo in ipsa descensione flumen letheum, id est, obliuionem diuinorum haurire dicuntur, nec prius ad superos, vnde terrenæ cogitationes pondere deciderant, reuolare, quàm diuinas illas, quarum obliuionem susceperant, naturas recogitare cœperint, id autem duabus virtutibus, ea videlicet quæ ad mores, ea insuper quę ad contemplationem pertinent assequi nos Philosophus ille diuinus existimat, quarũ alteram cõmuni vocabulo iustitiam, alterã verò sapientiã nominat. Quapropter geminis, inquit, alis, has, mea quidem sententia, virtutes intelligens animos ad superos euolare, easque duabus similiter Philosophiæ partibus, actiua, scilicet, & contemplatiua cõsequi nos in Phædone Socrates disserit. Vnde ipse idem in Phædro sola, inquit, Philosophi mens recuperat alas. In hac autem ipsa alarum recuperatione abstrahi à corpore illarum vi animum Deoq; plenũ ad superos trahi, ac vehemẽter anniti. Quamquidem abstractionem ac nixum, Plato diuinum furorẽ nuncupat, eumq; quatuor in partes distribuit, neque enim diuinorum putat vnquam homines reminisci, nisi quibusdam eorũ quasi vmbris atq; imaginibus quę corporis percipiuntur sensibus, excitentur. Itaq; Paulus ac Dionysius, Christianorũ Theologorum sapientissimi, inuisibilia Dei asserunt per ea quæ facta sunt, quæque hic cernuntur intelligi, diuinæ verò sapientiæ imaginem esse Plato vult hominum sapientiam. Diuinæ harmoniæ imaginem hanc ipsam quam vocibus instrumentisque Musicis fingimus harmoniam, diuinæ autem pulchritudinis eam quæ ex partium membrorumque corporis aptissima compositione conficitur, conuenientiam venustatemque imaginem esse censet. Cum verò sapientia nullis, aut certè perpaucis hominibus adsit, nec vllis corporis sensibus comprehendatur, efficitur vt diuinæ sapientiæ similitudines apud nos perpaucæ sint, & hæ quidem sensibus nostris occultæ ac prorsus ignotæ. Quapropter Socrates in Phædro simulachrum, inquit, sapientiæ oculis cerni nullo modo posse, quod si cernatur, mirabiles amores diuinæ illius cuius id simulachrum est, penitus excitaturum.

At verò pulchritudinis diuinæ similitudinem oculis cernimus, harmoniæ verò imaginem auribus annotamus, quos Plato sensus omnium qui per corpus fiant perspicacissimos arbitratur, quo fit vt iis quæ corporibus insunt, quibusdam quasi simulachris in animum per sensus corporis haustis reminiscamur, quodammodo rerum earum quas extra corporis carcerem constituti antea noueramus. Qua quidem recordatione exardescit animus alasque commouens, iamjam à corporis cogitatione, sordibusque sese paulatim emaculat, diuinoque furore prorsus afficitur, atque iis duobus sensibus quos paulo ante commemoraui geminæ furoris species excitantur. Etenim pulchritudinis specie quam oculi porrigunt, veræ atque intelligibilis pulchritudinis quandam quasi recordationem recuperantes, eam ineffabili occultoque mentis ardore desideramus, hunc denique Plato diuinum amorem vocitat eum, diffiniens, profectum ex aspectu corporeæ similitudinis, desiderium ad contemplandam rursus diuinam pulchritudinem redeundi. Præterea necesse est eum qui sic afficitur non modo supernam illam pulchritudinem desiderare, verumetiam eius quæ oculis patet, aspectu admodum delectari. Sic enim natura institutum est, vt qui aliquid appetit, eius quoque similitudine delectetur, at illud crassioris ingenij corruptionisque naturæ proprium esse putat, si quis vmbras dumtaxat verè illius pulchritudinis concupiscat, nec aliud quicquam præter illam quæ oculis offertur speciem admiretur, hunc enim eo amore, cuius petulantia atque lasciuia comes est, affici vult, eum diffiniens irrationalem atque insolentem eius quæ sensu percipitur circa corporis formam voluptatis cupidinem, & aliter hunc amorem diffinit ardorem animi, proprio quodammodo in corpore mortui in alieno viuentis. Vnde amantis animum, inquit, in alieno corpore vitam ducere. Quod imitantes Epicurei, amorem diffiniunt nexum quendam corpusculorum, quas atomos vocant, sese ei, à quo simulachra pulchritudinis hausta sunt, penitus infundendi.

Huiusmodi Plato noster amorem ab humanis morbis nasci dicit, & cura solicitudineque plenum esse, eumque iis hominibus conuenire, quorum mens adeò tenebris offusa sit, vt nihil altum, nihil omnino egregium, nihil præter fragilem ac fluxam corpusculi huius imaginem cogitet, nec auras respiciat, clausa tenebris & carcere cæco. At quibus ingenium à corporis luto abstractum est atque absolutum, eiusmodi sunt, vt cum corporis cuiuspiam forma venustasque obiicitur eius primo aspectu, vtpote diuinæ pulchritudinis similitudine, delectentur. Verum ex hac imaginatione statim in memoriam diuinam illam reducant quam imprimis admirentur, ac verè desiderent, cuiusue ardentissimo desiderio ad supera rapiantur. Atque hunc primum euolandi conatum diuinam Plato alienationem furoremque nuncupat. Hæc iam de eo furore quem per oculos fieri diximus satis esse videntur, per aures verò concentus quosdam numerosque suauissimos animus haurit, hisque imaginibus admonetur atque excitatur ad diuinam Musicam, acriori quodam mentis & intimo sensu considerandam.

Est autem apud Platonicos Interpretes diuina Musica duplex, alteram profectò in æterna Dei mente consistere arbitrantur, alteram verò in cœlorum ordine ac motibus, qua mirabilem quendam cœlestes globi orbesque concentum efficiunt, vtrisque verò animum nostrum, antequam corporibus clauderetur, participem extitisse, verùm iis in tenebris auribus velut rimulis quibusdam ac cunctis vtitur, hisque imagines, vt sæpè iam diximus, Musicæ illius incomparabilis accipit. Quibus in eius quâ antea fruebatur harmonia, intimam quandam ac tacitam recordationem reducitur, totusque desiderio feruet, cupitque vt vera Musica rursus fruatur, ad sedes proprias reuolare, cumque id se quamdiu tenebroso corporis habitaculo circunsepta est, adipisci nullo modo posse intelligat, eam cuius hic possessione frui nequit, nititur saltem pro viribus imitari. Est autem hæc apud homines imitatio duplex. Alij namque vocum numeris variorumque sonis instrumentorum cœlestem Musicem imitantur, quos certè leues ac penè vulgares Musicos appellamus, nonnulli verò grauiori quodam firmiorique iudicio diuinam ac cœlestẽ harmoniam imitantes, intimæ rationis sensum notionisque inuersum, pedes ac numeros digerunt, hi verò sunt qui diuino afflati spiritu grauissima quædam, ac præclarissima carmina ore, vt aiunt, rotundo prorsus effundunt. Hanc Plato grauiorem Musicam Poësimque nominat, efficacissimam harmoniæ cœlestis imitatricem, nam leuior illa de qua paulo ante mentionem fecimus, vocum dumtaxat suauitate permulcet, Poësis autem, quod diuinæ quoque harmoniç proprium est, vocum ac motuum numeris grauissimos quosdam,

& vt Poëta diceret, delphicos sensus ardentius exprimit, quo fit vt non solum auribus blandiatur, verumetiam suauissimum & ambrosiæ cœlestis simillimum menti pabulum afferat, ideoque ad diuinitatem propius accedere videatur. Oriri verò Poeticum hunc furorem à Musis existimat, qui autem absque Musarum instinctu Poeticas adfores accedit, sperans quasi arte quadam Poëtam se bonum euasurum inanem illum quidem atque eius Poësim esse censet, eosque Poëtas qui cœlesti inspiratione ac vi rapiuntur, adeò diuinos sæpenumero Musis afflatos sensus expromere, vt ipsimet postmodum extra furorem positi quæ protulerint minus intelligant.

Atque vt arbitror, Musas diuinus ille vir cœlestes cantus intelligi vult, ideoque canoras & camænas à cantu appellatas esse dicunt. Vnde Musis, id est, cœlestibus numinibus atque cantibus diuini homines conciti, ad eorum imitationem Poëticos modos ac numeros meditantur. Itaque in Republica Plato cum de sphærarum cœlestium volubilitate tractaret, singulas ait Sirenas, singulis ordinibus insidere, significans sphærarum motu, vt Platonicus quidam inquit, cantum numinibus exhiberi. Nam Siren Deo canens Græcè rectè exprimitur, Theologi quoque veteres nouem Musas, octo sphærarum Musicos cantus & vnam maximam quæ ex omnibus conficitur harmoniam esse voluerunt. Hac igitur ratione Poësis à diuino furore, furor à Musis, Musæ verò à Ioue proficiscuntur. Nam mundi totius animum sæpenumero Iouem Platonici nuncupant, qui cœlum ac terras, camposque liquentes, lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra intus alit, totamque infusus per artus agitat molem, & magno se corpore miscet. Ex quo efficitur vt à Ioue totius mundi spiritu ac mente, quomodo cœlestes mouet sphæras atque regit, earundem quoque cantus Musici, quas Musas nuncupant, oriantur. Quapropter Platonicus ille clarissimus, Ab Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena, quoniam & vbique ille animus, qui Iupiter dicitur, viget, atque implet omnia, & cœlum quasi citharam quandam, vt Alexander Milesius Pythagoricus inquit, exagitans cœlestem efficit harmoniam, itaque Orpheus vates ille diuinus, Iupiter, inquit, primus est, Iupiter nouissimus, Iupiter caput, Iupiter medium, vniuersa autem Ioue nata sunt, Iupiter fundamentum terræ ac cœli stelliferi, Iupiter prodiit masculus, Iupiter incorruptibilis sponsa, Iupiter spiritus speciesque omnium, Iupiter radix ponti, Iupiter indefessi ignis motus, Iupiter Sol & Luna, Iupiter rex & princeps omnium, abscondens lucem, rursus emisit ex almo corde operans cogitata. Ex quibus intelligitur Iouem omnibus infusum corporibus continere, atque alere cuncta, vt non immerito dictum sit, Iupiter est quodcunque vides, quodcunque moueris.

Sequuntur post hæc reliquæ furoris diuini species, quas ille bifariam diuidit, earumque alteram circa mysteria, alteram circa futurorum euentus, quod vaticinium vocat, versari putat. Primùm quidem furorem definit, vehementiorem animi concitationem, in iis quæ ad Deorum cultum, religionem, expiationem, sacrasque ceremonias pertinent perficiendis. Affectum verò mentis, qui eiusmodi furorem falso imitatur, superstitionem nominat. Postremam verò furoris naturam, in qua vaticinium ponit, nihil aliud esse putat, nisi diuino afflatu inspiratam præsensionem, eamque propriori vocabulo, diuinationem ac vaticinium nominamus. Quod si animus in ea ipsa diuinatione acrius exarserit, furorem nuncupat; cùm mens à corpore abstracta diuino instinctu concitatur. Si quis autem humana potius solertia, & sagacitate, quã diuina infusione futura præuiderit, huiusmodi præsensionem, prouidentiam coniectionemque appellandam censet. Ex iis omnibus iam perspicuum est quatuor diuini furoris species esse. Amorem, poësim, mysteria, vaticinium. Amorem diuinum, amor ille alter vulgaris penitusque insanus, falso imitatur; poësim, leuior, vt diximus, musica, mysteria superstitio, diuinationem coniectio. Primum quidem furorem Veneri, alterum Musis, tertium Dionysio, postremum Apollini apud Platonem Socrates tribuit. Cæterùm, in eo furore qui ad amorem diuinum poësimque pertinet, describendo duabus de causis longior esse malui, quod videlicet vtroque te affici vehementer agnoui, & vt memineris quæ à te scribuntur ab Ioue Musisque, quarum spiritu ac diuinitate compleris, non abs te proficisci. Quapropter, ô mi Peregrine, iustè pieque feceris, si tu vt hactenus, te egisse arbitror, maximarum optimarumque rerum, nec te, nec alium omnino quemquam hominum, sed immortalem potius Deum authorem ac principium esse cognoueris. Vale, ac tibi persuade nihil mihi te charius esse. Fighini Calend. Decembris, M. CCCC. LVII.

Excusatio

Excusatio prolixitatis.

MARSILIVS FICINVS
Magno Cosmo, S. D.

LAurentius Pisanus sacerdos exponit tui gratia Salomonis Canticum Canticorum, atque octo & decem iam libros, si rectè memini, pro vnius libelli expositione, composuit. Si miraris Cosme quòd tam prolixè loquatur Laurentius, cum Salomon tam breuiter sit loquutus, respondeo ob hoc ipsum cogi Laurentium fore prolixum, quia Salomon breuissimus fuit. quanto enim magis Salomonis nodus implicatus est, tanto pluribus ad explicandum opus est machinis Laudat Laurentij scripta Nicolaus Fignosius Fulginas insignis Philosophus, probo & ego, licet à prolixitate soleam abhorrere. At ideo non videtur mihi opus illud nimis magnum, quia nihil fermè in Theologia magnum reperio, quod non illuc ille congesserit, sed ne ego quoque dum prolixitatem excuso sim prolixior. Vale.

De diuinatione & diuinitate animæ.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Matthæo Corsino conphilosopho suo, S. D.

ALexandra mater mea nata est ex patre Ioanne & matre Angela. Alexandra Fighini erat, Ioannes Iuarchij oppido, Angela verò Florentię. Hęc ad Ioannem & Alexandram scripsit se bene valere, ac die sequenti redituram. Illi lectis literis, & nocte facta dormientes, Angelam viderunt eadem hora ambo. Alexandræ quidem in vestibulo domus apparuit, & cum filia matri tanquam reuertenti congratularetur, mater filiæ amplexus effugiens, vale, ait, & da operam, vt pro me sacerdotes Deum orent. Ioanni autem, inquit, ô quantum fortunam tuam doleo mi Ioannes, vale, & iube pro me Deum orari. Repente ambo iis visis excitati exclamauerunt, eam mortuam iudicantes. Florentiam miserunt. Renuntiatum est illam ea nocte, ex hac vita migrasse. Miraris hæc Corsine, audi & aliud æquè mirandum, mater mea filium statim natum nutrici rusticæ tradidit, decimaseptima inde die dormiens meridie, videtur ipsa sibi maxima cordis anxietate premi, atque à matre sua iampridem mortua subleuari, dicente, noli te afflictare filia, sequenti die rustici ad eam filium à nutrice suffocatum referent. Mitto quòd somnians præuidit futurum mariti eius Ficini Medici casum ex equo, & locum vbi casurus erat, & singula mitto, & alia multa, satis verò sit ad præsens duo illa superiora narrasse. Ex quibus duo præcipuè confirmari videntur, vnum videlicet animas hominum quæ propter temperatam complexionem, vitæ puritatem, sui abstractionem à corpore, quodammodo separantur, quamplurima diuinare, vtpote quæ natura sua diuinæ sunt, & quando in se reuertuntur, suam exercent diuinitatem, alterum verò animas defunctorum solutas à corporum vinculis nosse nonnihil & humana curare. Quod Hesiodus cecinit, & Plato noster in legibus confirmauit. Hos autem Heroas omnis antiquitas appellabat. Vale.

Modus laudis absque adulatione.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Castilionensi Theologo, S. D.

LEgi expositiones tuas circa Dauidis Prophetæ mysteria. Cupio exclamare Francisce, sicut Deus Dauidem reperit virum secundum cor suum, ita Dauidem te virum secundum suum cor reperisse. Sed vbi adulationis suspicamur opinionem, innuere præstat quàm explicare. Saluta Georgium Antonium Vespuccium virum humanitate doctrinaque insignem. Vale.

Solitariæ vitæ vtilitas.

MARSILIVS FICINVS
Gregorio Epiphanio sacerdoti, Conphilosopho suo, S. D.

DEus vnitas stabilis est, & status vnicus. Hæc à Platonicis nostris, vt te non latet, subtiliter disputantur. Quisquis igitur Deum assequi vult, multitudinem pro viribus motumque deuitet. Secedamus ergo mi Gregori in vnicam stabilemque mentis speculam, illucescet nobis illic protinus, vt Plato inquit, inuisibile lumen. Verùm vt commodius hoc iis temporibus efficere continuareque valeamus, statui tempus aliquod montem Vechium illum mihi à magno Cosmo donatum colere, illic tu mecum eris. Audisti prouerbium illud, nullius boni possessionem absque socio iucundam esse. Ego autem nescio quem socium illic iis temporibus iucundiorem te possim habere. Vale & ad nos vola.

De modestia componendi.

BESSARION CARDINALIS Sabinus, Marsilio Ficino Platonico, S. D.

SPectate docteque vir, amice noster, superioribus literis elucubratum opus nostrum & nuper æditum, in defensionem Platonis, nos ad te missuros promisimus, cum ob ingenium tuum & Platonicæ doctrinæ studium eximium, tum vt quid nos ex illo fonte hauserimus, facilè perspicias, & legas, si quid enim in hac industria nostra, vel eloquentiæ, vel bonarum artium cognitionis eluxit, siquid fuimus, id omne vel nos ab illo accepisse, vel ipsum sibi se defendendo suppeditasse facilè existimari patimur & volumus, quod nonnihil quoque ad illius laudem pertinere videtur, vt suis viribus, sua amplitudine, causam pro se dixerit, alieno auxilio non eguerit, voci tantum patroni locum reliquerit, ac studio, hunc librum ad te dedimus, iis qui curam gerunt rerum illarum ex Medicis, quo mittendo cum fidei & promisso nostro, omnino tum studiis tuis, atque animo erga Platonem nonnihil satisfactum esse putamus Bene vale, & an librum acceperis nos facies certiores. Ex vrbe Idibus Sept. M. CCCC. LXIX.

De laude Platonicorum Interpretum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Bessarioni Græco, Cardinali Sabino, S. D.

PLato noster, venerande pater, cum in Phædro, vt te non latet, subtiliter & copiosè de pulchritudine disputasset, Pulchritudinem animi à Deo, quam sapientiam, & aurum appellauit pretiosissimum, postulauit, aurum hoc Platoni à Deo tributum, Platonico in sinu vtpote mundissimo fulgebat clarissimè. Verbis autem & literis licet luculentissimus, mente tamen obscurioribus inuolutum euasit obscurius, & quasi terreno quodam habitu obsitum, eos homines latuit, qui linceos oculos non habeant.

Quamobrem nonnulli quondam minutiores Philodoxi exteriori gleba decepti, cum non possent ad intima penetrare, latentem thesaurum contemnebant. Verùm in Plotini primum, Porphyrij deinde, & Iamblici, ac denique Proculi, officinam aurum illud iniectum, exquisitissimo ignis examine excussis arenis enituit, vsque adeò vt omnem orbem miro splendore repleuerit. Tantis vtique radiis noctuæ siue bubones quidam, vt videtur, offensi, sacrum illum Platonis nostri thesaurum non solum spernere, vt nonnulli quondam, sed proh nefas! improbare cœperunt, quod multo erat priori errore deterius. Verùm Bessarion Academiæ lumen, medelam confestim hebetibus & caligatis oculis adhibuit saluberrimam, vt aurum illud non solum mundum sit & splendidum, verumetiam tractabile manibus oculisque innoxium. Hoc vaticinatus Plato, fore tempus multa post sæcula, regi Dionysio inquit, quo Theologiæ mysteria exactissima discussione velut igne aurum purgarentur. Venerunt, iam venerunt sæcula illa Bessarion, quibus & Platonis gaudeat & numen & nos omnis eius familia summopere gratulamur. Vale.

Exhortatio ad scientiam.

MARSILIVS FICINVS Antonio Pactio. S. D.

LAurentius Medices, duo in te laudat præ cæteris, magnificentiam & acumen, laudo & ego. Sed Antoni magnificentiæ quidem vsu comparare tibi cæteros potes, acuminis autem exercitatione comparare tibi teipsum, si tantum doctrinæ studueris quantum liberalitati iamdudum indulges, non dubito breui te ita omnium doctissimum fore, quemadmodum nunc es magnificentissimus omnium. Age precor Antoni mi suauissime, commenda te ipsum tibi, sicuti cæteros commendatos habes. Laurentius noster ait te non modo erga doctos magnificum esse, verumetiam abundè doctum. Credo equidem atque gratulor. At non prius satis mihi feceris quam tantum scientia quantum magnanimitate excellueris, si tibi eruditissimi quique inprimis placent, da operam, vt tibi ipse præ cæteris placeas. Quid ergo toto in omnibus plurimum, imò totum valet, statue oro tibi quotidie horas quatuor reliquas, vtcunque placet, amicis dona. Bene Vale. sed vis ne valere bene? Bene disce, & disce precor hodie, qui cras discit nunquam discit. VIII. Nouemb. M. CCCC. LXXIII.

(.:) (.:) (.:)

Consolatio in alicuius obitu.

MARSILIVS FICINVS Sismundo Stufæ consolationem dicit.

SI quisque nostrum id maximè est, quod in nobis est maximum, quod permanet semper idem, qua nos ipsi capimus, certè animus homo ipse est, corpus autem est hominis vmbra. Quisquis igitur vsque adeò delirat, vt hominis vmbram, hominem esse putet, hic miser in lachrymas instar Narcissi resoluitur. Tunc desines Sismunde flere, cùm desiueris Alberiam tuam Albitiam in nigra eius vmbra quærere, atque cœperis eam in alba sui luce sectari. Tunc enim illam tanto reperies pulchriorem quam consueueris, quanto ab vmbra deformi remotiorem. Secede animum tuum precor, ibi animam illius speciosissimam tibique charissimam possidebis. Imò ex animo tuo in Deum te recipe, illic ideam pulcherrimam, per quam diuinus artifex Alberiam tuam creauerat, contemplabere. Et quanto formosior illa in opificis forma est quam in seipsa, tanto eam ibi beatius amplecteris. Vale, I. Augusti. M.CCCC. LXXIII. Florentiæ.

LAVS BREVITATIS.

MARSILIVS FICINVS Angelo Politiano, Poëtæ Homerico, S. D.

CIrcunferuntur, vt ais, Epistolæ quædam meo nomine quasi Aristippicæ, & quadam ex parte Lucretianæ, potiùs quàm Platonicæ, si meæ sunt, Angele, non sunt tales, si tales, non sunt meæ illæ quidem, sed à detractoribus meis confictæ, ego enim à teneris annis diuinum Platonem, quod nullus ignorat, sectatus sum. Sed facilè hoc signo scripta nostra discernes ab alienis; in Epistolis meis sententia quædam semper pro ingenij viribus aut Moralis, aut Naturalis est, aut Theologica. Quod si quid interdum quodammodo amatorium inest, Platonicum illud quidem & honestum, non Aristippicum, & lasciuum. Laudes autem veræ & tales, vt exhortentur atque admoneant, non adulentur, verba penè nulla superflua, statui enim ab initio studiorum meorum semper quam breuissimè possem scribere, nam in tanta temporis breuitate loqui superflua Philologi, potius quam Philosophi. Et cùm paucissimi sint quibus multa sint nota, sæpè qui multa loquuntur, aut falsa, aut superflua loquuntur, aut vtraque. Omnia hæc à viri dignitate aliena, à Philosophi professione alienissima. Vale.

Quantum vtile sit alere doctos.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici, viro magnanimo, S. D.

DIuites alij, fermè omnes, Ministros nutriunt, tu sacerdotes Musarum nutris. Perge precor, mi Laurenti, nam illi voluptatum serui euadent, tu verò Musarum delitiæ, summus Musarum sacerdos Homerus in Italiam te duce venit, & qui hactenus circumuagus & mendicus fuit, tandem apud te dulce hospitium apertum reperit. Nutris domi Homericum illum adolescentem Angelum, Politianum qui Græcam Homeri personam Latinis coloribus exprimat. Exprimit iam, atque id quod mirum est, in tam tenera ætate ita exprimit, vt nisi quis Græcum fuisse Homerum nouerit, dubitaturus sit, è duobus, vter naturalis sit, & vter pictus Homerus. Delectare iis pictoribus Medices, vt cœpisti, nam cæteri pictores parietes ad tempus ornant, hi verò in æuum habitatores illustrant.

Laus opificis non à verbis, sed ab opere.

MARSILIVS FICINVS Laurentio & Iuliano Medicibus, S. D.

ACcipite læto animo Medices, Naldi Florentini Poëma, & Benedicti Coluccij Pistoriensis declamationes. Alter est Phœbi delitiæ, alter Mercurij comes. Non libet eos parcè laudare, cùm videantur supra modũ esse laudandi. Non libet eos mihi laudare multum, ne laudatores laudando meos, meipsum extollere videar. Tacebo igitur ego horum pictorum virtutes, inspicite ipsi tabulas diligenter, pictura loquetur, cùm loquitur pictor, loquitur malè, cùm pictura loquitur, bene loquitur. Vanus est opifex qui ab alio magis quàm ab ipso opere expectat honorem, non pendet operis virtus ex iudice, sed opus iudici commendat artificem. Valete.

De virtutibus ciuilibus purgatoriis, purgati animi exemplaribus.

MARSILIVS FICINVS Francisco Lapaccino, & Megliori Crescio, S. D.

ILLi Deum quærunt rectissimo calle, qui primo per ciuiles virtutes affectus animæ nimium luxuriantes aliquantum amputant. Demum per virtutes purgatorias eos penè ad viuum vsque resecant. Tertio loco per virtutes animi tam purgati pro viribus radicitus illos extirpant. Quibus quantum homini possibilem esse eradicatis denique virtutibus exemplaribus quæ sunt in Deo formantur: nam tria illa vitutum genera gradus quidam sunt, quibus paulatim ad diuinas virtutes accedimus. Omnis autem naturalis motus finem suum aliquando potest attingere, & omnis præparatio quæ naturaliter ordinatur ad formam, & formam ipsam aliquando consequi potest.

De sapiente & fælice viro.

MARSILIVS FICINVS Antonio Seraphico Conphilosopho Miniatensi, S. D.

VIrum sapientem fœlicemque eum puto, qui cum ex solo pendeat Deo, in mediis calamitatibus viuit lætus. Quem nec metus exanimat, nec dolor excruciat, neque voluptas corrumpit, neque libido inflammat. Qui inter densissimas spinas, molles speciososque flores legit, qui ex stercore margaritas eruit atque effodit, qui in profundis videt tenebris, qui compedibus grauatus & vinculis circumstrictus veluti liber solutusque percurrit, quem denique spiritus cœlestis afflauerit. Imitare igitur, vt cœpisti, Pythagoram, & Socratem, & Platonem, qui non minus agendo quam disputando, inuita etiam fortuna, philosophabantur. Philosophiam quam multi lingua, ipsi pectore toto colebant. Frustra sapit Seraphice qui non sibi ipse sapit. Vale & in tuis moribus perseuera.

Bona scribere præstat quam multa.

MARSILIVS FICINVS Angelo Politiano Poëtæ Homerico, S. D.

QVid toties quæris librorum meorum titulos Angele? An fortè vt tuis me carminibus laudes? at non in numero sed in electione laus, non in quantitate, sed in qualitate bonum. An potius vt mea apud te habeas omnia. Quoniam amicorum omnia communia sint, vtcunque sit, accipe quod petieras. E Græca lingua in Latinam trāstuli Proculi Platonici Physica & Theologica elementa, Iamblici Chalcidei libros de secta Pythagorica quatuor, Theonis Smyrnei Mathematica, Platonicas Speusippi definitiones, Alcinoi Epitoma Platonicum, Zenocratis librum de mortis consolatione, carmina symbolaque Pythagoræ, Mercurii Trismegisti librum de Potentia & Sapientia Dei, Platonis libros omnes. Composui autem commentarium in Euangelia, Summo bono, commentarium in Platonis conuiuium de amore, Composui Physiognomiam, Declarationes Platonicæ disciplinæ ad Christophorum Landinum, quas postea emendaui, compendium de opinionibus Philosophorum circa Deum & animam, Oeconomica, de Voluptate, de quatuor Philosophorum sectis, de magnificentia, de felicitate, de iustitia, de furore diuino, de consolatione parentum in obitu filij, de appetitu, orationem ad Deum Theologicam, Dialogum inter Deum & animam Theologicum, Theologiam de Immortalitate animorum in libros octo decemque diuisam, opus de Christiana religione, disputationes contra Astrologorum iudicia, de raptu Pauli in tertium cœlum, de lumine, argumentum in Platonicam Theologiam, de vita & doctrina Platonis, de mente quæstiones quinque, Philosophicum Epistolarum volumen. Vtinam Angele, tam bene quam multum scripserimus, vt tantum cęteris nostra placeant, quantum ego tibi tuque mihi. Vale.

Exhortatio ad scientiam.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Albitio, S. D.

AVdisti prouerbium illud mi Nicolae, nihil lucro dulcius. At quis hominum lucratur? Qui quod suum futurum est adipiscitur, nostrum est quod scimus, cætera verò fortunæ. Inuideant homunculi diuitibus, quorum arca diues est non animus. Tu æmulare doctos bonosque viros, quorum mens Deo similis. Condiscipulos tuos admone vt Scyllam caueat & Caribdim, voluptatum videlicet illecebras pestiferamque mentis inflammationem opinantis potius quam scientis. Meminerint eam sibi

quandoque summam voluptatem fore, quæ in summa animi parte, ex summo veritatis ipsius thesauro tunc demum percipietur, cum inanium voluptatum vmbras scientiæ gratia posthabuerint. Scientiæ arbor, & si radices aliquantulum amaras habere videtur, fructus tamen profert quam suauissimos. Meminerint præterea nunquam nimis fieri quod nunquam satis fit. Nondum satis didicit qui adhuc quicquam dubitat, dubitamus autem quamdiu viuimus. Tamdiu igitur discendum nobis est quamdiu viuendum. Imitandus sapiens ille Solon, qui etiam moriens discere aliquid nitebatur, vtpote, qui veritatis pabulo alebatur, & cui mori nihil erat aliud quàm reuiuiscere. Non potest mori vnquam, qui immortali vescitur alimonia. Tunc primum appellatus fuit ab Apolline Socrates sapientissimus omnium, cùm primum vulgò prædicare cœpit, se nihil scire. Mandauit discipulis suis Pythagoras, vt se in speculo, non ad lucernæ, sed ad solis lumen specularentur. Quid est autem scintilla lucernæ, nisi parum adhuc eruditus animus? quid solis lumen, nisi mens quæque eruditissima? Cùm ergo quis animi sui figuram appetit speculari, non cum indoctis seipsum, imò cum doctissimis conferat; sic enim clarius discernet quantum lucratus fuerit, quantumve supersit. In pascendo animo lurcones auarosque imitari debemus, qui semper ad id quod reliqui superest animum intendunt. Quid plura? vitæ magister ait: Non esse aratorem illum præmio dignum, qui retrò se vertit. Audisti & illam ob hoc ipsum ex viuente in statuam fuisse conuersam. Audisti rursus Orpheum tunc Eurydicem, hoc est profunditatem iudicij, amisisse, cùm retrò respexit. Iners & vanus est venator qui regreditur, non progreditur. Vale.

Inuitatio ad scribendum.

LAVRENTIVS MEDICES, Marsilio Ficino Platonico, S. D.

CVm isthinc, huc iucundissime Marsili, me reciperem, tecum verbis egi, atque impetraui, ne absentes diutius literas tuas desideraremus. Quod quidem facturum te recepisti, verùm cum quatuor iam post discessum dies præterierint, neque adhuc tuæ literæ perferantur, cùm aliorum tamen familiarium & necessariorum nostrorum pleræque perlatæ ad nos fuerint, tuam in scribendo tarditatem, & miror, & doleo: nam sanè existimabam, si par in ambobus beneuolentia vigeret, par scribendi studium, quod amoris officium est, non defuturum. Cœpi egomet primum excusationem tuam mecum agere, mihique ipsi tuo nomine dicebam: Philosophiæ forsitan studia, quæ totum atque integrum hominem exigunt, in causa sunt, cur ad nos Marsilianæ literæ non perferantur. Faciebatque incredibilis propè noster amor, vt honestissimam omnium de te apud nos excusationem facerem. Quæquidem excusatio ita apud me valuit, vt paucarum horarum expectatio difficilis admodum non videretur. Cùm verò quæ ego horis metienda ducebam, pluribus diebus metiri me oportere perspexerim, nullus iam patuit excusationi locus, atque ego qui defensionis tuæ curam susceperam, cœpi toto animo cogitare, quibus te modis cùm plures in mentem venirent, accusarem. Totque offensionum in te genera inuenio, vt si Demosthenem & Ciceronem nostrum causæ tuæ patronos nactus sis, reum tamen futurum te pro certo habeam. Quod si te facti non pœnitet, neque enim aliud pœnitentiæ signum, quàm tuas literas, desidero, scito te communis amoris nostri iudicium subiturum, nam coram huiusmodi iudice agere lubet, quo aut æquiorem, aut iustiorem, aut qui verior animi nostri testis esse possit nullum inuenimus, is tibi trium tantùm dierum spatium ad scribendum tribuit, quibus præteritis te, nisi scripseris, reum futurum pollicetur.

Sed dices tu, quid ad Laurentium scribam? Nihil habeo de Republica, nihil de rebus domesticis, neutrum abs te expecto, cùm vtrumque in te ipso neglexeris, scio te non magis de alienis, quàm de propriis curiosum esse, quid igitur scribendum tibi est? Quæcunque in mentem veniunt. Nihil ex te proficiscitur non bonum, nihil cogitas non rectum, nihil itaque scribi à te potest, non nobis vtile, non iucundum. Quodque facit vt tuas supra modum literas desiderem, illud est quod in tuis literis ita lepos cum grauitate immixtus perspicitur, vt si lepide considerentur, omnia lepôris plena grauiter, ita grauia videantur vt nihil supra. Quapropter cùm primùm tibi scribendi facultas datur, diutius rogo ne differas, neque patiare tamdiu nos literas tuas desiderare. Vale Pisis.

Gratiarum actio.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

MVlta abs te quondam & magna accepi beneficia, Laurenti, nuper verò maximum atque gratissimum, videlicet diui Christophori templum, sed cur nondum tibi gratias egi? Quia noueram non mihi, sed tibi illud fuisse collocatum. Quicquid enim hac in re factum est, per te est, & tui gratia factum. Suspicabar igitur hactenus nescio quomodo, ne fortè tu solus rei huius possessionem adituurus esses, tibi tota soli tradita fuerat. Postquam verò Pisas abisti, cognoui statum, quo tibi vnico à Reneriis datum fuerat, mihi abs te nunc esse concessum. Ergo nunc primum tibi gratias ago. O quantas! Non quantas Marsilius capit pusillus homo, sed quantas vir grandior Laurentius Imò quantas ingentissimus Gygas ille diuus Christophorus, tanto fermè Atlante grandior, quanto qui cœlum capit, amplior est quàm cœlum. Nempè Atlas cœlum, Christophorus cœli fabrum dicitur humeris sustinuisse. Diurnis prætereà, nocturnisque precibus, cœlestem hunc oro Gygantem, vt patronum meum, inter varios ciuilium negotiorum fluctus, iisdem sustineant humeris, quibus patronum suum permaria sustulit. Vale, XIII. Ianuarij. M. CCCC. LXXVIII.

Amatoria.

LAVRENTIVS MEDICES, Marsilio Ficino Platonico, S. D.

CRedo iam, doctissime Marsili, illam esse Plotini, si rectè memini, de anima sententiam, quæ à te in Theologiæ libro posita, est animas, scilicet, nostras eodem tempore vbique esse. Nam quòd compluribus in eo libro rationibus probatur, nunc re ipsa clarius constat, vix enim aliam ad te Epistolam obsignaueram, cum redditæ mihi sunt optatissimæ literæ tuæ eius suauitatis plenæ quam faciebat vt à me mirificè desiderarentur. Credo equidem absentem te & legisse nostras literas & accusationem tarditatis in scribendo tuæ isthinc perspexisse, qua monitus diutius ad nos dare literas non distuleris. Verum quicquid sit, iam non lubet literarum causas inquirere, satis est eas me literas accepisse, quibus nihil mihi aut gratius aut iucundius est Video, quod & ante mihi constabat, nihil à te temere agi Nam diuturnior expectatio suauiorem ipsam quodammodo suauitatem fecit; vt etiam valdè sitientibus euenire solet. Legens ego tuam Epistolam nihil reperio non Marsilianum, si gratiarum illæ actiones ex literis demantur. Non enim hoc gratiarum genus conuenire videtur aut amicitiæ nostræ, aut ei viro qui se ita mihi totum tradiderit, vt nihil sibi reliquerit suum Non si tu ea magnitudine corporis esses, qua diuus ille, quem ais, Christophorus pingitur, aliquid tibi superest non meum. Sic tu semel voluisti sic tibi quondam placuit Ego verò tam nobile munus & accepi libenti animo & accepto gaudeo, mihique ipsi gratulor. Iam igitur non Marsili es, sed Laurentij tui, non minus tui quam tu ipsius.

Qua in re, si teipsum tibi reddi vis, scito id ea conditione futurum vt nullam de te habere possis rationem, quin æquè de me ipso eodem tempore habiturus sis. quos enim immortalis Deus coniunxit, homo non separet. Tu igitur vt ad gratias redeam nolim amplius hoc scribendi genere mecum vtare. Si enim gratiæ quas agis tuæ non sunt, nihil omnino nobis tribuis, si tuæ, scito superioribus rationibus, tecum iampridem te mihi omnia tua tradidisse. Vale & te ipsum ama, quod si feceris, me quoque amabis. Ita enim non vulgaris noster amor exigit, quod te non latere existimo, cum in eo libro quem de Amore scripsisti, cunctos amoris affectus adeò ex arte posueris, vt nihil in amore inueniatur, quod non eo libro legi possit, nihilque in tuo libro legatur, quod in amore non sit, iterum vale. Pisis XII. Kalendas Februarias. M. CCCC. LXXIII.

Mirabilium author Deus est non homo.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici Viro Magnanimo, S. D.

QVid agam in præsentia nescio Laurenti, admirari me compellunt mirum in modum miræ literæ tuæ, exclamare Philosophicus prohibet pudor. Agere gratias innumerabiles hortatur singularis humanitas & magnificentia tua, sed tua rursus dehortatur Epistola. Permitte saltem mi Laurenti precor, vt summo Deo gratias agam, quod statueris temporibus nostris in ciue fortunato affe-

cum humillimum cum excelsa mente, in adolescente priuato prudentiam cum potentia, in potente abstinentiam cum licentia, in occupatissimo sapientiam cum eloquentia, copulare. Magna in te sunt Laurenti, proculdubio magna. Et ne quis fortè adulationis vitium suspicetur, quod à viro & philosophante & amicissimo esse debet alienissimum in te non ex te, dixi magna. Deus enim omnipotens mirabilia facit solus. Instrumentum Dei es, ô bone vir, aptum; scio quid loquor, ad magnifica perpetranda. Tamdiu igitur mirabilia feliciter exequeris, quamdiu diuino parebis artifici. Parebis autem examussim crede mihi, si sæpè cum oraueris, vt ipse tibi qua ratione sis pariturus ostendat. Ostendet certè petenti, qui etiam priusquam petas stimulat ad petendum, & quid & quo pacto sis petiturus ostendit. Vale feliciter patriæ spes. Sed antequam finem faciam, obsecro te mi Laurenti cum per Academiam, quæ per te floret, tum vero per patriam hanc tuam, patriam quæ tibi præ cæteris chara est, vt bonæ valitudinis curam habeas, nisi enim tu bene valeas, non puto iis temporibus, bene vel Academiam vel patriam posse valere XXI. Ianuarij. M. CCCC. LXXIII. Florentiæ.

Laudes Laurentij Medicis miræ.

MARSILIVS FICINVS
Nicolao Michelo ctio vero
Viro, S. D.

O Quam difficilè est mi Nicolaë, ô quam difficilè nunc inuidia non pulsari? Ego forsitan Nicolaë, nisi quæ Laurentij sunt, mea quoque essent, non possem tot, tanta, tam senilia bona adolescenti non inuidere. Dic amice rogo, quis eloquitur elegantius? Quis probat acutius? Quis mulcet dulcius? Quis concitat vehementius? Cessistis iampridem lauro Poëtæ, cessistis oratores modo, iam iam Philosophi cedamus. Proh Iupiter, ociosi veterani ab occupatissimo tyrone isto, tam cito, tam facilè, tantopere superantur? si inuideant alij alienis & liuore rumpantur edaci. Ego meis mirificè gaudeo atque fruor, meus enim est Laurentius ob incredibilem humanitatem suam. Ego quoque Laurentij sum ob singulares animi sui dotes, magno me emit precio, hoc est, seipso. Ita me Deus amet loquor Nicolaë quod sentio, nemo magno Cosmo me familior fuit, nemo charior.

Cognoui in eo sene non humanam virtutem, sed Heroicam. Agnosco nunc in isto adolescente penitus, agnosco totum illum senem, phœnicem video in phœnice, in radio lumen. Emicat iam ex Laurentio nostro foras Cosmianus splendor ille multis quotidie modis, lumen ad reuelationem Gentium Latinarum & Florentinæ Reipublicæ gloriam. De iis hactenus.

Interrogabat autem in Epistola Laurentius cuiusnam ille essent gratiæ quas ipsi egeram. Mei ne? an alterius? Responde illi meo nomine eas esse Dei. Tres enim illas opto Gratias Medici nostro propitias fore, quæ ab Orpheo describuntur, scilicet splendorem, lætitiam, viriditatem, splendorem, inquam, mentis, lætitiam voluntatis, viriditatem corporis & fortunæ. Aspirant iam ex alto hæ Gratiæ Laurentio, ac tamdiu aspirabunt, quamdiu agnoscet gratis solum à Deo solo se gratias accepisse. Vale XXI. Ianuarij. M. CCCC. LXXIII. Florentiæ.

Amatoria.

LAVRENTIVS MEDICES
Marsilio Ficino Platonico Philosopho, S. D.

O Falsum meum de te iudicium, verumque illud vulgatum prouerbium: Locorum, scilicet, interuallum vt ab oculis disiungit, ita nos ab amorum cogitationibus separare. Verum quis hoc credidisset? quod ego vix credo cum perspexerim. Ego binas ad te literas dedi, tu vnam vix Epistolam nobis, atque ita paucorum verborum, vt si ex ea primam salutationem atque vltimam loci & dici particulam demas, nihil ferè sit reliqui. An non decet Philosophum loquacem esse? An non decet mutum? Id enim nobis Terentius præcipit, quòd ille à Græcis accepisse traditur, Vt ne quid nimis. Sed etiam ex his locis video quid in causa sit, cur ego à cogitationibus tuis absum. Cum enim semper ante oculos diuum Christophorum, cui ædes tua dicata est, habeas, ea ipsius est magnitudo corporis, vt cæterarum omnino rerum tibi prospectum auferat, atque inter te & nos quodammodo faciat Eclypsim quandam. Quod tamen tum miror, tum verò quibus verbis te accusem non inuenio. Nullum est enim tam asperum tamque contumeliosum verbum, quin deterior multo sit Marsiliana taciturnitas, qua & fidem tuam & nostram amicitiam fefellisti.

Doleo quidem non parum, quod fidem fregeris, atque amicitiæ nostræ huiusmodi iniuria intuleris. At, quod magis mihi molestum accidit illud prorsus est, quod dum tu amorem nostrum frustratus es, ita nos à cæterorum hominum beniuolentia alienasti, vt nemo superſit, cui fidem deinceps adhibere poſſe videar. Nihil enim tam perfectum, tam constans, tam verum videbatur, quam nostra amicitia, quæ quidem & tua virtute & temporis diuturnitate à Deo creuerat, vt si quodammodo decoxerit, nulla restet cui credere tuto possimus. Quapropter scito nos erga te mirum in modum iratos esse. Neque tamen ira iratos, vt si iucundissimæ literæ tuæ ad nos perferantur, sua illi incredibili suauitate cunctam animi asperitatem atque indignationem mulcere non possint. Nam cum Achillis telum in manibus habeas, scito tarditatem in scribendo, cuspidem esse qua vulneras, literas verò ita illato vulneri mederi posse, vt non modo vulnus ipsum, sed omnem penitus cicatricem auferre ac delere possint. Vale Pisis.

Amatoria, quomodo amandus quisque sit, & quomodo laudandus.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici Viro Magnanimo, S. D.

Quod me diligas Laurenti multis clarissimisque argumentis iamdiu noui. Quod ames, nuper ex hoc vno præcipuè quod tanquam zelotypus leuissimis falsisque offensiunculis subirasceris, irascere vt lubet, irascere zelotype, modo interim incalescas. Simile est iræ & amoris incendium, ego enim cum subirascor tibi, quod facio sæpè, tunc æstuo amoris incendio maximè. Tu quoque flagras non mediocriter, scio quid loquor. Quod si quando tepescere videamur, tum etiam nostra hæc tepiditas ferventius feruet quam cæterorum feruor. Odiumque nostrum, proh Iupiter, amantius amabiliusque est quam cæterorum amor. Ecce nunc mi Laurenti tua isthæc ira mitior mihi videtur quam cæterorum mansuetudo, morsus iste tuus suauior suauio. O quam suauiter mordes! quam acriter obscularis! Acrimoniæ miram misces dulcedinem, dulcedini acrimoniam, quod in suauissimis saporibus natura solet, & quoties acrimonia tua fortius acescit, toties aceti maluatici instar dulcius quam dulce redolet. Verum quid accusas in me accusator acer, amator acerrimè? Breuitatem ne?

At tu in causa es, quod enim breuis sim, negotiorum tuorum, quod breuissimus videar, amoris erga me tui efficit magnitudo. Accusas taciturnitatem, suspicans eam ab obliuione, obliuionem ab absentia proficisci. Meminisse debes non abesse isthinc Marsilium, si non abest Laurentius, in quo est Marsilius, si vbique est eodem tempore animus, quod ipse superioribus diebus tua Epistola confirmasti. Quid igitur obstat Diuus Christophorus quin te cernam? Præsertim cum diaphanus sit atque perspicuus, & in ipso Christophoro inspiciam Laurentium, quandoquidem per Laurentium ipsum Christophorum video & amplector. Denique vis verum fatear? Non oppositio Christophori inducit Eclypsim per quam aut cæcutiam aut sileam. Imò tu coruscatione tonitruque tuo caligari, stupere, obmutescere, penitus me compellis. Improbe adolescens, ah nimium gaudes victoria, quamuis honesta. Quid amplius aut tibi aut reliquis est reliqui? Tibi quidem vt te ipsum vincas; reliquis autem vt vinci æquo animo patiantur. Ego certè, vt de me ipso prius loquar, superari abs te fermè tantum gaudeo, quantum ipse gaudes me ac cæteros superare. De cæteris verò quid dicam? Sol matutinus congregat nebulas. Meridianus Sol nebulas disgregat. Virtus adolescens inuidiam concitat, adulta sedat, liuorem domat tandem qui omnem prius vicit opinionem. Inuidiam quasi omnem in admirationem conuertisti. Laudant multi palam, qui hactenus inuidebant. Sed quamuis laudator pene nullus de Laurentio mentiatur, nulli tamen hunc, exceptis Platonicis, legitimè laudant. Peripatetici cum Laurentium videant tam feliciter singula profitentem, in omnibus eum laudant, Platonici contrà in eo laudant omnia. Nempè cum considerent quam subito artis cuiusque prodeat magister, artes huic non labore quæsitas, sed & natura subministratas, & à Deo infusas existimant. Ego igitur personam tuam in me diligo, meam in te amo, Laudo te in arte, artem in te probo. In natura te honoro, naturam in te miror. Te per Deum colo. Veneror per te Deum. Deo itaque soli gloria omnis ab omnibus ab æuo tribuatur in æuum. Vale.

Iocosa ad Ioannem inuitatio ad reditum per dissimulationem.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti Amico
vnico, S. D.

DEcreueram hac nocte mane ad te scribere, redi Heros, propterea quæso, aduola obsecro. Deinde verò maturius consultandi, præstare visum est, vt meum hoc desiderium dissimularem. Fore enim vt redeas ocyus, si me subiratum putes. Ecce subiratus sum. Quid tandem? Nunquid mouebit indignatio, quem non mouebat amor? Non puto. Ergo quo me vertam nescio, ad preces ne? an ad iurgia? imò quo refugiam nunc inueni. Cordi confidam heroico, quod solet sponte rectius currere quam calcaribus. Sed interim quonam pacto me continebo, quin parumper saltem ita susurrem? ah nimium obliuiose mei. At cohibebo conuitia, ac ne tædeat te easdem has cantilenas audire sæpius, res maiores aggrediar, de rebus scribam publicis. Quæris quid agatur in vrbe. Tractantur grauia, audi, sed aperias nemini. Magni plerique ciues ô Marsili aiunt, cur tamdiu solus in vrbe? Quia solum incedere nunc me vult, qui nunquam finit esse me solum. Nondum rediit ergo? Nondum. Non habeo præsens aliud quod ad te scribam. Scripsi ad te vrbana negotia. Scribe ad me tu rustica. Hei mihi erraui, ne scribas volo, sed dicas. Si colloquemur, loquemur mi Heros eadem, dum scribimus, scribimus de diuersis. Ego de memoria, de obliuione Ioannes. Sed nolim dixisse istud. Non oblitus est mei meus, quia neque sui. Imò venit iam obsecutus mihi, ecce venit, occurrite mei huic fortunati pedes, excipite felices vlnæ.

Epistola genialis de Heroibus.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

ACcepi à Carolo Marsupino Epistolam, cui cum primum respondere aggrederer, vellemque præscribere, Marsilius Carolo salutem, genius mihi præter summam ita flexit calamum, vt Ioanni pro Carolo scriberem, accipe igitur Epistolam genialem. Nefas putauit Deus absentem me cuiquam priusquam Heroi scribere, arbitror Heroibus fauere superos. Quoniam vt Platoni placet Heroës ex amore Deorum sunt geniti. Ego re ipsa expertus sum Philosophos ex Heroum amore renasci. Vale 1. Maij. M. CCCC. LXXIII.

Quod gratis, gratius est, quàm quod ex debito.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

NOn potest manus calamum ducere, nisi ipsa moueatur ab animo. Non poterat his temporibus scribere Marsilius ad Heroëm, nisi ante inuitatus ab Heroë. Sed vnum mihi molestum est præ cæteris, quod ideò scribis ad me, quia promiseris, ergo pactioni istud tribuo non amori. Amatorias posco literas non mercatorias, an es etiam pacto meus, scilicet quia ego sum tuus, amore volo sis meus. Vale v. Ianuarij. M. CCCC. LXXIIII.

Prouocatio ad scribendum.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

AMice, quid tamdiu certatim silemus? Quid tandem victori lucri accedet, victo quid damni? Ego verò in hac silendi pertinacia vinci abs te satius censui, vt in loquendi certamine vincerem. Ita post hac primæ tibi in tacendo partes, mihi primæ in loquendo dabuntur. Semper ne calcaribus indigebis in stadio? Nunquam tua sponte curres? Cur mecum tam dure? Acrius forsitan iocari tecum videor mi Ioannes. Tu autem agis acerrimè, acerrimè quoque respondesi placet, modo respondeas, sin minus placet, dulciter sile. Meæ certè huic verborum acrimoniæ cordis affectum melle dulciorem subesse putato. Vale, & tamdiu abesto quàm tua res postulat. Satis enim mihi fit cum res agitur tua. Nonis Octobris Charegii.

Quod necessariæ Epistolæ inter amicos.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

QVoniam putabam breui te Florentiã rediturum, nullas ad te dedi literas, sperans cito veras audire ac reddere voces. Nunc verò perpetua hæc, vt ita di-

xerim, cœli serenitas longiores mihi mas in Trebianis collibus minatur moras. Sed quis Trebiana suauitate non capiatur, hos certè Bacchus amat colles, iis meus captus est Ioannes, hæc profectò cur non scripserim hactenus causa est. At tu cur scribis nihil? Nihil equidem habeo quod scribam, inquies. Idipsum saltem nihil habere te, scribe, quanquam nunquam deest amicis argumentum literarum. Quid enim amico charius quàm amici vita? Ergo vicissim qualis valetudo sit, sæpè significandum. Ego meam valetudinem declarare non possum nisi prius ipse tuam. Quippè valeo si tu vales, imo si te valere intelligo. Vale ex Charegio. XIII.

Grauis est iactura temporis.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

ONerosa mihi tam mei quàm paterni corporis cura, onerosa absentia tua. Vtraque sunt æquo animo tolleranda, ne fiant propter impatientiam grauiora. Tu si quid humanitatis habes, noli me duplici pressum sarcina, tertio insuper pondere onerare; oneras autem nimium nisi libros ad me remittas. Temporis enim iactura me stimulat vt eos sæpius exigam. Nulla est grauior iactura quàm temporis. Heu confidentius flagito quæ forsitan accipere nollem, quem verò vellem accipere, postulare non audeo. Illa me decet habere, hoc me in præsentia necessarium est carere. Prudentis est tum carere, decens est implere, tum quid necessarium est pro viribus facere voluntarium. Tua interest illud implere, mea id conari. Vale, ac dum aliena colis, alienis cole tibi quoque teipsum.

Quod iocundæ amicorum literæ.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

QVid igitur faciam? Prior ne ego ad te scribam? an tuas literas expectabo? Equidem cum ad alios ferè nunquam nisi lacessitus scribere soleam, tibi tamen venire obuiam cogor & prior inire certamen. Nec silere diutius te permittam. Non potes enim sine meo languore silere. Huc me, quod te non fugit, immoderatus impulit æstus, isthuc ventus intollerabilis retrahit, adeò, vt vix hodie me contineam, quin ad vrbem protinus aduolem. Potes verò hic me solus aliquot & illos quidem paucul os dies tuis literis retinere, nam dum literis tuis legendis totus incumbam, nec ventorum procellas sentiam, nec fulmina & tonitrua audiam. Sic ergo fit, vt verba sedare ventos, & tempestates depellere valeant. Saluta Vgolinum Verinum tuum Musarum sacerdotem. Vale xxx. Augusti M. CCCC. LXXVIII. Marciniani.

Nemini detrahendum, quia Deus vlciscitur.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

HOmerus propter diuæ, vt aiunt, Helenæ vituperationem priuatus oculis, quia nunquam errasse cognouit, nunquam vidisse amplius dicitur. Eandem ob causam Stesicorus lumine captus, intellexit erratum, hinc palinodiam, id est, contrarium cantum cecinit, dicens, non verus sermo ille fuit, neque nauibus altis existi fugiens, neque adisti Pergama Troiæ, his dictis statim visum recuperauit amissum. Socrates præterea cum Deum Amorem vituperasset, in Illissi fluminis transitu à familiari dæmone correptus, antequam quicquam pateretur aduersi expiauit se laudauitque rursus. Amorem quem vituperauerat, vnde euasit incolumis. Ita Stesicorus Homero prudentior fuit, sed vtroque sapientior Socrates. Ego certè Socrate incautior fui, vt non sim Stesicoro infortunatior. Quorsum hæc? Nempè mensis huius nonis scripsi ad te mane Epistolam, diuturnum silentium tuum improbaturus, in qua indomitum te, & quasi durissimum omnium accusabam, vespere aduersa valetudine oppressus sum, nec dum conualeo. Quamobrem veritus, nequid mihi aduersi propter Herois vituperationem immineat, palinodiam licet breuem expiandis criminis gratia scribere statui.

Assero igitur non Heroëm durum, sed me potius mollem esse, ac molli homini constantem virum sæpè ferocem videri. Hæc mea palinodia, sit contrarius superiori cantus, sit etiam contraria postulatio. Orabam quippè vt acerrimas, si placeret, potius quàm nullas literas mitteres. Nunc contra nullas potius quàm acerrimas postulo, non enim instigatione sed consolatione æger animus indiget. Vale Floren. Idibus Octobris, M. CCCC. LXVIII.

Homo est animus. Amantis animus est in amato.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caluacanti amico vnico, S. D.

EGo Ioannes, sæpè quæsiui meipsum, primùm pectora mea manibus attrectaui, deinde vultum hunc sæpè sum speculatus in speculo, sed neque ibi me tractauisse, neque hic vidisse me vnquam asserere potui. Nam quando me ipse quæro, quæro vtique non alium, præter illum ipsum qui quærit vbi idem est omnino Marsilius quæsitus & quærens. Quis igitur quærit? Qui reperire cupit. Quisnam cupit hoc? Qui iudicat esse quærendum. Quis iudicat? Solus iudicat animus. Solum igitur animum quæro, quando quæro meipsum, vtpote qui solus ipse sim animus. Hunc ego neque tangi, neque cerni posse confido. Non enim tamdiu de illius natura dubitaremus, si sensibus his pateret. Ergo recepi quandoque mentis aciem in seipsam, si fortè hac via me cernerem, verùm neque ita quod desiderabam omnino sum assequutus. Quippe interiore hoc meo intuitu, neque delector satis, neque quiesco. Qui autem quod inuestigat consequitur, gaudet protinus & quiescit, non igitur me apud meipsum reperio. Quod si in alio me quæsiturus sum, quonam pacto me apprehendam? Si me ipsum non habeo, per quem solũ possum capere, quicquid capere possum. Redi igitur, & te imò me redde mihi. Quando ego id nequeo, redi hodie neque semper venturas differ in horas. Ne patiare obsecro, plures à nobis dies nigro numerari lapillo. Quot enim isthic tu serenos agis, totidem nos hic nubilos agimus atque nigros. Vale.

Seria ad Ioannem. Anima post mortem intelligit, & multo clarius quàm in corpore.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

SCripsi nonnullas ad te Epistolas (amice optime) in quibus tentaui amatorium quodammodo scribendi genus, quod quidem & nostræ familiaritati conuenire videtur, & ab honesta illa Socratis Platonisq; libertate non est alienum. Nunc autem Platonicorum more post amatorios iocos (talia enim Platonica Procemia sunt) ad seria veniamus. Audi nunc, quæ cum Bernardo Iunio, & Bartholomæo Fortino ciuibus iustitia excellentibus, aliquando de mente disseruimus. Duo sunt inter mortales dubia circa mentem præcipua. Primum est, vtrum intellectus seiungi à corpore possit, ac deposito corpore viuere atque operari. Secundum, si quid tunc intelligit, vtrum] clarè intelligat, nec-ne. Respondebimus ad hæc in præsentia quàm breuissimè poterimus: Nam hæc & similia in Theologia nostra de Animorum immortalitate latissimè disputantur. Concedimus intellectum multa incorporalia excogitare, Deum videlicet, Angelos, animas, virtutes, numerorum proportiones, ideas, rationesque rerum vniuersales. Quemadmodum verò non possumus per visum inuisibilia cernere, ita neque per corporale aliquod instrumentum incorporalia cogitare, neque per naturam aliquam districtam corpori, locoque & tempori, res à materia, loco, tempore, absolutas, petere, quærere, inuenire, seruare. Ac si mens interdum etiam dum regit corpus, ita se in se colligit, vt speculetur aliquam per seipsam; sequitur vt à corpore separata multomagis faciliusque per seipsam valeat speculari. Si poterit per se operari, per se quoque esse ac viuere poterit. Atque vt ad quæstionem alteram descendamus, clarius tunc discernet quæcunque intrinsecus offerentur intelligenda, quàm sensus nunc quæ offeruntur extrinsecus sentienda, & tanto saltem clarius, quanto visus acutior est, & velocior quàm auditus sensusque reliqui. Ac etiam quanto mens præstantior est quàm sensus, & obiectum mentis præstantius est quàm sensus obiectum. Mentem esse sensu excellentiorem non dubitat, quisquis illius viribus vtitur, videt enim eam sensuum iudicem esse, & tanquam pretiosiorem, concedi paucioribus, tardiusque & rarius exerceri. Obiecta quoque mentis obiectis sensus esse sublimiora hoc ostendit, quod illa vniuersalia, ampla, æternaque sunt; ista particularia, angusta, mortalia. Accedit ad hæc, quòd quanto magis exterior sensus intenditur, tanto magis interior sensus remittitur. Atque contra. Qui enim attentius inspicit auditque nonnulla, vix interim potest imaginari, & qui vehementer imaginatur, vix cernit vel audit, quæ tunc extrinsecus offeruntur. Eadem est inter imaginationem intellectumque proportio Anima in hoc corpore duo maxima omnium habet impedimenta; alterum, quod in plures operationes perturbatio-

tionesque distrahitur, operationes autem variæ se inuicem impediunt atque debilitant, difficillimum est enim diuersis simul incumbere, alterum, quod tum propter infimæ habitationis huius conditionem, tum propter ministerium corporale ad tempus adeò hominibus assignatum actiones inferiores longè prius, attentius, sæpiusque quàm superiores exercet. Vnde fit vt quando contemplari incorporalia volumus, vt plurimum debiliter operemur, & illa obtuse & quasi in nebula quadam prospiciamus. Verùm quando actiones alendi, augendi, sentiendi, imaginandi, vel obmittentur omnino, vel maximè remittentur, tunc vsque adeò mentis intuitus acuetur, vt quicquid cernat clarius hac luce discernat, perspiciet sanè anima per seipsam, tunc lucem illam intelligibilem perspicacius, quàm nunc sensibilem istam per vitreas corporis huius carcerisque fenestras, intuebitur enim tranquillè per serenitatem suam perspicuam, perspicacissimamque, obiecta excellentissima in diuini Solis luce adeò clara, vt Solis huius lux ad eam sit vmbra, & quia clarissima, ideo impuris oculis occultissima, puris autem manifestissima. Non intuebitur autem quasi pictas imagines, sed tanquam res veras, quarum res cęterę sunt imagines. Quando per somnum operationes motus exteriorumque sensuum cessant, tunc imaginatio quæ reliquiis pascitur sensuum vsque adeò roboratur, vt simulachra pingat intrinsecus tanquam res veras repræsentantia. Quid igitur faciet intellectus, imaginatione admodum efficacior, quando multo magis quàm imaginatio somniantis, liber ab impedimentis euaserit, atque in veritate rationeque summa veras omnium rationes inspiciet? pinget videlicet tunc in seipso vera omnia exactissimè, imò veris omnibus aliunde pingetur. Sed à quo maximè? A mente, mente inquam, lumine luminum Et quàm facilè fiet? facillimè prorsus, subito namque ob naturalem quandam cognationem visibile lumen illuminat perspicuum corporale, cum primum serenum purumque fuerit, formatque ipsum forma sua, perque suam formam formis omnium visibilium. Similiter intelligibile & plusquam intelligibile lumen, id est, Deus, intellectualem format perspicuitatem, cum primum serena euaserit, format, inquam, forma sua, hoc est, diuina, perque ipsam formis intelligibilium omnium. Tantumque statim afficit vitali calore & gaudio, quantum beneficio iam affecit fulgore, atque ita vitam tradit à morte liberam, sicuti lucem infundit à tenebris alienam, & vltra quemlibet temporis terminum, infundit lumen in mentem, quo iam ex temporis mutatione ad statum æternitatis ascendit. Pascit autem bonitate ad votum semper, & implendo allicit pulchritudine appetitum, & implet alliciendo. Ibi saturitas est absque satietate, vbi bonum est absque malo, perque bonum infinitum fit etiam capacitas infinita. Infinitum ergo bonum & pulchrum, innumerabilium fons bonorum, atque pulchrorum allicit, & implet pariter in æternum.

Contra Auerroëm, scilicet, quòd non sit vnicus hominum intellectus.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

AVerrois vnicum esse opinatus est cunctorum hominum intellectum, eodemque omnes quicquid vsquam intelligunt intelligere. Hanc opinionem nonnulli rerum nouarum auidiores quàm verarum, esse aiunt admodum naturalem. Atque ego confiteor, sed ob hoc tantum eam naturalem voco, quia sicuti res naturales solent, valdè mutabilis est & contrario suo destruitur. Eo enim ipso quòd aliquis affirmat contrarium subitò Auerrois opinio labefactatur. Cum enim non possint in eodem simul esse contraria, si intellectus in Auerroico quodam Philosopho atque in Platonico simul de seipso contraria sentit, dum illic ait se vnicum esse, hic autem plures esse, non vnicum, constat planè in illis non vnum intellectum esse sed plures. Nonne in iis quæ ad intelligentiam voluntatemque pertinent, maxima eodem tempore inter homines diuersitas est? Nam & idem & eodem tempore alij affirmant, alij negant, alii volunt, alii nolunt. Quid præterea de repugnantibus dicemus habitibus? Intellectus in alio doctissimus est, indoctus in alio, in illo iustus probusq; in illo iniustus & improbus, in illo felix, miser in illo. Non potest igitur idem esse in omnibus intellectus. Si diuersi sunt intellectus, multo magis diuersæ sunt animæ. Adde quòd si vnicus est intellectus, semperque fuit, vt ait Auerrois, non est verisimile eum ita esse suiipsius ignarum, vt in omnibus penè hominibus, præterquam in solo Auerroë, se numero multiplicem esse putauerit semper & putet. Quid menti naturalius quàm sui ipsius cognitio? Cur igitur mens cum opinionem Auerrois cogitat, eam aut nunquam aut vix capere potest, nisi quia falsa opinio est? Denique

Denique quoties vnitatem mentis excogitamus, toties eam odisse solemus, ac mentis numerum cupere, si modo cupimus superuiuere. Eadem vero mens sola oderit, si modo odisse potest vnitatem suam, quæ sola potest & nosse. Non est autem verisimile rem æternam, atque adeo diuinam semper sui ipsius naturam aspernari, respuere & odisse. Quid vltra sermonem protraho? Satis superque hæc in agro tuo Regnano, ego ac tu inuicem disputauimus, quando Marsilius hic hospes illic tuus grande illud componebant Theologie volumen. Vale. xvi. Aprilis Florentiæ.

Theologi vigilant, cæteri somniant.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

Mirantur nonnulli cur tanta obseruantia Platonem sectemur, qui semper videtur inter paradoxa & portenta versari. Mirari autem, vt arbitror, desinent, si considerauerint sola quæ diuina sunt reuera existere, quia neque alienæ naturæ contagione inficiuntur, neque vnquam è suo statu mutantur. Corporalia vero haudquaquam esse reuera, sed esse videri, cum inficiantur contrariis & iugiter permutentur, ideoque non veræ res sint, sed rerum verarum imagines, aut vmbræ. Cum autem cæteri Philosophi penè omnes naturalium duntaxat rerum studio dediti, in his tanquam rerum verarum imaginibus somniarent, Plato noster diuinis incumbens, vel solus vel maximè omnium vigilabat. Itaque tanto satius arbitror Platonem Theologum sequi, quam Philosophos cæteros, quanto præstat vigilantibus gubernatoribus quam dormientibus se committere. Vale.

Veritas Dei splendor, pulchritudo, amor.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

Hoc precipuum diui Platonis, vt Parmenidis dialogus, & Epinomis indicant, studium fuit, vt vnum rerum monstraret esse principium, quod & ipsum vnum propriore vocabulo nominauit. Vnam quoque omnium esse voluit veritatem ipsius, scilicet, vnius, hoc est Dei, lumen mentibus omnibus speciebusque infusum, quod & species offerat mentibus, & mentes copulet speciebus. Vnicam igitur veritatem, vnius scilicet, Dei radium vnum colat oportet quicumque Platonicum voluerit studium profiteri, hic radius per Angelos, animas, cœlosque & reliqua corpora transit. Atque vt in libro de Amore disseruimus, splendor eius pro natura cuiusque fulget in singulis, gratiaque & pulchritudo vocatur. Et vbi fulget accommodatius, ibi præcipuè allicitur intuentem, concitat considerantem, rapit & occupat propinquantem, cogitque eum venerari splendorem huiusmodi præ cæteris tanquam numen, nihilque aliud adniti quam vt deposita priore natura ipse splendor efficiatur. quod hinc patet, quãdo amator aspectu tactuuè amantis, hominis non est contentus, & clamat nonnunquam, homo hic nescio quid habet quod me vrit, atque ego quid cupiam non intelligo. Vbi constat animum diuino vri fulgore, qui in formoso homine micat quasi speculo, atque ab eo clam raptum quasi hamo trahi sursum vt Deus euadat. Insanus igitur habendus est & miser, quisquis dum à Deo per visum ad sublimia prouocatur, ipse per tactum seipsum demergit in lutum, & cum ex homine potuerit Deus fieri diuinam ipsam per humanam pulchritudinem contemplando, ipse se ex homine bestiam reddit, spiritali veræque pulchritudini corporalem, & vmbratilem formam anteponendo.

Quod Ideæ secundum Platonem in diuina mente sint.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

Plato noster in Timæo, Timæum Pythagoricum imitans atque comprobans, mundum à Deo genitum asserit. Eiusque generationis causam triplicem introducit, efficientem, finem, atque exemplar. Vult enim mundum à potentia Dei bonitatis suæ gratia ad diuinæ sapientiæ exemplar effectum fuisse. Et quemadmodum in architecto vniuersi ædificij eiusque partium exemplaria sunt, sic in diuina quadam intelligentia supra mundum esse vniuersi mundi huius eiusque partium exemplaria, mundumque illum intelligibilem nominat & ęternum, hũc vero temporalẽ atque sensibilem. Exemplaria huius in illo vocat ideas, similitudines illi in hoc

FFf

imagines atque vmbras. Quamobrem inuidos quosdam ridere & licet & libet, qui Platonem vulgò tam ineptè prædicant quam inique, ideas rationesque rerum vniuersales posuisse, tùm à corporibus, tum à diuina intelligentia, tùm à se inuicem separatas, & tanquam nubeculas quasdam per aërem dispersas à vento. Sed quoniam plurima contra illos adduximus in iis libris quos apud te in agro Regnano composuimus, sufficiat nunc testimonia solum ex Timæo Platonis adducere. Primum consideremus, inquit, quod in quæstione de vniuerso ante omnia solet inuestigari, vtrum semper fuerit vniuersum hoc sine vllo generationis principio, an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium. Id profectò cernitur tangiturque & corpus est, omnia vero huiusmodi sensus mouent, quæ sensus mouent opinione per sensum percipiuntur, hæc vero talia esse constat, vt gignantur & genita sint, quicquid autem gignitur ab aliqua causa, necessario gigni asseruimus. Opificem quidem & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris prædicare vulgò impossibile est. Rursus considerandum est, vtrum mundi faber sit imitatus exemplar, id ne quod vnum idem semper & simile est? An id quod genitum dicimus? Atqui si pulcher est mundus, & opifex mundi bonus, sempiternum exemplum maluit imitari, sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplar est pro æterno secutus. Cum vero & mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & eius author causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplum. Sic igitur generatus ad id est effectus, quod ratione & sapientia sola comprehendi potest & immutabile permanet.

Ex quo efficitur vt necesse sit hunc mundum alterius simulachrum esse. Et paulo post. Dicamus quam ob causam ille rerum author generationem & hoc vniuersum constituit. Bonus erat, bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant simillima fieri voluit. Si quis hanc gignendi mundi causam præcipuam à prudentibus viris acceperit, rectissimè profectò accipiet. Et post pauca. Dicendum est hunc mundum animal esse, idque intelligens, reuera diuina prouidentia constitutum, hoc posito quod sequitur, videamus. Ad cuius animalis similitudinem Deus mundum constituit, vni cuidam propriæque animalium speciei similem fecisse non arbitramur. Nam si imperfecto animali similis esset factus, pulcher certè non esset, imò verò illius animalis eum simillimum esse ducimus, cuius animalia cætera & singulatim & generatim partes sunt. Illud siquidem viuentia omnia quæ sola mente percipiuntur in seipso complectitur, quemadmodum mũdus hic nos & cętera quæ cernuntur animalia continet. Volens itaque Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & vndique absoluto mundum hũc simillimum reddere animal, vnum ipsum effecit aspectui subiectum, animalia cuncta naturæ suæ conuenientia intra suũ limitem continens. Rectè ne mundum vnum diximus? an rectius plures innumerabilesue dici oportuit? Vnum profectò, quãdoquidem ad vnius similitudinem est formatus, quod enim viuentia omnia quæcũque intelliguntur continet, socium alterum habere non potest. Rursus enim aliud animal quod hæc duo contineret esse oporteret, cuius duo hæc partes essent. Nec illorum sed tertij huius mundus iste simulachrum rectius diceretur. Vt igitur hic mundus esset animali absoluto simillimus, ex eo quod solus atque vnus esset, idcirco neque duo neque innumerabiles procreati sunt, sed vnus mũdus vnigeniusque factus est & erit. Sed audi Timæum Pythagoricum, qui Platonis magister extitit similibusque verbis ideas collocauit in Deo. Mundus, inquit, est eorum quæ genita sunt optimus, quoniam ab optimo authore est illo genitus, qui respicit non in manufacta exemplaria, sed in ideam intelligibilemque substantiam. Ad quã quidem quod factum est examussim atq; perfectè pulcherrimum & inemendabile fit. Perfectus vero est super secundum sensibilia, quoniam illud ipsius exemplar, quod omnia in se continet intelligibilia animalia, nihil exterius aliud reliquit, cum sit terminus intelligibilium absolutissimus, quemadmodum hic mundus est sensibilium. Hæc ille. Audiuimus ideas omnium esse in quodam exemplari viuente æternoque quod sit intelligibilium omnium præstantissimum, & ita vndique absolutum, vt nihil intelligibilium sit extra ipsum. Hoc autem nihil aliud potest esse quam Deus. Sed quod illo clarius? Plato cum dixisset Deũ omnia sensibilia ad similitudinem intelligibilium effecisse, subiunxit eum omnia sui ipsius fecisse similia. Quasi idem exemplar sit atque Deus. Quoniam verò quot sunt in hoc mundo rerum species creatarum, tot saltem in Deo sunt ideæ, id est

rationes intelligibiles per quas cuncta creantur, atque creatæ species, quia sunt in materia per se non viuente, vel non viuunt, vel vix viuunt. Ideæ verò quia sunt in Deo per se viuente, viuunt in Deo. Plato in eodem libro inquit: quot & quales mēs ideas in ipso viuente inspicit, totidem & tales in hoc mundo species secum cogitauit effingere. Hoc Ioannes sensit, Plato, vt audis. Hoc senserunt antecessores successoresque Platonis. Crede Marsilio, qui sentit aliter à veritate dissentit.

Causa peccandi, Spes, Remedium.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S, D.

CVr animi cum diuini sint tàm prophanè viuunt? Quia domum regionemque habitant prophanam. Alij propter negligentiam vel ignorantiam delinquunt, neque mirum id quidem, quoad in caliginosa hac mundi face versamur, alij propter nimium corporis amorem, neque id quoque mirum, comes enim est & proles animæ, alij quia vel immortalitati, vel diuinæ clementiæ diffidunt, quid mirum? cum in loco mortis malignitatisque vitam ducant, alij quia vel diuinæ clementiæ, vel crastinæ emendationi plusquam par est confidunt, tum diffidentia, tum confidentia nimia periculosa est, illa vexat, ista fallit. Summa igitur prudentia est præsenti momento semper vti quam optime possumus. Vnicum refugium Deo se frequentissimè commendare. Optima spes, cum hæc egeris meminisse non latere Deumquam duram, quamue periculosam nobis prouinciam habitandam & administrandam tradiderit, infinita bonitas finitum longè superat malum. Varios instituit siue castigationis siue pœnarum gradus atque eos quidem ad bonum vel proprium alicuius vel commune. Gradus autem præmiorum plurimos & vberrimos.

Quos Deus coniunxit moribus, coniunget felicitate.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

HEri in agro Nouolano sacra diui Christophori & Iacobi solennia instaurauimus, Sacra dixi, Ioannes, duntaxat, festa certe addidissem, si tu affuisses, sine quo nihil mihi festum. Vide igitur quantum Marsilio tuo charus sis cui ne cœlestia quidem, si dicere fas est, absque te chara sint, & merito, nam qui Iacobum Christophorumque coniunxit in sacris, idem Marsilium & Ioannem coniunxit in vita. Idem quoque aut certe quam simillimus præest vtrisque genius. Statuit nos arbitror Deus in terra eadem voluntate moribusque similibus, in cœlo sub eadem idea paribusque felicitatis gradibus viuere. Vale nostræ nauigationis Achates, ac portus denique condimentum.

Præstantior est legum conditor quam sophista.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

MIrabantur Græci quondam in Carneade, vim dicendi, memoriam & acumen laudant, vt ais, familiares tui eadem in Ioanne Guidio, eumque ob similitudinem quandam Carneadem sæpè cognominant. Tu autem hunc ob legum inuentionem Lycurgi vocas imitatorem. Quæris præterea quænam præstantior laus sit, Carneadis ne an Lycurgi similem esse. Carneades disputando lites introduxit, Lycurgus verò dissoluit, Carneadis argutiæ sæpius inutiles quam vtiles. Vtiles autem paucis, raro alicubi. Lycurgi disciplina superutilis, vbique & omnibus necessaria. Denique quanto satius est bene viuere quam bene loqui, & felicem esse quam videri, tanto Lycurgi quam Carneadis facultas præstantior est. Sed accipe ab Herodoto quanta conditoris legum excellentia sit, is enim scribit, cum primum Lycurgus Apollinis templum ingrederetur, hos versus Pythiam effudisse.

Æthereo dilecte Ioui cunctisque Lycurge
Cœlicolis, qui nostra venis ad pinguia templa,
Ambigo quem potius te nunc hominemne Deumuè
Vaticiner, Diuum potius te spero Lycurge.

Lege hanc Epistolam Priori Paldolfino familiari nostro, noui hominis ingenium, scio hæc eum confirmaturum. Vale. Et in Ioannis Guidij beneuolentia perseuera.

Legitimus amoris terminus est consuetudo.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

INterrogas quæ me potissimum causa induxerit vt amatorias Epistolas nonnullas excogitarem, sunt Ioannes quam plurimi qui de rebus amatoriis loquentes scribentesue ab amoris lege procul aberrant, error autē huiusmodi tàm noxius est quam vtilis est recta dilectio, tàm etiam multiplex quam multi sunt qui amant. Omnes vero homines amant, homines dixi, Ioannes, nam qui non diligit hominem, non est homo. Ergo non solum in libro quem de Amore composui, verum etiam in Epistolis meis præfixi amantibus terminum quem vsque progrediantur, quem qui transgreditur cum sui ipsius verus hostis sit, verus aliorum amicus esse non potest. Legitimum vero in loquendo scribendoue terminum solus ille seruabit, qui prius in cogitando seruauerit, seruabit autem in cogitando, qui, quæ vera pulchritudo sit, quæ non vera quidem sed veræ similitudo, cognouerit, legitimus amandi terminus est consuetudo, hæc tribus constat, cogitatione, aspectu atque auditu. Nempe (vt Philosophi omnes definiunt) amor nihil aliud est quam pulchritudinis desiderium. Pulchritudo corporis non in vmbra materiæ, sed in luce & gratia formæ, non in tenebrosa mole, sed in lucida quadam proportione, non in pigro ineptoque pondere, sed in conuenienti numero & mensura, consistit. Lucem vero, ipsam gratiam, proportionem, numerum, & mensuram, cogitatione, aspectu, auditu, duntaxat attingimus. Hucusque igitur se extendit verus veri amantis affectus. Appetitus autem sensuum reliquorum, cum ad materiam, molem, pondus, deformitatemque formæ amoriuè contrariam rapiat, non amor est, sed pruritus quidam ineptus & onerosus nimiumque deformis. Sed quid ego tamdiu Socratis & Platonis nostri more, vulgo potiusquam mihi consulo? Forte quanto magis conabor ne vulgus turpiter amet, tanto magis insanum, gratumque vulgus suspicabitur, me nimis amare, quod etiam diuinis illis Heroibus Socrati & Platoni nostris ducibus dicitur contigisse. Ergo de iis hactenus satis superque sit dictum. Vale.

Neque amor sine religione neque religio sine amore laudatur.

MARSILIVS FICINVS Philippo Contronio Lucensi, S. D.

MItto ad te amorem quem promiseram. Mitto etiam religionem, vt agnoscas & amorem meum religiosum esse, & religionem amatoriam. Sane ita natura comparatum est, vt neque amor honestus sit nisi religiosus, neque religio vera nisi amore suscepta. Salutat te Angelus Mamettus Ioannoctij oratoris filius paternæ virtutis hæres.

De tolleranda iniuria.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

AIs quendam familiarium tuorum à petulantibus quibusdam, contumelia & iniuria nuper affectum fuisse. Qui facit iniuriam Ioānes sibi ipsi facit. Animum enim perturbat & nota mali habitus inficit. Subit infamia odium, periculum & incommoda. Qui accipit iniuriam non ab inferente, sed à seipso accipit. Non enim offenditur animus ipse rationalis qui homo ipse est, nisi iniuriam illam esse sibi malam existimauerit. Existimatio huiusmodi in nostro arbitrio posita est. Cum igitur nemo nisi à seipso lædatur, nemo de alio quam de seipso debet conqueri; cogitet ergo qui queritur non quomodo alium, sed quomodo seipsum puniat, hoc est, castiget & corrigat. Vidisti ne vnquam catulos quosdam, qui lapidem mordent in eos coniectum etiam si ab eo percussi non fuerint? hi cum à lapide læsi non fuerint, morsu dentes suos lædunt, Idem faciunt homines imprudentes, illi enim sæpe ab asino calce percussi, asinum imò se pugno percutiunt. Sanè imprudentes iniurias multas opinione sua in se recipiunt, quæ sua natura quasi pilæ in iactorem resultare consueuerunt. Dices forsitan vindictam non desiderare difficile est. Ne dubita, si homines ignouerint, tamen paulo post Deus iustissimus vlciscetur. Quid commodius, quid gloriosius, quam patronum & vltorem suum habere Deum? Et tantum boni saltem mereri ab illo expectando, quantum iniurius inferre voluit mali, malumque hoc pacto in bonum conuertere. O quam pretiosum bonum est tollerantia? Hanc solam exercuit Socrates Gręcorum sapientissimus, hanc prę

cæteris virtutibus exercuit Christus vitæ magister. Nam ob hanc penè solam exercendam dicitur ad homines descendisse. Tam vituperanda impatientia est quam laudanda est patientia. Mittamus cætera, impatientia turbat animum, præterita bona delet, præsentia inficit, futura impedit. Neque rumori vilis plebeculæ præstandæ sunt aures, si inuitauerit ad vindictam. quid plebs? polypus quidam, id est, animal multipes sine capite. Magnanimi est præ magnitudine sua paruifacere quæ sunt parua. Parua sunt & breuissima temporalia omnia, quorum quod est præteritum, non est amplius; quod est futurum, nondum est; quod præsens, indiuisibile est & incipit simul ac desinit.

Non est fortis qui succumbit iniuriis, sed qui superat. Superat autem qui ita resistit, vt ob earum impetum è suo statu non moueatur. Hæc familiari tuo legito, dicito etiam vt à ratione medelam quęrat, non expectet à tempore. Tempus enim noxius medicus est, quotidie enim expectatione futuri fallit ægrotum, & antequam veteres expellat dolores nouos adiungit veteribus, totque quotidie accumulat mala, vt fallaci spe vitæ deducat ad mortem. Viuendum est autem hodie, qui enim cras viuit nunquam viuit. Si vis hodie viuere, viue Deo, in quo heri & cras nihil aliud sunt quam hodie. Vale xxx. Martij M. CCCC. LXXIIII.

De constantia aduersus fortunam comparanda.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

SOcrates apud Platonem in eo libro qui de scientia Thæetetus inscribitur, amicum suum Theodorum Geometram ad ictus fortunæ fortiter propulsandos, non ferreis vt plerique solent, armis, sed aureis, hoc pacto muniuit. Impossibile, inquit, est Theodore mala penitus extirpare. Necessarium est enim bono aliquid semper esse contrarium. Apud superos quidem mala esse non possunt, sed mortalem hanc naturam, regionem inferiorem necessario circuunt. Ideo conandum est hinc illuc quam celerrime fugere. Fugere autem dicimus, se Deo quam simillimum pro viribus reddere. Similem vero hominem Deo reddunt, prudentia, sanctitas atque iustitia. Quemadmodum vero diuinum hoc Platonis nostri præceptum accipi debeat, breuibus audies, sicut animorum nostrorum qui creator est, idem & gubernator Deus, ita corporum genitor & gubernator est mundus. Quoniam vero filius animus mundi, membrum est corpus, animus noster à Deo tanquam à patre prouidentiæ legibus clementer & suauiter agitur, corpus autem nostrum à corpore mundi fati viribus tanquam particula quædam à tota sui mole violento quodam impetu trahitur, nec in mentem nostram fati vis penetrat, nisi ipsa se suæ sponte prius in corpus fato subiectum immiserit. Nemo igitur adeò consilio suo viribusque confidat, vt morbos corporis, rerumque facturas, deuitare omnino posse se speret. Recipiat à corporis peste se ipsum animus quisque, & in mentem suam se colligat, tunc enim vim suam fortuna explebit in corpore, in animum non transibit. Non pugnabit incassum vir sapiens contrà fatum, se fugiendo potius repugnabit. Fugari non possunt aduersa, sed fugi. Igitur hinc illuc, id est, ab amore corporis externarumque rerum cura, ad animi denique cultum aufugere à Platone iubemur, aliter enim mala declinari non possunt. Addit, quam celerrimè, ob eam arbitror rationem vt à tenera ætate segregare à commercio corporis animum incipiamus, antequam diuturna eius consuetudine submergatur. Per hanc vtique fugam Deo similis non immerito redditur animus, quippe cum à corporis contagione liber tanquam Deus euadat. Huiusmodi libertatem virtutibus præcipuè tribus assequimur, Prudentia, iustitia, sanctitate. Prudentia quid Deo, quid mundo debeamus agnoscit, Iustitia quod suum est mundo, sanctitas Deo quod suum est, tribuit. Itaque vir prudens corpus quidem suum mundi membrum, mundi ipsius reuolutioni concedit, quocunque contigerit agitandum. Animum autem Dei filium à corporis commercio segregat, & diuinæ committit prouidentiæ pro arbitrio gubernandum. Hoc aureum Platonis nostri præceptum si nos, suauissime mi Ioannes, sectabimur, peruastum hunc fortunæ gurgitem, cœlesti flamine adspirante, securi & incolumes ad portum feliciter nauigabimus.

Amicitia illa stabilis quæ à Deo conflatur.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

VErã Platonici Philosophi amicitiam, optime mi Ioãnes, stabilẽ vitę duorũ

vnionem definierunt. Vitam verò nos nam illis esse duntaxat hominibus arbitramur qui opere vno ad vnum finem tanquam eadem calle ad eundem itineris terminum gradiuntur, stabilem quoque eorũ ita demum fore societatem existimamus, cum non vnum solum, verum etiam stabile firmumque id fuerit quod sibi communi quodam inter se officio sectandum proposuerunt. Verùm cum omne hominum studium atque commercium ad id quod bonum putatur semper contendere soleat, bona vero tria esse mortalibus videãtur, bona inquam animi, corporis, & externa, aut virtus animi ab illis, aut voluptas corporis, aut diuitiarum copia quæritur. Horum profectò primum illud certum est & perpetuum, duo reliqua caduca sunt atque mortalia. Quamobrem inter illos solum stabilis vitæ vnio, quæ vera est amicitia esse potest, qui neque ad diuitias cumulandas, neque ad explendas libidines corporis, quæ omnia fluxa & caduca sunt, sed ad vnam stabilemque virtutem animi capessendam atque colendam communi quodam inter se studio & toto mentis ardore proficiscuntur. Animi virtutem Philosophorum ille omnium magister & dux Plato noster sapientiam voluit nuncupari, sapientiam verò esse rerum diuinarum cognitionem existimauit. Res autem diuinas, idem in libris de Republ. non aliter menti nostræ innotescere posse, quam Deo nos illustrante, demonstrat, quemadmodum & corporum formas oculis, non aliter quam Sole oculos illuminante, videri. Idem igitur Deus est quem videre desideramus, qui aciem mentis vt intueri possimus illuminat, qui lucidæ menti se denique monstrat, monstrando delectat, idem via nobis est Deus, est veritas, est vita. Via quidem, quoniam suis nos radiis ad se conuertit & ducit & rapit. Veritas autem, quia verum se nobis ad ipsum conuersis ostendit. Vita denique, quoniam animum nostrum ipsius cõtemplatorem beata illa visione pascit perpetuò & oblectat. Hunc ergo sapientiæ omnis perennem fontem sitiant, oportet omnes quicunque sapientiæ gustare liquores suauissimos cupiunt. Sapientiam vero sectentur necesse est omnes, qui virtutem animi adipisci desiderant. Quo efficitur vt quicunque animum suum colere instituunt, Deum colere compellantur. Amicos autem inuicem eos in superioribus definiuimus, qui simili & pari studio ad virtutem contenderent, mutuoque fauore suos animos colerent. Cultus animi sola virtute constat, virtus sapientia est, sapientia cognitio diuinorum. Cognitionem huiusmodi lux nobis diuina largitur. Cultus itaque animi, Dei ipsius est cultus. Amicitia igitur cum duorum consensu ad animum virtute colendum nitatur, nihil vtique aliud esse videtur quam duorum animorum summa in Deo colendo concordia. Amantur autem à Deo quicunque Deum pia mente colunt. Ideo non duo quidem soli, sed tres necessariò amici sunt semper, duo videlicet homines vnusque Deus. Deus, inquam, Iupiter hospitalis, Iupiter amicabilis, Iupiter humanæ vitæ seruator. Quem coluit Plato semper, semper Socrates honorauit, hic vitæ dux hominum, hic nos in vnum conciliat, hic indissolubilis est amicitiæ nodus, custosque perpetuus. Hoc Deo quondam conciliatore prisci illi Theologi, quorum memoriam veneramur sanctam, inter se amicitiæ copulam iniisse traduntur. Apud Persas Zoroastri in diuinis religiosæ philosophiæ mysteriis assiduum sibi comitem Arimaspem aspirante numine dicitur adsciuisse. Mercurius Trismegistus apud Ægyptios similiter Æsculapium. Musæum Thracia Orpheus. Illic etiam Aglaophemus Pythagoram. Atheniensis Plato Dionem primo Syracusanum. Dione deinde defuncto, Zenocratem. Vsque adeò sapientes viri ad cœleste iter tuto & placide peragendum & ducem Deum & comitem necessarium fore arbitrabantur. Horum ego vestigia superne per cœli plagas impressa & si minime sequi posse cõfido, hoc tamen vnum mihi iam abũde videor consecutus, vt ad sacræ Philosophiæ studia, exercendam virtutem, veritatem inuestigandam, optimi viri commoda & iucunda societate non caream. Reor enim Ioannis Caualcantis & Marsilij Ficini familiaritatem in earum numero, quas paulo ante commemorauimus, ponendam esse, ac duce Deo qui nobis feliciter hanc copulam instituit & conflauit, vtrique nostrum ad res agendas, ad vitæ tranquillitatem, ad diuinorum indagationem, plurimum conducturam.

Poeticus furor à Deo est.

MARSILIVS FICINVS Antonio Pellocto Baccio Vgolino, S. D.

CVm legeremus ego & Antonius Calderinus, vnà & Bindaccius Ricasolanus familiares mei, queṿterque vestrum in Caroli Marsupini laudes Musarum alum-

ni composuit, consensimus verissimam esse illam Platonis nostri sententiam, Poësim non ab arte, sed à furore aliquo proficisci. Et si nihil opus est rationibus vbi res ipsa in promptu est, dicam tamen quod ratio Platonica persuadet. Plato de furore diuino in Phedro & Ione disputat, cuius tria potissimum affert signa. Primum, quod artes singulas singuli homines sine Deo, longo vix tempore assequuntur. Legitimi vero Poëtæ, quales fuisse vult Orpheum, Homerum, Hesiodum, Pindarum, omniũ artium suis operibus certa quædam indicia & argumenta inseruerunt. Secundum, quod multa furentes canunt & illa quidem mirabilia, quæ paulo post deferuescente furore ipsimet non satis intelligunt, quasi non ipsi pronunciauerint, sed Deus per eos ceu tubas clamauerit. Tertium, quod non prudentiores viri & ab ineunte ætate eruditiores optimi euasere poëtæ. Verum insani potius aliqui, qualem fuisse constat Homerum atque Lucretium aut rudiores, qualem se fuisse testatur Hesiodus & quales extitisse Ionem, & Tynnicũ Chalcideum scribit Plato. Qui præter artem subitò in rebus Poëticis mirandi prodierint. Addit ineptissimos quosdam homines à Musis ideo corripi, quia diuina prouidentia declarare vult, hominum generi non hominum inuenta esse præclara poëmata sed cœlestia munera, cuius illud affert signum in Phedro, quod nullus vnquam, licet diligentissimus & in omnibus artibus eruditus, excelluit in poësi nisi ad hæc accesserit feruentior illa animi concitatio, quam sentimus quando Est Deus in nobis agitante calescimus illo, impetus ille sacræ semina mentis habet, Valete. IIII. Martij. M. CCCC. LXXXIII.

Cura patriæ, familiæ, amicorum.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Tedaldo, S. D.

BArtolus Tedaldus patruus vester vir doctus & prudens, sæpè Socraticum illud habebat in ore: Duo præ cęteris rebus humanis esse curanda, patriam videlicet & familiam. Et merito, cuius enim patriæ membrum est familia, corpus patris. Quid igitur toties, Francisce noster, quid tandiu peregrinaris? Sic neque patriam colis, neque familiam satis excolis. Non tantum cogitandum est, vt multa filiis relinquas bona, quantum vt multum bonos, alterum fortè extra patriam, alterum certè in patria consequi potes. Lactantij arbitror filij tui diligentię honestatique confidis. Neque ipse quidem diffido. Quid verò de amicis dicam? quibus aliquando obsequaris oportet, si vis tibi obsequi, obsequere amicis, imò tibi hodie. Obsequium crastinum inimicis, si quos habes, donato: sit precor tibi saltem cura mei, cui quidem tam charus es, quam quod charissimum. Vale. v. Martij. M. CCCC. LXXIII.

Quis sit verus vir appellandus.

MARSILIVS FICINVS
Bartholomęo Fontio & Alexandro
Braccio Musarum alumnis, S. D.

SI miramini cur Nicolaum Michelozzium peculiari nomine verum virum nominem. Respondeo, quia nihil reperio in eo viro effæminatum, nihil mendax, nihil non virtutis vim præ se ferat, & intra se ferat. Vnde nam proficisci id putatis? Quod nemo reperiatur vsquam, qui Nicolao vel minimum quicquam detrahat. Cur sine exceptione laudatur? Quia sine simulatione diligitur, & vnde istud? Quia sine simulatione diligit & viuit absque mẽdacio. Valete, sed cauete ne legat hanc epistolam Nicolaus. Laudare eum absentem statui, ne fortè minus verè verum virum laudare viderer. Salutate Petrum Cenninum nostrum virum pietate literisque ornatum. VI. Aprilis. M. CCCC. LXXIIII.

De humanitate.

MARSILIVS FICINVS
Thomæ Minerbecto humano
viro, S. D.

CVr pueri crudeliores sunt quam senes? insani quam prudentes? hebetes quam ingeniosi? Quia minus homines, vt ita dicam, sunt quam cæteri. Vnde qui crudeles sunt, inhumani, efferatique nominantur. Qui enim à perfecta hominis natura, vel propter ætatis defectũ vel propter animi vitium corporisue morbum, vel propter aduersam syderum dispositionem, procul distant, hi, vt plurimum humanam speciem, tanquam rem alienam extraneamque vel odere, vel nigligunt. Non homo, vt ita loquar, fuit Nero, sed monstrum quoddam, pelle homini simile. Si enim reuera fuisset homo, cæteros homines tanquam membra quædam eiusdem corporis dilexisset. Singuli namque homines sub vna idea & in eadem specie sunt vnus homo. Ob hanc vt arbitror rationem, sapien-

tes solam illam ex omni virtutum numero hominis ipsius nomine, id est, humanitatem appellauerunt, quæ omnes homines quodammodo ceu fratres ex vno quodam patre longo ordine natos diligit atque curat. Ergo, vir humanissime, in officiis humanitatis perseuera. Nihil Deo gratius quam charitas. Nullum certius aut dementiæ indicium aut miseriæ portentum quam crudelitas.

Gratia, Amor, Fides, Amicitia.

MARSILIVS FICINVS
Naldo Naldio Poëtæ S.D.

VOlebam Nalde te Phœbi nunc appellare delitias, poësimque tuam multis, vt par est, laudibus prosequi, sed venit in mentem, haudquaquam Musam decere nisi Musa, & carmina nisi carminibus celebrari. Tacere autem tua penitus nequeo, quid me prouocat ad loquendum, amor ac fides, amorem igitur fidemque laudabo, gratia mouet amorem, amor fidem procreat. Fides amorem patrem suũ fouet, atque hoc fomento ex amore generat amicitiam, denique amicitiam iam natam alit fides, eadem & auget quotidie servatque penitus indelebilem. Vndenam fieri hoc arbitramur? quod cum cætera quanto magis senescunt, tanto etiam magis debilitetur, amicitia tamen ipsa quanto vetustior est tanto robustior. Nunquid beneficia multa vltro citroque accepta id agunt? nequaquam. Voluntas enim cum libera sit, libera emitur, voluntate non pretio. Ergo diu probata fides, comprobat amicitiam, solaque fide fit vt beneuolentia & antiquissima simul & robustissima sit. Hanc mihi celebrare præ cæteris libet. Doctrina enim cuiusque propria vnius est duntaxat, fides vero saltem est duorum, qui enim sapis, tibi ipse sapis fidelis autem tibi es & mihi. Vale mi Nalde fide fidelior, & amice omnium antiquissime. Atque in familiaritate Bernardi Oricellarij docti probique viri perseuera. Memento quoties vnà vel legitimum ciuem vel felicem virum excogitauimus, toties te centum virorum millibus Oricellarium, consentiente Marsilio, anteponere consueuisse. Iterum Vale. VIII. Aprilis. M. CCCC. LXXVIII.

Stultitia & miseria hominum.

MARSILIVS FICINVS
Ricciardo Angelerio Anglariensi, Oliuerio Ardouino, Antonio Seraphico, Conphilosophis suis, S. D.

QVid tantum ridebat Democritus? Quid lugebat Heraclitus: Alter quidem, vt opinor, stultitiam hominum, alter verò miseriam. Stultitia ridicula, miseria flebilis esse videtur. Stultitia quid aliud est quam iudicij deprauatio? Miseria quid, nisi appetitus afflictio ex deprauatione iudicij proficiscens? Quis negabit stultos esse homines, qui curant aliena, sua negligunt? Magnifaciunt absentia & noua, præsentia consuetaque paruifaciunt. Ob assiduam futurorum cupiditatem, præsentibus non fruuntur. Et cum sistendus sit motus vt quiescas, ipsi, vt quandoq; quiescant, nouos semper motus & varios inchoant. Sic diuitias accumulant tanquam nunquam morituri, sic voluptatibus abutuntur, tanquam quotidie morituri. Missa faciamus alia in præsentia. Infinita enim materies nunc nobis occurrit. Illum in primis stultissimum non iudicare non possum, quod multi bestiam quidem suam imò feram noxiam & indomitam, hoc est corpus, pascunt diligentissime, seipsos autem, id est, animum ipsum quantum in eis est, fame perire permittunt. Et miramur quamdiu ita viuimus, imò quamdiu ita morimur, tamdiu nos miseros esse, quasi possimus alia metere quam quæ seuimus. Stultitiæ fructus est miseria. At quomodo? Quoniam stulte nimium & corpus alimus & negligimus animum, illud pingue redditur & robustum, ille macer ac debilis. Hinc fit vt animo præ tenuitate imbecillitateque sua, corporalia tùm magna, tùm fortia videantur. quæ magna videntur, magnopere appetit, quæ fortia, timet summopere. Quocirca tanquam miser partim cupiditatis ardore, partim timoris horrore solicitatur. Alamus obsecro augeamusque alimentis spiritalibus spiritum, vt magnus quandoque factus & corporalia tanquam minima paruifaciens, nullam in partem ob corporis impetum è sua sede declinet. Ascendamus in altam mentis speculam, infimo corporis puluere derelicto, tunc diuina propius, humana procul spectabimus. Illa maiora quam consueuerint videbuntur, ista minora. Quapropter diligentes illa, & ista negligentes, neque stulti amplius erimus neque miseri, sed sapientes iam atque beati. Valete.

Stultitia & miseria hominum.

MARSILIVS FICINVS
Petro Vannio, Cherubino Quarqualio, Dominico Galleto, S. D.

VIdistis pictã in gymnasio meo mundi sphæram, & hinc atque illinc Democritũ & Heraclitum. Alterum quidem ridentem, alterum verò flentem. Quid

Quidnam ridet Democritus? quod luget Heraclitus, vulgus videlicet, animal monstruosum, insanum & miserabile. Mortales bona quotidie à Deo petunt, sed vt bene illis vtantur, nunquam postulant. Optant vt cupiditates eorum fortuna sequatur, vt autem cupiditas rationem sequatur, nihil curant. Minima quæque suppellectilia studēt quam pulcherrima fieri, animum fieri pulchrum ferè nunquam student. Corporalium morborum medelas diligenter exquirunt, morbos animi negligunt. Pacem opinantur cum aliis habere se posse, ipsi tamen secum assiduè bellum gerunt. Est enim inter corpus & animam, sensum & rationem pugna perpetua. Amicum sibi ex aliorum numero fidum comparare posse confidunt, nullus autem eorum sibi ipse seruat fidem. Quæ probauere, reprobant, quæ voluere nolunt, atque contra, ædificiorum partes ex amussim disponunt, fides in lyra ad vnguem temperant, vt autem animi partes motusque concinant, nunquam tentant. Lapides viuentibus reddūt similes, viuentes vero lapidibus, sapientes ipsos contemnunt, sapientum statuas & nomina venerantur. Aliena profitentur nosse, cum propria nesciant. Quid præterea dicemus ad hæc amici? Magistratus homicidium prohibent, & vbique instrumenta permittunt ad necem hominum fabricari. Optimam virorum segetem optant, sementem verò virorum, id est, pueritiam non satis excolunt. Semper male viuunt homines hodie, cras solum bene.

Ambitionis gratia maleficiis inter se cōtendunt, commodior ad gloriam via esset mutuis beneficiis decertare. Cum semper loquantur male, bene sperant se audituros, cum male agant, accepturos bona. Bonorum authores esse non prædicamus, malorum vero Deum. Culpas nostras in astra reiicimus. Quot reperies qui tanti æstiment hominem, quanti pecuniam? Qui ita seipsos colant, vt agros & cætera colunt? qui tanta diligentia familiam educent, quanta multi equos & canes & aues? Qui considerent quam grauis sit temporis iactura? In ære expendendo parcissimi sumus, in tempore erogando supramodum prodigi. Quot dabis qui animi sui penuriam recognoscant? Quisque abundare sapientia se existimat, carere in pecuniis. Proh dolor, maxima quærimus in minimis, excelsa in infimis, in malis bona, in rebus volantibus quietem, in diffidentibus pacem, copiam in penuria, in morte denique vitam. Quæramus, amici, obsecro, hæc eadem quæ iam quærimus. Sed non ibi quæramus vlterius vbi quęrimus. Insanus nimium & miser est qui se confidit contrarium in contrario reperturum. Valete.

Stultitia miseriaque hominum.

MARSILIVS FICINVS Christophoro Landino Viro bonitate doctrinaque singulari, S. D.

ARistoteles problemata de natura rerum introduxit. Ego nunc de natura hominum apud te problemata moueo. Dic age, cur homines rationales esse se gloriantur, & tamen casu viuunt? Affectant timentue multa, priusquam satis sciāt vtrum appetenda timendaue sint, an contra æternis & immensis breuissima & minima anteponunt. Cur neque obedire homini volunt, neque sapienti parere? Bestiis tamen vitiisque libentissimè seruiunt.

Quare aliis contendimus dominari, cum nobis ipsi non dominemur? quare studio dominandi quotidie in seruitutem incidimus? Et dignitates consequi conamur magis quam vt dignitatibus digni simus? Præterea cum videamus bestias bestiā à non posse recte absque hominis custodia regi, quonam pacto arbitramur homines ab homine absque Dei consilio & auxilio posse feliciter gubernari? Quidnam facit nos in tam superflua rerum copia querulos & egenes? Quid facit vt multis inuideamus, cum mortalium conditio misericordia digna sit potius quam inuidia? Cur bonorum tam facilè obliuiscimur, nunquam verò malorum? Et cum contraria contrariis expellantur, quid mala malis curare tentamus? Quid sæpè speramus ad gloriam peruenire? Virtutem in alio admiramur, nos autem vt admirandi videamur nitimur potius quàm vt simus. Displicet vitium alienum, vix autem cogitamus quo pacto nobis aliisque nequaquam displiceamus. Claudimus aures veritati, mendacio patefacimus. quid de illis dicam qui alicuius vel homines vel rei amore capti, se ipsos odio habent, se deserunt vt aliud consequantur? ô demētes, ô miseri, cum aliena per aliud quam per vos ipsos apprehendere nequeatis, quonam pacto si amisistis interiora, exteriora vnquam apprehendetis, quid bona procul quæritis peregrini? cum prope sint, imò intra vos sint? Admirari & hoc Landine sæpè soleo, qua ratio-

ne mortem vnam duntaxat timeamus, eam videlicet quæ finis est moriendi, quotidianas verò mortes nequaquam? Nempe quolibet momento corporis temperatio variatur, & vita præterita desinit. Denique, vt mihi videtur, quoniam falsò virtutes, vitia vero reuera exercemus, idcirco quantum in nobis est, falsò felices, reuera miseri euademus, hæc risit Democritus, hæc deplorauit Heraclitus, curare voluit Socrates, curare potest Deus. O quam miserum animal homo est, nisi aliquando euolet super hominem, commendet videlicet seipsum Deo, Deum amet propter Deum, & cætera propter ipsum. Hæc vnica problematum illorum solutio est, requiesque malorum. Vale.

Exhortatio ad modestiam & studia literarum.

MASILIVS FICINVS Iuliano Medici viro magnanimo, S. D.

ET si is est amor erga te meus, vt iudex in rebus tuis imò meis perfectus esse non possim, dicam tamen Iuliane quod sentio postquam rogas. Primum quidem laudo prudentiam tuam, quod tuo ingenio non confidas, sed consultas seniorem. Scis enim quam multum quisque ob naturalem amorem sibi ipse placeat. Deinde in Epistola laudo naturalem quandam suauitatem, videris mihi pictorum quorundam instar oculorum tuorum venustatem orisque lepôrem quemadmodum intuitu linguaque semper exprimis, ita modo calamo expressisse. Perge igitur Iuliane omnium suauissime. Perge quæso. Lustra diligenter hortos, vt cœpisti iam, Tusculanos. Nam si Tullianos flores exercitatione annua lambes iniectarium mel denique fundes. Si tua tibi commendare liceret, Andream Cambinum tibi plurimum commendarem. Vale.

Quod amicus est in amico.

MARSILIVS FICINVS Iuliano Medici viro Magnanimo, S. D.

DIc age Iuliane precor, si quis te dormiente, diligenter in re tua vigilauerit, succensebis ne illi, quod te non excitauerit importunus? An debebis potius? debebis certè non parum. Debes & mihi qui te iacente, feriis interim negotiis tuis interfui, consului, faui.

At cur non accersisti, inquies, me, cum posses. etiam si putauissem te illinc abesse non accersissem, ne tibi forte molestior essem. Sed re vera ingens in te amor meus iamdudum figuram animo impressit meo. Atque vt me extra me in speculo nonnunquam, ita te sæpissime intra me in meo corde speculor. Aderat insuper tunc Laurentius frater tuus, alter tu & natura & voluntate. Itaque cum Iulianum hunc meum perspicuè & intus extra perspicerem, eum illinc abesse cogitare non poteram. Nulla igitur negligentia, sed amore nimio factum est, ne te aut tunc ad res agendas aduocarim, aut postea quid actum esset reddiderim certiorem. Aduocari vis aliàs dulcissime Iuliane? Des operam oportet, vt minus ameris. Arduum istud quidem & forsitan impossibile. Danda enim opera prius erit ne sis Iulianus. Tunc exues amorem cum te exues. Quid igitur in posterum faciam? vocabo ne te alias? nequaquam vt arbitror. Satis iampridem satis cupidè nos & inuicem & ad se conuocauit vtrosque. Vale.

Salus amici ab amico.

Carolus Marsupinus Marsilio Ficino Platonico, S. D.

SAlue solus mea salus. Tamdiu enim sanus saluusque sum quamdiu tecum sum. Ac tum denique viuere mihi videor cum tecum viuo. Quoties absum, toties perij. Vide ergo, mi Marsili, ne me deserendo hominem perdas, imò amicum occidas. Hac semper atque illac circuncursas. Nunc deorsum corpora curasn, unc sursum animas custodis. Ego interim miles intereo. Si tantam charitatem habes quantam certè habes, cur amabo tuum charum Carolum hic manendo non curas? animus enim æger est tuo discessu, corpusque ægrotum, vna salus vt redeas, hic quartus iam dies est, ex quo me reliquisti, quatuor cum geminaueris, promissa seruato. Vale.

Diuinatio de amico.

MARSILIVS FICINVS Carolo Marsupino suo Salutem.

TV quoque ter quaterque salue. Videbar mihi hac aurora dormiens breuissimam quandam orationem legere, in qua talis esset verborum sententiarumque contextus, qualem ego semper pro viribus

obseruaui, itaque ambigebam meá ne an aliena legerem. Surgenti paulo post è lecto reddita mihi est Epistola tua, ex qua subitò re ipsa cognoui, quod in libro de immortalitate animi disputaueram, matutina somnia sæpè nonnihil vaticinij continere. Vidi Marsupine Marsilium in tua pupilla hodie Marsilio pulchriorem. Sed hæc nunc missa faciamus. Talis denique Epistola est vt compellat me pedibus potius quam manibus, ac voce potius quam literis respondere. Saluta Thaddæum Vgolinum virum religiosum.

Quantum possit desiderium amicorum.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

THeologi statim metiuntur æternitate, naturales Philosophi motum tempore, amantes tempus affectu. Quo enim maius est desiderium, eo tempus professionis quidem breuius, expectationis autem longius, opinantur. Quantum ergo tu me ames ex eo, præcipuè tuis literis declarasti, quod diei vnius silentium, diuturnum silentium, & literas meas, quæ velocissimè aduolarunt, exspectatissimas appellasti. Quantum ego te vicissim amem, illud nūc declaret volo, quod Epistola tua mihi decies iam legenti ita breuis apparet, vt eodem penè momento & saluere iubeat & valere. Repugnantia hæc duo sunt in amore. Cæteri cum dicuntur valere, salui esse intelliguntur, amantes cum vale audiunt, male audiunt, imò malum. Efficis ergo vt gaudeam quando salue inquis, simul quoque vt doleam quando iubes vale. Iubes autem simul vt mihi videris vtrumque. Scriberem certè plura, forte etiam meliora. Verum repugnantibus iis affectibus tua causa distractus, neque amplius in præsentia scribere possum neque melius. Salue tu quoque simul & vale. XX. Martij. M. CCCC. LXXIIII. Florentiæ.

Laudare præstat beneuolentiam quam ingenium.

MARSILIVS FICINVS Angelo Politiano poëtæ Homerico, S. D.

ACceperam calamum Angele, vt tuam istam Homericam Musam miris in cœlum laudibus quoad possem extollerem, repente autem sic interpellauit me Cupido; Quid agis inepte Ficine, semper ne in laudibus Musæ versaberis, me lauda Philosophe, si vis absque adulationis suspicione laudare, si Musam celebras Politianum, Angelum solum celebras, si Cupidinem Angelum vnà atque Marsilium. Ego enim communis vestrum amor sum, vtrumque colo, ab vtroque color. Hæc Angele Deus ille mihi, sed ego illi, inquam, verax est Musa Politiana, nunquam metiri me compulit, at tu periure amor, me cogis mentiri quotidie. Ita heri delitias Politianas amabam, vt iurarem eas in posterum vehementius amare non posse, sic hodie rursus amo, vt iurem me heri eas non satis amasse, vtque simul affirmem non posse cras ardentius amare quam hodie, cras istud quotidie me similiter deludit.

Semper adultus est meus amor, quis credat, semper & adolescens, adolescat tamen vt placet, modo non senescat. Sed audi Cupido; Non Venus Amoris mater est, sed Calliope, fouet hunc musa sedulo, crescit assiduè, crescat hoc fomento iugiter & periurus sit. Non est hoc vitium in amore. Sic igitur, Angele, communem amorem nostrum Musamque tuam colere vnà & debeo & volo. Tu Musam ipsam adora amoris & gloriæ matrem XXI. Martij. M. CCCC. LXXIII.

Quos amor fallat, quos non fallat.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Micheloctio vero viro, S. D.

SCripsi Micheloćti ad Laurentium Medicem & Angelum Politianum literas hodie, nescio quomodo, amatorias, vt nihil mirum sit si videantur ineptiores; nam ineptus amor. Vis me tertio ineptire? Et vis, & volo, sed paucis. Ego Nicolæ nihil habeo maius quam quod amo, nihil melius quam quod amor, & à viris amore dignissimis. Possum nonnunquam ob amorem forte loqui minus vere, sed de amore non possum nisi vera loqui.

Neque tamen me decipit amor vbi antea iudicaui quam amaui. Amor iudicium sequens excæcat non præcedens. Amor interdum nihil videt, interdum nimis videt. Quorsum hæc? Tu intelligis. Nam amatoria calles in primis vir omnium amantissimus. Commenda me & Ioannem Caualcantem meum Laurentio Medici. Et curate valetudinem eius diligentissime, est enim publica vita. Vale. XXI.

martij. M. CCCC. LXXVIII. Florentiæ.

Commendatio ab egestate & dignitate.

MARSILIVS FICINVS matthæo Palmerio Theologico.

ET si certo scio literatos viros apud Palmerium musarum palmam commendatione non indigere, vt tamen officio amicitię satisfaciam commendo tibi quam plurimum Lucam Geminianensem præceptorem quondam, vnà cum Comando in grammatica meum, huic ego tantum debeo quantum loqui ex arte præstantius est, quam casu verba inania fundere. Huic & tu duabus de causis fauere debes, & quia indiget, & quia meretur. Indigenti benefacere misericordis officiũ, merenti autem iusti, scio te misericordem & iustum esse solere. Vale.

Cum bene omnia regantur à Deo, omnia in melius accipienda.

MARSILIVS FICINVS Episcopo Campanæ poëtæ.

NVnquid & tu Campane rides vnquam mortalium arrogantiam? Quam ego sæpe rideo, & vt ita deuitem redarguo. Neque pueri senum consilia, neque rustici sapientium cogitationes attingunt. Homo tamen animal audet diuinæ naturæ rationem sæpè superbius quam decet aucupari, & prouidentiæ illius finem auspicari. Et quod deterius est, mortales quilibet in quauis ętate inter epulas etiam atque scorta licentius diuina mysteria tractant. De quibus absque diuino lumine loqui Pythagoras iure prohibuit. Nemo Campane diuina percipit nisi diuinus. Recte enim Paulus Apostolus. Quæ Dei sunt nullus nisi spiritus Dei cognouit. Nemo rursus de diuinis amplius mentitur, quam qui metitur ad vnguem. Sic enim Deus apud Isaiam ait. Comprehendam sapientes in astutia eorum & alibi, Deus nouit sapientum cogitationes vanas esse. Satis igitur esse debet homini nosse pulcherrimam hanc mundi vnius machinam ab vno quodam sapientissimo architecto pendere & gubernari. Atque ab ipso bono non posse proficisci quicquam nisi bonum, & quę ab eo proficiscuntur non posse ab ipso aliter gubernari quam bene. Itaque in melius accipienda sunt omnia. Qui ita diuina intelligit atque diligit, is est natura diuinus, arte bonus, spe lætus, præmio felix. Vale felix.

De stultitia hominum, & quæ sit vera scientia.

MARSILIVS FICINVS Panetio Pandothio.

ANgelus Politianus noster Panetium suum marsilianæ, imò Platonicæ disciplinæ hodie condemnauit. Ego autem & si nouis amicis comœdiam, veteribus Satyram canere soleo, Panetio tamen satyram canam. Volo enim amicitiam nostram exoriri simul & consummari. Considera mi Paneti quam peruerse iuuamus. Nam haud facilè exaudimus infames. Ipsi vero exaudiri speramus à Deo improbi, viuimus, ah dementes nimium & iniusti. Deum non mores mutare conamur. Persuadere volumus aliis bona. Et non nobis persuademus. In ore bonum gestamus, in pectore malum. De virtute loquentes lyræ instar sonum proprium non audimus. malos medicos imitamur, qui sanitatem quam aliis pollicentur, sibi non præstant. Præsta amabo mihi aures amice parumper. Ego te & gratis paucis oratoriam & musicã Geometriamque docebo. Tibi ipse quod honestum est persuade, tempera motus animi, vim tuam actionesque metire. atqui difficile nimium istud inquies. Non erit difficile admodum Paneti, si tam auide cupias bene viuere quam cupis viuere.

Liberalitatis & eleemosynæ laus.

MARSILIVS FICINVS Laurentio medici viro magnanimo. S. D.

DIcam mi Laurenti quod sentio, & si forte videtur execrabile dictu, sed reuera non est execrabile quod est verum, nihil enim sacratius veritate. Dicam ergo quod sentio libere. Deus, Laurenti, Deus ipse venalis est. At quo nummo potissimum Deus emitur? Quo ipse cæteros emit, hoc est charitate quadam in pauperes liberali. Deus enim amore immenso gratis largitur omnibus omnia, solisque dat pauperibus. Nam omnes, quamuis ditissimi videantur, omnino inopes sunt ad Deum. merito hac sola virtute Deum emimus, quoniam hac sola eum verissimè imitamur: Nemo sapiens, aut fortis, aut temperans se iactat æmulari Deum. Vmbræ sunt hæ virtutes diuinarũ virtutũ, solus homo in pauperes liberalis exactè hũc imitatur. Eadẽ enim in dãdo nõ est liberalitas

hominis

nominis atque Dei. O fœlicem nimium mercatorem, qui exiguo pretio se ab hostibus, id est, vitiis redemit, simulque emit homines atque Deum! Nunquam erit pauper qui hominum Deique diues est. Qui in summis diuitiis sæpè considerat, quid est pauperem esse, nunquam euadet infimus, qui constitutus in summo clementer prospicit infima. Nihil melius efficit vnquam pusillum homo quàm cum humiliter ascendit in altum. Nihil maius vir magnus agit, quàm cum magnificè descendit ad imum. Cæteræ virtutes vtenti solùm vt plurimum prosunt, liberalitas vtenti prodest ac cæteris. & quanto latius quàm reliquæ virtutes suum officium propagat, tanto præstantior iudicatur. Bonum enim quanto amplius, tanto diuinius. Ac si pessimum est maleficium, quia contra naturam boni generisque humani societatem est, necessariò beneficium esse optimum arbitramur. Cæteræ virtutes concitare inuidiam nonnunquam putant, sola hæc semper & amorem accendit, & odium inuidiamque prorsus extinguit. Quæ quidem tunc maximè officio suo vtitur, quando homini subuenit, tum propter fortunam egeno, tum propter virtutem bene merenti. Sere igitur, mi Laurenti, sere, inquam, fœlix agricola, vt iampridem cœpisti, bono animo aridam hanc humanam terram, quæ tibi tandem non frugibus solùm, verumetiam lacte affluet atque melle. Quamuis enim homo dicatur ab humo, diuersa tamen in serendo ratio est hominis atque humi. Qui in humum inopem semina proiicit, iacturam facit seminum. At qui in hominem inopem, certè serit vtiliter. Atque, vt pollicitus est qui non mentitur, centum pro vno reportat, & id quod pretiosius est, pro centum seminibus vnum Deum. Quorsum hæc? Cùm audissem te his sacris diebus multa, vt abundè soles, & plusquam soles, clementer in pauperes erogasse, nolui in charitate laudanda nimium parcus esse, in qua tu exercenda liberalis, &, vt ita dicam, prodigus extitisti XII. Aprilis, M. CCCC. LXXIIII. Florentiæ.

Nulla virtus benignitate amabilior.

MARSILIVS FICINVS
Nicolao Michelloctio vero
viro, S. D.

SI lachrymari mulierum est, Michelocti, ego me esse fateor præ cæteris muliebrem. Ingenium nobis molle Thalia dedit. Laurus autem noster mollissimum reddidit. Lachrymor equidem siue teneriore quodam gaudio, siue alio nescio quo miro affectu, quoties considero, cõsidero autem sępè, quantũ Laurẽtius noster erga Deum pius, quantum misericors erga pauperes, quantum beneficus erga omnes. Verùm quanto magis aliis beneficus est, tanto magis quodammodo est Marsilio suo maleficus, siquidem beneficiis, imò maleficiis istis suis me pene miserum miris modis quotidiè fascinat & illaqueat. Ac dum cæteris lachrymas amouet, mihi mouet lachrymas. Et cùm ardentius à me amatur, tunc discedit longius. Admone, vir amantissime Laurum vt quæ amauit amet. Et cùm primùm, licet tam propè accedat præsentia, quàm propè accessit amore.

Verus amicus non eget absentia, vt magis desideretur.

MARSILIVS FICINVS
Iuliano Medici viro magnanimo, S. D.

CVm superioribus diebus morali quadam oratione in nocturnis sacris amicos tuos ad peccatorum pœnitentiam & lachrymas prouocasses, alij eiulabant, alij plangebant pectora palmis. Antonius autem Poëta Tuscus quasi exãguis exanimisque dicitur cecidisse: Paulò post in Mugellanos montes te subito contulisti, vt quemadmodum Antonium illum fermè præsentia tua perdideras, ita Marsiliũ hunc tuum absentia perderes. Ah! parum officiose vir, hostibus olim crudelissimis pepercisti, nunc verò non parcis amicis. Forsitan statuisti dies aliquot rusticari, vt ad nos desideratior redeas, & post rusticationem vrbanior videaris. Quippè qui scias appetitum ab indigentia, & admirationem à nouitate proficisci solere. Sed nihil aut ibi, aut mihi, ô astute Medices, isthac opus est medicina: Quid enim vrbanitate vrbanius videri potest? Quid, vt ita dicam, desideratius desidero? Mitte has medelas oro, & ægris valdè molestas, & modico necessarias. Illi amice, illi propter absentiam magis desiderentur qui propter diuturnam præsentiam minus in dies desiderentur. Nobis autem quotidie salso liquore tuo nostra hæc sitis non tam extinguitur quàm accenditur. Saltem dum isthic cum Angelo nostro moras trahis, Marsilium Iuliane tuum ore voluta tuo. Vel lambe hunc Iuliane, vel mande. Morderi malo à Iuliano quàm expui. Vale.

Quod diues iniustus sit, & quis iustus.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Politiano Poëtæ
Homerico, S. D.

DEus aquam vniuersam aquaticis singulis, terrã terrenis voluit esse cõmunem. Solus homo infelix animal quẽ Deus coniunxerat, separauit. Imperium suum quod natura fuerat amplum cohibuit in angustum. Meum in orbem introduxit, & tuum dissensionis totius malique initium. Quapropter non iniuria Pythagoras statuit inter amicos, Plato inter ciues omnia esse communia. Ergo diuites illi iniusti penitus habendi sunt, qui ob superbiam obliuiscuntur Dei diuitiarum omnium largitoris. Pauperum quoque se dominos faciunt, & pecuniarum se possessores appellant, cùm à pecuniis ipsi possideantur. Contra verò iusti sunt & fœlices, qui in summis diuitiis constituti, se Dei ministros pauperum tutores, pecuniarum distributores, existimant. Fortunate nimium adolescens, qui tales nuper nactus es patronos. Ego tales nactus sum iamdiu. Et miraberis Angele, si propter abundantiam Iuliani mei mœstissimum esse me dixero. Profectò nisi me nunc discessu illius, quasi insipidum Matthęus, Francus suis cõdiret salibus, aut fortè non satis bene mihi ipse olerem, aut certè ad suauissimos Medicis Iuliani flores odoresque subito aduentarem. Omnino autem vix me Politiane, hîc triduum continebo.

Iurisconsulti bonitas & dignitas.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Nicolino Octonis insignis
Iurisconsulti filio, insigni
paternæ artis hæredi, S. D.

PIctor, qui arte sua iniquè vtitur, non necessariò ob hoc malus pictor, sed malus homo. Idcirco neque bonus pictor idem atque homo bonus. Sanè, quia multum inter bonitatem interest atque picturam atque in cæteris artibus eodem pacto. At verò Iurisconsultus qui lege vtitur non legitimè, & malus Iureconsultus est, & malus homo, legitimus ergo Iurisconsultus, homo est ciuisque legitimus. Tanto est inter Iuris ciuilis peritiam, virique virtutem affinitas. Qui nummum rem re vera vilissimam è terræ visceribus effossam adulterat, humana lege iubente, vt scis, censura seuerissima plectitur. Qui ergo legem ipsam rem pretiosissimam, cœlitusque missam adulterat, quanta à diuina lege rigiditate punitur? Probo igitur te, mi Angele, quod vtaris lege legitimè. Perge, quæso. Sperne alto animo minas & illecebras, non deseret te Deus omnipotens legis author & magister, finis & præmium. Perge amice, ne dubita, diuitias apud Deum incorruptibiles cumulabis. Magna quoque apud homines Iurisconsulti dignitas est. Hic publicus ciuium Patronus, hic commune ciuitatis Oraculum, hic diuinæ mentis & voluntatis Interpres. Vale.

Dignitas sacerdotis.

MARSILIVS FICINVS
Paci Sacerdoti, Iuris Canonici
Professori, S. D.

SÆpè ego & Ricciardus Angellerius, insignis Theologus, vnà de Sacerdotis dignitate disseruimus. Conclusimus denique, quemadmodum bono Angelo nihil post Deum melius, malo nihil peius. Ita nihil in terris honesto sacerdote pulchrius esse, turpi verò nihil turpius. Ille religionis hominumque salus, iste pestis Quid est sacerdos legitimus, nisi Deo dicatus animus? Angelus vicem Dei gerens apud homines. Viuens Dei templum. Qui sacerdotij dignitatem rectè cõsiderauerit sacerdotio non abutetur. Cogitemus ergo, quid est legitimum sacerdotem esse. Hoc enim fermè est esse Deum. Sacerdos quidem est temporalis quidam Deus. Deus verò est Sacerdos æternus.

Non cuilibet dandi sunt sacri Ordines.

MARSILIVS FICINVS
Martino Episcopo Cortonensi, S. D.

VEnit ad te Bastianus Saluinus, Amitinus noster, tertium sacrorum ordinum mysterium postulaturus, atque, vt arbitror, accepturus. Tu verò qui hominem non nosti, ac scis sacratum canibus dandum non esse, fortasse dices, oportet eum, ô Marsili, qui tanto munere functurus sit, literatum esse, pium erga Deum, erga homines verò iustum. Adolescentem istum fore talem quis testabitur, vel fide iubet? Respondeo tibi, venerande pater Socratis illud. Sicut vas, ita hominem sono cognosci. Itaque ad obuium quendam & tacentem inquit, Loquere hospes vt te videam, vtpote qui solum animum esse hominem iudicabat.

Præterea, si Zophyri artem haberes, adderem forsitan vt indolem eius considerares. At vetat vitæ Magister hominem secundum faciem iudicari. Fideiussorem quæris? Habes Marsilium. Vis locupletiorem? Volaterranus Episcopus fideiubet Apud vtrumque adolescens est educatus.

Nulla consonantia magis delectat, quàm cordis & linguæ.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici, viro magnanimo, S. D.

MIttit ad te Bastianus Foresius Poëma suum, de Triumpho virtutum contra vitia, opus tanto hoc titulo dignum. Lege Laurenti Poëma, & elige Poëtam, nam in eius quoque animo virtutes de vitiis triumphant. Nulla vel dissonantia magis offendit vel consonantia magis delectat quàm cordis & linguæ.

DE OFFICIO CIVIS.

MARSILIVS FICINVS Petro Hero, S. D.

DIc Petre, cur febris, cùm Bernardum patruum tuum inuasisset, subitò me accedit? An fortè, quia tam proximi sumus vt non potuerit canicula in alterum flammas euomere, cùm accenderet alterum? Vtinam citò conualeat, vt Marsilius conualescat, imò vt & melius Florentia valeat. Quæ si Medicos semper tales haberet, qualem hunc habet & Medicem, nunquam grauiter ægrotaret. Rectè enim isti officio ciuis vtuntur, sine quo bona valetudo patriæ non seruatur. Est autem ciuis officium considerare ciuitatem esse tanquam animal vnum ex ciuibus, tanquam partibus constitutum. Ac partem toti, non totum parti seruire debere. Quando enim partis tantùm commodum quæritur, vtriusque, tam partis quàm totius commodum prorsus amittitur. Quando verò totius quæritur bonum, bonum vtriusq; seruatur. Igitur meminisse debet ciuis, nihil siue boni, siue mali, alicui ciuitatis membro posse contingere, quin propter connexionem quandam ad cætera membra pertineat atque totum, nihil rursus toti ciuitatis corpori euenire posse, quin mox ad singula animalis huius membra pertineat. Nemo igitur in hac vrbana familia dicat meum hoc & illud tuum, omnia enim in hoc ingenti animali quodammodo communia sunt. Sed dicat meum hoc & illud non possessione quidem propria, sed affectu potiùs atque cura; Patriam quisque tanquam parentum parentem amet & colat. Priuatus antiquis probatisque Legibus obediat tanquam Deo. Non enim absque Deo huiusmodi Leges constituuntur. Magistratus meminerit non aliter se Legibus, quàm priuatum Magistratibus esse subiectum. Intelligat se à Deo cùm iudicat iudicari. Platonis preceptum semper ante oculos habeat, vt non seipsum, sed ciuitatem, non partem ciuitatis aliquam dumtaxat, sed vniuersum respiciat. Scit denique optimum in cœlesti patria huic seruari locum qui terrenam patriam ad cœlestis exemplar pro viribus disposuerit. Communi enim mundi regi nihil gratius quàm commune bonum. Hæc & similia ad ciuem legitimum pertinentia scire te arbitror, & seruaturum spero, cùm doctrina prudentiaque non careas, ac præterea magistrum habeas hàc in re domi sufficientem, de cuius virtutibus aliàs. Vale. Ioannes Caualcantes noster se tibi commendat.

Quid est bene viuere.

MARSILIVS FICINVS Hieronymo Pasqualino suo. S. D.

QVæris quid sit bene viuere? Vtilius quæri nihil potest, est autem bene viuere, verum intelligere, consultare bene, velle bonum, agere bona. Primum sapientiæ est, secundum prudentiæ, tertium iustitiæ, quartum perseuerantiæ. Primum à Deo est, secundum à primo, tertium à Deo simul atque homine, quartum est à tertio. Qui ita viuunt, viuunt homines. Qui viuunt aliter, animalia viuunt. Vale, ac viue homo.

Vota non sunt spernenda.

MARSILIVS FICINVS Francisco Marescalcho Ferarien. egregio Conphilosopho suo, S. D.

LIbrum de Christiana religione nondum absolui Francisce, quia dum emendarem hoc Augusto in febrem incidi atque diariam. Minabatur id fortè mihi Saturnus hoc anno, qui & in meæ natiuitatis ascendente Aquario ab initio fuerat, & iis temporibus est in Cancro domo meæ natiuitatis sexta. Missa nunc faciamus cœlestia, sunt enim qui talia paruifaciant, ad supercœlestia veniamus. Quid ergo mihi in hoc morbo contigit audi. In

tantam Marescalche debilitatem quandoque prolapsus sum, vt salutem pene iam desperarem. Meditabar igitur quæcunque annis triginta magna legissem, si quid fortè mihi occurreret quid ægrum animum consolaretur. Scriptores humani, exceptis Platonicis, nihil penitus conferebant, Christi autem opera multomagis quam Philosophorum verba consolabantur. Feci insuper diuæ Mariæ vota, signumque salutis aliquod postulaui. Respiraui subito aliquantum ac manifestum in somniis nuntium salutis accepi. Non igitur Æsculapio gallum, sed Christo Matriq; animum corpusque debeo. Omnia semper accipienda in melius Marescalche. quid si Deus hoc inter morbum signo admonere me voluit vt acriori posthac ingenio studioque doctrinam Christi conformem. Præsertim cum paucos post dies etiam ab ardore vrinæ voto simili fuerim liberatus. Audi si placet & aliud mirabile atque verum. Pater meus Ficinus Chirurgus Florentiæ suo sæculo singularis, ductus olim fuit à rustico quodam, nomine Pasquino, ad curandum filium eius Thomam caput grauissimè vulneratum. Medicus inspecto incurabili vulnere, puerum paulo post proculdubio periturum existimans, recessit inde tanquam non rediturus. Parentes infirmi Medico destituti, diuam Mariam pro nati sanitate supplices obsecrarunt. Igitur eadem qua illi orabant hora, Ficino in itinere sub quercu vel oscitanti vel certè leuissimè dormienti, mulier quædam visa est aspectu admodum veneranda, ita eum compellans. Quid ingratus erga Deum es Ficine? Quæ ab eo gratis accepisti, non das gratis. Respondit ille, panem do quotidie mendicantibus. Subiunxit illa, Artis quoque tuæ munera egentibus abundè largire. Post triduum rediit ad Medicum rusticus ille orans, vt ad filium curandum reuerteretur. Quod quidem valdè miratus est Ficinus, nam obiisse illum arbitrabatur. Accessit gratis, tum præterito somnio, tum voto parentum admonitus. Narrauit enim rusticus quæ vota & qua hora fecisset. Denique puer præter spem Medici artemue medendi sanus euasit, ex eo tempore Ficinus sæpè pro salute eorum qui curæ suæ commissi sunt, vota Mariæ fecit feliciterque successit. Quamobrem amicos tuos admone, ne spernant vota. Nam neque Aristoteles quidem in graui morbo contempsit. XI. Sept. M. CCCC. LXXIIII.

(∴) (∴) (∴)

Nobilitas, vtilitas & vsus Medicinæ.

MARSILIVS FICINVS Thomæ Valorio egregio Physico, S. D.

Legi apud Homerum: Vir Medicus multis aliis æquabitur vnus, & merito. Nam medendi facultatem donum esse Dei potiusquam hominum inuentum sacræ Hebræorum literæ docent. Honora Medicum, nam propter necessitatem creauit eum altissimus. Gentiles præterea huius artis authores deos fuisse volunt. Iidem Apollinem, Æsculapium, singulares quoque Medicos diuinis honoribus prosecuti sunt, delubra enim Chironi, Machaoni, Podalirio, Hippocrati, Hermagoræ dicauerunt. Confirmauit hæc Hippocrates in Epistola ad Abderitas, Medicinam esse dicens Deorum munus. Atque esse liberam, neque se pro eius vsu vnquam mercedem accepta- uisse. In Epistola etiam ad Philemonem ait: Medicina vaticinio propinqua est, harum enim duarum artium vnus est parens Apollo scilicet, qui progenitor noster est, hic & futuros morbos prædicit, & eos qui aduersa valetudine affecti sunt curat. Hinc Pythagoras, Empedocles, Apollonius, Theaneus non tam herbis quam carminibus morbos curasse traduntur. Et Magi sacris rationibus orationibusque purgandum esse ægrotantis animum prius quam corpus existimabant. Quia videlicet huiusmodi ars & diuinitus accepta est, & diuinitus exercetur. Atque animus ex Deo, corpus pendet ex animo. Nonne Raphaëlem Archangelum Hebræi volunt huius artis opus exercuisse? Mittamus reliquos, Christus ipse tanquam generis humani Medicus, ægros ægrotosque quotcunque offerebantur, curabat, Discipulisque medendi tradidit potestatem. Hanc igitur artem vtpote nobilissimam reges meditari & exercere quondam nequaquam dedignabantur. Quales fuerunt Sabor & Ginges Medorum reges, Sabid rex Arabum, Mithridates Persarum rex, Rex Ægyptiorum Hermes, Mesues regis Damasci nepos. Volunt nonnulli & Auicennam fuisse Cordubæ Principem. Democritus, Timæus, Locrus, Plato, Aristoteles, Philosophi illustrissimi in hac arte scripserunt, innumerabilesque alij Philosophi non ignobiles. Quanta Medicinæ nobilitas sit fermè quantum patitur Epistola dictum est. Quanta verò vtilitas ex eo perspicimus, quod artes quæ ad bene viuendum diriguntur absque huius auxilio parum prodesse videntur.

Non enim bene viuere possumus, nisi viuamus, neque breuissimo hoc vitæ tempore in quauis facultate multum proficere, nisi valeamus bene., neque facile multum apud homines Deumue mereri, nisi diu sobriique viuamus. Omnem verò huiusmodi facultatem diligentia Medicinæ suppeditat. Vti autem hac arte oportet summa erga Deum pietate, tum erga homines charitate. Quemadmodum Lucas Euangelista, Cosmusque & Damianus diuini Medici exemplo nos docuerunt. Est enim bonorum omnium author Deus, & legitimus Medicus quasi Deus aliquis inter homines. Eos namque in vitam à morte restituit. Et tanquam Deus colitur vel à regibus & sapientibus cum ægrotant. Quod acumine, doctrina, experientia opus sit Medico cuncti fatentur. Quod etiam grauitate, diligentiaque in deliberando, dubitat nemo. Sed postquam maturè consultum est, nulli arti, vt Hippocrates Abderitanis ait, magis quam huic mora obesse potest. Non tamen minus, imò magis periculosum est, vt Glauconi Galenus inquit, præuenire & præpedire naturam. Multos enim ait hoc errore, id est, in temeritate Medicorum, naturam vel impedientium vel præcipitantium quotidie perdi. quem quidem errorem facilius deuitabit qui suo ingenio non confidet. Nam Hippocrates Democrito scribit, se in ipsa iam senectute constitutum, nondum Medicinæ finem attigisse. Galenus etiam ait, cum nonagenarius esset, tunc demum pulsus tenere naturam. In primis meminisse debet Medicus, authorem sanitatis Deum esse, instrumentum Dei esse naturam ad sanitatem efficiendam & seruandam, Medicum vtriusque ministrum, vt artifici non vires, sed materiam præparat, & impedimenta dimoueat. Qui si importunè mouere vel sistere materiam velit, sæpè malè vtrumque agit, & naturam impedit quæ bene exequeretur vtrumque. Sed audiamus hac de re diuinum Platonem nostrum in Timæo ex mente Pythagoricorum ita loquentem. Omnium verò motuum optimus ille est qui in semet ex seipso fit. Nam & mentis & totius ipsius motioni cognatissimus est. Qui verò ab alio fit deterior. Deterrimus autem motus quando iacens & quietem agens corpus ab aliis secundum partes mouetur. Quapropter purgationum constitutionumque omnium corporis, quæ exercitatione gymnastica fit saluberrima est. Proximè ad hanc accedit vectio facilis siue naui seu quouis alio vehiculo peragatur. Tertia commotionis species tunc demum cum summa cogit necessitas vtilis, aliter verò nullo modo sanæ mentis homini suscipienda Medicorum illa purgatio est quæ Pharmacis, id est, solutiuis medelis fieri solet. Morbi enim nisi periculosissimi sint, Pharmacis irritandi non sunt. Omnis namque morborum constitutio animalium naturæ quodammodo similis est. Quippè animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminatur. Idque & genus vniuersum patitur, & animal vnumquodque ab ortu fatale viuendi spatium in seipso, exceptis necessariis passionibus, continet. Etenim trianguli, id est, qualitates proportionales ab ipso initio singulorum vim possidentes vsque ad certum tempus sufficienter ad vsum vitæ cohærent, vltra id vita nemini prorogatur. Idem quoque constitutionis modus languoribus conuenit. Quos si quis citra fatalem temporis cursum Pharmacis amputare contenderit ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere consueuerunt. quapropter diligentia victus corrigendi & gubernandi sunt morbi, prout cuique datur ocium, neque difficilè infestum malum Pharmacis instigandum. Hæc Plato. Galenum nostrum Florentinus populus quod hac regula vteretur sæpè commendat. Ego etiam Laurentium Martellinum verum Medicum hanc ob causam summopere laudo. Thomam quoque Valorium, nisi ad eum scriberem valdè laudarem. Vale & Antonium Beniuenium bonum Physicum bene saluta. Salutat verò te Hieronymus Amatius comes noster in Medicinæ citharæque studio valdè iucundus.

Tempus parce expendendum.

MARSILIVS FICINVS Laurentino Medici viro Magnanimo, S. D.

Salue millies mea post Deum salus. Nefas esse putabam cum primum manus calamum ducere posset ad alium prius quam ad Patronum meum vnicum scribere. quid igitur potissimum scribam? Scriberem certè nunc ad te si liceret seueriora quam soleam. Non semper arbusta iuuant humilesque myricæ. Sed quid obstat Marsili quo minus in præsentia liceat. quandoquidem ad eum scripturus sis qui non modo permittit, verumetiam iampridem literis suis id tibi præcepit. Laurenti in hac mea infirmitate nihil acrius animum affligebat quam inutiliter transacti temporis recordatio, nihil rursus restabat quod me aliquantum consolaretur præter eorum

memoriam quæ didiceram, quamuis non multa didicerim. Solo enim diuino veritatis pabulo re vera diuinus animus oblectatur, alitur, augetur. Cætera volantium nugarum deliramẽta immortalem non implent mentem, naturali quodam instinctu æterna & immensa poscentem. Obsecro te igitur, charissime mi Patrone per æternum Deum, vt pretiosissimum temporis huius quam breuissimi minimum, parce prudenterque expendas, nequando frustra te prodigalitatis irreparabilisque iacturæ pœniteat. Iactura temporis Theophrastum annos octuaginta natum frequenter deducebat ad lachrymas. Iactura temporis magnum Cosmum natum annos plures quam septuaginta, sæpè, me præsente, grauiter suspirare coëgit. Obiice, quæso, inanibus curis, superuacuis ludis, negotiis non necessariis Socraticum illud. Abite procul hinc hostes sacrilegi, abite quamprimum animi mei fures, ne à me ipse abire compellar. Furãtur hæc paulatim tibi teipsum, & captiuum ducunt virum natum ad imperandum: redime te, quæso, ab hac misera captiuitate dum potes, solùm autem potes hodie, hodie primum tui iuris esto. Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam, Sera nimis vita est crastina, viue hodie. Facile est Laurenti quod posco. Non est difficile horam vnam rectè vtiliterque transigere: vtere, precor, quotidie hora vna bene, hoc est ad mentem liberalibus disciplinis alendam, ac tantillum temporis fœliciter tibi ipse viue. Reliquum si libet viue aliis, nam & alij, vt scis, sæpè viuas oportet, si vis tibi viuere. Sed vtrumque Dei gratia facito. Nempè adeò Dei gratia primum, deinde tui aliorumque gratia es procreatus. Ludis autem iocisque raro parumque indulge nam & ad maiora, vel potius ad maxima scio, quod loquor, te Deus instituit. Et huiusmodi falsa oblectamenta coruscationis instar, tam celeriter euanescunt, vt dum videntur oriri contrarium conuertantur. Sed noli mihi cras vlterius polliceri, polliceris quod neque habes, neque te scis habiturum. Si cras tantùm comederis biberisue, nonne triduo peribis, amice? Pereat cras istud hodie, pereat quãprimum, ne tu pereas, nihil crastino isthoc fallacius, fefellit omnes quos terra protulit homines. Heu! quid agis inepte Ficine? Ecce vel contrahet supercilia Laurentius vel ridebit. Vtrumque malum. Imò vtrumque bonũ. Noui enim Medicis ingenium. A bono non proficiscitur nisi bonum. Ego autem non tam Laurentium quàm Marsilium, cæterosque mortales hac Epistola moneo. Omnes hoc morbo grauissimè laboramus. Cras istud fiet. Vix præsens tempus habemus. nam ita leuiter habemus, vt parumper retinere non valeamus. Futurum autem nihil est, futurum igitur nullus habet. O dementes! ô miseri! spes nostras in nihilum iacimus; atque thesauro semper quem possidemus abutimur. Vti autem illo rectè volumus, quem minimè possidemus. Sic omnes fermè ad interitum ægrotamus. Non igitur Galenus vel Hippocrates petendus est, sed Æsculapius & Apollo. Bene vale hodie, si cras valueris, valebis nunquam. Sed volo hoc sigillo hanc Epistolam obsignari, neque audias vnquam adulatores, neque obtrectatores vllos exaudias, quibus maxima quæque domus abundat. Illi tibi oculos mentis eruere, isti manus tuas, id est amicos, amputare conantur. Mendacium tandem Deus ipse perdet, veritatem verò tuebitur. Soli Deo confide Laurenti, ego quoque confido Deo. Iterum hodie bene vale.

Homo sine religione bestiis est infelicior.

MARSILIVS FICINVS Benedicto Coluccio Pistoriensi Rhetori, S. D.

HOrtaris vt in religionis defensione, quemadmodum cœpi, assiduè pergam. Conabor id quidem pro viribus Benedicte. Non quia religio huiusmodi defensoribus egeat. Stat enim inuitis hostibus semper regente Deo, qui semper apud omnes Gentes vult honorari. Sed quia tunc solum feliciter viuere, imò tunc solum viuere mihi videor, cum de diuinis scribo aut loquor aut cogito. Reor equidem genus humanum cultu diuino sublato fore cunctis animalibus infelicius, mitto continuam multiplicemque inermis & imbecillis & semper ægrotantis corpusculi curam, inquisitio ipsa rationis, quæ videtur nos brutis præstantiores efficere, ipsa, inquam, propter præteritorum pœnitentiam, futurorum metum, præsentium anxietatem, malorum cognitionem, insatiabilem innumerabilium rerum cupiditatem, si diuina spes amoueatur, proculdubio reddit brutis miseriores. Beati cœlestes, qui tanquam in luce cuncta cognoscunt. Securæ bestiæ quæ tanquam in tenebris nihil prorsus intelligunt. Anxii miserique homines qui in media quadam nebula versantur, titubant & vexantur, sola nobis diuina lux ob pietatis meritum & clementiæ donum, veritatem potest beatitudinemque largiri.

Reſponſio ad Epiſtolam de tempore parce expendendo.

LAVRENTIVS MEDICES, Marſilio Ficino Philoſopho Platonico, S. D.

PEriucunda mihi fuit Epiſtola tua, quæ ita præteriti temporis iacturam in nobis arguit, vt non omnino inutile ocium fuiſſe noſtrum videatur. Factum eſt enim, priuata parui temporis iactura vt ea ex te præcepta emanarint, quæ non nobis modo, ſed iis omnibus prodeſſe poſſint qui eodem morbo laborant. Declarauerãs tu quidem ſæpè mentem erga nos tuam. Verùm mecum ipſo ſæpius hanc tuam Epiſtolam voluntati videris omnem aliud amicitiæ officium ſuperaſſe, ſiue quod primas in amore erga nos partes obtineas, ac longè cæteris in amicitia præſtes, ſiue quod ea amicitiæ munera abundè præſtare valeas quæ cæteri nequeant. Cæteri nempè qui nos beneuolentia proſequuntur, aut diuitiis iuuare poſſunt aut honoribus aut voluptatibus, quæ quidem omnia in fortunæ poteſtate conſtituta ſunt, vt nihil firmius habeamus, nihilque conſtantius quam eorum imbecillitatem ac mobilitatem, quod & tu ſæpè docuiſti, & nos ſæpius experti ſumus. Tu verò his abundas præceptis, atque eo amicitiæ genere nobiſcum agis, vt facilè appareat, ſicut nemini amicorum virtute cedis, ita reliquos in amore ſuperare. Facis hoc tu quidem naturali quadam beneficentia tua. Facis inſuper quod te non fugit, hac conditione datas eſſe ab immortali Deo hominibus virtutes, vt quamplurimos iuuent, neque adduci potes, vt diuina hac liberalitate abutaris. Lætatus ſum mirum in modum quod priſtinam recuperaueris valetudinem. Lætarer multomagis, ſi tuis literis aſſequerer, vt priſtina mihi animi valetudo redderetur, quod non equidem deſpero, tum tuis grauiſſimis præceptis, tum quod, vt noſti, ego non malignitate ſed facilitate potius naturæ ac conſuetudine quadam, deliro. Tuæ verò partes ſunt, quæ & Apoſtoli, vt arguas, increpes, obſecres, & quod me huiuſmodi rebus moueri intelligis, ne deſiſtas iis omnibus nobiſcum ſtimulis vti, quibus magis proſtratam mentem noſtram erigi poſſe exiſtimas. Hoc vnum à te contendo atque expecto, quod nemo te aut libentius vult, aut ſapientius monet. Gratulor iterum tibi mihiq; quod te incolumem ſoſpitemque immortalis Deus nobis reddiderit, neq; ego minus quam tu admonitus ſum diſcrimine vitæ tuæ. Idem enim fatum & tuis oculis tenebras & noſtris lucem eripuiſſet, nihil enim magis vitam noſtram illuſtrare poteſt tuis grauiſſimis atque amantiſſimis admonitionibus, tuaque iucundiſſima conſuetudine, quibus extinctis, extincta eſt prorſus vitæ pars altera noſtræ, atque illa quidem pars, extra quam quicquid eſt ne hilum quidem eſt. Hoc ego periculo admonitus te & libentius vtar & ſæpius, & quando ea eſt humana conditio vt exemplis potius moueatur quam rationibus, ego & te & tempore hac lege vtar, tempore, vt nullum cras habituro, te verò vt homine, cui ne punctum quidem temporis ſupereſt metu mortis liberum. Vale & valetudinem cura. Floren. x. Octob. M. CCCC. LXXIIII.

Nemini rectè volenti omnino ad bonum interclusus eſt aditus.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Michelo ctio vero viro, S. D.

SOlent Michelocti qui quempiam confutant non aliter quam contradicendo refellere. Laurentius autem Medices cum mihi aſſentitur maximè, tunc maximè confutat. Nempè dum Epiſtolam meam qua iacturam in ea præteriti temporis arguo, artificioſiſſimè laudat, ne punctum quidem ætatis ſuæ videatur inutiliter expendiſſe. quod ſi Patronus Nicolaë noſter in negligentia talis eſt vt fuiſſe diligens videatur, qualem euaſurum putas, ſi diligentior eſſe voluerit & potuerit? Vt hoc quidem velit eum precor, vt autem poſſit Deum obſecro. Quanquam non tam opus eſt obſecrare Deum vt poſſit quam vt velit. Tum quia nulli rectè volenti omnino ad bonum interclusus eſt aditus. Tum quia Deus honeſtam volũtatem potius quam verborum obſecrationes exaudit. Vale, atque exhortare ad diligentiam Laurentium, vt breui tantum doctrina ſuperet Latina, quantum authoritate ciues ſuos ſine controuerſia ſuperat.

Imitatio potior eſt quam lectio.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

QVemadmodum Harmonia dum præſens auribus noſtris illabitur vehementius afficit, quam dum præterita cogitatur, ac prælium cum ſpectatur nos acrius mouet quam cum narratur: ſic egregia illu-

strium virorum opera ardentius ad virtutem inflammant exactiusque formant, quam Oratorũ Philosophorũ de moribus disputantium verba Ita enimnatura comparatũ est vt res ipsæ multo maiorẽ quam earum nomina vim habeant. Atque ipsa rerum veritas efficacius animum moueat, quam quod verisimile est vel falsum Quamobrem Socraticorum morum imitatio ad virtutem plures veriusque instruxit, quam Aristotelis de moribus disciplina Et Christus solus exemplo ad honestam sanctamque vitam pluribus magisque profuit quam verbis Oratores omnes atque Philosophi. Laudo igitur te mi Laurenti quod lectionem quidem moralem non spernas. Lectioni tamẽ imitationem tanquam rem viuam longè præponas. Præsertim cùm senem illum, senatusconsulto Patrem patriæ iudicatum, tibi iampridem proposueris imitandum, Magnum Cosmum dico auum tuum, Patronum meum virum ante alios prudentem, erga Deum pium, erga homines iustum atque magnificum, in seipso temperatum, in re familiari admodum diligentem, ac multo accuratius in Republica circumspectum, qui non sibi solum sed, Deo & Patriæ vixit, cuius animo nihil inter homines humilius, nihil rursus excelsius. Ego Laurenti vnà cum illo annos plures quam duodecim feliciter philosophatus sum, tam acutus erat in disputando quam prudens & fortis in gubernando. Multum equidem Platoni nostro debeo, sed Cosmo non minus debere me fateor. Quam enim virtutum ideam Plato semel mihi monstrauerat, eam quotidie Cosmus agebat. Mitto nunc cætera huius viri bona, tam auarus parcusque temporis erat Cosmus quam Mida pecuniæ. Et cum parcissimè suos dies expenderet, horasque impense dinumeraret, homo momentorum auarissimus, frequenter iacturam deplorabat horarum. Denique Solonem Philosophum imitatus, cum per omnem vitam vel in summis negotiis egregiè philosophatus esset, illis tamen diebus quibus ex hac vmbra migrauit ad lucem, quam maximè philosophabatur. Itaque postquam Platonis librum de vno rerum principio ac de summo bono legimus, sicut tu nosti, qui aderas, paulopost decessit, tanquam eo ipso bono quod disputatione gustauerat reipsa abundè iam potiturus. Vale, & sicut Deus Cosmum ad ideam mundi formauit, ita te ipse, quemadmodum cœpisti, ad ideam Cosmi figura.

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

MARSILIVS FICINVS Francisco Saluiato, Archiepiscopo Pisano, S. D.

Dedi ad te præterita æstate Epistolam, qua exhortabar plurimum vt consideres. Affirmans te non esse ad parua vel mediocria natum. Parua quidem pro merito, præter animum, eo tempore possidebas. Ecce iam, fauente Deo, consequutus es mediocria. Quæ enim cæteris penè omnibus videntur maxima, Saluiato meo mediocria sunt. Magna igitur posthac, si qua Marsilio, imò Deo fides adhibenda est, te manent. Vaticinari similiter adhuc & libet & licet. Nempè diuina prouidentia cum te Pisanum Archiepiscopum creauit, Vatem me declarauit. Vtri ergo nostrum magis congratulandum sit, ambigo. Tibi ne tanquam Archiepiscopo, an mihi tanquam Vati, fortè vtrique pariter. Nam cùm amicorum omnia communia sint, siue ego vaticinor tibi, siue tu regnas, ego tecum regno. Vale fœlix, & cura precor valetudinem tuam diligentissime, sic enim video Sacerdotium Florẽtinum, iamdiu examine breui respiraturum. Quam vehementer & quam frequenter Ioannes Caualcantes noster hac de re mecum congratuletur capere non potest Epistola, cape animo. Iterum vale fœlix.

Diuinitas animi ab inuentione.

HActenus in tuo quodam Christianæ religionis templo religiosè admodum loquutus sum tecum, religiosissime Laurenti. Et ita per Deum loquutus vt esse opus Epistola non aduerterim. Hodie primum sacris peractis sermonibus templo egressus, agnoui iam Epistolæ auxilio indigere. Surge igitur mea, surge Epistola. Adesdum, hodie Pisas salutem ad eum feras oportet, per quem Florentia salua est.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici suo salutem.

ORem valdè miram. Imò & nimis ineptam. Vnde nam hoc optimè Laurenti? Cœpi paulo ante vt mihi quidem videbar satis belle. Nunc repente post salutem omnis inuentio deficit. Marsili forte summa hæc salus est præter salutem nihil penitus reperire. At verò non est salus, vt arbitror, inuentione priuari. Nihilne igitur vlterius inops tecum Epistola feres? imò

adhuc paucis te volo. Ecce enim inueni interim aliud nescio quid ferendum quamuis fortasse ridiculum hoc ipsum. Vnde quod nihil inueniam. Siste Epistola pedem, accipe rursus & istud. Inuenio tertium. Quod ex eo inuentionem modo agnoui deficere, quia multa quondam soleam reperire. Sed ne propera. Accipe prius si placet & quartum. Quod ex copia sæpè inopia tanquam ex habitu quodam priuatio recognoscitur. Vis ne & quintum? Verte Dialectica vices, quod ex inopia tanquam priuatione, copiæ quasi habitus ipsius oritur appetitus & augetur. Sed ecce pullulat nescio quomodo in præsentia sextum. Quod appetitus cum naturalem ab inopia trahat originem semper est pauper. Nunquam tamen, quod septimum dici potest, humanus animus inops, qui etiam ex inopia copiam generat, ex inuentionis priuatione texit inuentionem, ex tenebrosis terræ finibus effodit argenti candorem aurique fulgorem. Hæc profecto est terra viuentium, in qua Dei bona videntur, terra inquam animi sempiterna cuius indeficiens fructus est motusque perpetuus. Hanc ergo terram excolamus nos millies rogat Epistola. Hæc nobis fruges vberrimas incorruptibilesque & suauissimas suggeret. Sed nolo grauiori sarcina dorsulum Epistolij premere. Vale iam Epistola procax. Ac post salutem, Medicem & iube valere fœliciter, & roga redire.

Nouum opus nimium placet opifici.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Politiano, S. D.

EPistola hæc ad Laurentium & nascens & statim nata mihi, vt fieri solet, nimis blandiebatur. Sed paulo post considerata, minus placuit. At qualiscunque sit Medicis est. Ego autem tanquam iustus sua cuique reddo. Tu si quid ad manus tuas his annis ex Pædagogorum scriptis pessimum venerit, Laurentio legito, mox illi meam leges Epistolam, vt ad pessimum comparata minus offendat. Sed heus tu, lege obsecro eleganter, partim quidem voce suaui, partim ore rotundo, ita demum vel fortè fuco deceptus, aliquantulum ille laudabit. Vel certè dicet, Misit saltem Marsilius aliquid, ineptos seruos malo quam pigros, pigros quoque quam nullos. Quod Ioannem Petrum Patauinum mihi commendas, libenter accipio. Hunc enim commendat etiam Philosophia mihi, siquidem tam natura quam studio Philosophus esse vrit. Vale.

De perseuerantia.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Altouito, S. D.

QVi nos vel collo vel manibus apprehendunt, corpus trahunt, qui oculis, sensum, quam auribus & auditu, animum atque mentem. Tu modo auribus animum nostrum comprehendisti. Tot enim ac tanta de elegantia constantiaque tua Ioannis Caualcantis nostri verbis iam auribus meis insonuerunt, vt neque potuerim me neque voluerim continere quin te valdè diligerem & amarem. Amoris nostri signum in præsentia sit hæc Epistola, quæ constantiam quidem tuam probet, & ad perseuerantiam exhortetur. Altera enim absque altera esse nequit. Neque satis apud prudentes probandus esse videtur quem nondum satis fortuna probauerit. Neque probatus ab ab ea satis est, nisi qui ad finem vsque perseuerauit. Quantum bonum perseuerantia sit hoc indicat, quod cæteræ virtutes bona pollicentur, perseuerantia præstat. Quæ quidem quanto difficilior est, tantò cæteris laudabilior. Sed ne terreat difficultas, nam breuissimi sunt omnes virtutis humanæ labores; præmium sempiternum. Adde quod ardens clarè mentis propositum obscura illustrat, frigida calefacit, mollit dura, domat indomita. Vale.

Prudentis est nihil præter salutem animi bonamque corporis valetudinem exoptare.

MARSILIVS FICINVS
Andræ Cambino suo, S. D.

SVnt Andrea multi mortalium vsque adeò cupidi, vt multa diuersaque quotidie, imò & innumerabilia tanquam insatiabiles cupiant. Cambinus meus vtpote qui prudens moderatusque est nihil, vt arbitror, aliud optat præter salutem animi ac bonam corporis valetudinem. Salue igitur simul & Vale.

De Musica.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Canisiano viro docto atque prudenti, S. D.

QVæris Canisiane cur tam frequenter Medicinæ simul & Musicæ studia misceam. Quidnam, inquis, commercij Pharmacis est cum cithara? Astronomi Ca-

nisiane forsitan duo hæc ad concursum Iouis & Mercurij Venerisque referrent. Opinantes ab Ioue Medicinam, à Mercurio & Venere Musicam proficisci. Platonici autem nostri ad vnum Deum, scilicet, Apollinem referunt Quem prisci Theologi Medicinæ inuentorem, ac citharæ pulsandæ regem existimauerunt. Hunc in libro Hymnorum Orpheus vitalibus radiis sanitatem vitamque largiri cunctis arbitratur morbosque propellere. Præterea fidibus canoris, id est, motibus viribusque suis omnia temperare, hypate, id est graui voce, hymen, neate, id est acuta, æstatem. Dorionibus, id est, vocibus mediis, ver autumnumque producere. Cùm ergo idem sit Musicæ dux Medici neque repertor., quid mirum vtramque artem sæpè ab isdem hominibus exerceri. Accedit quod anima corpusque naturali quadam proportione inuicem consonant, rursus partes animæ inuicem, partes quoque corporis inuicem. Quam quidem consonantiam etiam harmonici febrium humorumque circuitus, motusque, pulsus ipsius imitari videntur. Partium animæ consonantiam, vt Plato & Aristoteles asserunt, & nos sæpè experti sumus, grauis Musica seruat atque restituit Concentum verò partium corporalium medicina. Cùm igitur corpus & anima inter se, vt diximus, congruant, eiusdem facile esse potest concentum partium animæ, ac partium corporis colere etiam. Hinc Chyron vtramque exercuit facultatem. Hinc Dauid Propheta animam corpusque Saulis delirantis Lyra traditur curauisse. Quod quidem & in cæteris tam corporis quàm animæ morbis fieri posse Democritus & Theophrastus affirmauere. Pythagoras autem, & Empedocles, & Asclepiades Medicus, re ipsa etiam demonstrauerunt. Neque mirum id quidem. Nam cùm cantus sonusque ex cogitatione mentis & impetu Phantasiæ cordisque affectu proficiscatur, atque vna cum aëre fracto & temperato, aëreum audientis spiritum pulset, qui animæ corporisque nodus est, facilè Phantasiam mouet, afficitque cor & intima mentis penetralia penetrat. Corporis quoque humores & membra sistit & mouet. Quod quidem ostendit Timotheus, quando Alexandrum regem sonis excitauit in furorem, deinde repressit. Mitto Pythagoræ Empedoclisq; miracula, qui lasciuiam, iram, furorem grauiore Musica subitò cohibebant Rursus aliis modulis torpentes animos excitabant. Mitto etiam quæ de Orpheo, Arione, Amphione narrant. Verùm vt ad propositum redeamus, prima Musica in ratione consistit, secunda in Phantasia, tertia in sermone, hanc sequitur cantus, cantum digitorum motus in sono, sonum totius motus corporis in gymnastica vel tripudio. Videmus igitur animæ Musicam gradatim ad omnia corporis membra deduci. Quam etiam Oratores, Poëtæ, Pictores, Sculptores, architecti in suis operibus imitantur. Cum ergo tanta inter animæ corporisque Musicam communio sit, quid mirum ab eodem homine tam corpus quam animam temperari? Denique qui à Pythagoricis, Platonicis, mercurio, Aristoxeno, tam animam quam corpus mundi & animalium singulorum Musicis rationibus constare didicerit, atque à sacris Hebræorum literis acceperit, Deum omnia in numero, pondere, mensura disposuisse: Is neque mirabitur harmonia animalia penè omnia rapi, neque Pythagoram, Empedoclem, Socratem etiam in senectute pulsantes Cithara accusabit. Sed parum eruditum Themistoclem illum qui sibi oblatam in conuiuio recusauit, fuisse fatebitur. Pertinere enim Musicam ad doctos qui Musarum cultores sunt in Dialogo Alcibiade Plato noster ostendit, dicens Musas esse Musicæ duces, atque ab eis Musicam appellari. Reiicit autem Plato vbique melodiam querulam aut leuem, quia vel fractum animum reddat vel lasciuum & iracundum, solam verò grauem eligit & constantem tanquam saluberrimam spiritus, animæ corporisque Medicinam. Ego autem, vt de Marsilio tuo aliquid dicam, eo consilio post Theologiæ vel Medicinæ studia grauioribus fidibus cantibusque frequenter incumbo, vt cætera sensuum oblectamenta penitus negligam, molestias animæ corporisque expellam, mentem ad sublimia, Deumque pro viribus erigam, authoritate Mercurij Platonisque fretus, qui Musicam nobis à Deo concessam dicunt ad domandum corpus, temperandum animum Deumque laudandum. Quod pre cæteris Dauidem & Pythagoram præcepisse scio, & consecutos existimo. Vale.

Verissima laus est quæ laude digna est.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Aurelio Arimniensi, S. D.

Laudas Lyram Aureli nostram carminibus laude dignis. Ego carmina tua vicissim Lyra laudabo. Sed vt laude digna. Vt tu vera loquaris. Ego verò canam. vterque nostram verissimè laudet. Verissima enim laus est quæ laude digna est. Vale.

Fœliciter amatur qui à viro amatur amore dignissimo.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo Venetorum oratori, S. D.

OPinabar, Bernarde, me sic amare Marsilium vt magis eum aliquando amare non possem. Quoniam quisque sui gratia singula, in singulisq; seipsum, seque ipsum summopere diligit. Sed heri mea hæc me feliciter nimium fefellit opinio. Tunc enim primum ardentius quam consueueram amare me cœpi, cum primum certissimè agnoui abs te ardenter amari viro præ cæteris amore dignissimo. Tantum equidem Bernardo tribuo, vt quanti ab illo fieri me intelligo, tanti me faciam. Quis igitur mihi magis vnquam placere potest quam ille per quem magis indies mihi ipse placeo. Vtinam tibi placeam, Bernarde semper, vt prudentium nulli displiceam. Ergo amori huic in me tuo quid gratiæ referam? amorem. Cætera vt plurimum alieno pretio comparantur. Amorem autem cum in libera voluntate sponte nascatur, ideoque sit liber, nullo vnquam pretio aut emitur aut venditur, nisi seipso. Vale. Fœlix. VII. Martij. M. CCCC. LXXIIII. Florentiæ.

De lege & Iustitia.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

PRomisi Nonis, si rectè memini, Martiis Laurentio Pisis Florentiam redeunti, cum in Pisanum agrum aliàs se conferret, ad eum aliquid me scripturum. Ego qui soleo semper ad amicos scribere, quia velim, in præsentia scripturus sum quia debeam. Iustum est promissa seruare. Sic enim lege iubetur. Accipe igitur iustam legitimamque Epistolam. Imò, vt rectius loquar, quoties volo toties & debeo, sed amoris lege rursus quando debeo tunc & volo sed legis amore. Vnde iustam accipies hodie voluntariamque Epistolam. Secernere vel à iusto voluntarium, vel à voluntario iustum neque licet cuique, neque libet amicis, ecce & debes & vis Marsili, nunc aliquid ad Medicem scribere. Verùm quid scribes potissimum & quo numine fretus. O salus hominum! ô regina mundi iustitia! tu causam mihi iampridem scribendi dedisti, tu quæso nunc materiam suggere vt quam libenter te fide iubente promiseram tam fœliciter te adiuuante persoluam. Diuina illa lex qua mundus constat & gubernatur nostris mentibus dum creantur inextinguibile lumen legis illius naturalis accendit, ad quam boni maliue refertur examen. Ab hac naturali lege, quæ diuinæ scintilla quædam est, scripta lex proficiscitur scintillæ eiusmodi radius. Tres autem hæ leges, diuina, naturalis, scripta singulos homines quid sit iustitia docent, vt nullus peccantibus fermè relictus sit excusationi locus, quasi deliquisse omnino propter ignorantiam videantur.

Profectò mentis oculis tria hæc lumina monstrant, iustitiam nihil aliud esse, quam voluntatis habitum sic à ratione directum & roboratum, vt minus illecebrisque contemptis, non aliter agere statuat quam diuinitas, natura, ciuilitasque dictauerit. quidnam diuinitas pręcipit nisi vt in Deum à quo habemus omnia, omnem cogitationis aciem, voluntatis notum, operationis vim, opera merita, referamus. Natura quoque quid aliud docet, nisi vt pecuniam corpori, corpus animæ, animam rationi, rationem Deo subiiciamus? Denique ciuilitas monere videtur, vt ciues singuli esse se quædam ciuitatis membra meminerint Ideoque decere patriam quidem tanquam vniuersum corpus eorum, ciues autem tanquam corporis eiusdem membra diligere. quamobrem ille sine controuersia vir iustus habebitur, qui Deum tanquam Patrem & Dominum pietate incomparabili venerabitur. Affectus motusque suos diligentissimè moderabitur, homines fraterna diliget charitate, seipsum in Deo, homines diliget in seipso, Deo pro viribus inhærebit, secum alios quoad poterit diuinitati coniunget. Proinde iusti officium est cuique quidem suum tribuere, Maioribus honorem atque reuerentiam, æqualibus domesticam quandam consuetudinem, inferioribus opem atque consilium.

Præterea cum in magistratibus constitutus est, legem ipsam tanquam Deum ante oculos semper habere. Se verò non legis Dominum sed fidum Interpretem diligentemque ministrum existimare. In qua quidem administranda delicta æquitate quadam & sine perturbatione puniat. Virtutibus absque inuidia pro dignitate præmia reddat. Neque proprium cogitet, sed commune. Neque proprio confidat ingenio, sed senes, pios prudentesque viros in omnibus consulat. Illud quoque apud eum

maneat alta mente repostum. Vos quibus rector maris atque terræ ius dedit magnum necis atque vitæ, ponite inflatos tumidosque vultus, quicquid à vobis timor extimescit, maior hoc vobis Dominus minatur, omne sub regno grauiore regnum est. quid iustitia sit, quis iustus, quid iusti officium satis sit dictum. Quantus præterea iustæ actionis sit fructus hinc perspicuè declaratur, quod neque domus neque ciuitas, neque exercitus neq; commercium prorsus vllum vel bonorum hominum vel malorum absque iusta distributione, quæ sit pro meritis, consistere potest. Qui quidem si vsque adeò mundi machinæ necessaria est, vt hac sublata mundus sit protinus ruiturus, certè quantum sit vitæ hominum necessaria dici non potest. Nempè si desit hominibus siue congregentur in vnum à se inuicem cito perduntur, siue disiuncti vixerint à feris passim lacerabuntur, ô perpetuum humani generis vinculum! ô saluberrima nostrorum Medicina morborum! ô publica ciuitatis anima, iustitia vita beata, iustitia vita cœlestis. Aurei sæculi mater atque regina. Astrea sublimis quæ thronos sydereos habitas. Terrenas sedes, Diua, ne deseras obsecramus, ne in ferreum sæculum miseri prolabamur. Habita precamur, habita semper cœleste numen humanas, cœlestis patriæ ciues, vt cœlestium vitam. & in præsentia quoad possumus imitemur, & in posterum penitus consequamur. Vale.

De anima.

MARSILIVS FICINVS Francisco Tedaldo suo, S. D.

LActantius Tedaldus tam charus mihi familiaris quam tibi filius, opusculum nobis tuo nomine reddidit, in quo occidentalium Philosophorum disputationes de anima recensentur. At tandem ab illis quid hac dere Marsilius Ficinus sentiat, quæritur, & si non nostrum inter hos tantas componere lites, tamen quid sentiam postquam rogant, latissimè explicabunt libri de Immortalitate Animorum à nobis compositi, qui breui, vt spero, ad vos mittentur. Interim ad eam disputationis partem quam potissimum expetunt, breuissimè respondebo.

Primum quidem scio animam meam substantiam esse. Alioquin substantiam perfectè comprehendere & definire non possem. Non possem vel esse aliquid præstantius accidente, vel quantum accidens à substantia deficiat indicare atque metiri. Scio non esse corpoream & mortalem. Non enim incorporea & immortalia caperem, atque à corporalibus mortalibusque discernerem, scio esse rationalem Alioquin de illa cæterisque rebus rationes afferre nescirem. Scio quamuis rationis sit particeps, non tamen rationem ipsam, vt quidam existimant, esse. Nam & in rerum rationibus assignandis à veritate, & in rebus agendis a ratione, aberrare non possem. Potius igitur à ratione aberrat, qui animam esse rationem affirmat quam qui negat.

Proinde ratio aut substantia est aut qualitas. Si substantia ratio secundum essentiam est, summa absoluta ac penitus infinita est. Qualis non anima, sed solus est Deus. Si qualitas est accidens virtusque animæ potius quam anima esse videtur. Animam verò quæ substantiæ corporis formando, mouendoque in partes contrarias atque sistendo liberè dominatur, qualitatesque quodammodo contrarias vicissim induere potest, nemo qualitatem accidensque esse audeat affirmare. Quo enim pacto vel accidens vel occidens dici potest? Quæ per omnia tam substantiarum quàm accidentium genera speciesque æquè discurrit. Reflectitur quoque in seipsam tum affectu tum cognitione, atque idcirco etiam vita, vtpote quæ sibimet hæreat non subiecto, sine corporeo instrumento toties agit quoties attingit eligitque incorporalia, eaque à corporeis rectè discernit. Inclinationi corporali sæpè repugnat, neque quiescit in corpore. Denique quanto longius se à corpore seuocat, tanto efficacius intelligit, ac melius feliciusque se habet. Anima igitur est substantia incorporea, rationalis & immortalis, corpori regendo accommodata Hanc antecedere corpus multi inter Platonicos arbitrantur, Peripatetici contra. Ego autem occidentales istos quos laudas Philosophos, & si non declaras, reor tamen Peripateticos esse. Nam de anima, vt inquis, post epulas disputauerunt, vtpote qui corpus quidem prius recreandum quam animum procreandum existimauerint. Ego & si ante epulas animulam huius Epistolij procreaui, tamen cum istis de creationis ordine sentio. Vale, ac da operam vt disputationibus istis frequenter intersis, sic enim corpus simul coles & animam. Ioannes Caualcantes noster se tibi commendat. Tu autem Philosophis istis me commenda.

Consolatio

Consolatio in amici obitu.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Bernardo Bembo,
Venetorum Oratori,
S. D.

DIc age, Bernarde, si licet, quid in amici obitu luges? Mortem ne? An mortuum? Si mortem, luge Bernarde tuam. Nempè quàm certus es obiisse illum, tam certus es te moriturum. Imò te mori. Quolibet enim momento vita præterita interit. Si mortuum. Malum ne? An bonum? Si malus erat, bonum tibi est familiarem eiusmodi amisisse. Bonis verò tuis dolere non debes. Si bonus fuit, quod ego potius arbitror, cùm à bono prudenterque ametur, bonum certè illi est seorsum à continua morte corporis viuere. Tantis autem amici bonis inuidere non decet, doles forsitan quod amicum tuum sicuti consueueras amplius nusquam cernas. Nonne amicus tuus is erat dumtaxat qui te amabat. Quis amabat nisi ipse qui te cognoscebat animus? Animum verò ipsum, neque aliter tunc quam nunc videbas, neque nunc minus quam tunc vides. Absentiam fortè culpabis. At animi cùm locum non impleant, non tam situ fiunt quàm cogitatione præsentes. Quando illum non cogitas dolere non potes. Quando autem cogitas quod efficis, pro arbitrio statim in præsentia reuocas. Nunquam igitur quæri de absentia debes, nisi fortè illud nobis obiicias quod animo nunc tuo in corpore clauso soluti illius animi consuetudo non congruat. Segrega Bernarde, si potes, à corpore mentem. Crede mihi subitò congruet. Sin minus potes, ne dubita, paulò post velis nolisve congruet. Quod enim viuimus si ad voluntatem nostram conferatur, quàm breuissimum est, si ad ætatem mundi, punctum, si ad ætatem Dei, etiam puncto minus. Vale atque viue Deo, qui cum solus infinita sit vita, mortem mortisque mœrorem solus à suis cultoribus longè propellit.

Legitimi Iurisconsulti partes.

MARSILIVS FICINVS
Petro-philippo Perusino, illustri
Iurisconsulto, S. D.

LEgum facultatem Astronomi, Ioui, Solique attribuunt, quibus nihil in cœlis est pulchrius. Quid igitur in terris pulchrius est æquo æquitatis legumque Interprete? Iniquo contra quid turpius? Desideras arbitror, legitimi Iurisconsulti effigiem & indolem intueri, ô quam pulchrum spectaculum! quàm mirabile! Huius anima est Dei cultus. Spiritus patriæ legis cura. Cerebrum, iudicium perspicax. Oculi linguaque doctrina. Pectus memoria tenax. Cor recta voluntas. Manus rectæ voluntatis effectus. Pedes perseuerantia. Totum æquitas atque grauitas. Sed quid ego verbis Iurisconsulti ideam effingo? Petrus-Philippus dum pictorum more seipsam in Francisco Soderino eius discipulo pinget, ideæ ipsius reipsa veram similitudinem assequetur. Nempè talem esse Petrum-philippum, & si adulationis suspicio asserere prohibet, cogit tamen veritas confiteri. Talem quoque Soderinum fore Præceptor studet. Discipuli indoles & initia indicant. Pater eius Thomas Soderinus clarissimus Eques ardenter exoptat. Hieronymus Amatius noster, illius amantissimus proculdubio pollicetur. Marsilius Ficinus sperat, Deumque precatur.

Velociter camparaatur, quod ardenter desideratur.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Altouito, S. D.

CVpit animus tuus ardenter, vt scribis, ad nos volare, si non habet alas, neque potest volare, neque cupere debet quod non potest. Si habet, quod ego potius arbitror, cùm primùm concupiuit, aduolauit, æternis siquidem & spiritalibus alis, neque tempus obstare potest neque locus: iam igitur habes nisi me ratio fallit quod tota mente petebas. Sed vt tam magnum mihi sit quod habes quam tibi & comparanti facilè & possidenti charum, vt minus reipsa Marsilius quàm Ioannes æstimatione possideat. Vale. Ioannes Caualcantes noster se tibi commendat.

Fontes potius quàm riuulos sectari debemus.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus, Ioanni Petro
Patauino, S. D.

SVnt multi nostris sæculis non Philosophi, sed Philopompi, qui sensum Aristotelicum se tenere superbe nimium profitentur, cùm tamen Aristotelem ipsum raro admodum atque parumper loquentem, & tunc quidem non Græcè propria exprimentem, imò Barbarè aliena balbutientem, audiuerint, ideoque minimè intellexerint. Hi cùm in foro

inter pueros garriunt, scire nonnihil vulgò videtur. Si domi eos prudenter interroges, paucam in Physicis, pauciora in Mathematicis, paucissima in Metaphysicis scire deprehendes. Huiusmodi homines, etiam in septuagesimo ætatis anno pueri sunt expertes non eloquentiæ solùm, sed Grammaticæ, neque res naturales aut diuinas, imò barbaras quasdam dictiones anxiè nimis excogitant, quàm inuicem ineptè permisceant & confunadnt. Vnde Sophistæ leuiculi digna puerorum circulis in medium adducunt, potius quàm coronæ virorum. Ita loquuntur vt ex eorum sermone Philosophiam contemnas. Ita viuunt vt ex eorum vita Philosophiam vituperes. Quamobrem eos Plato noster meritò non maritos Philosophiæ, sed adulteros nuncupauit, ex quibus filij non legitimi, id est, opiniones absurdæ, inter Philosophos oriantur. Probo igitur te amice, quod pueriles horum ineptias & vana studia non æmuleris, qui neque fontes hauriunt, sed riuulos lambunt, neque veritatis lucem, sed opinionis vmbram stultè sectantur. Scito te ita demum ad veritatem proximè accessurum, si errantium vestigia diligentissimè deuitaueris. Commenda me Bernardo Bembo nostro, Venetorum Oratori clarissimo. Vale.

Peripateticus non vt Philosophus est, pecuniam appetit, sed vt homo.

MARSILIVS FICINVS
Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

OLiuerium Ardouinum, insignem Peripateticum commendarem tibi non mediocriter, nisi Aristoteles suus eum tibi plurimum commendaret, si Aristoteles qui pecuniam fœlicitati necessariam iudicauit, libros suos absque nummis componere potuisset, etiam Peripateticus iste Aristotelica sine nummis posset interpretari. Intelligis ergo quid velit Oliuerius, Peripateticus est, non Cynicus. At non est, inquies, Philosophi hæc appetere, sit ita sanè. Verùm non vt Philosophus est hæc postulat, sed vt homo. Vtrum verò Philosophi sit pecuniam petere, postquam concesseris disputabimus. Vale. Salutat te Laurentius Bonincontrus, Miniarensis Poëta, Astronomicus Astronomusque Poëticus.

Commendatio à fortuna quondam fœlici, innocentia, scientia.

MARSILIVS FICINVS
Donato Carolo, S. D.

COmmendo tibi Marsupinos quamplurimum, homines satis quidem fortunatos olim, nunc autem heu! nimis infortunatos, iniustos, vt arbitror, nunquam. Carolum præ cæteris tibi commendat ex alto pater eius Carolus Poëta. Audi, si placet, parumper, & si potes, exaudi, obsecrat ecce te cum per sapientiam humanitatemque tuam, tum verò per diuinam clementiam saltem, ne adolescentem doctum, ac penitus innocentem, vnicam patris spem, hodie deseras. Non decet Musam fieri mendicam, & Innocentiam miserabilem. Fer igitur opem, Patrone Musarum alumno, absque tuo auxilio perituro. IIII. Aprilis. M. CCCC. LXXIIII. Florentiæ.

Qua ratione sit quisque laudandus.

MARSILIVS FICINVS
Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

SCribis vt in te laudando posthac parcior esse velim. Et ita scribis vt dum fræno me cohibere videris, calcaribus acerrimè stimulas ad laudandum, sed me in præsentia continebo. Non licet vltra. In Epistolis Laurenti, quas ad te scripsi, hactenus semper te ita laudaui, vt admonerem similiter atque exhortarer. Admonui equidem semper vt à Deo te habere omnia recognosceres, ei gratias ageres, ei te sedulo commendares. Exhortatus sum vt pergeres. Nam principium vel voluntatis est vel sortis, perseuerantia verò virtutis. Laudaui verò te nonnunquam, tanquam absentem in Epistolis ad Nicolaum liberius. Tu eas velim nolimve legis, atque ita erga Nicolaum tuum es affectus, vt quæ ad eum scribuntur, scribi ad Laurentium arbitreris. Magis ergo amor erga Nicolaum tuus in me iudicando te decipit, quàm me in te iudicando amor erga te meus. Ego Laurentium magis adhuc amo quàm laudem, & iudicaui antea quam amarem. Vale. XV. Aprilis. M.CCCC. LXX.III. Florentiæ.

Nemo sine amore, de amore bene loquitur.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Michelotio vero viro, S. D.

AD me scripsisti Epistolam amatoriam, Nicolae, & quasi plusquam amatoriam: nemo, Nicolae, nisi amator amatoria tam bellè scribit Epistolæ tuæ, pro me respondeat totus ille liber, quem olim de Amore composui: scribo forsitan nimis pauca, quia in pœnitentia nimis multa cogito. Salutaui amicos tuos, vt iubes, salutationes huius non satis admittunt. Saluere malunt pœnitentia tua, quàm tuo nomine salutari. Vale. XVI. Aprilis. M. CCCC. LXXIII. Florentiæ.

Præcepta ad memoriam.

MARSILIVS FICINVS Banco arithmetræ, S. D.

SI reminiscentia valere cupis bonorum, da operam vt obliuiscare malorum, operæprecium est in Letheum fluuium demergere vilia, vt preciosa retineas. Fuge Branche perturbationum impetum, fuge multiplicium negotiorum cogitationumque tumultum. Vis ne vtiliter cogitare, cogita paucissima, & quæ cogitant paucissimi. Hoc illud Pythagoræ est, populares vias declinato, ito per diuerticula. quid temerè circumuagantur. Sagacitate & electione opus est, in exiguo cespite latet lepus, patent vbique mala, in angustum redactum est quod bonum est. Vis ne rerum bonarum pollere memoria? diligenter curato, vt eius quod ediscendum est certam intelligas rationem. Responsio enim est in dissolutione veritatis & memoriæ vinculum. Ob hoc forsitan Plato noster inquit, quod bene intellectum est semel, obliuioni omnino tradi nunquam posse. Ea quoque memoriæ tradenda sunt quæ non solum vtilia sunt, sed & iucunda. Nam alimenta quæ suauissimum saporem afferunt, facilius in naturam nostram transeunt atque conuertuntur. Et quo auidius quid haustum est, eo diutius retinetur. Adde iis, quod obseruandum omnino, Aristoteles & Simonides arbitrantur, vt certus quidam in ediscendis ordo vel insit vel saltem excogitetur, ordo in proportione quadam & connexione consistit. In iis aut qua ordinata serie digesta sunt, siquid vnum acceperis, reliqua continuo necessaria quædam vel naturæ vel artis continuatione sequuntur. Ipsa quoque mentis intentio si vel in vnum quiddam dirigitur, vel in pauca tanquam vnum, vehementius agit quam si in plurima distrahatur, omnis aut partium continuatio atque ordo in vnum quiddam tam ipsum totum quod ex iis constituitur, quam ipsam animi intentionem inducit. Obseruandum insuper vt sæpenumero quæ didicimus meditemur, sic enim alimenta animi concoquuntur, & quasi conuertuntur in animum. Confert etiam quamplurimum, siquis eleganti oratione cantuque suaui quæ memoriæ mandauit sæpè recenseat. Voluptas enim rerum condimentum est, amoris esca, incitamentum ingenij, voluntatis pabulum, roburque memoriæ. Conducit multum & admiratio, nam ob hanc attentior factus animus altius penetralibus suis rerum notas inurit. Quamobrem pueri cum propter nouitatem rerum admirentur magis, retinent quoque diutius. Fortè etiam cogitant pauciora quam viri, adde & multo tranquilliora. Sed de hoc aliàs. Si quæ in hac re fides Medicis adhibenda est, aloë sæpè purgandum est cerebrum, odoribusque cinnamomi & maioranæ, fouendum, Hoc equidem non vitupero, sed purgationem animæ multo magis probo. Purganda enim hæc primum à malis est vt impleatur bonis. Bene vale, hoc est animam bene ale. Ales autem bene, non si quam plurimis, imò si quàm electissimis hanc alueris.

Virtutum definitio, officium, finis.

MARSILIVS FICINVS Antonio Calderino, S. D.

PEtis Antoni sæpè iam vt virtutes tibi definiam, expectas forsitan à me minutissimas illas Peripateticorum Stoicorumque petitiones. Calderine, non ita Platonici nostri solent. Nempè virtutis vis in vnione potius quàm in diuisione consistit. Ideo Pythagorici vnitatem ad bonum, multitudinem ad malum pertinere arbitrabantur. Definiam ergo breuissimè, præsertim cum virtutes exercere satius admodum sit quàm nosse. Virtus est habitus animi electione ad beatitudinem conferens. Virtutum duo sunt genera. Aliæ in intellectu. In appetitu verò siue rationali siue irrationali sunt aliæ. Illæ speculatiuæ vocantur, istæ morales. Illæ quidem speculatiuæ, quia speculando comparantur, & comparatæ versantur in speculãdo, Istæ verò morales, quia more & consuetudine acquiruntur, atque acquisitæ in moribus & operum vsu

consistunt. In eo genere sunt sapientia, contemplatio diuinorum, scientia quæ est cognitio naturalium, prudentia, hoc est, notitia rerum priuatim & publicè rectè administrandarum, ars denique quæ est recta efficiendorum operum regula. In alio genere sunt, iustitia quæ sponte suum vnicuique tribuit, fortitudo præterea quæ ad opera honesta promptior, abiicit à nobis timoris impedimentum, temperantia denique quæ libidinum mollitiem, quod alterum honestorum impedimentum est, repellit, liberalitas autem & magnificentia iustitiæ comites sunt, atque virtutes aliæ similiter aliarum. Et vt summatim dicam, speculatiua virtus nihil aliud est nisi acquisita claritas, intellectus moralis autem nihil aliud nisi feruor stabilis appetitus ab intellectus claritate succensus. Meminisse verò oportet, nihil in humanis virtutibus electione preciosius esse, pro qua emenda, Plato in libris de Republica censet cætera omnia esse vendenda. Obsunt enim illi omnia, prodest nihil, qui nescit discernere à malis bona, & à bonis mala secernere. Volumus ne electionis consequi facultatem? consulamus in omnibus seniores probatioresque viros. Tempus igitur præ cæteris consulamus. Quid enim inter temporalia tempore antiquius & probatius? Consulemus autem tempus si præteritorum euentus sæpè & multum considerauerimus. Præteritum enim magister est præsentis atque futuri. Consideratio quoque futuri præsentia docet. Difficillimum est enim præsentia rectè administrare, nisi actionis cuiusque finem & exitum cogitaueris. Cogita quantum decet, reliquum relinque Deo. Quicquid sequitur, tanquam à Deo factum proba. Qui enim diuinam gubernationem improbat, reprobatur à Deo. quoniam verò Deus principium finisque omnium est, ideoque nos Deo non nobis nati sumus, quæ in superioribus narrabantur, eatenus virtutes sunt quatenus à nobis colendi, imitandi, consequendique, Dei gratia exercentur. Cultus itaque Dei virtutum virtus est. Consecutio autem Dei præmium est virtutum.

Animæ natura & officium, laus historiæ.

MARSILIVS FICINVS Iacobo Bracciolino Poggij oratoris filio, paternæ artis hæredi, S. D.

PLatonici veteres vrbana Platonis natalitia quotannis instaurabant. Noui autem Platonici, Braccioline, & vrbana & suburbana nostris temporibus celebrarunt. Suburbana quidem apud magnanimum Laurentium Medicem in agro Caregio, culta in libro nostro de amore narrantur. Vrbana verò Florentiæ sumptu regio celebrauit Franciscus Bandinus vir ingenio magnificentiaque excellens. Vbi tu & Bindaccius Ricasolanus & Ioannes Caualcantes noster aliique Academici multi discubuerunt. Ego quoque interfui. Atque ex multis & variis quæ in eo conuiuio disputauimus illud in primis mecum ipse sæpè meditor ac tibi libenter hodie recensebo, quod ante epulas de animæ natura concludimus. Nihil enim magis ad hominem pertinet quàm quæ de anima disputantur. Sic & Delphicum præceptum illud impletur, Nosce te ipsum, & cætera omnia sagacius, quæ vel super animam vel infra animam sunt, inuestigantur. Quo enim pacto capere alia abundè possumus, nisi animam ipsam, per quam capienda sunt alia, capiamus? An non abutitur anima qui intueri eam non studet, per quam & cuius gratia intueri cuncta desiderat? Anima rationalis quemadmodum omnes ibi conuenimus, in orizonte, id est, in confinio æternitatis & temporis posita est, quoniam inter æterna & temporalia naturam mediam possidet, & tanquam media rationales vires actionesque habet ad æterna surgentes, habet quoque vires operationesque declinantes ad temporalia.

Merito cum ex diuersis naturis inclinationes diuersæ nascantur eo ipso quòd animam videmus, tum ad æterna, tum ad temporalia vergere, eam ex vtrisque naturis constitutam esse cognoscimus. Partem quidem illam animæ superiorem Plato noster in regno Saturni, id est, in mentis & prouidentiæ, inferiorem autem in regno Iouis, id est, vitæ fatique locauit. Quapropter anima iam bifrontis instar vultum geminum habere videtur, aureum, scilicet & argenteum, Illo Saturnia, hoc Iouialia respicit. Aspiciendo autem indicat atque appetit. Æterna amare præstat quàm iudicare, difficillimè iudicantur bene, malè amari nunquam possunt, dummodo ardenter amentur, quæ nunquam nimis, imò neque satis amantur. Temporalia iudicare satius est admodum quàm diligere. Iudicantur vt plurimum satis belle, sed vt plurimum turpiter diliguntur. Profecto iudex rei iudicandæ formam in se transfert, amator verò se transfert in amati formam. Satius est inferiora ad nos attollere iudicãdo, quàm nos ad illa amando deiicere. Satius

eſt ad ſuperiora nos per amorem erigere, quàm illa ad nos dimittere per iudicium. Vale Sed antequam finem faciam rogo te, mi Braccioline, vt ab incæpto componendarum hiſtoriarum ſtudio non deſiſtas. Nam ſtylum orationis tuæ hiſtorici laudant, & res ipſa eſt ad vitam, non modo oblectandam, verumetiam moribus inſtituendam ſummopere neceſſaria. Siquidem quæ per ſe mortalia ſunt immortalitatem ab hiſtoria conſequuntur, quæ abſentia ſunt per eam præſentia fiunt, vetera iuueneſcunt. Iuuenes cito maturitatem ſenis adæquat. Ac ſi ſenex ſeptuaginta annorum ob ipſarum rerum experientiam prudens habetur, quanto prudentior, qui annorum mille, & trium millium implet ætatem. Tot verò annorum millia vixiſſe quiſque videtur quot annorum acta didicit ab hiſtoria. Vale iterum.

Tres vitæ duces, & vna vitæ optima ratio.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Franciſco, S. D.

TRes ſunt humanæ vitæ duces. Prima eſt ratio diu diligenterque examinata, ſecunda experientia rerum diuturna conſuetudine confirmata, tertia, authoritas antiquorum eorum, ſcilicet, qui tales ſint, vt neque ab alio facilè decipi potuerint, neque ipſi voluiſſe alios decipere videantur. Magis enim attendendum eſt quid egerit quiſque quàm quid dixerit, bene loqui multorum eſt, bene agere paucorum. Optima verò viuendi ratio eſt, vt cogites conerisque quàm maximè potes ſecundum mentem viuere, hoc eſt, non ſemper feliciter viuere, in mente ſiquidem ſtatus & tranquillitas reperitur, qui de mente cadit ad inferos labitur. Noli obnixè ſtudere vt diu in corpore viuas, nihil eſt enim ſi ad æternitatem conferas in corporalibus rebus diu. Adde quod in ipſa corporis vita à multis ac viliſſimis ſuperamur. Vitaque corporis pœna eſt & mors animi nuncupanda. Hoc vnum conare præ cæteris quod in Gorgia Plato noſter iubet, vt id temporis quod tibi hic à Deo eſt aſſignatum quàm optimè viuas, ſic ſempiternæ miſeriæ ſupplicia deuitantur, & æternæ feliciſque vitæ fundamenta diuino quodam auxilio iaciuntur.

Ratio docendi, laudandi, & vituperandi.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Lippio Rhetore, S. D.

QVoniam legiſti Græcos Rhetores & Latinos, arbitror te ita diſcipulos tuos inſtruere, vt ſemper meminerint non quod libeat, ſed quod liceat auditoribus perſuaderi debere. Nam quicquod iuſtum eſt ſuadet, facilius & felicius perſuadet, quippè cum in cauſa ſua iuſtitiam habeat patronam. Meminerint ſe iuſtos eſſe oportere. Cuius enim vita non probatur oratio reprobatur. Opera vehementius quàm verba mouent, maximè mouet alios qui ipſe mouetur maximè, omnino autem offendit aures qui aliter canit ore, aliter pulſat lyram. Diuina Muſica eſt rectus cogitationum, verborum, actionumque concentus. Meminerint quando laudaturi quempiam vituperaturiue ſunt, ampliſſimam eſſe rerum, locorum, temporumque naturam, itaque neminem poſſe adeò ſapientem bonumque eſſe, quin poſſit alter ſapientior ac melior reperiri. Neminem rurſus tam inſipientem, tamque malum, quin locus pateat inſipientiori atque peiori; parce ergo laudandum, ſed & parcius vituperandum, laudando præterea exhortentur & moneant. Nemo peſtilentior homicida quàm adulator, qui quantum in ſe eſt interficit animum.

Laudent ergo virtutes Deumque virtutum largitorem potius quàm perſonas. Illud quidem pij Philoſophi eſt, hoc autem adulatoris. Vituperent vitia non perſonas, Illud amici eſt, hoc inimici, non hominem, ſed vitia oderint. Ergo cogitent non quomodo lædant hominem, ſed quomodo vitia diluant. Studeant magis vt boni ſint quàm vt docti, ſcientia inuidiã gignit, bonitas occidit inuidiam, bonitas & hominibus vtilior & Deo gratior quàm ſcientia, eſt etiam ſtabilior, citius enim obliuiſcimur rei alicuius quam breui didicimus, quàm mores amittimus quos laborioſa & diuturna conſuetudine comparauimus. Doctrina per ſe ad breue tempus parumue confert, bonitas in æternum & ad conſequendum Deum. Conſule igitur diſcipulis tuis vt more Socratico doctrinis humanis vtantur ad expellendas ſenſuum nebulas & animum ſerenandum. Tunc enim à diuino ſole menti veritatis radius illuceſcet, aliter verò nunquam. Hoc vnicum vtile ſtudium eſt. Qui aliter agit fruſtra misereque laborat. Sic te Lippi tui diſcipuli honorabunt. Pythagoram Socratemque præceptores diuinos non libri, ſed diſcipuli illuſtrarunt. Imò verò libri ſed viui, liber eſt diſcipulus carens anima, diſcipulus eſt liber viuens. Laurenti, quæ à veritatis omnis magiſtro gratis didiciſti, gratis doce. Scientiam natura liberam nefarium eſt fieri mercenariam. Laudo eum

qui absque verecundiæ rubore multa didicerit, atque illa sine inuidia doceat. Quicquid in discipulis exundat, redundat in præceptorem. Doce quæso libenter. Tot enim animæ filios habemus quot & discipulos, quod si genitores filios corporis cum voluptate generant, cur non & docti cum voluptate filios procreent? Præbe te ipsum morum bonorum exemplum. Sanctimonia vitæ doctrinam efficit venerandam, iuniores seniorum facilè mores ebibunt Sacrilegi habendi sunt qui iuniorum, imò & quorumlibet animos, verbis, moribusve inficiunt. Denique Pythagoram & Alabandensem Apollonium imitari, qui Indorum Philosophorum ritu non adolescentes quoslibet, sed fœliciter natos, & optimè educatos in disciplinam suam admittebant. Non enim decet Musas fieri aut lasciuiæ ministras, aut iniquitatis arma. Vale & saluta Albertinum Cremonensem Philosophum verum, id est, doctrinæ & honestatis exemplar.

Cognitio & reuerentia suiipsius omnium optima.

MARSILIVS FICINVS Hominum generi salutem, id est, cognitionem & reuerentiam suiipsius, dicit.

COgnosce teipsum, diuinum genus mortali veste indutum, nuda quæso teipsum, segrega quantum potes, potes autem quantum conaris, segrega, inquam, à corpore animam, à sensuum affectibus rationem. Videbis protinus purum segregatis terræ sordibus aurum, videbis lucidum disiectis nubibus aërem, reuereberis tunc, crede mihi, teipsum tanquam diuini Solis radium sempiternum. Neque audebis coram te vlterius turpe quicquam aut vile vel aggredi vel cogitare. Nihil penitus latere potest Deum, per quem solum patent quæcunque vsquam patent. Nihil tuorum latet mentem viuam semper Dei vbique viuentis statuam, si venerandus antiqui regis aspectus verecundiam gignit, reuerere semper & vbique admirandam Dei regis omnium mentisque corporalium reginæ præsentiam. Merito igitur diuinus Pythagoras iussit, reuerere teipsum. Qui coram seipso vilia cogitare non erubescit, & animam natura diuinam patitur seruo suo corpori seruire, diuinamque hanc margaritam submergit in lutum, is certè videtur quanti ipse pretii sit ignorare, neque considerauit diuinum illud oraculum: Minuisti eum paulò minus ab Angelis, & quæ sequuntur Rursus, Ego dixi, dij estis & filij Excelsi omnes. Heu vestri nimium ignaræ mentes, heu pectora cæca. Surgite iam precor ex hoc profundiore somno, resipiscite quandoque obsecro. Si enim resipiscitis, feliciter respirabitis, quid huiusmodi tamdiu spectatis, diui cœlum suspicite cœlestis patriæ ciues, incolæ terræ. Homo quidem terrena stella est circumfusa nube, stella verò cœlestis homo. Magnum quiddam es, ô anima, te parua non implent, optimum quoque, si displicent tibi mala, pulcherrimum, si horres turpia, sempiternum, si temporalia paruipendis. Postquam talis es, si reperire te cupis, quære obsecro ibi te ipsam vbi sunt talia. Magna verò ibi sunt solum, vbi nullum locus imponit limite finem, optima vbi nihil contingit aduersi, pulcherrima vbi nihil est dissonum, sempiterna, vbi defectus est nullus. Quære te igitur extra mundum, verùm vt & quæras te & reperias extra, extra vola, imò extra respice. Es enim extra dum mundum ipsa complecteris. Sed esse te putas in infimo loco mundi, quia te ipsam quidem non cernis super æthera peruolantem, sed vmbram tuam corpus vides in infimo. Perinde ac si puer aliquis super puteum constitutus esse se in fundo putei arbitretur, dum in seipsum aciem conuertit, sed suam quasi in fundo prospicit vmbram. Aut si auis in aëre volans, credat se in terra volare dum vmbram suam videt in terra. Ergo relictis vmbræ huius angustiis reuertere in te ipsam, sic enim reuerteris in amplum. Immensam esse scito in spiritu amplitudinem, in corpore verò infinitam, vt ita loquar, angustiam, quod quidem ex hoc prospicere potes, quod numeri, qui spiritali naturæ propinquant, sine fine crescunt, non tamen sine fine decrescunt. Magnitudo autem corporalis contra, terminum quidem habet augmenti, quamuis terminum decrementi non habeat.

De diuinitate animi ac religione.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. D.

CÆteri cum ad Marsilium Ficinum & Ioannem Caualcantem vnicum eius Achatem scripturi sunt, geminas scribunt Epistolas, putantes vbi duo vident corpora, duas quoque voluntates inesse. Bandinus autem qui linceis oculis, vt ita dicam, introspicit vnicam ad vnicum scripsit Epistolam, in ea Marsilium appellat

immortalem atque diuinum, vtpote qui non in carne hominis huius veste figat intuitum, sed interiorem hominem intueatur, animum scilicet ipsum, qui hominibus à Deo tributus est immortalis atque diuinus. O quàm perspicax es Bandine, qui subito intuitu cernas, quod ego primùm per longas ambages decem annos inuestigaui, deinde composui hac de re quinquennio octo decemque libros. Quorum initium diuinitatem animæ, quam ipse perspicere iam mihi videris, incipit iis verbis paulatim significare. Cùm genus humanum propter inquietudinem animi imbecillitatemque corporis, & rerum omnium indigentiam, duriorem quàm bestiæ vitam agat in terris, si terminum viuendi natura illi eundem penitus atque cæteris animantibus tribuisset, nullum animal esset infœlicius homine. Quoniam verò fieri nequit vt homo qui Dei cultu propius cunctis mortalibus accedit ad Deum beatitudinis authorem, omnino sit omnibus infœlicior, solùm autem post mortem corporis beatior effici potest, necessarium esse videtur animis nostris ab hoc carcere discedentibus lucem aliquam superesse. Sed de his satis. Tu verò perge Bandine res singulas vt facis, quantum potes introspicere, sic enim nunquam decipieris, qui superficiem aspicit vmbras tantùm videt & somnia. Cæterum est cardo rerum atque substantia, polliceris honorare nos cum primum potueris, iamdiu diuum Platonem eiusque cultores magnifice honorasti. Nunc quoque honoras dum polliceris, veridicus enim vir, qualis est Bandinus, cum pollicetur præstat officium. Vale.

Consolatio in alicuius obitu.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Allio Theologo Episcopo
Volaterrano, consolationem
diuinam dicit.

SI liceret consolari eum qui cæteros consolari possit & soleat, scriberem ad te nunc Epistolam in fratrum tuorum migratione consolatoriam. Non consolabor igitur Antonium, sed precabor. Obsecro te venerãde pater per Deum ipsum vitam viuentium, vt neque tam cogites terrenam tuorum mortem quàm cœlestem eorum vitam. Neque tam voluntatem tuam sequeris quam diuinam, cui quidem facilè consentire vnica pietas est, vera sapientia & summa felicitas. Quæ cæteris necessaria aduersaque eueniunt, ei voluntaria & prospera fiunt qui cum gubernatoris omnium voluntate consentit. Sed quid ego ineptus Medicinas offero Hippocrati? Medice curate ipsum, imò te Deo committe curandum, nullum est enim, vt ipse optimè nosti, remedium contra mortis terrenæ venenum, nisi & cœlestis & supercœlestis vitæ feruens amor & consideratio frequens. Vale XXVIII. Aprilis, M. CCCC. LXXIIII. Florent.

Contra mendaces & impios detractores.

MARSILIVS FICINVS
Bernardo Oricellario viro
præstanti. S. D.

SCis fratrem tuum maximo tibi dedecori esse, quod mendax & instabilis ab omnibus habeatur, negare non possum eum esse mendacem, qui contra maiestatem diuinam, quæ infinita veritas est, venenosam linguam calamumque tam impiè tanquam insolenter exercet. De illo igitur nihil verius quàm quod sit mendax homines prædicant. Sed cur instabilem hunc hominem non inuenio, qui tam pertinaciter in suo proposito stabilis est, vt in ipsa sua instabilitate & malignitate iam consenuerit. Vel emenda vitia fraterna si potes (quanquam curare tam veterem morbum difficillimum est, & tam nefarium vitium forsitan impossibile, nunquam enim surrexit dæmon, qui cùm rebellasset à Deo semel dicitur corruisse.) Vel saltem feras æquo animo, postquam & Deus eius conuitia tolerat, fortè quia scit Deus hunc nescire quid garriat. Non obscurant (amice) virtutes tuas fraterna vitia, sed illustrant: albedo enim tua ob eius nigredinem candidius emicat. Noli igitur in bonis moribus minus ipse stabilis esse quàm frater in malis, vt tam bene agas bona, quàm bellè ille mala.

Contra mendaces & impios detractores.

MARSILIVS FICINVS
eodem Bernardo Oricellario viro
præstanti, S. D.

NOli nimium turbari, Bernarde, si ille aduersus omnes tam turpiter latrat; latrat enim canis ille pro natura & consuetudine sua, tunc latrare desinet eiusmodi rabula, cùm desinet viuere, nisi fortè etiam post mortem latratu Cerberum comitetur. Sed dic oro, Bernarde, quid latratus eius cuiquam obesse potest? Imò homines vigilantiores cautioresque reddit. Et cum vulgatissimum

sit, cum semper probis, vel propter inuidiam, vel propter dissimilitudinem solere detrahere, ille probatissimus vir habebitur, quem ille maximè improbauerit. Ego certè ab iniquo verbis mallem, quàm re ipsa vituperari. Vituperat autem re ipsa iniquus quem verbis laudat; nam ei amicus ac similis iudicatur. Detractor quisque prius sibi ipsi quàm cæteris necessariò detrahit, subit enim inuidi & maledici crimnen. O quantum abutitur lingua qui ad malum vtitur! Polluant maledictis os suum maledici, nos nostrum vicissim ne polluamus. Si fœtores abominamur, scire debemus, nihil peius olere quàm in ore detergendæ sunt sordes, sermo fœtens putidæ mentis est signum. Cauendum est igitur diligenter ne improborum contagione inficiamur. Non est curandum quid de nobis homunculi, sed quid viri, neque tantum quid viri, quantum quid veritas ipsa loquatur. Si quid obiicitur falsi, contemne, veritate confisus, si quid veri, ad emendationem tuam aduersarij conuitiis vtere. Noli ad leuissimam susurri vulgaris auram, vel prosperam, vel aduersam vllam in partem verti. Diuinus animus nulla ex re alia pendere debet quàm ex Deo. At tu, frustra conaris istum perditum emendare, neque exaudit demens rationes, neque audit, nunquam parcet probis viris impius iste, qui nunquam pepercit Deo. Quonam pacto potest insanus qui Deum odit, homines vllos, qui Dei imagines sunt, diligere? Rogas me vt eum quibuscunque possum rationibus corrigam, littus arare me iubes. Nemo infestius, nemo rursus ineptius contra res diuinas inuehitur quàm iste homuncio quem emendare me rogas, puniendus est potius Thersites iste quam castigandus. Proh nefas! impunè inuectiuas multas ore venenoso euomuit contra Deum. At quo ore? Quod ab ipso Deo laudandi Dei gratia est creatum. Non habeo in quo sæculum hoc nostrum Bernarde accusem, nisi quod portentulum istud impium produxit. Gloriosum bellum Ioui quondam à Gygantibus indictum fuisse narratur, ignominiosum summo Deo his temporibus à Pigmæis. Commendas meæ disciplinæ monstrulum miserabile, & certe si cerebrum haberet ac vires, valdè humano generi noxium. Hoc Hercules propter contemptum prætermisisset, Marsilius respuit propter fœtorem. Vale fœlix, & iube aliàs leuiora.

Quid est fœlicitas, quot habet gradus, quod est æterna.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

CVm ego ac tu nuper in agro Charegio multa de fœlicitate vltro citroque disputauissemus, tandem in sententiam eandem duce ratione conuenimus. Vbi tù nouas quasdam rationes, quod felicitas in voluntatis potius quam intellectus actu consistat, subtiliter inuenisti. Placuit autem tibi vt tu disputationem illam carminibus, ego soluta oratione conscriberem. Tu iam eleganti Poëmate tuum officium impleuisti, ego igitur nunc, aspirante Deo, munus meum exequar quam breuissimè. Tria bonorum humanorum genera numerãtur. Bona videlicet fortunę corporisque & animi. Fortunæ bona sunt pecuniæ, honor, beneuolentia, dominatio. Atque vt à primis incipiamus, pecunia non est summum bonum, vt opinatus est Mida, non enim propter seipsam, sed propter corporis vel animi commoda comparatur. Neque honor & beneuolentia, vt Augustus solebat dicere, quia in alterius arbitrio sunt, & sæpè non sentiuntur à nobis, sæpissimè præter meritum & impenduntur, & amittuntur. Neque dominatio, vt voluit Cæsar, quoniam quanto pluribus dominamur, tanto acrioribus vexamur curis, plurà subimus pericula, pluribus seruimus hominibus atque negotiis, plures hostes habemus. Bona corporis sunt, robur, sanitas, pulchritudo. Robur sanitasque non est summum bonum, vt Milo Crotoniates existimasse videtur, minimis enim offensiunculis subiicimur. Neque pulchritudo, quam Scepticus gloriabatur Herillus, nemo enim quamuis pulcherrimus sit, hoc ipso contentus viuit, & aliis potius bonum est pulchritudo quam pulchris. Animæ bona alia sunt irrationalis partis animæ, alia rationalis sunt. Irrationalis partis sunt, acumen sensuum, eorumque voluptates. Aristippus censuit in ambobus summum esse bonum. Nos in neutro fœlicitatem consistere arbitramur, non in acumine, tum quia in hoc à multis bestiis superamur, tum quia offendere nos solet acutus sensus non minus quam iuuare. Non in sensuum voluptatibus, nam ardor eas antecedit, comitatur suspicio, pœnitentia sequitur, multis longisque doloribus vna emitur breuisque voluptas. Ac tamdiu voluptatis huiusmodi vehementia durat quamdiu durat corporis

indigentia, puta eousque potus suauitas quousque sitis, indigentia verò omnis molestia quædam est. Voluptas ergo sensus, quia sæpè contrario suo id est dolori, miscetur, neque pura veraque voluptas est, neque sufficiens. Ac si quis dixerit nonnullas esse sensuum voluptates quæ indigentiam non sequantur: Respondeo, eas vsque adeò debiles esse, vt nullus in eis beatitudinem collocet. Neque audeat quispiam in habitu quodam ex acumine oblectamentisq; sensuum composito beatitudinem ponere, habitus enim huiusmodi fallax, volatilis, inquietus. Vilia oblectamenta non implent animũ, naturali quodã instinctu sublimiorã petentem. Rationalis partis animæ bona alia naturalia dicuntur, vt acumen, memoria, & prompta voluntatis audacia. In iis fœlicitas non consistit, bene enim vtentibus bona sunt, malè verò mala. Alia rationalis animæ bona sunt acquisita, vt morales virtutes & speculatiuæ. Nunquid in moribus est fœlicitas? quod Stoici & Cynici arbitrantur. Nequaquam, operationes enim moralium virtutum, ceu temperantiæ, fortitudinisq; negotiosæ atque laboriosæ sunt. In labore autem non est finis ille quem quærimus, sed inquiete, negociamur enim vt otiemur, & bellum gerimus, vt in pace viuamus. Præterea, mores non propter se quæruntur vnquam, sed tanquam medicinæ quædam ad purgationem tranquillitatemque animi referuntur. Non est autem in tranquillitate Epicurea finis vltimus. Refertur enim animi tranquillitas ad speculationem veritatis, ceu serenitas aëris ad Solis lumen. Num ergo in speculatiuis virtutibus, qualis est contemplatio veritatis, beatitudo versatur? Certè in iis ipsis. Sed alia est contemplatio, vt ita loquar, subcœlestium, alia cœlestium, alia supercœlestium. Democritus in prima speculatione finem statuit. Anaxagoras in ea quiescere noluit, quia cœlestia præstantiora sunt quam sub cœlestia, sed contentus esse volebat speculatione cœlestium. Vnde, inquit, ad illorum contemplationem genitum se fuisse, cœlumque esse suam primam affirmauit. Quod quidem Aristoteles reprobauit, quia supercœlestium consideratio dignior admodum videatur. Atque beatitudo sit summus actus summæ potentiæ circa obiectum summum. Verum alia est horum consideratio quam consequi potest animus corpore clausus, alia quam solutus. Aristoteles putauit hominem qui prima habeat esse felicem; noster Plato negauit, quoniam diuinorum consideratio in hac vita intellectus ambiguitatem voluntatisque anxietatem semper habet admixtam. Quamobrem apud Platonem beatitudo vera ad animam pertinet à corpore separatam diuina considerantem. In diuinorum genere Angeli ponuntur atque Deus. Auicenna & Algazel affirmare videntur, in Angelorum consideratione animam fore beatam. Id duabus rationibus Platonici confutant.

Ratio prima huiusmodi est: Intellectui nostro conditio hæc innata est, vt rei cuiusque requirat causam, rursusque causæ causam. Ideo non cessat vnquam inquisitio intellectus nisi eam causam reperiat cuius nulla sit causa, sed ipsa sit causa causarum, id autem solus est Deus. Secunda ratio talis. Voluntatis affectus nullo satiatur bono, quatenus putamus bonum præterea aliud superesse, solo igitur eo bono satiatur vltra quod nihil est boni. Quid autem hoc aliud nisi Deus? Quapropter in solo Deo quiescere potest intellectus inquisitio & voluntatis affectus. In Deo igitur solo hominis beatitudo consistit. Quod quidem inde prouenit, quod nulla res alibi quam in propria causa potest quiescere. Et quia Deus solus est propria animæ causa, ideo anima in solo quiescit Deo. Sed hæc latius in Theologia de Immortalitate Animorum disseruimus. Cæterum duo sunt animæ actus circa Deum. Videt enim Deum per intellectum, ac Deo cognito gaudet per voluntatem. Visionem Plato vocat ambrosiam, gaudium nectar, intellectum verò & voluntatem geminas alas quibus in Deum tanquam patrem & patriam reuolemus. Idcirco puras, inquit, animas cum in cœlum euolauerint in diuina mensa ambrosia & nectare vesci. Gaudium in ea felicitate est præstantius visione. Quia quanto magis apud Deum in hac vita meremur amando quam inquirendo, tanto maius in illa vita præmium amori quàm inquisitioni tribuitur. Meremur autem amando multo magis quam indagando, multis de causis: Prima, quia nemo in hac vita verè cognoscit Deum. Vere autem amat Deum quoquo modo cognitum qui spernit cætera propter Deum. Secunda, quemadmodum deterius est odisse Deum quam ignorare, sic melius amare quam nosse. Tertia, cognitione Dei possumus malè vti, scilicet ad superbiam. Amore eius malè vti non possumus. Quarta, qui Deum prospicit, nihil ob hoc tribuit Deo, qui autem eum amat, & seipsum & quicquid possidet, Deo tribuit. Amanti ergo se Deus retribuit po-

rius quam scrutanti. Quinta, perscrutando Deum paulum longo vix tandem tempore proficimus, amando breuissimo plurimum, ob id enim citius propinquiusque & firmius amor quam cognitio mentem cum diuinitate coniungit, quia vis cognitionis in discretione consistit magis, amoris autem vis magis in vnione, Sexta, amando Deum non solum maiorem percipimus voluptatem quam perscrutando, verumetiam meliores efficimur. His rationibus concludere possumus præmium quod amori debetur maius esse, quam quod humanæ inquisitioni accommodatur. Amanti conuenit vt re amata fruatur & gaudeat, is enim est finis amoris. Inquirenti autem vt videat. Gaudiū igitur in homine felice superat visionem. Præterea videre quærimus vt gaudeamus, non autem vt videamus gaudere. Causam assignare possumus, ob quam videre velimus, causam verò ob quam velimus gaudere, aliam præter ipsummet gaudium, assignare nequimus. Quasi propter seipsum desideretur. Non cupimus ipsum videre simpliciter, sed talia & tali quodam pacto videre vt gaudeamus. Nullum gaudium natura ipsa respuit vnquam, respuit tamen interdum cognitionem, imò etiam, si arbitramur multum fore molestam, vt oblectatio non cognitionis tantum, verumetiam vitæ sit condimentum, quo sublato, omnia videntur insipida. Plenius est gaudium quam cognitio, non enim quisquis cognoscit, idem simul & gaudet, quisquis autem gaudet, necessariò & cognoscit. Natura sicut deterius existimat dolere quàm ignorare, ita melius gaudere quam nosse. Et sicut dolorem semper & vbique propter se fugit & omnia propter ipsum tanquam summum malum, ita voluptatem sequitur propter se, & alia propter ipsam quasi summum bonum. Cum vis cognitionis, vt supra diximus, in quadam discretione consistat, vis autem amoris in vnione, propius vnimur Deo per amatorium gaudium quod nos transformat in amatum Deum, quam per cognitionem. Et sicut non qui videt bonum, sed qui vult, fit bonus, sic animus non ex eo quod Deum considerat, sed ex eo quod amat fit diuinus, quemadmodum materia, non quia calorem ignis euadit. Ratio hæc ex eo confirmatur, quod cum anima non sit ipsum bonum, ideoque bonum ipsi extra sui naturam sit quærendum, sequitur vt conuersio voluntatis, quæ extra protenditur in obiectum, verius ipso bono statuatur, quam notio intellectus quæ manet intus. Intellectus enim modo quodam imaginario obiectum capit. Voluntas essentiali instinctu transferre se nititur in obiectum. Appetitus in essentia fundatur latissimusque & perpetuus est, quæcunque enim sunt semper aliquid appetunt. Cognitio per acceptas imagines agit, paucorum est & intermissa. Possessio igitur boni per appetitus naturam magis substantialis est per cognitionis intuitum. Si Deus mentem à voluntate seiungeret seruaretque naturam vtramque seorsum, mens quidem priorem speciem retinere forsitan videretur. Esset enim adhuc forma quædam rationalis, voluntas speciem fortè mutaret. Esset enim appetitus aliquis carens rationis electione. Sed mens nullo prorsus bono vlterius frueretur, esset enim tanquam animal absque gustu, nihil sibi placeret, nihil probaret, neque alteri cuiquam, neque sibi assentiretur. Voluntas tamen adhuc suis quibusdam bonis pro viribus frueretur. Frui igitur summo bono ad voluntatem potius quam intellectum pertinere videtur. Merito voluntati conuenit finis motus, id est, felicitas, quoniam ad eam spectat motus initium. Intellectus enim cum notam pro natura rerum, qui pro natura sua res ipsas intelligat, res ad seipsum quodammodo videtur attrahere, ideoque non propriè mouere dicitur animam. Voluntas cum res appetat eo modo consequi, quo sunt in seipsis, trahit animam ad externa, Ideoque motus initium est voluntas. Finis autem motus vniuersalis extrinsecus est, qui denique tanquam forma quædam animæ sese iungit. Anima per voluntatem hoc fine maximè fruitur. Quia merces laboranti debetur. Cura verò stimulusque circa consequendum malumue vitandum est in affectu. Voluntas non modo quia magis meretur quàm intellectus apud Deum, idcirco magis Deo fruitur, verumetiam quoniam ad eam beatitudinis distinctio pertinet. Quanto enim quis ardentius amat, tanto euadit beatior, ideo ad ipsam spectat felicitatis ipsius substantia. Quid dicemus ad hoc? quod cum multo plures amare Deum ardenter possint quam clarè cognoscere, amatoria via & hominibus tutior est ad infinitum bonum quod seipsum vult quàm plurimis impertire longè accommodatior. Ad voluntatem igitur pertinet consecutio. Quid rursus ad hoc? quod liber animarum rationalium motus, & quia liber, ideo progrediens præter finitum quemlibet terminum vsque adeò meritis proficere potest, vt nonnullos etiam Angelorum beatitudine valeat superare, superare verò eos amando gaudendoque potius quam intelligen-

do valemus. Proinde cognoscendo Deum, eius amplitudinem contrahimus ad mentis nostræ capacitatem atque conceptum: amando verò mentem amplificamus ad latitudinem diuinæ bonitatis immensam. Illic in nos Deum quasi deiicimus, hic verò attollimus nos ad Deum. Noscimus enim quantum ipsi capimus. Amamus autem & quantum intuemur & quantum vltra perspicuum intuitum nostrum vaticinamur bonitatis diuinæ reliquum superesse. Vbi diuinæ infinitatis abyssum remisse quidem & obscurè prospicimus, intense tamen ardenterque amamus similiterque gaudemus. Non est, vt aliqui opinantur, visio mensura gaudij, potest enim qui parum videt, amare multum, atque contra. Denique illud est summum animæ bonum quo anima contenta est, non est autem contenta propriè ipsa visione Dei. Visio enim quæ in anima vidēte suscipitur, creata res est gradibusque perfectionis finita, sicut & anima. Non est autem anima contenta vnquam creato aliquo finitoque bono. Visio igitur non est summum. Contenta verò est anima Deo viso potius quam visione Dei. Fruitio boni in sensu, non in eo consistit propriè quod bonum moueat sensum, sed in eo quod sensus in bonum illud quod oblatum est sese reflectat, conuertatur & diffundatur. Quæ quidem spiritalis conuersio diffusioque nihil est aliud quam voluptas, vt in libro de Voluptate disseruimus. Sic in separata mente ipsa, vt ita loquar, fruitio Dei non in eo propriè quod Deus se monstrat menti consistit, hic enim Dei potius quam noster actus est, sed in eo quod mens se conuertit in Deum, quod est gaudium. Neque putandum est, animam in Dei visionem sese conuertere vt quiescat in ipsa, sed in Deum visum, vult enim visionem propter visum, quod etiam ipsi tanquam forma coniungitur. Sicuti neque gustus in gustationem saporis, sed in saporem gustatum se dilatat. Gustationem enim propter gustatum cupit. Appetitus nullus rem imaginariam quærit, sed substantialem, alioquin sufficeret appetenti absentis boni memoria atque imaginatio. Visio autem Dei in nobis imaginaria res est, & vt supra dixi finita. Quocirca voluntatis actus, qui est in Deum infinitum conuersio substantialisque diffusio, rationem infinitatis magis habet quàm actus intelligendi, qui est Dei notio quædam pro mentis capacitate. Summum igitur bonum Deus est. Beatitudo autem fruitio Dei, fruimur ideo per voluntatem. Quoniam per eam amando quidem mouemur ad Deum, gaudendo verò dilatamur conuertimurque in Deum. Fruuntur autem varij animi variis Dei virtutibus & ideis. Quisque enim ea virtute potitur in primis quam in hac vita dilexit præ cæteris, atque est pro viribus imitatus. Toto autem Deo fruuntur omnes. Totus enim in singulis est ideis. Sed totum Deum præstantius possident qui eum in præstantiore idea conspiciunt. Quoniam verò quisque & Deo toto pro sua capacitate potitur & eo modo quo amauerat fruitur, ideo, vt Plato inquit, liuor abest à diuino choro. Cùm enim omnium iucundissimum sit re amata potiri, quilibet in eo potiundo quod amauerat contentus plenusque viuit, quippè si amatores duo suarum delitiarum compotes fiant, vterque in amati sui possessione quiescet, neque curam quidem vllam habebit num alter pulchriore potiatur amato. Adde, quod quamuis illic alij aliis capaciores sint, tamen quisque ad summum suæ capacitatis exuberat, quo fit vt nihil vltra requirat. Adde, quod amatorio quodam affectu voluntati distributionique diuinæ iustitiæ quilibet illic cedit quam libentissime.

Amoueri autem à Deo beatus animus nunquam potest. Neque enim vi id fieri posse dicendum est. Nam vnde violentia inferri potest in animam ab infinita Dei potentia comprehensam? Neque sponte, cùm enim voluntas non moueatur ad aliquid nisi ratione boni, postquam semel hæserit ei in quo tota est boni ratio, idque cognoscit, nunquam inde mouetur ad aliud. Et quia natura boni est, sibi appetendi vim applicare, sequitur vt infinitum bonum applicet absque fine. Rursum, quia voluntas eatenus quiescit in aliquo, quatenus existimatur bonum, in bono infinito sine fine quiescit. At, si anima dum in corporis motu versatur, fœlicitatem eligit omnis mutationis expertem, multo magis quando fuerit super motum. Neque inferiores animæ partes diuertere inde possunt superiores, cesserunt enim illis in æternum, quando in infinitum Dei statum anima sese vertit. Denique, si separandus illinc quandoque animus est, siue id nesciat, non est beatus, quia videlicet est ignorans, siue sciat, non est beatus, quoniam timidus atque æger. Semper ergo fruitur Deo, qui semel fruitur. Lege fœliciter, Laurenti fœlix, quæ Marsilius Ficinus tuus hîc breuiter magna ex parte à te inuenta de fœlicitate perstrinxit, sic enim requirit Epistola, latissimè verò hæc ab eo in libris de Amore & in Theologia tractantur. Vale.

Oratio ad Deum Theologica.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Oricellario viro præstanti, & amico suaui, S. D.

NIhil mihi suauius super homines quam cum Deo loqui. Nihil mihi suauius inter homines quam loqui tecum, quæ tecum loquor, Deus audit semper vitæ dux & amicitiæ nostræ conciliator. Quæ cum Deo sæpè loquor ipse nunc audies. Vtor hac oratione, Oricellari, ad Deum quotidie, vt Deus meæ fulgeat menti, & faueat voluntati. Vtere, & aliquando nisi forte quid melius habes, nemo est enim cui magis optem Deum fauere quàm tibi. Audiui quandoque Laurentium Medicem nostrum nonnulla horum similia ad lyram canentem, furore quodam diuino, vt arbitror, concitum. Sed orationem iam audi. O lumen immensum te ipsum videns, in te videns omnia! ô infinite visus te ipso lucens, illuminans vniuersa! ô spiritalis ocule, quo solo & quem solum spiritales vident oculi! ô immortalis videntium vita! ô videntium omne bonum! Bonum quod totum imples amantium desiderium, desiderium nobis totius boni tu Deus solus accendis, qui solus es totum bonum. Obsecro te, lux purissima, per teipsā purga, obsecro caliginosam aciem, qua te cernam, quæ gelidum cor inflammas, quo te sitio. Amplifica angustum oculum, quo te conspiciam, quæ humilem pupillam erigis vt suspiciam. Penetras enim penetralia mea, ô profunditas profundorum, sublevias quoque sublimia mea, ô sublimiū sublimitas omnium. Quid intima mea penetrat? Quid mea summa tollit? Mirabiles certè mirabilis bonitatis pulchritudinisque tuæ radij, per mentes, per animas, per corpora mirabiliter vsquequaque diffusi. His igitur afficis me vel inscium, his, inquam, allicis, me cogis, vris, quantum ô species singulares! ecce iam ecce ad te propero anhelans, vnica pulchritudo. Sed claudicat, ah nimium amator hic tuus, claudicat heu miser, porrige precor claudicanti piam, spes mea, manum. Duc oro quem allicis, excipe quem cogis, refrigera quem vris, quem angis oblecta, oblectabis iam spero tuum hunc mirificè, ô mirum gaudium, ô fons omnium gaudiorum. Scio equidem in te vno, imò te vnum esse, quicquid vsquam desideramus, si placet bonum hoc nobis, si placet bonum illud, non quia hoc videlicet aut illud, sed quia bonum profecto bonitatis cupimus in singulis qualitatem, si salutaris liquor per singula vbique diffusus ex vnico bonitatis fonte manat, qui in seipso viget, exuberans super singula proculdubio bonitatis ipsius fontem bibere exoptamus, ô fons perennis bonorum omnium, te, te sitimus vbique. Ideoque non extinguit sitim bonum hoc nobis aut illud, neque rursus hoc simul atque illud, quatenus rectè vaticinamur esse bonum ipsum super bonum hoc & bonum illud. Tu ergo Deus noster, tu solus sitim hanc extingues ardentem, tu inquam omnis boni bonum, ne frustra tuos omnes tamdiu tantum sitire compuleris, ô mens prima procul ab omni dementia, ô sapientia prima sine vlla insipientia, quam nihil latet eorum quæ efficis sapienter. Quæ nihil contemnis eorum quæ benefica efficis voluntate, efficis autem omnia Nunquid minima quæque terrenorum curas? omnino, quæ ipsa te non curant. Nunquid curas minima, hæc & pascis & imples? Nos verò despicis solos, qui soli in terris, tuam non despicimus maiestatem. Nos inquam solos inquietos semper errare permittis, qui soli in te solo quiescere posse confidimus? Absit à summa beneficentia ingratitudo malefica. Absit à summa veritate deceptio. Decipis nos nimirum, decipis heu miseros, si tuis aculeis saucios compellis tibi anxiè suspirare quotidie, neque sanas vnquam, si iubes temporalia pro te colendo relinquere, neque pro temporalibus æterna retribuis, si sedulos hos tui cultores miseriorem in terris quam bruta vitam agere statuisti, neque vitam eis in posterum seruas beatiorem. Seruas autem nobis eam vt assiduè speramus omnes, ô mundi seruator, ô salus humani generis vnica, vnicumque refugium, quo cum omne homini bonum, sine quo nihil bonum. Nempè quæ admodum clara intelligentia tua & charitas ardens intelligentiam & voluntatem nostram ad te inspiciendum amandumque illuminat accenditque, & format in ipsam, & vnit ipsi, sic æterna vita tua, vitam nostram perpetuo in ipsa viuificat. Et quibus tributa est intelligentia immortalium, capax voluntasque mortalibus imperans, multo prius magisq; vita conuenit immortalis. Cuius quadam virtute æternitati coniuncta, seiuncta à temporis passionibus tam mens æterna capit quam eius affectus temporalibus dominatur. Sic enim & quisque animi actus modo suo attingit æternitatem voluntas volendo, intelligentia intelligendo, vita viuendo. Et æternitas ipsa quæ posterioribus actibus animæ se communicat, priori iam actui qualis vita est seipsam communicauit.

Facies

Facies ergo nos quandoque pater optime, tum hæreditario iure tùm munere, tuæ beatitudinis compotes. Fac oramus participes insuper in præsentia, fac & istud, si placet, fac oramus. quod si nondum placet istud quia nondum meremur, præsta saltem ne aut fallacibus mundi huius irretiamur illecebris aut minis & ictibus succumbamus. Miserere nostri pater indulgentissime, filiorum miserere tuorum, foue tuos, & recrea quos creasti, ex te enim solo nati sumus, quando tu solus intellectum affectumque nostrum integra veritate tua & bonitate potes implere. Ergo filiorum miserere tuorum procul à cœlesti patria in hac silua plena miseriis exulantium. Miserere tuorum quæsumus, tibi passim diebus & noctibus tanquam patri & patriæ suspirantiũ, vbi patria, ibi quies, ibi verum bonum, vbi exilium ibi inquietudo, ibi falsum bonum, ibi verum malum. Nos vero tunc solum in vita parumper & à malis semoti viuere, & boni aliquid veri quietisque degustare nobis ipsi videmur, cum tibi parumper vel mentis intentione vel affectu pietatis hæremus. Abige igitur à nobis, pater alme, longè quicquid nos à te longe seiungit, diffidentiam, desperationem, tepiditatem. Da rursus quæ tibi nos iungant, alme pater, fidem veram, spem firmam, ardentissimam charitatem. Ne forte à te segregati, vita vitarum, lumine luminum, atque nobis ipsi relicti, statim in exteriores tenebras tanquam mortui delabamur. Sed vt tibi pie viuamus quoad fieri potest, & qui sedulo tibi vixerimus, te quoque ipso viuamus semper & luceamus, fulgeamus simul atque flagremus, ardeamus simul & oblectemur, gaudeamus fœliciter absque fine desideriorum nostrorum penitus infinito.

Infinitam pulchritudinem tuam infinitè amemus sine anxietate. Infinito rursus bono in æternum sine vlla satietate fruamur.

Quod soli virtuti Deoque confidendum & seruiendum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Saluiato, S. D.

SI quis diuturni silentij mei causam fuisse putat obliuionem, errat, ego enim tantum tibi debere fateor, vt non prius tui quam mei obliuisci possim. Sciebam equidem non decere minima quæque scribere ad virum multis negotiis occupatum: optabam igitur aliquid in rebus tuis magnum, idque indies expectabam, cuius causa congratulatorias ad te literas scriberem.

Nondum quicquam voto meo & merito tuo dignum video contigisse. Confide Saluiate Deo, scio te non esse ad parua vel mediocria natum. Bono igitur &, vt soles, magno animo esto. Iam enim magna consequutus eris, si magno animo fueris. Omnino autem piorum spem Deus clementissimus non frustratur. Obitum vero Petri Cardinalis nostri quid deplorem? Nos quidem immortalis Deus non deseret, & si mortalis homo deseruit. Petrus autem iunior in prosperitate decessit, vt opinor, ne fortè obiret in senectute miserior. Prorogatio vitæ & si interdum morum emendatio est, sæpe tamen præteritæ prosperitatis abrogatio vel derogatio. Multum Saluiate vixit, quisquis id quod vixit multum apud homines, meritus est plurimum apud Deum. Qui nondum satis ingenio & virtute profecit, quamuis centum impleuerit annos, nondum satis vixit, denique, vt paucis absoluam, nemo diu feliciterque viuit, nisi qui beatitudini viuit æternæ. Vale mi Francisce, semper illius memor, quod sæpe iam te Deus admonuit, neque esse fortunæ, vel homini confidendum, neque seruiendum esse nisi illi qui nulli seruit, qui neque fallere vult vnquam, neque falli potest, cui deest nihil, qui nihil deesse suis vnquam patitur, iterum vale. Ioannes Caualcantes noster se tibi commendat.

Qualis debeat esse imitatio.

MARSILIVS FICINVS Baccio Martello, S. D.

LEgi orationem illam Bernardi Nuthij rhetoris ad Laurentium Medicem virum doctum atque magnanimum. Tullium iam pridem noster Nuthius ebibisse & concoxisse videtur. In ea oratione mira quadam vicissitudo perspicitur, nam illic & Nuthius Tullianus est & Tullius Nuthianus apparet. Talis quædam inter Homerum atque Maronem, rursus inter Aristotelem & Theophrastum, fuisse videtur vicissitudo. Perseuera igitur in Bernardi nostri familiaritate, hic enim clarus est rhetor, adde & optimus, quæ enim persuadere docet, ipse sibi iam persuasit. Vale.

Sæpe magna est laus quæ breuis est.

MARSILIVS FICINVS Bartholomæo Scalæ Oratori, S. D.

LEgi quæstiones Christophori Londini ad Camaluulẽses. In iis libris Maronis adyta penetrat, Ciceronis Dialogos imitatur ad vnguem, felicem virum fabricat felicissime. Lege illos & tu, scio mecum senties. Vale Sed quare in laudando Christophoro tàm breuis es Marsili? Quia habet nescio quid quod exprimere nequeam. Iterum Vale.

Qui fauet bonis, sibi fauet.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

PAgo tibi, si Paci docto & bono sacerdoti fauebis, fauebis & mihi. Cum enim viri boni & amici agitur res, res agitur nostra. Vale.

Quæ sit petitio & commendatio iusta.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

MVlti à te digniora se petunt, Gregorius Epiphanius longe dignior est his quæ postulat. Et si nobis amicissimus est, tamen propter eius virtutem magis quam propter amicitiam eum tibi commendo. Nam propter virtutem est amicus. Vale.

Institutio breuis Episcopi.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Nicholino Archiepiscopo Amalphiensi, S. D.

MEmini cum adhuc puer esses, atque vnà cum Cherubino Quarqualione doctissimo præceptore tuo nostram Academiam salutares, consuluisse me tibi vt cum primum ætas pateretur, diuinas literas legesque capesseres, deinde sacris initiareris. Idemque patrem tuum Octonem iurisconsultum equitemque præclarum sæpe numero rogauisse. Quoniam & astronomia te magnum in religione virum, & physionomia legitimum tum literis tùm moribus sacerdotem mihi fore monstrabat. Eccce nunc, quod rarissimum est, in vigesimo quinto ætatis tuæ anno Archiepiscopus Amalphiensis regio fauore felicibusque auspiciis es constitutus. Quamobrem & tibi vero Archiepiscopo & mihi quasi vati cuidam, optime mi Ioannes, summopere gratulor, non tàm quod Astronomiæ quam quod Physionomiæ iudicium impleuisti, ex illo quidem ad Dei Vicarium, ex hoc autem ad Deum ipsum potes accedere. Reliquum est vt quod in tam tenera ætate, adiuuante Deo tam prospere es consecutus, feliciter exequaris. Quod quidem ita demum efficies, si semper memineris te hominem esse, & quę sine Deo adipisci non potuisti, non posse absque Deo vel recte gubernare vel feliciter possidere, si te illi pia mente optimisque operibus sedulo commendaueris, si in omnibus consulueris seniores viros atque probatos, si non quod libet, sed quod licet, non quod irrationalis affectus blande mentitur, sed quod diligentissima ratio metitur, elegeris. Si memineris pastorem verum tam egregium virtute esse oportere, vt subiecto gregi virtutum omnium sit exemplar. Alioquin pastoris vitia gregem inficiunt, & vitia gregis in pastoris infamiam perniciemque redundant. Verum quid opus est, vt Marsilius instruat Archiepiscopum? Satis hunc, vt literæ moresque declarant, Pauli Apostoli Epistolæ instruxerunt. Vale felix.

Laus Philosophiæ oratoria, moralis, dialectica, Theologica.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo iurisconsulto equiti, doctrina & authoritate, præclaro Venetorum oratori, S. D.

QVæris quam ob causam cum res multas passim artesque laudauerim, Philosophiam tamen cuius studio semper incumbo, nusquam sim laudibus prosecutus. Item forte superioribus diebus Ioannes Caualcantes meus Achates interrogauit. Ego autem respondeo, primum inuenta hominum ab hominibus posse quandoque pro dignitate laudari, Philosophiam verò inuentum Dei longè admodum humanam eloquentiam superare. Deinde in singulis rebus & artibus celebrãdis me philosophiam rerum omnium inuentricẽ artiumque magistram celebrauisse. Siquidẽ nõ nisi eius virib. orationibusq; singula digne laudamus, & quãtũ queq; facultas philosophiæ virtutis & dignitatis est particeps,

tantum laude dignam eſſe cenſemus. Sed quoniam noſtra hæc mater & nutrix propriam à nobis aliquando declamationem iure optimo videtur exigere, hinc iam, ſi placet, exordiamur.

Laus Philoſophiæ oratoria.

O Vitæ Philoſophia dux! ó virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, ſed omnino hominum vita ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitę conuocaſti, tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione iunxiſti, tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. At quonam inſolens præptergreſſus ſum? oratoriam modo Tullianamque cantilenam neſcio quo modo incæptabam. Suauis nimirum huiuſmodi melodia. Quoniam verò Philoſophiam quæ tam cantus cuiuſque quam rei canendæ regula eſt, non aliter quam Philoſophicè cantare debemus, ludum hunc ab alio initio repetamus.

Laus Philoſophiæ moralis.

SI Philoſophia veritatis ſapientiæque amor ac ſtudium ab omnibus definitur. Veritas autem & ſapientia ipſa ſolus eſt Deus, ſequitur vt neque legitima Philoſophia quicquam aliud quam vera religio, neque aliud legitima religio quam vera Philoſophia verborum proprietas partim à rerum, partim à notionum proprietate deducitur, quod Plato, Ariſtoteles, Varro, Aurelius Auguſtinus ſubtiliſſimè diſputant, certè Philoſophia rerum indagatrix inuentrixque notionem, Grammaticam recte loquendi & ſcribendi regulam peperit. Si animorum naturam, operationum vim, operum formam, locorum diſpoſitionem, temporum opportunitatem, Philoſophia vel ſola vel maximè omnium nouit, hæc nimirum Oratores docuit quid, quaue ratione, & cui, & quando perſuaderent. Poëtas quoque quo pacto quæque deſcriberent, mouerent affectus, animos delectarent, ex iis etiam ſequitur vt neque Hiſtorici ſine huius auxilio dignitatem ſuam ſeruare potuerint. Hæc animam ciuitatibus tradidit, quando ad cœleſtium diuinarumque legum ſimilitudinem terrenas humanaſque leges excogitauit. Hæc corpus peperit ciuitatis & auxit, quando agriculturam, architecturam, medicinã, peritiam militarem, cæteraſque omnino quę vel ad victum, vel ornatũ, vel defenſionem pertinent facultates exhibuit. Hęc denique miſeriam à mortalibus præ cæteris amouet, felicitatẽ vero largitur. Quandoquidẽ bona diſcernit à malis. Et quo pacto mala vel caute deuitare ne obſint, vel fortiter ferre vt minus obſint valeamus, oſtendit. Monſtrat præterea quomodo bona facilius conſequamur, atque etiam qua ratione bonis tum à natura fortunaue datis, tum per induſtriam acquiſitis, recte vtamur vt proſint. Volebam hic optime mi Bernarde iam Epiſtolæ finem imponere, ne in præſentia ſim prolixior quam conſueuerim. Scis enim ipſe quantum nobis prolixitas, præterquam in Platone noſtro cœleſtis eloquentiæ fonte, diſpliceat. Sed reclamat ecce nimium diua matrona quam præ cæteris veneramur. Ergo, ſi placet, quam adhuc orationem hæc à nobis poſtulet, imò vero nobis porrigat, audi.

Laus Philoſophiæ Dialectica & Theologica.

PHiloſophia Dialecticis inſtrumentis manu propria fabricatis vtitur, ad verum in rerum ſpeculatione, ad honeſtum in rerum vſu, ad bonum in vtriſque inueſtigandum. Vnde multa tradit ad ſpeculandum principia, multa ad agẽdum præcepta, inſtituta multa ad vtrumque communia, è communibus autem id mihi videt præcipuum quod adducam. Finis tanquam Dominus præſtantior eſt iis quæ tanquam miniſtra quædam referuntur ad finem. Ac ſemper quæ præſtantiora ſunt fines ſunt reliquorum. Seruiant igitur oportet ac decet externa & mortalia corpora, corp. animæ, ſẽſus rationi, ratio actiua ſpeculatiuę ſpeculatio Deo. Hinc efficitur vt artes omnes quæ ad externa, corp., ſenſum, actionem pertinent, ſpeculationi tanquam reginæ cedere & obſequi debeant, & merito. Propria enim Dei eſt huiuſmodi operatio. Non indiget certo vel inſtrumento vel loco, non ſeruit externis, maximè omnium continua eſt, imò perpetua. Obiectum ſuum ſempiternum & vbique præſens pro arbitrio vbique complectitur. Ac ſi vita actus quidam eſt & vbi magis actus ibi magis eſt vita, certè contemplationis actus tanquam cæterorum omnium tam dignitate quam perſeuerantia excellentiſſimus, maxima quædam eſt & eminentiſſima vita; adde omnium ſuauiſſima. Non enim, ſicuti ſenſus, impura, falſa, volantia oblectamenta ab intrinſecis rerum imaginibus mutuatur, ſed veras & ſempiternas rerum rationes naturaſque intus affatim poſſidens purè, verè, ſtabiliter puris, veris, ſtabilib⁹ paſcitur atq; gaudet, gaudet,

inquam, infinito penitus infinitè, siquidem quod est maximum, huiusmodi vita Dei vitæ proxima in eius imaginem exactissimam transformatur. Deus igitur est humanæ contemplationis lux simul & oculus, contemplatio autem lux & oculus actionis. Et si oculus huiusmodi ociosus esse videtur, tamen absque illo male ociosa ac pessimè negotiosa & omnino obscura miseraque sunt omnia. Ad eius autem nutum singula feliciter operamur. Hanc vitam in summo rerum culmine collocatam & sine controuersia beatissimam, Philosophia sagax mortalibus tùm proprio quodam oculo tum dialecticæ suæ digito monstrat. Ducit quoque ad eam, vt arbitror gradibus præcipuè quatuor, moralibus, naturalibus Mathematicis, Metaphysicis.

Diuinus Plato cœlestem & immortalem animam mori quodammodo putat, quando terrenum & mortale corpus ingreditur, reuiuiscere cum egreditur. Egredi autem quodam meditationis studio priusquam egrediatur lege naturæ, quando Philosophia humanorum medicina morborum animulam pestifero vitiorum cœno sepultam, moralibus pharmacis purgat & suscitat. Deinde naturalibus quibusdam machinis ex infimo subleuans per omnia passim quæ ex elementis quatuor componuntur, perque ipsa quatuor elementa ad cœlum vsque perducit. Tum scalis Mathematicis gradatim præstat sublimem ad summos cœli globos ascensum. Demum quod supra quam dici possit mirabile est, vltra cœli verticem ad ipsum cœli mundique totius fabrum metaphysicis alis attollit. Ibi anima, Philosophiæ munere, non modo felix euadit, verum & cũ fiat, vt ita dicam, Deus, quodammodo fit ipsa felicitas. Ibi omnes mortalium res, artes, negotia cessant, sola ex omnium numero sancta restat Philosophia. Ibi nihil aliud vera beatitudo est quã vera Philosophia, quippe cum hæc, quemadmodum à sapientibus definitur, amor sapientiæ sit. Summam verò illic beatitudinem in quodam voluntatis affectu, qui amor gaudiumque circa diuinam sapientiam est, consistere arbitramur. Quod autem Philosophiæ beneficio animus quandoque Deus quidam euadere possit, ex eo coniicimus, quod dum ea duce omnium paulatim naturas intelligentia comprehẽdit, & eorum formas penitus induit, voluntate insuper singulis partim fruitvr, partim etiam dominatur, quodãmodo efficitur omnia. Atque dum hac ratione fit cuncta, paulatim Deus, qui fons & Dominus est cunctorum, efficitur. Profecto Deus & intra se & extra se perficit vniuersa. Mens quoque viri legitimè Philosophantis, quasi Deus quidam, intra se vniuersorum veras sempiternasque concipit notiones. Sed nunquid humanam mentem extra se, singula facere posse dicemus? Vt omittam quod ingenium philosophicum occulta Dei omnipotentis opera, cogitatione, verbis & literis manifesta, instrumentis variisque materiis examussim imitatur & exprimit. Vnum hoc animaduertendum in primis existimo, quod artificis solertis opus artificiosissimè constructum non potest quilibet qua ratione quouè modo sit constructum discernere, sed solum qui penè eodem pollet artis ingenio. Nemo enim discerneret quo pacto Archimedes ille Philosophus sphæras constituit æneas eisque motus motibus cœlestibus similes tradidit, nisi simili etiam ingenio præditus. Et qui propter ingenij similitudinem discernit, is certe posset easdem constituere postquam agnouit, modo vel instrumentum vel materia non deesset. Cum Ergo Philosophus sphærarum cœlestium ordinem, vnde moueantur, quo progrediantur, & quibus mensuris, quidue pariant, viderit, quis neget, eum esse ingenio penè eodem quo author ille cœlorum? Ac posse ipsum quodammodo cœlos & quæ in eis sunt facere, si instrumenta nactus fuerit materiamque cœlestem. Postquam facit eos nunc, licet ex alia materia, tamen persimiles ordine. O mirabilis nimium architecti cœlestis intelligentia, ô æterna sapientia solo summi Iouis capite nata, ô infinita rerum veritas atque bonitas, sola totius mũdi regina, ô veridicum & benignum intelligentiæ lumen, ô salutaris voluntatis ardor, ô beneficũ nostri cordis incendium, illumina nos, illumina vsque adeò & accende precamur, vt lucis tuæ, hoc est veritatis sapientiæque amore penitus ardeamus. Hoc enim solum est, proh Deus omnipotens, hoc solum est verissimè sapere, solum beatissime cum Deo Deumque viuere. Quicunque procul radiis tuis aberrant cum nihil vnquam sincerè discernant, fallacibus rerum vmbris passim decepti atque perterriti tanquam horrendis quibusdam insomniis sub perpetua nocte miserabiliter vbique vexantur. Quicunque tecum sedulo viuunt, cum soli res veras, æternas, immensas, sub radiis tuis perspiciant, diligant, amplectantur, quicquid tempore locoue clauditur minimum quiddam vmbræ somnium existimant.

Quo fit vt terrenarum rerum vel cupiditate vel metu è ſumma cœleſtis felicitatis arce deturbari non poſſint. Satis iam mi Bernarde, quantum Epiſtola patitur à Marſilio tuo declamatum eſſe cenſeo. Vale ergo feliciter patrone Philoſophorum. Atque vt hactenus feciſti in beatis ſanctæ Philoſophiæ vlnis continue viue. Viue etiam precor Ioannis Caualcantis Marſiliani cordis aſſidue memor.

Gratia Iubilei.

Franciſcus Cardinalis Senenſis Marſilio Ficino Florentino Platonico Philoſopho, S. D.

MArſili chariſſime, ſalue. Tui memores & ſalutis perpetuæ tuæ tuorumque cupidi, impetrauimus à ſummo Pontifice gratiam Iubilei pro te tuiſque annoſis parentibus. Da igitur laudem Deo, & cum tuis ſenibus incomparabilia diuinæ gratiæ munera tota mente capeſſite. Et pro nobis orate. Vale optime noſtri memor. Romæ die IV. Decembr. M. CCCC. LXXV.

Gratiarum actio.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Franciſco Cardinali Senenſi, pro immortali munere immortalem Salutem dicit.

CVm felicem Epiſtolam tuam qua Iubilei gratiam nobis à Pontifice impetratam ſignificas, ego vnà parenteſque mei legeremus, non minori gaudio affecti ſumus, quam qui beatiſſimam vocem illam audituri ſunt: Venite benedicti patris mei. Igitur pater repente præ cæteris exclamauit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Tu autem quam magnificus donator es, tàm iuſtus, tamque prudens videris exactor, æterna donas, non temporalia, non temporalia à nobis exigis, ſed æterna. Nempe mandas vt pro tua ſalute Deum oremus, iubes certe iuſtiſſime, debemus enim etiam multo magis quam iubeas. Iubes & prudentiſſime, prius enim quam vt oremus mandares, operam dediſti ne inutiliter oraremus, efficiemus ergo quod imperas, venerande pater, quamdiu viuemus. Et proculdubio ita libenter ſingulare diuinumque donum & ipſe largitus es, & nos accepimus. Tu vero ſcito nos exiſtimare palamque fateri, cui vitam debemus æternam, multo magis temporalem vitam temporaliaque cuncta debere. Vale felix in authore fœlicitatis Deo.

Ocioſæ vitæ vtilitas.

MARSILIVS FICINVS Andreæ Cambino arcis cuſtodi, S. D.

CVm in foro vnà cum præclaro viro Franciſco Caſato noſtro deambularem, reddita mihi eſt elegans Epiſtola tua, qua ſignificas te iam in arcis iſtius cuſtodia ocioſam vitam inſtituiſſe, atque in eo vitæ ſtatu cætera quidem tibi adeſſe ad votum, ſola verò diuina deeſſe, idcirco rogas vt religionem noſtram Franciſco Berlighierij filio literis moribuſque ornato demus ad te mittendum. Primum quidem probo quod ais in arcis culmine te ocium reperiſſe, nempe in ſumma ſerenæ mentis ſpecula ſolum Eliſea illa felixque tranquillitas reperitur. Infima ſenſuum vallis vndique Cherontis, Stygis, Cocyti, Phlegetontis, fluctibus agitatur.

Quod autem ſubiungis tibi in eiuſmodi ocio humana affatim ſuppeditari, diuina nequaquam, hoc equidem non mirari non poſſum. Nam cætera, vt ſcis, cum & extra nos & alicubi ſolum poſita ſint, motu, negociis, labore quæruntur, diuina verò cum & intra nos ſint & vbique, quiete, ocio, tranquillitate comprehenduntur. quamobrem ſi re vera ocioſus es, vt ais, nihil minus habes quam humana, quæ nimium negocioſa ſunt omnia, nihil rurſum magis habes quam diuina, quorum immenſa lux vbique lucens toties refulget in perſpicuum perſpicacemque mentis oculum, quoties ad illam rite conuertit. Conuertitur autem ad illam ſuapte natura tanquam diuinus cum primum ab ea humanorum negociorum perturbationib. non auertitur. Forte verò ad Solem conuerti diuinum nihil aliud eſt quam non auerti. Quid ergo religionem noſtram quæris, chariſſime compater? Satis iam religioſus es, vt arbitror, ſi per ocium ſolutus ab infimorum curis ſummorum tranquillitati per naturam es religatus.

Sed ecce mihi nunc inter ſcribendum ſuccurrit quid meus compater cupiat, Quam ob cauſam formoſi homines magis admodum quam deformes ſpeculis delectentur nullus ignorat. Igitur Cambinus noſter, vtpote qui iam abunde religioſus euaſerit, librum noſtrum diuina tractantem quaſi ſpeculum appetit in quo religionem ſuam tanquam ſpeciem propriam ſpeculetur. Mittam hoc meum cum pri-

mum potero speculum. Imò verò, vt rectius nominem, pupillam hanc meam in te dirigam, in qua aspiciens te simul ac clare discernas. Qui enim corde viuunt vno, pupilla quoque vident vna, in vna etiam pupilla videntur. Sed ne multo longior in præsentia sim quam soleam, Vale. At video te vtpote Marsilij amantissimum vt melius valeas nolle tam cito valere. An desideras Epistolam sicuti solent qui longè amant paulo insuper longiorem? Ergo accipe vnde valeas melius à communi nostrum amico salutem. Paulus Saxia vir doctus saluere te iubet. Iam igitur bene Vale.

De perseuerantia.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Soderino, S. D.

DIc age, suauissime mi Soderine, quid scribam? An latissimè ingenium tuũ & mores doctrinamque laudabo? Nequaquam, nam in re omnibus manifesta nihil opus est testibus. Antè forte ad pretiosissima ciuilium legum studia vehementius adhortabor? Neque id quidem, qui enim vltro properantem stimulat, non præcipit, vt arbitror, sed præcipitat. Ergo non vt celerius curras vrgebo, sed potius precabor vt pergas. Sane non in carceribus currentium præmium, sed in calce locatur. Cursum aggredi cuiuslibet est vel ignauissimi, peruenire vero perpaucorum. In sementis principio spinæ saxaque minantur, in medio blandissimi flores arrident, in fine fructus suauissimi colliguntur. Non qui serit, sed qui segetem colit & metit, fœlix est agricola nuncupandus. Soderinum vero nostrum agricolam breui felicem futurum existimo. Durus huic sementis labor iam diu præteriit & asperior hyems, ver iãpridem floridum agitur, in diem fructifera æstas aduentat. Cura igitur tuam valetudinem diligenter, vt dulcibus agriculturæ tuæ fructibus vesci suauissime valeas. Vale. At cur ad eum, quem tàm multum amo, in præsentia scribo tàm pauca? quia etiã dum videmur absentes pro mutuo inter nos amore plurima inuicem die noctuque confabulamur. Præterea Hieronymus Amatius tuus, & quia tuus idcirco meus, communis nostræ beneuolentiæ nodus, qui ad Pisanum gymnasium proficiscitur, coram multa narrabit. Iterum Vale.

Solus diuinus medicus curare morbos animi potest.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Cardinali Senensi, S. D.

NVper Venerande pater ob egregij cuiusdam amici iacturam graui mœrore premebar, neque solari mœrentem poterat cithara caliope sua, sæpe mihi aliàs lenimen dulce laborum. Minerua etiam me, nescio quomodo, destituerat. Nisi enim parumper indomitum clypeum amouisset, nunquam aut rigidi Saturni aut sæui Martis tela miserum vulnerassent. Solus autem restabat Phœbus, id est, diuinus medicus, qui curare posse morbum animi videretur. Quorsum hæc? Nempe tu meam hanc iniquam sortem diuinans, venerande pater, aliter enim scire non poteras, opportunè admodum misisti ad Marsilium tuum Epistolam amoris gratiæque plenissimam, qua gratias tibi agi ob accepta summa abs te beneficia prohibebas. Et, vt verius loquar, non Epistolam, imò saluberrimum diuinumque pharmacum porrexisti, mannam, nectar, ambrosiam. Qua quidem siue medicina, siue potius alimonia recreatus animus reuixit, respirauit, resipuit & conualuit. Ergo posthac tu mihi Phœbus eris, mea te semper cithara canet, singularem tranquillitatis animi authorem. quam Democritij Philosophi tanti fecerunt, vt in ea sola tàm diuinã quam humanam beatitudinem collocarent. Atque hæc quidem tranquillitas in his qui magna gerunt ideo minima esse solet, quia & illi minimi sunt in magnis, Phœbum vero meum tranquillitatis portum & magna decent & maxima manent, quoniam in magnis est maximus.

Vicissitudo amoris vnde nascitur.

MASILIVS FICINVS
Amerigo Corsino, S. D.

PRouerbium, Corsine, illud, (si vis amari ama) vndenam maximè vim suam accepisse putamus? Si ab amore ipso rationem huius prouerbij sciscitabimur, forsitam respondebit, se vsque adeò liberum pretiosumque esse, vt neque velit neque valeat alio vllo emi vendiue pretio nisi se ipso. Si autem virum quendam reuera amantem amicumque interrogemus, ita respondebit, vt arbitror. Quisquis vehementer amat se ipse sibi aufert quodammodo deditque amato. Hunc ergo amatus modo sanæ mentis sit, tanquam rem suam curat. Charissima enim sua cuique esse debent, scit etiam, vt par pari referatur, hominem deberi pro homine, pro voluntate; scilicet voluntatem. Accedit quod qui amat, figuram eius quem amat suo sculpit in animo, fit itaque amantis animus tanquam speculum quoddam in quo ama-

ti relucet imago. Idcirco cum in amante ſe amatus agnoſcat, amare illum compellitur. Quod ſi à natura quæramus illius prouerbij veritatem, ſic nos fortè docebit: Amorem ſemper procreat ſimilitudo. Similitudo autem natura quædam eſt in pluribus eadem, nam ſi hic illi ſimilis eſt, ille quoque huic eſt neceſſariò ſimilis. Eadem ergo ſimilitudo quæ hunc vt illum amet compellit, illum quoque ad hunc amandū adducit. Similis enim aut in geminis fidibus aut duabus citharis temperatio efficit, quemadmodum nos quotidie experimur, vt quotiens altera pulſatur, totiens moueatur & altera. Si præceptores huiuſmodi aut non ſatisfaciunt, aut minus forte declarant, conferamus iam nos ad Philoſophos, mi Corſine, & quam potiſſimum mutui huius affectus cauſam afferāt audiamus. Mutuam inter illos ben uolentiam eſſe Aſtrologi arbitrantur, in quorum geneſi luminum, id eſt, Solis & Lunæ commutatio fuerit, videlicet ſi me naſcente Sol in Ariete, Luna in Sagittario: te naſcente Sol in Sagittario, Luna in Ariete. Aut quibus ſignum idem vel ſaltem ſimile, idemq; planeta ſimiliſue aſcenderit, aut benigni planetæ ſimiliter angulum Orientis aſpexerint, aut Venus in eadem natiuitatis domo eodemque gradu fuerit conſtituta. Addunt Platonici, quorum vitam dæmon idem aut certè ſimilis ducat. Phyſici verò mortaleſque, complexionis, nutritionis, eruditionis, conſuetudinis, conſilij ſimilitudinem, ſimilis affectus cauſam eſſe volunt. Denique vbi cauſæ plures concurrūt, ibi mutua beneuolentia vehementior reperitur, vbi omnes, illic Pythiæ, Damoniſque, Piladis & Oreſtis, reſurgit affectus. Quid plura? Huiuſmodi ratio, Amerige, Ioannem Caualcantem Marſiliumque Ficinum iādiu diuino quodam amore coniunxit, ratio eadem Amerigum quoque feliciter iam nobis adiungit. Quid de Bernardo Bembo Veneto dicam? Hunc nobis cum non ratio quædā eiuſmodi ſolum, verū etiam prouidentia diuina coniunxit.

Vera poeſis à Deo ad Deum.

MARSILIVS FICINVS
Alexandro Braccio Muſarum
Sacerdoti, S. D.

PLato noſter in Dialogo qui Ion inſcribitur, carmina illa ſolum diuina, muſica muſarumque furore infuſa poëtis exiſtimat, quæ quando Muſica humana cantantur, & cantorem ipſum & audientes quodammodo concitant in furorem. Alexandri verò carmina heri ad Marſilium ſcripta eſſe talia mox cithara mea pluribus audientibus comprobauit, etiam paulò poſt Ioannes Baptiſta Boninſegenius familiaris noſter vir apprime Latinis, Græciſque literis eruditus. Quamobrem non tàm diligentiæ tuæ, quæ tamen eſt non mediocris, quam muſarum aſpirationi tuam hanc debes Bracci poëſim. Ergo poſt hac mitte precor amice mortales, & quandoquidem adſpirante Deo canis, cane Deum. Quod quidem non Moſes ſolum & Dauid, cæterique Hebræorum Prophetæ, verū etiam Zoroaſter, Linus, Orpheus, Muſeus, Moſæus, Empedocles, Parmenides, Heraclitus, Xenophanes, manifeſte nos religioſis carminibus ſuis admonuerunt. Admonuere inſuper Pythagoras atque Plato. Qui Homerum Heſiodumque, quod partim tanquam ingrati diuina ad homines, partim tanquam impij humana ad Deos tranſtulerint, ex hominum cœtu ad inferos expulerunt. Proinde ſi, quod abſit, fortè quaſi Deo ingratus ſolos cantabis homines, ingratos, vt plurimum, motuſque cantabis, quoties verò Deum canes, (quod potius te ſpero facturum,) toties tuum cantum ſuauiter & feliciter comitabitur Echo.

Sua mittenda ſunt ad nos.

MARSILIVS FICINVS
Petro Soderino literis & moribus ornatiſſimo, S. D.

VOlui ſæpe Soderine dulciſſime ad illos qui Epiſtolas meas à me petiſſent, noſtrum ipſum archetypum mittere, ſed hæc meus mihi liber ſumma cum querimonia ſtatim obiiciebat: Noli eo me mittere precor vbi ipſe non es mi pater. Cum vero ad Petrum modo proficiſci iuberem, nihil prorſus obiecit, vtpote qui, vt videtur, intelligebat quando, ad Soderinum proficiſceretur ſe à Marſilio non diſceſſurum. Ito ergo ſcilicet ad hunc, ito mi liber, ſine quo ego nuſquam eo. At poſcis nunc nonnihil viatici video, ego autem non reperio in præſentia viaticum precioſius, quam Paulum Anthonium chariſſimum Petri meique fratrem. Huius igitur nomen dulce viaticum ferto tecum. Et quotiens hic te forte in laribus ſuis aſpexerit, totiens Marſilij nomine ſaluere iubeto.

Libri primi finis.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS,

FEDERICO VRBINATI SEMPER INuicto, & apprime duci sapienti atque clementi,

PROOEMIVM.



Vm Epistolas meas vndique collectas in libros distinguerem, placuit eas quæ ad Theologiam præ cæteris Platonicam pertinerent, quasi ob materiam ipsam diuinas, ab altis Epistolis velut humanis secernere in vnumque redigere. Cumque vellem corpori huic quasi ob materiam diuino, caput reuera diuinum apponere, Federicum Vrbinatem Ducem præ cæteris libenter adscripsi, cuius diuina virtus, vt Platonicè loquar, ipsam non solum absoluti viri, sed etiam consummati principis adeò impleuit ideam, vt si hunc Diogenes ille perspexerit, qui ideas excogitari posse negauit, iam non modo eas intelligi posse animo, sed etiam cerni oculis, proculdubio sit concessurus.

MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

LIBER II.

Quæstiones quinque de mente. Prima, Vtrum motus eius in finem aliquem certum dirigatur necne? Secunda, Vtrum motionis eius finis sit motus an status? Tertia, Vtrũ sit particulare quiddã an vniuersum? Quarta, Vtrũ optatum finem suũ quandoque consequi valeat? Quinta, Vtrum postquam adepta est finẽ, aliquando inde discedat?

MARSILIVS FICINVS Conphilosophis suis, S. D.



Apientia summo Iouis omnium creatoris capite nata, Philosophis suis amatoribus præcipit, vt si modo re amata potiri quandoque desiderent, summa semper capita rerum potius quam vestigia infima petant. Pallas enim Diuina progenies quæ cœlo demittitur alto, altas ipsa colit quas & condidit arces. Monstrat præterea non posse nos ad summa rerum capita peruenire, nisi prius in caput animæ mentem, posthabitis inferioribus animæ partibus, ascendamus. Pollicetur denique si nos ipsos in fœcundissimum caput animæ collegerimus ibi proculdubio ipso capite, hoc est mente, men-

tem procreaturos. Mentem inquam, & Mineruæ ipſius comitem, & ſummi Iouis alumnam. Ego igitur optimi conphiloſophi mei qualem nuper in monte Cœlano vnà quadam lucubratione mentem mente creauerim, nunc in medium vobis adducam, vt ipſi qui longè fœcundiores eſtis quam Marſilius, æmulatione quadam, vt ita dixerim, prouocati prolem aliquando Iouis Palladiſque conſpectu digniorem parturiatis.

Naturalis cuiuſque ſpeciei motus, quia certo agitur ordine, ideo à certo quodam principio ad certum finem dirigi & prouenire cognoſcitur.

OMnis naturalis ſpeciei cuiuſque motus certa quadam ratione procedit. Nam & aliter alia mouetur ſpecies, & ſpecies quælibet eundem ſeruat ſemper ſuo in motu tenorem, vt ab hoc in iſtud, & ab iſto deinceps in illud, modo quodã congruentiſſimo progrediatur ſẽper atq; regrediatur Quærimus vnde præcipuè ordinẽ eiuſmodi motus accipiat? Duo ſunt apud Philoſophos motus termini, à quo videlicet effluit, & in quem profluit. Ab his terminis ſuũ ordinem adipiſcitur. Quamobrem non ab incerto & inordinato in incertum & ordinis expers oberrat, ſed à certa quadam & ordinata natura in certum quiddam ordinatumque dirigitur, quod cum natura illam conueniat vnde motus incepit. Vnũquodque enim ad ſuum recurrit potius quam alienum, alioquin & diſſimiles rerum ſpecies nonnunquam ſimiliter, & ſimiles ſæpe diſſimiliter mouerentur, ac eadem ſpecies aliàs atque aliàs modo diuerſo, & ſpecies diuerſæ ſæpe modo eodem agitarentur. Adde præterea quod auferretur motionis illa ſucceſſio, qua gradatim deinceps per plures congruoſque gradus formaſque decentes certo tempore profluit, certis temporum curriculis refluit. Adde poſtremo, quod non in talem quandam vel regionem, vel qualitatem, vel ſubſtantiam potius quam in quamlibet aliam quiſque modus dirigeretur.

Ordinatiſſimus mundi motus ad certum finem prouidentia diuina dirigitur.

SI motus ſinguli ordine quodam mirabili tranſiguntur, certè vniuerſus mundi ipſius motus ordinis perfectione non caret. Sicut enim ab vniuerſo atque ad vniuerſum ſunt ſinguli, ſic ab vniuerſi ordine accipiunt ordinem, & ad vniuerſi ordinem referuntur. In hoc ipſo communi totius ordine omnia quamuis diuerſiſſima vna quadam conuenientia & ratione reducũtur in vnum. Igitur ab vno quodam ordinatore ratione pleniſſimo cuncta ducuntur. Siquidem ordo apprime rationabilis à ſumma mentis ratione & ſapientia manat, in qua neceſſariò præſcripti ſunt fines ſinguli, ad quos dirigat ſingula. Præſcriptus eſt finis etiam vniuerſi communis, ad quem fines ſinguli perducantur.

Quos terminos habeat motus elementorum, plantarum atque brutorum.

QVos terminos habeat motus elementorum, plantarum, animaliumque brutorum non dubitamus. Elementa quidem alia grauitate quadam ad centrum mundi deſcendunt. Alia leuitate ad concauum ſpheræ ſuperioris aſcendũt. Motus quoque plantarum ex virtute nutriendi generandique profectus, in plantæ ipſius ſufficiente alimento & generatione plantæ ſimilis terminatur. Idem accidit virtuti quæ nobis ac brutis cum arboribus eſt communis. Brutorum animalium motus, qui propriè ad ſenſum attinet, à forma ſenſibili atque indigentia naturæ procedit per ea quæ extrinſecus ſentiuntur ad explendam corporis indigentiam. Idem naturæ illi contingit, quam habemus ipſi cum animalibus quibuſque communem. Omnes hæ quas modo narrauimus motiones, quoniam ad particulare quiddam tendunt, à particulari etiam vi prouenire noſcuntur. Atque in his, quos diximus, terminis quietem agunt ſufficientem, & quantum earum natura requirit perficiuntur.

Quæſtiones quinque de mentis motu.

SVpereſt vt de mentis humanæ motu quæramus. Primo, Vtrum ad aliquem tendat finem nec ne? Secundo, vtrum motionis eius finis ſit motus an ſtatus? Tertio, vtrum particulare quiddam hoc bonum ſit vel vniuerſum? Quarto, Vtrum optatum finem ſuum, id eſt ſummum bonum, quandoque conſequi valeat? Quinto, Vtrum poſtquam perfectum adepta eſt finem, aliquando inde diſcedat?

Mentis motus certum reſpicit finem.

SI cætera non ſapienti caſu paſſim oberrant, ſed ordine quodam rationabili ad quiddam maximè proprium & conuenientiſſimum diriguntur, quo & prorſus perficiuntur, multo magis mens quæ

res suas quotidie ad finem quendam rationabiliter ordinat, quæ aliis omnibus quotcunque prædiximus est perfectior, multo, inquam, magis naturali instinctu ordinatum finem aliquem respicit, quo & ipsa ad votum perficiatur. Præsertim, quia quemadmodum singulæ vitæ partes, id est, consultationes & electiones & facultates ad fines singulos referuntur, quælibet enim harum proprium respicit finem tanquam bonum. Sic vniuersa vita ad finem bonumque similiter vniuersum. Cum enim partes quælibet seruiant toti, sequitur vt ordo qui partibus inest inuicem sit propter earum ordinem ad ipsum totum maximè pertinentem. Ordo rursus earundem qui ad fines spectat particulares à communi quodam dependeant totius ordine qui ad communem totius finem præcipue conferat. Profectò si motor quilibet sui ipsius gratia mouet, consentaneum est mentem non ob aliam causam sua quælibet ad fines proprios ducere, nisi vt ad communem mentis finem bonumq; conducant. Denique quis adeo mentis inops, vt opinetur mentem anniti tam natura quam proposito singulis diuersisque ad vnum quiddam ordinem exhibere, nisi ipsa quoque ordinem quendam haberet ad vnum? Nempe cum vltimus communisque finis vbique reliquos moueat. Est enim primum quod appetitur cuius gratia cætera appetuntur. Nimium si vltimus ipse communisque absit omnino reliqui adesse non possunt. Nisi enim absoluta totius ædificij forma præscripta sit architecto, nunquam diuersi ministri eo ordine qui ad totum ipsum conducat ad diuersa opera mouebuntur. Imò verò nullo pacto ad ministeria præfinita mittentur ab illo qui non ipse prius communem totius operis terminum habuerit præfinitum.

Finis motionis intellectualis non est motus sed status.

SI motionis intellectualis finis est ipse motus, certe mouetur vt moueatur, rursusque vt moueatur deinceps sine fine mouetur, hinc efficitur vt in ipso motu iugiter perseuerans moueri non desinat, ideoque nec viuere desinat vnquam neque cognoscere. Forsitan hic ille iugis est animi motus quo semper agi & viuere animus à Platonicis nonnullis existimatur. Puto autem mentem quandoquidem statum noscit iudicatque ipsum mutatione præstantiorem, atque naturaliter appetit illum vltra motum, in habitu quodam stabili potius quam mobili conditione bonumque suum optare, & denique consequi. Huius rei indicium est, quod mens in statu proficit magis quam in motu. Rursus, quod familiaria eius obiecta sunt rerum rationes æternæ, non mobiles materiæ passiones. Accedit quod quemadmodum vitæ virtus scilicet intelligentia & voluntas vltra rerum mobilium fines ad stabiles progreditur & æternas, sic ipsa vita vltra mutationem quamlibet temporalem certè finem bonumque suum in æternitate consequitur. Alioquin non posset animus vnquam vel intelligendo vel appetendo, terminos mobilium transgredi, nisi eos supergredi viuendo valeret. Denique motus semper est imperfectus tenditque ad aliud, ipsius verò finis, præsertim summi, ratio est vt neque imperfectus sit, neque ad aliud quicquam progrediatur.

Mentis obiectum & finis est vniuersum verum atque bonum.

SEd nunquid proprium quiddam verum bonumque finis intelligentiæ voluntatisque dicitur? An vniuersum? Vniuersum certe. Quoniam intellectus amplissimam quandam eius, quod Philosophi ens verumque & bonum nominant, concipit notionem. Sub qua quicquid vel esse potest penitus comprehenditur. Hoc ipsum quid ens verumque & bonum dicitur omnia continens. Peripatetici esse putant commune humani intellectus obiectum. Quia sicut obiectum sensus sensibile sit, intellectus ipsius obiectum intelligibile dicitur. Intelligibile autem amplitudine sua omnia comprehendit. Rursus intellectus natura afficitur ad totam entis amplitudinem comprehendendam, ac in eius notione omnia conspicit, vicissimque in omnium notione inspicit ipsum. Præterea sub ratione veri intelligit, sub ratione boni appetit omnia. Hæc autem vtraque ad rationem entis Peripatetici referunt. Vtrum verò bonum ente latius sit, quod Platonici putant, nec ne, ad propositam qustionem nihil referre videtur. Vtamur igitur in præsentia tribus his, si placet, nominibus, scilicet ente, vero, & bono tanquam idem significantibns, nam in commentariis Philebi diligentius ista discussimus. Quærendum videtur in primis vtrum intellectus quicquid sub ente concluditur perspicuè possit attingere? potest vtique. Diuidit enim ipsum in genera decem generalissima, rursusque genera decem in genera subalterna gradatim sub ipsis quam pluri-

ma. Deinde species quasdam vltimas sub generibus collocat subalternis. Denique speciebus singula subiicit, vt ita dixerim, absque fine. Si intellectus potest ens ipsum tanquam totum quiddam describere, atque ipsum in cuncta eius quasi membra gradatim diuidere, ea quæ tàm inuicem quam ad totum diligentissime comparare, quis non videat hunc natura entis ipsius vniuersi esse capacem? Qui enim totum ipsum in sua forma videt eiusque terminos atque gradus per quos propagatur vndique prospicit, absque dubio potest singula, quæ illis terminis comprehenduntur, media comprehendere. Mitto nunc quod cum apud Platonicos super ens atque sub ente queat ipsum vnum bonumque excogitare, multo magis totam eius latitudinem vndique percurrere poterit. Certe post notionem entis, quod vocabulum sæpius iam repetimus, etiã quod ab eo diuersissimam fingi potest, idest non ens pro arbitrio cogitat. Si potest ab illo ad hoc infinite inde distans percurrere, multomagis per quælibet quæ sub illo quasi media continentur. Hinc Aristoteles inquit: Sicut materia, quæ vltimum est naturalium, omnes potest corporeas induere formas, omniaque hoc pacto corporalia fieri, sic intellectum qui, vt ita loquar, supernaturalium vltimum est supremumque naturalium, spiritales omnes rerum omnium formas accipere posse, omnesq; euadere. Quemadmodum vniuersum sub ratione entis atque veri obiectum est intellectus, ita sub ratione boni est voluntatis obiectum. Quidnam intellectus inquirit? Nisi cuncta in se suo modo pingendo transformare omnia in seipsum? Quid rursus voluntas annititur? Nisi omnibus omnium modo fruendo seipsam in omnia transformare? Ille ergo conatur vt vniuersum fiat quodammodo intellectus, hæc autem vt voluntas sit vniuersum Vtrumque igitur naturalis ad hoc vergit animi nixus, quemadmodum inquit in Metaphysicis Auicenna, vt animus ipse modo suo totus mundus euadat. Videmus enim quemlibet animum naturali instinctu & continuo nixu conari, vt cuncta vera intellectu cognoscat, & cunctis bonis voluntate fruatur.

Animi origo finisque est solum infinitum verum atque bonum.

MEminisse verò oportet vniuersum ipsum, quod esse dicimus animi finem, esse penitus infinitum. Finem enim cuiusque præcipuum propriumque putamus quod propriè res quæque summopere appetit tanquam summum cuique bonum, cuius gratiam petit agitque reliqua, in quo tandem quiescit omnino, adeò vt finem naturæ appetitusque stimulo iam prorsus imponat. Intellectui verò nostro conditio hæc innata est, vt rei cuiusque requirat causam, rursusque causæ causam. Ideo non cessat vnquam inquisitio intellectus, nisi eam causam reperiat, cuius nulla sit causa, sed ipsa causa causarum. Id autem solus est Deus immensus. Voluntatis quoque affectus nullo satiatur bono, quatenus putamus bonum præterea aliud superesse. Solo igitur eo satiatur bono vltra quod nihil est boni. Quid autem hoc aliud est, nisi Deus immensus? Igitur quicquid aut veri aut boni offertur quod certos habeat gradus quamuis quamplurimos, adhuc plures intellectu requiris & vlterius appetis voluntate. Vnde nusquam nisi in vero bonoque immenso potes quiescere, neque finem nisi in infinito potes facere. Cũ vero res quequæ in propria eius quiescat origine vnde efficitur & vbi perficitur, animus verò noster in solo infinito quiescere valeat, sequitur vt solum quod infinitum, sit propria eius origo. Vocari autem id ipsum propriè debet ipsa infinitas & æternitas, potius quam vel æternum quiddam vel infinitum. Quoniam vero effectus causæ proximus euadit causæ ipsi simillimus, consequens est vt anima infinita quodammodo virtus sit & æterna, alioquin ad finem nunquam propriè vergeret infinitum. Hinc nimirum efficitur vt nonnulli sint inter homines qui contenti sub cœlo viuant opibusque temporalibus impleantur.

Animus optatum finem bonumque suum quandoque consequi potest.

POtest autem perfectum finem suum aliquando rationalis animus assequi. Si enim quæ minus in natura perfecta sũt naturalem perfectionem suam in quæsiti finis habitu consequuntur, multo magis animus qui & perfectissimus est, & finis omnium naturalium. Si quæ finem neque aliis neque sibi ipsa præscribunt, aliquando fine congruo potiuntur, multo magis & mens, quæ finem suum aucupatur & reperit, finem rursus multis instituit, multorum præsagit, videt & omnium. Si naturalis potentia in rebus vel minimis non est inanis, certe non est inanis in animo, qui vsque adeò magnus existit, vt quanto interuallo minima quæque à maximis excedantur examussim dimetiatur. Accedit quod animus haudquaquam finem cer-

tum naturaliter sequeretur nisi posset & assequi. Qua enim alia potentia mouetur ad illum, nisi qua potest etiam peruenire? Videmus preterea illum, quando impense contendit, multum in eiusmodi motu proficere. qua vero virtute proficit, eadem quandoque perficitur. Videmus denique vehementius paulatim vehementiusque moueri, quemadmodum elemẽtum quidlibet quo naturali termino propinquat magis, eo mouetur velocius. Ergo sicuti neque elementum, ita neque mens ab alio in aliud semper præter terminum frustra progreditur, sed terminum quandoque attingit sui ipsius gratia exoptatum. Sunt autem in rebus actionibusque naturalibus & humanis principia quædam, sunt & fines. Cõtra naturam ipsam rationemque principij est, ab alio semper principio ad aliud ascendere sine principio. Contra rationem finis est à fine deinceps in finem descendere sine fine. Omnis actio à summo agente, omnis appetitio à fine summo ducit originem. Quæcunque enim propter aliud talia sunt vel talia, ad ipsum quod propter se tale existit necessariò reducuntur. Igitur si vtrinque summa desunt, neque actio prorsus incipiet vlla, neque appetitus aliquis incitabitur. Denique cum motor sui ipsius gratia moueat, vbi summus est motor, summus finis pariter reperitur. Idque & in ordine rerum quolibet, verum est, & in ordine similiter vniuersi. Sed iuuat rationem de mente superiorem aliquanto latius explicare. Si quis à nobis quærat, vtrum horum perfectius sit, intellectus ne an sensus, intelligibile ne an sensibile? promittemus ei nos quod desiderat protinus ostensuros, si modo nobis prius ad hoc vnum ipse responderit. Scis ô amice, qui me rogas, esse aliquid in te ipso quod aliquam habet vtrorumque notitiam, notitiam, inquam, intellectus ipsius & sensus, rursum intelligibilis atque sensibilis. Eadem enim vis quæ hæc inuicem comparat, iam vtraque quodammodo videt. Responde igitur, nunquid vis eiusmodi sit intellectus an sensus? Responde, quæso, libenter. Vt hac ego responsione tua, mox tuæ illi interrogationi respondeam. Iam igitur te sic audio respondentem. Virtus eiusmodi non est sensus. Omnes enim continue sensibus vtimur, ac maximè & intentissimè vtimur. Si igitur sensus videre se posset & illa, vel omnes vel quamplurimi facileque & clare vim ipsam sentiendi & intelligendi atque intelligibilia sensibiliaque cognoscerent. Cum vero paucissimi sint, qui ista cognoscant omnia, atq; ij quidem vix & non nisi diuturna intelligentiæ argumentatione cognoscant, certum est sensum nequaquam nosse vel se ipsum vel intellectum & intellectus obiecta. Imò verò hæc omnia constat ab intellectu cognosci. Præterea vis illa quæ de vtrisque perquirit, eadem est ac illa quæ etiam ratiocinando hæc inuenit, & ratione concludit vtrum sit inter illa perfectius? Quod autem ratiocinando quærit rationemque assignat, ratio est, non sensus. Igitur solus intellectus est qui hæc omnia nouit. Igitur & ego priori tuæ illi quæstioni iam ita respondeo. Tanto saltem perfectior intellectus est sensus, quanto vis eius latius perfectiusque propagatur agendo, sensus, vt ipse monstrabas, neque se ipsum, neque intellectum intellectusque obiecta potest agnoscere, intellectus autẽ vtraque noscit. Accedit alius quidem perfectionis gradus. Quippe intellectus quando se atque sensũ cæteraque quantum ad perfectionis attinet gradus inuicem comparat, iam summam ipsam perfectionis formam quasi ante oculos habet, ad quam vtraque conferens, quod ad ipsum accedit propinquius, idem iudicat esse perfectius. Si summam perfectionis attingit formam, proculdubio ex summa quadam ad eam proportione hanc attingit. Non solum igitur perfectior est quam sensus, sed etiam penè post perfectionem ipsam summè perfectus. Video tertium insuper perfectionis intelligentiæ gradum, nam dum quærit iudicatque seipsam, certe reflectitur in seipsam. Quod autem tale est etiam in seipso existit & permanet, est insuper incorporeum penitus atque simplex. Denique cum ex seipso ad se ipsum motu circulari progrediatur, potest vtique sempiterne moueri, hoc est agere semper & viuere. Mitto quod intellectus tanquam perfectior paucioribus est communis, seriusque & rarius exercetur, ac tanquam finis potest vegetationis vsum sensumque conceditur. Dat sensui regulam atque leges finemque præscribit, seipsum ad agendum pro arbitrio ducit quando ratiocinatur atque consultat. Sensus autem, vbi ratio non resistit instinctu semper naturæ propellitur. Mitto quod ratio sæpe aliter eligit quam sensus & vsus corporis exigat, quia videlicet electionis principium non pendet à corpore, alioquin finis eius semper spectaret ad corpus. Rationem certe in motu suo nequaquam subdi corporibus ex eo perspicitur quod speculando transcendit corpora, consultando se ad diuersa oppositaque extẽdit, eligẽdo corporis inclinationi sępe repugnat.

Quare

Quare multominus in essentia vitaque corporibus nullis subiicitur. Quid? quod sensus procedente ætate quodammodo hebetari videtur, intellectus verò nequaquam, potest tamen ab intentione speculationis auerti, quando in curando colendoque corpore nimium occupatur. Quid? quod sensus ipsius obiectum quoties vehementius est, lædit subitò sensum, atq; post illius occursum non potest è vestigio sensus debiliora discernere Sic offendit oculum splendor exuberantior, sic offendit aures strepitus vehementior. Mens verò contra, ab excellentissimo sui obiecto neque læditur, neque confunditur. Imò eo cognito inferiora simul clarius veriusque discernit. Quod quidem mentis naturam esse significat summopere spiritalem & excellentem. Quid? quod sensus solis corporeis terminatur obiectis, intellectus autem secūdum intimam actionem ab omnibus emergit corporibus, vtpotè qui secundùm essentiam atque vitam non sit submersus. Formas corporales separat à materiæ passionibus, formas quoque illas quæ per se penitus sunt incorporeæ discernit à corporalibus, quippè qui ipse à materiæ passionibus atque à corporalis formæ conditionibus sit separatus. Præterea sensus particularibus solum obiectis est contentus. Familiaria verò intellectus obiecta rationes ipsæ rerum sunt vniuersales & sempiternæ, quas non aliter quam per præcipuam quandam ad ipsas proportionem familiariter potest attingere, ex quo apparet ipse quoque absolutus & sempiternus. Præsertim quia rationes eiusmodi per species quasdam attingit, quas ipsemet & facit & suscipit. Quas esse necessarium est à materiæ passionibus absolutas, alioquin rationes ideasque illas referre non possent. Intellectus autem ipse nisi à materiæ passionibus liber existeret, species eiusmodi neque hoc pacto facere posset, neque suscipere.

Mens magis quam sensus optatum finem consequi potest.

RAtio quidem nobis propria est, non enim bestiis eam Deus infudit, alioquin dedisset eisdem sermonem tanquam rationis interpretem, manum insuper tanquam rationis ministram & instrumentum, præterea videremus in bestiis aliqua consultationis varietatisque indicia. Nunc autem videmus eas nunquam aliter facere quā quod impulsu naturæ, ad necessitatē dumtaxat corporis impelluntur. Omnes araneæ similiter texunt telam, neque texere discunt, neque tempore quamuis longo in melius texendo proficiunt. Postremo apparerent in brutis certa quædam religionis inditia atque opera omnibus manifesta Vbi enim intellectus adest, qui tanquam oculus quidam est ad lumen intelligibile constitutus, ibi quoque intelligibile lumen, qui Deus est, lucet, suspici ur, amatur & colitur. Quanto intellectus perfectior est quam sensus, tanto saltem homo perfectior est quam brutum, atque ex hoc ipso est perfectior quod habet ipse proprium, bestiis non commune. Itaque propter intelligentiam tantum perfectior iudicatur. Præsertim tum intelligentiæ munere ad infinitam perfectionem, qui Deus est, affectu, speculatione, cultuque accedat. Perfectio autem cuiusque præcipua inconuenientis finis possessione consistit. Cuius quidem consecutio tanto facilior est & plenior, quanto innata perfectio vberior. Vbi enim perfectio illa formalis quæ innascitur ab initio præualet, ibidem naturæ ordine finalis ipsa perfectio abundantius & facilius feliciusque conceditur, siquidem illa huic obsequitur, nec illius obsequio prouenit. Vnde concluditur vt multo magis faciliusque ratio quam sensus, homo quam brutum, finem congruum optatumque consequi possit.

Immortalis animus in corpore mortali semper est miser.

EXperimur autem in nobis bestiam nostram, id est, sensum, finem suum bonumque sæpissimè consequi, quando scilicet, sufficientis obiecti sui consequutione, quantum ad ipsum pertinet, prorsus impletur, homo verò noster, id est, ratio, quando finem consequatur optatum non experimur. Nam in summis esset corporis voluptatibus, quando sensus ipse, quantum in se est, impletur omnino, ratio adhuc vehementer sollicitatur, sensumque sollicitat. Siue enim sensibus obsequi velit, semper aliquid suspicatur, noua machinatur oblectamenta, continue, nescio quid vltra requirit. Siue sensibus repugnare contendat, vitam reddit laboriosam. Vtrobique igitur non solùm ipsa non est fœlix, verum etiam sensus ipsius fœlicitatem penitus interturbat. Siue iam domuerit sensum seque in seipsa collegerit, tunc propria impellente natura rationes rerum causasque perquirit. Vbi aut inuenit sæpè quod nollet, aut non inuenit sæpè quod vellet, aut fortè non tantùm comprehendit, quantum cupit & capit. Semper certè ambigit, & vacillat, & angitur.

Cùm igitur nusquam quieta sit, certè nunquam dum sic afficitur, vel ipsa fine potitur optato, vel sensum præsente iam fine suo potiri permittit. Nihil verò irrationabilius fingi potest quàm hominē, qui per rationem est animalium, imò omnium quæ sub cœlo sunt, perfectissimus; perfectissimus, inquam, quantum ad formalem perfectionem illam quæ tributa nobis est ab initio, ob eandem rationem esse omnium imperfectissimum, quantum ad finalem illam perfectionem adquam consequendam perfectio prima tribuitur. Hic esse videtur infelicissimus ille Prometheus, qui diuina sapientia Palladis instructus, ignemque cœlestem in rationem adeptus ob hoc ipsum in summo vertice montis, hoc est, in ipsa contemplationis arce, ob continuum auis rapacissimæ morsum in inquisitionis stimulum, miserrimus omnium meritò iudicatur, donec transferatur eodem, vnde olim acceperat ignem, vt quemadmodum vno illo luminis superni radiolo nunc assiduè stimulatur ad totum, sic toto deinde lumine penitus impleatur.

Homo quàm difficile extra habitum naturalem, positus fœlicitatem sequitur, tam facilè hanc in naturalem habitum restitutus assequitur.

Rationes de facilitate fœlicitatis humanæ in superioribus primo nobis adductæ, veritatem ipsam naturali quodam ordine monstrare perspicuè videbantur. Vndenam igitur, quemadmodum experientia docet, tanta nobis ad beatitudinem contendentibus opponitur difficultas? Vt grāde illud Sysiphi saxum per montis ardua sursum voluere videamur. Quid mirum? Summa Olympi montis fastigia petimus. Infimæ vallis habitamus abyssum. Onerosissimi corporis sarcina præmimur. Dum anhelamus in arduum sæpè tam ipso pondere quàm præruptis vndique rupibus in præceps repente relabimur. Quid, quod illinc offendicula & obstacula quamplurima detinent? Illinc pratorum quorumdam blandimenta noxia demorantur. Sic igitur, heu miseris! sic extra sublimem patriam religatis in infimo nihil vsquam obiicitur non valdè difficile, nihil occurrit non vndique miserum. Quidnam ad ambiguitatem eiusmodi respondebimus? Illinc argumentatio facilitatem summam pollicebatur, hinc experientia summam pariter monstrat difficultatem. Tantam denique litem sola nobis lex Mosaica dirimet. Extra naturæ primæ ordinem positi sumus, præter naturæ ordinem, proh dolor! agimus atque patimur, primus homo quam facilè primum omnino conuersus ad Deum fœlicitatem accipere poterat, tam facilè deinde illinc aduersus ipsam amisit facilitatem. Cuncta igitur parentis primi propago tam difficilè extra naturæ prioris ordinem posita beatitudinem recipit, quàm facilè in ordinem ipsum restituta reciperet. Quid verò dicent ad ista Philosophi? Magi quidem Zoroastris Hostanisque sectatores simile quiddam afferent, aiunt enim ob antiquam quandam humanæ mentis infirmitatem omnia nobis infirma difficiliaque contingere. Ac si quis temperationem animæ restituerit omnia iam fore disposita. Huic quoque non dissonat illud Pythagoręorum atque Platonicorum; Animam videlicet idcirco tot in mundo sensibili malis affligi quia sensibilium bonorum auiditate *nimis illecta* bona intelligibilis mundi *imprudenter* amisit. Peripatetici fortè dicent hominem potius quàm brutum à fine proprio aberrare, quia libero mouetur arbitrio, vnde hinc atque illinc prout variis consultando vtitur coniecturis, potest præuaricari. Animal autem irrationale non ducitur à seipso, sed ab ipsa naturæ prouidentia nunquam errante ad finem sibi conuenientem, tanquam ad signum sagitta dirigitur. Error autem ille noster atque præuaricatio cum non à naturæ defectu proueniat, sed à varietate rationis & obliquitate consilij, nequaquam disperdit potentiam naturalem, sed turbat potius voluntatem. Atque sicut in elemento etiam extra locum proprium posito, vnà cum natura seruatur vis atque inclinatio ad terminum proprium naturalis, qua potest aliquando suam repetere regionem, sic in homine etiam postquam à recto tramite aberrauit, restare putant naturalem tum tramitis, tum termini repetendi potentiam. Denique exactissima Theologorum examinatio rem omnem breuiter ita concludit. Non potest vlla ad motum aliquem inclinatio amplior esse quam motor. Cum igitur animi inclinatio præcipuè vergat ad infinitum, nimirum dependet solum ab infinito. Si enim à determinata quadam causa post Deum animæ motrice quam proximè proueniret, ad finem quoque dumtaxat vergeret terminatum. Siquidem mouendi virtus quamuis in infinito principio sit infinita, tamen in sequente causa, quæ determinata est, terminatur. Ac motus mouentis proximi potius quam remoti sequitur qualitatem. Quam;

obrem motor ipse qui animum propriè vertit ad infinitum est ipsamet solum infinita potestas, quæ mentem pro libera voluntatis natura modo quodam mouet ad eligendas vias maximè libero. Rursus pro infinita mouentis potentia ad appetendum finem vsque adeò incitat vt non appetere nequeat. Si motus eiusmodi non potest quo dirigitur peruenire, nullus vtique poterit. Vbi infinita viget potentia, ibidem infinita sapientia atque bonitas dominatur. Hæc autem neque quicquam mouet incassum, neque bonum vllum prætermittit alicui quod accipi iam possit & debeat. Proinde cum homo tum ob rationis contemplationisque vsum ad Angelos beatissimos, tum ob diuinum cultum ad Deum beatitudinis fontem multo propinquius accedat quam bestiæ, necesse est eum aliquando posse in optati finis possessione fore multo beatiorem. Vt qui supernis similior est tam voluntatis ardore quam intelligentiæ lumine, similiter sic vitæ felicitate similior. Siquidem à vitæ virtute intelligendi voluendique virtus & excellentia proficiscitur. Nunc verò in corpore hoc tum propter corporis ipsius imbecillitatem infirmitatemque, & rerum omnium indigentiam, propter continuam mentis anxietatem est longè miserior. Quapropter, quã difficile fœlicitatem suam in corpore terreno, intemperato, caduco, animus cœlestis & immortalis continuè sequitur, tam facilè hanc vel à corpore liber, vel in corpore temperato, immortali, cœlesti, consequitur. Non videtur autem finis ipse naturalis existere, nisi in habitu naturali. Habitus autem sempiterni animi maximè naturalis esse videtur, vt suo in corpore viuat iam sempiterno. Hinc necessaria ratione concluditur, immortalitatem, claritatemque animi posse ac debere quandoque in corpus proprium effulgere. In quo quidem statu solùm summa hominis beatitudo completur. Atque hæc quidem Prophetarum Theologorumque sententia, à Magis & Mercurialibus, Philosophis & Platonicis confirmantur.

Mens adepta beatitudinem nunquam amittit.

QVando verò infinitum attingat anima finem, cùm ea præcipuè ratione hunc attingat, qua hinc afficitur, & trahitur, & perducitur; attingit vtique sine fine. Si potuit ex finito quodam gradu qui infinitè distat ad immensum quandoq; resurgere, potest etiam in ipso immenso infinitè manere. Præsertim, quia eadem infinita potestas, quæ tam longè traxerat ad seipsum vehementius quàm explicari possit, in se proximè retinet. In bono autem infinito neque quicquam fingi mali potest, & quicquid boni fingi optarique potest, plenissimè reperitur. Illic igitur æterna vita, charissimum intelligentiæ lumen, status mutatione carens, habitus priuationis expers, secura tutaque totius possessio boni, gaudium vndique plenum.

FINIS QVINQVE QVÆSTIONVM de Mente.

Super sensum est intellectus. Super sensibile est intelligibile. Super mentes nostras, sunt aliæ mentes, super formas corporales, sunt formæ incorporales.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS Conphilosophis suis S. D.

QVid in rebus tam naturalibus, quàm humanis verius meliusve sit, quotidie ratiocinando & consultando quærimus, atque inuenimus. In quo quidem discursu communibus incorporeisque quibusdam veritatis bonitatisve regulis vtimur. Atque ea de quibus agitur, ad incorpoream communemque & summam veritatis bonitatisue formam comparando referimus. Vt quod ad ipsius gradum inter alia propius videtur accedere, id esse cæteris

verius ac melius iudicetur. Hoc autem totum non sensu facimus, sed ratione, sola enim in hominibus ratio est, quæ rerum rationes assignat, atque ratiocinando communibus regulis ad communem formam singula comparat Hinc duo præcipuè concluduntur. Primùm, rationem sensu veriorem admodum melioremque existere, siquidem sola hæc nobis ad summam veritatem & bonitatem tam discursu quàm affectu se confert. Et cùm de ipsa veritate sensus & bonitate, qualiscunque illa sit, agitur, hoc ipsum non sensus vllo pacto, sed ratio perficit. Secundùm, quòd quanto ratio verior & melior est quàm sensus, tanto saltem quæ rationis obiecta dicuntur, veriora melioraque sunt quàm obiecta. Præsertim, quia quoties de rerum sensibilium veritate vel bonitate perquiritur, non aliter hoc ipsum vel indagari potest, vel inueniri quàm virtute quadam, & luce intelligibilium rationum atque formarum. Quamobrem intelligibilia hæc, quæ intellectus obiecta dicuntur, id est, rationes ipsæ rerum incorporales atque formæ à materiæ passionibus absolutæ verius meliusq; sunt, ideoque magis in rerum natura videntur existere, quàm formæ corporum quæ sensibus offeruntur. Accedit ad hæc, quod quemadmodum sensibile mouet sensum, sic quodammodo intelligibile intellectum: Si non possumus quæ infra nos sunt percipere, nisi ab illis per species quasdam quodammodo moueamur, multominus possumus quicquam super nos concipere, nisi moueamur ab ipso, vt mens eius semine prægnans, prolem inde parturiat præstantioris substantiæ similem. Mens enim virtute omnino propria nihil ederet vnquam, nisi vel inferius, vel inæquale. Ergo quando mens ad ipsum intelligibile surgit, tam sensibili verius, quàm sæpè ipsa mente præstantius, necesse est eam ad ipsum supra seipsam illius virtute penitus eleuare. Hoc ipsum nisi esset quicquam nisi verius existeret quàm sensibile, certè verius intellectum mouere non posset, quàm sensibile sensum. Nunc autem longè verius mouet, quandoquidem magis perducit tam ad verum, quàm ad veritatis cuiuslibet rationem. Quid enim verum sit propria ratione, & quid ipsa sit ratio veritatis, ac vicissim veritas rationis, haud sensu, sed ratione percipimus.

Si quis autem dixerit, mentem ab alienis vel extrinsecis ad intelligentiam non moueri, sed ipsamet propria & mirabili quadam virtute suas sibi species, sua obiecta concipere, dicemus ex eo sequi, mentem esse incorpoream penitus & æternam, si nequaquam ab alio, sed à seipsa mouetur, suaque virtute species siue rationes concipit incorporeas & æternas. Vera enim cuiusque ratio cum aliter aliquando se habere non possit, est sempiterna. Cæterum istis addemus: Si non deest menti simplicissima quædam forma & perfectissima, imò adest, per quam & ad quam de simplicitate perfectioneque rerum omnium dixerit, ac seipsam multis simpliciorem perfectioremque, multa quoque ipsa simpliciora & perfectiora esse concludit. Si, inquam, non deest mentalis quædam forma, sed adest, multominus vniuerso deest, imò verò multomagis inest. Ac mens ab illa vim accipit qua moueatur ad illam. Addemus præterea, humanam mentem summam quidem esse in formarum genere naturalium, quoniam formas concipit siue suscipit puriores, & perfectiores, quarum comparatione naturales nihilipendat. Verùm non esse in mentium ordine summam, quoniam non sit verissima, id est, summè veridica, cum noxij saltem vitio corporis sæpè ambigat & fallatur. Mens verò illa videtur esse verissima, quæ nihil vnquam admittit falsi, nihil prorsus ambigui. Quoniam verò quicquid verius est, id est, & magis potentiusque existit, sequitur supra mentem nostram mentes alias esse admodum veriores, quæ à falso remotiores sint, quàm nostra, ac denique super omnes quandam esse summam atque verissimam, in qua non aliud sit mens quàm veritas, non aliud intelligere sit quàm velle. Quæ cùm fœcundissima sit, imò ipsa fœcunditas, mentes deinceps quàm plurimas tanquam filias procreet, seruet, illustret. Veriores autem mentes, veriores quoque rerum possident rationes, verissima verò verissimas. Vnde concluditur, rationes rerum incorporales, quæ ab humana ratione pro arbitrio cogitantur, non esse figmenta quædam, sicut illis qui sensibus potius quàm ratione viuunt, atque res indicant, forsitan videretur, imò verò super nos in diuina quadam mente, tanquam supercœlesti sole verissima rationum omnium lumina clarissimè perlucere. Vnde in mentes alias quæ inter illam & nostram quasi mediæ esse videntur, ceu in stellas superiores, & quodammodo immutabiles, atque etiam in nostram, ceu in lunam iam quasi mutabilem, veri rationum radij diminantur.

Mens sempiterna est quia radio desuper accepto vtitur ad æthera.

QVoniam verò mentis acies non aliter per eiusmodi radios agit, hoc est, videt & appetit quam substantia ipsa mentis eos acceperit, idcirco clarissima veræ rationis luce concludimus, omnibus vel infimis mentium gradibus à prima mente, imò à summo mentium lumine æternitatem vitæ ipsius esse tributam, quandoquidem omnibus naturalis æternitatis agnitio quædam & appetitio veneratioque conceditur.

Mens Dei radio reflexo intelligit creata, recto creatorem.

LVna hæc nostra, id est, mens, prout in Solem suum magis minusue & aliter atque aliter conuertitur vel auertitur luminis & vmbrarum quarundam diuersitate & vicissitudine variatur. Nunquam tota recipienda luminis facultate priuatur. Nunquam tamen tota vndique fulget, pars enim ratione carens, vtpote quæ sit quodammodo densior, id est, ineptior, non refulget. Luna, inquam, hæc nostra radios quibus stellas supercœlestes, id est, Angelos suscipit, eosque certa ratione cœlestibus longè præstantiores esse discernis, vehementiusque amat & colit, radios, inquam, eiusmodi ab ipsis cœli syderibus, quę neque intellectum neque affectum altius quam ad ipsammet erigere possunt, habuisse non potest. Potest tamen eos à stellis Angelicis, imò verò à supercœlesti Sole per stellas Angelicas accepisse. Omne stellarum lumen, vt communis fert opinio, à Sole atque in Solem. Omne mentium lumen à Deo pariter & in Deum, Luna hæc nostra quando ita diuinum prospicit Solem vt esse illum infinitum, & qua ratione sit talis prorsus, aspiciat, & quia sit infinitus, ideo infinito penitus interuallo Angelos asserat antecedere, ipsosque Angelos illius comparatione nihili pendat, radium eiusmodi quo & super Angelos & infinitè progreditur & ipsos penè pro nihilo habet, certè ab Angelis non accepit. Neque rursus à Deo ipso per Angelos. Nam radius dum per Angelum transit determinatum, determinatur & ipse, vnde nequit ad proprium immensi in quantum immensum est vel prospectum erigere vel affectum. Virtute enim propriè infinita opus est ad motum illum qui ad infinitum propriè vergens terminum, sic absque fine progreditur, vt in termino infinito dumtaxat finem facere valeat. Igitur solius immensi Dei purus radius est, quo immensum esse Deum agnoscimus, quem nisi nouerimus, semper vltra perquirimus. Solius quoque immensi Dei flamma videtur, qua sic ardemus immensum vt liquor vllus præter immensum sitim posset extinguere, imò, (vt rectius loquar) implere. Forsitan operæpretium erit similitudinem illam de Sole Platonicam, quemadmodum in libro de Amore & in Theologia latissimè explicauimus, hic quoque aliquanto latius quam superius explicare. Inter omnia sensuum instrumenta purissimum oculus est. Inter omnes animæ vires purissimum intellectus. In mundo visibili summum visibile Sol. In mundo intelligibili summum intelligibile Deus. Igitur quemadmodum se ad visibile visus habet, sic penè ad intelligibile intellectus. Visus visibilia omnia, id est, colores, in summi visibilis, id est, Solis fulgore discernit. Intellectus intelligibilia omnia veraque cuncta in summi intelligibilis, veritatisque ipsius lumine conspicit. Ac tanto magis intellectus quilibet eiusmodi indiget lumine quàm visus illo, quanto magis omnis intellectus & quoduis intelligibile à supremo & infinito intelligibili dependet, quam visus & visibile quodlibet ab ipso Sole, qui finitus est & à causis superioribus producitur & seruatur. Quicquid videtur vsquam siue ab oculis animalium quorundam, quæ innato quodam radiolo noctu vident, siue ab aliis ad ignis stellarumue lumen, totum hoc Solis ipsius splendore videtur. Sicut enim omne calidum à summe calido, sic omne lucidum à summe lucido efficitur & seruatur. Seruatur, inquam, quia & si causæ æquales, id est, quæ in eadem specie sunt qua & effectus in generatione effectus, non tamen in conseruatione necessariæ sunt, tamen superiores causæ in effectu etiam conseruando sunt necessariæ. Eadem ratione quicquid intelligitur vsquam, siue insito quodam & naturali lumine tanquam familiari oculi radio, siue infimorum radiis Angelorum tanquam igne, siue supernorum Angelorum luminibus, tanquam stellis, vniuersum hoc infiniti ipsius intelligibilisque Solis radiis intelligitur. Præsertim quia Sol eiusmodi vbique totus viget & implet intrinsecus vniuersa, magisque inde cuncta tam in conseruando quam in nascendo dependent, quàm imagines in speculis à corporibus. Ratio quidem Solis per alia passim reflexo cernere possumus alia. Solem verò ipsum nisi recto quodam ipsius radio rectoque in eum aspectu suscipere non valemus. Atque hoc quidem radio qui pro-

fluit extra Solem, ideoque miscetur quodammodo & minuitur oculus, quam purus & quam magnus sit Sol discernere nequit. Quod si puritatem magnitudinemque illius agnoscimus, non oculis istud qui longè falluntur, sed ratione metimur. Oportet autem oculum sic à natura institutum fuisse, vt ipsi Solis globo quam proximè adhæreret, quo propriam eius puritatem magnitudinemque perspiceret. Sic radius qui ex Deo emanans rebus creatis infunditur, creata solum propriè nobis ostendit, Deum verò nobis ipsum ostendit magis qui in mentem ipsam dirigitur in Deum verè directam. Verumtamen quoniam à mente pro mentis qualitate & capacitate percipitur, puritatem infinitatemque Dei monstrare non potest. Ideoque per ipsum nunquam Deum esse actum purum omnino infinitumque cogitare possemus. Nihil autem supra mentem intus habemus quod queat mentis fallaciam redarguere. Certa tamen ratione consideramus diuinæ puritatis & infinitatis abyssum, rationemque infinitatis atque vicissim rationis infinitatem animaduertimus. Quando etiam super supremos Angelos per innumerabiles perfectiones gradus magis deinceps magisque gradatim progredientes qua ratione diuinus actus progressum eiusmodi penè infinitum infinitè supereemineat cogitamus.

Quamobrem non solùm diuini solis radius oculo mentis inest, sed etiam sol ipse diuinus adest sub ipsa infinitatis suæ (vt ita dixerim) ratione, per quam videat appetatque, tum infinitatis verissimam rationem, tum rationis ipsius infinitatem. Adest, inquam, vbique, & adest semper. quandoquidem vbi mentes quoties expeditæ sunt, attentiusque ad hoc opus incumbunt, diuinum actum hac ratione considerant infinitum, quia neque subiecti alicuius limitibus vllis cohibeatur, neque permixtione qualitatis inficiatur, neque causæ superioris excellentia superetur, neq; vel temporum interuallis, vel locorum spaciis excedatur, neque numeratis virtutis gradibus quamuis quamplurimis terminetur. Neque forsitan terminetur supereturque à mente, quæ vltra quemlibet numerum atque finem, tam fingendo quàm affectando sine fine progreditur. Videt mens infinito Dei actui infinitam subesse materiæ (vt ita dixerim) passionem. Tempus quodammodo interminatum, motum semper æqualem spatiumque immensum (vt ita loquor) atque quodāmodo perpetuam generationis successionem, indefessam mētis discursionem. Videt ipsum purum nihilum infinitè considerari negando, & immensum ibi malum excogitari. Videt ipsum purum ens, (vt ita dicam,) infinitè affirmari ratiocinando, bonumque esse prorsus immensum, quia sit virtus immensa. Aliud enim est virtus quælibet, aliud est numerus atque mensura. Ac prius est virtus quælibet ordine quodam quàm mensura. Numerus igitur vel mensura quoties virtuti accedit extrinsecus posteriusque contingit. Nihil tale Dei ipsius virtus admittit. Non igitur numerum vel mensuram habet, qui omnia numero perficit & mensura. Si non intra se admittit, neque etiam circa se patitur. Ergo sicut infinitè se replicat intus, sic infinitè se explicat extra. Vnde fit vt vbique sit & semper, cuncta facillimè faciat & perficiat, cunctis & facillimè adsit & insit. Sicut enim si qua esset infinita dimensio immensum spacium occuparet, sic si qua sit infinita potestas seipsam vndique fine sine diffundit, atque etiam absque principio & fine viuit in æuum. Platonici Philosophi opinantur, *vbi est visibile summum existere visum*. Idcirco Solis globo non modo vitam tribuunt, verumetiam videndi virtutem omnium perspicacissimam atque certissimam. Orpheum in hoc potissimum imitari videntur, qui Solem mundi oculum nominat, quo & quem omnium oculi videant. Opinantur Solem stellasque viuificas & viuentes iactis per omnia radiis quicquid mundo continetur inspicere.

Deus omnia videt & curat.

PEripatetici putant summum intellectum summumque intelligibile idem penitus esse. Sanè summus intellectus summum possidet modum intelligendi, non igitur intelligendo respicit extra, sed intus, neque eius intelligentia ab alio quam à seipso dependet. Quod etiam summum intelligibile est, summus sit intellectus, ex eo patet, quòd inter intellectum atque intelligibile maxima quædam proportio esse debet. Cum igitur id maximè fiat, intelligibile quod à materiæ passionibus longissimè separatur, maximè & verissimè intellectus est, quod maximè est abstractum. Præterea non esset intelligibile summum nisi tale sibi quoque esset, intelligereturque etiam à seipso. Denique si intelligibile excellentiam quandam super intellectus communes significat, monet enim eos & illuminat, & format, & perficit, nihil in intellectu secundum participationem aut formam reperitur boni, quin in ipso summo intelligibili secundum causam virtutemque agentem reperiatur. Igitur animæ rationa-

les intellectus quidam secundum participationem esse dicuntur, Angeli verò intellectus secundum formam existimantur. Intelligibile summum, id est, Deus, intellectus secundum causam est intellectus, inquam, super intelligentiam cogitabilem. Intellectus quolibet intellectu infinitè præstantior. Si Solis lumen quo Solem videt oculus haberet oculum, certè dum oculus noster ipsum videt, ipsum quoque & multo clarius, quia omnis ab eo claritas emanat, oculum mutuo nostrum inspiceret. Et dubitamus adhuc, vtrum diuinus ille oculus quo etiam proximè & quem passim mentium nostrarum vident oculi, nostros ipse vicissim videat oculus? Nisi nos ipse videret qui nos continuè videndo, nos semper illuminat atque illuminando vim nobis videndi actumque largitur, certè nusquam aliquid videremus. Qui certè nihil aliud intelligimus præter intelligibilis summi lumen intelligibilis cuiuslibet rationibus vndique plenum. Sicuti neque videmus quicquam nisi Solis lumen, rerum omnium coloribus figurisque depictum. Et dubitamus adhuc, vtrum immensa bonitas nos amet nobisue prouideat? Quæ etiam absque medio nos fouet tanquam filios, & vbique ac semper amplectitur. Et dubitamus adhuc, vtrum infima quadam corporeaque scintilla, an potius incorporea luce atque superna, sublimes formarum radios ab infimis materiæ tenebris secernamus? Argumentemur superiora, inferiora passim redarguamus, quam parua sint terrena, quam magna cœlestia, quam immensa supercœlestia, metiamur. Nemo magis videtur vbique mentiri quàm qui maxima quæque confidit pusillo corporalis sensus digitulo, potius quam maxima mentis mensura, metiri. Nemo profundius in tenebras vel clam ipse delabitur, vel præcipitatur inuitus, quam qui adeo & sibi superbus & soli superno euadit ingratus, vt absque illius lumine cuius est omne lumen, videre lumen profiteatur. Perinde ac si quis cœlestia lumina oculi dumtaxat sui radio, non cœlesti splendore videre se credat. Hinc Paulus Apostolus contra Philosophos nonnullos superbiores exclamat: Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & putantes esse se sapientes, stulti facti sunt. Horum mens passa videtur Eclypsim, quando superbè nimium defecit à Deo, imò verò miserabiliter admodum à seipsa. Tunc enim nos ipsi deserimus infeliciter quando ipsum sine quo esse nullo modo possumus, stultè deserimus. Heu quisquis hunc misere relinquit tutorem, haudquaquam relinquit omnino, simul enim in eundem recidit sed vltorem. Heu quisquis patrem aspernatur benigne lucentem, interim eundem tanquam iudicem experitur vrentem. Vt in qua luce bonum suum infinitum venerari neglexit, in eadẽ nisi dilexerit aliquando quod neglexit, malum suum sentiat infinitum. Atque ob oculorum impuritatem sub lucis illius radio doleat semper, qui non purgauit oculos & erexit vt semper tota luce gauderet. Quando impiorum mens Philosophorum imprudenter defecit à Deo, tunc sensus in eis imprudenter defecit à mente. Corpus, & si libenter, impotenter tamen, secutum est sensum, illinc monstruosissimæ quædam opiniones, istinc mores orti sunt omnium immanissimi. Hinc vita vndique misera, contra verò nullorum vel sententiæ probabiliores vel mores probatiores, vel vita beatior quam eorum qui legitimè, id est, piè Philosophantur, hoc est, scientiæ veritatisque studium cum religiosa semper veraque pietate coniungunt. Hoc autem nihil aliud esse videtur quam nolle ab inueniendæ veritatis amore seiungere honorandæ veritatis amorem.

Elementa mouentur mobiliter. Cœlestes sphæræ mouentur stabiliter. Animæ stant mobiliter Angeli stant stabiliter. Deus est ipse status.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Ioanni Francisco Hippolyto vtriusque iuris Doctori Gazolti Comiti clarissimo, S. D.

VIdemus elementa à terra vsque ad cœlum moueri mobiliter, mobiliter, inquam, quoniam à rectissima motionis norma nonnunquam vel ob impedimentum vel ob aliam quandam causam quodammodo dimoueri videntur. Cœlestia verò corpora mouentur quidem, sed stabiliter, nam in ipsorum naturali motu continuè perseuerant. Proinde status motu longè perfectior iudicatur. Motus enim statu necessario indiget sed non contrà. Quamobrem si motus motu nobis ab inferioribus ad superiora nunc ascendentibus perfectior gradatim occurrit, atque ille est perfectior qui stabilior est, multo magis status ipse statu gradatim perfectior debet occurrere. Itaque sicuti status elementis in cœlum vsque adeò creuit vt iam modus standi

quod stabiliter nominatur sit repertus, longè magis adeò crescere debet supercœlestem, vt status ipsius substantia quædam reperiatur. Illic igitur erit aliquid quod stet quidem semper, licet mobiliter, hæ verò rationales animæ sunt, quarum substantia semper est eadem, neque motum patitur vllum, sed affectus & actio variatur. Quoniam verò mutatio quælibet indigentiam quandam significat, ob quam quod mouetur ad id quod non habet omnino solet percurrere, atque super id quod est indigum, necesse est esse aliquid quod sit plenum, quo sustineantur regenturque mobilia, quo recurrant alia vt impleantur, ideo sunt super animas Angeli, qui & stant quidem semper, & stant stabiliter, quia & substantia & actio in eis semper est eadem. Corpora spirituum vmbræ sunt, spiritus contrà sunt lumina corporum.

Tria verò sunt corpora, tres ergo sunt spiritus. Corpus ex elementis compositum, tam secundùm totum, quàm secundùm partes è suo statu mutatur. Elementorum sphæræ & si vicissim mutantur in partibus, totæ tamen ipsæ permanent incorruptæ. Cœlestes denique sphæræ, tam secundùm partes, quàm secundũ totum indissolubiles perseuerant. Spiritus ratione vacui fortè mutantur omnino. Rationales autem in tota substantia & actione præcipua permanent, quamuis secundùm particulas quasdam, id est, vires actionesque infimas quadam vicissitudine permutentur, Angelici spiritus iidem & similes in vtrisque consistunt. Imò verò, vt rectius exprimam, si corpora multa reperiuntur, quæ quamuis dispositione mutentur, semper tamen eadem substantia permanent, atque hæc quidem sunt, quorum proprius est circuitus, id est, multo magis multi sunt spiritus & si quadam dispositione mutabiles, substantia tamen penitus immutabiles. Tales verò sunt qui præditi ratione circuitum quendam rationalem à seipsis in seipsos intrinsecus agunt, quando seipsos animaduertunt & colunt. Agunt rursus extrinsecus, tum consultando à fine rerum agendarum ad principia, atque conuerso, tum differendo à propositionibus quibusdam ad conclusiones. atque contrà tum speculando ab effectu ad causam, rursusque à causis ad effectum. Rursus quando particularia in vniuersalia ipsa resoluunt, ac vicissim vniuersalia in particularia diuidunt componẽdo. Omnis verò vis ad circuitum naturalis esse sempiterna censetur, tum quia à se per suum centrum non recedit, tum quia si opus fuerit per suam circumferentiam in se redit, & in quouis puncto inchoat semper à fine principium. Maximè verò vbi fit circuitus spiritalis, ibi enim iungitur circumferentia centro. Atque huiusmodi substantia simplex vim suam replicat in seipsam & auget replicando. Sibique innitens semetipsam conseruat. Meminisse verò oportet, vbi discursio rationis efficitur, innata esse principia quædam stabilia discurrendi, id est, communes quasdam manifestasque notiones, à quibus incipientes quasi radiis quæramus ignotiora, atque inuenta ad easdem comparando diiudicemus. Meminisse præterea decet, quoniam principia illa necessaria sempiternaque sunt, ideo vim animæque illarum subiectum est, esse similiter sempiternam. Discursionem quidem illam tanquam naturæ nostræ propriam possidemus. Fundamenta verò discursionis nobis cum Angelis sunt communia. Illa quidem parte cœlestes sumus, ex ista supercœlestes. Duo mundani corporis sunt extrema, terra scilicet cœlumque empyreum. Vtrumque videtur immobile, sed altera alterum ratione. Terra quoniam non adepta est virtutem aliquam ad circuitum. Empyreum verò cœlum quia iam omnem corporum virtutem est adeptum Mediæ vero sphærę sempiterna quadam virtute sed mobili, requirunt vlterius, nescio quid, permanens & æternum. Quod de tribus iis gradibus diximus, idem penitus de sensu, ratione, mente, rursus bestia, homine, Angelo, intellige dictum. Elementa quoniã non solum corpora sunt, verũ etiam ex materia infima componuntur, ideo mobiliter agitantur, Cœlestia verò quia eiusmodi materia carent atque sunt quasi non corpora. idcirco stabiliter æqualiterque discurrunt, suoque ordine errores elementorum cohibere videntur. Quia tamen motibus oppositis contrariisque feruntur, si propriis ferantur naturis oportebit contrarias illis inesse naturas. Nulla tamen est contrariarum dissonantia qualitatum, vnde omnis abest pernicies, omnisque transgressio. Mouentur igitur temperatione quadam, qua & ipsa superior causa regit potenter suauiterque perducit. Vniformis natura est quæ tam multa conducit in vnum, est etiam omniformis quæ illa ad terminos affectusque redigit omniformes. Non est autem corporea forma, alioquin vniformis simul & omniformis esse non posset. Atque omne corporeum dum mouet, necessariò permutatur, ideoque perfectissimus motor esse non potest. Et quia in mouendo non permanet, idcirco solum virtute sua nequit permanentem in motu seruare tenorem. Quam-

obrem globi cœlestes à substantia quadam spiritali rationalique mouentur, atque ista quidem sempiternam habente infatigabilemque virtutem, qua tamdiu moles tantas tam æqualiter, tam celeriter voluere valeat, ordinemque mirificè rationalem pulcherrimumque conficere. Rationales animæ quia nullo modo sunt corpora, sed ad corpora iam affectu quodam naturali declinant, idcirco manent quidem essentia vitaque semper, sed quasi mobiliter. Innata verò virtute propriaque mouentur. Angeli verò, neque corpora sint, neque ad corpora viuificanda declinent, & stant quidem & stabiliter, vt in superioribus disputauimus. Quemadmodum omnia mobilia ad motum vnum tempusque primum, sic stabilia cuncta ad vnum primumque statum æternitatemque necessarie reducuntur, tanquam cardinem siue centrum. Cui quęcunque stant, pro viribus innitantur, quod & ambiant quæcunque mouentur, cuius vnione res tam multæ, tam diuersæ vnam quandam pariant harmoniam. Motus tempusque sunt penè idem, status & æternitas sunt penitus idem. Quæ enim in inferioribus disiuncta videntur, in superioribus mirificè coniunguntur. Quicquid stare dicitur, siue in se, siue in alio, primum quidem ipso statu stat. Deinde compositionem aliquam quodammodo suscipit. Verum super id quod aliquo pacto compositum est, extat aliquid necessario simplicissimum à quo cætera pendeant, vniantur & componantur. Præsertim quia quod primum est in natura, cum vltra primum esse suum nihil capiat, aliunde compositum aliquo pacto cogitari non potest. Sic igitur super pigram naturam mobilis, super vagum motum motus sit constantior, super stabilem conditionem, substantia stabilis cum quadam conditione mutabili, super hanc naturam status ipse omnium simplicissimus. Vbi summa simplicitas, ibi summa vnitas, vnicus igitur Deus existit, qui re vera absoluta vnitas est, atque, vt Platonicis placet, est etiam quodammodo mentis vnitas atque cardo, quemadmodum & mens cardo vnitasque animæ, & anima vnitas & cardo naturæ, natura denique corporum. Deus sicut est purus status mutatione carens, sic est pura vnitas imperfectæ multitudinis expers. Quoniam status est purus, ideo omni est motu celerior. Iam enim ab æterno ipse in se est id omne quod ex parte quadam minima vix & paulatim & vniuerso tempore vniuersus motus assequitur. Et quicquid diuiduus motus naturæ diuiduæ diuiduo facit temporis interuallo, id totum status indiuisibilis indiuiduo prout vult momento æternitatis indiuiduæ perficit. Vbi enim virtus constantissima dominatur, ibi actio editur omnium velocissima. Vbi verò instabilis natura vacillat, fit motio tardior. Rursus quoniam Deus est pura vnitas, multitudinis infinitæ principium, ideo infinita multitudine rerum est infinitè potentior, si innumerabilis inde potest numerus emanare, tempore sempiterno, ipse iam actu est innumerabilis numerus, imò vnitas infinita & immensa potestas. Et quæcunque infinitè, dispersa infinitè, vt ita dicam, debilitantur, ipse immensa vnitate sua potenter colligit in immensum. Quoniam verò nulla omnino difficultas actionis adest vnde mensura virtutis abest, cui resistere dimensa natura non potest, idcirco Deus infinitè facilius feliciusque quam cogitari possit omnia perficit, adeò vt si statuerit cuncta simul efficiat, qui est omnia simul, à quo & ad quem velut à centro & ad centrum singula tanquam lineæ punctaque dependent, vt vno stabilique nutu singula queat pro natura cuiusque vibrare.

Forma corporea diuiditur & mouetur ab alio. Anima rationalis non diuiditur, sed ex seipsa mouetur. Angelus neque diuiditur, neque mouetur, sed aliunde impletur. Deus est plenitudo vna, simplex, immensa.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Episcopo Vaciensi & Francisco Bandino, S. D.

FOrma quæ ex seipsa primoque talis quædam aut talis existit, in eo genere plenissimè talis esse debet. Quod enim ex se primoque calet & lucet, summopere calet & lucet. Quod igitur non est perfectissimè tale, ab alio quodam superiore dependet. Forma omnis quæ cum materia vel dimensione diuiditur & mutatur ab alio, formarum omnium imperfectissima est. Nam subiecti dimensioni suæ ipsius indiget adminiculo, quippè quæ à seipsa non fit, quandoquidem non est vel in seipsa vel secum. Neque etiam à subiecto præcipuè nascitur quod propria natura iudicatur informe, neque rursus à quantitate quæ non per seipsam quicquam agit, sed per qualitatem: præterea propter extensionem dispersionemque forma illa fit debilis, denique propter motum apparet egena. Neque igitur propria virtute agit aliquid vel mouetur, postquam vim non possidet integram, atque propria virtute neque sustineatur, neque subsistit. Quapropter præstantiore quadam forma dependet, quæ in se sine

subiecto atque secum sine dimensione consistere possit, id est, ab anima, quæ quamuis ex seipsa quodammodo moueatur quia proximè qualitates omnino mutabiles antecedit, non tamen cum materia vel quantitate vllo pacto diuiditur. Quod ex eo præcipuè patet, tum quia indiuiduas formas à diuiduis ipsa perspicuè diuidit, secumque coniungit, tum quia conuertitur in seipsam, quod forma diuisibilis facere nequit. Vbi enim pars altera distat ab altera, nondum totius in seipsum est facta conuersio. Quòd verò anima rationalis ex seipsa liberè moueatur, tunc apparet potissimum, quando & res corporeas modo potius suo, quam rerum intelligit, & contra earum impetum, quod ipsa præstare censuerit pro arbitrio eligit sæpenumero. Motusque suos in plurimas oppositasque partes edit assiduè, vtpote quæ non determinata vel naturæ vel obiecti qualitate trahatur, sed consilij sui potius varietate ducatur. Quoniam autem mouetur quodammodo, atque idcirco quasi indiga iudicatur, cùm nulla res motu quærere soleat quod iam possidet, idcirco super animam est immobilis Angelus, immobilis, inquam, quia iam vndique plenus. Quemadmodum verò ab eo quod haudquaquam omnino plenum est, ad illud quod plenissimum est ascenditur, sic ad plenitudinem ipsam ascenditur à plenissimo. Quia videlicet à plenitudine ad minus plenum ordine quodam per plenissimum fit descensus. Profectò causæ omnis in agendo intentio est aliquid sibi pro viribus simillimum generare, & quo potentior causa est, eo id magis faciliusque consequitur. Hinc efficitur vt causa illa qua nulla potest potentior cogitari aliquid generet sibimet vsque adeò simile, vt similius quicquam cogitari non possit, non reperitur alicubi talis quædam similitudo nisi vbi generantis genitique substantia est penitus eadem. Sed mittamus in præsentia quòd Deus generet in seipso, consideremus quæ procreat extra seipsum. Nam hic quoque consentaneum est, Deum simillima quædam gradatim minusq; similia procreare, vt nullus in gradibus ordo rationalis possit à nobis considerari, qui non prius à ratione summa & consideratus fuerit & impletus. Nempè à tali quodam ordine Dei & naturales causæ eiusmodi seruant ordinem in effectibus producendis, & mentes ratiocinando similiter ordinem & artificiosum tenent & naturalem diuinumque inueniunt. Quorsum hæc? vt super animas nondum plenissimas, plenissimos iam esse Angelos concludamus, super Angelos qui impleantur, esse fontem cuius liquoribus impleantur. Plenissimi quidem esse multi & possunt & debent, vt in Dei opere perfectissimo partes abundent vndique perfectissimæ. Plenitudo autem ipsa simplex, qua plena sunt quæcunque plena, & quia plena ideo composita nuncupantur. Plenitudo, inquam, summa nisi vna esse non potest. Si quis duas summas induxerit plenitudines, quæremus vtrum in se penitus differant vel omni ex parte conueniant? An potius partim conueniant quidem, partim etiam discrepent. Si vtraque similiter est plenitudo omnino, differre non possunt. Si conuenire dicantur omnino, vnum sunt non duo, quod in præsentia volumus. Si parte congruerent altera, parte altera discreparent, primum quidem vtraque composita esset atque ex partibus & simplici quodam componente dependens. Deinde neutra esset ipsa quam quærimus plenitudo. Quippè quo altera differt ab altera, non reperiretur in altera. Adde quod in plenitudine summa, nihil debet esse (vt ita loquar) non plenum. Si autem partes diuersas haberet, nulla pars esset vel idem quod & alia vel idem quod & totum; nulla igitur pars plenissima foret. Quamobrem plenitudo, vt idem sæpius repetam, vnica esse debet ac penitus indiuidua, adde, & infinita. Profectò quemadmodum in eo quod purum, vacuum, vacuitatemque ipsam cognominamus, nihil quod adsit fingi potest, sic in plenitudine pura quam extare oportet vacuitati puræ prorsus oppositam nihil in infinitum fingi potest quod non adsit. Vnde nam prima mundi materia & vniuersus mundi cursus & mentis cuiusque discursus hoc habent, vt naturaliter vltra quemlibet terminum impleri conentur, nisi ab ipsa plenitudine, quæ & exuberat vltra terminum & mentes mundumque atque materiam allicit super terminum. Quoniam verò immensa plenitudo in vacuum non potest allicere, rectè vaticinamur, materię nixum & mundi cursum mentisque discursum ipsa quandoq; plenitudine summa prorsus impleri. Tunc mundani stabilitas centri sphærarum quoque circumferentiis se prorsus communicabit, & pura circumferentiæ claritas se ad centrum vsque diffundet. Tota prorsus machina mundi flammis empyrei cœli vestietur innoxiis. Corpora sensusque naturalia animarum rationalium instrumenta fulgebunt animorum radiis beatorum. Animi salubribus vitalibusque Seraphinorum radiis feliciter accendentur. Tota spirituum multitudo fœlicium infinita plenitudine infinitè gaudebit in æuum.

Compendium Platonicæ Theologiæ Marsilij Ficini Florentini.

Ascensus à substantia corporea ad incorpoream scilicet, animas Angelosque & Deum.

MARSILIVS FICINVS Conphilosophis suis, S. D.

SVbstantia quoniam accidentis omnis fundamentum est, naturæ ordine quodam prior est accidente, potestque cum sit prior ac formæ virtute non careat, alicubi sine accidente consistere, accidente, inquam præcipuè corporali, quod ad communem accedens substantiæ rationem, non tam profectum affert quam defectum. Profecto substantia si absque corporeo accidente consistat, tam ob puritatem verior erit, quàm ob ipsam indiuiduæ naturæ simplicitatem vnitatemque potentior. Quamobrem iam est actu substantia quædam seorsum à quantitatis diuisione qualitatisque corporalis permixtione, ne vana sit semper in vniuerso potentia illa tam rationabilis tamque bona vel falsa prorsus vel imbecillis omnino natura illa, quæ verior potentiorque quam substantia quælibet corporalis existimatur. Primus incorporalis substantiæ gradus est vita quædam, id est, anima. Incorporalis autem illa substantia idem atque vita quædam esse videtur. Quandoquidem vitæ proprium est vis quędam ad penetrandum, vniendum, mouendum corpus, valdè mirabilis. Talem verò vim habet in primis substantia prorsus incorporalis. Vitæ quædam huiusmodi in rerum ordine iam existunt. Magis enim dependet corpus viuens à vita sibi coniuncta quam à corpore vita. Nam corpus inde formatur & sustinetur, regitur & mouetur. Quare quemadmodum infra coniunctionem istam corporis atque vitæ, corpora quædam reperiuntur, saxa scilicet & metalla, cæteraque generis eiusdem, quæ possunt absque vita manere, sic & multo magis, fortè etiam plures existunt vitæ, quæ sine aliquo corporis adminiculo sustinere se possunt, hæ verò partim sunt rationales animæ, partim Angeli. Super animas sunt Angeli. Verùm nunquid super corpora & animas necessarium est Angelos esse? Est vtique necessarium Sanè intellectus ipsius, inquantum est intellectus, natura hæc esse videtur vt potius seorsum à corpore quam vt in corpore viuat. Intelligit enim abstractione quadam formarum à singulis corporum passionibus. Et quanto ab eisdem ipse magis abstrahitur, tãto discernit clarius, & efficacius agit, viuitque beatius. Quasi ille sit mentis habitus potissimum naturalis, coniungere verò corpori mentem fortè nihil aliud sit quam eam ab ipsius origine longè seiungere. Quod autem naturale est, in ipso rerum ordine existit vt plurimum. Igitur super intellectus eos qui corporibus adsunt, id est, animas rationales nimirum mentes quamplurimæ sunt à commercio corporum segregatæ. quemadmodum puri intellectus ipsius proprietas est seorsum à corpore viuere, sic & natura puri sensus esse cum corpore Spiritus igitur in quo solus cum vita est sensus, solum vt videtur viuit in corpore. Spiritus autem in quo intellectus solus, extra corpus tantum agit vitam. Sed vbi intellectus sensusque coniungitur, quod homini conuenit, eiusmodi spiritus ea præditus est natura, vt & in corpore viuere possit & extra At quoniam intellectus in hoc est pars quædam in anima partes insuper alias continente, est & ambiguus & quodam spiritali motu ab alio in aliud intelligendo discurrit, idcirco super eum extare oportet mentem perfectiorem, quæ neque ad capacitatem animæ contrahatur neque inferioribus partibus misceatur, neque actionem suam tempore distrahat, sed in seipsa absoluta meraque sit & vndique clara, actionemque suam non discurrendo peragat, sed manendo.

Super mentem in anima est mens in seipsa, super illam est Deus.

COnfert ad idem ratio illa Platonica. Si anima secundum formam rationemque suam esset intellectus, certè tota prorsus anima intellectus esset, intellectus, inquam absolutissimus Et anima quælibet appareret intelligentiæ compos. Cum verò se res aliter habeat, perspicuum est animam non secundum formam propriè principalẽ sed secundum participationẽ quandam intelligentiam possidere. Quemadmodum verò super animarum mentes, quæ participatione tales esse dicuntur, sunt mentes multæ secundum formam, id est, Angeli, ita super mentes secundum formam est mens vna secundum causam efficacemque virtutem, id est, Deus.

Multi sunt intellectus humani, multi Angelici, vnicus est diuinus.

QVod multi sint secundum participationem intellectus, patet ex eo quod animæ rationales sunt plurimæ. Atque in

mentibus hominum diuersorum momento eodem apparent opiniones, affectus, habitus inter se penitus repugnantes, quod sint multi etiam intellectus secundum formam in superioribus declarauimus, quando diximus ad mentis ipsius rationem spectare magis seorsum à sensibus corporeque viuere quam cum ipsis, quod super mentes omnes quæ forma ipsa sunt tales, sit vnicus secundum causam intellectus, inde probamus, quod cum spiritalis indiuiduarum mentium multitudo ordinata magis vnitaque sit quam corporum multitudo, necessarium est vnionem eiusmodi ab vna quadam causa proficisci. Res enim diuersæ siue illæ quidem corporales, ea ipsa ratione qua diuersæ sunt, in vnum vel opus vel ordinem finemue conspirare non possunt. Sed inquantum vnum quiddam illis inest commune. Atque hoc ipsum quod commune dicitur vniuersis, à nullo illorum proprieque continentur in ordine, prouenit. Illi enim dumtaxat aut certè suis quibusdam proprium esset, non commune pariter vniuersis. Neque etiam à cunctis ex propria variaque ipsorum virtute communis illa qualitas proficiscitur. Quæ enim diuersa sunt, vt diximus, inquantum diuersa sunt non pariunt vnionem. Sed nunquid natura, quę cunctis inest communis, ex seipsa prorsus existit? Nequaquam. Maius enim est existere ex seipso, quam in seipso consistere. Cum igitur natura eiusmodi non in se, sed in turba consistat, certè ex seipsa non potest existere. Igitur ab vnitate quadam quæ super omnium numerum in seipsa consistit, vnio illa omnium proficiscitur, & quia vnitas illa sublimis nulli propria est, ideo sicut vnitas numeralis vbique omnibus adest numeris, & punctũ lineis, sic ipsa quoq; indiuisibilis permanens omnibus vbique spiritibus corporibusque pariter adest ac æquè ligat inuicem vniuersa. Quæ ex hoc ipso mutua quadam conuenientia conducunt ad vnum, quoniam ducuntur ab vno. Sicut igitur omnia mundi corpora ad vnum summumque corpus continens mouensque omnia, rediguntur, sic spiritus omnes ad vnum summumque spiritum omnia complectentem, perque spiritus sibi subditos corpora viuificantem atque mouentem.

Res neque circulo confunduntur, neque ad principia plura æqualia reducuntur, neque sursum absque fine progrediuntur.

Hic, vt videtur, triplex potissimum excluditur error. Primus eorum qui aiunt cuncta sic circulo inuicem dependere, vt quemadmodum hoc ab illo, ita illud vicissim ab isto dependeat. Sic vtique idem ad idem comparatum esset & causa & effectus, prius quoque atque posterius, superius & inferius. Secundus, eorum qui plura in latus principia introducunt. Foret enim numerus quidam principiorum ex communi natura proprietatibusque compositus. Nullum igitur illorum esset reuera principium, quia nullum simplex existeret, & ab altiore vnitate cuncta ligante singula prouenirent. Tertius illorum qui sursum absque fine à principio alio ad aliud semper ascendunt. Sed illi dum innumerabilia principia curiosius affectare videntur, cum nusquam reperiant primum, nullum prorsus principium assequuntur. Cogitare profectò deberent, quicquid dependet ab alio suaptè natura pendere, ac nisi ab alio quod non dependet, aliunde sustineatur, penitus vacillare.

Quapropter, si omnia ab aliis absque fine dependent, cuncta vndique vacillabunt. Perinde ac si liquida liquidis hæreant nec vsquam solida dentur quæ liquida sistant. Nullus erit in rebus status, ordo, circuitus, perseuerantia, & restitutio nulla. Non erit in rebus aliud præstantius alio, cum vbi non datur summum, ibi alia aliis ad summum propius non accedant. Manifestè verò videmus, alia in natura facere, alia fieri, illa quidem antecedere dignitate, ista succedere. Causarum præterea multitudinem latitudinemque in effectibus quoque numerum amplitudinemque producere. Itaque si absque termino à causis in causas ascendatur, similiter præter terminum ad effectus ab effectibus descendetur. Nulla erunt extrema, sed omnia media, omnia infinita. Siquidem res quælibet ab innumerabilibus antecedentibus vires accipiet, & succedentibus innumeris vires dare valebit. Innumerabilia erunt infinita. Quod est absurdum. Res quælibet cuilibet apparebit æqualis. Quod nihilominus indicatur absurdum. Nusquam reperietur corpus infimum quod est terra, nusquam materia infima, quæ est potentia vna puraque formarum capax. Nisi sit summus spiritus, nisi sit forma suprema, actus purus, fonsque formarum, nunquam incipient effectus aliqui fieri, quia nunquam mediæ incipient causę facere, quæ non prius faciunt quàm ab omnibus superioribus moueantur: quod si ab innumeris, & per immensum interuallum expectetur motionis exordium, nunquam accipietur. Nulla erit effectus alicuius scientia, quia nequaquam erit innumerabilium

innumerabilium comprehensio causarum. Quid plura? Singuli in rebus humanis naturalibusque motus ideo ad certos terminos diriguntur, quoniam à principio certo reguntur, nisi enim regerentur inde, illuc nunquam dirigerentur. Cum igitur vniuersi mundi motus ordinatior sit quam singuli qui ad illius ordinem referuntur, ideoque magis ad certum terminum sese conferat, id est, ad commune cunctis bonum atque pulchrum. Necessarium est ab vno quodam certoque principio, id est, bonitate ipsa summaque pulchritudine, proficisci.

Veritas est super mentem.

VErum ne fortè dum infinitum progressum amputare contendimus, ipsi quoque interuallo penè infinito ab ipso disputationis nostræ proposito dementer digrediamur, iam si placet regrediamur ad mentem. Quod est in corpore oculus, & in oculo visus, id fermè est intellectus in anima. Quod rursus, Solis lumen ad visum, hoc lumen veritatis ad mentem. Aliud Solis lumen est, quod oculus, similiter aliud ipsa veritas est, aliud intellectus. Alioquin & omnis mens omnino esset veridica, & res quælibet particeps veri, similiter esset intelligentiæ particeps. Oculus tuus quia pars est alterius, id est, corporis, neque clarè videt omnia prorsus, neque sua omnia simul. Si totum corpus tuum oculus vnus efficiatur, simul vndique cuncta videbit. Nondum tamen idem erit oculus atque lumen. Similiter mens tua quoniam pars est animæ, ideo neque clarè, neque momento eodem intelligit omnia. Si totus animus tuus intellectus vnus euadat, iam ex animo fiet Angelus, clarè cuncta perspiciet, neque temporali discursu amplius tum hoc, tum illud aucupabitur; sed cuncta simul perspicuè contuebitur. Adhuc tamen aliud veritas ipsa, aliud ipsa mens erit, quæ nihil est aliud quàm oculus spiritalis ad ipsum veritatis lumen bonitatisque calorem intelligentia & voluntate percipiendum.

Veritas & bonitas idem sunt.

VErùm perscrutandum esse videtur, nunquid vnum idemque sit ipsa veritas atque bonitas? Mittamus quid relationes illæ dialecticæ machinentur. Si rerum ordine falsum atque malum, falsò esse atque malè esse inter se reipsa non discrepant, sequitur vt eodem in ordine verum & bonum, verè esse & benè esse reuera non differant. Quapropter super rerum omnium ordinem idem in substantia est veritas atque bonitas. Præsertim quia quovsque se veritatis eovsque & bonitatis, atque vicissim, se dilatat imperium. Quicquid enim veri, idem & boni particeps reperitur, atque è conuerso. Hoc ipsum tamen quod veritas & bonitas nominatur, mentem quamlibet supereminet. Quia mens non in suiipsius natura, sed in veri & boni possessione quiescit. Ac latius se veritatis bonitatisque vestigia, quàm intelligentiæ propagant. Vbi enim nullum apparet intelligentiæ munus, veri tamen bonique nonnihil latere videtur. Quid ergo dicemus? Deus omnia ad suæ artis exemplar in specie quadam propria puraque collocat, deinde ad suæ largitatis exemplar omnibus ordinem vsumque aliquem ad aliquid benignè distribuit, in illo quidem actu vera, in hoc bona efficit omnia. Rursus Deus quando intelligentiæ lucet, veritas, quando voluntati calet, bonitas appellatur. Ibi intelligentia illustratur & adolescit, hic voluntas blandè allicitur & impletur.

Deus mentem immenso supereminet interuallo.

MEtiamur præterea si mensurari potest, postquam Deus supereminet mentem, quam longo spatio eam supereminet. Ah quam immensæ dementiæ est, conari immensa metiri! Tanto enim dignitatis spatio saltem sursum distat à mente, quantum spatij mentis discursui patet super se gradatim à clariori in clarius percurrenti & voluntati à meliori melius affectanti. Id verò eovsque patet quovsque nobis aliquid ocurrat prorsus immensum. Quod infinitate sua imponat infinito quodam modo progressui terminum.

Deus est ipsa certitudo & ipsum gaudium.

QVamuis autem extremæ dementiæ videatur, mente comprehendere velle quod mentem insuperabiliter mentisque stimulum, id est, voluntatem exsuperat. Non tamen dementis est vllo pacto ab ipso saltem velle plenissimè comprehendi. Fortè enim quod incomprehensibile est, comprehendere nihil est aliud quam ab ipso fœliciter comprehendi. quid ergo? Volumus ne à summa increataque forma quæ nos hactenus clam complectitur manifestissimè comprehendi, id est, ita comprehendi, vt nos hoc ipsum minimè lateat? Apprehendamus quoad possumus quæ in

formarum genere creatarum summa nobis occurrunt. Summa verò in iis sunt, quæ absque medio ad summam increatamque formam sese conuertere possunt, ob id ipsum quod ab eadem sine medio processerunt, eiusmodi autem omnes mentium species esse videntur. Siquidem omnes diuinitatem summam non in rebus aliis tantum, sed etiam cæteris omnino posthabitis, in ipsa (vt ita dicam) eius excellentia quadam quærere, considerare, colere, quotidie possunt. Summa igitur in vniuerso post summum vniuersi principium sunt mentes tanquam specula summi. Capiamus quæ in mente sunt summa, id est, intellectum ipsum & voluntatem, rursus quod intellectu est voluntateque summum, in illo quidem supremum est intelligere, in hac autem velle. Verum quid est vlterius in intelligendo supremum? Quid iterum in volendo? In illo quidem claritas summa, id est, exactissima verorum omnium certitudo. In hoc aut plenissimum gaudium, id est, integra bonorum omnium securaque fruitio Nihil vlterius possumus vel fingere vel optare. Quid ergo Deus est? Certè quantum in mente ipsius speculo refulget ex eo, Deus est clarissima & certissima veritas, omnium fons verorum. Verissima quoque claritas claritatum. Rursus bonitas infinita, quæ dum seipsa gaudet, bonis gaudet innumeris. Gaudium quoque immensum seipsa bonum, perque seipsum faciens vt alia bona sint, quibus gaudere quis possit.

Ipsa certitudo vel claritas idem est atque ipsum gaudium.

QVando dicimus Deum claritatem esse vel gaudium, non claritatem, vel gaudium in voluntate ponimus, sed in seipsis. Neque volumus illic claritatem à gaudio discrepare, vbi veritas à bonitate non discrepat. Est itaque claritas gaudens, gaudiumque clarum. Claritas, inquam, gaudio non tanquam re alia gaudens, sed seipsa. Gaudium non alia claritate clarum quam seipso.

Sicut lumen non indiget oculo, sic veritas non indiget mente.

ALiud quidem oculus est, aliud radiolus quidam ingenitus oculo, aliud rursus amplissimum Solis lumen. Radiolus ille propria est oculi claritas & in oculo, lumen verò illud communis est omnium claritas, claritas non agens oculo qui ad ipsam percipiendam est institutus. Similiter aliud mens, aliud eius propria claritas, id est, radius ei insitus ab initio. Aliud Deus supereminens claritas claritatum, claritas propriè mente non indigens, quæ ad ipsam percipiendam procreata videtur. Gaudium gaudiorum omnium, quæ à voluntate qualibet sentiunt, gaudium non indigens voluntate qua gaudeat. Siquidem ipso duntaxat gaudet vnaquæque voluntas.

Summæ certitudini nihil est incertum.

SI Solis lumen esset non solum in causa visus visibilisque ipsius, sed etiam omnium causa causarum, ac visus ipse foret præstantissimus Solis effectus & proximus, cum perfectio à defectu dari non possit, imò verò opus sit visu perfecto ad indigum generandum. Certè quicquid in visu bonum præcipuè optandumque apparet, id totum, ac multo excellentius esset in lumine. Optimum verò optabilissimumque est oculo, vt neque lumen lateat ipsum, neque cum patet offendat, imò vehementer oblectet. Lumen igitur & si non haberet oculum, tamen suo quodam pacto, id est, seipso tanquam sublimiore visu sese clarè videret, coloresque omnes in se fonte colorum intueretur. Videret quoque se id esse quod omnes vident oculi, omnesque per ipsum videntes, passim ipsum quoque videret. Mitto nunc, quod Platonici putant lumen cuncta videre. Deus autem tota mentis causa est & proxima, ac mens opus est Dei summum. Quicquid ergo summopere menti est optandum tanquam optimum, totum hoc iam habet Deus modo supra quàm dici possit pręstantiore. Quid verò vel intellectui optabilius quam verorum omnium certitudo? Vel voluntati quàm gaudium omnibus gaudens bonis? Non satis esset menti, (eam interroga,) non satis esset ipsi veritatis tota possessio, si eam veritas ipsa quam possidet lateat. Non satis omne bonum, nisi iucundum curet & gaudeat omni. Claritas ergo diuina quamuis intellectu propriè non vtatur, sed tamen ipsam minimè latet. Neque latet eam alicubi quicquam, quando per ipsam vbique omnia patent. Quid enim alicui posset esse certi, si certitudini ipsi, per quam sunt certa omnia, non esset certum?

Vbi præcipuus mentium finis, ibidem est earum principium.

SEd repete hunc in modum superiora, effectus quilibet impellente natura causam appetit, vt vnde efficitur, ibi quoque perficiatur. Causam quidē proximam, si talis sit vt in se remotarum omnium cau-

sarum munera colligat, appetit propriè, atque sub huius forma remotam. Propriam enim distinctamque formam à proxima potius causa quàm à remota sortitur. Igitur in proxima illa, quam dixi, vnde proprium principium habuit, proprium quoque collocat finem. Sicut ignis in concauo Lunæ, potius quàm in Sole, vel Marte terminum assequitur naturalem. Et aër in ignis concauo, non in Venere vel in Ioue. Cum igitur mens quælibet, natura duce, siue in summa ipsa omnium certitudine summè gaudente, siue in summo omnium gaudio summopere certo, dumtaxat proprium præcipuumque finem statuerat tanquam in causa proxima, quis non videat Deum ipsum, qui proxima est mentium causa, esse summam ipsam, vt ita dixerim, certitudinem gaudiumque supremum? Certitudinem, inquam, non alicuius, vel in aliquo, vel ad aliquid, sed suiipsius, in semetipsa & ad seipsam. Alioquin neque pura simplexque esset, neque summopere summa. Cum igitur nulla ex parte terminum vllum, mensuramque accipiat, immensa relinquitur. Quapropter nihil prorsus admittit incerti. Nihil igitur siue in ea, siue extra, vel esse, vel fingi vnquam potest quod ipsi certitudini sit incertum. Quæ dum supereminet omnia, supereminenter est omnia. Neque aliunde in essendo agendoque dependet, sed inde alia in vtroque dependent. In qua cum non aliud sit esse ipsum, atque certam esse imò certitudinem esse, nimirum dum suiipsius est, similiter suiipsius est certa, imò vt loquar rectius, certitudo. Ac dum suiipsius, quæ cuncta mirabili virtute complectitur, certa est, proculdubio est certa cunctorum, imò verò omnium certitudo. Proinde lumen quo cuncta videntur, nihil est aliud quàm puræ efficacisque formæ spiritalis quædam amplificatio. Vbi igitur formæ puritas efficaciaque minimè terminatur, vbi lux pullulat infinita, inde lumen emanat prorsus immensum. Profecto quod est in corporibus perspicuitas, hoc est in spiritibus perspicacia. Quod rursus in corporibus visibile lumen, hoc in spiritibus est perfectio, Vnde corpora quæ ad spiritum magis accedunt, facilius vberiusue refulgent. Atque contra, quæ fulgent, sola spiritalem ex se propagant qualitatem. Igitur in summo spiritu lux viget & perspectio summa. In eo idem est claritas atque perspectio. Non dico Deum esse quandam perspiciendi virtutem, quæ perspiciendi egeat actu, neque rursus ipsum appello id quod perspicere nominatur, ne vel nixus quidam ad aliud videatur vel compositum. Sed ipso actus vocabulo Deum perspicientiam nuncupo, per se existentem, nec claritate quam seipsa perspicientem. Verùm quid modo dixi perspicientem? Quis enim non impropriè dixerit visio videt vel sapientia sapit? Non tamen vel sapientia insipida est vel visio cæca. Similiter ipsa perspicientia neque propriè dicenda est perspicere quicquam, neque rursus aliquid alicubi esse, quod non perspicuum illi sit atque perspectum: sicut enim perspicientiæ huic vel illi perspecta sunt hæc & illa, sic ipsi illi summæ infinitæque perspicientiæ perspicua perspectaque sunt omnia. Ibidem quoque summa abundat lætitia vbi summa claritas emicat, quæ lætitiæ est spiritalis origo. Imò idem est ibi claritas atque lætitia. Nihil enim vel in oculo, qui in corpore maximè spiritalis apparet, vel in ipso spiritu, aliud quicquam exhilaratio est, quam vel claritas ipsa vel illuminatio congrua. quisnam ambigit omne ibi gaudium dominari vbi est omne bonum? Siquidem gaudium tanquam optimum maximè omnium exoptatur, atque ipsum est tum boni ipsius circumfundentis splendor & gratia, tum circumfusæ virtutis amplificatio quædam circa bonum.

Deus est claritas lætissima & lætitia clarissima.

VBi igitur volumus rectissimè loqui, Deum ipsum neque intellectum propriè nominamus, ne intelligendi egeat actu, neque etiam ipsam intelligentiam, ne in quodam intellectu maneat, & alio quodam lumine repleatur. Imò claritatem ipsam mirificè lætam lætitiamque clarissimam, quam ita omnes ambiunt intellectus, sicut astra omnia Solem. Claritatem, inquam, radiis certitudinis suæ cuncta videntem, & vt videant efficientem, flammis insuper gaudij sui tanquam voluptate omnium genitrice singula facientem, facta quoque fouentem, fouendo rursus viuificantem, viua sensu mouentem, mota ratione trahentem, rapta deinde mente sistentem, consistentia tandem suiipsius veritate bonitateque prorsus implentem.

Deus volendo res facit & mouet; potius quam intelligendo.

SEd delectat nescio quomodo, ab eo quod in corporibus est pulcherrimum, ad optimum spiritum similitudine quadam rursus ascendere. Ergo quemadmodum sol Dei similitudo eadem luce in seipso fulget, & suo pacto calet, eodem quoque radio

singula illustrat & calefacit, verumtamen calefaciendo, potius quam illustrando, res facit & mouet. Sic Deus ipse solis exemplar, eadem claritate, & claret ipse sibi suo modo intelligendo, & gaudet ipse secum suo modo volendo. Eiusdem præterea claritatis radiis, vt vocabulis aliquando loquamur humanis, intelligit atque vult omnia. Verùm non tam intelligendo procreat quam volendo. Vnde omnibus & naturis videtur esse tributum, vt appetitu quodam pro natura cuiusque, ac etiam voluptate sibi similia generent. Meminisse verò debemus, Deum sicut intelligendo se, intelligit alia, quæ sunt quidam ipsius intelligentiæ radij, sic volendo se, id est, seipso gaudendo velle alia simul illisque gaudere, quæ sunt quidam affectus ipsius effectus. Genusque actionis eiusmodi scilicet voluntarium, quia perfectissimum est Deo agentium perfectissimo conuenire. Quod enim voluntate agit libera, præstantius agit, quam quod impulsu naturæ necessariò impellitur ad agendum. Fœlicissima certè est actio in qua author suæ actionis est Dominus, vt ipse finem, & modum, & mensuram præscribat agendi, finem quoque proprium certasque vias operibus suis instituat. Profectò, si Deus ita naturali qualitate faciat sicut ignis calefacit caliditate, maximè omnium compositus erit, quandoquidem à naturalibus formis eius inter se distinctis, res innumerabiles procreabit, præsertim illas quæ sola possunt creatione produci, scilicet materiam ipsam & formas, vel separatas à materia, vel separabiles. Præterea, non vicissitudine quadam distribuet singula, sed cuncta simul effundet, imò confundet. Adde quod cùm sit actus immensus, repentè omnia coget, agitabit sphæras mundi momento. Nihil relinquet in vniuerso contingens, consultationis auferet libertatem. Nunc verò quoniam omnia efficit voluntate, idcirco ea potissimum mensura qua vult nimirum facit, & mouet, & sistit. Non difficile intelligit vniuersa in quo intelligere idem est atque esse. Non difficile singula facit & curat, in quo idem est facere quod & velle iam facere. Intelligit ille omnia vera dum seipsum intelligit omne verum. Vult etiam bona omnia, dum vult seipsum qui est omne bonum. Alia diuinæ intelligentiæ voluntatisque ratio est, alia est humanæ. Homo tunc verè ipsas rerum rationes intelligit, quando ita præcipuè vt sunt intelligit. Hæc autem idcirco sunt veræ, quoniam ita sunt vt Deus intelligit, qui ipsa veritas est, qua & vera sunt omnia, & verè passim intelliguntur. Humana voluntas singula ideo vult, quia bona. Singula verò creata propterea bona sunt, quod hæc ipsa vult Deus, qui ipsa bonitas est, qua & bona sunt, & bene singula volumus.

Deus omnibus prouidet, præcipuè mentibus, quia sunt ex eo proximè procreata.

VNde constat causam primam voluntatis suæ benignitate omnibus prouidere, quia maximè sua sunt omnia. Certè cùm sit maximè causa, tam in conseruando, perficiendoque causa est, quàm efficiendo. Præcipuè ad summum bonum, summa pertinet prouidentia. quæ nihil est aliud quàm diffusio & conseruatio boni. Constat prætereà sequentes causas, dum à prima generandi fœcunditatem procliuitatemque accipiunt, prouidendique suis ab eadem diligentiam adipisci. Si quis verò neget, mundum tum artificiosissima ratione, tum voluntate benignissima gubernari, hic mihi videtur neque rationabilem pulcherrimumque rerum ordinem in seipsis & inuicem, & ad totum, neque mirabilem singulorum commoditatem vbique singulis aptissimè seruientem, mutuumq; rerum vsum considerauisse. Sanè commoda habitatio tanquam finis fabrum mouet, quasi agentem causam, vt certam quandam domus formam excogitet, ob quam forma rursus certam quærat materiam. Vbi finis mouet agentem, agens formam, formam materiam. Idem accidit in ciuilibus bellicisque consiliis. Quo fit vt finis sit causa causarum, ideoque omnes causas antecedat. Sunt autem naturalia omnia certi alicuius finis gratia instituta, cùm singula ad singulos potissimũ vsus conducere videantur. Puta, clauiculus palmitis, quem capreolum vocant, ad hoc natus est, vt vitem proximæ arbusculæ vinciat. Hic vinciendi actus causa est vt ortus sit capreolus. Quia verò quod nullo modo est, id neque esse potest essendi causa effectui cuiquam, neque causas omnes mouere necessarium est actum huiusmodi & ante reliquas omnes vitis causas extitisse. Non autem extitit in corporibus nisi nouissimè. Ergo in natura quadam corporali rectrice corporum extitit longè priusquam in palmite. Quæ quidem natura vitis artifex gratia talis actus per formam suam capreoli formam in tali quadam materia figurauit. Sed vtrum actus huiusmodi in natura illa præfuit secundùm naturæ modum, an secundùm propositum voluntatis? Certè secun-

dum vtrumque. At ex illo idem erat quod agentis forma quædam & affectus ipsius exemplar, ex hoc erat finis. Vbi autem artificiosæ voluntatis propositum est, ibi mens. Quapropter præest omnibus corporalibus diuina mens, quæ corporalium omnium formas intellectuali modo complectitur. Singula ad suos dirigit fines, ad vnum denique cuncta. Maximè verò omnium mentes non solum Angelicas, sed etiam humanas, Deus curat & diligit, tanquam filias ex eo proximè procreatas. Cùm enim indiuiduæ & separabiles à materia separatæve sint, non possunt ex præcedente, vel parte, vel materia confici, ex nihilo verò quod infinitè ab ipso esse distare videtur agere aliquid solius infinitæ virtutis est opus.

Omnes mentes sunt indiuiduæ, separabiles à materia, sempiternæ.

QVod autem mentes indiuisibiles, separatæque, vel separabiles à materia sint, inde patet. Quoniam rationem ipsam indiuisibilem, ac penitus separatam, per quam res multæ indiuisibiles separatæque sunt & noscuntur, rationem, inquam ipsam propriè inquantum, indiuidua separataque est, attingunt. Quemadmodum verò lineæ indiuisibile centrum non aliter quàm per ipsarum indiuisibile punctum, sic nos indiuiduam secretamq; naturam, non nisi per virtutem indiuiduam & secretam attingere possumus. Deus quibus esse producendo tribuit temporale, iisdem prouidendo bene esse temporale procurat Quibus autem æternum esse sua incomparabili largitate concessit, iis bene esse nō tam ad tempus dirigit quàm in æternum. Vnde his res ita disponit in tempore, vt quamuis non videantur his bonæ, qui ipsam non vident æternitatem, tamen sint apud illum optimæ semper, qui quo pacto tempus æternitate seruiat, non ignorat. Quod autem mentibus vitam tribuerit sempiternam, nunc ab ipsa ratione & luce breuiter perspicua rationis luce monstrabimus. A ratione primum hunc in modum. Si rei cuiusque ratio quæ propria speciei definitione monstratur, aliter se habere non potest, quicunque dubitat vtrum summa ipsa rationum ratio non aliter habere se possit, is tunc vel ratione non vtitur vel abutitur. Summa igitur ratio est æterna, siue potius est æternitas.

Hæc mentibus omnibus passim sese insinuat, qua vbicunque placuerit pro arbitrio possint ratiocinari. Atque eousque quandam æternitatis suæ largitur proprietatem, quousque sub rationis ipsius munere, hoc est ratiocinatione æternæ rerum rationes, in quantum æternæ sunt, capiuntur. At rationis æternitas, ratioque æternitatis sua quadam definitione comprehenditur. A luce deinde hunc in modum. Immensam diuini Solis lucem inextinguibilem esse non dubitant, quicunque vmbratilem eius imaginem in cœlesti Sole lucentem extingui nunquam animaduertunt. Siquidem in summo puroque actus cuiuslibet actu nulla potest passio vel priuatio fingi. Sicuti neque vel in potentia infima vllus actus, vel in mera priuatione habitus vllus. Lux illa supercœlestis per omnes mentes supercœlestia cogitantes, quasi stellas, pro natura cuiusque latè diffunditur. Eatenus verò suam illam inextinguibilem seruat proprietatem, quatenus per eam quod extingui non potest, ab eo quod extingui potest quadam rationis luce discernitur, & qua ratione vel hoc extinguibile sit vel illud inextinguibile demonstratur? Nempè sub ratione inextinguibilis proprietatis lux illa tributa est, vbicunque ratio inextinguibilis cuiusque naturæ perspicitur. Et summus ipse naturæ lucisque cuiusque fons siti quadam naturali propriè quæritur, amatur & tollitur.

Marsilij Ficini Florentini ad Ioannem Caualcantem amicum vnicum de raptu Pauli ad tertium cœlum, & animi immortalitate.

NOn licet nobis mi Ioannes, his temporibus ob Epidemiæ suspicionem vnà sicuti consueuimus familiariter in terra vitam agere. Verùm quidnam prohibet interim nos in cœlo, vbi nulla pestis formido solicitat, nos versari? Ergo amice age iam refugiamus in cœlum. At, inquies, forsitan in quodnam potissimum? In illud certè cuius radiis inflammati tamdiu in terra cœlestem vnà vitam agimus. Nunquid meministi Ioannes cum olim nobiscum in ædibus tuis cœnaret vir ille probatisimus Bernardus Benerius noster quàm de raptu Pauli in tertium cœlum disseruimus? Instauremus conuiuium illud hodie, vt in eo inuita Epidemia conuiuamus.

DIALOGVS INTER PAVLVM & Animam, quòd ad Deum non ascenditur sine Deo, & de Fide, Spe, Charitate.

MARSILIVS.

DIc oro, beatissime Paule, si modo licet homini loqui, quomodo in cœlum ascenderis, & cur in tertium? PAVLVS. Absit à nobis, absit Marsili, procul impietas tam superba, vt illuc ascendisse dixerimus. Nolo enim me ipso in huiusmodi reuelationibus gloriari, gloria mea omnis solus ille rex gloriæ Deus. Non ego ascendi, Marsili, sed raptus sum in cœlum. Grauia elementa mundi alta non petunt, nisi eleuentur ab altis. Incolæ terræ cœlestes non scandunt gradus nisi cœlestis Pater traxerit illos. MARSIL. Doce obsecro & hoc Paule, per illum qui te rapuit, quos nam ille ex omnibus rapit potissimum. PAVLVS. An hoc ignoras, quod nemo potest, quisquis vel rapit aliquid, vel rapitur ignorare? Rapit ille præ cæteris quem amat ardentius. Ardenter amat amantem. Non vult benignissimus ille raptor abs te aliud, quo fœliciter rapiaris ab ipso, nisi vt vel mediocriter velis rapi, sed hoc quoque nunquam velles, nisi ille antea voluisset. quemadmodum Luna non refulget in Solem, nisi à Sole prius accensa, sic ipsum non amas amatorem, nisi amore ipso te amante atque afficiente fueris inflammatus. Hunc rursus non inuocas instar echo, nisi prius te vocantem, non apprehendis eũ sicuti neq; locum nisi comprehendentem. Finita quidem, vt plurimum capere potes, etiam si ab illis non capiaris. Infinitum verò capere nihil aliud est quàm capi. Et quemadmodum imago in speculo non recipit vultum nisi ipsam vultus aspiciat, imò etiam quando hæc vultum videtur aspicere, nihil hoc aliud est quàm aspici hanc vultu. Rursus quemadmodũ actio motusq; non metiuntur nobis tempus, nisi tempus hæc ipsa reuera dimetiatur, sic anima neque respicit Deum, nisi ipsam prius aspicientem, neque iudicat nisi diiudicantem. MARSILIVS. Sed age, ô nimium dilecte Deo, doce nos tertio, cur in tertium cœlum maximè fueris eleuatus? vt inuisibile illud videres quod & vbique est sicut in tertio. Ac si vsquam est, pręcipuè est potius in supremo. PAVLVS. Non sic, ah nimium terrestris homo, non sic supercœlestia capiuntur. Mitte secundi cœli argutias à Mercurio adinuentas. Mitte sexti leges conditas, vt vultis, ab Ioue. Mitte septimi Philosophiã, vt aiunt, hominibus à Saturno donatam. Non attingunt ista veritatem ipsam, Mercurij, Iouis, Saturni procreatricem. Vis Solem attingere quarto currentem cœlo in quo rex ille mundi suum posuit tabernaculum? Eia scande cœli tertij dorsum quarto contiguum. Venus illic tibi protinus quoad ipsa poterit largietur quod alij pręstare non potuerunt. Dare dicitur Venus amorem vulgo vulgarem. Auget certè enim Angelus egregiam viris egregiis charitatem. Charitatem, inquam, à triplici supercœlesti cœlo tam in cœlum tertium eiusque Angelum, quàm in nostrum animum influentem. Hanc siquidem sanctus Dei spiritus primum Seraphinis inurit. Illi secundo principatibus principale huius mysterium obsequiumque iniungunt. Hi tertiam regentes sphæram accendunt ibi Veneris Angelum, vnde charitas insita vobis à Deo continuè alitur, adolescit atque perficitur. Quid plura? Vis ne dimissis ambagibus breuiori tramite Solis attingere Solem? Primùm sit tibi cœlum fides, qua firmiter credas hunc esse tibi in primis amandum, à quo & tu hoc ipsum habes quod possis amare quicquid vsquam ames, & quæ diliguntur id ipsum quod diligenda sint habent. Secundum spes, per quam proculdubio expectes ardenter redamari ab illo, quem nisi ante amatus ab eo amare non posses. Tertium charitas, quæ te & sponte cogat & necessariò alliciat, cæteris omnino dimissis, illum amplecti, quo solo dimisso nihil possides, quem si possides solum nihil est ex omnibus quod dimiseris, sine cuius vlnis neque amplecti teipsum vales, neque alia, neque illum. Hic ego, ô anima nimium vagabunda,

hic solum pretiosissima Dei penetralia penetraui. Quæ nisi à patre familias aperiantur, non videntur. Non autem panditur domus omnipotentis olympi nisi mentibus hoc ipsum fide quærentibus, spe petentibus, charitate pulsantibus. Charitas autem aliorum finis est omniumque perfectio, cuius igniculis quondam accensus, Helias igneo quodam curru raptus ad cœlum fuit. Cuius & ego flammis raptus sum ad cœlum. Denique hoc tibi maneat alta mente repostum. Frigus à tenebris, tenebræ à morte dependent. Calor autem à lumine, lumen dependet à vita. Quapropter frigus ad tenebras, tenebræ deducunt ad mortem. Calor autem ad lumen, lumen perducit ad vitam.

Curru fidei, spei, charitatis septies in tertium ascenditur cœlum. Primo quidem per virtutes ciuiles purgatorias animique purgati.

TRino autem hoc cœlo quasi vehiculo quodam, id est, fide recta, spe firma, ardentissima charitate, septies percurres triplex cœlum, vbi dulcem patrem patriamque reuises, vnde terque quaterque, id est, septies fœlix euades. Primo quidem horum trium meritis tria quoque virtutum tibi genera diuinitus donabuntur. Ciuiles virtutes & purgatoriæ animi purgati. Quæ quidem faciunt vt nescias vtrum in corpore sis an extra corpus. Quibus formatus exemplares denique virtutes attinges, quæ nihil aliud sunt quàm Deus. Videbis enim tractus à Domini spiritu à claritate in claritatem in tribus hisce generibus rationem virtutis magis gradatim magisque proficere. Quod quidem fieri non posse cognosces, nisi propinquiore quodam rursusque propinquiore accessu ad diuinam ipsam summamque virtutis ideam, vt in eandem imaginem transformeris.

Secundo in cœlum itur tertium per regionem Planetarum, per cœlum stelliferum, per chrystallinum.

SEcundo per Planetarum septem regiones, quod cœlum quasi primum vagumq; est, ad sphæram transibis octauam, quod est ordinatissimum syderum firmamentum cœlumque secundum. Ab hoc quia motu gemino agitatur atque diuerso, ad chrystallinum, id est, perspicuum nitidumque te conferes, quasi tertium quoddam cœlum, cuius vnus est motus & simplex. Ibi aquæ, quæ super cœlos sunt, laudant nomen Domini Ex huius vertice statim in empyreo, quod totum ardor quidam est saluberrimus, agnosces vitale illud Dei lumen, cuius exuberante bonitate tantus tamque saluber illic ardor accenditur Planissimeq; perspices, & diuinum lumen veritatemque ipsam in ardore illo, id est, amore potissimum habitare tanquam in tabernaculo Solis, & ardorem illum lumine nasci atque vigere.

Tertio tertium cœlum scanditur per mundum visibilem, per mundum phantasticum, per mundum intelligibilem.

TErtio totum mundi corpus tanquam cœlum vnum transibis oculis manifestum. Atque ad eius imaginem phantasia depicta tanquam secundum cœlum te conferes. Deinde & vniuersum corpus visibile & imaginem corporis phantasticam dimittens ad naturam ipsam, qua necessario constat, & rationem, qua definitur intelligentia, perges. Quod tertium tibi erit in mente cœlum super sensum & phantasiam. Hic subito intelligentiæ tuæ intelligentia diuina subrutilat. Quid enim aliud est ratio vniuersi partiumque illius, quam ars illa æterna, qua eum suus disposuit architectus? Si enim à corporeo quodam artificio materiam relicto ordine subtrahas, quod reliquum est, mens est artificis tuæ iam menti conspicua.

Quarto tertium cœlum petitur per spiritus irrationales, rationales, intellectuales.

QVarto esto primum tibi cœlum spiritus omnis infra tuum. Secundum tuus spiritus sit ob rationis munus quo irrationalia iudicat quidem, sed ab eis non iudicatur illis longè præstantior. Tertium Angelus, qui oculus quidam est lucidissimus, cui quidem nota momento stabili sunt, quæ tu temporali quodam discursu aucuparis. In Angelo Deum continuo conspice, tanquam lumen in oculo lucido & in momento stabili æternitatem.

Quinto ad tertium transitur cœlum per tres Angelicas Hierarchias.

QVinto scito quemadmodum in te, qui paruus es mundus, tres sunt spiritus, naturalis in iecore, vitalis in corde, animalis in cerebro, quo solo finitum percipis lumen, ita circa ampliorem hunc mundum tres esse spirituum exercitus diuinorum, quasi tres sphæras intelligibiles, circa diuinum centrum iugiter se voluentes. Sed

alios regionem mundi Lunæ subiectam præcipuè gubernare, alios cœlestia regere, alios super cœli verticem volitare.

Tenebræ lucidæ, lux tenebrosa, lux mera. Nouem Angelorum Chori.

VOlito & ego hac & illac ad votum alis sublatus Seraphinorum. Et si nihil vsquam reperio extra immensum bonum quod vniuersum & omnino intrinsecus imbuit & infinitè extrinsecus ambit, tamen quicquid reperio quod non sit ipsum bonum, video ex lucidis quibusdam tenebris & tenebrosa quadam luce componi. Scio neque tenebras posse seipsas illuminare, neque lucem à tenebris comprehẽsam ex seipsa lucere, alioquin in se vigeret ac purissime plenissimeq; luceret. Lucere ergo eã animaduerto ex ipsa luce in qua tenebræ nõ sunt vllę. Ideoque quãdo lucet in tenebris, tenebræ ipsam non comprehendunt. Hoc autem est absolutum ipsum in se bonum, neque subiecti, neque causæ, neque graduum, neque loci, neque temporis limitibus comprehensum. Quoniam verò omnia naturali instinctu bonum appetunt, tanquam finem, quo solo perficiantur, concludo bonum idem esse principium à quo cuncta efficiantur. Hoc cum ex se & sui gratia efficiat omnia & perficiat, certè ad sui ipsius exemplar tanquam medium cuncta disponit. Est ergo principium medium, finisq; cunctorum. Et quia omnino indiuisibile est, in quolibet trium continentur & reliqua.

Finis autem actionis mouet quodammodo principium ad agendum. Principium mouet exemplar operis atque formam Huc omnes beati spiritus assiduè oculos mentis intendunt. Singuli tria hæc intuentur, sed diuersa ratione diuersi. Atque in his inspiciunt veras rerum omnium quæ in vniuerso sunt rationes. Seraphini finem ipsum proprius attentiusque quam reliqua contemplantur, Cherubini in fine principium. Throni in fine medium speculantur. Dominationes autem ipsum principium. Virtutes in principio finem, Potestates medium in principio, Principatus & si mirantur omnia, tamen medium proprius, & vt ita dicam, libentius, intuentur. Archangeli in medio finem, Angeli principium in medio contemplantur. Felices animæ pro diuersis piæ vitæ meritis morumque ad Angelos diuersos similitudine nouem gradibus in sphæris patriæ nouem, sequuntur nouem ordines Angelorum. Mito libenter animas infelices, quæ infra Lunam sub terra caligine vbi eas nouies stix intersusa coercet, nouem turbas malignorum spirituum comitantur.

Dei lumen in ardore empyrei cœli refulget.

CVm dimisi spiritus tenebrarum subito è summa lucentium spirituum specula lumen mihi coruscauit immensum. Vidi illic Seraphinos amore ardentes immenso. In ardore huiusmodi lumen infiniti boni infinitum mihi refulsit. Sæpenumero cogitaueram ante raptum, si bonum ipsum est voluntatis potius quam intellectus obiectum, sequi, vt animus voluntatis flagrantia ipso bono fruatur, magis quam intelligentiæ claritate. Agnoui illic statim raptus me vera cogitauisse, cum viderem non Cherubinorum scientiam, imo charitatem Seraphinorum Deo esse quam proximam. Merito cum boni natura sit vt appetatur, & appetibilis ipsius ratio vt sit bonum infinitium, ipsum bonum proximè sequitur flagrantissimus amor subitoque consequitur.

Sexto in tertium confugitur cœlum per tres Trinitatis personas.

HVc age, me sequere sexto quantum potes ô mens, propriè infiniti boni ipsius auida mens, propriè infiniti filia boni. Ah propera, nec te pigeat, nam potes! ô bona mens, tantum quantum velis! Vbi enim sola voluntate proceditur & proficitur, ibi sequi nihil aliud est quam velle sequi. Bono igitur animo esto. Nẽpè finis ad quem quodammodo sine fine moueris propriè est infinitum bonum, necessario principium à quo propriè moueris, est infinitum bonum. Quod quidem cum ex seipso suique ipsius gratia sit omnium origo, certè ex se & sui gratia mouet omnia. Præcipuè vero ac propriè spiritum, præcipuè hoc ipsum & propriè appetentem. Pater tuus vsque adeò bonus, quando non malè, id est, non frustra, tibi dedit vt naturaliter huiusmodi bonum vsque adeò sequi velles, dedit simul & vt assequi quandoque posses & consequi. In rerum ordine, sicut nosti, bona sunt omnia, præcipuè quia pulchrè vtiliterque ordinata sunt, & bonum naturaliter appetunt. Si cuncta bona in rerum ordine in vna quadam communi boni natura conueniunt, in qua cuncta bona sunt vnum bonum, necessariò penes rerum ordinatorem, vnum bonum est cuncta bona. Sane natura illa communis & vna quæ in multitudine omnium iacet & contine-

tur ab omnibus, ab vna quadam emanat forma quæ in ſeipſa ſuper omnem multitudinem eſt, & cõtinet omnia. Sed vltra progredere, ſi quod infra rerum ordinem cogitas, dicis infinitè malum, cur non etiam quod ſupra rerum ordinem extat fateris infinite bonum? ſi ad bonum propagatio pertinet, quo enim & quando quælibet perfectiora ſunt eo, & tunc magis propagari videntur proculdubio penes infinitum bonum exiſtit infinita propago. Propago, inquam intima. Nihil enim infinitum reuera exiſtit extra ipſum. Ibi eſt igitur pater & filius. Penes patrem bonum infinitè filiumque infinitè bonum infinitus viget & amor. Si quilibet trium æquè infinitus eſt, etiam æquales inter ſe ſunt atque ſimillimi. Si infinita natura atque plenitudo cum nihil relinquat extra ſe ſui totumque penitus comprehendet, non niſi vnica eſſe poteſt. Vnica eſt ſubſtantia trium, adde, & ſimpliciſſima. Si modo potentiſſima eſſe debeat, ac tam potentia in vnione conſiſtat quam in diuiſione debilitas. Iam igitur, ô anima, trina & vna, ſpiritus vnus intellectu, volũtate, memoria, conſtans, ætherem vnà mecum vnicum conſcendiſti cœlumque trinum. Intra cœlum tria in vno Sole vidiſti æqualia inter ſe & ſimilia; Formam, figuram, atque lucem Solemque in tribus his non triplicem ſed vnicum iudicaſti. Supra cœlum in vna bonitatis ipſius natura propagantem inueniſti ab æterno propaginem & amorem. Neque tres in his naturas ſed vnicam agnouiſti in ſeipſa ſe iugiter propagantem, pleniſſimè ſimiliterque amantem, & quod hic diuinitus aſpexiſti haudquaquam licet aliter vnquam homini loqui quam tres perſonas vnumque Deum.

Septem circa animam ſeptenarij.

SEptimo conſidera mecum, ô anima, ſeptem capitalibus ſceleribus expurgata à ſeptem malignis ſpiritibus libera, quam ſeptem Planetarum munera extrinſecus ornant, vt felix appareas, ſeptem Spiritus ſancti dona intrinſecus imbuunt, ſeptem Angeli Dei thronum circundantes ducunt, vt reuera ſis felix, conſidera mecum ſeptima hac lucis die in qua reuera quieſces, hora ſcilicet diei ſeptima, qua clariſſimè perſpicies vt ſepties in ea luce ſis beata quæ indulgere tibi dum miſera viuis ſeptuagies ſepties pollicetur.

Septimo, mens tertium cœlum attingit dum conſiderat Deum in creaturis, creaturas in Deo, Deus in ſeipſo.

COnſidera mecum vnum trinumque ſupercœleſte cœlum, videlicet primo Deum patrem tuum in rebus ab eo creatis. Res deinde creatas in Deo. Tertio Deum ipſum in ſemetipſo. In quod quidem tertium cœlum optimè raptus ſum olim, vt & ipſe haud vlterius peſſimè rapere, & quicunque in terris miſerrimè rapiunt, illuc mecum beatiſſimè raperem.

Trinitas Creatoris, in nouem creaturarum Trinitatibus reperitur.

DIuinam Trinitatem in rebus cunctis agnoſces dum in eis nouem Trinitates conſiderabis, quas imitantur nouem ordines Angelorum. In vna ſcilicet cœli machina, figuram lucemque & motum. In quolibet ſpiritu ſupra cœlum, ſubſtantiam & vim & actionem. In omni ſpirituum numero tres Hierarchias, in qualibet Hierarchia tres ordines, in quouis compoſito ſub cœlo materiam, formam, virtutem. In omnibus menſuram numerumque & pondus. Rurſus potentiam, ordinem, vtilitatem. Præterea principium mediumque & finem. In te ipſa memoriam, intelligentiam, voluntatem. In ſcientiis naturalem, rationalem, moralemque facultatem. In qualibet Trinitate primum Dei potentiam patremque refert. Secundum ſapientiam & filium. Tertium amorem ſpiritumque benignum. Sic inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.

Deſinitio & diuinitas animi.

HIc dum in rebus tanquam diuina Deum reperis, reperis & teipſum. Quippè ſi in corporibus inuenis ſpiritum, in tenebris lucem, in malis bonum, in morte vitam, æternitatem in tempore, in rebus finitis infinitum, memento te eſſe ſpiritum incorporeum, lucidum natura bonumque, immortalem æternæ veritatis ac ſtabilitatis immenſique boni capacem. Huc uſque primum ſit tibi cœlum è cuius vertice tam Deum quàm te in rebus cunctis agnoueris.

Quod res creatæ in creatore reperiuntur per rationes ideasque diuinas.

ACcede amabo ad secundum, vt inde in Deo res omnes inspicias: cuncta Dei opera cernit in Deo quisquis dispositionem formamque domus in patrefamilias, regni in rege, artificij in artifice, scientiarum in sapiente, considerat. Semper tamen huius memor, quod quæcunque hi cum tempore & labore meditantur & agunt, æterna veritas infinitaque illa virtus momento prout vult & facillime peragit, præsertim cum & intelligere in Deo non aliud sit quam esse, & agere non aliud sit quam velle.

Sicut cunctæ naturales formæ in vna materia, sic cunctæ earum rationes in vno artifice congregantur.

Sed ecce video communem quandam in mundi machina molem. Intueor formas in mole diuersas. Scio aliud esse formatam molem, aliud formas esse formantes, & quia molem hanc tanquam fundamentum intelligo ordine quodam antecedere formas, segrego mente hanc ab illis, eamque vel in abyssum dispergi vel colligi in punctum seorsum excogito. Seruo autem vtcunque possum formas. Sed in quo eas seruo? In vna quadam communi cunctis essentia. Cunctæ enim communiter in eo quod sunt conueniunt. In essentia, inquam, indiuisibili formas prorsus indiuisibiles. Iam enim dimensiones ab iis omnibus segregauimus. Volo insuper ex qualibet rerum specie vnam hic existere formam. Et quemadmodum omnes naturales formæ quæ participatione quadam tales sunt vel tales, in vno quodam subiecto per se infinitè patiente, id est, in prima materia, congregantur, sic omnes quæ per essentiam tales sunt, id est, formarum rationes volo & video in vno quodam fonte per se infinitè agente.

Deus est infinita vitarum vita lumenque luminum.

VBi actus est infinitus, est & vita, atque illa quidem penitus infinita. Siquidem vita est intimus & absolutus actus essentiæ. In vita infinita nihil est quod non perfectissimè viuat. Quod ergo factum est ab eo in ipso vita erat. Vbi autem perennis actus & vita viget immensa, ibi absolutissimum est intelligentiæ lumen. Siquidem intelligentia est absolutio vitæ reflexioque eius in semetipsam. Ergo vita hæc est lux hominum, quæ & in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Diurnum lumen sanis quidem oculis est iucundum, ægrotantibus molestissimum. Radius Dei bonæ menti benignus aduenit paterque & gratia nominatur. Malæ autem rigidus iudex est & furia. Per hanc lucem veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, modo vidisti res omnes in Deo ipsumque Deum. Quicquid enim est in Deo simplicissimo, est ipse Deus. Illa igitur series idearum quam in Deo intellexisti, diuina ipsa sapientia est, quæ verbum Dei est apud Deum, atque ipse Deus, perque ipsum facta sunt omnia. Ideo & ipse Deus reperitur in omnibus & omnia inueniuntur in ipso.

Mens reperit æternitatem suam in rationum idearumque æternitate.

INuenisti & hoc tu modo immortalitatem tuam. Quo enim pacto potuisses à mundi formis mortales conditiones secernere, & rationes inde immortales concipere, in æternam Dei vitam intelligentiamque huiusmodi rationes redigere, actum illum cogitatione quodammodo, vt ita dicam, efficere effectorem, nisi ipsa immortalis esses æternæque Dei vitæ & intelligentiæ capax. Diffidant de sua immortalitate homines flagitiosissimi, quorum animulæ quærentes vitam solum in regione mortis, iamdiu mortuæ sunt vitiorumque cœno sepultæ.

Immortalitatis fiducia accepta ex gradibus contemplationis quatuor.

TV verò confide mecum cœlestis anima, quæ dum apud Deum contemplaris veras creatarum rerum omnium æternasq; rationes, quodammodo comprehendis cuiusque rationis ęternitatem, æternitatis rationem, veritatem æternitatis.

Gradus quatuor.

PRofecto rationis æternitatem sentis quando iudicas cuiusque rationem, definitionemque adeò certam consistere vt aliter vnquam se habere non possit. Puta quod homo sit animal rationale, & quod circulus sit figura in seipsam conuersa, à cuius centro ad circumferentiam omnes rectæ lineæ ductæ sunt æquales, necessariò semper fuit semperque erit verum. Rationem æternitatis intelligis, quando æternitatis naturam ita definis: Æternitas

est momentum sine punctum per se semper stabile, cui neque antecedit punctum, neque succedit, ita mensura quietis & motionis, mensura est tempus. Aeternitatis veritatem cognoscis, quando probas in eo solùm esse veram æternitatem, quod ex se, & in seipso, sine principio ac fine quiescit. Veritatis cernis æternitatem, vbi argumentaris, neque incœpisse vnquam, neque desinere veritatem. Alioquin fuisset veritas ante seipsam, foretque post seipsam. Nempè si cœpisse dicatur, quandoque ante ab æterno verum fuit, & non nisi per veritatem fuit verum veritatem ipsam quandoque fore. Ac etiam desinere cogitetur, deinde in æternum verum erit, & non nisi per ipsammet veritatem erit verum, veritatem aliquando extitisse.

Immortalitas animi ex proportione ad immortalia.

ATtende, anima sitibunda liquoris æterni. Memento te non potuisse æternum omnino obiectum attingere, nisi tibi aliqua cum illo inesset proportio. Ergo si non ab æuo, saltem viuis in æuum. Neque solùm attingis cum aliqua esse æterna, & qualia sint, argumentaris, sed etiam pro natura tua penetras, quando intimam illorum naturam, quasi in suas quasdam partes viresque distinguis. Imò etiam quodammodo comprehendere videris, quando definis. Mitto quod videri posset alicui, si mens sempiternam comprehendit rationem, ratione illa esse maiorem, ideoque æternam, satis esto si suo modo capit eam æqualem saltem quodammodo esse oportere. Siue autem iam æqualis sit natura, siue capiendo fiat æqualis, tanquam à Deo rationum fonte ob mutuum quendam amorem iugiter dilatata, sufficienter ostenditur mentem esse sempiternam, Deumque animam ab initio quantum ad essentiam vitamque, vt ita dicam, parem æternæ rationi fecisse, postquam quotidie quantum ad intelligentiam & amorem quoad fieri potest reddit æqualem. Denique, quæcunque vis capit aliquid, pro natura sua capit, & ad suam retrahit rationem. Si ergo mortalis esses nunquam æterna in quantum æterna sunt, & sub æternitatis ratione, nunquam rationis æternitatem, æternitatisque conciperes rationem. Sed sicut rubris oculis, & amaræ linguæ, rubra & amara sunt singula, ita mortali animo, mortalia cuncta indicarentur. Nunc verò tantùm abest quod quæ sempiterna sunt ritè contemplando caduca putentur, vt mens contemplatrix etiam à mortalibus singulis conditiones mortalitatis secernat, atque sub vniuersali ratione percipiat. Hæc à materia corruptioneque separare nunquam posset, nisi & ipsa multo longius esset ab iis seiuncta. Capis ergo in cœlo hoc secundo æternitatē tuam, quando hic rationis cuiusque æternitatem pro viribus capis in Deo fonte rationum immenso.

Mens Deum in seipso videt, ob nimium splendorem omnino videri non posse.

CÆterùm, nunquid Deum ipsum in seipso comprehendens, quod tertium tibi superest cœlum, in quo illa ipse arcana vidi, quæ non licet homini loqui? lumen solis perspicis in elementis, suspicis & in stellis, in seipso non potes inspicere, & tamen homo, si sapis, contentus es tantùm esse solem tuum, vt capacitatem superet oculorum. Diuinam lucem similiter in rebus ab ea creatis agnoscis, agnoscis & in rerum rationibus creatarum. Sed absolutam in seipsa non sustines. Gaudes autem thesaurum tuum tantùm esse, vt sit prorsus innumerabilis, innumerabilis, inquam, non quod tibi desit ars numerandi, quæ tibi illic est plenissima, sed quod ille virtutis gradibus summum artis exuperet. Satis tamen numerauisse videris, quando cunctis, quæ vel esse, vel intelligi possunt, dinumeratis, recta computas ratione, Deum ipsum tale nihil esse, & quando & quomodo innumerabilis sit eius virtus, intelligis. Satis vides quando, & quomodo sit inuisibilis verè vides. Satis comprehendis, quàm sit incomprehensibilis. Nunquam enim clarius veritatem ipsam intelligis, quàm cum rectè quo pacto super intelligentiam sit intelligis. Vbi summa lux, ibi summæ tenebræ; vbi summæ quoque tenebræ, ibi lumen summum. Vnde hoc nihil notius, nihil rursus ignotius, hoc nihil præsentius, nihil absentius, nihil magis visibile, nihil inuisibile magis. Hinc exclamat Dauid: Nox illuminatio mea in delitiis meis.

Rectius de Deo loquimur, negando & referendo, quàm affirmando.

VErùm quid ita in hoc cœlo vides, non potes loqui, hoc est, absolutè pronuntiare, atque affirmare. Quoties

de Deo alia negas, ita discurrens, Deus neque est corpus vllum, neque corporis qualitas, neque anima, neque Angelus, neque si quid altius cogitetur, verè negas. Quoties ad Deum alia refers ita comparans, Deus principium est, quia ab illo profluunt omnia, Deus est finis, quia ad illum omnia refluunt, Deus vita & intelligentia est, quoniam per illum viuunt animæ ac mentes intelligunt, verè quoque refers. At si affirmaueris, Deus ipse in se absolutè est hoc ipsum quod vel reperi, vel cogitaui, valdè deciperis. Quippè si maior te est summus ille omnium author, non potest id esse quod tua intelligentia circunscriptum cogitur te minus. Si principiorum principium, finiumque finis infinitus est, non est aliquid horum quæ abs te adinuenta & comprehensa iam infinita videntur.

Anima beata contenta est hoc ipso, quod bonum suum incomprehensibile sit. Neque esset contenta si comprehensibile esset.

QVid ergo an contenta viuis anima, quod vitam tuam non penitus comprehendas finiasque, quia sit infinita? Imò scio te hoc ipso gaudere, quod absque fine sit vita tua, bonumque tuum. Sufficit tibi ab incomprehensibili fœliciter comprehendi, neque tibi aliquid nisi sit incomprehensibile sufficit. Quicquid enim aut veri, aut boni offertur quod certos habeat gradus, quamuis quam plurimos adhuc plures intellectu requiris, & vlterius appetis voluntate? Vnde nusquam nisi in vero bonoque immenso potes quiescere, neque finem, nisi in infinito potes facere. Quippè quæ à solo infinito dependeas, atque inde vim habeas ratione aliqua infinitam, qua ad infinitum vergas atque progrediaris.

Voluntas Deo fruitur, magis quàm intellectus.

ECce video, vbi quodammodo deficit intellectus sufficere voluntatem. Penetrat ecce charitas, quo non potest omnino scientia penetrare. Infinitatem quidem prospicis, quamuis non clarissimè, hanc ardentissimè amas, hac gaudes vehementissimè. Vides tu quidem, quantum est tibi visibile, amas & quantum vides ipsa, & quantum vides abs te, quia nimis exuberat, non posse planè videri, & hoc ipsum te iuuat maximè, quod sine vlla, vel solicitudine, vel satietate fruaris bono, quod cùm sit infinitum, & infinitè tibi suppetit, & infinitè delectat. Hic si non infinita omnino ratione discernit immensum intelligentia lumen, tamen immenso amore gaudioque afficitur dum fruitur bono infinito voluntas. Quæ quidem si plena est, ad quam pertinet esse contentam, totus omnino contentus est animus.

Mens immortalitatem suam metitur in obiecto suo, quod est sine mensura.

ANimus, dum in tertio cœlo exactius admodum quàm in aliis, quàm immensus sit Deus, vt ita loquar, metitur, simul quantum propria vita naturæ temporisque, cuiusque mensuram excedat, agnoscit. Neque enim infiniti, imò infinitatis ipsius rationem attingeret animus, si vita eius finem esset aliquem habitura. Neque obiecto immenso magis quàm terminatis contemplando delectaretur, si in numero esset naturalium temporaliumque formarum. Quarum vires obiectis non quidem maximis sed mediocribus solum eisq; proportione quadam congruētibus oblectantur, si vitæ vis qualis est intelligentia & voluntas, vltra quemlibet loci, temporis, gradus, finem sibi oblatum sine fine intelligendo, amandoque progreditur: certè vita ipsa loci limitibus non constringitur, certi temporis terminis non exceditur, contrariæ qualitatis gradibus non obruitur, determinati veri bonique præsentia non impletur.

Cœleste lumen lumine cœlesti perspicitur, supercœleste supercœlesti.

DIc age, quo lumine suspicis cœleste lumen? profectò cœlesti. Dic ergo quo lumine vidisti modo supercœlesti. Lux ista mundi sensibus manifesta vna quadam qualitas est, ergo diuersa corpora non aliter eam capiunt, quàm per vnam naturam illis insitam, & luci conuenientem. Natura huiusmodi perspicuitas nominatur. Quoniam verò perspicuitas in oculo est sensibili luci cognatior, quàm in cæteris hisce corporibus, est enim in eo perspicuitas sensualis: idcirco lux postquam illi infusa est, reflectitur quodammodo in seipsam, quando scilicet, oculus sentit illam. Vbi videtur oculus non solùm à luce pati dum suscipit ipsam, verum etiam in eam quodammodo nonnihil agere dum suo modo indicat eam.

Anima immortalitatem suam videt quando videt radium intelligentiæ infundi sibi à Deo atque in Deum reflecti.

EAdem ratione spiritale lumen vnum quiddam est, id est, veritas ipsa. Hoc spiritus diuersi non capiunt aliter quam spiritalem quandam perspicuitatem eis innatam.

Quoniam verò in spiritibus præditis ratione perspicuitas huiusmodi lumini huic similior & propinquior inest, fit vt ij spiritus non solum id capiant, sed etiam iudicent atque ita reflectantur in ipsum. Vbi videtur lumen hoc spiritale intelligibileque, primo quidem in intelligentiam influere se ipsum minime deserens. Deinde refluere in seipsum intelligentiam non derelinquens. Atque sicut Solis lumen prout in Sole manet est inuisibile, vt autem è Sole, effluit in colores est visibile, prout influit oculo eique naturale euadit fit visiuum, quando inde refluit in Solem, tunc videns efficitur: ita Dei lux quantum in ipso absolute se colligit est super intelligentiam, quantum inde in rerum se explicat rationes, intelligibilis est, quantum infusa intellectui, ipsi fit naturalis, euadit intellectiua. Quando vero in ipsum Deum resilit, est intelligens.

Quamobrem circulus quidam hic efficitur mirifice lucens, ab ipsa diuina veritate in intellectum, ab intellectu rursus in ipsam, circuli huius principium finisque est Deus, intellectus est medium. Si huius circuli primus vltimusque terminus est æternitas, inquantum æternitas, certe medium est æternum quod quidem est particeps terminorum.

Quo enim pacto splendor ab æternitate fluens in mentẽ, rursus in æternitatẽ inde refluerct, per intelligentiam scilicet quæ rapit obiectum, & per voluntatem quæ transit in obiectum rapiturque ab ipso, nisi in mente vim suam æternitatemque seruaret? Qua ratione hunc mens suscipit, eadem per ipsum agit. Non enim potest præstantius per illum agere quam susceperit. Agit verò per illum absoluto quodam æternoque modo, quandoquidem eius radiis supra locum & tempus erectis indiuisibiles ęternasque rerum rationes attingit, atque in ipsam sese æternitatem miris modis insinuat.

Mens est Dei speculum.

O Sagacissimum venatorem, qui in profunda hac mundi silua occultissima Dei vestigia inuestigat & reperit. O argutissimum ratiocinatorem, qui rationes rerum inuenit in summa omnium ratione, ô perspicacissimum rimatorem, qui adyta Dei penetrat quodammodo in eius abysso, &, vt summatim dicam, in iis omnibus peragendis speculatur in se Deum velut in speculo, suspicit se in Deo, velut in Sole, ô speculum diuinissimum diuini Solis & radiis illustratum & flammis accensum. Nempe ipsius veritatis radiis vera vbique discernit, ac in omnibus veris & super omnia ipsam. Ipsius boni flammis bona omnia passim ardet & sitit, ac in omnibus bonis & super omnia ipsum.

Corpora sunt vmbræ Dei, animæ verò Dei imagines immortales.

VIdes, ô mea mens, vides esse te Dei speculum quando intelligentiæ tuæ radij in eum ab eo immissi resiliunt. Si eius speculum es (vt es absque dubio) quandoquidem eum in te specularis teque in eo, sequitur vt quid ex Deo infra te vestigium quoddam duntaxat est & vmbra, id in te imago Dei similitudoque sit expressior, vt merito dictum, sit, ad imaginem similitudinemque Dei te esse creatam. Vmbra corpus intuenti distinctè non repræsentat, imago autem ad corporis similitudinem expressa refert expressius. Mundi machina tanquam vmbra Dei Deum tibi ipsum non monstrat, nisi eius ad te redigas ordinem & examine tuo clarissimo discutias vmbram. Tunc demum in te tanquam imagine Dei mundus ex vmbra fit imago, & in te tanquam vera Dei similitudine verè agnoscis Deum, quando probas hunc ipsam esse veritatem æternam veramque æternitatem.

Tempus autem eius esse vmbram & temporalia vmbratilia omnia. Postquam vera es æternitatis imago super vmbram & vmbratilia, quandoquidem quasi media horum hæc secernis ab illa, certe æterna, es nullis aut loci limitibus aut certi temporis terminis circunscripta. Alioquin non posses vel per immensum spatium tempusue cogitatione discurrere, vel vltra hæc ad indiuisibilem æternamque transire naturam.

Mens quia est diuini vultus imago, Deum semper suspicere debet.

O Imago Dei in mentis speculo, quam diu es in ænigmate, id est, vmbra corporis, cognoscis per speculum, sed extra vmbram facie videbis ad faciem; ô diuini vultus imago in speculo vultum aspice tuum. Quem aspicere nihil ferme aliud est, quam aspici. quandoquidem oculi illius radius ipse est, qui inspicit ipse est, qui à se ipso respicitur, cognosce te ipsam mens aliarum rerum cognoscendarum vsque adeo cupida, quid es, ô mens, cedo quid es? Imago vniuersi exemplaris exacta, legitima patris omnium filia, supercœlestis Solis radius sempiternus, iugiter natura reflexus in solem. Deus ergo te libentissime tanquam suam imaginem intuetur, amat omnino te tanquam filiam, fulget tibi tanquam radio suo, iungitque te sibi. Ergo iam moribus & pietate ad exemplar compone te tuum, quo integerrime reformaris. Ama ante omnia patrem illum quo feliciter generaris, felicius regeneraris. Gaude duntaxat lumine sine quo neque aliis potes vnquam neque te ipsa gaudere. Terribiles ante omnia tenebræ, quia & vita consistit in luce & lux in vita, & quo interiores eo terribiliores adueniunt. Horribiles extra corpus tenebræ cunctis, horribiliores intra corpus sunt melancholicis, horribilissimæ in anima miseris. Iucundum ergo aëris lumen omnibus, quia vitali spiritui cognatissimum est, rerumque innumerabilium varietate delectat & docet, iucundius lumen in spiritibus corporis est sanguineis, suauissimũ lumen intimum menti beatis.

Deus est ipsum gaudium, Per ipsum duntaxat gaudemus, ipso solo beate gaudemus.

SI omnia vitandi doloris & consequendi gaudij gratia omnes agunt & absque gaudio ipso vitam ipsam respuunt, manifeste gaudium est finis omnium, est igitur & principium, quo mouentur & fiunt. Quid ergo aliud est gaudium ipsum nisi Deus? Bonorum bonum, gaudium gaudiorum.

Cũ tantũ his bonis gaudeas atq; illis, dicito mihi, si modo dici potest, quãtum illo bono quãtumuè idea illa gaudij gaudeat, sine cuius illecebris, sine cuius forma, neq; his bonis gaudes neque illis? Bono hoc & hac idea gaudent continue quicunque re aliqua gaudent vel ingrati. Sed non bene beateque gaudent, nisi grati, quibus multo gratius hoc aduenit quam ingratis. Ergo si vis ipso bono ipsoque gaudio optime beatissimeque gaudere, memento in omnibus quæ tibi placent nihil tibi aliud placere quam ipsum.

Marsilij Ficini Florentini Argumentum in Platonicam Theologiam ad Laurentium Medicem patriæ seruatorem.

DEcreui, Magnanime Laurenti antequã grande illud Platonicæ Theologiæ volumen ederem tuo nomini dedicatum, in quo adhuc superest nonnihil quod examinatione indigeat, edere, si tibi placuerit, argumentum. Non vt huiusmodi argumento quasi quodam theologiæ præludio exercitatus accedas promptior ad ludendum, cum mihi videaris ipsam ludi palmam iam consecutus, sed vt hoc interim pignore admonitus memineris, & meminisse me tibi debere, quod iamdiu iure promiseram, & soluere quandoque velle, quod debere cognosco. Præsertim cum non tam hoc ipsum debeam quia promisi, quam id promiserim quia cuncta debebam.

Tres contemplationis Platonicæ gradus.

TRes verò sunt præcipui contemplationis Platonicæ gradus. Primus quidem à corpore per animam ascendit ad Deum. Secundus autem consistit in Deo. Tertius denique ad animam corpusque descendit. Tres quoque gradus nostrum continet argumentum.

Contemplationis Primus gradus est adscensus ad animam, angelum, Deum: Ac de diuina intelligentia & amore. Cœlum est forma sine materia, vt nonnullis placet.

COnsiderabam nuper diligenter Aristotelis illud paradoxon, cœlum materia caret. Rationem quoque Auerrois meditabar qua paradoxon Aristotelicum comprobat. Quod videlicet materia cum natura sua informis sit, ideoque ad quamlibet formam æquè se habeat, omnesque vicissim capere valeat, à formis iugiter fluit in formas, vnde fit vt quod ex materia constat, formam suam quandoque possit amittere. Cœlũ vero formam propriam amittere nequit, tùm quia nulla vsquam est illi contraria qualitas, sicut neque motus circulari motui suo contrarius reperitur, tùm quia motum habet sine vlla digressione semper ęqualem indefessumq; qui & in idẽ redit, principiumq; rursus inchoat vbi fatigari videtur. Ex his concludit Auerrois

cœlum eſſe formam quandam per ſe ſine materia exiſtentem, quæ quamuis ſubiecta materia non indigeat, ipſa tamen ſubiecta eſt quantitati motuique ſecundum locum. Eiuſmodi forma inter Phyſicas formas & Methaphyſicas eſſe vult mediam. Naturales enim formæ cum quantitate quadam & in materia ſunt. Formæ verò omnino ſuper naturam tàm quantitate quam materia carent. Mediam quandam formam eſſe vult ne ab extremo ad extremo a abſque medio tranſeatur, quæ quamuis habeat quantitatem, materiam tamen non habeat quantitatem, ſubſtantiam cœleſtem exiſtimat. Proculus quoque Platonicus cœleſte vehiculum animæ corpus eſſe putat, nullam tamen habere materiam.

Forma ſine quantitate magis quam ſine materia poteſt exiſtere.

HIs ego Ariſtotelis Auerroiſque & Proculi gradibus ad cœlum vſque directis, conatus ſum pro viribus aſcendere ſuper cœlum. Profectò cum formarum genus queat alicubi ſe à materia liberare, ſicut in cœlo modo nobis apparuit, poteſt etiam alicubi abſoluere ſeipſum à quantite, ac etiam multo magis, quippe ſi ab alterutro dependeret, penderet potius à materia qua ſubſtantialis forma ſæpe ſuſtinetur, quam à quantitate, quam ſubſtantialis forma forte non minus ſuſtinet quam ſuſtineatur ab illa. Quod maximè in cœlo conſpicitur, vt placet Auerroi, vbi forma talis ſuſtinet quantitatis dimenſiones. Adde quod multo magis cum materia quam cum quantitate congruit in ordine quodam generis atque naturę. Quare ſi abſque materia poteſt eſſe, longe facilius abſque quantitate conſiſtere poteſt. Præſertim forma illa quæ ſubſtantia eſt. Subſtantia enim cum accidens accedat abſque quantitate, quæ accidens eſt, alicubi poteſt exiſtere.

Forma ſine quantitate magis quam ſine mole eſſe poteſt.

ITa formarum ordo quèmadmodum ab elementis in cœlum proficit in melius, dum vmbra materiæ liberatur, ita ſuper cœli verticem in aliud longe melius proficit, dum in animis angeliſque etiam à mole quantitatis abſoluitur. Depoſitaque diuiſionis debilitate ob indiuiſibilis naturæ vnitatem fortitudinem adipiſcitur. Conſummatur tandem ſuper illos in optimo cum in Deo etiam liberatur à qualitate accidentiſque defectu. Poteſt autem à qualitate ſerui facilius quam à mole. Subſtantialis enim forma vbique in natura ipſa ſuſtinet qualitates, nuſquam vero ſuſtinetur ab illis. Alicubi tamen in quantitate iacere videtur. Quod in formis naturæ infimis plane conſpicitur.

Cœlum aut eſt vita quædam viſibilis aut natura vitæ proxima.

COelum quidem cum ſine materia ſit, ſpiritale quiddam quodammodo eſſe videtur Platonicis magis quam corporale. Quid ergo cœlum eſt? Lux circularis circuluſque lucidus ſine materia, quemadmodum oppoſitum eius, quod eſt terræ imum, eſt materia ſine luce. Cœlum igitur, vt Platonicis placet, aut vita quædam eſt non occulta, vt anima, ſed ob dimenſionem, ſi vis, oculis manifeſta. Aut ſaltem cum ſit natura quædam vitæ propinquior quam cętera corpora, vita quadam viuit ſibi magis admodum familiari quam cætera.

Differentia lucis in cœlo atque elementis apud Platonicos ac Peripateticos.

SEd iuuat gradatim à luce aſcendere rurſus ad lucem. Videmus in elementis vbi minus craſſæ naturæ ineſt, facilius lucem adeſſe. Accenſamque materiā quo magis extenuatur rareſcitque, eo purius perlucere. Quamobrem cœlum quoniam fulget ſummopere, materia carere probatur, & ob hoc ipſum quia caret materia, maximè fulget. Quod ſiquis dixerit, partes cœli denſiores magis lucere quam alias, reſpondebunt Platonici, rariores partes lucere quidem magis, ſed ob nimiam tenuitatem lucem videri non poſſe. Reſpondebunt rurſus Peripatetici, aliud eſſe ex ſe, aliud ex alio coruſcare. Ideo elementa, quia fulgorem capiunt aliunde, quæ rariora ſunt facilius capere, Cœleſtia verò quæ ex ſe ſplendent quo, denſiora ſunt eo vberius refulgere. Verum mittamus his quæſtiones huiuſmodi. Mittamus cœlum parumper, ne ſplendore corporeo prorſus hallucinemur.

Quando purgamus lucem cœleſtem, primo reperimus animam, deinde angelum.

AGe cœleſti naturę relicto ſi vis lumine atq; motu, ſubtrahe quātitatis dimenſiones, licet enim cogitatione ſubtra-

here, nã aliud est lumen cœli motusque, aliud est dimensio formaque: superest spiritus quidam, qui est tanto lucidior velociorque cœlo, quanto cœlum est lucidius & velocius elementis, substantia hæc incorporea animus rationalis esse videtur. Deme rursus huic motũ, relinque lucem & qualitatem, potes enim demere. Nam aliud lux & qualitas est, aliud motus. Forma quæ deinde restat, est angelus, clarior admodum & velocior animo. Quia neque disgregat lucem suam motu neque actionem propriam, sicuti anima distrahit tempore.

Præstat ascendere ad substantiam, in qua virtus non sit aliud quam substantia.

CÆterum nondum satis naturam rerum purgasse videmur. Restat nobis adhuc, nisi me ratio fallit, accidens à substantia secernendum. Angelus enim substantiam habet & qualitatem. Verum quærendum est primo, nunquid fieri hoc præstet, deinde vtrum possit? Præstat nimirum. Nam vbi substantia aliud est, aliud qualitas, substantia huiusmodi cum sua natura informis imperfectaque sit, aliunde formatur atque perficitur, & in capienda sustinendaque qualitate quodammodo patitur, atque qualitas illa, quia est forma quędam, in alio scilicet subiecto se sustinere non potest, multoque minus ex se potest existere. Eget ergo tàm causa quam subiecto, nec est integra plenaque omnino cum pro capacitate subiecti suspiciatur. Vnde necessariò fit ab altiore forma, quæ quidem, ne sine fine vagemur, in seipsa sit per se sufficiens ipsa sibi atque plenissima, sitque virtus vndique infinita, cum neque excedatur ab altiore neque à suscipiente aliquo finiatur. Adde quod totum illud quod ex substantia qualitateque componitur, quia diuiditur in partes, in virtute debilitatur, & quia componitur pendet tùm ex partibus, tùm ex eo artifice qui partes illas in vnum conciliauit, quæ cum diuersæ sint, ex seipsis inuicem non coissent. Quamobrem cum huiusmodi compositum neque quantum ad partes, neque quantum ad totum spectat, sit optimum, meliusque aliquid futura sit & substantia quæ non distinguatur à qualitate sua, & qualitas quæ non sit aliud quam substantia propria, vt tandem actus quidam omnino purus immensusque reperiatur, quis dubitet melius esse vt super id quod ex substantia accidenteque componitur, ad id quod est melius ascendamus?

Rationes multæ quod necessarium sit esse actum purum & infinitum.

PRæstat igitur huc ascendere, sed nunquid possibile est? Quid si est possibile forte rogas? Quandoquidem iam esse ita est necessarium vt probauimus. Quod si aliam exigis rationem, conducit ad idem huiusmodi ratio, quod substantia, quia accidentis est fundamentum, prior est accidente, & quia quod prius est à posteriore non dependet, potest substantia alicubi absque accidente consistere. Atque hoc meliús est sicut ostendimus. Quare ne ab æterno in æternum huiusmodi potentia in rerum principio tàm bona sit frustra, operæ precium esse videtur vt iam sit actu. Præsertim cum vbi summus actus est, & summa perfectio, ibi potentia actusque posse & esse sint idem. Ac si in rebus inferioribus minusque bonis, scilicet elementis mixtis, plantis & animalibus, quantum ad partes eorum spectat & reliqua, quod præstat vt sit iam, est à natura prouisum, quanto magis in rebus admodum melioribus & in summo naturæ quicquid melius esse probatur iamiam est & verius. Præterea quod melius esse monstratur in vniuerso non ob aliam causam melius esse censetur, nisi quia veræ rationi consentaneum est, conducit maximè ad rerum ordinem, decet præcipue rerum ordinatorem. Tale vero nefas dictu est, impossibile esse vel falsum. Rursus potentia & veritas tanquam bona naturaliter appetuntur. Atque hoc ipsum quod sunt, aut sunt ipsa bonitas aut à bonitate. Ergo quod vniuersi natura possibilius veriusque est, hoc est & melius, atque è conuerso, quod vniuerso melius iudicatur, idem possibilius est & verius. Item quod est melius magis est boni particeps. Non est igitur impossibile. Nam impossibile nullius boni particeps iudicatur. Accedit quod si actus purus infinitusque, quem disputando excogitamus, infinite melior est quam angelus, & quam vniuersum cuius pars est angelus, quod totum est terminatum, necessariò est infinitè potentior ad existendum, cum potentia bonum sit bonumque potestas. Imò etiam cum verè actuque esse bonum sit & nihil boni immenso desit bono, immensus actus infinite verius iam actu est quam cuncta.

Si infinita potestas duratione infinita nondum venit in actum, nulla vnquam alia potentia venit. Imò si infinitus actus qui idem est ac illa potestas, non sit semper in actu, alius certe nullus erit. Si est semper in actu potentia quadã sua natura

omni carens actu quæ est infinite passiua, id est, materia, proculdubio est semper in actu potestas illa quæ actus est totus atque est efficax infinite, à qua passiua potentia sit possitque pati & patiatur. Sed quid curiose inepteque quærimus, vtrum possibile verumue sit in vniuerso esse immensum bonum necne? Cum nihil sit possibilius veriusque eo quo nihil potest potentius cogitari. Non esset autem immensum bonum nisi esset in eo quicquid melius iudicatur vt sit. Atque excedere mens nostra cogitatione, affectu, quibus per boni gradus absque fine progreditur, principij summi naturam, siquid boni cogitari posset quod in eo non esset, ac nisi illud esset immensum. quid plura? si in summo principio omnium atque fine, vbi summopere inuenitur quicquid est appetendum, summa bonitas est & summa ipsa bonitas idem est prorsus ac summa potentia veritasque, sequitur quicquid circa ipsum melius iudicatur possibilius fore, imò iam verius esse. Omnino autem meminisse oportet, potentiam alicuius boni capacem, esse reuera aliquid atque in re aliqua vera fundari, præterea dependere ab alio quodam quod iam actu id habeat bonum, rursum quod actu bonum possidet ab alio proficisci quod actu sit ipsum bonum actusque cuiuslibet actus.

De luce Dei, ac de vmbra materiæ.

CÆterum alicui fortasse videbitur natura illa in qua qualitas non discernitur à substantia sine forma luceque esse. Sed meminerit ille probauisse nos ad formam in se existentem ascendendum esse, est ergo illa substantia forma. Profecto sicut in rerum infimo, idest materia prima idem est esse & informe tenebrosumque esse, sic in summo idem est esse & formosum lucidumque esse, imò formam lucemque esse. Materia enim apud Mosem, tenebrarum abyssus est formarumque informe subiectum. Deus lux abyssus luminum, formaque fons formarum. Materia infinita est patiendi potentia. Deus infinita virtus agendi, imò infinitus est actus. Illa ergo potentia est potentiarum omnium quæ in patiendo versantur. Hic actus est actuum. Et sicut in numero de materia verè dicitur materia, neque forma hæc est, neque illa, ita de Deo innumerabiliter dicitur & verè dicitur, Deus hæc forma est & illa. Vna materia est vmbra rerum vmbratilium infima. Vnus Deus lux summa luminum. Materia ob nimias tenebras ignota est, Deus ob nimiam lucem est incognitus. Nam si lux quæ est purior est & lucidior, nimirum Deus cum solus sit purus actus, solus lux est reuera dicendus. Si lux in forma quadam consistit totius quam subiecto, & formositas consistit in luce. Ibi solum vera lux, vbi mera sine subiecti inquinamento forma. Ibi solum vera formositas, vbi solum lux vera, veraque forma. Quapropter omnis forma & lux, quæ vel videtur oculis, vel cogitatur, quia finita est, vmbra quædam est ad Dei formam atque lucem. Meritò Deus infinitus est actus, quoniam vel subiecti, vel causæ limite, sicut diximus, non contrahitur. Hinc fit planè vt sit lumen immensum.

Quantum lux Dei supereminet superficiem intellectus, tantum Dei calor centrum penetrat voluntatis.

CVm verò à lumine calor trahat originem, est etiam ardor immensus, ardor in bono infinito infinite beneficus. Hunc nos ardorem voluntatis ardore potius quam scintilla mentis attingimus. Nam Deus quantum intellectus sui luce nos supereminet, tantum fermè bonitatis ardore se nobis inurit, vt nihil Deo excelsius sit, nihil quoque profundius. Quò amplior eius lux, eo intellectui naturaliter est ignotior. Quo vehementior ardor eo, vt ita dicam, certior voluntati. Deus ergō in summa intellectus cognitione quodammodo nox quædam est intellectui. In summo voluntatis amore, certe dies est voluntati. Vnde Orpheus Deum appellat noctem atque diem. Veruntamen diuinus splendor in animo beatorum, quando nox appellatur, omni temporali die longè clarior aduenit. Atque ob diuinum munus tanto pene clarior, quanto & Deus est, vt ita dicam, lucidior Sole, & animus purior ac serenior aëre,

Lux in elementis, cælo, anima, Angelo, Deo.

LVx in elementis facilè perspicitur oculis, quorum complexio constat ex elementis. Lux in cœlo quamuis amplior, difficilius tamen aspicitur. Remotior enim oculorum qualitas est à cœlo. Lux in anima nullo modo videtur sicuti neq; lux Solis à noctua, quia nimia est, neque ad eam corporalis sensus vllam habet proportionem. Sed rationalis animę discursu aliquo cogitatur. Lux in angelo neq; videtur, neque etiam cogitatur, est enim super sensus proportionē, & super tēporalis discursionis

capacitatem, verumtamen intelligitur, congruit in anima cum Angelo in sua quadam intelligentia stabili potius quam mobili cogitationis discursione. Lux in Deo quia etiam limites intellectus excedit omnino naturali hominis intelligentia non intelligitur, sed creditur potius & amatur, atque amata gratis infusa videtur, nempe huius amore accensus animus quo flagrat ardentius eo refulget clarius, discernit quoque verius fruiturq; suauius. Hinc Plato asserit, diuinam lucem non rationis digito demonstrari, sed perspicua piæ vitæ serenitate capi.

Quid cœlum, anima, Angelus, Deus, atque de differentia visibilis lucis & inuisibilis.

VT autem nostræ disputationis ambages aliquādo paucis colligamus, cœlum esse dicimus lucem quandam absque materia quodammodo corporali. Animam lucem quandam sine quantitate magnam. Angelum lucem sine motu celerrimam. Deum lucem absque qualitate optimam atque potentissimam, cuius calorem voluntate prius certiusque & vehementius experimur, quam intelligentiæ lumen. In hoc potissimum differt lux inuisibilis à visibili, quod visibilis quidem tam in igne quam in cœlo extrinsecus veniens illuminat prius quam calefaciat. Inuisibilis autē contra intrinsecus agens, quodammodo calefacit antea quam illuminet. Ideo in illa à visu ad tactū. In hac quasi à tactu quodam in ipsum iniustum progredimur. Humana pulchritudo videtur priusquam ametur. Diuina vero amatur vt videatur. Sed in illa qui videt spe miserabiliter possidetur. In hac videre nihil est aliud quam feliciter possidere. Igitur frustra nimium contraque ordinem naturæ laborat, quicunque Deum absque singulari eius amore cultuque credit se possessurum, vel reperturum sperat antequam amaturum.

Secundus contemplationis Platonicæ gradus consistit in Deo. Artificium vniforme & omniforme pendet ab arte vniformi & omniformi.

COmmunis omnium opinio credit, & diligens sapientum ratio probat, artificium hoc mundi quod circa naturam suam ac motum artificiose rationabiliterque disponitur atque agitur, esse regique ab arte quadam rationali artificiosaque ratione. Profecto quantum ex huiusmodi artificio coniicere licet, quod & vnum & vniuersum est, atque circa totum partesque vndique imà mirabili ratione constat & agitur, vt vix vlla possit ratio assequi, nulla queat omnino ratio imitari absque dubio, vnà cum Timeo argumentamur, artem illam mundi effectricem esse rationē quandam & vnam & vniuersam, vniformem, vt ita loquar & omniformem. Rationem, inquam, mundi totius rationes omnes in seipsa omnium mundi partium complectentem.

Deus nominatur ars, ratio, substantia, natura, vita, sensus, intelligentia, certitudo.

SI ratio hæc absolutissima est & fons omnium rationum à qua substantia omnis, natura, vita, sensus, intelligentia producitur penitus atque ducitur, nemo vsque adeo irrationalis esse debet, vt neget huiusmodi rationem esse substantiam stabilissimam naturam fœcundissimam, vitam æternam, sensum perspicacissimum, intelligentiam lucidissimam, lucidissimam inquam, idest certissimam. Quod enim in corpore mundi lux & luminum & videntium est, id in ratione mundi effectrice est certitudo, luce hac tanto lucidior quanto certior & præstantior certitudo scilicet cuiuslibet, certitudinis quę ex se certa sit sui, in se certa cunctorum, per se serenis mentibus clara certaque faciat omnia.

Deus est veritas, verorum omnium fons, causa veritatis rerum atque mentis.

VNde etiam summa cuiusque veritatis veritas nominantr, à qua vera omnia fiunt, per quam indagantur vera, in qua vera cernuntur. Quam rerum perscrutatores pro arbitrio vbicunque volunt de veris consulunt, cuius scintilla naturaliter insita vera rimantur, cuius radiis per omnia fusis vera inuenta discernunt à falsis, cuius examine vera iam discreta comparant inuicem & diiudicant, & cum species à singulis abstractas, in quibus rei cuiusque veritas consistit, intelligunt non nisi veritatem ipsam, id est, Deum intelligunt qui complexio & fons est omnium abstractorum, id est, idearum, sicuti Solis lumen fons est colorum.

Descriptiones Dei communes secundum Platonicos.

QVid ergo Deus est? ratio rationum, fons, rerumque artifex omnium, forma vniformis & omniformis, substantia immobilis omnia mouens, in motu status,

in tempore æternitas, in loco continens, in summis profunditas, summitas in profundis, in multitudine vnitas, in debilitate potestas. Natura fœcundissima naturarum, fœcunditas fœcunditatum naturalissima æterna viuentium vitarumque vita. Sensus sensibilium quidem lumen & sensuum perspicacia, Sensus medullas sensibilium in corticibus sentiens cortices in medullis. Intelligentia quoque talis vt & ipsa rerum intelligendarum bonitas sit, & intellectus cuiuslibet veritas & gaudium voluntatis.

Rationes multæ quod gaudium contemplantis superat sensuum voluptates.

GAudium, inquam, ex verissima bonitate & optima veritate optimum & verissimum. Hinc Plato diuinus inquit, ab his quæ sensibus offeruntur, quia veniunt ab extrinseco, nec verè existunt, sed impura breuiaque sunt, externam quandam titillationem circa corporis & animæ cutem falsamque & dolori permixtam & breuem fieri voluptatem. Ab his autem quæ menti ab intrinseco penitus se insinuant, quia intima veraque & pura & stabilia summaque sunt, intimam, veram, meram, stabilem summam voluptatem animæ medullis infundi, Proinde sensus atque sensibile ita se inuicem habent, vt propter eorum crassitudinem debilitatemque sese prorsus penetrare non possint. Intelligibile verò sua tenuitate vique mirabili illabitur in intellectus interiora, atque intellectus subtilitate virtuteque sua vndique intelligibile penetrat. Alioquin non posset mens rei intelligendæ naturam ab alienis secernere, in partes suas distinguere, intima eius cum extimis comparare. Quo fit vt voluptas mentis si quando rite contemplando reuera percipitur, interior vehementiorque sit quam sensus oblectamenta. Si tunc vehementer delectari solemus cum circa calorem vel frigus siccumue & humidum aut euacuationem repletionemuè habitum corporis naturalem contrariis quasi amissum, contrariis iam recepimus, ceu quando nimium calefacti refrigeramur, in cæterisque similiter, quanta illum voluptate perfundi putamus? qui naturalem mentis habitum tenebris & malignitate deperditum, iam iã luce & bonitate resumit, totusque ad suam reformatur ideam. Ac si ex rebus magis magisque conuenientibus maior gradatim maiorque nascitur delectatio, atque si nihil conuenientius homini quam ipsa humanitatis idea, quæ verus est homo, quid suauius quam & eam intelligendo in se complecti & in eam amando restitui? Præterea in omnibus pulchris bonisque amandis reuera nihil aliud, quamuis forsitan inscij, quam pulchritudinem ipsam bonitatemque amamus, à qua & ex qua pulchra bonaque sunt singula. Perinde ac si quis dixerit, gustui dulcedinis auido pomum vinumque placere, non quia pomũ vinumuè sit, sed quia dulce, atque idcirco nihil aliud in his quam ipsam dulcedinem affectari & dulcedine bonitatem. Igitur si omnium iucundissimum est re amata potiri, quid potest iucundius cogitari, quam illo potiri qui ipsa bonitas? Nusquam enim alibi re amata sed eius vmbra potimur. Ibi ergo placet idea nostra, est enim sibi quisque charissimus. Ibi solum plenissimè delectamur vbi solum verissime nos reperimus. In nostra idea ideæ placent omnes. Pulchritudo oblectat in omnibus omnes in bonitate nos implent. Atque secundum formam propriè ibi ipsa gaudij idea gaudemus. Quo fit vt tota gaudij illic solum plenitudine gaudeamus. Si vbi est bonum hoc & illud ibi gaudet hic & ille, certè vbi est ipsum bonum, ibi est ipsum gaudium. Si nullus verè viuit aut sapit nisi qui propriè vita ipsa viuit & sapientia ipsa sapit, procùldubio nullus verè pleneque gaudet nisi qui propriè gaudio ipso gaudet. Denique cum finito pulchro & bono finite lætemur, certè infinita pulchritudine bonitateque innumerabilium formarum bonorumque fonte infinitè gaudemus.

Gustus animi amaro corporis humore infectus, diuinorum saporem aut nullo modo aut vix & rarissime gustat.

SEd tanti huius gaudij vix & raro admodum, ah nimium miseri, in terris participes sumus. Et nunc quidem exilem quandam eius vmbram ac momento prætereuntem nostræ mentes ægrotæ percipiunt. Quarum naturalis gustus, proh dolor, amaro corporis hui. humore nimiũ est infectus. Vnde efficitur vt cœlestis ille saluberrimusque sapor vel non sentiatur vel offendat interdum vel leuiter breuiterue delectet. Acutius inter nos aliquando gustant vehementiusque & diutius oblectantur qui magis sordes labemque corporis, morum contemplationisque studio à natura mentis abstergunt, sed pauci quos æquus amauit Iupiter aut ardens euexit ad æthera virtus. Qui nam isti sunt, ô amice? Hi certè sunt quibus à vitæ magistro dici-

tur. Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum. Gaudium vestrum erit plenum, nec à vobis vnquam auferetur. Tertius contemplationis Platonicæ gradus. Cur, anima in corpore difficile diuina cognoscat, & quod sit immortalis.

Primum mentis obstaculum ad lucem intelligibilium intuendam, quia est coniuncta corpori.

IGneus est ollis vigor & cœlestis origo, Seminibus, quantum non noxia corpora tardant, terrenique hebetant artus moribundaque membra. Hinc metuunt cupiuntque, dolent, gaudentque Nec auras respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco. Quid in his carminibus Platonicis Maro noster voluerit, videamus. Anima tenebroso corporis huius carcere circumsepta mirabile veritatis lumen & vera quæ mirifice in illo refulgent, minimè percipit, quia minimam ad illud habet proportionem. Defectus autem proportionis huiusmodi tribus ex causis prouenit. Prima est. Quoniam anima forma quædam est coniuncta corpori. Illud vero lumen est forma penitus à commercio corporum segregata. Huc tendit quod inquit in Methaphysicis Aristoteles: Intellectus noster se habet ad illa quæ in natura clarissima sunt, tanquam noctuæ oculos ad Solis lumen. Ad idem spectat quod scribit in Metaphysicis Auicenna: Quemadmodum paralytici lingua oppressa quodam humore, certum gustum saporis amittit, quo expurgato recipit gustum; ita intellectus humanus ob corporis mortalis coniunctionem quasi paralyticus, id est, naturali eius sensu orbatus est ad illa quæ incorporea penitus sunt & æterna. Atque sicut humor linguæ actum gustandi adimit, non virtutem, quod in eo apparet qui iam purgatus gustandi recipit actum, ita corpus actionem intellectus circa incorporalia interturbat, sed potentiam non disperdit. Sed ex eo coniicimus, quia quanto longius animus tàm morum cultu quam speculationis frequentatione se à corpore seuocat, tanto clarius incorporalia cernit. Atque vnà cum his etiam semetipsum, qui etiam ipse est incorporeus quandoquidem actione sua & affectu quodam innato aliquando corporum transcendit ordinem atque virtutem.

Secundum obstaculum ad intelligibile lumen, quoniam animus ad corpus afficitur.

ALtera causa quæ proportionem quã ab initio diximus impendit, est eiusmodi, quod anima coniuncta corpori cum eo pacto quo hic est naturaliter moueatur & agat, certè naturalem conuertit affectum in primis ad corporalia, qualis affectus eam ab incorporalibus longè diuertit.

Tertium obstaculum ad intelligibile lumen: Quoniam animus vertit aciem. ad corpora.

TErtia quod aciem cognoscendi frequenter vertit ad sensum & sensibilia eorumque imagines in phantasia reconditas, hæ verò imagines tanquam nubes quædam vsque adeo aciem mentis obumbrant, vt lucem intelligibilium mirabilem non discernat, dum splendorẽ eorũ vt plurimum non in seipso, sed in his nubibus intuetur. Vbi iam à seipso degenerantem, & quasi corporalem iam factum aspicit, & ob hoc neque verum ipsum videt, neque clarum, sed imaginum caligine obfuscatum. Similis autem videtur hæc affectio mentis, oculis rubra ophthalmia laborantibus, quibus lux non clara sicuti est, sed rubra videtur, colores quoque in luce non quales sunt sed rubri. Sunt etiam nonnulli quorum animus aliquando ita & corporis contagione & corporalium nebulis obfuscatur, vt rerum spiritalium radios omnino nusquam videat, instar oculi qui opprimitur cataracta. Cæterum quando corporales hæ sordes quodammodo abluuntur, ab animo incorporalia aliquantum prospiciuntur, quando vero penitus diluuntur, subito intelligibile lumen, intelligibilium omnium radiis plenum intelligentiæ oculis sese prorsus infundit. Quod quidem vbique est, & natura sua intellectualem oculum, cum primum fuerit purgatus, illustrat, sicut lumen visibile visum. Atque sensibilia omnia multo clarius in luce intelligibili tanquam in primo fonte refulgent, quam in luce quæ, reuera illius est vmbra. Meminisse vero oportet, animã & occupatam in mole corporis fabricanda regendaque & in diuersas actiones distractam perturbatam ad spiritaliũ radios, aut nullo modo, aut plurimum neglectè & leuiter aciem vertere, adde, & obliquè. Quippe etiam quando paulò attentius pro viribus aspicit, quia ipsa coniuncta est corpori, sæpissimè ad coniuncta se flectit, id est, ad corporalium nubes in phantasia volantes.

Phantasia etiam radios spiritalium cum primum menti subrutilant corporalium simulachris induit, ideoque mens aut nullo pacto aut vix obscureque videt. Sed quan-

do & ſeiuncta eſt à corpore & à corporis labe mundata, ad incorporalia ſolum tota intentione conuertitur, quorum vberrima luce refulget ad votum. Cuncta in ea clare diſcernit tanquam & clariſſima in ſeipſis & intelligentiæ intima. Hoc autem aſſequitur quando perfecto temporis orbe increatam exemit labem, purumque relinquit æthereum ſenſum atque auræ ſimplicis ignem.

Ratio immortalitatis animi, quoniam intelligit incorporea ſine corporis inſtrumento, attingit formas ſeparatas, ſeparatque coniunctas.

QVod autem animus noſter queat ſecundum ſubſtantiam ſeparari à corpore, atque deinde in ſeipſo manere, ex hoc in præſentia intellexiſſe ſufficiat, quod intellectus agit ſine vllo inſtrumento corporeo, quando ſcilicet per omnia corporalium genera Speciesſque diſcurrens, aſcendit inde ſuperius ad ordinem ſpiritalium, illaque in genera ſua ſpeciesſque diſtinguit. Per inſtrumentum vero corporeum, quod etiam particulare eſt, non poſſet niſi corporea & particularia comprehendere. Si abſque corpore poteſt & ſeorſum ab illo viuere atque intelligere. Adde quod ſecundum actionem quæ & à ſubſtãtia eius eſt & in ſubſtantia permanet, ipſe non modo attingit quæ ſeparata æternaque ſunt, quando inuitus etiam phantaſiæ fallaciis probat talia quædam in rerum ordine eſſe debere, verùm etiam vi ſua ſeparat à materia formas, quando in rebus naturalibus ſecernit à ſingulis ſpeciei cuiuſq; naturam. Plotinus & Proculus aiunt, quoniam eſſentia actionis & principium eſt & fundamentum, ideo mentem quæ actione ſe à corpore ſeuocat abſtrahendo poſſe multo magis ſecundum eſſentiam ſeorſum à corpore viuere. Themiſtius arbitratur, difficilius eſſe naturas ſeparare coniunctas quam formas percipere ſeparatas, vnde concludit, intellectum poſſe ſeparatas formas attingere, quandoquidem coniunctas naturas pro arbitrio ſeparat.

Ratio immortalitatis animi, ex proportione ad formas ſeparabiles atque ex acceſſu ad ſeparatas.

NAturæ huiuſmodi naturalia familiariaque obiecta ſunt intellectus humani, quamdiu naturale hoc corpus inhabitat. Continuè nam & naturali quodam inſtinctu intelligit eas à ſingulis ſeparando. Vnde inter hunc & illas neceſſe eſt vt proportio ſit non parua. Ex quo concluditur intellectum eſſe ea conditione corpori iunctum vt ſit ſeparabilis, imò etiam quodammodo ſeparatus, quandoquidem obiecta eius domeſtica ſunt ſpecies coniunctæ quidem ſingulis, ſed non vt coniunctæ, imò vt ſeparabiles atque ſeparatæ. Nempe communia intelligendi modus hic eſt, vt quando phantaſia hominem hunc & illum imaginatur, tunc intellectus prætermiſſis mortalibus hominis accidentibus, prætermiſſo hoc ſitu temporeque & illo, ad humanitatem ipſam ſe confert ſingulis communem hominibus, vbique ſemper vigentem, ſimiliterque in aliis ſpeciebus. Maximè verò tunc ſeparatus apparet, quando interdum vltra conditionem, qua hic habitat ſpecies illas rerum naturaliũ, reſoluit prorſus in rationes ipſas ideaſque ſuper naturam ab omni materia penitus abſolutas. Et ſicut ab imagine in phantaſia reperta antè naturali quodam intuitu proceſſit ad ſpeciem abſtrahendo, ſic deinde à ſpecie argumentando ad ſpeciei rationem prorſus æternam. Videlicet quia neceſſarium ſit naturam in multis vnam à forma vna ſuper multitudinem proficiſci.

Ratio immortalitatis animi, quia intelligit nonnihil, ad cuius intuitum proprium, phantaſma aliquando non eſt neceſſarium.

PRofecto quoniam ab eſſentia prouenit actio, ſemper qualis eſſendi conditio eſt, talis agendi, atque è conuerſo. Quamobrem animus noſter quia nunc ita iunctus eſt corpori vt ſeparabilis ſit aliquando, & permaneat ſeparatus, ideo cognoſcendo quauis conditione loci incipiat à ſingulis rerum formis omnino materiæ iunctis, tamen deinde procedit ad ſpecies coniunctas quidem effectu, ſed & ſua quadam natura & virtute intelligentiæ ſeparabiles. Tertio vi ſua diſcuſſis à ſe parumper phantaſiæ ſimulachris ad rationes iam ſeparatas, quas in rerum ordine omnino abſolutas exiſtere nunquam excogitare poſſet, niſi ſaltem ad breuiſſimum tempus ab acie phantaſmatum nubes expelleret. Sed cito ob regionis huius naturam conſuetudinemque congregatę iterum nubes, cœleſtium impediunt claritatem. Ex illa autem ſubita abſtractione coniiciunt Metaphyſici, poſſe intellectum aliquando abſque phantaſmatibus intelligere. Vnde etiam ſequitur poſſe ſeorſum à corpore viuere & clariſſimè intelligere.

Anima in corpore secundum Platonicos procedit cognoscendo à singulis ad species, à speciebus ad ideas. Extra corpus è conuerso progreditur scilicet ab ideis ad species, à speciebus ad singula.

VErùm quando separatus animus est, progreditur aliter quam in corpore. Nam in corpore animus à singulis ad species, à speciebus transit ad rationes. Separatus autem contra. Nempe à familiaribus suis naturaliter tunc incipiens, in diuinis rationibus naturali intuitu naturales videt species, ac in speciebus quasi subita quadam argumentatione, & tamen momento inspicit singula. Hinc circulus ab eo fit à tempore ad æternitatem, ab æternitate rursus ad tempus. Ergo quemadmodum ita coniunctus materiæ fuit vt separabilis foret & aliquando separatus existeret, sic deinde ita separatus existit vt rursum iungibilis sit & aliquando vinctus. A naturis procedunt vires, naturæ à viribus indicantur. Nam ab infinita potentia, sapientia, bonitateque regitur. Non igitur frustra vires sunt naturales. Hac argumentatione ad animorum circuitum sempiternum vti verisimiliter fortasse possunt Platonici. Eadem verissimè ad corporum humanorum resurrectionem Hebræi, Christiani, Mahumetenses vti posse videntur.

Quod obscurè animus in corpore tam clare extra corpus intelligit incorporea.

PRoinde anima dum in materia & quodammodo sub tempore vitam ducit, naturales formas in materiæ infimæ videt vmbra. Supernaturales autem formas, vt plurimum, sub naturalium videt Eclipsi. Quando vero extra materiam & super tempus agit vitam; tunc supernaturales quidem formas in summæ formæ lumine conspicit. Naturales autem sub radiis supernaturalium intuetur. Tunc igitur omnia clare, omnia nunc obscure, siquidem temporalia non aliter percipit quam per eorum imagines sensibus haustas, in eisque quasi purgatas. Non enim aliter inter hæc & animam est proportio. Ad æterna verò quamdiu immortali corpore occupata est, difficile parumque conuertitur, & conuersa occursu imaginum corporalium sæpissimè hallucinatur & fallitur. Hinc illud Platonis nostri mysterium in Phedone. Animus in alio viuens, scilicet, in corpore, perque aliud aspiciens, scilicet per sensuum fenestras atque phantasmata, aspiciens, inquam, quæ sunt in alio, id est, tam species in singulis quam formas singulas in materia, nihil vsquam clare discernit. Quando autem viuens in se per se aspicit, atque in se illa quæ sunt in se ipsis, id est, rationes rerum, quæ dum in summa omnium ratione sunt in seipsis existunt, tunc omnia clarissimè perspicit, quia & intima & clarissima, quæ tanto fulgentiora in se illa sunt quam ista quanto puriora, veriora, potentiora.

Præstantior sensus est in phantasia, quam externis longè præstantior in mentem quam in phantasia.

SEd nunquid illa sensibus comprehendit? Sensibus certè quibusdam. Sensuum videlicet sensu. Quoniam præter sensus illos quos in æthereo animæ vehiculo exerceri Platonici opinantur, sunt & sensus nonnulli admodum clariores, quibus vti mens potest etiam absque corpore. Sane quinque sensus qui in neruis & spiritibus exercentur, emanant ab iis qui vigent in phantasia. Sed in hac quinque illi sensus, vnus sunt amplior illis & perspicacior, adde & stabilior, seruat enim quæ illo non seruant. Vnus est rursus in mente latior, stabilior, perspicaciorque quam in phantasia, quanto mens præstantior est quam illa. Si latior est nimirum vltra illa rerum porrigitur genera quæ sensibus & phantasia comprehenduntur. Si stabilior est, etiam seruat diutius quam phantasia. Si perspicacior, certius, clarius, splendidius quam illi cernit & quam illa. Cernit, inquam, interdum per illos & per illam imagines atque singula quando eo sese vertit. Cernit per se excitatus ab illa species & clarius quia propinquius. Inspicit in se ipso se ipsum, quando ad se reflectitur, potest autem ad se reflecti si se amat, quærit, intelligit. Vbi apparet prorsus indiuisibilis & in seipso consistens. Nam forma quæ vel diuisibilis est, vel necessariò iacet in alio, nunquam reflectitur in se ipsam. Clarissime tandem rationes discernit quando ex se ad summam omnium inspicit rationem. In qua mentis visus rationem vimque lucis videt atque colorum, tanto hac luce hisque coloribus fulgentiorem, quanto ibi, scilicet in idea sua, est integrior & præstantior, quam in corporibus inde formatis. In qua etiam mentis auditus rationem sonorum audit sonantiorem, consonantioremque sonis cunctis quos vel auris audire vel phantasia queat imaginari. Eadem ratio est de cæteris intelligentiæ sensibus, quibus quisquis suauissimè optat frui det operam imprimis oportet vt corporis

sensibus vtatur quidem, sed non fruatur.

Qualis est amor talis amicitia.

MARSILIVS FICINVS Alamanno Donato dilectissimo suo, S. D.

CVm amicitia, quod nemo dubitat, ab amore vim nomenque accipiat, nihil enim aliud est amicitia quam mutuus amor, stabili quadam, id est, honesta consuetudine confirmatus, consentaneum est vt qualis est ipse amor à quo amicitia ducitur & dicitur, talis quoque semper sit amicitia. Qualem igitur nostram fore potissimum Alamanne dicemus? Certe cum non aliunde quam ab amore Platonico cœperit, haud aliter vnquam quam Platonicam nominabimus. Siquidem in exponendis nuper commentariis nostris in ipsum Platonis conuiuium de amore compositis, sic interim amare inuicem nos incepimus, vt quam Plato illic veri amoris ideam fingit, ipsi iam in nobis effinxisse atque profecisse videri possumus. Ab hoc ipso deinceps amore Platonico, Platonica quædam amicitia nascitur, quæ in almo musæ Vraniæ gremio concipitur, alitur, augetur. Ea quandoquidem à musis originem ducit, nihil redolet, nihil sapit vnquam, nisi Musicum & consonans & concinnum. Huic vni beniuolentiæ (vt est apud Platonem) plus fidei est habendum quam vlli necessitudini vel consanguinitati. Ergo quid dubitas vlterius, Alamanne? Vtrum Plato noster plures vno in corpore animas esse voluerit? Tantum abest quod in vno sint plures, vt sæpe quodammodo vel contra contingere videatur, quando videlicet vnam ferme in pluribus amicorum corporibus animam Platonico amore conflante perspicimus. Sed de his hactenus. Venio iam ad ea de quibus interrogas.

Secundum Platonem vna in homine anima est, tres in anima vna vires.

QVæris nunquid Peripateticis illis adhibenda sit fides, qui Platonem quod plures in homine anima, scilicet rationalem, irascibilem, concupiscibilem collocauerit, calumniari non dubitant. Respondeo, equidem vnam tantum esse animam, per quam pluribus eius viribus hæc omnia facimus. quemadmodum corpus ignis vnum tribus qualitatibus sufficienter agit tria. Luce enim fulget atque illuminat, leuitate celer ascendit, calore calefacit & vrit, atque in qualibet ignis particula pariter tres hæ qualitates vigent, suntque loco simul, quadam tamen inuicem proprietate distinctæ, sic animæ substantia vna eademque sufficienter posse videtur tribus eius viribus officia exequi tria, videlicet ratione, tanquam luce quadam, verum bonumque à falso modoque discernere. Appetitu insuper, quasi leuitate, ad ea quæ sibi placent facillime se conferre. Animositate rursus iracundiæque feruore, ceu calore quodam, in ea vel consumenda vel propellenda efferri, quæ aliquando ipsam ab eorum quæ petit consecutione impedire posse videntur. Quid prohibet quo minus vna sit anima viribus tribus munita? quæ quamuis proprietate inuicem discrepent, vbique tamen in eadem anima simul sint, vbicunque tota simul est anima.

Sed operæ prætium est Platonem ipsum audire in quarto de republis libro ita hac de re disputantem, vt hoc ipsum habeas certum, animæ substantiam esse vnam; vires verò eiusmodi simul in anima plures; sic enim inquit. Res vna eademque contraria quædam aut agere aut pati eodem tempore secundum idem & ad idem nũquam potest, quod siquid moueri simul & quiescere videatur aut id per aliam quidem sui partem mouebitur, per aliam vero quiescet, ceu siquis alteram manum moueat altera quiescente. Aut certè ratione alia mouebitur alias verò nequaquam: Quemadmodum sphæra in rectum quidem non mutatur, sed interim rotatur in orbem, dũ fixa permanet circa centrum. Ergo centro manet, circumferentia voluitur. Sed iam ad naturam animæ veniamus. Sitientis anima prout sitit, nihil aliud quam bibere cupit, atque ad id prout sitibunda est solum impellitur. Siquid igitur ipsam interim retrahat sitientem, aliud certè quiddam in anima ipsa erit præter vim illam quam diximus sitientem, quod illa à potu quasi bestiam retrahat. Res enim, vt supra diximus, vna eadẽque nunquam per eandem sui partem circa idem simul contraria peragit. Nam quo pacto manus vna Sagittarij vnius arcum vnum, vno momento intendit simul atque remittit; Videmus autem sitientes nonnullos aliquando bibere nolle, horum igitur anima habet in se aliquid quod impellit vt bibat, aliud rursus quod potum vetat & impedit. Illud concupiscentiam, hoc rationem appellare solemus.

Quamobrem concupiscentia, atque ratio diuersæ inter se esse videntur. Diuersæ quoque sunt inter se concupiscendi vires

& irascendi. Sæpe enim ratio iubet nonnulla à quibus appetitus abhorreat, vt in Medicinis, laboribus, periculisque subeundis apparet, sed iracundiæ vigor nonnunquam excitus, vtpote qui tunc pro ratione capiat arma, efficit tandem vt ignaue concupiscentiæ indignati quod ratio mandauerat, inuita concupiscentia, agamus atque patiamur. Præterea quando ratio pugnare nos pro patria iubet, appetitus in ipso prælio, somno, fame, siti prouocatus, nos à prælio ad mollitiem & conuiuia reuocat. Iracundia verò dum in hostes inuehitur, inuita concupiscentia rapit ad prælium. Quod autem aliud quoddam sit vis irascendi, ratio aliud, quisnam, modo rationis compos sit, ambigat? Nempe in bestiis cum sit ira, nulla est ratio. Rursus in pueris fermè statim natis ferueſcit ira, ratione autem serius vtimur. Præterea sæpe ira ad vlciscendum nos impellit, sed ratio prohibet. Cum verò tàm ira quam libido à ratione differant, libido tamen magis quàm ira videtur à rationis dignitate discedere, tum quia ad viliora detorquet, tùm quia ira sæpè aduersus vilem libidinis impetum indignata rationi opitulatur. Libido vero nunquam aduersus iram rationi fauere videtur. Hęc Plato. Ex quibus apparet Platonem non tres animas, sed tres vires in vna hominis anima posuisse.

MARSILII FICINI Florentini, quid sit lumen in corpore mundi, in anima, in Angelo, in Deo. Ad Phœbum Verum clarissimum Oratorem.

SAlue semper in vitæ lumine Phœbe noster. Salue Phœbe cœlestis non externa, sed intima luce clarissime. Cum superioribus diebus Marsilij tui mens Platonici Solis radiis quasi seminibus quibusdam pro viribus grauida parere inde Solem eniteretur, infœlix nimium nescio qua sterilis imbecillitate naturæ, pro Sole peperit Lunam alieni luminis indigam. Ergo Platonici Solis natum tenebris meis obscurum quam primum Platonico Phœbo dicabo, vt eius saltem radiis illustretur. Tu vero accipe libenter quæ tua sunt, clarissime Phœbe. Et quia iure sunt tua, ingenti splendore tuo redde obsecro clariora.

Quisque sensus attingit obiectum solum sibi conueniens.

ODi maximè omnium tenebras, quarum culpa displicent mihi quæcunque displicent, vel quodcum illis sint, vel quod ab illis labentia relabantur deprimantque ad illas. Amo ante omnia lumen, cuius gratia & cętera diligo, vel quod cum illo sint, vel quod ad illa fluentia refluant reducantque ad illud. Ergo nunciate mihi mei sensus qui cætera penè innumerabilia nũciatis, nunciate mihi obsecro, quid sit lumen. Respondet auditus: Aëreus sum, satis esto si sonos tibi aëreos nuntiem. Respondet & odoratus, equidem non sum adeò lucidus, vaporeus sum, à me disce vapores. Quid aliena quæris à me? gustus ait: Nato equidem in liquore, indico tibi liquores. Noli à me, dicit tactus, extorquere quod nequeo, corpulentus sum, corpulenta nuntio, altius quære lumen.

Descriptio luminis visibilis.

HInc admonitus ab infimo quo cecideram, ad altissima mei corporis nũc ascendam, vt inde lumen leuius altiusque cunctis accipiam. Eya agite, ô oculi mei lucentes, per lumen illud obsecro quo præcæteris imò quo solo delectamini, tantum iudicate reginæ vestræ rationi quid sit lumen. Respondet subito visus splendidus. Ego spiritus sum & splendor sum spiritalis, quocirca cum à me iure propria officia postules, largior libentissimè, quantum habeo. Lumen est spiritalis quædam & subita & latissima à corporibus naturæ eorum sine detrimento proprio emanatio. Nitoris scilicet cuiusdam à diaphanis, id est, transpicuis. Coloris autem ab horum oppositis, quantitatis figuræ, motusque ab omnibus. Congrega in vnum genus omne colorum. Quid erit hoc vniuersum, nisi lux quædam omnicolor, siue lumen factum in solidiore obscurioreque materia terræ iam opacum? Segrega terram illi permixtam, quid erit reliquum, nisi qualitas quędam, imò claritas actusque perspicui, sicut calor est actus opaci? Color quidem lux est opaca, lux autem color clarus, imò perspicui corporis colorumque flos quidam vigorque quasi vnicolor, actu, virtuteque omnicolor.

Nihil clarius quam lumen ac Deus, nihil obscurius.

ADumbratio hæc est, ô mei oculi, potius quam pictura. Nihil vnquam audiui

audiri obscurius definiri. O rem valdè miram. Quonam pacto fieri potest, vt nihil sit obscurius lumine? Quo nihil est clarius quando per illud clarent declaranturque omnia. Ascendam igitur hinc ad sublimem mentis speculam, vt saltem hoc videam inde, præter quod aliud quicquam alicubi videre non possum, ô mens, quæ rectè cuncta metiris, dicito mihi, numquid fortè lumen est ipse Deus, quo etiam nihil clarius est, nihil obscurius. Nihil clarius quàm Deum esse, esseque ad summum potentem sapientemque & bonum, hoc enim auribus nostris quæcunque ab eo sunt facta proclamant, vt nemo sit surdior illo qui tantum rerum omnium sonitum strepitumque non audit. Nihil contra obscurius quàm quid sit Deus, vt nihil sit tenebrosius illo qui sibi opinatur hoc esse clarissimum.

Lux intelligibilis est intelligibilium caus, a visibilis visibilium.

RExpondet mens, Deum esse patrem luminum. Apud quem non est transmutatio per quam extinguatur vel minuatur. Neque vicissitudinis obumbratio per quam vel vicissim subeat noctem vel patiatur Eclypsim. Respondet rursus Deum esse lucem in qua tenebræ non sint vllę. Idem forma in qua nihil est informe. Formositatem quoque in qua nihil est deforme. Deus certè sicut mens quæ radius eius est monstrat, lux est inuisibilis, infinita, veritas, veritatis cuiusque rerum omnium causa. Cuius splendor, imò potius vmbra est, lux ista visibilis atque infinita causa visibilium. Quoniam verò lucis veritatisque natura est, vt cęteris alia verè declararet, Deo cuncta per se verè clareque conspicua sunt. Perinde ac si visibilis lux cum sit colorum visibiliumque fons seipsam intueatur tanquam omnicolorem, atque in se colores omnes sensibiliaque omnia videt.

Lumine visibile, rationabile, intelligibile, diuinum.

VErùm ad tam sublimem speculationem, haud tam repente prosiliendum, sed gradatim ascendendum mens admonet, ne caligari cogamur ac splendore nimio obcæcari. Noli ratio confidere sensibus. Visus tibi non satis nunciat, cæteri nullo modo. Visus quia sensualis lux est, tantùm sensibilem accipit datque splendorem. Atque conuerso, quia sensibilem accipit datque splendorem, hunc sensualem quandam lucem esse cognoscis. Vltra verò in die non licet progredi. Sed hinc à me discito, primùm quidem me scilicet intelligentiam esse lumen quoddam intellectuale, quandoquidem obiectum meum est intelligibile lumen, quod in qualibet re & quærenda quæro & reperta reperio. Siquidem lumen cuiusque rei & ipsius veritas idem. Veritas est lumen intimum, lumen veritas se ad extima fundens. Discito deinde te, scilicet rationem esse lucem quandam rationalem rationemque lucentem, postquam rationem lucis tanquam originem tuam ratiocinando tanta auiditate perquiris. Sed vis rationem lucis commodius assequi? In duce cuiuslibet rationis eam quærito. Ibi est ratio lucis vbi & omnium, in veritate summa quæ & ipsa summa certitudo & claritas est reperies veritatem lucis & claritatem. Siquidem idem est huius lucis quam quæris claritas atque veritas. Quid lux in Deo? Immensa suæ bonitatis veritatisque exuberantia. quid in Angelis? intelligentiæ certitudo à Deo manans profusumque gaudium voluntatis. Quid in cœlestibus? Copia vitæ ab Angelis, virtutis explicatio à cœlo. Risus cœli. Quid in igne? Vitalis quidam vigor à cœlestibus in sentientibus exhilaratio ipsius spiritus sensusque vigor. In omnibus summatim intimæ fœcunditatis effusio. Vbique diuinæ veritatis bonitatisque imago.

Ad numinum gaudium cœlestes ipsorum oculi rident, splendore motuque gestiunt.

POstquam videmus à cœlestium radiis qui à supercœlestibus per cœlestia tanquam per vitra quædam ad nos descendunt, cunctis dari perfectionem suam, vitam, sensum, certitudinem, gratiam atque lætitiam; Necessarium est lucem in spiritibus super cœlum esse formæ ipsorum perfectionem. Fœcunditatem vitæ. Perspicaciam sensus. Clarissimam verissimæ intelligentiæ certitudinem, gratiæ copiam, gaudij vbertatem. Horum omnium imago est splendor cœli, imò ad horum claritatem tanquam vmbra, quia minus potest corpus cœli exactè claritatem spiritus imitari quàm terra cœli fulgorem. Ad spirituum cœlestium mirabile gaudium cœlum quasi corpus eorum, imò quasi oculus eorum, oculum enim Orpheus Solem appellat, ridet splendore motuque exultat, sicuti terra tanquam ab illis remotissima luget tenebris situque torpet & ocio. Neque enim putandum est cœlum moueri vel vi aliqua vel defectu. Cuius motus natura perpetuus est

locumque naturalem non relinquit. Substantia quoque absolutissima à qua nihil discedit sui, sed quodam excessu lætitiæ ob quam gestiens quiescere nesciat. Ad gaudentium numinum cantum vt Pythagorici arbitrantur sphæræ choreas ducũt. Vnde ordinatissimis variisque motibus mirabilem conficiunt harmoniam. Ad astrorum risum qui præcipuè radiis indicatur rident omnia quæ sub cœlo sunt quæ super terram. Ad tenebras tanquam ad tristitiam omnia mœrent. Solemus enim ridentibus congratulari, flentibus contristari.

Risus cœli ex numinum gaudio proficiscens, id est, lumen omnia fouet atque delectat.

QVod lumen sit risus cœli ex spirituum cœlestium gaudio proficiscens indicant homines, qui quoties lætantur spiritu ridentque vultu, splendent certè intus ditanturque spiritu, vultu quoque splendere videntur, oculis maximè, quæ maximè sunt cœlestes, quique in risu motum cœli instar efficiunt circularem. In lugentibus autem contra, obtenebrantur, restinguuntur, torpent omnia. Radij verò ex stellis ridentibus tanquam diuinarum mentium oculis benignissimè lætissimeque directi semina rerum non aliter omnia fouent generantque quàm struthij aspectus in ouum. Illorum enim virtute calor naturalis cunctis inseritur. Vnde vita oritur, alitur, augetur. Hinc fit vt omnia volũtatem appetant quia non modo voluptate terrena sed etiam cœlesti lætitia generantur. Quis dum neget numina læto quodam affectu omnia mouere ac gignere? Cum videamus & ab animalium natura & ab arte omnia voluptate procreari ac perfici.

Aliud lumen est, aliud calor. Atque lumen antecedit calorem.

QVod aliud fulgor sit aliud calor perspicuum est. Nam fulgent siue nitent quæ non calent ac etiam frigida multa. Calida sunt etiam multa quæ fusca, calor ignis penetrat sæpè qua non transit splendor, propagatur & splendor longius citiusque multo quàm calor, quòd sit calor à lumine inueniet quisquis cogitabit etiam in spiritibus intelligentiæ claritatem origine quadam antecedere voluntatis affectum & in mundi machina Solis radios sequentis caloris originem esse.

Lumen est quasi spiritale quoddam. Et spiritus sunt lumina quædam.

QVod lumen spiritale quoddam sit potius quàm corporale ex eo constat, quia passim sine tempore propagatur. Sine offensione implet perspicua corpora. Sine sui inquinamento se sordibus circumfundit. Præterea corporibus his facilius se largitur quæ longius à corpulenta mole discedunt. Vnde purissima corpora cœli & ignis, vt Platonici putant, in se lucent. Aër & aqua ab illis. Interiora terræ neque ex se nitent, neque ex illis. In superficie terræ lumen mixtionibus diuersis elementorum quatuor maximè terrenis infusum, diuersorum colorum induit formas quasi corpuscula, quorum quasi quædam animulæ sunt scintillæ luminis illis infusæ. Quas si ab illis mixtionibus segregaueris atq; seruaueris, videbis fortè quales sint rationales animæ à corporibus separatæ. Sunt enim lumina quædam olim in corporibus confusiora, sed iam in naturam propriam restituta, ideoque clarissima. Sic enim corpus ab anima diuersissimum illi quasi Eclypsim obducit sicut Luna coniuncta Soli, imò verò sicut mixtio terrena à cœlo alienissima cœleste lumen reddit opacum, facitque colorem ex lumine, sic corpus circa animam reddit ex intelligentia sensum.

Lumen in Deo, in Angelo, in ratione, in spiritu, in corpore.

VErùm vt redeamus illuc vnde digressi sumus, cœlum quamuis in se, non tamen ex se, sed ex superiorum claritate & gaudio refulget & gestit. Ceu oculus ex spiritus claritate animique lætitia. Spiritus autem lætatur maximè claritate sua Solisque. Animus claritate spiritus atque mentis. Videtur autem lumen hoc esse mens refulgens per corpus, perspicuum quasi vitrum & inde iam facta visibilis. Mens autem lux in se ob nimiam vbertatem tenuitatemque penitus inuisibilis. Deinde lux in mente est veritas gaudensque gaudium verum. Tertio lumen à mente in corporibus est quædam veritatis rerum sensibilium declaratio, pulchritudinis flos, oblectatio sensus. Sed repete rectius lumen in diuina mente intelligentiam supereminet. Inde Angelicæ menti lumen idem infusum secundum intelligentiam redditur, sed super terminos rationis. Diuinum hoc angelicumque lumen in mentibus hominum secundum rationem iam euadit. Sed superat phantasiam. In spiritu secundum phantasiam, super

sensum. In corpore vero maximè oculis quasi cœlestibus animæ stellis sensui iam familiare fit, sed non materiæ. In omnibus mentibus lumen est vita exuberans, Veritas clara certaque, lætitia plena. Inde in corporibus est diuinæ explicatio & effusio vitæ. Declaratio veritatis rerum & authoris gratia formæ, voluptatis incitamentum. Empedocles & Zeno volunt quemadmodum se habet ad carbonem flamma, sic quodammodo se habere lumen ad flammam. Atque flammam esse quasi lumen densum. Lumen verò flammam rarissimam, vitamque cunctorum. Plotinus & Proclus arbitrantur lumen esse visum quendam aspectumque numinum per radios cœlestium oculorum procul emissum. Atque esse spiritum quendam diuinum, qui & omnia videat, & quantum in se est ab omnibus videatur. Addunt eiusmodi spiritum extingui nusquam, sed sydera sequi.

Lumen est vmbra Dei, Deus est lumen luminis.

DEnique lumen est quasi numen quoddam in mundano hoc templo Dei similitudinem referens. Adeò vt Plato noster in libris de Republica hoc ipsius boni filium nominauerit. Est enim instar Dei aspectu ante omnia venerandum, est & amplificatio quædam subita & latissima absque detrimento sui ob exuberantem bonitatem largitatemque suam cunctis sese libentissimè & felicissimè largiens. Causa conseruatioque & excitatio omnium nascuntur. Proinde ad vitam, veritatem, lætitiam, vnde descendit cætera subleuat. Absque huius præsentia mori cuncta videntur, huius autem præsentia reuiuiscere. Atque id quod optimum est diuinum humano generi commemorat cultum, vt neque impij negare audeant esse Deum, cuius simulachro sensibus nihil est clarius. Neque flagitiosi vel latere oculum vel effugere manum eius se posse confidant, cuius simulachrum est ipsa claritas, ac velocius quam dici possit momento per omnia dilatatur. Vnus in omnibus & super omnia Deus. Vnum in omnibus & circa omnia lumen. Lumen rebus à Deo factis est quidam diuinæ claritatis splendor. Atque, vt ita loquar, est Deus quasi seipsum finiens & ad operum suorum capacitatem sese accommodans. Deus autem ipse est lumen immensum in seipso consistens ac per se in omnibus & extra omnia per immensum. Fons ille vitæ, in cuius lumine, vt ait David, videmus lumen. Oculus quoque quo omnes vident oculi, vt inquit Orpheus, oculus qui cuncta in singulis inspicit. Ac reuera omnia conspicit in seipso dum esse se perspicit omnia. Vale felix vna cum diuino senatu vestro clarissime Phœbe. Saluta Marsilij literatorumque omnium nomine Bernardum Bembum Venetum, imò etiam Florentinum populique nostri delitias.





MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS

MATTHIÆ FELICISSIMO Pannoniæ Regi, in pace securitatem, in bello victoriam, in victoria gloriam sempiternam vaticinatur.

(∴) (∴)

PROOEMIVM

(∴) *LIBRI TERTII.* (∴)

EXHORTATIO AD BELLVM CONTRA BARBAROS.



PLATO noster Philosophorum pater, rex felicissime, Xenocratem Dionemque dilectos discipulos suos viros quidem sanctos, sed paulo seueriores tristioresque, quàm decere Philosophos videretur, sæpè monere solebat, vt Gratiis sacra diligentissimè facerent, quo gratiosiores iucundioresque redderentur. Quod autem Platoni nostro quondam erga discipulos duos agendum fuit, idem mihi nunc erga geminos Epistolàrum mearum libros, quasi liberos meos video faciendum. Video equidem frigido quodam, vt ita dixerim, semine grauidus, hos aliquanto seueriores quàm Epistolares liberes deceat peperisse. Quis enim in sæculis regionibusque ferreis aurea vnquam opera vel argentea condat? Quamobrem Platonico more iam iubeo eos non modo sacrificare Gratiis, verumetiam iis sese tota mente vouere, quo gratiosiores vrbanioresque euadant. Ecce iam igitur nonne vides? Repente nescio quo numine, scio certè felici quodam spiritu rapti versus excelsum palatium tuum tanquam propriam Gratiarum ædem iter arripiunt, sperantes, vt arbitror, penes te solum Gratiarum trium, id est, æqui Iouis, almi Phœbi, venustæ Veneris, splendore gratissimo circumfundi, vnde tristiori illo statim vultu mutato, clariores posthac lætioresque intuentibus admodum videantur. Tu verò precor, rex felicissime, Marsilianos filios dum sacram supplices ædem istam ingrediuntur, lætis vegetisque oculorum tuorum radiis, sicut cætera soles, inspicias. Sic enim & ipsi mihi quidem quòd sint solum, regiæ verò maiestati quòd pulchri sint omnino debebunt. Atque ego duci meo Platoni, qui solum principem illum venerari iubebat in quo excellens sapientia cum summa potentia iungeretur, satisfecisse videbor. Neque Platoni solum ob ipsam Matthiæ regis inuicti venerationem, sed cæteris etiam Græcis Philosophis, imò etiam Poëtis, Oratoribus, Històricis scriptoribus, denique omnibus proculdubio satisfecero. Hi enim omnes cum olim summo studio nihil aliud quàm veram gloriam lucemque quæsiuerint, tandem post multa lucis sæcula in tenebras sub sæuis Turcis, proh dolor! stellæ, inquam, sub truculentis feris in tenebras corruerunt. Iacent heu cælestia liberalium doctrinarum artiumque lumina iamdiu in lymbo, imò verò sub loco longe quàm sit lymbus obscuriore. Et quemadmodum veteres illi sancti quondam in lymbo iacentes Messiam, sic & hi sapientes Matthiam quasi Messiam, Matthiam miseri perpetuo clamore vociferantur, qui eos à lymbo, vel potius ab infe-

ris in lucem vitamque restituat. Matthiam non literati, quos dixi tantum, verumetiam nationes quam plurimæ in Asia atque Europa sub Turcis immanibus, quasi Iudæi sub impio Pharaone, miserabiliter seruientes, Matthiam, inquam, tanquam Mosem alterum assidue clamitant, cui Deus mare diuidat rubrum, & qualibet passim inuia mirabiliter patefaciat, electos Dei filios ab extrema seruitute atque miseria prorsus liberaturo. Matthiam rursus Italia pulchra, atque ipsa bonorum omnium mater sancta religio, assiduis vocat clamoribus eius tantum manibus immanes Barbarorum manus feliciter euasura. Quamobrem gemini quoque liberi isti mei almam penes te gratiarum ædem ingressi, preces iam tibi supplices pro communi omnium salute verbis eiusmodi fundunt. Surge age Matthia iterum auspiciis felicissime. Quemadmodum sæpe alias feliciter surrexisti. Surge precamur, ô victor Hercules, dum tempus adest aduersus dira hæc & immania monstra. Quæ tam nefarie depopulantur agros, oppida diruunt, deuorant homines, Legum omnium liberaliumque artium disciplinas, atque id quod miserrimum est religionem sanctam, non solum sordidissimis pedibus impie calcant, verumetiam quantum in eis est ex omni hominum memoria delent. Vicisti Hercules monstra eiusmodi mirabiliter sola virtute sæpius atque domuisti. Sed noua iam iam victoria, scimus proculdubio quid loquamur, imo quid tibi vaticinemur, noua tibi victoria cœlo demittitur alto. Tibi certe rursum pro vniuerso hominum virtutumque genere, pro ipso Deo fortiter pugnaturo, omnis fauebit orbis, totus militabit æther, & coniurati venient ad classica venti. Tibi soli Deus omnipotens imperium sine fine dedit. Summus ille Deus qui Solem in Deo constituit, stellarum cœlique regem, Matthiam quoque solum sub Sole constituit, imperium Oceano, famam qui terminet astris. Calendis Octobribus. M. CCCC. LXXX.

Quod fallax sit humana prosperitas.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo oratori Veneto equiti clarissimo, S. D.

SVmpsi modo calamum, Bembe clarissimè, ea conditione siue fortè potius, vt quodcunque primum venîret in mentem ad te scriberem. Sed fortè id in primis mihi succurrit, vt amico viroque omnium verissimo veram salutem dicerem & optarem. Veræ autem salutis initium arbitrarer, nunquam sperare veram à mendace & falso salutem. Alioquin Bernarde charissimè, si quem domesticorum decies in manifesto mendacio deprehenderimus, deinde tamen iterum illi facilè iterumque credamus, nonne digni iam ob nostram imprudentiam iudicabimur, qui toties maximo cum discrimine atque damno fallamur ab eo, quoties fidem vlterius eius verbis habebimus? Duo præcipuè ab ipso rerum initio mendaces perpetui sunt. Malus videlicet Dæmon primus ille rebellis à veritate. Rursus humana prosperitas, falsa quidem felicitas ac veræ felicitatis impedimentum. Sed mendacia Dæmonis haud facilè redarguere possumus. Terrena verò prosperitas toties humano generi apertissimè mentita iam fuisse conuincitur, quot in vniuerso temporis cursu ab initio mundi ad nos vsque momenta fluxerunt. Momenta verò eiusmodi apud Philosophos innumerabilia esse censentur. Adde quòd in quolibet puncto temporis simulato risu pestiferis illecebris, veneficis lenociniis, pollicitationibus falsis, innumeros passim homines decipit, vt merito dici possit, eiusmodi prosperitatis mendacia infinitè iam plura videri quàm puncta temporis infinita. Quod verò eiusmodi est, haudquaquam mendax vlterius, sed ipsum potius mendacium, atque id quidem apertissimum est nuncupandum. Credamus ergo temerè, credamus adhuc facilè, vt solemus ipsi, vt ita dixerim, falsitati. Vt verissimè miseri simus, qui fidem adhuc felicitati falsissimæ tam imprudenter habemus, felicitati, inquam, miseros infinitè iam pluries quàm infinitè fallenti. Quisnam adeò cæcus est, quin clarissimè tandem perspicere debeat infelicem hanc mortalium felicitatem, tunc reuera infirmissimam esse, quando tanquam firmissimam sese nobis ostentat? Nempè haud prius à nobis felicitas nuncupatur, quàm summum sui cursus attigerit. Verùm in eo ipso momento, in quo summa videtur, & quoniam apparet summa, ideo & felicitas iudicatur, repente in contrarium absque mora relabitur. Adeò vt quod à nobis felicitas nominatur sit potius quoddam infelicitatis exordium. Atque reuera fel intimo gustui nobis euadat, quod primo aspectu mel similitudine quadam coloris apparuit. Quæret fortasse quispiam quam ob causam potissimum ita vel natura comparatum sit, vel fortè datum. Quatuor huius rei præcipuè apud Philosophos causæ numerantur, diuina, cœlestis, natu-

ralis, humana. Principio diuina prouidentia statuit, terrenam prosperitatem idcirco volatilem & fugacissimam esse, ne tenere diutius nos procul à diuina beatitudine posset, cum ne momentum quidem à nobis vnum ipsa teneri posit. Atque etiam vt morbis frequentibus cogeremur, cœlestis Medici frequentius recordari. Meminisse præterea nos in regione, tam inquieta non esse tanquam in patria constitutos, sed quasi quodam exilio relegatos. Fatalis deinde lex syderum sic à diuina prouidentia temperatur, vt in perpetuo cœlestium cursu quietis omnis expers cum primum Planetæ ad summum vel altitudinis vel directionis peruenerint, retrocedant. Præterea à se sextili aspectu vel trino, qui salutares esse censentur, in quadratum vel oppositum, qui habentur noxij, velocissimè perlabantur.

Post hæc autem naturali quodam ordine ita quatuor elementa sub cœlestibus disponuntur, imò potius sphærarum volatu perpetuo ipsa quoque ita continuè rapiuntur, vt cum aut calor aut frigus vel siccitas vel humiditas ad summum vsque gradum naturæ suæ proprium intenduntur, tunc neque progredi permittat vlterius finita natura, neque manere vel parumper sinat ibidem perpetuæ conditio motionis. Igitur quando qualitates huiusmodi maximè videntur intendi, tunc subitò remittuntur. Quam quidem celerem vicissitudinem quatuor nostrorum corporum humores complexionesque sequuntur. Hinc, vt est apud Hippocratem, summa corporis valetudo fallacissima iudicatur. Nempè apud naturam ascensum ipsum, descensus fermè continuo sequitur. Et quæ velociter floruerunt, velociter & arescunt. Postremo vberior vanæ prosperitatis afflatus, vanos mortalium animos inflat, tumidosque reddit atque ægros. Hinc igitur velut ægroti delirantesque sui iam ipsorum obliuiscuntur, sortemque suam altiorem quàm humanam rati, omnia sibi licere, nihil imminere periculi putant. Quod fermè Alexandro regi dicitur contigisse. Ergo in seipsis solutiori licentia incontinentes euadunt, circa res suas admodum negligentes, erga homines superbi, iniurij, contumeliosi, cæteri verò contra illos odio & inuidia perciti, & insidias machinantur & prælia parant. Quamobrem facillimè multis de causis, quas intelligere quilibet facilè potest, prosperitas nostra turbatur. Atque perinde vt iactus in altum lapis quando altissimè ascendisse videtur, tunc subito sine vllo temporis interuallo descendit, ita fortuna quem ad summa euexit fastigia rerum, statim sine mora vel iubet eum velut è monte sponte descendere, vel ipsa præcipitat. Sanè & grandioribus casus grauior, & altioribus ruina profundior imminet. Sæpissimè post blandas auras zephyrosque suaues repente stridens aquilone procella velum aduersa ferit, fluctusque ad sydera tollit. Quapropter Philippus rex Macedonum qua die & in ludis Olympicis simul & in castris victoriam reportauit, atque primogenitum suscepit Alexandrum, in tam secundo vberioris prosperitatis afflatu contrarium ventum non iniuria timens, O dæmon ait, tantum bonum quàm minimo malo repende. Pauloque post sagitta quadam altero oculo est excæcatus. Nos quoque si sapimus, si valere volumus, similiter timeamus. Imò verò, vt rectius loquar, ne quando metuere similiter compellamur, ne credamus mendacio, ne speremus inuento, neque fugacia volantiaue sequamur, neque inimica nobis & noxia diligamus. Sed credamus veritati quandoque, qui mendacio tam facilè tamdiu credidimus. Credamus inquam, veritati diuinæ, quæ non mentitur vnquam, quæ non fallit, quæ quotidie multis nos admonet modis, ne vnquam fortunæ infidæ confidamus, neque eam, quæ cæca est, tanquam nostræ ducem vitæ sequamur. Imò verò cunctis viribus nobis ab infinito bono tributis seruatisque, ipsum quoque infinitum sectemur bonum. Quod quidem non modo nusquam fugit, cum immensa potentia impleat vniuersum, sed etiam occurrit sequentibus obuium immensa benignitate naturæ, atque id quod maius est præcurrit etiam secuturis, dum & facit omnia & naturali quodam instinctu omnia semper allicit vt sequatur. Et qua virtute nos ipsum sequi iubet, quia sapientia nihil frustra iubet, eadem quoque ducit euntes, perseuerantesque perducit. Principium, rector, dux, semita, terminus, idem.

Oratio soluta Poëticis modis & numeris exornanda est.

MARSILIVS FICINVS Bartholomæo Fontio Rhetori, S. D.

ELegantissimè rogas Fonti, cuius potissimum vel imperio compulsus vel authoritate fretus, solutæ orationi nonnunquam Poëticos modos numerosque interseram. Vt autem summatim acutissimo viro respondeam, id mihi imperat cœlum

idem cœleſtis etiam Plato docet. Siue enim cœlum ſuſpicis, vides illic Mercurium eloquij magiſtrum ſimul & citharæ fabrum. Hunc igitur ſi quando loquentem nobis audire liceret, audiremus frequenter verbis ſuis nonnullos citharæ ſuæ modulos permiſcentem. Præſertim cum ipſe ſemper tum Phœbo Muſicæ grauioris, id eſt, Poëſis patri, tum Veneri leuioris Muſicæ matri, vel iungatur penitus, vel proximè ſaltem adhæreat. Siue cœleſtem Platonem audis, agnoſcis protinus eius ſtylum, vt Ariſtoteles inquit, inter ſolutam orationem & carmen medium fluere Agnoſcis orationem Platonicam, vt Quintilianus ait, multum ſupra proſam pedeſtremque orationem ſurgere, vt non humano ingenio Plato noſter, ſed Delphico quodam oraculo videatur inſtinctus. Mixtio verò eiuſmodi vel temperatio adeò in Platone placuit Ciceroni, vt dixerit ſi Iupiter humana lingua loqui velit, illum non alia lingua quàm Platonica locuturum. Mitto quòd Moſes, Iob, Salomon, Eſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel, aliique Prophetæ pene omnes apud Hebræos, Mercurius quoque Ægyptiorum ſapientiſſimus, ſimiliter in Græcia Gorgias, Iſocrates, Herodotus, Ariſtoteles, aliique permulti, denique inter Latinos interdum Tullius, frequenter Titus Liuius, Apuleius, diuus Hieronymus, Boëtius Philoſophus ſummus, ſolutam orationem carminum numeris quibuſdam exornauerunt. Eo ſcilicet conſilio, vt oratio tum quia ſoluta ſit, liberiore ſæpius pede progrediens facilius quo cupit & citius perueniret, tum quia numeroſa atque Poëtica Muſicis interdum concentibus & figuris delectaret & blanderetur & raperet, quippe cum naturali quodam inſtinctu ſingula vtpote quæ Muſica nata ſunt, Muſica quoque mirificè rapiantur. Hos ego non æquis ſequi paſſibus malo quam nullo modo ſequi. Quamobrem ignoſces amice Platonico vel inepto, eique mixtum condonabis dicendi genus, cui hoc ipſa primum inſeruit geneſis, auxit deinde continua Platonis Poëtici lectio, præterea frequens vſus citharę confirmauit. Neque tamen fortuito in Poëticos paſſim ſonos erumpo, ſed ibi præcipuè vbi materia vel forma quædam ſubeſt Poëtica. Talis enim tonus, tales quoque fides decere videntur. Miſcere verò Poëtica Philoſophicis docet nos omnis antiquitas, quæ ante Ariſtotelem potiſſimum ſemper id factitauit, ob hanc maximè rationem vt ſacra Mineruæ myſteria tum omnibus & veneranda & venuſta, tum paucis & illis qui dem puris communia forent. Docet nos idem ipſa diuinitas, quæ Poëtica quædam figura vbique gaudens innumeris cœlum luminibus quaſi pratum floribus exornauit, atque ita diuerſos ſphærarum circuitus modulata eſt, vt concentibus congruis harmoniam mirificam melodiamque conficerent. Pręterea ſub Luna Deus idem Poëſi ſimiliter delectatus, diſcordes rerum formas in pulcherrimam quandam digeſſit concinnitatem. Poſtremo terram, quæ fore omnium deformiſſima videbatur, miris metallorum, lapillorum, plantarum, animalium figuris picturiſque variè decorauit, ipſoſque terræ fructus foliis obtegi voluit, floribuſque ornari. Quid plura? cum ſingula tum vniuerſum Muſicis numeris Poëticiſque modulis temperauit.

Solus nullum charum amittit vnquam, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

DIci non poſſet quanto afficiar tædio, ſuauiſſimè mi Ioannes, quòd ob hanc Epidemiæ ſuſpicionem hos pauculos dies parentis mei iuſſu ſine te eſſe cogar, & tamen interim ſupra quàm cogitari poſſit aſſiduè tecum ſum. Et per Deum niſi ita tecum eſſem, certè ſine te eſſe, non eſſet mihi moleſtum. Tu mihi ſolus cura Ioannes, tu ſolus mihi ſolamen, ſolare Marſilium tuum precor exſpectatiſſimis literis tuis. Quæ quidem quandocunque venerint nobis, venerint proculdubio feliciſſimæ Ego autem hanc ad te Epiſtolam ſub oppoſitione Lunæ ad Solem, quodammodo etiam ad Mercurium & Saturnum, ac etiam ſub Martis ad Solem Lunamque quadratura ſcribo, quo tempore nihil fermè apud Aſtronomos infelicius. Nihilominus ſcio feliciſſimè me ſcripturum. Non enim conducentibus aſtris ſolum, verum & decernente Deo aſtrorum duce à primis annis conciliata nobis eſt amicitia. Iuuat me nunc parumper, vt & clam & palam ſoleo, ſæpè vnà cum diuiniſſimo illo Aurelio Auguſtino noſtro duce clamare. Solus nullum charum amittit vnquam, cui omnes in illo chari ſunt, qui nunquam amittitur. Trigeſimus, mi Ioannes, tibi iam annus agitur, ſi rectè numero, noli ergo in eo quod irreparabile eſt erogando prodigus eſſe, ſed tanto indies parcius tuos dies expende, quanto deinceps pauciores tibi ſuperſunt quos expendas.

Maledici contemnendi.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici, viro magnanimo, S. D.

LEges vsque adeò horrent infamiam, & odere maledicos, vt in eos etiam rigidè animaduertant, qui vel de turpi turpiter obloquuntur. Quod quidem bis, imò & ter ætate nostra Florentiæ publicè obseruatum & vidimus, & probauimus. Ego autem à legibus tale hodie nihil postulo, nolo enim pro me contra pulices leges armari, quæ primo aduentu frigoris opprimentur. Liceat ergo, liceat impiolo illi Christos tuos impunè tangere, cui iamdiu licuit Christum. Sit passim doctrinæ iudex vulgus, quæ vix nota est quàm paucissimis. Ferant vt libet homunculi, quibus nulla sententia est de mea vita sententiam, quæ soli nota est Deo. Hæc & similia, aut cum Socrate & Zenone nihil curo, aut certè cum Aristotele & Theophrasto perparum. Nempè didici ab Heraclito & Thalete cuncta mortalium, siue bona siue mala dum videntur occidere, didici à Pythagora & Platone dormire in corpore animum, & quæcunque hic agere pative videmur, nihil aliud esse quàm somnia. Didici à vitæ magistro, mundum totum esse positum in maligno, bono tamen viro in bonum cuncta reuerti. Omnes igitur eiusmodi nugas sacræ Philosophiæ parietes, altissimi à nobis longius arcent, hoc tamen vnum ipsa me Philosophia hodie monet, vt rem ipsam tibi significem quo officio tuo fungaris, quemadmodum aliàs in re nostra diligentissimè es perfunctus, hoc est, vt vel leuissimo quodam nutu ostendas displicere tibi, quod Deo ante omnia displicet, dari videlicet sanctum, & id quidem tuum vel canibus lacerandum, vel canum pulicibus submordendum.

Maledici contemnendi.

MARSILIVS FICINVS Iuliano Medici viro magnanimo, S. D.

QVod canis ille continuè contra me latret, quemadmodum contra bonos, doctosque viros, animamq; & Deum, semper est solitus, neque miror equidem, sic enim & natura, & consuetudine affectus est, vt non latrare non possit, neque etiam curo, nam talis est, vt neque vituperare quemquam possit, nisi laudando, neq; laudare nisi vituperando. Latret ille, & apud superos, & apud inferos, quantum placet, modo non placere Medicibus palam latratum eius intelligatur.

Congratulatio de Magistratu.

MARSILIVS FICINVS Petro Neto, S. D.

PLurima scribere, mi Petre, iubet plurimus mentis, cordisque affectus, sed qualia in præsentia scripturus sim nescio, nam neque seriò nimium agere finit domestica hæc nostra, & plus quam familiaris consuetudo, neque iocari, quod sæpè inter nos solemus, promittit nunc summa Magistratus, in quo cõstitutus es, dignitas. Quid igitur faciam? Certè quod & Deus in primis admonuerit, & res ipsa potissimum postulauerit; ergo primum cœli rectorem oro, & obsecro, sine quo nihil in terris fœliciter agitur, vt ad suam voluntatem dirigat tuam, & ad tuum votum perducat Magistratus ciuitatisque euentum. Deinde, ipsi magistratui summopere gratulor, quod ab homine pio doctoque rectè geretur. Gratulor & Petro meo, non tam quod hanc nuper dignitatem consecutus est, quàm quòd iamdiu sic à Deo est institutus, vt qualibet mortalium dignitate sit dignior. Huic ergo sedulo gratias age, & suppliciter commenda. Vale.

Non est suauis absque amico suauissimo melodia.

MARSILIVS FICINVS Sebastiano Foresio, S. D.

MI Foresi, quid agas hodie? lyram pulsas? Caue ne hanc sine Marsilio tuo pulses. Alioquin si fidem fregeris, fides tibi penitus dissonabunt. Ergo quoties ad lyram cano, tecum concino, non est mihi suauis absque amico suauissimo melodia. Landino meo amico vero me commenda. De Petro autem Neto quid? Toties meo nomine salutato, quoties videris. VI. Augusti. M. CCCC. LXXVI.

Veritas sua potentia, potiùs quàm aliena defenditur.

MARSILIVS FICINVS Petro Placentino, Commissario Apostolico, S. D.

MIsit te, summus Pontifex, tanquam strenuum ducem, vt contra diuinæ

sapientiæ hostes arma parares. Cõducunt autem ad sapientiam defendendam, non tam Martis milites, quàm Palladis sacerdotes. Deus me sub Marte fallaci militare prohibuit, sequi iussit inuictæ castra Mineruæ. Quæ vtinam quàm libenter iamdiu sequor tam fœliciter assequar. Mitto igitur hæc ad te arma, quibus aduersum veritatis hostes, pro viribus continuè pugno. Tu verò tanquam pius Palladis alumnus, musarumque patronus, operam dabis, vt aliàs insuper eiusmodi machinas struere valeam. Qui veritatis impugnatores telis inuadit, pugnat vtcumque potest, qui autem veris aggreditur rationibus, re vera semper expugnat.

Venus Martem, Iupiter Saturnum domat.

MARSILIVS FICINVS
Rainaldo, Archiepiscopo
Florentino, S. D.

SVperioribus diebus, Petrus Placentinus, clarissimus Pontificis Commissarius, cùm per Epistolã, tum vel maximè verbis tuo nomine rogatus, quicquid in publici oneris causa petieram, benignè admodum non promisit solùm, sed & scripsit. Volentem deinde me tibi coram gratias agere ob beneficium tua causa designatum, plures iam dies aduersa valetudo detinuit: denique nudiustertius obnixius id tentantem, spiritus in medio itinere vsque adeò defecit, vt vix domum pedibus redire potuerim. Mox mihi nunciatum est, munus id tuum interturbatum fuisse. Miratus sum mirum inmodum, ac diligentissimè turbationis causam perscrutatus, cum eam in terra inuenire non possem, in cœlo denique reperi. Miraris hoc, venerande pater. Nonne Thales Milesius in terra lapsus, surrexit in cœlo, vt quæ non viderat hic, illic inspiceret? Obseruaui igitur quid nuper meum ad te aduentum impediuerit, inueni quadratum malignumque Saturni ad Lunam aspectum id fecisse. Vnde conclusi, Saturnij cuiusdam hominis insidiis fuisse mihi beneficium interceptum. Primum quidem penè omnem remedij spem amisi, cùm cogitarem Saturnum fortè ita Planetarum potentissimum esse, vt altissimum. Sed deinde in mentem rediit, quod antiqui sapientes non absque summa ratione de Saturno & Ioue, Marteque & Venere fabulantur. Martem videlicet à Venere, Saturnum ab Ioue ligari. Hoc autem nihil aliud significat, quàm quod Saturni Martisque malignitatem, benignitas Iouis Venerisque coërcet. Opinor igitur vulnus quod forsitan à Saturnio aliquo illatum est, ab Iouio quodam maximè posse curari. In quo autem omnem Iouis effigiem, vim, dotes, agnoscam, præter te in præsentia Florentiæ inuenio neminem. Deridebit hic fortasse quispiam sacerdotem, Astronomica obseruantem. At ego Persarum, Ægyptiorum, Chadæorum authoritate fretus, putabam ad cæteros quidem terrena, ad sacerdotem verò cœlestia pertinere, ita tamen vt consilio humano suus relinquatur locus, & ad cœli rectorem summa imperij referatur. Sed vis nunc mittamus cœlestia? Mittamus. Quid igitur postulabo? Hoc vnum. Cùm in cæteris Cæsare ipso superior sis, ne patiare vt in hoc vno, vel Pilato inferior videaris. Sed velis quod Commissarij manibus tuo nomine ab initio me præsente, in causa mea scriptum est, sit scriptum. Hoc, venerande pater est, quod ocij Philosophici gratia posco, verumtamen fiat voluntas tua.

Fœlix qui sua contentus est sorte.

MARSILIVS FICINVS
Valerio Romanæ Scribæ
Principis, &c. S. D.

SI haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi, certè multo difficilius emergunt, quibus obstat res nulla domi. Solent quibus nulla res obstat nihilo indigere. Discipulus verò noster qui modò te salutauit, ob hoc ipsum omnibus indiget, quia obstat res nulla domi. De re omni verò quid dicam? Tam maximè rerum omnium copia genus hominum impedit quàm inopia. Mediocris rerum possessio & temperatus fortunæ flatus, vt securior est, & iucundior, & stabilior, sic ad Mineruam & Musas accommodatior. Quemadmodum pauperes illos valdè probamus, qui in ipsa tum paupertate sunt diuites, tum infima sorte sublimes, sic eos diuites nimium admiramur qui & in summa rerum affluentia viuunt sobrij, & in excelsa fortuna sunt humiles atque prudentes. Plerique cum possidere omnia videantur, existimant sibi cuncta licere, obliti sortis humanæ se aliquid esse super homines arbitrantur, cùm sæpè minus sint quàm homines. Discant in Alexandro Magno, in Cæsare, in Nerone, in Domitiano, discant minus vel tribuere genio, vel ingenio indulgere, vel fortunæ confidere, vel homines spernere. Verùm, dum multa de his verba facio, videor eos for-

sitan multifacere, quos reuera paruifaciendos existimo. Fortunatus cui sors obtigit mediocris, fœlix qui sua contentus est sorte. Calendis Nouembris. M. CCCC. LXXIII.

Virtus legitimi ciuis.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

CVm post luscinias ad nos misisti turtures, temerè nimium, & frustra pollicitus sum de iis quoque aliàs me scripturum. Nam nihil prorsus deinde hac in re menti suboritur. At si turtures longè salaciores sunt quàm lusciniæ, cur illæ nobis iampridem peperere nonnihil, hæ verò nihil pariunt? An fortè, quia Philomela Musis, turtur Veneri consecratur? Ædes autem nostra non Veneri dicata est, sed Musis. Sed age experiamur parumper, nũquid Thomas saltem Minerbettus, cui nuper vxor elegans scitum peperit filium, nobis aliquid pariat. Quando me Thomas nato elegit compatrem, nõne sibi me fecit comparem? magnum est, mi Ioannes, magnis viris æquari. Optimum quoque optimis comparari. Quanti faciam quod Minerbettus magni nos faciat, te non latet, qui nosti quanti eius iudicium semper fecerim. Quàm enim apud Platonem nostrum ideam optimi ciuis quotidie legimus, in hoc fermè iam agnouimus. Cui tam curæ publica sunt quàm cæteris propria, in quo singularis magnanimitas, & incredibilis mansuetudo inter se de paritate contendunt. In quo & prudentia liberalissima, & liberalitas prudentissima, in quo tanta cum grauitate benignitas, vt tot diligant quot vident, tot ament, colantque quot & norunt. XVII. Septembris M. CCCC. LXXVI.

Quæ sit vera laudis laus.

MARSILIVS FICINVS Antonio Seraphico, Conphilosopho suo, S. D.

SOlent opifices alij quantominus leuiusque opus est, quod fabricãdum aggrediuntur, tanto & facilius & verius fabricare. Adde & tanto magis probari, quanto magis eorum opera materiam superat. Contra verò in iis tribus se habent periti declamatores illi qui in laudando versantur. Sanè facilius veriusque magna laudant quàm parua, & laus illa apud prudentes probari solet potissimum, quæ ita modum tenet, vt laudato superari quodammodo videatur. At cur inter opificem & declamatorem tanta diuersitas? Nisi quia opera quidem non ab opere fabricando vim habent, sed ab opifice. Vehemens enim actio est non vbi ingentem quis aggreditur machinam, sed vbi virtus ingens est in artifice. Laus autem contra non tam à laudante sortitur reuera, quàm à laudato virtutẽ. Et quamuis sæpè veritatis opinionem quandam à dignitate laudantis adipiscatur, vera tamen erit laus si vera virtus in eo fuerit quem laudamus. Sed nescio qua infelici negligentia prætermiseram hic Seraphice quartum, & id quidem cunctorum maximum, quod vel parumper prætermisero mi Seraphice religio est. Artifices alij tunc solum examussim exprimunt quod proponunt, cum non aliud respiciunt quàm formam ipsam operis faciundi. Laudatores autem contra, tunc solum ritè laudant cum in aliud quiddam, scilicet, in Deum referunt laudati hominis excellentiam. Vndenam hoc proficisci putamus? Nempè quia homines inde omnino vt bene sint habẽt, vnde prorsus habent vt sint. Atque sicut ars humana in naturali quadam materia declaratur, sic omnis & hominis & naturæ virtus lausque lucet probaturque in arte diuina. Vale feliciter declamator facilis, vere, probate, recte. Ac si vis semper, vt nunc à prudentibus ipse laudari, quemadmodum Bernardum Nerum nostrum paulo ante laudasti, ita posthac si modo vsquam nactus fueris laudato Bernardos Neros.

Nihil possidetur in terris pretiosius homine.

MARSILIVS FICINVS Sebastiano Saluino amitino suo, S. D.

SAlue Saluine noster, impleuit desiderium Saluine nostrum Epistola tua. Non quia Marsilium laudat, sed quia ipsa mihi laude digna videtur. Desidero autem in Epistolis perspicuam breuitatem, acumen elegans, lepidam grauitatem. Scribis quod & antea mihi notum fuerat, me apud Thomam Minerbettum præstantem virtute virum plurimùm authoritate valere. Equidem tanti facio apud virum non mediocris apud omnes authoritatis valere, quanti si ipse valuerim apud omnes, commendo ingenuos eius liberos tuæ diligentiæ millies. Res agitur Saluine tua. Nullius rei lucrum maius, & possessio pretiosior in terris quàm virorum. Parentes adeò nobiles lucraris in filiis, lucraris tam generosos

filios in doctrina. Thomæ tibi liberi adolescunt, mi Saluine, si liberaliter adolescunt. Ex agro Cellano. XXVII. Septembris. M. CCCC. LXXVI.

Qualis sit terreni conuiuij ornatus, cœlestis conuiuij splendor, supercœlestis beatitudo.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

REdeunt hodie, vnice mi patrone, sacra illa diui Cosmi solemnia, quæ integrum iam Saturni cursum, primo quidem sub magno Cosmo, deinde apud Pium Petrum, demum penes Magnanimum Laurentium quotannis colere consueuimus. Ibi suauiter pulcher Apollo Chelim, dulcissimæ canebãt Musæ, gratissimum ducebant Gratiæ chorum, petulantes Nymphæ ludebant, blande iocabatur improba Venus, iura dabat Iupiter, Mercurius disserebat. Felix, Marsili, nimium felix cui Medicum benignitate tot annos datum fuerit epulis accumbere diuúm. Hoc nihil autumno nihil in terris pestilentius agit, pestilentis suspicio Epidemiæ, quàm quod beatum illud conuiuium interturbat. At video quod apud mortales nunc intermittitur inter superos prorsus instaurari. Suspice age, cœlestis Laurenti, suspice cœlum. Magnus illic in orbe lacteo Cosmus familiares suos cœlicolas nectaris, & ambrosiæ conuiuio excipit. Ecce galaxie lac illis perpetuum ponit, & Iouios pisces cancrumque lunarem, his addit capreolum, iuuencum, agnum, auesque cœlestes. Liberi quoque patris crateres aquario temperat, illis suas largitur libens Diana prędas, suos quoque distribuit fructus largissima Ceres. Præterea illos vndique mira varietate nouies circuit iris, Iris à Phœbi radiis ex mannæ rore refulgens in astra zodiaci suauesque miscens ex Elisiis pratis odores. Illos nouus cœlestium Syrenatum permulcet cantus & consona ex sphærarum syderumque motibus lyra oblectat in æuum. O terque quaterque beati, quibus Solis heroica virtus lætum reddidit lætum, & seuæ Parcæ iam parcunt. Qui procul ab iis Aeoli procellis & Neptuni fluctibus, nebulisque Plutonis, serena summi Iouis aura in campis vescuntur Elisiis, quam felix Laurenti conuiuium, in quo cibus vnus omnis est cibus. Auiditas satura semper & saturitas auida. Nuptiæ quam mirabiles, in quibus amare idem est quod frui, videre non est aliud quam amplecti, amplecti nunc idem est quod & semper amplecti. Commercium quam iustum quamue iucundum, vbi lex voluntatem instruit, voluntas construit legem. Non libet vnquam nisi quod licet, & licet semper quodcunque libuerit. Ibi felicitas supra quam cogitari possit facillima atque plenissima, vbi voluptas omnis infinitè facilius pleniusque voluntatem sequitur, quam hic voluptatem nostra voluntas. O fortunati quibus est fortuna peracta iam sua. Nos alia ex aliis in fata vocamur. Nos miseri frustra Italiam semper sequimur fugientem. At si frustra sequitur Italiam quisquis sequitur fugientem, necessarium esse videtur vt solus ille & rectè suam sequatur Italiam & feliciter assequatur qui non fugientem sequitur, sed manentem. Mane igitur felix, mi Laurenti, in amore semper manentis Dei. Ama etiam precor vt soles Marsilium tuum vnice te amantem.

Prudens neminem spernit tanquam inutilem.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Michelocto vero viro, S. D.

VOlui Nicolaë in hac mea rusticatione sæpè, vt par erat, ad Magnanimum Laurentium vnicum patronum nostrum aliquid scribere, sed nescio quis in hanc vsque diem pusillanimis timidusque affectus nobis obstabat. At hodie in diui Cosmi sacris magnus è cœlo Cosmus audaciam quandam & fiduciam præstat, qualem olim in terra solebat, hac videlicet ratione potissimum, quod non timendus sit vir bonus qui obesse cuiquam nesciat, & qui semper prodesse benignitate naturę studeat vel ingratis. Ergo pulsa timiditate scripsi ad Medicem hodie. Verùm in ea Epistola, vt mihi quidem videtur, nescio quomodo delirauì. Forsitan quoniam temerè in alienam messem falcem immisi, & Poëticas insolens pulsaui fores. Tota verò Poësis poculis ad insaniã. Nam Philosophãtes etiam quodammodo insanire scribit in libro Problematum Aristoteles. Verùm quicquid mi Nicolaë, tantùm est à singulis exigendum quantum præstare singuli possint & sciant. Reliquum commodandum. Deus prudentibus ad gubernandum vtitur, insanis ad diuinandum. Peritus artifex variis prout res postulat vtitur instrumentis. Probus belli dux diligit equites, non negligit pedites. Prudens paterfamilias cui aurea, argentea, ænea vasa præsto sunt, nullum præterea vasculum spernit vel futile vel sordidum, scit enim nihil penè in amplis ædibus esse

prorsus inutile. Doctus Medicus herbas diuersas colligit etiam spinosas & venenosas. Pictori ad lucis gratiam necessariò seruit ater color & fuscus. Deus informi materia vtitur ad quamlibet naturæ formam, rebus deformibus vtitur ad certum graduum numerum & necessarios vsus, ad comparationis & varietatis ornatum, denique malo etiam dæmone ad examinis, probationis iustitiæ bonum.

Peruersis animis aduersa sunt omnia.

MARSILIVS FICINVS
Anthonio Allio Episcopo Volaterrano, S. D.

FErunt multi rem onerariam contra sacerdotes, iterum iterumque feruere, eaque nihil vsquam reperiri posse feruentius. Quippè cum æquè gelu ferueat atque æstu. Addunt nonnulli nihil opus esse vt ferueat vltra, iamdiu enim sacerdotium penitus decoxisse, hanc quoque calamitatem Ecclesiæ in Apocalypsi se vidisse depictam. Huius miseriæ causam alij Saturnum in Leone, Iouemque in Piscibus, retrogrados, esse asserunt. Alij non stellas sed hominum mentes retrogradas, esse in causa opinantur. Nos autem quid? Profectò putamus Anthoni & stellas & hominum mentes iis solis aduersas esse qui hæc peruersa mente interpretantur. Arbitramur à iustis principibus iustè subditos gubernari. Scimus ab infinito bono cuncta bonis viris in bonum denique verti. Didicimus à Christo vitæ magistro, libenter tributum soluere. Didicimus à Paulo præcipuo Christi præcone, principibus obedire. Verùm vt ad rem nostram iam veniamus, fortuna nobis, venerande pater, tenuis & humilis est vulgi quidem iudicio, qualis esse fermè semper Philosophantibus consueuit, sed tenui desiderio humilique animo meo satis pinguis atque sublimis. Si hanc patrono meo antiquo non commendauero, videbor fortè res meæ curæ & custodiæ commendatas negligere. Si commendauero, videbor parum & iustitiæ erga omnes & beniuolentiæ erga me tuæ confidere. Vnum ergo dumtaxat commemorasse sufficiet, diuturnum continuumque morbum, quamuis principio videatur leuis, tamen in leui corporis habitudine grauissimum iudicari.

(∴) (∴)

Gratiæ & Musæ à Deo sunt, atque ad Deum referendæ.

MARSILIVS FICINVS
Bernardo Bembo Veneto equiti & iurisconsulto præclaro, S. D.

ROgas quidnam agat Academia, mi Bernarde? Amat Bembum. Quid rursus? Veneratur Academia Bembum. Omnes apud nos in hoc consentiunt literati, hunc esse apprimè amandum & venerandum, cuius pectus Gratiarum templum est, ac mens est fons Musarum. Gaude igitur tuis Bernarde bonis. Tuis, inquam, quod in te sint, non quod abs te proficiscantur. Nempè, vt te non latet, ab ipso bonorum omnium bono singula hæc habes bona. Solus autem & his vtitur prosperè, & illo beatè fruitur qui non fruitur his, sed vtitur.

Neque potest verè sibi ipse placere qui displicet veritati, neque vere gaudere bonis qui in iis diligendis negligit ipsum bonum vnde sunt bona.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

PAti non possum tuos à Fihginensi foro nostris mercibus vacuos ad vos reuerti. Nefas enim esse arbitror, dum ad te aliena ferunt, non referre tua. Ferunt ergo tres à nobis Epistolas, vna emendat quæ veniente fratre, cursim puero nostro dictaueram, aliæ, exemplaria sunt eorum quæ iampridem ad Anthonium Allium & iamdiu ad Petrum Nerum scripseram. Hodierna in præsentia non habebam. Externa dedi. Rusticus es Choridon, ad acerrimum gustum pomula mittis insipida. Confide tamen momilla paululum gustet Alexis, sua enim sunt. Solent autem sui fructus agricolis etiam si minus boni sint, magis quam alienis placere. Ac fortasse nulla videtur ad humanam quandam felicitatem via commodior, quàm quod, vt plurimum, sua cuique placeant. Felicitatem, Ioannes, dixi quandam scilicet adumbratam. Nam & si hoc natura mortalibus quasi solatium quoddam, præsertim in rerum ingeniique paupertate, voluit esse, non tamen vera in hoc felicitas esset, quando in his quæ nobis placent nos veritati displiceremus. Quoniam non potest verè placere sibi, qui veritati non placet.

Quippè paulò post, re vera, sibi ipse displicet, qui iam displicet veritati. Sed quisnam hominum maximè amatur ab illa, nisi qui maximè omnium amat illam? Vbinam, ô amice! vbi est amator huiusmodi? Pudeat autem quandoque mortales, pudeat, inquam, dum non alia ratione, nisi quia bona mortalia diligunt in iis diligendis æternum ipsum bonum negligere, vnde hæc id prorsus habent vt sint bona. Bona quidem in seipsis omnia sunt, quoniam sunt ab ipso. Bona rursus & nobis quatenus referuntur ad ipsum. At mala & aspera non iniuria nobis euadunt, quia summa quadam iniuria hæc sectamur, illo dimisso, quæ necessariò in illo sunt & seruantur ab illo. Ah! quàm mirabile est, mi Ioannes, imò quàm miserabile, vt ea nos prorsus ab illo seiungant, quæ illi penitus sunt coniuncta. Quæ nisi ipsum quodammodo præ se ferrent, nos sibi ipsis adiungere non valerent, quæ nisi essent in eo, certè non essent in se, & omnino non essent. Vale. Sed nunquid, mi Caualcantes, aduertis? Quod & ego cui id modo contigit vix aduerti. Postquam dixeram me hodierni nihil habere quod mitterem, repente nescio quid subortum nobis est hodiernum. Serente, videlicet illo, cui nihil crastinum est, nihil externum, cui quicquid est momentum idem est. Atque ideo solus serere eodem momento potest ac metere, & quoties vult serendo metit seritque metendo.

Nemo fœlix, nisi qui verè gaudet, nemo vere gaudet, nisi qui veritate gaudet.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico verum gaudium, S. D.

CVm hoc momento, frater meus, isthac se diceret transiturum, neque quod ad te darem huic inuenirem, cogitaui subitò id ipsum dare, præter quod neque inueniendum est aliud, neque quærendum. Quod & si omnes mortales quærunt, nullus tamen qui quærit, mortaliter inuenit. Legebam modo hanc fœlicitatis definitionem in Confessionibus Augustini nostri, cuius diuina vestigia, quoadpossum, frequentissime sequor. Beate viuere, nihil est aliud quàm veritate gaudere. Atque hoc ipsum circa veritatem gaudium est ipsa fœlicitas. Viue fœlix, optime mi Ioannes, sed vt fœlix viuas, verè gaude, vt autem verè gaudeas, veritate gaude. Absoluta veritas, lux Dei est in seipsa. Rerum veritas, est Dei splendor in ipsis. Ergo si vis veritate gaudere, ama, quære, considera Deum propter seipsum, & cætera propter Deum.

Qui æternam amat formam, tam facilè saltem tanquam secure fruitur, quàm difficile & solicite qui temporalem.

MARSILIVS FICINVS, & Ioannes Canal. Georgio Antonio Vespuccio, viro doctissimo, S. D.

BReuis Epistola, Vespucci dulcissime, affectu & doctrina referta non breui, longam nobis attulit voluptatem. Declarauit enim quàm bene iamdiu animo, quàm belle modo corpore valeas. Fœlix igitur Vespuccius noster, cui est, quod in primis videtur optandum, mens sana in corpore sano. Cui sanitas animi, neque ex fallaci fortuna, neque ex insana pendet corporis sanitate, quæ quotidie inuitis nobis amittatur, sed ex illo vitæ fonte manat, quæ solus & vix amittit, qui sponte dimittit. Quem quicunque re vera sitit, iamdudum & bibisse videtur. Nam & pretium quo liquor hic emitur, est ipsa sitis, & animus sitibundus hoc ipsum quod sitit ex libatione quadam illius habet, à quo plenius hauriens habet, vt aliud vltra non sitiat. Fortunatus nimium venator qui solis solem passim sibi sectandum totis viribus proposuerit. Nempè prius etiam quærat, hunc facillime reperit, quem nonnisi eiusdem luce illustratus agnouit inuentum. Beatus qui satis aliquando pro viribus amat formam, quæ sola nunquam potest re vera satis amari, immensa enim hæc forma formæ cuiusque mensura, ingens semper, vbique lucens, pro amore infinitæ bonitatis, immenso verò amatori suo ad votum vniformem se monstrat, & omniformem. Atque amator statim amando, eiusmodi amatum, quatenus amplectuntur vlnæ, complectitur omnia cõplectentem, suumque securus possidet possessorem. Profectò votum hominis qui aliud affectat præter amorem, sæpè frustratur euentus, solus autem qui præter amorem ipsum nihil amat, subito desiderando consequitur, semper consequendo desiderat. Præterea, sicut nemo, vel sine potentia potest quicquam, vel sine sapientia sapit, sic absque amore amat nemo. Ipsam verò potentiam & sapientiam, ipsumque amorem, idem inter se penitus esse, atque esse

Deum, negare neque potentes audent, neque sapientes sciunt, neque amantes assentiuntur. Accedit ad hæc, quod quemadmodum absque pulchritudine nihil est pulchrum, ita sine amore, vt diximus, nullus amator. Sed aliud apud mortales est finita quælibet pulchritudo, aliud huius pulchritudinis desiderium. Alibi ergo inter nos amor flagrat humanus, splendet alibi pulchritudo. Pulchritudo autem infinita cum nihil vel alienum extra se patiatur, esse multo minus relinquit aliquid extra se suum. Suum igitur amorem intra se possidet. Hinc sequitur è conuerso, vt vbicunque illius ardet amor, illa quoque necessariò luceat. Vt enim extremæ tenebræ omnino cum extrema frigiditate conueniunt, ita lux summa cum summo ardore conspirat. Forte nimium, Vespucci vir optime, in iis alicui videbimur peruagari. Iuuat quidem nos cum homine pio eodemque amicissimo late de diuino amore disserere. Quis enim immenso modus adsit amori? Rideat nos interim ridiculus aliquis talia sæpè multumque tractantes. Ipsi verò ridentem nos lugebimus. Vale.

Deus omnia bonis conuertit in bonum.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti Amico
vnico, S. D.

IOannes scribe aliquando quid in rebus tibi mihique communibus feceris, quidue à me fieri velis. Si modo in præsentia scis ipse quid velis optime mi Ioannes. Ego autem his temporibus quid velim quodammodo nescio. Forte & quod scio nolim, & quod nescio volo. Verumtamen opinor tibi nunc Iouis tui in piscibus directi benignitate constare, quæ mihi Saturni mei his diebus in Leone retrogradi malignitate non constant. Sed quod frequenter prædicare solemus, in omnibus agendę illi gratiæ sunt qui infinita bonitate sua omnia conuertit in bonum.

Mala non sunt ab astris proprie, sed ex defectu vel materia vel consilij.

IOANNES CAVALCANTES
Marsilio Ficino Philosopho Platonico, S. D.

TV quidem mea sententia interdum quædam magnifacis, & quia magnifacis ideo times, quæ licet penitus minimè paruipendēda forent, verūtamen à te tanto viro tanti haudquaquam facienda censeo. Nunquam ergo mihi amplius mi Marsili insimulabis malignitatem Saturni. Nullum hercle malum facere nobis possunt astra, nequeunt, neque volunt. Velle autem & posse est idem apud superos. Qua ratione autem nos summi boni filios lęderent? Cum aliis qui à summo bono solum originem suam trahunt, ducantur. Atque ea omnino secundum boni ipsius rationem felicissimæ illæ mentes circumagant. Si tantum quantum videmus & sciunt qui experti sunt, suos diligit filios secundus & terrestris pater qui comparatione cœlestis patris vix dicendus est pater, quantum nos primum & verum patrem putemus amare? Mirum inmodum certe. Nunquam igitur lædemur ab iis qui conuiuunt in prospera domo patris nostri. Caue igitur posthac transferas culpam tuam ad supremum illud astrum, quod te forte innumeris atque maximis beneficiis accumulatum reddidit. Sed ne singula frustra enumerare coner, nonne te missum ad florentem vrbem ornandam, iam per te florentissimam effectam, volui eodem aspicere aspectu quo diuum Platonem aspexit ad Athenas illustrandas euntem? Responde mihi quæso, vnde admirandum ingenium quo quid si Saturnus intelligis, quod triginta annis suum iter peragat cognoscis, quosue effectus in terris hoc in loco vel illo collocatus producat non ignoras. Age dic mihi, vnde robustum illud & validum corpus quo per deuios & indomitos saltus vniuersam Græciam peragrasti atque in Ægyptum vsque penetrasti, ad nos sapientissimos illos senes super tuos humeros allaturus. Audax certe facinus. Pro quo tantum tibi posteri debebunt, quantum soluere difficile erit. Haud te tuum fefellit inceptum. Tulisti certe eos quos attingere ausus est nemo, atque occidentalibus regionibus ostendisti, quorum tantum prius nomina acceperant, eaque tamen magnopere venerabantur, atque ab eis omnem obscuritatem, quæ circa eos erat, amouisti, nostrosque oculos ab omni caligine abstersisti, ita vt etiam cor eorum inspici possit, nisi penitus lippi simus. Denique per te eos inspexit hæc ætas quo nunquam viderat Italia. Hæc omnia tibi ab eodem donata sunt. Ad hoc etiam te respondere velim vnde memoria illa tot rerum capacissima quæ adeò tenacissima est vt quolibet momento, sibi omnia adsint quæ vnquam vidisti aut audisti, nec tantum res tenet, sed quibus eæ gestæ sunt meminit temporum atque locorum.

Tu ne ergo Saturnum incusabis, qui te tantùm cæteros homines superare voluit, quantum ipse cæteros planetas superat. Itaque opus, mihi crede, est palinodia, quam si sapis, quàm primùm canes.

Omnes omnium laudes referantur in Deum, principium atque finem.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti Amico
vnico, S. D.

IVbes mi Ioannes, vt Saturno, de quo superioribus diebus valdè querebar, palinodiam canam. Et iustissime quidem, nemo enim iubet iustius quam qui iusta iubens facit ipse quæ iubet. Et quamuis præcipias iuste, tamen superuacua mandas. Nempe si meo corde cantante necessariò mei pictoris concaua roboant, sequitur vt dum tu cor meum canis, ego concinám. Videris tu quidem mihi palinodiam Saturno cæterisque astris imò Deo astrorum duci in tuis literis cecinisse. Palinodia igitur Marsilio tuo fuerit Epistola tua, in qua laudes illas in eum tuas hac conditione libenter accipit, vt partim ardentissimo amori in eum tuo attribuantur, partim verò Saturni muneribus Amoris autem atque Saturni & denique omnium laudes omnes referantur in Deum, principium omnium atque finem.

Quem equidem in me ex hac laudo potissimum, quod eius solius æterno quodam munere, mortalium bonorum minimè cupidus sum, quod verò circa mala nimis formidolosus sum, quod interdum in me reprehendis, complexionem quandam accuso melancholicam, rem, vt mihi quidem videtur, amarissimam, nisi frequenti vsu citharæ nobis quodammodo delinita dulcesceret. Quam mihi ab initio videtur impressisse Saturnus in medio fermè Aquario ascendente meo constitutus, & in Aquario eodem recipiens Martem, & Lunam in Capricorno, atque aspiciens ex quadratura Solem Mercuriumque in Scorpio, nonam cœli plagam occupantes. Huic forte nonnihil ad naturam melancholicam restiterunt Venus in Libra, Iupiterque in Cancro. Sed quonam temere prolapsus sum? Coges me video rursus non iniuria palinodiam alteram cantare Saturno. Quid igitur faciam? Equidem tergiuersabor ac dicam, vel naturam eiusmodi, si vis, ab illo non proficisci, vel si ab illo proficisci necessarium fuerit, Aristoteli assentiar, hanc ipsam singulare diuinumque donum esse dicenti.

Nemo ascendit ad Deum, nisi in quem quodammodo Deus ipse decenderit.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

ETsi iampridem veteres tres Epistolas tibi pollicitus sum, tamen quia opinor te his diebus mustum libentius gustare, quàm vetus, mitto noua. Composui hoc triduo Theologica Opuscula tria, de triplici in Deum mentis ascensu, ad quem nullus ascendit, nisi in quem quodammodo prius ille descenderit, qui moueri potest nusquam, cùm externum ei desit spatium, cuncta & intrinsecus prorsus implenti, & extrinsecus infinitè comprehendi. Mitto Opusculi tertij Prooemiolum nondum emendatum. XXVIII. Octobris. M. CCCC. LXXVI.

Nugis vulgus pascitur.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

ABeo hac hora ex agro nostro Cellano Florentiam petiturus. Fero mecum Theologica opuscula quinque hoc vltimo nostræ rusticationis tempore à nobis composita, de diuina prouidentia nominibusque Dei, & gaudio contemplantis; de ascensu à materia elementorum ad cœlum sine materia, ad animam sine quantitate, ad Angelum mutationis expertem, ad Deum sine accidente substantiam, de raptu Pauli ad tertium cœlum, & quomodo anima illic Dei æternitatem videat atque suam, de impedimento mentis à corpore eiusque immortalitate, de lumine, quod sit in diuinis numinibus claritas gaudens clarumque gaudium, in mundi verò machina sit risus quidam cœli ex numinum gaudio proficiscens. Hæc verbis quidem breuia sunt, quod planè ipse video, vtrum verò etiam sententiis breuia sint ac longa, cæteri viderint, si tamen qui folia nostra quondam floresque legebant, nunc fructus qualescunque illi colligere non dedignentur, sed nescio quomodo Maius quotannis, & si penè fructibus caret, tamen mortalibus gratior aduenit quam September. Pergo iam ad vrbem, veni & tu Ioannes, vt saltem Vrbani familiares simus, & si hac æstate familiares rustici non fuimus. Vale decimo Nouembris. M. CCCC. LXXVI.

Sed cur ego nunc de tertia Puella hac nuper tibi nata verbum nullum? Quia & tu ad me verbum nullum. Vis ne verum fatear? Non prius hac de re faciam verbum quam resciuero congratulaturus ne sim an consolaturus. Gaude tamen vtcunque sit regis magni muneribus. Nihil enim à magno paruum vel contemnendum.

Amicitia vera est quam religio vera conciliauit.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Sorliuensi, S. D.

NOn est inter Religiosos amicitia vera, nisi quàm religio vera conciliauit. Cupio igitur nostram ab hac exordiri. Tua quidem religio clarissima est, mea verò qualis sit hic tibi quem mitto liber ostendet. Vereor ne parum formosa forsitan videatur, vtinam saltem non mala. Tunc demum re vera probatam existimabo, cùm ab Antonio viro omnium probatissimo probatam esse resciuero.

Non cortex nutrit, sed medulla.

MARSILIVS FICINVS
Philippo Sacramoro, insigni Iuris Canonici Professori, S. D.

MItto ad te Religionem nostram, Religiosi pignus amoris. Si fortè videbitur pauperrima, memento Christianam Religionem in paupertate fuisse fundatam. Memento prætereà apud nos non expressores librorum esse, sed oppressores. Hæc si amabitur abs te, satis formosa diuesque videbitur.

Miser qui ex futuris externisque pendet.

MARSILIVS FICINVS
Locterio Neronio, S. D.

CVpio vehementer interrogari nunc abs te, cur legam scribamve? cur discam, doceamve? Atque summatim quam ob causam quodlibet aut cogitem, aut loquar, aut faciam? Esto igitur rogaueris me, amice. Respondeo subitò, me non ob aliam rationem quidlibet agere, nisi quia delectat. Aduerte quid dicam, non dixi vt delectet; nam illud quidem futurum est. Nolo autem à futuro & incerto pendere, fallique, imò in præsenti certoque consistere, sed vltrà si modo id nunc te delectat progredere, si quid vis, ago, quia mihi in præsentia æternitateque placet, non vt mihi placeat in futurum tempus, & ad tempus. Multominus ago, vt mortalibus placeam. Quoniam hoc non solùm futurum est, atque breuissimum, sed etiam externum, & in aliorum arbitrio propositum. Equidem sæpè animaduerti, qui à rebus externis pendet, semper sollicitum maximumque viuere, & sæpissimè falli, solus autem tranquillè certeque viuit, qui non extra se in rebus mortalibus, sed intra seipsum æternis vitam agit, solus nunquam pauper qui mercedem suam non in opere ponit, sed in opera, solus nunquam infortunatus qui non post & extra principium expectat finem, sed finem suum in principio collocat. Agimus igitur quoduis ob hoc ipsum, primò quia delectat & placet: scimus prætereà, neque posse nos per aliud delectari, quàm per ipsam delectationis ideam, id est, Deum. Neque alia ratione quicquam posse placere, nisi quia bonum. Vnde agnoscimus in singulis quæ nobis placent, nihil aliud re vera nobis placere quàm diuinum ipsum bonum, ex quo, & per quod cuncta sunt bona. Ergo cæteris omnino posthabitis, amice optime, totis viribus adnitamur, vt huic sũmopere placeamus, sine quo impossibile est, aut alia nobis, aut nos aliis, aut nos nobis vllo pacto placere. Vale vix dixeram, amice optime, Vale, volat, ecce repente ad nos Epistola tua melle mihi dulcior ac pretiosior auro. At, non licet mihi nunc in laude hac vlterius progredi, ne vanior fortè videar si eam Epistolam satis laudauero, quàm laudat me plus satis. x. Decembris, M. CCCC. LXXVI.

Qui sequitur omnia, nihil assequitur.

MARSILIVS FICINVS
Carolo Valgulio Brisciensi, S. D.

QVæris quid agam hodie, mi Valguli? Quod heri. Quæris iterum, quid cras agere cogitem? Quod hodie. Persuasit mihi Plato noster, ita demum me quàm plurima perfecturũ, si semper idem fecero. Neq; id quidem iniuria. Nẽpe qui sequitur omnia, nihil assequitur. Plurima quidem impediunt vnum, vnum autem ad plurima confert. E multorum numero est qui multa sequitur, singularis tantùm est qui

vnum. Pueriles & infirmi ingenij est quolibet momento diuersa tentare. Temerariæ quoque ambitionis est quotidie plurima profiteri. Docet nos Pythagoras vnitatem ad bonum spectare, ad malum verò diuersitatem. Quemadmodum vis naturalis in iecore, ac vis vitalis in corde quando distrahuntur in duo ad vtrumque debilitantur, ita vis animalis in cerebro nobis ad diuersa non suppetit. Prætereà, quisque id aptius peragit ad quod aptior à natura est institutus. Vni autem vnum est consentaneum. Vnum igitur est necessarium; nam plurima turbant. Vnum, inquam, quod ipsum in se honestum sit, & agenti præ cæteris aptum. Denique si Deus idem semper est, eademque agit, eo quis à Deo remotior, quo ad diuersa procliuior. x. Decembris. M. CCCC. LXXIIII.

Quomodo inuidia puniatur, vel mitigetur, vel extirpetur.

MARSILIVS FICINVS
homini inuidiam timenti, S. D.

VIs ne iniurias ab inuidis illatas vlcisci? Da operam vt in dies magis, magisque inuideant. Nam si pœna malum est, certè in ipso malo, est pœna mali. Nunquid vis liuorem quodammodo mitigare, humanus ante alios esto. Sanè cætera bona liuorem irritare solent, sola humanitas mitigare. An fortè cupis inuidiam omnem penitus extirpare? Hoc opus, hic labor. Talem enim tantumque te oportet euadere, vt nullus aut superare, aut æquare te speret. x. Decemb. M. CCCC. LXXVI.

Dilige omnes, elige & ama vnicum. Soli confide Deo.

MARSILIVS FICINVS
homini, S. D.

DOles vt audio ab amico te fuisse deceptum. Non potes, mihi crede, ab amico deceptus esse, sed ab amicis, vnicus est alter ego qui non fallit. Multi autem videntur quasi ego qui sæpissimè fallunt. Quamobrem si quando falleris, ne amicum accuses, sed amicos, imò neque amicos quidem, sed tuam temeritatem, qui vel prius amauisti quàm diligentissimè iudicares. Vel amauisti nimium, vel humanæ sorti nimium es confisus. Dilige omnes, elige & ama vnicum. Soli confide Deo. x. Decembris. M. CCCC. LXXVI.

Benefacta malè locata malefacta arbitror.

MARSILIVS FICINVS
Marsilio Ficino, S. D.

BEnefacta malè locata malefacta putas? Et quia malis ingratisque benefeceris malè fecisse te doles? Non iubebo ne doleas. Siquidem ob maximum quendam errorem dolore & quidem maximo dignus es iudicandus. Atque cum malè bonum feceris dignus es malo. Ergo dole sicuti doles, & vt par est pœnitentia cruciare. Sed noli vel aliorum ingratitudinem vel fortunam tuam, sed tuam potius prudentiam criminari. Iustè tibi ingrati sunt homines quibus ipse non iustè donaueris. Quinetiam tu nunquam erga alium ingratus fuisti vel hominem vel certè Deum, ingratitudo punitur. Nunquid tam diu sub magistra Philosophia tot aliena discere studuisti, vt tua dedisceres? O rem miram. Soletis Philosophi dum parum sapienter sectamini sapientiam sæpè desipere. Quid ergo? Debebas ne nihil cuiquam tradere? Absit, dum alienam ingratitudinem studes effugere vt tu Deo ingratus sis omnium largitori, à quo cuncta gratis acceperis. Absit dum displicent tibi mali, vt ipse vel malus euadas vel minus bonus bonisque displiceas. Fame perire coguntur qui ob hoc ipsum non serunt vlterius, qua pars maxima præteritæ sementis exaruit. Igitur debebas aut antequam quicquam dares diuturno ac saltem trilustri examine ingenium vitamque hominis experiri. Aut si fortè ocius succurrere res vrgebat, saltem Aristotelis more non huic homini dare, sed homini, imò Platonis more non homini dare, sed Deo. x. Decembris. M. CCCC. LXXVI.

Marsilij Ironia aduersus Philosophorum aduersarios.

MARSILIVS FICINVS
Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

PRæterita nocte apud te amico cuidam nostro ioco quodam obiectum fuit, eius nonnunquam discipulos insanire. Et quia iucundè admodum est obiectum, accepit & iucundissimè. Sed vnum illi molestissimum fuit quod non interrogatus est abs te qua ratione desiperent. Non enim vult eos absque ratione desipere. Omnia Laurenti apud Philosophantes ratione aliqua fulciunt, vt etiam cum ratione insa-

niant. Ac dum sapienter videntur desipere, certè insipide sapiant. At cur non vltro ille vobis tunc etiam non quærentibus dementiæ causam attulit? Quoniam solet Pythagoricorum more coram heroibus nihil interrogatus, nihil loqui. Esto igitur cum rogaueris Laurenti, ego ita pro illo respondeo quàm libentissimè. Soles sæpè Medices dicere, Christum cruci affixum mira quadam operum varietate, ob quam tum homo vicissim, tum Deus intuentibus apparebat, delirare dæmones compulisse. Amicus quoque noster penè simili quadam diuersitate vertit homines in insaniam. Sed quomodo? Quatuor apud Pythagoram sunt sapientiæ fontes, quatuor apud hunc fontes insipientiæ. Hic & si nihil vnquam assequitur, sequitur tamen vt vides omnia. Attalo duplo deterior. Quia neque bene sua res agitur neque belle. Ergo familiares sui cum videant iugiter mutantem Prothea formas, alij chimera hàc perterriti furore attoniti stolidiores euadunt, sunt etiam simiæ quædam quæ dum versatilem eius varietatem student penitus æmulari, vertigine occupantur & cadunt. Neque desunt auiculæ multæ, quæ dum noctuam hanc siue bubonem palam deludunt, clam aucupio capiantur & pereant. Habes Laurenti quadruplicem huius dementiæ fontem. Quid igitur Apollo facies aduersus publicam hanc, vt ita dicam, vrbis orbisque pestem? Nunquid sagittis hanc tuis quasi Pithonem confodies? Nequaquam vt arbitror. Iamdiu enim accepta lyra arcum & pharetram posuisti. Quid ergo? Lyra ne carminibusque mulcebis? Neque id quidem. Non enim tanta hic opus est opera. Proinde malus hic maleficusque tamdiu videtur ob hoc solum quia eum stellæ quædam aspiciunt malignæ. Age igitur benignissime Phœbe tuum hunc radiis tantum aspice tuis. Bonus subitò cunctis beneficusque videbitur. Vale, atque Socraticam hanc Ironiam aduersus Philosophorum aduersarios considera diligenter Commendo tibi Angelum Politianum nostrum.

Sua mittenda sunt ad suos.

MARSILIVS FICINVS
Petro Soderino S. D.

VOlui sæpè Soderine dulcissime ad illos qui Epistolas meas à me petissent nostrum ipsum Archetypum mittere. Sed hæc meus mihi liber summa cum querimonia statim obiiciebat: Noli eo me mittere precor vbi ipse non es mi pater. Cum verò ad Petrum modo proficisci iuberem, nihil prorsus obiecit, vtpote qui, vt videtur, intelligebat quando ad Soderinum proficisceretur se à Marsilio non discessurum. Ito ergo feliciter ad hunc, ito mi liber, sine quo ego nusquam eo. At poscis nunc non nihil viatici video. Ego autem non reperio in presentia viaticum pretiosius quàm Paulum Antonium charissimum Petri meique fratrem. Huius igitur nomen dulce viaticum ferto tecum. Et quoties hic te fortè in laribus suis aspexerit, toties Marsilij nomine saluere iubeto.

Bene faciendum est amico vel nolenti.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

SOlent, optime mi Ioannes, qui nimio rei alicuius studio detinentur quicquid ad hoc ipsum spectat vehementius affectare. Tu verò, quod mirum est, ingenti literarum studio admodum occupatus non vis literas. Ego autem vsque adeò tibi bene volo vt velim vtrobique tibi bonum vbi velis vbi nolis. Ergo quamuis plerique alij tibi his temporibus nihil responsuro nihil scribant, accipe saltem à me, hoc est à teipso, literas ô lurco! ô helluo literarum! Si nihil mihi responderis, curabo equidem nihil. Scio enim te si minus his literis, saltem in literis responsurum. Qui autem longè amat, non tam breuem quàm longum fructum exigit ab amico. Medices vtrique paucis ante diebus in causa nostra aduersus aduersarios nostros non correptione tantum vsi sunt, sed etiam inuectiua. Verùm ne quid præter literas ad te literarum nunc solum auidum fortè mittam vel publicum vel priuatum. Vale, Primo Ianuarij. M. CCCC. LXXVI.

Tres sunt contemplationis Platonicæ gradus.

MARSILIVS FICINVS
Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

DEcreui (magnanime Laurenti) antequam grande illud Platonicæ Theologiæ volumen ederem, tuo nomini dedicatum, in quo adhuc superest nonnihil, quod examinatione indigeat, edere si tibi placuerit argumentum, non vt huiusmodi argumento, quasi quodam Theologiæ præludio exercitatus accedas prom-

ptior ad ludendum, cùm mihi videaris ipsam ludi palmam penè iam consequutus. Sed vt hoc interim pignore admonitus memineris, & meminisse me tibi debere, quod iamdiu iure promiseram, & soluere quandoque velle quod debere cognosco. Præsertim cùm non tam hoc ipsum debeam, quia promisi, quàm id promiserim, quia cuncta debebam.

Tres verò sunt præcipui contemplationis Platonicæ gradus. Primus quidem à corpore per animam ascendit ad Deum. Secundus autem consistit in Deo. Tertius denique ad animam corpusque descendit. Tres quoque gradus nostrum continet argumentum.

Vbi ipsum vacillat fundamentum quicquid superstruxerit corruet.

MARSILIVS FICINVS Paulo Florentino, sacerdoti egregio, Conphilosopho suo, S. D.

QVæris, mi Paule, quam ob causam ad te nihil scribam. Quia vbi sermo perpetuus, nihil opus est literis. Tamdiu loquor, mi Paule, tecum, quamdiu mecum loquor, inquam, quia diligo. Non diligo, quia loquor. Quæ aut Epistolis, aut verbis solum stat amicitia silentio cadit Quæ breui vtilitate, vel voluptate contrahitur, breui tempore dissipatur. Vbi ipsum vacillat fundamentum quicquid superstruxeris corruet. Quamobrem indissolubilis est nostræ beneuolentiæ nodus Quem non leuis quædam, breuisve connectit causa, sed æternæ Philosophiæ vlnæ deuinciunt. Librum de Prouidentia Dei, quem petis, eo mittam tempore quo prouidit Deus me fore missurum. Libere tamen mittam, quia & hoc ipsum prouidit missurũ fore me libere.

Vbi feruet charitas, ibi Deus lucet, ibi gratia emicat.

MARSILIVS FICINVS Alberto Parisio, doctrina moribusque præclaro, S. D.

DEus ipse charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hæc Deus omnipotens diuino Ioannis Euangelistæ cecinit ore. Vbi igitur potissimum feruet charitas, cum Deus illic præcipuè luceat, nimirum splendor gratiæ, gratiaque splendoris effulget. Cum verò nihil vnquam mihi gratius fuerit, quàm illic esse vbi huiusmodi gratia fulget, certè in corde tuo iamdiu cor viuit meum. Vt autem vbi cor meum amando viuit, ibi viuat & mens disputando: accipe hodie in libro quem mitto, mentem amice meam, de fide speque diuina pro viribus disputantem Meritò fidei speique vehiculum cum ad charitatem vehere soleat, quod tam Philosophi quàm Theologi arbitrantur, mentem nunc meam, ad mentem aduehit tuam, tum charitate flagrantem, tum gratia refulgentem.

Omnia mundi bona illi mala sunt, qui immundus viuit in mundo.

MARSILIVS FICINVS Hominum generi, S. D.

QVid tamdiu vituperas homo mundum tanquam immundum penitus atque malum? mundus certè quamuis à ratione quadam pulcherrima optimaque, pulcherrimè & optimè disponatur atque ducatur, tibi tamen immundus est & malus, quia immundus viuis in mundo malusque in bono. Prima tibi mundanorum origo malorum est, mundanorum bonorum nimius appetitus. Paruum amas mundum vehementius quàm magnum. Magnum quoque hunc quem vides admiraris, magis quàm immensum quem intelligis, in quo fermè ita magnus continetur sicut paruus in magno. Amas, ô mens cœlestis, terrenam vmbram tuam, id est, corpus, magis quàm cœlestem splendorem, tuum magis quàm supercœleste lumen. Quoniam verò motionis omnis principium siue naturalis siue animalis est amor, idcirco dum ardenter corpus amas, huic affectas timesue omnia, affectando autem solicitaris, dolesque timendo.

Ah! cur tanto ardore mens amens hæc amas, quæque facilè impediri possunt antequam consequaris, tam facilè possunt postquam possederis auferri? Heu cur ipsa te fugiens, tam anxiè sectaris quæ te tam celeriter fugiunt? Misera quid frustra tamdiu terrena hæc volantia tenere tanquam bona conaris? Quæ quidem tenere procul à bono te possunt. Ipsa verò teneri abs te vllo pacto non possunt. Quid tam temerè confidis in motu rapidissimo pedem figere? Quid vacuo impleri? Quid ventum stringere pugno? Vis ne ardentem hanc sitim quæ te tantopere vexat prorsus extin-

guere? A quam vigilans bibe veram, non aquæ in somnis imaginem. Scito autem eas dumtaxat res veras existere, quæ ad veritatis iudicem intelligentiam pertinent. Quæ verò ad sensum attinent veritatis ipsius ignarum, verisimiles esse non veras. Vis breui diues esse? Tantum cupiditati iam stude demere, quantum addere cumulo hactenus studuisti. Viue precor ad naturæ legem, quæ paucis minimisque contenta est, non ad opinionem, quæ semper cogitet esse te pauperem. Necessitas quidem breuibus clauditur terminis, opinio nullis. Necessaria nobis passim exposita parataque sunt, ad superflua laboramus. Necessitas iter agenti vtile commodumque viaticum præstat, opinio inutile pondus atque laborem. Si quietem optas ne quæras motu quietem, sed siste motum, si imperium, ratione tibi impera. Si libertatem, rationi seruito. Si deuitare dolorem, fuge malorum escam voluptatem, nocet empta dolore voluptas. Voluptas illa corporis, dolorem gignit maximè, quæ videtur omnium maxima. Medicinæ ars & experientia docet fel nulla ex re magis fieri quàm ex melle. Quanto dulciora sunt alimenta, tanto bilem creant amariorem. Cur natura institutum est, vt profusè ridendo, sæpè lachrymaremur? Lachrymando autem minimè rideremus, nisi vt admoneremur veriorem in sensibus dolorem esse quam voluptatem. Siquidem dolor in voluptate potius quàm voluptas in dolore sentitur. Si tibi placere desideras, da operam vt non vulgo, sed vt sapienti imò, sapientiæ placeas, tibi ipse displiceas, necesse erit, si cuipiam præter rationem placere volueris. Si prudenter viuere, memento eam bonorum malorumque vicissitudinem esse, vt neque bona hæc absque timore suscipi, neque mala sine spe debeant sustineri. Bonis ergo moderatè gaudendum, malis autem moderatius est dolendum. Ex præteritis disce præsentia. In præsentibus quantum potes circumspice singula. Ex singulis prospice finem. Neque præsentia siue dicenda siue agenda vnquam aggrediaris, nisi pro viribus futura prospexeris. Neque agas dicasue quicquam cuius nequeas rationem probabilem reddere. Denique cum in singulis Deo te suppliciter commendaueris, atque singula tam rationis examine quàm prudentum consilio feceris, & mente tranquilla viue, & quicquid sequitur in melius accipe.

Quod gratis accepistis gratis date.

MARSILIVS FICINVS Francisco Marescalco dilecto Conphilosopho suo, S. D.

QVid nam ambigis Marescalce, vtrum librum meum de diuina gratia disputantem gratis tibi dederim necne? Non sumus, mi Francisce, Samaritani, sicut accepimus sic & dedimus. Muneris huius pretium quidem sit, vt tibi sit gratum, fructus autem vt ego ac tu diuinæ gratiæ grati simus.

De sufficientia, fine, forma, materia, modo, condimento, authoritate conuiuij.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Bernardo Bembo Veneto equitii, urisconsulto clarissimo, S. D.

COgitanti mihi non nihil Philosophicum de vera conuiuij magnificentia & elegantia scribere, primus ad quem hac de re scriberem Bernardus Bembus occurrit Philosophiæ charus alumnus ac magnificentia & elegantia singularis. Accipe igitur libenti animo mi Bernarde quæ de conuiuio parum pingui pinguis Marsilio tuo Minerua dictauit.

Nullum humanum oblectamentum sufficientius quàm conuiuium.

COmmunis Peripateticorum Medicorumque sententia est, hominem ex corpore animaque constitui, atque corpus ex parte quidem altera crassiore, hoc est, membris humoribusque, altera verò subtiliore, id est, vaporibus quibusdam sanguinis spiritibusque constare. Animam autem ex sensu & ratione componi. Et quemadmodum humor se habet ad spiritum, ita se habere sensum ad rationem. Neque posse quenquam aliquando in rebus humanis contentum viuere, nisi quando vel parumper his omnibus hominis partibus fueris satisfactum. Cætera quæ apud homines habentur bona ad ynum, aut duo ex his quæ diximus pertinere videntur, solum verò conuiuium omnia comprehendit, conuiuium dico legitimum, quod quidem, vt singula numerem; reficit membra. Humores instaurat, spiritum recreat, oblectat sensus, fouet & excitat rationem. Conuiuium laborum re-

quies, remissio curarum, ingenij pabulum, amoris & magnificentiæ argumentum, esca beneuolentiæ, amicitiæ condimentum, fomentum gratiæ, vitæ solatium.

Finis conuiuij est dulcis vitæ communio.

CÆterum, vt clarius pateat, quod legitimum sit conuiuium, videamus quis conuiuij finis, quæ forma, quæ materia. Huius autem finis esse videtur, quod eius indicat nomen non commessatio, non compotatio, vt est apud Græcos, sed dulcis vitæ communio, vt quemadmodum in eo communi vescimur corporis alimento, ita eodem mentis vitæque bono & communi voluntate fruamur.

Forma conuiuij est decens numerus, & qualitas conuiuatum, confabulatio, atque lyra.

AD huius formam pertinet maximè numerus & qualitas conuiuarum. Qua in re Varronis illud valdè probamus, vt neque pauciores sint quam tres Gratiæ, neque plures quàm Musæ nouem. Ex hoc autem Gratiarum Musarumque commercio, etiam quales esse debeant satis apparet, sint enim oportet gratiosi, musici, literati. Cauendum est igitur ne quis contentiosus, & qui propere excandescat, facilè admittatur, nisi fortè talis sit, vt vel primo poculo vel vno verbulo mitigetur. Exulent etiam inde melancholici penitus & amari, nisi Xenoni Stoico & Zenocrati Platonico, similes sint, qui videlicet & tanquam lupini aqua, sic mero profusi dulcescant. Si quid de rebus diuinis tractandum fuerit, sobrij differant, si quid de rebus naturalibus disputent, mensa remota. Inter epulas autem sermo sit varius, iucundus, breuisque, historia breuissima, longiuscula verò fabella. Naturam rerum artificem imitentur, & vitæ magistram, vt quod illa in saporibus suauissimis, isti efficiant in sermonibus, misceant videlicet dulcedinem acrimoniæ, grauitati lepôrem, vtile dulci, faceti sint, acresque & salsi, non molesti, non amari. Acetum quidem conuiuium tollerat, non absinthium, scurram minimè, si molestior sit, admittimus. Obscœnos autem & spurcos nimium detestamur, sordes enim in animo oreque, & vultu, multo magis quàm in vestibus & apparatu prudentes offendunt. Proinde ne lyra mihi dissonet mea, sed salua sit, ritè vocanti, adesto precor, ô decus Phœbi! & dapibus supremi grata testudo Iouis, ô laborum dulce lenimen! Adsit omnino Gratiarum Musarumque mensæ cithara crinitus Iopas.

Materia conuiuij necessaria est Bacchi Cererisque fructus.

QVantum verò ad conuiuij materiam spectat, primum quidem putamus vitæ venenum esse mœstitiam, mensæ quoque venenum esse tristitiam. Mœstitiæ verò tristitiæque teriacam, suaue clarumque vinum. Cuius vim numinum viribus Æsculapius æquat. Ingenium quoque ac vires temperato vini calore foueri mirificè Plato noster asseruit. Sed ne, sicut Homerus, vini laudibus arguar, Baccho dimisso ad Cererem iam confugio, hortorumque custodem. Pingues Sardanapali vnctasque nimium dapes nequaquam desideramus. Nolumus autem vllo pacto Pythagoricis frugibus & oleribus pomisque carere. Nulla enim facilior mensa, nulla felicior ea, quam natura vobis largissima præparat.

Modus condimentumque conuiuij.

VT parcum omnino conuiuium haud valdè laudamus, ita luxuriosum penitus detestamur, hoc enim commori est potius quam conuiuere. Lautum splendidumque ad summum non requirimus, ne seruilis difficultas insit, vbi facilem quærimus libertatem. Mundum certè desideramus & purum, immundum horremus & sordidum. Denique nequid apud nos insipidum sit vel insulsum, nequid sordidum vel obscurum, omnia ingenij sale condiri debent ac mentis morumque radiis illustrari, vt quemadmodum de cœna Platonis Xenocratisque dictum est, conuiuium nostrum postriduum longius suauiusque redoleat.

Authoritas conuiuij à Philosophia, cœlo, Deo.

SI quis autem fortè miretur, quòd vsque adeò conuiuium celebremus, meminisse debet idem fecisse Platonem, Xenophontem, Varronem, Iulianum quoque & Apuleium, Macrobiumque Platonicum. Nonne Themistocles, Socrates, Empedocles, aliique Philosophi permulti conuiuia frequentabant? Nonne apud priscos Heroës & cœlicolæ sæpè discumbunt? Æther quoque lacteum habet orbem. Liberique patris craterem, habet & amphoram, cancrumque & pisces & aues, agnum quoque & capreolum, & iuuencum. Mitto qualia

Mahumetes conuiuia beatis polliceatur. At quis nesciat Christum vitæ magistrum conuiuiis frequenter interfuisse? Primum illic ostendisse miraculum, quando aquam vinum dicitur reddidisse? Præterea in summa illa concione paucis panibus piscibusque plura hominum millia satiasse? quidnam aliud fauus mellis sibi vult? quid assi pisces? quid fractio panis? an non in cœna discipulis præcipua diuinarum rerum mysteria cecinit? Huc tendit & mirabile illud Eucharistiæ sacramentum. Huc etiam quęcunque de cibis poculisque diuinis in sacris Hebræorum Christianorumque literis sæpè leguntur. Quorsum hæc de conuiuio tam multa? Vt videlicet qui seorsum ab alterutro non sine molestia viuimus, vnà iucundissime conuiuamus, meminerimusque verum hominis alimentum, non tam plantam bestiamque esse quàm hominem. Alimentum quoque hominis integrum non tam hominem esse quàm Deum. Cuius nectare & ambrosia dumtaxat humana sitis & fames continuè excitatur & crescit, ac tandem tam mirabiliter feliciterque impletur, vt illic solum summa sit semper cum summa saturitate voluptas.

Vale feliciter vnà cum felicissimo senatu vestro, Bernarde clarissime, Academia omnis millies se tibi commendat. Tu verò obscuram Lunam nostram lucenti Phœbo iterum iterumque commenda.

Quam gratus aspectus amici, quàm necessarius, quàm voluntarius amor.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

CVm longas hodie in lecto moras trahere cogerer, atque remedium aliquod contra longioris accubitus tædium cogitarem, primus, imò solus qui imminenti occurreret tædio, occurrit mihi Caualcantes meus, meus Medicus singularis. Salue igitur iterumque, ô mea salus, malorum expulsor meorum, bonorum mihi omnium condimentum. Tu mi Ioannes cætera quidem multa declaras quotidie, sed Aristotelicum illud imprimis, nihil videlicet in rebus humanis gratius esse præstantis amici præsentia. Huius ego Aristotelici sensus & veritatem accepi abs te iamdiu & didici rationem. Profectò qui tam desiderio sui olim quàm nuper absentia corporis me mihi penitus abstulit, idem vicissim mutuo quodam affectu mentisque præsentia reddit. Neminem latet quàm libenter imaginem suam speculis intueantur omnes vel homunculi. Amicus autem in amico non imaginem suam tantum inspicit, sed seipsum. Ego certè & si quasi bellus in me homuncio sum tenuisque breuisque, in Heroico tamen speculo ex quo amaui, lustra iam quinque procerum me video procerem non homunculum. Accipies ergo Epistolam fortè necessariam magis quàm voluntariam, siquidem vitandi, vt dixi, tædij causa dictare hanc videor fuisse compulsus. Heu mihi deliqui modo, nescio, quomodo, mi Ioannes, deliqui nimium aduersus Heroicum genium, numenque Platonicum. Ecce iam Plato ex alto me acrius increpat, ita reclamans: Quid voluntarium in necessario, in amante, Marsili secernis? Tam voluntaria est, ô Marsili, quàm necessaria amantis Epistola. Nulla vel necessitas magis voluntaria, vel voluntas necessaria magis quàm amatoria. Quidnam magis voluntarium est quàm amor? Qui primus, summus, perpetuusq; est voluntatis affectus, facitque omnino vt non amare nolimus? Quid rursus magis necessarium est, quàm amor? Qui clam numinum cœlestium radiis flammisque incauto cordi prorsus inuritur. Atque amator flammam iam experitur adultam priusquam radium senserit & scintillam. Non ardere non potest, si cœlesti ardet fato. Non ardere non potest, si quidem dum refrigerium quæritat, hoc ipso potu semper accendit ardorem, quo frustra quodammodo confidit extinguere. Vndenam huiusmodi mixtio necessitatisque tam mirabilis? Nisi quia Deus & summa necessitas est, & summa libertas, omnesque summum bonum summopere volumus, neque nolle possumus, neque volumus posse nolle. Idem fermè huic accidere solet, quicunque calidiore radij diuini splendore, qui in pulchritudine nobis mirabiliter emicat, blande allicitur, clam rapitur, vehementer accenditur. xxx. Ianuarij. M. CCCC. LXXVI.

Lupus est homo homini, non homo.

MARSILIVS FICINVS Iacobo Bracciolino viro doctissimo, S. D.

TRiste lupus stabulis. Triste gallinaceis vulpecula pullis, sed triste magis hominibus homo. Nam & leo & lupus & vulpes est hominibus homo, sicut optimum animalium est, si vsquam reperiatur, homo optimus, ita pessimum animal est homo

peſſimus. Prudentiſſimus eſt, mi Braccioline, qui cautiſſimus. Cautiſſimus autem omnium, qui diligenter cauet ab homine, ſed hic opus eſt Lynce atq; Oedippo, hic opus eſt Argo. Solus hominis ingenium conſiliumque tenebit, qui ſemper meminerit aut nullo pacto, aut certè raro admodum difficillimeque poſſe teneri.

Nulli vnquam Deus omnia dedit.

MARSILIVS FICINVS homini faſtidioſo cognitionem ſuiipſius dicit.

VIdeo neminem vndique tibi placere, hic acutus quidem eſt, ſed leuis & iracundus, ille autem grauis, ſed vel tardior vel inflatus, hic doctus eſt incontinens, continens ille ſed indoctus, alius quia deformis quodammodo vel ineptus vel ſordidus videatur offendit, alius quia nimis comptus & vanus. Denique ne ſingula enumerare coner, in ſingulis eſt aliquid quod non probes. Nulli vnquam, vt eſt apud Homerum atque Platonem, Deus omnia dedit. Meminiſſe te volo inter homines eſſe te hominem, ac dum tibi diſplicent ali, te quoque aliis diſplicere. Solum primum bonum eſt, in quo defectus eſt nullus. In cœleſtibus quidem defectus aliquis apparere poteſt, ſed non malum. In his autem quæ Lunæ ſubiiciuntur, & defectus reperitur & malum. Omnia præter primum, quoniam à bono proficiſcuntur, bona quodammodo ſunt, quoniam verò non ſunt ipſum bonum, vel non perfecta omnino videntur eſſe, vel mala. Cum igitur mixta ſint omnia, qui malum ex ſingulis colligit, tandem euadit peſſimus, qui verò bonum eligit, optimus. Talis enim euadit quiſque qualibus veſcitur alimentis. Bene vale. Atque vt alij te ferant, ferto alios.

Diſcendi & loquendi ratio.

MARSILIVS FICINVS Lucæ Fabiano Scribæ ſuo, S. D.

NAtura nobis inſtrumenta quibus diſcamus multa largitur, oculos, aures, nares, guſtumque & tactum. Vnicum verò quo doceamus inſtrumentum dedit, loquendi ſcilicet facultatem. Admonuit certè vt tanto ſæpius diſcendi miniſterioque docendi munere vteremur, quanto plura ad diſcendum, quàm ad docendum tradidit inſtrumenta. Nullus igitur verboſus & loquax poteſt ſapiens eſſe, docuit enim ſemper, didicit verò nunquam. Quiſquis autem ſapientia literiſque caret, non modo pauper, verumetiam cæcus & mutus eſt iudicandus. Eſto precor velox quidem, & diligens ad audiendum atque videndum, tardus autem ad credendum, tardior ad iudicandum, tardiſſimus ad loquendum. Vt poſſis bona loqui, audi bona, vt etiam de te audias bene, tu quoque de cæteris bene loquere. Fieri enim non poteſt, vt qui male loquitur, non audiat male. In loquendo autem caueto mendacium, non minus quàm ſcopulum nauigator. Immenſum eſt enim veritatis lumen, immenſa poteſtas. Cito mendacium detegit perditque mendacem. Memento adulationem ſeruile vitium eſſe, imò etiam multo vilius quàm ſeruile. Nemo enim tam apte adulari poteſt, quin à catellis longiſſime ſuperetur. Memento præterea increpationem temerariam aut rigidam eſſe, vel periculoſam, vel prorſus inutilem. Iubet Plato noſter vt vel loquamur verum dumtaxat vbi profuturi ſimus, vel taceamus. Si quis autem Pauli Apoſtoli, prudentia, vita, propoſito, diſcipulus fuerit, ſolus inſtare tam importunè poterit quàm opportunè. Omnino autem cauendum eſt, ne dum verbis mores arguimus alienos, interim noſtri mores noſtra verba redarguant. Cœpiſti ſicut audio, bene, progredere igitur qua via cœpiſti. Atque vt feliciter agas iter, equum tuum, id eſt, ſenſum habenis & freno cohibere ne deſinas.

Vltionis ſtudium nihil eſt aliud quàm iniuriam rurſus accipere.

MARSILIVS FICINVS homini iniuriarum impatienti, S. D.

ACcepiſſe doles iniuriam, ô amice, concedo equidem, ſed non tam læſus fuiſſe videris, quia male tibi fecerit quiſpiam, quàm quòd malum exiſtimaſti, quod fecit. Malo quidem omnia vel bona vertuntur in malum. Bono autem cuncta vel quæ videntur peſſima in bonum denique conuertuntur. Vlciſci cogitas? Caue moneo diligenter, nam ſi vlciſci tentaueris, ſecundam ac tertiam patieris iniuriam, ac ſtudio perdendi alterius, ipſe te perdes, apes minima iniuria laceſſitæ pungunt, vitamque pungendo relinquunt. Vt prorſus obliuiſcaris non cogo equidem, fortè enim meminiſſe operæpretium eſt, vt ſaltem alià tibi caueas à malignis. Solet enim nun-

quam qui semel læsit ignoscere. Ignosce, quæso, libenter, ne & ipse te affligas, & ille iterum, iterumque te lædat. Mala illum necessariò sua manent. Nihil enim relinquit, vel fortuna intactum, vel fortuna illæsum, vel Deus inultum.

Multum errat qui aggreditur multa.

MARSILIVS FICINVS homini curioso & negotioso, S. D.

VIdeo te, ô amice, sollicitum plusquam vellem, neque tua negotia solùm, verumetiam aliena tractantem, quasi iam ritè propria composueris. Quoniam singulis penè momentis fallimur & erramus, nulla vel ad consequendam tranquillitatem, vel ad deuitandos errores via commodior, quàm pauca & egregia cogitare, pauciora electaq; loqui, agere paucissima, & illa quidem tam possibilia quàm honesta.. Multum errant atque laborant, qui multa cogitando, vel loquendo, vel agendó aggrediuntur, plurimùm autem qui plura loquuntur, & agunt quàm cogitauerint.

Nunquàm satisfacit arti, is cui semper artificium satisfacit.

MARSILIVS FICINVS artifici vano, S. D.

SAtisfacit tibi quamplurimum, ô iners nimiũ artifex! quicquid aut dixeris, aut feceris. Vis ne bona venia causam tibi dicam? Quia scilicet non plus aliquid forte mens capit tua, quàm lingua manusve expresserint. ô quam pusilla mens, cui lingua manusve æquantur! Profectò vbicunque mens, vt par est, instrumenta superat & materiam, nunquam opus satisfacit opifici, nunquam vero satisfacit arti is cui semper artificium satisfacit.

Vnicus vitæ custos, amor; sed vt ameris, ama.

MARSILIVS FICINVS homini imperium affectanti, S. D.

VIs ne tutus securusque viuere? Caue timeant te homines nimium, vel tibi prorsus inuideant. Tot nobis hostes sunt, quot timent, & quot inuident. Multos metuat oportet quem metuunt multi, quamplurimis quoque seruit, cui plurima seruiunt, subditus quilibet seruit vni, Dominus omnibus. Vnus est vitæ custos, amor, sed vt ameris, ama.

Grauis quidem videtur iactura pecuniarum, hominum verò grauissima.

MARSILIVS FICINVS Andreæ Cambino, compatri optimo, S. D.

QVidnam mirabile est in amore? non redamari. Quid impium? propter se amare, quod est alterius gratia diligendum, atque contra, ob aliud diligere, quod sui ipsius gratia est amandum. Quid turpissimum? Odisse quem amaueras. In hoc valdè delinquimus, quòd cùm cætera quamuis leuia, nonnisi graui causa compulsi relinquimus, amicum tamen thesaurum pretiosissimum sæpè leuissima quaque causa inducti & deserimus, & insequimur. Iubet Pythagoras ne facilè amicum quauis de causa amittamus, imò feramus quoad possumus, possumus autem donec relinquere omnino inuiti cogamur. Grauis quidem videtur iactura pecuniarum, hominum verò grauissima. Nihil in rebus humanis vel rarius acquiritur, vel pretiosius possidetur, vel infœlicius periculosiusque amittit, quàm amicus.

Parum illi credendum est, qui nimis credit.

MARSILIVS FICINVS Francisco Saluiato, Archiepiscopo Pisano, S. D.

PAter verande, quæris, quare nonnullis qui apud nos versantur parum credam? Quia hi, venerande pater, nimis credunt. Diuersa valdè in hoc est diligendi ratio atque confidendi, quod facilè quidem hunc amamus multum, qui facilè multum amat. Vix autem fidem huic adhibemus, qui cuiuis vel homini, vel iudicio propere præstat fidem. Quemadmodum ocyus cadit, qui mouetur ocyus, sic facilè fallitur, qui credit facilè. Sed quàm temeratium & periculosum est, subitò vel cuiuslibet authoritati atque verbis, vel tenui cuidam iudicio nimis credere, tam periculosum irrationabileque videtur probabilem rationem absque certiore alia ratione respuere. Tam denique impium, nefarium, miserabile, nolle absque rationis assertione credere Deo. Deus siquidem ipsa ratio est, nihil autem opus esse videtur ratione alia, qua ipsi rationi prorsus assentiamur.

De officiis.

MARSILIVS FICINVS Cherubino Quarqualio viro doctissimo, S. D.

Etsi nonnunquam minus fortasse officiosus sum quam deceat, quemadmodum solent qui Philosophiæ studiis occupantur, nequeo tamen in præsentia me continere, quin ad virum omnium officiosissimum aliquid de officio scribam. Si quātum ipse in agendo, tantum ego in disputando essem officiosus, neque Panetij subtilitas, hac in re, neque copia Ciceronis desideraretur. Agam igitur pingui Minerua, quandoquidem nunc aliter nequeo. Atque vt officio meo aliquando fungar, ad amicum omnium officiosissimum, omnium officia mittam. Officium est actio vnius cuiusque propria, decorum honestumque seruans, prout res. persona, locus, tempusque postulat. Sacerdotis virtus & officium, est sapientia quædam pietate feruens, & pietas sapientia lucens.

Principis, circumspecta prouidentia, iustitia clemens, sublimitas humilis, humilitasque sublimis. Magistratus, meminisse se non dominum esse legis, sed ministrū, tutoremque publicum ciuitatis, præterea se à Deo dum ipse homines iudicat iudicari. Priuati, tam libenter magistratuum parere mandatis, vt non legis necessitate compulsus, sed propria voluntate videatur adductus, Ciuis, siue magistratus sit, siue priuatus, officium est, tàm diligens publici cura, quam ingens amor proprii. Equitis, fortitudo quidem in bello, in pace verò magnificentia. Mercatoris, veridica fide atque diligentia externis alimentis alere ciuitatem atque seipsum. Opificis, alimenta à mercatore accepta iuste singulis ciuitatis digerere membris. Mercatores & artifices atque alii, ita pecunias quærant, vt nemini noceant. Nam quicquid à malo surgit, in malum denique recidit. Ita seruent vt neque videantur frustra, neque seruandi solum gratia quæsiuisse. Sic expendant, vt diu possint expendere, atque honestè & vtiliter expendisse probentur. Agricolæ, de agriculturæ opportunitate consulere aërem & agricolas seniores. Præterea tanta cum fide liberalitateque hospitibus suis agri fructus offerre, quanto illi cum fœnore illos reddit ager.

Domini legi rationique seruire, quo possit seruis legitime & rationabiliter dominari. Considerare tàm seruum, quam dominum hominem esse. Humanitatem semper cum dignitate miscere. Serui, existimare vitam suam esse domini, atque rationem domini esse suam. Mariti, vxorem quasi corpus suum sensumque diligere, ac diligentissime ducere. Vxoris, prudentem maritum suum veluti suum animum rationemque honorare, atque libentissime sequi. Patris familiâs, filios colere, quasi propriæ vitæ propagines, atque optimo suo exemplo regere tanquam membra. Filiorum genitorem sequi quasi radicem atque caput, & tanquam Deum alterum venerari. Fratris, erga fratrem ceu ferè alterum affici. Consanguineorum, se inuicem tanquam eiusdem corporis membra diligere. Affinium, vt meminerint se lege quasi natura quadam ita esse coniunctos, vt rem, operamque suam communicare sibi inuicem debeant. Amicorum, communi inter se consilio quærere verum, communi auxilio sequi bonum. Magistri, doctrina & bonitate sua discipulum doctum atque bonum quasi mentis suæ filium procreare. Cupio, si liceret, monere magistros ne obliuiscantur, Aristotelem in diuinum Platonem recalcitrasse. Discipuli, præceptorem honorare tanquam intelligentiæ patrem. Cauere tamen ne magistri vitia latenter imbibat. Iurisconsulti, vt omnium grauissimus sit, atque sciat, qui sacram adulterat legem, ceu sacrilegum seueriori censura plectendum esse quam qui nummos. Medici, cogitare quando ægrotantes adit, agi de vita, vt nihil sine ratione tentare audeat, nihil sine consilio. Oratoris, quę aliis suasurus est, sibi iam ipsi persuasisse. Poëtæ, vt naturam moresque pingere valeat, vtrumque vidisse. Musici, in sono gratiam cantus, in cantu sermonis elegantiam imitari. Meminisse etiam, motus animi, multo magis oportere consonantes esse quam voces. Inconcinnus enim alienusque à musis est musicus, cui dum consonat vox lyraque, mens dissonat. Iubet Dauid Mercuriusque, quandoquidem Deo mouente canimus, canamus & Deum. Philosophus, diuina quærat diligentius, vt fruatur, perscrutetur & naturalia, vt vtatur. Adsit humanis non intersit, Philosophus singularis vt pro patria non vera subeat vitæ discrimen à Platone & Aristippo non cogitur, quod quidem mihi quoque imò placet, quia Philosophus inuita & contra renitente ciuitate in qua nascitur sit Philosophus, cœlique filius est, non terræ. Adde quod omnino impium miserumque videtur, virum omnia videntem pro salute cæcorum, qui fortè salui esse nunquam possunt, amittere.

Vir, caueat ne vllo pacto muliebris sit. Mulier studeat vt quodammodo sit virilis, maximè verò pudica. Quantum enim virum magnanimitas decet, tantum pudicitia mulierem. Senex, videat ne puerilis sit recordetur iuuenem se fuisse. Adolescens, curet vt sit similis, credat se posse senescere, seniores honoret. Indigenæ officium est, patriam vt patris patrem matrisque matrem colere, & quando cum peregrinis aliquid est agendum, se quandoque peregrinaturum existimare. Incolæ & peregrini, scire se solum esse, honorare omnes, aliena vix attingere, non tractare. Fortunatus, sciat bona fortunæ, soli bono esse bona, ac sereno aëri succedere pluuias. Infortunatus, cogitet mala fortunæ, soli malo esse mala, ac post dies pluuios serenos expectet. Videmus enim ver arboribus folia reddere, quæ abstulit hyems. Homo, consideret, cum nunquam in terrenis contentus viuere possit, se cœli quidem ciuem esse, incolam verò terræ, vt annitatur, nihil cogitare, vel loqui, vel agere, quod minus decere videatur cœlestis patriæ ciuem.

Nunquam ad infima cadit, qui constitutus in summo & acute & clementer prospicit infima.

MARSILIVS FICINVS Iacobo Cardinali Papiensi.

DVm Epistolam quandam de officiis philosophicam ad Cherubinum nostrum Quarqualium scriberem, Cherubinus ipse vir apprime officiosus mihi supra caput astitit improuisus. Ecce nuncius salutaris, venerande pater, Marsilium sacro nomine tuo iubet iterum iterumque saluere. Nuncius tuus hodie nos tam bonis auspiciis salutauit, vt non modo futuram nunciauerit salutem, & dederit. Salue igitur ô mea salus, saluè semper sub sempiterno authore salutis Deo. Videris tu quidem mihi & oculis Argum, & Lyncem visu, (vt ita dixerim) superare, qui tàm sublimis ipse, tàm procul Marsilium prospexeris, tàm humilem tàm pusillum. Vtinam, venerande pater, vt clare ipse cernis, ita me quoque clarum videres. Sic ego tàm cunctis notus essem quam cuncta tibi nota. Sed vt clarum me & ipse & quiuis alius videat, respice precor propitius, vt cœpisti. Siquidem tradunt Astrologi, benigno quodam astri salutaris aspectu fortunatos nasci homines & claros euadere. Quid autem beneficio tanto gratiæ referam? aliud in præsentia nihil habeo, nisi vt post officia singulorum à me gradatim pro ingenij facultate descripta hoc adiiciam. Marsilij quoque Ficini officium est, Papiensem Cardinalem tanquam gratiarum templũ ardenter amare, tanquam Musarum fontem singulariter venerari. Atque ego hoc vno officio functus, ita demum officia me officiosissime tractauisse putabo. Proinde si quid ab excelso de infimo hoc homunculo vnquam audire potueris, hoc vnum, vt arbitor, audisti maximè quod in hoc maximum, Marsilium scilicet Ficinum esse antiquissimum Medicæ domus alumnum. Ergo Medices vtrique Castor & Pollux patroni mei, suppliciter me tibi commendãt. Atque existimant dum Papiensi commendatus sum, esse me magnis, probis, doctis omnibus commendatum. VIII. Februarij. M. CCCC. LXXVI.

Commendat se tibi Christophorus Landinus noster, vir doctrina bonitateque singularis.

Facilitatem vitij vitæ sequitur difficultas, difficultatem virtutis vitæ facilitas.

Marsilius Ficinus Petro Nero viro candidissimo.

QVanto difficilius certa ratione incedere quam casu vagari, ascendere quam descendere, aggredi noua, quam consueta tractare, attingere solum punctum circuli medium, quam in reliqua quælibet eius puncta, quæ innumerabilia sunt, incurrere; scopum ipsum, id est, signum, sagitta percutere, quam quæ circunstant, tramitem sulcumque seruare quam hinc atque inde præuaricari, rectum examussim tenere quam dilabi in obliquum; tanto difficilius est recte agere quam delinquere, bonum esse quam malum. Cuius quidem rei inditium est, quod quotidie omnes erramus, raro autem & pauci honeste iusteque agimus. Vernntamen tantæ huic virtutis difficultati duo rependit diuina lex beneficia. Primum, quod virtutes ita inuicem connectuntur, vt qui vnam consequitur, assequatur & omnes. Vitia verò contrà, ita inter se repugnantia sunt, vt nequeant cuncta eidem simul inesse. Quo enim pacto quis auarus simul esse potest & prodigus? aut audacior & timidior? Secundum, quod primum illam nascentis virtutis difficultatem, summa quædam sequitur vitæ facilitas atque voluptas; ac breue certamen præmium sempiternum. Vitij vero facilitatem, mox vitæ miserabilis difficultas sequitur, dolorque perpetuus. Hinc illud Pythagoræ symbolum. Animal cauda nigra ne tangas.

Hoc eſt, fugito vitium, cui mentis nigredo ſuccedit & voluntatis afflictio. Vale candidiſſime Nere. Atque poſtquam & difficultate virtutem & virtute facilitatem vitæ iam es conſecutus, vt inde felicitatem adipiſcaris, memento tàm arduum eſſe tamque laborioſum ex vaſto vitiorum præcipitio reuocare gradus ſuperaſque euadere ad auras, vt nemo huc aſcendere valeat, niſi quem æquus amauit Iupiter, atque inde ardens euexit ad æthera virtus.

Sicut pulchritudo natura gignit amorem, ſic amor opinione regenerat pulchritudinem.

MARSILIVS FICINVS Iacobo Cardinali Papienſi ſuppliciter ſe commendat.

QVo momento Cherubinus Quarqualius me ſuperioribus diebus tuo nomine ſalutauit, eodem penè noſtra illa ad te volauit Epiſtola. Ardentiſſimus enim cordis affectus repente nominis tui radiis flammiſque accenſus, manum prius meam impulit ad ſcribendum, quam quid potiſſimum ſcripturus eſſem mens mihi dictaret. Vt nihil mirum ſit, ſi quæ celerrimè ſcripſimus, leuiſſima videantur. Alia quidem naturæ, alia orationis eſt ratio, nempe natura quo leuior, eo eſt & velocior, oratio vero contrà, quo velocior, eo leuior. Verum memineris, venerande pater, (ſcio quid loquar) te nuper à me Epiſtolam accepiſſe, non conſilij filiam, ſed amoris. Cum verò te non lateat, haud aliter accipienda eſſe quælibet quam mittantur, non tàm conſilio quam amore illam, vt arbitror, accepiſti. Præſertim cum tu eam ab initio ingenti quodam erga me amore creaueris. Aqua genuit piſces, aqua capit. Planta eodem adoleſcit quo pullulauit humore. Amore nata eſt iam pridem nobis Epiſtola, amor eam tuus qui & creauit amplectitur, amplectendo mirifice fouet, fouendo ſibi ipſe regenerat pulchram. Sane ſicut pulchritudo natura gignit amorem, ſic amor opinione viciſſim reuera pulchritudinem. At verò quonam pacto, Marſili, putas amore potius quam conſilio ab eo viro qui ipſum, (vt ita dicam,) eſt conſilium, tua legi? Quia videlicet ſi conſilium ille ipſum eſt, rurſus eſt ipſe amor. Quantum ergo quæ ſibi offeruntur, radiis mentis introſpicit, tantum cordis vndique penetrat flammis, quam acriter acutèque ſentit, tàm ſuauiter & benignè ſemper interpretatur.

Quemadmodum frigus tenebras comitatur, ita calor ſequitur vbique lumen. Rurſus, ita calorem acri circunfuſum ſapore dulcedo. Apud naturam calore perfectum dulcedo ſuperat acrimoniam, penes perfectum virtute virum, cenſuram indulgentia ſuperat. Salue igitur Conſilium meum. Salue iterum meus amor. Tu precor Marſilio tuo libenter, (vbi opus fuerit,) conſule. Vbique tuum ama. Marſilius te tanquam oraculum in rebus grauioribus conſulet. In ſingulis venerabitur, nono Februarij. M. CCCC LXXVI.

Pios pia decent.

MARSILIVS FICINVS Naldo Naldio Poëtæ, S. D.

ET ſi vetus nihil dare illi poſſum, cui iamdiu vnà mecum mea omnia dedi, nouum tamen nunc tibi dono munuſculum, hoc autem eſt volumen à me nuper de pia fide compoſitum. Non quod exiſtimem vel piis huic opus eſſe verbis, qui piis abundat operibus, vel huiuſmodi mea fide, ei viro qui ſcientia pollet. Sed ne vbi de fide pietateque diſſero minus ipſe fidus piuſque videar, ſi minus interim pii ac fidi amici meminero. XIII. Februarij. M. CCCC. LXXVI.

Pios pia decent.

MARSILIVS FICINVS & Ioannes Caualcantes Amerigo Corſino literis & moribus ornatiſſimo, S. D.

MIttimus ad te, amice noſter, fide fidelior, noſtrum de pia fide volumen. Non quod arbitremur eum virum qui fide ipſa charitateque excellit huiuſmodi diſputationibus indigere, ſed vt in hoc libro tanquam ſpeculo quodam pulcherrimum fidei tuæ charitatiſque vultum iucundiſſime ſpeculeris.

Si perſpicuè cerneremus quam turpis & quam æger ſit prauus animus, non peccaremus.

MARSILIVS FICINVS Iuliano Medici viro Magnanimo, S. D.

MEminiſti, Iuliane dulciſſime, dum vnà præterita nocte vigilarem, caſu quodam in hæc verba nos incidiſſe, quam

turpe sit sine coma caput, quam turpis sine barba vultus. Hinc paulo post orta mihi est declamatiuncula quædam, vt aiunt, quadragesimalis his forsitan diebus accommodata, quæ vtinam tantum tibi compta barbataque videatur, quantum ipse mihi videris & intus & in cute pulcher, quanto deformior est deformitas in vultu quam in manu, ac morbus in præcordiis pestilentior, quam in pedibus, tanto turpitudo ægritudoque in animis impiorum flagitiosorumque hominum abominabilior atque tetrior est, quam vniuersa cunctorum corporum deformitas atque pestis. Si vel oculis cernere vel animo prorsus excogitare possemus sordidam & horrendam improbæ mentis effigiem, certe raro admodum & leuiter peccaremus, nihilque longius fugeremus, quam malæ mentis aspectum. Eadem penè est pulchritudinis animi ad corporis pulchritudinem comparatio. Nam illa quidem si vel parumper oculis aut animo cerneretur, multo blandius alliceret, rapacius raperet, vehementius oblectaret felices amantes, quam singularis corporis species perditos & miseros amatores. Cur sapientes templo Apollinis inscripserunt, Nosce te ipsum, nisi vt puram suspicias mentem, tanquam veri Phœbi, id est, supercœlestis Solis radium sempiternum, nube corporis circunfusum, agnoscasque & fulgorem nubis à radio, & radij splendorem à Sole pendere. Vt corpus quidem laudes in animo, animum autem honores in corpore. Rursus animum diligas colasque in Deo. Deum ames quidem & venereris in animo, mireris autem & stupeas in seipso. Cum dux & magister noster Aurelius Augustinus nouisset se ipsum & in seipso Deum, sic protinus exclamauit: Sero te amaui pulchritudo tàm antiqua, & tàm noua, sero te amaui.

Nihil turpius illo, apud quem præter animum pulchra sunt omnia.

MARSILIVS FICINVS
Hominum generi, S. D.

SI quis agricola non solum sine vlla mercede, verum etiam cum maximo sui damno alienos quidem agros colat, proprios autem negligat, absque dubio stultissimus & miserrimus ab omnibus iudicabitur. Ergo dementes nimium sunt illæ mentes & miseræ, quæ omnem in hoc operam suam semper impendunt, vt corpus atque externa quam optime ornatissimeque se habeant, vt autem bonæ ipsæ ornatæque sint, penitus negligunt. O quam malus est homo, cui canis & equus melior est quam animus, ô quam deformis, cui calceus, quantum in se est, pulchrior est quam animus. Nihil huic reuera bonum est, vel pulchrum, apud quem cuncta præter ipsum, id est, præter animum, bona videntur & pulchra. Si huius ornatissimas ædes Philosophus aliquis Cynicus ingrediatur ac necessitate quadam expuere compellatur, certè in eius faciem excreabit, quia videlicet singula ibi munda ornataque videat præter ipsum. Nihil pauperius & inanius illo cuius horrea quidem plena sunt, animus verò vacuus. Solemus illos qui extra mentem positi sint, appellare dementes. Quo autem pacto in demente sit animus, qui iamdudum est in patinis, non intelligo. Dic precor, ó mens infelix, quam alienorum curiosa, tàm negligens propriorum, dic, inquam, cuinam hominum cuncta sana sunt, nisi sano? Cur igitur extra te demens tàm anxie huc & illuc oberras, atque tantum & tàm frustra laboras? Da operam vt bona pulchraque sis, subitò tibi bona & pulchra sunt omnia. At verò ita demum quod iubeo perages, si tàm cupis te bonam pulchramque euadere, quam affectas minima quæque suppellectilia esse optima, ornatissimaque videri. Si dum corpus pascimus & canes & aues, hominem ipsum interim, id est, animum, perire fame non sineremus, certe tàm quisque contentus plenusque viueret quam nunc nemo contentus. Nunc verò cui mirum sit, si nunquam impletur animus, si semper affligitur? qui deserit semetipsum, cui solum id curæ est, vt bestiam suam impleat, quæ continuë fit in ipsa saturitate voracior, atque contra Dominum suum negligentia eius esurientem penitus & exanguem, sæuior & robustior.

Malis quidem bona fortuna mala est. Bonis autem mala fortuna bona.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Bernardo Bembo
Veneto equiti clarissimo, S. D.

DIc mihi vir constans, quam ob causam fortuna odit quidem ac deprimit sępè quem merito populus amat, contra verò amatatq; extollit sæpius, quem iure quodam populus odit? An forte quia fortuna non solum rationi opposita est

sed etiam ab ipso mundi initio inimica est populo. Vnde populus semper infortunatus & miser. Forte etiam est ambitiosa. Atque vt non virtuti hominumue generi, sed ipsi soli maximum quoduis facinus adscribatur, quem homines quam plurimi iure depressum volunt, miris modis extollit, quem verò sublimem deprimit in profundum. Quid si cæca sit, vt aiunt, æmulaue naturæ? Natura siquidem instituit vt prius tanquam animal viuas quam tanquam homo, sentis enim antea quam intelligas. Fortuna siquidem magnum affectat hominem facere, ingentem prius facit bestiam venenoso fastidio turgidam. Vnde & ingenio & vultu tyrannus nascitur prius quam tyrannide potiatur. Hi præter dignitatem in dignitatibus constituti, faciunt vt dignitates ipsæ vlterius probis hominibus non sint dignæ. Faciunt etiam vt interdum neque diuina prouidentia mundum, neque humana prudentia genus humanum agi, sed casu, credatur. Verùm diuina prouidentia nonnunquam alios contra omnem fortunæ fauorem, repente ad imum è summo fastigio deiicit. Alios contrà malignum fortunæ impetum euehit mirabiliter in excelsum. Si quos autem vel superbos stare diu, vel humanos ad tempus cadere finit, permittit etiam vt & illi tàm deiecta miseraque mente sint, quam alta sorte, & isti tàm excelsa mente quam humili & abiecta fortuna. Malis quidem bona fortuna fit mala, bonis autem mala fortuna bona. Equidem si mihi daretur optio, Hercules esse mallem quam Sardanapalus. quot alter monstra præmebat, tot alter monstris opprimebatur, alter superatis feris Deus euasit, alter superatus à feris, factus est fera deterior atque miserior. Vbi sapientiæ plurimum, minima opus est sorte, vbi minimum sapientiæ, sors plurima dominatur. Et si interdum fortuna sapientiæ iungitur, non tamen simul vtraque regnat. Aut enim nullo pacto sors rationi coniungitur, aut seruit. Quamobrem sors probis inuida viris, totis obsistit viribus, ne proba vsquam ratio regnet, vtpote quæ illa regnante sit & gloriam & imperium amissura. Sæpè sors dotat multum, quem parum natura virtusue dotauit. Neque ditat facile quem natura virtusue ditauit. Sunt certis seculis magni quidã potentesque viri, quasi humani quidam dij hominesque diuini, sed Phœnicibus rariores, quos nõ fortuna facit, sed diuina prouidentia magnos. Hi certo indicio discernuntur. Tales enim sunt vt prosperitatis suæ sorti quidem tribuant nihil, humanæ quoque virtuti minimum quiddam, virtuti autem diuinæ quam plurimum. Tantumque vultu erga omnes sint humani, quantum super omnes mente diuini. Si vbi est inflatio non est sanitas, certe nullus inflatus non insanus, nullus insanus prosanusque non ferinus, nullus diuinus, non humanus, nemo humanissimus non diuinus. Vir certe diuinus non vult fortunam sibi ducem, cæca enim est sæpèque casu cadit. Non gaudet fortunæ promissis, infida enim est vel suis quos præter dignitatem ad summum dignitatis culmen euexit. Nempe inter summum atque imum reciproco gaudet ludo, ac vicibus delectatur alternis. Non timet etiam fortunæ minas, vana enim est. Neque magis potest in nobis quicquam, quam nos posse velimus, quando te facimus fortuna Deam cœloque locamus. Nemo miserior illo qui veram felicitatem collocat in fortuna. Nemo felicior quam qui fortuitam prosperitatem reuera felicem esse non iudicat. Qui vel ridiculum fortunæ fletum vnà cum Democrito ridet, vel flebilem eiusdem risum cum Heraclito deflet, prudens ab Hippocrate censetur. Qui puerilem fortunæ ludum cum Socrate calcat, sapiens & diuinus ab Apolline iudicatur. Denique qui cum Ænea in rebus durat aduersis, solus cum Ænea rebus se seruat secundis, serenos post pluuiam suspicit dies, ac tandem optata potitur Italia. Igitur mi Ænea, ne cede malis, sed contra audentior ito. Quicquid igitur, superanda omnis fortuna ferendo. Vale lætior mi Ænea. Tot enim aliquando bonis gaudebis in portu securus, quot mari fortiter superasti procellas.

Animus mortalibus non impletur, quoniam æterna requirit.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

SI tibi nunc quadragesimalem declamatiunculam quandam recitauero, Laurenti, quam hac aurora mea mihi mens declamauit, en quid erit pretij? Forsitan vt tantum tibi meis ineptiis risum in præsentia moueam, quantum declamatores aptissimi vulgo lachrymas his diebus excutiunt. Recitabo tamen, vt mihi quidẽ videor Laurenti. Scio enim insignem pietate virum, quãuis forte pietatis verba nonnunquam quodãmodo ridere possit, pietatẽ tamen ipsã reuera deridere non posse.

Qui sitit, Marsili, vinum, sitim, vt vides, extinguit vino. Atque magis si duas hauserit pateras quam si vnam. Huic imago vini vel videnti vel cogitanti incitat, non sedat sitim. Imaginis enim est allicere, substantiæ pascere. Tantum igitur imago vini alit sitim, quantum vinum ipsum alit hominem sitibundum. Quod quidem pœna nobis indicat Tãtali, imò verò pœna nostra nobis, Tantali enim sumus omnes. Sitimus quidem bona omnes vera, omnes insomnia bibimus. Dum vero letales lethei fluminis vndas faucibus plenis ingurgitamus, interea vmbratilem quandam nectaris & Ambrosiæ gustulam summis labris ferè iam lambimus. Vnde miseros continuò Tantalos sitis exurit anhela. Si qualia mens capit, talibus potiremur? certè potiundo vel omnino vel maxima ex parte aliquando animus impleretur. Quoniam vero quanto magis mortalibus vbique potimur, tanto magis animi appetitus accenditur, satis constat mentẽ non mortalia, quæ æternorum imagines sunt, sed æterna requirere. Ideoque æternam esse non caducam, quandoquidem verum eius alimentum est ęternum. Ergo in corpore caduco dormitat penitus & ægrotat, in hoc per sensus insomnia bibens sitim alit bibendo non seipsam. Ægra quoque propter affectus quiescit misera nusquam, sed frustra passim inquieta vagatur. Vbi molliter iacere confidit, alte cadit, vbi Medicinam sperat salubriorem, venenum haurit pestilentius. O miseram mortalium sortem miseria ipsa miseriorem. Quonam misselli confugiemus? Certe nusquam nisi ab infimis refugiamus ad summa nisi ad illa quæ nusquam fugiunt fugiamus. Quid igitur est agendum? vt bene & vigilemus & valeamus? Vita nobis prorsus in contrarium conuertenda. Dediscenda quæ vulgo didicimus, quibus discendis nos ipsos hactenus ignorauimus. Discenda quæ prętermisimus, quibus ignoratis, nos ipsos nosse non possumus. Diligenda quæ negligimus, quæ diligimus, negligenda, ferenda quæ fugimus, quæ sequimur fugienda. Flendus est nobis fortunæ risus, fleta quoque fortunæ ridendus. Sic enim nos neque vulgi sordes coinquinabunt, neque vel immortalium incuria lædet vel mortalium curiositas cruciabit. Neque prosternet mollities, voluptasue dissoluet. Neque fortuna vel prospera illaqueabit, vel aduersa necabit. Sed quam purgati erimus, tam sereni, quam sereni erimus, tam lucentes. Tunc primum verarum euadimus pleni formarum, cum primum vacui somniorum.

Non cortex nutrit, sed medulla.

MARSILIVS FICINVS Doomino Francisco Guasconio viro clarissimo se commendat.

DOno tibi religionem nostram, religiosi pignus amoris. Non vt insignẽ pietate virum instruam ad pietatem, sed quia vno hoc munere puto magis quam cunctis disputationibus meis ipsi me pietati satisfacturum. Si fortè nostra hæc religio tibi videbitur pauperrima, memento Christianam religionẽ in paupertate fuisse fundatam. Memento præterea, apud nos non expressores librorum esse, sed oppressores. Verum qualiscunque sit, quandoquidem nihil est in re amata, quod amanti non placeat, amatori suo Guasconio satis formosa diuesque videbitur. xx. Maij. M. CCCC. LXXVI. Florentiæ.

Quæ reuera sunt bona, quo maiora sunt eo etiam meliora.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Bonincontro Astronomo & Poëtæ, S. D.

DIci non posset quanta in legendis tuis literis voluptate affectus fuerim, clarissime Laurenti. In iis autem nihil equidem minus accuso, quam quod ipse magis excusas. Verùm quid dixi modo, mi Laurenti? Imò vero accuso nihil, vbi mihi singula summopere placent. Ergo vt rectius loquar, nihil in tuis literis mihi placet magis, quam quod tu maximè suspicaris mihi minus forte placere. Prolixitatem, inquam amice tuam, imò sobrietatem. quæ enim reuera sunt bona quo maiora sunt, eo etiam meliora. Defers ad nos iudicium inter numina tria grauissimum, inter prouidentiam videlicet, & fatum & libertatem. Audisti ad Paridem quondam iudicium inter tres Deas fuisse delatum. Ego autem discrimine tanto offendere numina nolim. Manet alta mente repostũ iudicium Paradis spretæque iniuria formę. Forte vero nihil amplius superest pericli. Videris ipse cautissimam de iis tulisse sententiam. Non enim inepte, vt nonnulli consueuerunt, seiunxisti numina, sed inuicem aptissime coniunxisti. Sententiam verò tuam latius in libro de Astrologis confirmamus.

Non possunt plures in ea re inuicem firmiter copulari, quæ ipsa in se mutabilis est atque diuersa.

MARSILIVS FICINVS Locterio Neronio conphilosopho, S. D.

AMplector equidem summo quodam gaudio doctas, Locteri, piasque literas tuas, in parte præsertim vbi tu me in eo bono quod cuncta complectitur benigne complecteris. Legisti sæpenumero Peripateticum illud: Quæcunque cuidam tertio eadem sunt, inuicem quoque sunt eadem. Hoc autem tunc solum mihi videtur impleri, cum tertium illud sibimet est penitus idem, hoc est indiuiduum simplexque & permanens. Alioquin non posset quæ ad ipsum recurrunt copulare inuicem prorsus atque firmare. Sed manifestò explicemus exemplo quod volumus. Lineæ quam diu in centro indiuiduo & immobili permanent, singulæ tùm in se ipsis indiuiduæ immobilesque consistunt, tum inter se inuicem vel eædem penitus vel coniunctæ. At cum à centro ad circumferentiam diuiduam & mobilem inexplicantur, magis gradatim magisque tum singulæ in seipsis diuisæ mutabilesque euadunt, tùm inuicem disiunctæ redduntur, quo si vicissim ab ipsa circunferentia in centrum denuò replicentur, continuò vnitatem stabilitatemque priorem recipere videbuntur. In centro quidem Deum, in circunferentia verò cœlum & elementa, in lineis denique animas mentesque considerare debemus; ergo quid falsa quotidie vulgus beniuolentia gloriatur? Hic quidem totus iamdiu sum tuus, inquit, iste vicissim semper, inquit, tuus ero, ille rursus audet dicere, ego ac tu vnum prorsus idemque sumus. O quam falsi sunt homines, quam fallaces. Nempe dum ipsi à stabili Dei vnitate cadentes in mundi machinam mutabilem multiplicemque, diuisibilem sese prorsus immergunt, ideoque stabilitatē vnitatēq; in seipsis non retinent naturalē, interim tamen quod amisere dementes, quod miseri perdiderunt, tā impudenter quā imprudēter aliis pollicentur. Desinant igitur profiteri, se inuicem mutua quadā beniuolentia, idem prorsus & fieri & manere, quā diu & ipsi in se qui diligunt, non sunt tales quales aliis præstare se iactant, & in ea re diligunt quæ etiam non est talis, non colligit vnquam, non sistit animos sibi ipsis & aliis, nisi vnitas ipsa simplex immobilisque æternitas, quæ maximè cuncta complectitur, vtpote quæ sua sunt maximè. In qua ego te libentissime complector, mi Locteri, vicissim benignissime complectentem.

Cupido magis persuadet vel tacendo, quam & orando Mercurius & Phœbus ipse canendo.

MARSILIVS FICINVS Dominico Gallecto, S. D.

SI quantū amor in te Dominice meus, me quotidie stimulat ad scribendum, tantum Musa materiæ mihi suppeditaret, certè totiens nostro nomine legeres, salue Gallecte quoties ipse saluere desideras. Quam verò iamdiu materiam nobis negat inuida Musa, eam in præsentia Ioannes suggerit Caualcantes, Musarum dulcis alumnus. Hic tibi ob amicitiam nostram multa ideo debere fatetur, quoniam ego in te quondam, tanquam antiquiore, prius amando ipsum, ardenter stabiliterque amare didicerim. Quod si quam magnus est meus amor, tàm magna quandoque præstare valeret, tu quoque vicissim plurimum Caualcanti debere cognosceres. Nempe cum hic vbique nobis tui simillimus amantissimusque occurrat, efficitur vt in hoc amando, amare Dominicum non dediscā. Ergo Caualcantis causam tibi Deus ille commendat, sine quo neque properè vnquam, neque prosperè quicquam alicubi commendatur. Cœlestis Gallecte, Cupido sępè quod ipse ipsius miles sæpius experiris, persuadet antea quam suadeat. Persuadet autem multo vehementius vel tacendo, quā & orando Mercurius & Phœbus ipse canendo. Quid mirum? Isti siquidem foris ad aures animi fores, verba volantia fundunt. Ille vero intus indelebiles flagrantium cogitationum notas præcordiis ipsis inurit. Sed mitto poëtæ vobis hęc amatoria. Ad causam ipsam venio Ioanni nostro nobisque communem.

FINIS.

MARSILII FICINI FLORENTINI

EPISTOLARVM

LIBER IV.

NEMO EST CVI POSSIT INVIDERE qui videre possit quot omnes intus & extra furiis agitamur.

Marsilius Ficinus Florentinus Laurenti Francischio Dominici filio, S. D.

MAndauit discipulis suis Pythagoras, nec cerebrum corue comederent. Id est, neque cerebrum cogitationibus consumerent superuacuis, neque immoderatis curis vrerent. Si omnia fortuna contingunt, frustra laborant qui confidunt, quæ præter rationem modis innumerabilibus accidunt, certa ratione definire penitus atque disponere. Si fato cuncta perueniunt, in ipsum fatum grauius incidunt, quicunque ineuitabilem huius necessitatem euitare contendunt, addunt enim proprium fato laborem. Denique siue fortuna res nostræ, siue fato prouenire dicantur, diuina prouidentia irrationalem fortunam in ordinem ratione disponit, immite etiam fatum ad bonum suauissimè temperat, vt cuncta his ordinata bonaque eueniant qui libenter cum diuina voluntate consentiunt.
His solis interna consentiunt & externa, cæteris autẽ vtraque vbiq; dissentiunt. Hi soli quam necessaria sunt faciunt voluntaria, quæ mala videntur bona. Quemadmodum pura mens vniuerso gaudet bono, sic impura malis cunctis affligitur. Sicut lumen maximum ad se lumina cuncta rapit, sic maximum in terris malum, id est homo malus omnia ad se vndique trahit mala. Multoque plura sibi ipse infert, quam accipiat aliunde. Sicut insatiabiles ad bonum sumus, sic fermè insatiabiles nescio quomodo sumus ad malum. Mala præsentia quidem non tàm sentimus quam augemus, præterita verò repetimus, futura præripimus, fingimus non futura. Mitto quam peruersa mente res patiamur aduersas, nonne prosperitate sic abutimur, vt infelicissima nobis sit ipsa felicitas? Externarum rerum successus nihil aliud est quam rationis & legis excessus. Sanitas autem corporis quidnam est nobis nisi mentis insania? Forma quæque roburque corporis sæpè animi deformitas fit atque debilitas. O quam deformes sumus, quoties in ista quæ Deus formosa facit ipsi deformes irruimus. Heu quam ingrati Deo bonorum omnium largitori, quoties opera eius gubernationemque damnamus. Et quanto magis bonis illius frugibus horrea nobis abundant, tanto magis spinas loliumque & intra nos producimus & domi forisque serimus. Et cum mala producamus feramusque, miramur tamen si quando inde pessima metimus, neque agriculturam, sed astra Deumue culpamus. Nemo est igitur cui possit inuidere qui videre possit quot omnes intus & extra furiis agitamur. Difficile discernas in patria quisnam inter alios sit beatior, difficilius extra patriam quis miserior, æqua fermè ratio est vtrobique, illic ad summum singuli gaudent, hic singuli dolemus ad summum. Vt nisi cæci simus omnino, videre hinc perspicuè debeamus, sementem nostram quando-

quidem tàm male se habet in terris, non terrenam esse sed cœlestem, cœlestesque fructus, si recte culta fuerit, producturam.

Cum rationi & consilio satisfeceris, cunctis satisfecisse putato.

MARSILIVS FICINVS conphilosopho suo.

TVrbaris vt audio multum, quod quæ intelligis certa te ratione fecisse damnentur à multis. An ipse tanti te facis Amice, vt velis eos qui Deo non parcunt, homini parcere? Quid pulchrius meliusque agi potest quam quę à Deo, qui optima est ratio, fiunt? Operibus tamen diuinis vbique detrahitur. Horremus dæmonas, incusamus astra, damnamus tempora, Plantarum quoque & animalium formas & vires vituperamus, carpimus homines, de nostra sorte assiduè querimur, quæ à Deo gratis accepimus displicent, quæ grati nos fecimus vsque adeo placent, vt Deo displiceamus. Enitere precor vt quantum noua opera tua tibi tanquam fœtus proprij subitò blandiuntur, tantum ipse rationi obsequare pareasque consilio. Postquam verò diligenti rationi probatoque prudentum consilio satisfeceris, hominibus cunctis satisfecisse putato. Sic enim ipsi veritati, quæ cunctis est amplior, satisfecisti. Quod si adhuc quæ eiusmodi ratione cogitaueris dixerisque & feceris, alicubi improbentur, memento alimenti boni indicium esse malo gustui displicere, mali autem argumentum, gustui malo placere. Vale, atque postquam voluntas rectam sequuta fuerit rationem, ne turberis si quid præter voluntatem inde sequatur.

Frustra sapit qui non sibi ipse sapit.

MARSILIVS FICINVS Morali Philosopho non morato, S. D.

QVam absurdus est sutor veste vndique lacera, quam iners medicus semper ęgrotus, quam molestus Musicus cui dissonat lyra voci, tàm turpis moralis Philosophus non moratus. Qui loquitur quidem bene, agit autem male, hic frustra vel hominibus bona loquitur non credentibus, vel à superis bona petit non concedentibus.

Mundanorum medicina malorum est supermundani Dei cultus.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Bembo Veneto equiti clarissimo, S. D.

QVoniam cœlestis hominum pater statuit patriam nostram fore cœlum, idcirco dum terram incolimus regionem à nostra patria remotissimam, contenti aliquando esse non possumus, sors autem huiusmodi non tantum hominibus, verum etiam cunctis omnino rebus creatis est communis, vt nusquam præterquàm in propria origine quietem agant, atq; quietis gratia conentur illic finem ponere, vnde principium habuerunt: sic aqua terraque ad ima descendunt, alta petit ignis & aër, sic talpæ atque similia terræ aluo se occulunt. Cætera quam plurima calcant terræ dorsum. Pisces aqua nati, aqua natant. Hominum verò animi communi quodam naturalique instinctu continuè cœlum appetunt, atque vlterius cœli regem, vnde creantur. Quoniam verò appetitio ad Deum naturalis à Deo nobis infusa inanis esse non debet, ne summa ratio quæ nihil frustra facit, frustra eam nobis infuderit, sequitur esse mentes hominum sempiternas, vt ad sempiternum diuinumque bonum natura desideratum quandoque valeant peruenire.

Ex his quæ diximus sequitur, vt animi quandoquidem neque terrenis vnquam alimentis implentur, neque dum terrena ingurgitant, cœlestibus vesci dapibus possunt, hac in vita nitantur cœli regi quandoque pro viribus adhærere. Tanto enim minus amaris inficiuntur terræ saporibus magisque dulcibus reficiuntur cœli liquoribus, quanto auidius ad supercœlestem dulcedinis fontem afficiuntur. Quanto propinquius accedimus ad mundi dominum, tanto longius à mundana seruitute discedimus. Cæterum sicut in patria hæremus illi, videndo atque gaudendo, sic extra patriam amando prorsus & adorando.

Quamobrem non reperitur vsquam contra terrenos morbos medicina sufficiens, præter amorem cultumque diuinum. Neque id quidem iniuria. Nempe in quolibet morbo quando medicina mali humoris non superat qualitatem, conuertitur in humorem, turbat corpus, minuit vires, pondus his auget. Cum igitur infirmitas omnis aduersitasque nostra sit corporalis at-

que mundana, proculdubio frustra laborat quisquis eiusmodi malo corporeis mundanisque medicinis succurrere tentat. Fortiore admodum mihi crede hic opus est medicina, medicina dico, quæ & spiritalis sit & super mundum, quo corporales mundanosque morbos expellere valeat. Si hoc solum languore laboraremus aut illo, forte hic nobis medicus sufficeret aut ille. Sed pestis nostra est omne malum. Ergo teriaca nobis est omne bonum. Morbus noster est inexplebilis appetitus, & continua perturbatio, medicus ergo nobis est immensum bonum & æterna tranquillitas. Si quis neget medicinam nostram esse verum Dei cultum, huic nullum malorum superest remedium, spesque omnis sanitatis adimitur. Qui autem reuera diuinis confidit remediis, conualescit protinus vt confidit.

Non quid quisque, sed quo animo det considerare debemus.

MARSILIVS FICINVS Georgio Antonio Vespuccio ciui optimo & doctissimo, S. D.

DOno tibi nostrum de vera pietate volumen, non vt insignem pietate virum instruam ad pietatem, sed quia vno hoc munere puto magis quam cunctis disputationibus meis ipsi me pietati satisfacturum, satisfaciam quoque pio amico meo, vt arbitror, qui cum pio semper affectu ferueat, affectum ipsum in cunctis metitur potiusquam affectum. Scit enim reuera in rebus externis nihil esse magnum, nihil rursus in affectu magno esse non magnum, scit etiam nihil vnquam ab eo magnum dari, qui nil vnquam dare maius voluit quam quod dedit. Nihil contra ab eo dari paruum, cui præ voluntate maioris quicquid largitur est paruum. Scit deniq; non tàm manum, quam cor largientis aspiciendum. Et quantum alter tribuere cupit, tantum alterum debere fatetur. Nam & si non manu statim, animo tamen acceptum à nobis est, cum primum nobis innotuit quicquid amicus tradere concupiuit. Qui noua potest donare quotidie, nihil vnquam largitur excellens, solus excellentissima dedit, cui nihil superest denuo tribuendum, cum semel seipsum secumque sua omnia dederit. Vt autem paucis comprehendam, aut nihil donamus aut omnia. Qui rem nobis aliquam dat, non animum, hic non donum offert, sed vel commendat depositum, vel emit nos, vel forsan aucupatur. Subitò verò cuncta largitur qui mentem dat omnia possidentem. Vale.

Quàm turpe est amare pecunias, tàm honestum amare hominem, tàm etiam necessarium & beatum amare Deum.

MARSILIVS FICINVS Petro Guicciardino literis & moribus ornatissimo, S. D.

QVam turpe est amare pecunias, tàm honestum est amare hominem amore dignissimum. Nemo dubitat, modo vnquam aliquid amet, quin amator seipsum sibi auferat, atque dedat amato. Pecuniæ hominem eam amantem accipere quidem possunt, reddere nequaquam. Hinc fit vt amator huiusmodi neque pecunias habeat neque seipsum. Qui autem amat hominem redamantem quantum dum amat sese alteri dedit, tantum se recepit dum redamatur. Imò verò, vt rectius loquar, duplo magis, nempe duos hac ratione recipit animos qui dederat vnum. Rursus quam honestum vtileque videtur diligere virum, beneuolentia dignum, tàm necessarium est atque beatum amare Deum, primam amoris pulchritudinisque originem, sine cuius calore nullus amare quicquam potest, sine cuius splendore nil potest amari. Vale felix, & commenda me patri tuo Iacobo ciui clarissimo. Calendis Martiis. M. CCCC. LXXVI. Florentiæ.

Qualis in se quisque est, talia cuique sunt quæ accipit.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Aurelio Ariminensi, & Ioanni Petro Cortusio Patauino conphilosophis suis, S. D.

NOn est malum in hæc incidere, quæ vulgo dicuntur mala, nisi malis dignus fueris. Mala enim non patitur nisi malus. Non est bonum hæc habere, quæ dicuntur bona, nisi bonis dignus fueris. Bonis enim non fruitur nisi bonus. Non ab externis interna, sed ab internis externa dependent. Qualis in se quisque est, talia cuique sunt quæ accipit. Non tàm de sorte quam de electione conqueri possumus. Mala continuè cogitamus, nos agitant vndique mala. Mala quotidie sequimur, merito nos mala sequuntur. Crudelitatem plurimùm exercemus, crudelitas vicissim nos exercet. Clementiam fugimus, fugit & nos clementia. Quo magis

ſponte humanam iuſtitiam fugimus, eo magis iuſtitia nos diuina inuitos aſſequitur. In ipſo ſcelere ſceleris eſt ſupplicium, boni præmium eſt in bono. Bona cras tantum agimus, bona cras accipimus, agimus mala hodie, hodie mala patimur. Diſſonamus ipſi nobis omnes, diſſonant viciſſim nobis omnia. Si rite motus animi temperaueris, vt Magi Perſarum docent, iam tibi omnia temperaſti, humores corporis, anni tempora, plantas, animalia cuncta, cœlum. Temperabis autem proculdubio, ſi animum tanta diligentia diſpoſueris, quanta lapides architecti, colores, lineas, pictores, Muſici voces, verba Poëtæ. Atque, vt ſummatim dicam, nihil in te videbitur incompoſitum, ſi tàm cerebrum, quod capillis tegitur, compoſueris quam quiſque capillos. Bene vale, ac ne fruſtra colas alia, in primis cole teipſum.

Mundana omnia diſcordia componuntur, omnia diſcordia & ipſa ſibi & aliis opponuntur.

Marſilius Ficinus Paci ſuo pacem optat, metuit bellum, S. D.

SCripſiſti nuper ad me mi Paces, ſicuti ſoles, eleganter admodum & amice, ego autem nihil ad te ſcribebam, quia nuſquam putabam eſſe pacem. Cum omnia cogitarem diſcordia penitus occupari. Sed ibi modo Pacem reperi meum, vbi iamdiu reperi pacem meam. Iupiter, vt aiunt, qui cœleſtia norunt, humanæ pacis eſt author. Rainaldus Vrſinus Iouis alumnus meum alit Pacem atque meam. Ego te, vt iubes, alumno Phœbi ſuppliciter commendabo. Tu vero me viciſſim commenda precor Iouis alumno. Sed antequam Epiſtolæ finem imponam, cupio tecum, niſi forte ridiculum videatur, ex pacis nomine de bello nonnihil philoſophari. Opponuntur felicibus Angelis dæmones infelices, ſigna cœleſtia ſignis, planetæ planetis, elementis etiam elementa, plantæ plantis, animalibus animalia. Opponuntur præterea quieti motus, habitui verò priuatio, lumen tenebris, nigro lucidum atque album, ſilentio ſonus, acutumque graui, fœtido ſuaue redolens, inſipido ſalſum, vt Peripatetici putant, acre amarumque dulci, frigido calidum, humido ſiccum, leue graui, raro denſum, leni aſperum, molli denique durum. Opponitur fortuna fatumque corpori, corporis humores humoribus, membraque membris, corpus ipſum animæ, rationi ſenſus, affectus affectui, virtuti vitium, vitia vitiis, opinioni opinio, votum denique voto. Solæ omnium virtutes ſi vſquam reperiantur, reuera inuicem ſunt concordes, ita vt qui vnam conſequitur aſſequatur & omnes. Res autem cæteræ nulla alia in re inuicem magis quam in ipſa diſcordia ſunt concordes. Ergo cui mirum ſit continua inter ſe diſcordia genus hominum agitari? Omnia diſcordia componuntur, omnia diſcordia & ipſa ſibi & aliis opponuntur, ibi ſolum extrinſecus omnia conſonant, vbi intrinſecus nihil diſſonat, nihil autem ibi diſſonat intus, vbi vel ſyncera veritas dominatur, vel veritatis huiuſmodi ſplendor exuberat, vel calor ſplendoris eiuſmodi feruet. Primum quidem Deus eſt, ſecundum contemplatio Dei, tertium amor cultuſque Dei. Nec nobis mi Paces eam dare pacem poſſunt, quam dare non poteſt mundus vndique diſcordia plenus. Verùm ne forte dum de bello diutius diſputo, bellum prolixiori diſputatione oculis, auribuſue tuis indixiſſe videar. Vale Idibus Aprilibus: M. CCCC. LXXVIII. Florentiæ.

Vt ſortem in melius mutes, animæ figuram in melius muta.

Marſilius Ficinus hominum generi, S. D.

PRæcipuam mihi quærenti hodie rationem qua homines tàm laborioſam in terris vitam continuè ducant, venit in mentem ludus quidam eiuſmodi, in quo nonnulli cruribus extenſis in altum interim palmis & capitis vertice gradiantur. Præterea conentur altero quidem oculo terrena vndique omnia, altero autem cœleſtia circumſpicere. Deinde quicquid humi occurrerit, naribus, labiis, digitis, prenſare nitantur. Rurſus ſi quid ab alto his imminet, pedibus attrectare conentur & carpere, & quæcunque attingerit, portanda ſuſcipiant. O turpiſſimum ſpectaculum! ô miſerabile monſtrum! Non homines iſti ſunt, non ſunt animalia, arbores hæ Stygiæ mihi videntur, quarum folia quidem amariſſima ſunt, fructus autem inter folia nullus. Quid monſtruoſius? quid laborioſius poteſt & oneroſius cogitari? Tales amici ſumus quaſi omnes, quaſi omnes, heu miſeri, caput animæ rationem, ſenſibus qui ſunt animæ pedes, ſtulte ſubiicimus. Proinde mente ſic humi depreſſa, cœleſtia noſſe ſimul confidimus atque terrena. Infimis animæ plantis ſumma naturæ fruſtra tentamus attingere. Ac dum cuncta

nobis vsurpare molimur, onus omnium circumscrimus. Heu interim quam insana miseria, quàm miserabili insania laboramus! Quid sortem nostram fortunamue deflemus? quid mutare fortunam temere cogitamus? quid flectere fatum? Muta precor hunc animæ ludum, tuam hanc figuram verte. Sic enim fortunam mutaueris fatumque flexeris, & mundi ipsius figuram in melius tibi subito verteris.

Pura neque impure quæras, neque postquam inueneris impuris communia facias.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici Viro Magnanimo, S. D.

CVm Nouembris superioris Calendis Epistolam alteram de raptu ad tertium cœlum Pauli ad Ioannem Caualcātem, alteram de cœlesti & supercœlesti lumine ad Phœbum Capellam composuissem, mox in eum oculorum morbum infeliciter incidi, quem imaginum nomine physici nuncupant, proximamque asserūt portendere cæcitatem. Et si expertus sum penè omnia quæ tractantur à medicis Apollinis successoribus, nondum tamen medicorum pater Apollo lucens, pristinā restituit mihi lucem. Heu quam diuersa est mi Laurenti cæterarum rerum ratio, atque lucis! Nempe qui sonos vel odores fugiūt vel sapores, hi talia certe deuitant, qui verò res eiusmodi sequuntur maximè, ii & maximè omnium consequuntur. Lucem verò ipsam, proh dolor! tàm qui obnixè quæritat, quam qui procul fugit, solet amittere. Tarsensis Paulus, dū & celeri passu verum fugit Solem, & Solis ipsius lumen impiis armis insequitur, captus fuisse lumine traditur. Marsilius vicissim dum sequitur Solem lumenq; prosequitur, ferè captus est lumine. Hinc heri dum iuncta esset Luna Soli, orta mihi est oratio quędam ad diuinum Solem fortassis obscurior, sed tunc demum, vt spero, clarior euasura, cum humanus Sol meus meam hanc suamque Lunam semel saltem oculorum suorum radios illustrauerit. Vale.

O Sol qui hominum flammis corda omnia lustras, nunquid mortalium nulli patere vis nimium, cum tamen omnibus omnium maximè pateas. O Sol iustitiæ fons, Sol largitatis exemplar, quam me vehementer accendis vt quæram, tàm clare, tamque salubriter refulge quærenti. An forte subitò nimium impuris oculis purissimum ausus sum suspicere lumen? Phaëtō forsitā, hac in re, fateor quodammodo fui, fui tamen & sum Phœbe tuus. Ergo calore me purga precor foueque tuo. Tantum salubri flamma potes omnibus Phœbe mederi, quantum per omnia radios iaculari. Ego enim neque sicut Iulianus ille & Platonicus & Christianus olim, sed apostata, Solem ipsum sine Sole cantaui. Neque charam, vt aiunt, sororem tuam vnà cum Claudiano Proserpinam raptam ad inferos impiè cecini, sed filium tuum potius Æsculapium quendam Tarsensem medicū animorum ad superos raptum vnà cū Luca Hierotheo, Dionysio, celebraui. Neque sicut Stesicorus & Homerus infelicem Helenæ, id est, terrenæ formæ, rapinam, sed vt veri Platonici solent beatissimum depinxi cœlestis mentis ascensum. Neque vel instar numeri passim Eleusina sacra vulgaui. Vel tanquam Pherecides Syrus abdita cœlestium animorum terreno cuilibet patefeci. Vel sicut Hipparcus Pythagoricus Delphica præceptoris sancti mysteria iure communia paucissimis, cunctis vnquam feci communia Vel Dionysij Syracusani more Apollineos Platonis sensus impuris vulgi sensibus reserare contendi. Non palàm locutus sum quæ non licet homini loqui, non dedi sanctum canibus porcisue dilaniandum, sed Aedipi arcana tantum, vt mihi quidem videor, quantum ipse videram reuelaui. Danis autem omnibus prorsus velata dedi.

Quid ergo post hac, quid potissimum Phœbe vis faciam? Mittes, vt arbitror, ad Ananiam me Damascum, quo & Saulum quondam misisti cæcum, vbi visum protinus recepit amissum. Ananias autem mihi fuerit opto alumnus ille Phœbe tuus Medices Laurus radiis olim tuis Orientibus ortus. Damascum profectus sum nuper itineris duce quodam Solis Platonici filio, Alumno quidem illic tuo Ananiæ verò meo, portiunculam quandam, ceu pignus grandioris holocausti, reddidi, propediem residuum redditurus. Ergo redde iam mihi Phœbe, si libet, optatum diu, redde obsecro lumen XIV. Aprilis. M. CCCC. LXXII.

Honestum agendum est, quia placeat, placere debet vt Deo placeat.

MARSILIVS FICINVS Locterio Neronio, S. D.

QVantum ab initio studiorum meorū mea mihi verba scriptaque placebant omnia, tantum fermè Locteri dedie in dies mea

dies mea mihi omnia displicent. Scribere tamen nonnihil quotidie nescio quo siue fato siue spiritu vel inuitus impellor. Ergo id mihi primum semper est in scribendo propositum, vt quam minime Marsilium cæterosque offendam, quam breuissime loqui. Sed dum nimia breuitate studeo prolixitatis deuitare fastidium, interim obscuritate quadam nonnunquam quodammodo confundo meipsum. Certe alios sæpè perturbo. Hoc autem iure iis solet accidere, qui modum in rebus tenere non didicerunt. Ecce nunc quam ridiculum videbitur, ô amice, quam absurdum, vt familiarem Epistolam illam familiari meo, qui interdum quasi alter quidam apparet virtute interpretandi Mercurius, cogar interpretari. At verò nequaquam cogar, vt arbitror, nempe dum petis à nobis clarius & facilius erudiri, abunde admodum nos erudis. Haud ita dissimulare tuam astutiam, ô ironice, potuisti, quin aduerterim, te ardentissimo quodam diutius loquendi mecum desiderio potius quam planioris eruditionis auiditate interpretationem Epistolæ meæ requirere clariorem. Igitur amatoriam quandam prolixitatem, callide vir, nunc exigis non claritatem. Cæterum vt & tibi longiore quadam oratione & alteri cuipiam, qui interpretationem forte reuera requireret, verbis planioribus satisfaciam, summa antiquæ illius Epistolæ erit eiusmodi. Studeo pro viribus semper id agere, quod bonum esse tàm prudentum consilium quam ratio diligens persuaserit. Neque hoc ipsum ad externum aliquem refero fructum, qui & futurus sit & breuis & in hominum vel fortunæ arbitrio positus, sed primum quidem ad verum illud gaudium, quod in ipsa boni actione percipitur. Quod quidem bonum gaudiumque & si temporale dici potest, quoniam non continuè similiter exercetur atque sentitur, initium tamen est & in nostro arbitrio situm. Eiusmodi verò bonum in præsentia æternitateque placet. Non istud dico, quia ego nunc prorsus ipsa fruar æternitate, sed quia intelligo id non ob aliam rationem nisi quia ideæ, id est, æternæ rationi Deique omnipotentis arti congruit, congruere menti, atque placere. Proinde quemadmodum bonum illud ad intimum gaudium retuli, ita refero gaudium ad ideam, vt videlicet ea ratione mihi placeat bonum, vt ipse Deo maximè placeam, omnis boni bono, sine quo nihil potest mihi placere. Non possideo præsentem felicitatem inquis, sed expecto futuram. Expecta, Locteri, felicitatem ipse videlicet futurus felix, præsente, id est, æterna felicitate potius quam futura. Si qua enim in te est futura felicitas, ideo felicitas est, quia in ea felicitate est, cui neque præteritum contingit neque futurum. Vale. xv. Aprilis. M. CCCC. LXXVII.

Nihil vel mirabilius vel amabilius est quam doctrina probitati coniuncta.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Marco Aurelio Oratori clarissimo, S. D.

QVando singularis doctrina, Marce Aureli, vnà cum excellenti quadam probitate coniungitur, tantus ex hoc quasi Solis Iouisque congressu, & splendor à doctrina & ardor à probitate protinus emicat, vt radiis flammisque huiusmodi ab oriente in occidentem vsque porrectis mentes, vel remotissimarum Gentium incitatæ atque accensæ & alliciantur blandissime & vehementissime rapiantur. Alliciebat igitur hac ratione Marcus Aurelius Marsilium Ficinum suum quondam adolescentem, rapit & nunc ætate maturiorem. Ecce nunc omnis hæc ad te properat prȩda, Marce, tua, Marsilius tuus adolescens pariter & maturior. Hic ergo tibi sex declamatiunculas offert, quarum primæ illæ duæ de philosophiæ medicinæque laudibus iamdiu à tenera ætate, quatuor verò sequentes de præcipuis humani generis institutis, verè hoc sunt illi natæ, ita demum natæ feliciter, si apud te continuè nutriantur.

MARSILII FICINI oratio de laudibus Philosophiæ.

COntrarias in partes animus in præsentia mihi distrahitur, viri clarissimi, quemadmodum sæpe his in rebus grauioribus oraturi sunt, contingere consueuit. Nam & antiqua sacri gymnasij huius consuetudo & grauis authoritas patrum, quæ duo iure apud me possunt quam plurimum, cogunt vt hodie verba de Philosophiæ laudibus faciam.

Cum verò facultatis huius vim atque naturam mecum ipse considero, tàm præclara mihi videtur, tamque excellens, vt id quidem humana vel mente comprehendi vel lingua explicari posse diffidam. Neque solum hinc materiæ ipsius sublimitas, inde humilitas ingenij, verum etiam reuerendus cōspectus vester me nunc à dicẽdo

deterret. Itaque modo vtrum tacerem, an potius loquerer, ambigebam. Dicam tamen, viri præstantes, vt potero, præstare arbitratus rem ipsam de qua dicturus sum minus parere Marsilio, quam Marsilium maiorum suorum præceptis nullo modo parere. Quare mihi veniam dabitis, si eius aut egregias laudes haudquaquam exprimere pro illius dignitate potuero. Et id omne quodcunque à me dictum fuerit diuinæ luci, cuius lumine aduertimus, cuius radiis comprehendimus, cuius splendore explicamus, omnia prorsus attribuetis.

Vetus Theologorum, præstantes viri, sententia est, multorum Philosophorum rationibus confirmata, qua sane docemur atque instruimur, eo singula in rerum natura perfectiora dignioraque videri, quo ad primi rerum omnium principij perfectionem dignitatemque accedunt, propinquius ac expressiorem in se eius imaginem complectuntur. Prisca verò Ægyptiorum & Arabum Theologia tradidit, Deum esse existendi, cognoscendi, agendique principium. Vnde Pythagoras, Heraclitus atque Plato, eam Theologiam in Græciã transferentes ab eodem ipso Deo principium esse naturæ, veritatem doctrinæ, vitæ felicitatem, disputauerunt. Quod Platonis de Republica liber, Parmenides, Timæus, ac Iamblici & Proculi Theologia testatur. Secutus post eos veteres Dionysius Areopagita Platonicus, primo, ac deinde Christianus, idem in libris suis latissime disputauit. Quod quidem diu postea Hilarius & Aurelius Augustinus inter Latinos Theologos principes obseruauere. Itaque & Augustinus ipse in libris de vera religione, deque ciuitate diuina, Deum ipsum rerum omnium effectorem, veritatis illustratorem, beatitudinis largitorem appellat. Idque multis antea seculis à Platonicis Philosophis, diuersis licet verbis pertractatum fuisse confirmat. In his præterea tribus appellationibus Dei quæ à veteribus Philosophis primum inductæ fuerunt, Christianam quoque trinitatem quodammodo contineri. Philosophiæ insuper tres species à Platone adinuentas atque distributas huic naturę trinitati ex omnibus suis partibus respondere. Vt ea Philosophandi facultas, quæ de rerum causis progressionibusque dixerit, Deo rerum principio congruat. Altera verò qua disserendi origo modusque tractatur, Deo veritatis illustratori conueniat. Postrema Philosophiæ pars cuius præceptis & institutis vitam agimus, nosque ipsos & familiam ac rempublicam ad felicitatem consequendam dirigimus, Deo quoque beatitudinis largitori quodammodo comparetur. Ex quo iam satis perspicuum esse potest, philosophiam omni ex parte toti atque perfectæ (vt ita dixerim) diuinitati congruere, Patrisque & Filij ac Spiritus potentiæ, sapientiæ & bonitatis plenam quandam & absolutam, (quantum nobis conceditur) imaginem continere. Quo fit vt nulla ex omnibus hominum facultatibus diuinitati propinquior similiorque appareat, & idcirco nihil apud nos, præter ipsum Deum, perfectius quam Philosophia atque præstantius videatur. Quamobrem diuinè id explicuisse videtur Mercurius Ægyptiorum sapientissimus, cum homines dixit Philosophiæ lumine Deos fieri. Idemque Pythagoras in aureis carminibus cecinit, & Plato in libris de republica Philosophis vita functis, Deorum ceremonias mysteriaque instituit. Empedocles autem Agrigentinus, Philosophiam munus dixit esse Deorum, quod cui contigerit talem eum reddat, vt omnia quæ mouentur alta mente contẽnat, intima mentis acie diuinis radiis illustretur, futuramque beatitudinem firma sententia speret. Sed quid eo præstantius, quod ab Aristotele dictum est? Cum cæteræ artes rerum magnitudine & difficultate perterritæ longe à veritatis inquisitione discederent, Philosophia sola nihil laboriosi operis refugit, nec se optimis indignam rebus, sed earum sibi cognitionem congruam & cognatam existimauit. Cumque impossibile foret, corporea mole cœlestes sedes adire, animus Philosophiæ munere intelligentiam ducem adeptus, rerum omnium naturam contemplatione transcendit. Hæc Aristoteles. Denique (vt summatim dicam) Philosophia cum sit cœleste munus, terrena vitia procul fugat, fortunam fortissime domat, mitigat mirificè fatum, mortalibus donis certissime vtitur, immortalia munera largitur ad votum. O thesaurum omnium pretiosissimum, haudquaquam terræ Plutonisque visceribus editũ, sed sũmo cœli vertice Iouisq; capite descẽdentẽ, sine cuius possessione neq; rectè vti cæteris thesauris possumus, neq; quicquã feliciter possidere. O ducem humanæ vitæ tutissimum, qui primum Herculea claua vitiorum monstra prorsus expugnat. Deinde clypeo Palladis atque hasta deuitat vel superat fortunæ pericula. Postremo Atlanticis humeris humanos subleuans animos & terreno hoc exilio liberat & patriæ supernæ verissime felicissimeque restituit. Vt non immerito dictum sit à Platone,

quondam regnante ſophia ſeculum aureum extitiſſe, ac rurſus ſi quando Philoſophia regnabit aureum ſeculum rediturum. Verùm quid nam agimus, ó viri præſtantes? quid momento, (vt ita dixerim) temporis æternitatem fruſtra metiri tentamus? Deficeret nos non modo dies, ſed anni quoque quamplurimi, ſi omnes ſanctæ Philoſophiæ laudes proſequi prorſus aggrederemur. Quapropter nihil aliud dicendum ſupereſt, vel agendum, niſi vt tota mente ardentique animo, relictis omnibus mobilibus inanibuſque rebus, in quibus nihil præter vmbras quaſdam & phantaſmata reperitur, huius diuini muneris ſtudiis incumbamus.

Nam qui philoſophiæ expertes ſunt, hi humano genere inferiores, in beſtias quodammodo pręcipites dilabuntur. Qui verò mediocrem illi operam impenderint viri proculdubio tales euadent vt & doctos docere queant & regere reges. At qui per vniuerſam vitam, huic ſe totum ſoli deuouerit, corpore quaſi depoſito, & liber ad æthera perget, & humanam ſpeciem ſuperabit, factus Deus ętheris almi.

MARSILIVS FICINVS Oratio de laudibus Medicinæ.

PHiloſophi Pythagorici atque Platonici qui à Mercurio Triſmegiſto Philoſophiæ fonte manarunt, nihil aut inquiri aut inueniri ab hominum mente vllo modo poſſe arbitrantur, abſque eo principio à quo & ipſa mens & ea inſuper quæ ſint diſcenda proficiſcuntur. Ideoque lumen eſſe voluerunt ad inſpicienda omnia eundem ipſum Deum à quo perfecta ſunt omnia. Sicut enim oculorum ſcintilla colorum ſcintillas in ipſo Solis lumine tàm colorum quam oculorum authore diſcernit, ita veridica mens rei cuiuſlibet veritatem in ſumma percipit veritatis mentiſque cuiuſque procreatrice. Quapropter cum hodie & antiqua conſuetudine & iuſſu patrum inducti, de laudibus medicinę, quæ ab Apolline deſcendiſſe dicitur, tractaturi ſimus, mentis aciem ad lucem à tenebris conuertentes, veri ſummique Apollinis radios ſuppliciter adoramus, vt ſalutari illius calore purgati, purgationis perfectionem laudeſque vel pro ipſius dignitate vel ſaltem pro ingenii viribus proſequamur. Tria ſunt, viri præſtantes, apud Philoſophos præcipua, finis videlicet origo atque materia. quibus cuiuſque doctrinæ perfectionem iudicare conſueuerunt. Medicinæ autem origo ſiue Hebręos & Arabes ſequaris, ſiue Græcos, Ægyptioſq; Theologos ab ipſa diuinitate manauit. Nam Hebræi & Arabes primum humani generis parentem Adam eam diuino lumine ſapientiam adeptum aſſerunt. Reliqui verò Apollinem ab hominum deorumque parente Ioue illam ſuſcepiſſe virtutem ad humani ſalutem generis tradidere, qui deinde idem Æſculapio reuelarit, à quo Podalirius & Machaon pręſtantes medici geniti fuerint. Multis deinde ſeculis Hippocrates Cous quæ à priſcis obſcuris inuoluta parabolis tradita fuerant, eduxit in lucem, atque hi omnes quos hactenus memoraui in deorum concilium ab vniuerſa religione Gentilium relati fuiſſe dicuntur. Quid memorem Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Dioclem, Cariſtium, Eraſiſtratum, Proxagoram, Chryſippum, Erophylum, Serapionem, Apollonium, Glaciam, Heraclidem, Chemiſonem, Pliſtonicum, Galenum, egregios præſtantiſſimoſque Græcorum philoſophorum, Platonem, atque Ariſtotelem? Quos omnes & Philoſophos acutiſſimos extitiſſe, & plurimos in arte medēdi libros edidiſſe comperimus. Quid Ægyptios omnium vetuſtiſſimos gentium, quorum ſacerdotes vniuerſos præſtantes fuiſſe medicos, Homerus, Euripides ac Plato teſtātur? Quid Perſarum Magos, id eſt ſacerdotes, Zoroaſtrem, Hoſtanem, Abſtroſicon, Gobriam, Paxatam, Sinicariondam, Damigeron, Hiſmoſen, Ioannem, Apollonium, Dardanum, apud quos innumera penè in hac arte volumina, quæ ſyderum momentis, verbis, herbis, lapillis, atque vaporibus ſalutem tuentur noſtram, reperta feruntur. Nonne & Mithridates ille rex Ponti cui duæ ac vigeſimæ parebant linguæ, diuturnam huius diſciplinæ ſtudiis operam impendit? Sapor quoque rex Medorum & Auicenna diuinus, ac plerique Arabes huic ſapientiæ ardenti opera incubuere. Serapion eiuſque filius Ioannes, Ioannès inſuper Meſue, Abumeron, Auenzoar, Raſis, Auerrois, Albugaſis, Iſaac, Haly, ac plerique alij ſapientes Hebræorum atque Arabum præſtantiſſimi.

Mitto Latinos, quorum Cornelius Celſus, Apuleius. Q. Serenus, Columella, Plinius, Lactantius, primi de cura ſanitatis libros tùm proſa oratione tùm etiam carminibus compoſuerunt. Qui verò eos ſequuti ſint, & innumeri penè reperiūtur & vobis adeò noti, vt prolixiori narratione nequaquam indigeant. Num poteſt alicuius facultatis origo hoc medicinę ortu, non modo præſtantior, ſed par aut

similis inueniri? cum à Deo, heroibus, regibus, ducibus, Magis, Philosophis, & illis quidem vetustissimis atque omnium sapientissimis, proficiscatur. Subiecta verò huic arti materia, circa quam versatur, cuiusuè principia proprietatesque perquirit homo est, quem tanti fecit Mercurius Trismegistus, vt eum diceret post primum Deum penè maximum esse Deorum. Stoici quoque & Peripatetici omnia quæ sub orbe Lunæ mouentur eius gratia fieri atque moueri. Hebræi autem & Arabes atque Christiani Theologi ipsum quoque mundum fuisse hominis gratia constitutum.

Ex quo quis non videat hominem de quo nostra illa facultas agit esse penè omnium à Deo fluentium præstantissimum? Atque ideo hominis curandi doctrinam perfectissimam iudicandam. Nec dixerit quispiam medicorum artem circa ipsum hominis corpus duntaxat versari. Siquidem Phœbus, vt in Epistolis Hypocratis legitur, animi atque corporis curationem coire in vnum arbitrabatur. Vnde apud Ægyptios atque Persas iidem sacerdotes erant & medici. Scribit in Carmide Plato, Magos illos animæ corporisque medicos Zamolsidis Zoroastrisque sectatores arbitrari omnia corporis, tùm bona tùm mala, ab anima fluere in ipsum corpus, quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro, cerebri qualitas à toto corpore. Atque vt impossibile est, oculos curari nisi curetur cerebrum, & cerebrum curari nisi corpus totum, ita corpus totum nisi anima bene valeat, non posse bene valere. Valetudinem verò animæ curari Apollineis incantationibus quibusdam, id est, philosophicis rationibus. Socrates præterea narrauit vulgatum esse apud Thraces, eos medicos tali quadam curatione nonnullos homines seruare immortales consueuisse, tantum est animæ in corpus imperium. tanta potestas. Magica hæc opinio videtur cum illa Hebræorum Christianorumque sententia consentire, Adæ primi parentis animo prius quidem sano sana fuisse omnia, deinde verò infirmo infirma omnia euasisse. Cornelius quoque Celsus integram atque perfectam medicinæ artem intelligi voluit, cum quis hominis valetudinem tueri ex motuum animi & corporis cognitione valeret, in quibus duobus naturalis ac moralis contemplatio & vsus insuper continentur.

Nam & Auicenna corporis qualitatem in animum posse in vtramque partem quam plurimum censuit, ipsius quoque animi affectiones, motus, imagines, ad corporis seu bonam, siue malam valetudinem maximam vim habere. Finem præterea medicorum quis non viderit? Eorum enim cura & diligentia ipsum esse, viuere & insuper bene viuere conseruatur. Quid his melius, quid optabilius addi potest? Quid magis naturæ propinquum aut consentaneum quam quod ipsa genuit tueri atque seruare? Nemo vestrum ignorat, viri clarissimi, humanam prosperitatem non in rerum possessione, sed iucundo quodam vsu consistere. At verò sine sanitate nihil vsu nobis esse iucundum nemo sanæ mentis ignorat. Hinc ita in sanitatis hymno cecinit Orpheus: Absque te cuncta sunt hominibus inutilia. Medicina igitur quando vel tuetur vel restituit sanitatẽ, cuncta simul bona & seruare videtur & reddere. Quamobrem sacræ Hebræorum literę honorandum medicum merito iussisse videntur, & Homerus recte inquit: Vir medicus pretio multos æquauerit vnus. Quapropter vos omnes amici vehementer hortor, vt neque tempori, neque pecuniis, neque labori, vllo modo parcatis quo artem hanc saluberrimam humanæque vitæ conseruatricem totis viribus complectamini, vt & vitam prosperitatemque propriam, vestrorumque & reliquorum deinde omnium tueri, cæterasque liberales artes, quæ sine sanitate disci & exerceri non possunt, adiuuare possitis, ac denique vniuersis Gentibus vel maximis etiam regibus, qui omnes vestris se dedunt manibus, feliciter imperetis.

In singulis expertum consule.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Bonincontro Astronomo Poëtæ, S. D.

QVærenti mihi nuper amicum quemdam è multis quem maximè consulerem, nunquid vera de raptu in tertium cœlum Pauli disputauerim, occurrit imprimis Laurentius Bonincontrus Poëta astronomicus, astronomusque Poëticus. quem quidem iamdiu tanquam Astronomum suus Atlas in cœlum altis sustulit humeris, cui rursus tanquam vati pater ipse Phœbus ore rotundo cœlestia cecinit. Ergo tunc demum veram me diuinorum imaginem expressisse putabo, quando Laurentius meus, qui illorum vultum & duce Atlante, & monstrante Apolline vidit, penitus approbauerit.

Præstat malam valetudinem bene ferre quam male bonam.

MARSILIVS FICINVS
Amicis suis, S. D.

QVid toties amici quæritis quomodo valeam? Interrogate potius nunquid denique conualuerim. Cæteri siquidem ad hoc nati videntur, vt bene valerent. Ego autem contra ob hoc ipsum natus videor, vt male continuè valeam. Nam mihi imbecillitate quadam naturæ datum est ab initio, vt nunquam diem integrum firmam corporis valetudinem sim expertus. Sed largissimo quodam Dei munere inuidæ naturæ damna rependo, vt quam male nonnulli bonam valetudinem terunt, fermè tàm bene ipse malam. Quantum ergo quidam possessionis prosperæ gratia naturæ debent, tantum ego gratia vsus ipsius debeo. Quandò Deus ipse nostra firmitas est, infirmi vndique esse non possumus. Tunc enim animi firmitas corporis infirmitate perficitur. Mihi quidem adhærere Deo bonum est. Quoniam, (vt Augustinus inquit,) si in ipso non permanebo, nec in me potero. State igitur ô amici, state in Deo qui non mouetur, & stabitis. Quiescite in eo qui non turbatur, & quieti viuetis.

Omnia dedit semel qui se ipse dedit.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Bernardo Bembo Veneto viro clarissimo, S. D.

VIx Iacobo Lanfredino dederam ad te Epistolam in qua cupiebam fieri certior, nunquid mea illa (imò tua,) omnia recepisses, quando reddita mihi est Epistola tua, grauitate, lepôre, affectuque referta. Quid verò de mira gratitudine dicam? Alij cum gratis acceperint aliena, vix tandem gratias agunt. Bembus autem noster quod sua iure receperit, agit gratias, & quidem cumulatissimas. Ego suauissime mi Bernarde nihil iamdiu tibi dare possum noui, omnia olim semel tibi dedi quando tibi dedi Marsilium. Et si leuis eiusmodi possessio est, non enim tantus sum, vt merita tua impleam, non tamen leue est, quod cæteros omnes non minus quam me moribus tuis rapueris literatos. Tu enim horum omnium es desiderium. Tu populi nostri deliciæ. XXV. Aprilis. M. CCCC. LXXVII.

De Platonica philosophi natura, institutione, actione.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Francisco Hyppolito Gazolti comiti viro clarissimo, S. D.

SCripsi ad Bernardum Bembum Venetum iamdiu Epistolam quandam de Philosophiæ laudibus longiusculam. Nuper quoque nonnihil eadem de re ad Marcum Aurelium clarissimum oratorem. Reliquũ esse videtur, vt de Platonica Philosophi natura, institutione, actione aliquid scribam. Vt pateat manifestius qua via potissimum pretiosissimus ille Philosophiæ thesaurus reperiatur à nobis, & repertus, quà ratione legitime possideatur & expẽdatur. Cum ab omnibus Philosophia, (vt nomen ipsum à Pythagora inductum perhibet,) sapientiæ amor definiatur, sapientia verò diuinorum contemplatio sit, certè Philosophiæ finis est cognitio diuinorum. Quod in septimo de Republica libro noster Plato testatur, vbi veram, inquit, Philosophiam esse ascensum ab his quæ fluunt & oriuntur & occidunt, ad ea quæ verè sunt, & semper eadem perseuerant. Tot ergo Philosophia partes & facultates ministras habet, quot gradibus ab infimis ad superna conscenditur. Hi gradus partim à natura, partim à diligentia hominum exiguntur. Nam, (vt in sexto de Republica tradit Plato,) quicunque Philosophus futurus est ab ipsa natura sic institutus esse debet, vt primo quidem ad omnia disciplinarum genera facilis ac promptus existat. Deinde, vt natura sit verax ab omni mendacio penitus alienus. Tertio loco vt contemptis omnibus quæ corruptioni obnoxia sunt, illis quæ semper eadem permanent mentem adhibeat. Magnanimus quoque & fortis sit necesse est, qui nec mortem metuat, nec inanem cupiat gloriam. Præterea temperatum hunc quodammodo nasci oportet, easque animi partes quæ affectibus efferri solent domitas à natura suscipere. Quisquis enim veritatis auidus ad diuinorũ cõtẽplationem mentẽ conuertit, voluptates corporis paruipendit. Oportet præterea liberali animo Philosophũ esse. Etenim rerũ vilium æstimatio homini veritatẽ rerum contemplaturo aduersa est, nimiũque contraria. Huius insuper voluntas iustitiam diliget, quippe cum veritatis, temperantiæ, libertatis sit admodum studiosus. Maximè verò omniũ ingenij acumine atq; memoria & magni-

tudine animi illi opus esse videtur. At qui hæ quidem tres naturæ dotes, scilicet acumen ingenij, memoria, magnanimitas, cum disciplina atque educatio decens adhibita est, perfectum virtute virum efficiũt. Verùm si neglectæ sint, maximorum scelerum causæ esse à Platone dicuntur. Ergo naturæ huic adhibenda est summa hominum diligentia, vt qui ita natura affectus est ab ipsa pueritia literas discat, scientiarum omnium elementa. Cytharæ quin etiam vsu inconcinnus istius componendus est animus. Gymnastice ludis corpus exercitandum, vt bono ipsius habitu conueniens Philosophiæ studiis præbeat ministerium. Interim optimarum legum instituta auribus inserenda. Honestis exhortationibus adolescentis animus ita formãdus, vt moderatus pacatusque reddatur. Quam quidem moralem educationem Ethicen nominant. Cum verò mens per ea quæ diximus ab appetitus perturbatione liberata, iam à corpore solui cœperit, adijcienda mox illi est mathematicorum cognitio, quæ de numeris, planis, figuris & solidis numerosisque horum motibus agit. Quoniam vero numeri & figuræ & motuum rationes ad cogitationem potius quam ad sensus exteriores pertinent, horum studio animus non modo ab appetitu corporis, sed ab eius quoque sensibus separatur & ad interiorem cogitationem se confert. Quod quidem mortem commentari est (quod in Phœdone Plato scribit esse philosophantis officium,) per quod & similes Deo reddimur vt ex Phœdro Theetætoque discitur. Est autem in his percipiendis is apud Platonicos ordo, vt Arithmeticã sequatur Geometria, Geometriam Stereometria, hanc Astronomia, Astronomiam denique Musica. Priores enim numeri sunt quam figuræ, figuræ planæ priores quam solidæ; solida verò corpora prius sunt quam moueantur. Ordo verò & vocum rationes motum sequuntur. Arithmetica igitur, quæ de numeris agit, præcedat, sequatur quæ de planis figuris tractat Geometria, succedat huic quæ de solidis considerat, Stereometria, quartum teneat locum Astronomia, quæ solidorum corporum, id est, sphærarum motus suscipit. Postrema sit Musica, quæ ordinem vocum ex motione nascentium indagat His perceptis Plato dialecticam, id est, demonstrandæ veritatis scientiam tradit.

Dialecticam verò non tantum logicam illam esse vult quæ primas & minutissimas ratiocinationum regulas docet, sed & profundum expeditæ mentis artificium, ad ipsam veram meramquè rei cuiusque substantiam physicis primo, deinde metaphysicis rationibus comprehendendam, vt & ratio de quolibet reddi possit, & denique supra sensuum corporumque naturam mentis lumen percipiatur, atque incorporales rerum species, quas ideas vocamus, intelligantur, ex quibus ipsum vnum specierum omnium fons, mentium & animorum origo ac lumen, principium & finis omnium (quod ipsum bonum Plato vocat) inspiciatur. Huius inspectio sapientia est, cuius amor Philosophia rectissime definitur. Postquam verò philosophantis animus primum ipsum contemplatus est bonum, vnde iudicans quę in rebus humanis bôna sint, quę mala, turpia vel honesta, noxia vel vtilia, ad eius exemplar humana disponit, à malo abducit, in bonum dirigit, & hac prudentia gubernandi rem propriam, familiarem & publicam administrat, legesque & rationes docet administrandi. Vnde leges initium habuerunt. Quamobrem in Timæo philosophiam Plato Dei donum esse asserit, quo nihil vnquam præstantius sit nobis à Deo tributum. Nihil enim ipsum bonum, qui Deus est, homini melius largiri poterat quam integram quoad fieri potest diuinitatis ipsius similitudinem. Deum verò quis dubitet esse à corpore liberam veritatem omnibus prouidentem? philosophus autem morali institutione primaque ipsa eruditione, (quam diximus,) animum ab appetitu & sensu corporis liberat, dialectica veritatem assequitur, ciuili doctrina hominibus prouidet. Quo fit vt philosophia sit & donum Dei & similitudo & felicissima imitatio. Qua si quis præditus sit, ex Dei similitudine, idem erit in terris, qui & in cœlis est Deus. Quippe inter Deum & homines medius est philosophus, ad Deum homo, ad homines Deus. Dei veritate familiaris, sui ipsius libertate possessor, ciuili prudentia dux hominum reliquorum. Quo quidem gubernatore & quondam fuisse aurea secula perhibentur, & reditura quandoque vaticinatus est Plato, quando in eundem animum potestas sapientiaque concurrent. Apud Platonem, philosophantium animi per sapientiam & iustitiam, recuperatis alis, statim cum à corpore discesserunt cœlestem in patriam reuolant, ijsdemque in cœlis quibus & in terris funguntur officiis. Cum Deo veritate gaudent, secum libertate congratulantur, pietate hominibus prouident, ac velut interpretes Dei atque prophetę quod & hic egerant, & ibi peragunt.

Animos hominum in Deum conuertunt, arcana Dei mysteria mentibus humanis interpretantur. Quapropter merito Theologi veteres, philosophantium mentes statim solutas à corpore, perinde ac triginta illa Hesiodi millia dæmonum, tanquam semideos, heroas beatosque dæmones coluerunt. Philosophia itaque, (vt paucis comprehendamus) ascensus est animi ab inferioribus ad superna, à tenebrisque ad lucem, principium eius diuinæ mentis instinctus, media verò ad facultates disciplinæ qua & narrauimus, finis summi boni possessio, fructus denique recta hominum gubernatio. Hæc ego Francisco Berlinghierio nostro tamquã amico philosophico communia feci, tu quoque Iuliano Burgo nostro eadem ratione communia facies. Vale.

De vita Platonis.


MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino suo, S. D.

Conatus sũ diebus superioribus ideam Philosophi Platonicis coloribus pingere. Verum si Platonem ipsum in medium adduxissem, certe non quandam illius ideæ picturam, sed ideam ipsam veri philosophi digitis ostendissem. Ergo platonem nostrum intueamur, & philosophum, & philosophiam simul atque ideam ipsam pariter videamus.

Genealogia & Genesis Platonis.

Plato Atheniensis Aristonis & perictiones siue potonæ, filius à Neptuno genus vtrinque ducit. Nam Solon à Nereo & Neptuno descendit. Solonis verò frater Dropides Critiam maiorem genuit, à quo Calescrus ortus duos habuit filios, Critiam scilicet minorem, qui vnus ex triginta Athenarum gubernatoribus fuit, at Glauconem Carmidis & perictiones patrem, perictione verò, Aristone nupta platonem peperit & Adimantum & Glauconem. Fœminam quoque potonam quæ Eurymedonti nupta peperit Speusippum. Rursus Ariston platonis à Codro filio Melanthi descendit, qui iterum in Neptunum, (sicut & Solon) originem referunt. Ferunt Athenis celebre esse, Aristonem perictionem cum esset speciosissima congredi conatum esse, verum fuisse illius conatus irritos, vidisseque in somnis Apollinem, atque ab eo iussum munda à coniugali copula quoad pareret seruauisse. Quod & Laërtius & policrates scribunt. Nascitur Athenis vel in Egina, à Troiæ captiuitate anno septingentesimo quinquagesimo sexto, ab vrbe condita trecentesimo. XXXIII. ante Christi aduentum quadringentesimo. XXIII. platonis genesim qualem adolescens audiueram in libro de Amore significaui. Sed nunc adducam, qualẽ Iulius Firmicus Astronomus describit, cuius opinionem hac in re existimo veriorem. Est autem eiusmodi. In ascendente Aquario, Mars, Mercurius, Venus. In secunda Sol in piscibus. In quinta Luna in Geminis. In Septima Iupiter in Leone. In nona Saturnus in Libra.

Hanc genesim Iulius Firmicus asserit significare virum qui mirabili eloquentia polleat, cœlestique ingenio ad omnia secreta diuinitatis accedat.



Educatio, indoles, eruditio, sobrietas Platonis.

Fertur cum in cunis esset in labiis infantis apes mel fudisse, eloquentiæ futuræ præsagium. Aiunt Socratem vidisse per somnium oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuò exortis pennis expansis alis in altum euolans suauissimos cantus ediderit, postridie cum à patre sibi

plato commendatus esset, hunc esse cignũ quem viderat dixisse. Poëtico stilo in adolescentia floruit. Elegias composuit, & tragœdias duas, quas & ipse igni dedit cum primum animum ad philosophiam applicuisset. Primis literis à Dionysio præceptore imbutus est. Deinde Socratem audiuit, vigesimum ætatis annum agens, post Socratis mortem Cratylo Heracliti discipulo & Hermogeni Parmenidis philosophiam tuenti, sese accommodauit. Cum esset annorum duo de-triginta Megaram se ad Euclidem cum aliis Socraticis contulit. Hinc Cyrenem profectus Theodorum Mathematicum audiuit. Atque inde in Italiam ad Pythagoreos Philolaum & Architam Tarentinum Eurytumque concessit. Ab his in Ægyptum ad Prophetas & sacerdotes se recepit. Decreuerat ad Indos Magosque progredi, verùm propter Asiæ bella à proposito destitit. Regressus demum Athenas in Academia vitam duxit, quem insalubrem Attice locum dicitur elegisse, quod etiam Diuus Basilius & Hieronymus comprobant, vt nimis bonus corporis habitus ceu vitis nimia luxuries amputaretur.

Erat enim & speciosissimo & robustissimo corporis habitu. Vnde & à latis humeris, ampla fronte & egregio totius corporis habitu, orationis quoque vbertate, Plato est nuncupatus, cum ante nominatus fuisset Aristocles, nihil in eo deforme, nisi forte vox aliquantum gracilis, & nescio quid sub vertice gibbosum, eum aliquantum deformabat, ob Academiæ habitationem passus est quartanam febrem menses decem atque octo, sed sobrietate & diligentia sua vires post febrem validiores quam ante recuperauit.

Militia & nauigatio Platonis trina,
Prima nauigatio.

Militauit ter, primo in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio in Delum, vbi etiam victoria potitus est. In Siciliam ter nauigauit, primo vt insulam & æthnea miracula crateresque videret. Agebat tunc quadragesimum ętatis annum, quo etiam tempore Dionysius Hermocratis filius vt secum loqueretur impulit. Vbi cum ille de tyrannide dissereret dicens, Non id præstare, quod sibi soli esset vtile, nisi virtute etiam excelleret, offensum tyrannum atque iratum dixisse aiunt, Verba tua otiosorum senum sunt. At ille, Et tua, inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatum tyrannum primo quidem illum necare voluisse, deinde verò à Dione & Aristomene obsecratum id minime effecisse. Verùm Polidi Lacedæmonio, qui per id tempus legatus ad se venerat, eum tradidisse, vt venundaretur. Eum ille in Æginam adductum vendidit. Quo tempore & Chamander, tanquam mortis reum accusauit. Sane iuxta promulgatam apud eos legem capitale erat, si quis Atheniensium eam insulam adiisset. Cæterum cum à quodam fuisset allegatum, disciplinæ gratia eo Philosophum ascendisse, legemque illam de hominibus non de Philosophis, (qui super homines sunt) loqui, absolutum eum dimisere. Neque occidendum, sed vendendum decreuerunt. Aderat forte Anniceris Cirenaicus, qui eum xx. minis redemit, remisitque Athenas ad amicos. Polidem verò à Cabria superatum & post modum in Elice fuisse submersum, fama est, dæmonio sibi nunciante, talia illum Philosophi gratia perpeti. Non tamen quieuit Dionysius, verùm cum cognouisset & quæ illi contigerant, scripsit Platoni, orans ne in se maledicta intorqueret. Ad quem ille rescripsit, non tantum sibi à philosophia superesse ocij, vt Dionysij meminisset. Obtrectatoribus quibusdam Platonem à Dionysio derelictum obiectantibus respondit, imò verò à Platone Dionysius est relictus.

Secunda Nauigatio.

Secundo, profectus est ad Dionysium iuniorem ab eo & Dione philosophādi gratia accersitus. Hac quoque spe ductus, se suis consiliis effecturum vt illic ex tyrannide aut Resp. fieret aut regnum, visurumque quod iamdiu vehementer optabat gubernationem scilicet quandam maximè philosophicam, in qua vel gubernent Philosophi vel gubernatores philosophentur. Putabat enim ciuitates non aliter posse miseriam euitare. Id omne non vi aut dolo, sed philosophicis rationibus persuaso Dionysio, fieri cupiebat. Sed quarto ferè mense post Platonis accessum Dionysius falsis impulsus calumniis, Dionem, quasi tyrannidi insidiantem expulit, Platonem verò libenter amplectebatur. At Plato in patriam rediit. Tertio accessit Dionem Dionysio reconciliaturus, & ab vtroque iterum obsecratus. Rogatus etiam ab Archita. Tunc & Dionysius victatam illi triremem obuiam misit, & Archidamum Pythagoricum oratorem nobilesque permultos, & ipse quadrigis albis egredientem excepit. Postulauit Plato promis-

sam Dionis restitutionem, atque insuper terram ac homines qui iuxta constitutam ab eo Repúblicā viuerent, idque ille quāquam pollicitus, implere detrectauit.

Cum verò Plato palàm Dionysium redargueret, quod fefellisset fidem, tùm sibi de Dione restituendo, tùm Theodoti suo de Heraclide seruando, infensum deinde habuit Dionysium; vnde in summo viuebat periculo ne à militibus interficeretur. Sed Architas Tarentinus Salmuscum misit ad Dionysium Oratorem vnà cum naui, rogans vt Platonem dimitteret. Ille eum dimisit ac præbuit commeatum. Plato in patriam rediit. Dionysius paulo pòst à Dione ciuibusque pulsus tyrannide, criminis in Philosophiam commissi pœnas dedit. Plato miro quodam honore exceptus est in patria, ibique ad rempublicā accersitus accedere noluit, quia plebs malis se moribus assuefecerat.

Quibus Plato leges dederit.

FErtur Arcades & Thebanos condita ciuitate honestæ magnitudinis, rogasse illum vt eam Rempublicā institueret, verùm cum ille eos intellexisset æqualitatem sectari nolle, profectum non esse. Syracusanis verò expulso tyranno leges dedit, & Cretensibus Magnesia nuper condita ciuitate scripsit leges XII. in libris digestas. Misit ex familiaribus suis Aristonymum ad Arcades legibus instituendos. Ad Ilios Phormionem. Ad Pyrreos Medimum.

Continentia, grauitas, comitas Platonis.

VIxit autem cœlebs & sobrius admodum & (vt Aurelius Augustinus prohibet) castus. Vnde & in senio sacra Naturæ fecisse dicitur, vt se apud vulgus crimine sterilitatis absolueret. Iuuenis adeò verecundus, adeò compositus fuit, vt nunquam ridere, nisi modicè deprehensus sit. Iratum verò vidit nemo. Vnde apud Platonem educatus puer cum ad parentes reuersus, vociferantem videret patrem, nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Semel tantum clam subiratus est puero grauiter delinquenti, sed Xenocrati, inquit, Cæde tu hūc puerum, ego enim quia iratus sum nequeo. Edebat quolibet die aut semel tantum, aut si bis, parcissime. Dormiebat solus. Contrariam vitam multum vituperabat.

Ad amandos adolescentes quemadmodum & Socrates suus videbatur paulo pronior. Verum vterque tàm ratione continens quam sensu procliuis. Quam diuinè isti amauerint, & quo pacto, quæ de amore locuti sunt, exponunt, & nos satis in libro de Amore tractauimus. Optabat memoriam sui vel in libris vel in amicis relinquere. Et si melancholicus erat profundissimique ingenij, vt scribit Aristoteles, iocis tamen plurimis vtebatur, atque Xenocratē & Dionem seueriores sæpissimè admonebat, vt Gratiis sacra facerent, quo iucundiores gratioresque redderentur. Platonis autem grauitati comitas erat admixta.

Discipuli Platonis præcipui.

DIscipuli eius fuere, Speusippus Atheniensis, Xenocrates Chalcedonius, Aristoteles Stagirites, Philippus Opuntius, Esticus Perintius, Dion Syracusanus, Anicles, Heraclitus, Erascus & Doriscus Sceptij, Timolaus Cizicenus, Hebeon, Lampsacenus, Pithori, & Heraclides, Enij, Hippotales & Calippus Athenienses, Demetrius, Amphipolites, Heraclides Ponticus & complures alij, & cum his mulieres duæ, Laschenia Mātinea & Axithea Phyasia, quæ virili vtebantur veste, Theophrastum item illius fuisse auditorem ferunt, & Hiperidem oratorem, Cameleon & Lycurgum, Demosthenem quoque ipsius fuisse studiosum, & Menesistratum. Vestibulo Academiæ inscriptum erat: Nemo huc geometriæ expers ingrediatur. Quod quidem non solum de linearum, sed etiam de affectuum debita mensura volebat intelligi.

Libri Platonis.

LIbrum de sanctitate scripsit, Euthyphronem, Apologiam Socratis, Critonem, de eo quod cum Socrate in carcere tractauit, Criton, Phædonem de animi immortalitate, Cratilum de recta nominum ratione, Theætetum de scientia, Sophisten de eo quod est, Ciuilem de regno, Parmenidem de vno rerum omnium principio, & ideis, Philebum de summo bono, Conuiuium de amore, Phædrum de pulchro, Alcibiadem primum de natura hominis, Alcibiadem secundum de voto, Hypparchum de lucri cupiditate, Amatores de Philosophia, Theagem de sapientia, Charmidem de temperantia. Lachem de fortitudine, Lysidem de amicitia, Eutidemum contentiosum, Prothagoram de moralibus, Gorgiam de rhetorica, Menonem de virtute, Hyppiam maiorem de pul-

chro, Hyppiam minorem de mendacio, Menexenum de Attitica antiqutiate, de Republica. libros x. Timæum de mundi natura, Critiam de Attica antiquitate, Minoëm de Lege, de legibus libros XII. Epinomim siue philosophum Epistolas XIII. Hos omnes Platonis libros ipsi è Græca lingua transtulimus in Latinam. Tres verò sunt Platonicorum species dialogorum. Aut enim sophistas confutat, aut adolescentes adhortatur, aut docet adultos. Quæ in Epistolis vel in libris de legibus & Epinomide Plato ipse suo dixit ore certissima vult haberi, quæ verò in cæteris libris Socratis, Timæi, Parmenidis, Zenonis ore disputat, verisimilia.

Eloquentia, sapientia, authoritas Platonis.

STylus Platonis, (vt ait Aristoteles,) medicus inter solutam orationem & carmen fluit, suauitas & copia tanta, vt Cicero Platonem & intelligendi & dicendi grauissimum authorem & magistrum fuisse dixerit, adiecit, si Iupiter humana lingua loqui voluisset, non alia quam Platonis lingua fuisse locuturum. Doctrina verò tanta in eo, vt cum ante illum omnes inter Græcos illustres externas Gentes sapientiæ gratia peregrinati fuissent, post Platonis tempora cæteræ nationes Athenas confluxerint. Et Aristoteles tàm miro ingenio præditus, ac nouæ hæresis auidissimus, cum Platonem iam penè adultus adisset, viginti eum continuos annos audiuerit.

Adde quod priusquam adiret Platonem iam literis prouectus erat. Deinde Platonem solum habuit præceptorem. Mitto quod à Cicerone scribitur, malo cum Platone errare quam cum cæteris recte sentire. Præterea quod vnà cum Panetio illum appellat Deum Philosophorum. Mitto illud Quintiliani. Quis dubitet Platonem esse præcipuum vel acumine disserendi vel eloquendi facundia diuina quadam & Homerica, multum enim illius oratio suprà prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit, vt mihi non humano ingenio sed Delphico quodam oraculo videatur instinctus. Diuina sapientia & probitate mirabilem authoritatem, etiam in patria, quod rarissime fieri solet, sibi comparauisse videtur. Reuersus ex Sicilia Plato cum ad magnificentissimam illam Olympiorum celebritatem quasi quemdam orbis terrarum conuentum peruenisset, tàm lætis cunctorum occursibus exceptus est, vt è cœlo Deus ad mortales demissus videretur. Ludos deseri, Athletarum spectacula relinqui, pugiles solos omitti cernentes, & quod admirabilius est qui tàm longis terrarum marisque tractibus pascendorum oculorum auriumque & animorum gratia Olympia venerant, omnis voluptatis obliti Platonem adibant, Platonem intuebantur. In Platone perinde atque amœnissimo diuersorio conquiescebant. Cum tragœdiam, quis referret, nec quisquam præter Platonem adesset, obiectantibus quibusdam dedecori esse illi quod nemo præter vnum adesset, respondit ille, & hic vnus plus est quam totus Atheniensis populus.

Charitas, magnanimitas, sanctimonia Platonis.

QVam magno & constanti animo, præsertim in amicorum causa fuerit, indicant eius Epistolæ & contemptus tyranni, Dionisque defensio. Tyrannum sæpè quod iniustè gubernaret, quod ve amicos falleret etiam præsentibus testibus audacter redarguebat, tantum aberat vt illi assentaretur. Mitto minutiora illa, quale est, quod iusserat Dionysius in conuiuio, vt singuli purpuram induti saltarent. Saltauit protinus Aristippus, Plato verò renuit, dicens, non conuenire Philosopho muliebria. Præterea Chabriæ fortissimo duci Crobylus accusato improbus diem dixerat, & capitis iudicium intentauerat, quocirca cum à reliquis destitutus ciuibus metu periculi in arcem ascenderet, solus Plato auxilium præstanturus semper illi affuit. Cum verò calumniator Crobylus, vt eum à patrocinio deterreret, minitans dixisset, aliis defensionem præstaturus aduentas, ignorans, quod te quoque Socratis venenum expectat, ipse respondit. Olim Crobyle cum patriæ dignitati militabam intollerandis periculis haud segnis eram, nunc pro officio & amici salute licet ferrum ac venena mineris & ignem, nullum recuso discrimen: Cum Socrates carcere iniustissimè inclusus esset, Plato pecunias congregauit, vt redimeret innocentem, & dum iudicium agebatur ascendens in suggestum sic cœpit orare. Cum minor natu sim Athenienses his omnibus qui tribunal ascenderunt. Verùm tyranni indices veriti ne authoritate & eloquentia sua ciues moueret, interpellauerunt repente, reclamaueruntque descende, Plato domū abiit. Nam quantum illi in malæ mentis morbo, tantum hic tunc morbo corporis

laborabat. Socratis verò persecutores pœnas paulo post dederunt. Cum ex condiscipulis quidam instigaretur inuidia, Xenocratem adeò Platoni gratum acceptumque esse, vt in eum conflaret inimicitias, multa in Platonem Xenocratis maledicta renunciauit. Plato medio sermone criminationem respuens obaudit. Instat obtrectator vultus seueritate crimen affirmans, denique Deos omnes ac Deas obtestanti, Plato vt ab eius sese pertinacia solueret, Esto, inquit, sed ea Xenocrates fide ac grauitate pollet, vt nisi sic expedire iudicasset, dicturus ea nunquam fuisset. Grauitatem magnanimitatemque Platonis imitatum fuisse Xenocratem dilectum eius discipulum, testis est vita Xenocratis apud Diogenem, quæ quidem est fortitudinis & sanctitatis exemplar. Imitatum quoque fuisse Dionem Plutarchus est testis. Prætrea Philiscus Lycurgi oratoris vitam describens, magnus vir, inquit, fuit Lucurgus multaque sunt ab eo gesta præclarè, quæ facere nemo potuisset qui non fuisset Platonis auditor. Demosthenes cum Antipatrum fugeret Archiæ blandis verbis se ei vitam seruaturum pollicenti, Absit, inquit, vt viuere turpiter malim quam honestè mori, postquam Xenocratem & Platonem de immortalitate animi disserentes audiui. Idem scribens ad Heracleodorum quendam condiscipulum suum, atque eum reprehendens, quod postquam Platonem audiuerat, negligeret bonas artes, & vitam parum honeste duceret: Nonne, inquit, erubescis ea negligere quæ à Platone accepisti? Dionysius ad Speusippum scribens ait, Plato quidem gratis sua limina terentes docebat, tu verò tributa exigis, & à volentibus ac nolentibus accipis. Laërtius quoque carpit eundem quod nō sicut Xenocrates Platonis castitatē & fortitudinem mansuetudinemque fuerit imitatus. Illud verò de fortitudine Xenocratis tacere non possum, quod cum Platoni Dionysius diceret, Caput tibi quispiā tollet. Xenocrates qui aderat inquit, Nemo istud priusquam meum hoc abscindet.

Sententiæ & Prouerbia Platonis.

De Aristotele & Xenocrate hæc Plato dicebat.

HVi! qualem equum, qualem asinum iungendos assumpsi. Aristoteles quidem freno indiget, Xenocrates verò calcaribus. Erat inter discipulos eius lautus nimium & curandæ cutis studiosissimus adolescens, quem Plato rogauit; Quousque tibi carcerem ædificare perges? Quoties hominem irretitum videret, ille, aiebat, proprio in corpore mortuus est, viuit in alieno. Addebat, qui seipse alterius gratia deseruerit, omnium esse miserrimum, quippe qui neque se possideat vlterius, neque alterum. Platonis quidam familiaris vir doctus eum orabat, vt sibi aures paulisper accōmodaret, libellum à se editum lecturo. Rogatus subinde à Platone, quæ libri esset inscriptio, respondit, Contradicendum non esse, cui Plato, Cur igitur ipse hoc factitas? Cur contradicentibus contradicis? Cur me consulis, si tibi prohibes contradici? Leo ciuis potens in cœtu carpebatur quod magnas & immodestas in senatu vociferationes habuerat. Plato, Hoc ipsum, inquit, est verè Leonem esse. Diogeni Cynico dicenti, quod humana quidem ista videret, ideas verò nequaquam. Quid mirum, inquit, oculos enim quibus ista videntur habes, & vteris, mente verò non vteris, qua sola illa cernuntur. Mirantibus discipulis quod Xenocrates in omni vita seuerus, nescio quid risu excipiendum dixisset, Quid, inquit, miramini inter spinas aliquando rosas & lilia nasci. Ad viuentes crebro dicere solebat, Ocio labores anteponite, nisi forte rubiginem splendori præstare putatis. Iuuentutem ad beatam vitam hac ratione sępissime incendebat. Contrariam virtutis ac voluptatis naturam animaduertite, huius enim momentaneam dulcedinem, subita pœnitentia sequitur dolorque perpetuus, illius breues labores æterna voluptas. Cum vidisset quendam alea ludentem arguit; & cum ille; Quam parua reprehendis, diceret, Plato respondit, At non est paruum consuetudo. Ebriis & iratis consulere solitus erat, sese vt in speculo studiose intuerentur, ab eiusmodi statim fœditate discessuros. Ebrietatem & somnum valde detestabatur. Aiebat plurimum referre ad pueritiam educandam, vt honestis solum gaudere pueri assuescerent, alioquin voluptatem dicebat escam esse malorum. Addebat, sanitatem animi veram esse Philosophiam. Cæteras verò facultates non tàm Philosophiam quam ornamenta videri. Nihil sanæ menti suauius esse quam vera dicere & audire, veritate enim nihil vel melius vel durabilius. Interrogantibus quibusdam, quænam possessionum genera filiis essent potissimum comparanda? ea dixit quæ non grandinem, non hominum vim, non ipsum denique Iouem extimescerent. Demonico

de filij eruditione consultanti, qualis inquit, in arbusculis plantandis dirigendisque talis & in filiis gignendis & instituendis cura esse debet. Hic labor, illic voluptas, cauendum autem ne in hoc sopiti, in illo plusquam vigiles videamur. Philedono cuipiam Platonem carpenti, quod non minus in discendo quam in docendo studiosus ac sedulus esset, & quoad discipulus esse vellet interroganti, quoad, inquit, meliorem ac peritiorem esse me non pœnitebit. Interrogatus quidnam inter peritum imperitumque interesset, quod inter medicum ægrotumque respondit. Principibus nullum præstantius prædiorum genus esse dicebat, quam eorum familiaritates hominum qui cauponari nescirent. Principi non aliter necessariam esse sapientiam, quam corpori animam. Beatissimas fore Respublicas, si aut Philosophi dominentur, aut saltem qui gubernant diuina quadam sorte philosophentur. Nihil enim pestilentius esse potestate, & audacia, quám ignorantia comitetur. Tales quoque subditos esse solere, quales principes videantur. Magistratui non proprium bonum, sed publicum cogitandum, non partem solum ciuitatis quandam, sed totam esse curandam.

Quantum Plato neglexit humana, quantum diuina dilexit.

REpetebat quotidie sola æterna esse vera, temporalia verò verisimilia. Dormire in corpore animum, & quæ sensus appetit aut timet, nihil aliud esse quam somnia. Itaque hæc omnia penitus contemnenda, & vt mala vitentur quibus plenus est mundus, ad æterna confugiendum, aliter enim deuitari non posse. Ipse quoque quæ præcipiebat impleuit. Nam dum & hæreditario quodam iure & ciuiū fauore princeps in rempublicam esset futurus, omnem prorsus ciuilem respuit dignitatem. Cum patrimonio ditissimus esset, fratribus largitus est omnia, præter suburbanum prædiolum, quam academiam nominabant. Hoc solo contentus vixit, & si præceptor amicusque principum extitit, diuitias tamen ab his nullas accepit. Solebat rex Dionysius dicere: Aristippus semper pecunias petit, Plato semper libros. Adde quod neque vxorem duxit, neque vixit in vrbe, ab omnibus liber, soli seruiens veritati.

Vnde diuus Hieronymus inquit, Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum eamque oram Italiæ quæ quondam magna Græcia vocabatur, laboriosissimè peragrauit. Vt qui Athenis magister erat & potens, cuiusque doctrinam academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quam sua impudenter ingerere. Denique cum literas quasi toto orbe fugientes persequitur, captus à Pyratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captiuus, vinctus & seruus, tamen quia Philosophus maior emente se fuit. Hæc Hieronymus.

Pietas & gratitudo Platonis.

GRatus Deo fuit, à quo principium cogitandi, dicendi, agendi omnibus in rebus & faciendum dicebat esse, & ipse semper efficiebat. Præterea Deo gratias agebat quotidie, quod homo natus esset non brutum, quod Græcus non Barbarus, quod temporibus Socratis. Quam gratus præceptoribus fuerit omibusque amicis testimonio sunt eius dialogi, in quibus mirificè eos omnes honorat, atque Socrati libros suos attribuit. Non solum enim illum in omnibus penè dialogis disputantem inducit, sed etiam omnia à se composita, scribit non sua, sed Socratis esse.

Quæ Plato affirmauit, & qui eum confirmauerunt.

IN his quæ sensibus subiacent, partes Heracliti tuebatur. Porrò in his quæ ad intelligentiam pertinent Pythagoræ maximè acquiescebat. In rebus autem ciuilibus Socratem suum amplectebatur. Quæ vbique asseuerabat hæc sunt. Deum omnibus prouidere. Animas hominum immortales esse. Bonorum præmia, malorum supplicia fore. Augustinus in libro contra academicos inquit: Christi authoritatem omnibus anteponendam, si autem rationibus agendum sit, apud Platonicos reperire se dicit, quod sacris Christianorum literis non repugnet. Idem Dionysius Areopagita significauit. Eusebius postea & Cyrillus latius declarauerunt. Hinc Augustinus in libro de vera religione, Platonici, inquit, paucis mutatis Christiani fierent. Atque in confessionibus narrat se proœmium Ioannis Euangelistæ fermè totum apud Platonicos reperisse. Propterea in secundo de ciuitate Dei inquit: Labeo Theologus apud Gentiles Platonem, inter semideos connumerandum putauit, sicut Herculem atque Romulum. Semideos autem heroibus anteponit.

Sed vtroſque inter numina collocat. Verumtamen iſtum quem appellat ſemideum non heroibus tantùm, verumetiam diis ipſis præferendum eſſe non dubito. Vnde inquit, ſe Platonicos ante alios elegiſſe, quia de rebus diuinis atque humanis rectius admodum quàm cæteri Philoſophi ſenſerint. Quod & Marcus Varro antea iudicauerat, & Apuleius Platonem, non tantùm heroibus ſuperiorem fecit, ſed diis æqualem, quia videlicet, diuinarum rerum abdita penetrauerit. Plato tanta fuit modeſtia præditus, vt cùm mirabilem ſibi authoritatem ante alios comparauiſſet, tamen interrogatus à quodam, quatenus præceptis ſuis parendum foret, reſponderit, quoad in terris appareat ſacratior aliquis, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique ſequantur omnes. Addidit, nihil ſuo ſed diuino tantùm lumine reperiſſe. Quid autem in Philoſophia ſenſerit, ſatis in libro de Amore & Theologia noſtra tractauimus.

Reditus Platonis in patriam cæleſtem, & laudes.

NAtali ſuo deceſſit, & annum vnum atque octuaginta impleuit, ſine vlla deductione. Ideo Magi qui tunc Athenis erant, Platoni immolauerunt, amplioris fuiſſe ſortis quàm humanæ rati, quia conſumauiſſet numerũ perfectiſſimum, quem nouem nouies multiplicata conficiunt. Atque, quod mirum eſt, adhuc in ea ætate, & eo ipſo die ſcribebat. De quo Cicero inquit: Eſt etiam quietæ & puræ atque eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus, qualem accepimus Platonis, qui vno & octuageſimo ætatis anno ſcribens mortuus eſt. Seneca etiam affirmat, id Platoni ſobrietatis & diligentiæ beneficio cõtigiſſe. Alij inter ſcribendum, alij diſcumbentem in nuptiis remotis dapibus, inter diſſerendum ad ſuperos rediſſe. Ariſtoteles in templo aram Platoni ſtatuamque ſacrauit, hoc Epigrammate, Aram Ariſtoteles hanc Platoni dicauit viro, quem nefas eſt à malis laudari. Addidit Ariſtoteles: Qui ſolus vita, doctrina, moribus, ore admonuit cunctos, & monumenta dedit.

Vt virtute queant fœlicem ducere vitam,
Nulla ferent talem ſecla futura virum.

Adiunxerunt & ſapientes alij in Platonis laudes carmina plurima, ſed præcipua Epigrammata tria. Primi hæc eſt ſententia: Temperantia, iuſtitiaque excelluit omnibus, tantùm verò ſapientia ſuperauit, vt omnem prorſus inuidiam ſuperauerit. Secundi hic eſt ſenſus: Plato in deorum numerum eſt tranſlatus. Longinquæ hunc nationes honorant. Quia diuinam vitam ipſe nouit aliiſque monſtrauit. Tertij ſententia huiuſmodi eſt, Phœbus Æſculapium genuit & Platonem, vt ille corporibus, hic animis mederetur. Præterea Mithridates Perſarum rex, Platonis ſtatuam in Academia locauit ita inſcriptam: Mithridates Rodobati filius Perſes, Muſis Imaginem Platonis dicauit, Sillaniani opus. Ex his omnibus id Plato eſt conſecutus, vt Græci Ariſtotelem quidem dęmonium, Platonem verò diuinum cognominauerint. Quia videlicet ille & vita humanus & ſcientia naturalis maximè fuerit, hic autem ſcientia ſimul, & vita ſeſe potiſſimum ad diuina contulerit.

Apologia de moribus Platonis.

FInem iam verbis imponam, ſi pauca quædam rurſus addidero. Sunt plebeij quidam verſificatores, qui immerito Poëtarum ſibi nomen vſurpant, hi tam morum diſſimilitudine quàm malignitate inuidiæ prouocati in optimum quemque impudentiſſime ludunt. Quibus ſumma quædam licentia in bonos potius quàm in malos, præſertim noſtra hæc ætate, conceditur. Sed nolim noſtrorum temporum meminiſſe, quæ tantum ad virtutem conſequendam ſunt inepta, quantum apta videntur ad inſequendam. Tales igitur olim Poëticuli diuum Platonem à Græcis Apollinis filium & Socratem ab Apolline Græcorum ſapientiſſimum iudicatum, mordere non dubitarunt. Quorum impietatem Laërtius Diogenes ſummopere deteſtatur. Atque vt ipſe declarat, ridicula etiam Comicorum conuitia Ariſtippus auxit Cirenenſis, homo peſſimus & optimi cuiuſque ſuorum temporum aduerſarius. Qui ſicut alios pleroſque modeſtiſſimos doctiſſimoſque ficta quadam hiſtoria vituperauit, ſic etiam Socratem præceptorem & condiſcipulos ſuos Xenephontem atque Platonem. Finxit horum nomine carmina quædam in ſcorta pueroſque laſciua. Videlicet vt falsò magnorum Philoſophorum exemplo liberiorem ipſe peccandi licentiam nanciſceretur. Verum Ariſtoteles, cui veritas magis quàm Plato fuit amica, tam falſas in virum ſanctum calumnias ſuſtinere non potuit, nam in elegiis ad Eudemum illa de Platone quæ in ſuperioribus diximus cecinit, id illi maximè tribuens, vt prophani non ſolum vituperare Platonem vllo pacto non debeant, verumetiam ſub prætextu laudis ſanctum illius nomen ore prophano nomi-

nare non audeant. Neque elegia contentus fuit, sed etiam, vt tradit Olympiodorus, præclaram orationem de Platonis laude composuit. Obmutescant igitur apud superos inferni canes atque apud inferos latratu Cerberum comitentur. Nos autem Platonis vitam & sapientiam iudicio sapientum approbatissimam veneremur, atque vnà cum Apuleio Medaurense libere proclamemus; Nos Platonica familia nihil nouimus, nisi festum, lætum, cœleste supernum.

Quantum Astronomi metiuntur, tantum Astrologi mentiuntur.

MARSILIVS FICINVS, Florentinus, Bernardo Bembo Iurisconsulto & equiti clarissimo, S. D.

SAlue mi Bernarde millies, parum dixi, Salue toties quoties spiras, Bernarde dulcissime. Plurima tibi scribo quotidie, transcribo pauca. Videor enim mihi cum Archetippum scripsi amori quodammodo satisfecisse, officio autem etiam si transcriberem, minime satisfacerem, vt autem te nunc de præsentibus studiis nostris faciam certiorem, compono librum de Prouidentia Dei atque humani arbitrij libertate, in quo illa Astrologorum iudicia, quæ prouidentiæ libertatique detrahunt, pro ingenij facultate redarguo. Nempe quàm diligenter cœlestia verè metiuntur Astronomi, tam multum circa humana inanes Astrologi mentiuntur. Vale. Verum Thomam illum egregium Bernardi quondam Venetorum oratoris Achaten, quem libenter meus amplectitur animus, linguaque resonat, cur mea tamdiu manus pigerrima prætermittis? Hunc ergo Bernarde quoties videris, toties Marsili nomine saluere iubeto. XIIII. Iunij. M. CCCC. LXXVII.

Tunc maximè commendas aliquem, cum ostendis illius esse cui commendas.

MARSILIVS FICINVS Marco Aurelio oratori clarissimo, S. D.

SI tua tibi commendare liceret, Nicolaum familiarem meum literis moribusque præditum, tibi plurimum commendarem. Quem quidem esse tuum testimonio nobis est tuum nomen, quod illius ore frequentissime sonat.

Quando diuino afflante spiritu amor accenditur, semper amante altero redamat alter, sæpe altero cogitante idem cogitat alter.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo iurisconsulto & equiti clarissimo, S. D.

ACcepi Bernarde hodie à Marco Aurelio nostro Epistolam quandam forma quidem ipsa Mercurialem omnino patrique persimilem, sed Saturno, vt arbitror, Orientem natam. Nempe grauioribus incedens passibus cum ab æquo te Veneto sextodecimo Maij die discesserit, tandem decimonono Iunij littoribus nostris applicuit. Ego hanc summo complexus gaudio gratulabundus inquam: Venisti tandem, tuaque infortunatum vicit iter pietas. Hæc & si quasi sub Saturno nata motu quodammodo tardior extitit, tamen tanquam concepta Mercurio fuisse videtur opere velocissima. Quod enim à nobis hodie postulat, ipsa iamdiu dum nasceretur impleuit. Sane eiusdem Maij diebus quibus aureus ad me Aurelius scripsit, ego occulto quodam ac penè diuino siue Epistolæ siue Musæ suæ instinctu percitus, opusculum quoddam Aurelio dedicaui, quod nisi ipsum quoque incessu Saturnium fuerit iam ad vos arbitror peruenisse. Mirabile Bernarde parumper geniorum nostrorum virtutem animaduerte. Dum Marcus ille gratis se mihi dabat, ego iure vicissim totum illi me dabam, & amplectentem me mirificè complectebar. Atque ita cœlesti quodam conflante spiritu, in vnum penè inscij pariter conspirauimus. Arbitror equidem aut Mercurium ipsum in Tauro aut Phœbum in Geminis constitutum, tam similiter geminas Aurelij Marsiliique lyras temperauisse, vt sonante altera vicissim altera resonet. Atque ab vtraque dulce illud Bembi reboët nomen, nomen Gratiis Musicum, Musisque gratissimum. Vale fœliciter. At video Bernardum meum, noui enim hominis ingenium, absque deliciis suis neque posse neque velle vnquam bene valere. Christophorus Landinus Mineruæ Musarumque decus, & Ioannes Caualcantes conphilosophus noster bene valent. Igitur bene vale. XIX. Iunij. M. CCCC. LXXVII.

(∴) (∴) (∴)

Quando diuino afflante spiritu, amor accenditur, semper amante altero, redamat alter, sæpè altero cogitante, idem cogit alter.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Marco Aurelio,
Oratori clarissimo,
S. D.

REddita heri nobis est elegans admodum Epistola tua, Marce doctissime, Epistola melle mihi dulcior ac pretiosior auro. Verùm quid ago? Non licet mihi nunc in laude hac vlterius progredi, ne vanior fortè videar, si eam Epistolam, quæ laudat me plus satis, ipse satis laudare tentauero. Ergo aliunde rursus, si placet, exordiamur. Quando cœlesti quodam afflante spiritu, mentibus nostris amor accenditur, semper amante altero alter redamat, sæpè altero cogitante, alter idem similiter cogitat. Nam & cœlestis author cùm tanquam communis cunctorum causa complectatur vtrumque, mutuum amantium creat affectum, & affectus amantis, qui per hominem è cœlo dependens, tum in plana humanitatis faciē, tum in cœli concaua resilit vicissim procreat Echo. Salue igitur amice cœlestis, salue semper in authore nostræ beneuolentiæ Deo, neque terrarum spacia Marce, neque vlla temporis interualla nostrum hunc cœlestem, perpetuumque amorem, vel orientem interrumpere, vel ortum demorari potuisse videntur, quominus amante altero, mox diuina quadam sorte amauerit alter, cogitante quoque atque scribente altero, alter eodem penè momento idem & cogitarit, & scripserit. Animaduertisse te arbitror, Aureli, si modo meum illud ad te nuper missum Opusculum accepisti, eo ipso tempore quo ad me scribebas, me quoque vicissim ad te scripsisse. Præterea idem penitus vtrumque, & significasse, tunc & postulauisse. Mihi quidem nihil in rebus humanis fœlicius est, quàm illi affectu quodam euasisse me parem, quo nullum esse audio virtute superiorem. Nihil pretiosius quàm talem tantumque possessorem meum fœliciter possidere. Habeo igitur tota quod mente petebam. Sed hoc vnum quodammodo doleo, nequaquam id totum esse, quod ipse petebas. Mi Aureli, si non potes quod velis habere, id saltem velis habere quod possis. Accipe Marsilium tuum Marce totum quantuluscunque sit. Ne respicias vlterius oro, simulacrum illud, quod ab initio finxeras, membrum enim quoddam simulachri illius est Ficinus. Respice potius, amice, quod possides quàm quod fingis. Sic vtique non alicuius partem, sed totum aliquid possidere te prorsus agnosces. Præstat autem Pigmæo aliquo toto frui, quàm vasti membro Gygantis.

Nihil infirmius quàm humanus amor, nihil firmius quàm diuinus.

MARSILIVS FICINVS
Bernardo Bembo Iuriscon-
sulto, & Equiti claris-
mo, S. D.

SCribis ad nos Epistolam Oratoriam, Poëticam, Amatoriam, sed nescio quid excusas frustra, quod omnino nullus accusat. caue ne vbi perfectus est amor vel minimum quid offensiunculæ putes vnquam posse contingere. Hoc vno solum charitatem forte potes offendere, si eam quandoque posse putas offendi. Humanus quidem res est solliciti plena timoris amor, Diuina verò charitas, siue Paulum audiamus, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, neque excidit vnquam: siue Ioannem Euāgelistam, Timor in charitate non habitat, sed perfecta charitas timorem omnem procul expellit. Hinc Aurelius Augustinus noster exclamat: Solus nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt qui non amittitur. Sed nescio quomodo homeliam, vt aiunt, quandam modo hic incœptaueram. Atque charitatis officia ei viro tradebam, quem Florentinus populus admiratur, quasi quoddam & charitatis simulachrum & humanitatis exemplar.

Frustra nimium in rebus his quæ sibimet nequaquam sufficiunt, nostram sufficientiam affectamus.

MARSILIVS FICINVS
hominum generi, S. D.

SVfficientiam vbique eo quæris proposito, vt postquam hanc vnam repereris, nihil vltra perquiras. Requiras autem quàm plurima semper ob hoc ipsum, quia nusquam hanc vnam assequeris. Vis ergo dicam quam ob causam nusquam sufficientiam assequaris? Forsitan quia hanc extra te quæritas. Si ergo mortales opes immortali animo sufficere nequeunt, da operam vt illis saltem animus ipse sufficiat. Aduerte quid dicam, non dico vt ipse sibimet satisfaciat animus, quo enim pacto

qui ab alio & efficitur & perficitur, sibi ipse satisfacere potest? Frustra nimium, heu miseri! in rebus his quæ sibimet nequaquam sufficiunt, nostram sufficientiam affectamus. Profectò solùm quod sibi satis est, omnino omnibus satisfacit. Nihil autem sibi potest satis esse, præter immẽsum bonũ quod ex seipso est, & ad seipsum. Hic ergo solùm, hic, inquã, quod satis nobis facturum sit quæramus. Neque pigeat, nemo frustra bonum sequitur vnquam, qui bene sequitur. Nam & bonum ipsum, quia immensum est, vbique viget atque exuberat vndiq;, & affectus noster bene sequendi, est aliquid proculdubio bonum. Solus autem bene vult, sequiturque bonum, qui summæ bonitatis ipsius gratia, per quam singula bona sunt atque seruantur, passim bona singula sequitur.

Transitus repentinus à minimo lumine ad maximum, atque à maxime ad minimum, aciem impedit.

MARSILIVS FICINVS Richardo Angelerio, Anglariensi insigni Theologo, S. D.

CIuiles viri sæpè Philosophos increpãt, quod ad humanarũ rerum gubernationem inepti, vt plurimùm, videantur. Philosophi verò contra ciuiles viros, quòd ad diuinorum contemplationem ineptissimi sint, sæpius improbant. Quid igitur ad hæc ipsi dicemus? Non nostrum inter hos, tantas componere lites. Sed Plato noster huc aduocandus est arbiter, quem ad humana, simulatque diuina, Deus ipse composuit. Hic igitur arbitratur, tam Ciuiles quam Philosophos ad vtrumque officium exequendum fuisse ab initio institutos. Si modo ab altero extremorum ad alterum haud subito transeant, sed debitis gradibus gradiantur. Præstat Græca ipsa Platonis verba ex libro de Repub. 7. hic ad verbum traducere. Post hæc naturam nostram, quoad eruditionem & ruditatem tali quadam imagine contempleris. Finge animo quandam sub terra speluncam, cuius ingressus versus lumen quoddam incipiens per totam speluncam peruius vndique pateat. In ea homines nutritos à pueritia, ceruicem & crura ita deuinctos, vt & immobiles permanere cogantur, & ad anteriora solùm prospicere, capita verò vinculis adstricta circunducere nequeant. Post tergum autem supernè procul ignis lumen suspensum sit. Interque ignem, & vinctos homines via superior pateat, secùs quam paries sit constructus exiguus. Sicut plerumque præstigiatoribus miracula fingentibus scenæ seu cortinæ aliquæ, super quibus sua miranda demõstrant, spectantium oculis opponuntur. Cogita rursus homines intra parietem ferentes vasa & opificia varia, supra parietem eminentia. Statuasque hominum, & aliorum animalium lapideas, & ligneas imagines, modisque variis fabricatas. Atque vt consentaneum est, qui hæc circũferunt partim sileant, partim loquantur. Similes isti nobis sunt; nam primũ quidem putas istos aliud quicquam, vel sui ipsorum, vel proximorum hominum videre præter vmbras quæ ex igne in aduersã speluncæ partem cadunt. Quid autem eorum quam circunferuntur, nonne vmbras duntaxat? Si ergo inuicem loqui liceret, nonne ista quæ coram viderent loqui opinantur. Quod si echo ex aduersa parte carceris resonaret, quoties prætereũtium aliquis loqueretur, putasne ipsos nisi transeuntium vmbras aliud putare quod loquitur? Omnino igitur tales nihil verum esse nisi fabricatarum rerũ vmbras arbitrarentur. Contra verò nunc animaduerte qualis foret eorum à vinculis solutio, ignorantiæque curatio. Nempè si quis eorum solueretur, cogereturque repente surgere, collum vertere, ambulare, lumen ipsum aspicere, doleret protinus, nec propter splendorem intueri posset illa, quorum vmbras ante cernebat. Tunc si quis illi dixerit, prius eum spectasse nugas, ad præsens autẽ rebus veris esse propinquiorem, veriusq; inspicere. Ac prætereuntiũ quemq; monstrans, quid sit quæsiuerit, nonne illum vacillaturũ putas, arbitraturumq; veriora esse quæ ante cernebat, quã quæ nunc ostenduntur? Etsi cogeret eum lumen aspicere, nõne dolore oculorum affectum iri putas? oculosque ad ea quæ facilè prius viderat retorturum, certiora ipsa existimantem, quàm quæ subitò offeruntur. Si verò aliquis eũdem per aspera atq; ardua sursum traheret violenter, neque permitteret quicquam aspicere antequam solis lumen traxerit, nonne ipsum ægrè laturũ, dũ raptetur existimas? Et cũ ad lumen euectus fuerit oculis splendore suffusis hęsitaturũ, nihilq; ex his conspecturũ quæ vera nunc ab hominibus existimãtur. Cõsuetudine igitur primũ opus est, si supera inspecturus sit, vmbrasq; primum facilius intuebitur. Post hæc in aquis hominum cæterorumque imagines, ipsa verò deinde, postea quæ in cœlo sunt, & ipsum cœlum nocte facilius contẽplabitur, dum astrorum & lunæ lumen spectabit, quàm si solem ipsum die solisque fulgorẽ intueatur.

Atque ita demum, solem ipsum suspiciet, neque iam in aquis, & aliena in regione simulachra ipsius spectabit, sed ipsum secundum seipsum in sede propria speculabitur, & qualis sit agnoscere poterit. Animaduerte tandem ipsum esse qui tempora & annos temperat, qui omnia regit quæ sub cœlo sunt, qui omnium quæ ante ab ipsis visa sunt modo quodam est author. Quid si habitationem pristinam memoria repetat, & illorum hominum sapientiam, atque vincula? An non censes eum beatum se loci mutatione existimaturum, illorum autem misertuturum? Præterea si qui honores ibi inuicem exhibebantur & laudes, dabanturque præmia illi qui transeuntia quælibet acute cerneret, recordareturque maximè quæ ex illis priora, quæ posteriora, quæ pariter progredi soleant, atque ex his futura optime præsagiret, hæcne desideraturum ipsum putas? beatosque illos qui apud eos honorantur & dominantur existimaturum? Vel, quod ait Homerus, sibi electurum euenire in alieno, scilicet rure conserui hominis mancipium effici & quodlibet aliud perpeti potius quàm opinionibus illis illudi & in ea miseria degere. Si rursus iste descendat, eandemque sedem quam antea nanciscatur, nonne cum repente à Sole discesserit tenebris offendetur? Ac si vmbras illas discernere oporteat, deque ipsis disceptare cum illis qui perpetuis vinculis pressi sunt, proferendaque sententia sit eo ipso tempore quo oculi ipsius hallucinantur antequam acies expurgetur, quod quidem non breui fiet, an non risum concitabit? Eique ab omnibus dedecori dabitur, quòd postquam sursum ascendit, corruptis reuersus est oculis, diceturque nunquam ad supera contendendum esse, & eum qui soluere tentet & sursum ducere, si deprehendatur, protinus occidendum. Tota hæc imago, ô amice, referenda est ad illa quæ supra dicta sunt. Carcer quidem iste ad ea quæ cernitur oculis mundi machinam, lumen verò ignis in specu ad Solis potentiam, postremo, si ascensum ad supera eorumque conspectum, ad eum qui ad intelligibilem regionem tendit, ascensum retuleris, vt ego quidem spero, non aberrabis. Postquam sententiam meam audire desideras. Deus autem nouit an vera sit. Quæ igitur mihi apparent huc tendunt. Nempe arbitror in ordine ipso intelligibili, boni ipsius ideam supremam existere, vixque videri. Si autem visa fuerit, asserendum, eam omnibus omnium rectorum atque bonorum causam esse. Cum ipsa in loco visibili lumen creauerit, & luminis authorem. In ipso verò intelligibili regnet ipsa, veritatemque & mentem protulerit. Quam nosse necesse sit omnem quicunque sana mente aliquid vel priuatum vel publice est acturus. Age & hoc considera, neque mireris, quod hi qui huc descendunt nolint humana tractare, sed ipsorum mentis acies semper ad supera dirigatur, probabile quippe idem, siquidem superiorem imaginem sequitur. Quid autem hoc? Mirandum putas, si quis à diuinis spectaculis ad humana hæc mala prolapsus, ineptior sit ad agendum rideaturque, præsertim si antequam præsentibus tenebris assuescat, dum adhuc titubat, cogatur in iudiciis vel alibi de iusti vmbris aut statuis illis quorum vmbræ hæ sunt, certare, deque iudiciis eorum qui iustitiam ipsam nunquam viderunt disserere. Verùm si mentem quis habuerit, recordabitur duobus modis & duabus ex causis oculos turbari solere. Tum quando ex lumine ad vmbram descendimus, tum quando ex tenebris prodimus in lucem, eodemque modo affici animum arbitrabitur, quoties turbatum viderit, & ad aliquid cernendum hebetiorem, ideoque haud temere in risum prorumpet, sed diligenter inquiret, vtrum à lucidiori vita descendens nouis tenebris obruatur? Vel ab insipientia plurima ad fulgidum spectaculum surgens, sub corusco nimium splendore deficiat. Et alterius quidem affectum probabit, vitamque eius beatam fore censebit, alterius miserebitur. At si forte ridere cœperit, haud tam inepte hunc ridebit quàm eum qui à lumine superno deciderit. Hæc Plato diuinus, his neque minui quicquam debet, neque addi potest. Ergo Vale.

Quod animus immortalis sit. Atque cur cum sit diuinus sæpè tamen vitam agit bestiæ similem.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Nesio literis & moribus ornatissimo, S. D.

NIsi diuinus nobis vigor inesset, ac cœlestis mentibus nostris origo, mortalium rerum defectum nullo pacto possemus agnoscere, nihilque prorsus supra rerum corporalium ordinem, aut excogitaremus vnquam aut appeteremus, nullus vnquam vel minima in re corpori repugnare contenderet. Quandoque terrenis opibus impleremur. Aut omnes aut certe quàm plurimi in hac mundi media regione, tanquam naturali origine patriaque, quiescerent. Nunc verò cum res nostræ

longe se aliter habeant, reor equidem, neque vana fides, genus nobis esse diuinum. Cæterum si diuini sumus, cur nam sæpè vitam agimus bestiæ similem? Quia naturalis regionis huius conditio sic instituit, vt longe prius sensu tanquam bruta, quàm ratione tanquam homines vteremur. Præterea multo plura atque manifestiora circa sensum quàm circa mentem, incitamenta se nobis obiiciunt. Postremo, vnicus in nobis est homo, bestiæ verò sunt multæ. Operæpretium est nostram illam imaginem intueri, quam Plato sic in nono libro de Republica pingit. Imaginem animæ talem aliquam figuremus, quales quondam memorãtur fuisse naturæ chimeræ ipsius, Scyllæ & Cerberi, & aliæ multæ, in quibus feruntur variæ in eodem formæ congenitæ. Finge itaque figuram vnam bestiæ variæ admodum & capita circum multa habentis, capita, inquam, partim bestiarum domesticarum, partim agrestium, quæ & permutare & producere ex se hæc omnia possit. Vnam præterea iis adiunge supernè leonis formam, huic vnam insuper hominis, & amplissimum quidem primum sit, angustius verò secundum atque tertium. Coniunge igitur hæc tria, vt ad vnum conficiendum inuicem cohærescant. Circumpone extrinsecus ipsis hominis vnius imaginem, vt illi qui nequeat interiora inspicere, sed exterius, dumtaxat cernat operimentum, vnum animal homo scilicet videatur. Dicamus itaque illi qui asserit prodesse homini huic iniustè agere, iustè verò viuere nequaquam prodesse, quòd nihil aliud asserit, nisi prodesse illi, vt bestiam illam multiplicem pascat & leonem, & fortiorem illam leonemque efficiat, hominem verò perire fame permittat atque eneruet, vsque adeò vt propter imbecillitatem trahatur quocunque cætera illa rapiunt. Neque alterum cum altero mansuefaciat inuicemve conciliet, imò sinat singula se inuicem morsibus lacerare, ac pugnantia se mutuo deuorare. Ergo si quis dicat officia iusta prodesse, hæc agenda dicendaque monebit, ex quibus homo ille huiusmodi animalis interior, summam potentiam consequatur, feræque illius pluribus capitis redimitæ tanquam colonus, curam habeat, domestica quidem capita fouens, irrigans ac nutriens, agrestia protinus amputans, dum leonis naturam ad hoc adiutricem accipit, communiterque curat omnia, & inuicem mutua beneuolentia sibi conciliat. Omni itaque ratione qui iusta laudat, vera loquitur, qui verò iniusta, mentitur. Nam & quoad voluptatem & quoad decus, & quoad emolumentum iusti laudator, vera pronuntiat, vituperator autem neque quicquam affert, neque nouit quod improbat. Hactenus Plato. In eiusmodi animæ nostræ figura illa distributio continetur, quæ apud Platonem legitur in Timæo. Vbi animam in tres quasdam vires diuidit quasi partes, in ratiocinandi videlicet & irascendi & concupiscendi naturam. Vim rationalem capiti tanquam arci supremæ reginam accommodauit, præsertim quia in speculando caput maximè omnium laborare videtur, sensusque ibi omnes vigent quam plurimum. Præterea vim iracundiæ in præcordiis collocauit, quoniam in ira, & audacia & timore hæ partes maximè concitantur. Postremo concupiscendi naturam iecori ideo dedit quia naturalis illi vigor inest & concoquendi alimenti & libidinis augendæ. Proinde rationem in Phædro nominat aurigam, quoniam naturali quodam ordine dux est partium reliquarum. Adiungit huic geminos equos, album quidem alterum, alterum vero nigrum. Quantum verò ad propositum spectat equi sunt cordis vires & iecoris, quia rationi debeant tanquam aurigæ parere. Sed magnanimitas quæ accommodatur cordi equus dicitur albus, est enim rationi propinquior. Iecoris autem concupiscentia quoniam à rationis excellentia remotior est, equus est niger. Ratio rursus in nobis Hercules nominatur, Hic occidit Anteum, id est, immania quædam simulachra phantasiæ. Quando videlicet à terra attollit in altum, hoc est, quando à sensibus & corporali imaginatione se mouerit. Hic quoque leonem domat, id est, iracundiam cohibet. Hic hydram obtruncat multis vndique capitibus pullulantem, id est, concupiscendi vim amputat. Quæ non ad pauca quædam, ad illa quidem maiora tanquam iracundia, sed ad quælibet imò innumerabilia insatiabili vorагine fertur. Verùm dum noster Hercules iecoris hydram amputat ferro, capita repente repullulant, quia fomes ipse relinquitur. Dum verò absumit igne, quia fomitem prorsus extirpat, nihil inde renascitur. Iubet apud Platonem Socrates in Phœdone, ne voluptatis corporalis gratia ab alia quadam corporis abstineas voluptate, alioquin pro vna multæ subitò renascuntur. Imò rationis gratia præcipit, vt à voluptatibus abstinere conemur, sic enim solũ posse, ait, vitia funditus extirpari. Finẽ Epistolæ iam imponam, si prius vnũ hoc admonuero, vt videlicet meminerimus, si belluæ in nobis sũt multæ, nimirũ esse animas apud Platonem ab homine in belluas transmigrare.

Sane fomites quosdam & affectus bestiarum ab initio in nobis habemus. Quos vbi diu temere nutriuerimus vel consopitur quodammodo ratio, vel sub iracundiæ concupiscentiæque specie vigilat. Quocirca sub ipsa hominis pelle homo ipse videtur in bestias pertransisse. Hinc Socrates inquit Phœdro: Considero equidem me ipsum Phœdre, vtrum ego sim bestia quædam Typhone multiplicior ardentiorque & furiosior. Siue placatius quoddam & simplicius animal, diuinæ cuiusdam & mitis sortis, id est, tranquillæ intelligentiæ, particeps. Calendis Iulij. M. CCCC. LXXVII.

Solus omnia possidet qui à nullo, præter Deum, penitus possidetur.

MARSILIVS FICINVS Hieronymo Pasqualino charissimo compatri suo, S. D.

SI cupis possidere quamplurima, da operam vt nihil penitus te possideat. Nisi enim teipsum habueris, per quem sis alia possessurus, nihil prorsus habebis. Hinc fit vt omnes homines egeant semper, omnes continuè doleant, quia videlicet, seipsum quisque secum omnia iamdiu temere nimium & amisit & perdidit, quando clam ipse captus fuit, dum palam capere niteretur. Solus & alterius simul & suiipsius esse potest, qui soli se illi dedit, qui ideo solus est omnium, quia solus est omnia. In quo dum cuncta quis reperit, reperit etiam seipsum tanto seipso perfectiorem quanto perfectior est ille quàm ipse. Sicut qui seruo seruit, seruus est & turpissimus & miserrimus, ita qui omnium seruit domino quodammodo fit dominus omnium. Solus libere seruire videtur, qui libertati obsequitur infinitæ. Ibi seruitus libera est vbi immensa libertas, id est, Deus, quicquid seruile violentumque cogitari potest procul expellit.

Cum primum fatum impugnare nitimur, expugnamus.

MARSILIVS FICINVS Francisco Marescalco Ferrariensi, S. D.

QVæris, optime mi conphilosophe, quatuor. Primum quidem quomodo valeam? Valeo equidem Marescalce sicuti volo, postquam cœpi vt valeo ita velle valere. Secundum verò, qua ratione philosopher? Hac potissimum ratione philosophor, vt quandoquidem res ipsæ aliter voluntatem non sequuntur meam, ego saltem voluntate res sequar, sic enim voluntati sequenti res obsequuntur. Tertium, quantum te amem? si quis modus adsit amori, vt si qua certa liberæ voluntati mensura, metire Francisce amorem erga me tuum, ita forsitan & meum erga te metieris. Quartum, quid componam? Compono librum de Prouidentia Dei & humani arbitrij libertate. In quo agitur contra astrorum necessitatem fatumque Astrologorum. At verò dixerit forte quispiam, fatui esse contra inexpugnabile fatum velle pugnare. Ego verò respondeo, tam facile posse hoc impugnari, vt quando quispiam impugnare voluerit, tunc primum eo ipso quòd vult expugnet. Nempe cœlestium spherarum motus nunquam altius mentem attollere potest quàm ad sphæras Nunc verò qui disputat contra illas eas iam transcendisse videtur Atque ad ipsum Deum liberumque voluntatis arbitrium accessisse. Quasi non à cœlesti fato coactus fuerit, sed à supercœlesti tum Dei Prouidentia, tum mentis libertate perductus. Præterea cum actio quælibet aduersaria, & vt ita dixerim, peremptoria à contrario quodam in contrarium procedere soleat, nemo audeat confiteri voluntatem ipsam disputationemque fictæ violentiæ syderum repugnantem à syderum violentia proficisci, imò ab ipsamet prouidentia libertateque manare intelligamus, cuius gratia dixerimus contra fatum. XXVIII. Iunij. M. CCCC. LXXVII. Florentiæ.

Multos habet seruos, qui multis seruit.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo Veneto, S. D.

PHœbus Capella, & Franciscus Eliensis, Pamphilusque Medicus, Platonis nostri libros, quos iamdiu omnes è Græca lingua transtulimus in Latinam, à nobis poscunt. Tu sicubi fortè hos egregios viros offenderis, nostro nomine saluere iubeto, traductionesque hoc mense mitti non posse dicito. Vides, Bernarde, quanta libertate agam tecum. Videor enim modo nescio quo pacto imperauisse. Sed tu, mi Bembe, in causa es, tam talem te singulis præstas, vt qui libertate fiduciaque maxima non vtatur tecum, proculdubio seruilissimus diffidentissimusque omnium videatur. Tu quidem dum cæteris libentissimè seruis, interim maximè dominaris. Cæteri verò cùm maximè tibi dominari videntur, tunc seruiunt libentissimè. Nulla facilior

præstantior, securior dominatio quàm amatoria. Nulla arctior iucundior, felicior seruitus quàm voluntaria. Kalendis Augusti. M. cccc. LXXVII.

Amicitia inter homines, nisi afflante Deo, conflari non potest.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Hermolao Barbaro Veneto, S. D.

SCripsi superioribus diebus Epistolam quandam de Amicitia vera breuiter disputantem. Quam non ad vnum quendam meorum potissimum, sed ad cunctos pariter amicos sine certo titulo dirigebam. Reddita mihi est paulopost elegans Epistola tua latinissime Barbare. Quæ quidem vera amoris esca, id est, amore ipso, me capit, & captum prouocat ad amandum, vt quod multorum erat futurum vnus ipse iam habeas. Siquidem disputationem nostram de Amicitia vera, meos omnes iamiam salutaturam ipse tibi præcipuè subitò vendicasti, vt quod cunctis inscribendum fuerat, soli inscribatur Hermolao. Ergo quemadmodum nuper dum scribo omnes, ad vnum scribere in primis adducor, ita posthac in omnibus meis amandis, vnum hunc in primis amabo.

MARSILIVS FICINVS Conphilosophis, præcipuè Hermolao Barbaro, S. D.

AMicitiam omnes communi quadam notione, vnionem aliquam esse definiunt. Cùm verò non aliter vnio esse queat nisi ad vnum, meritò quærendum videtur quidnam vnum illud sit ad quod duo aliqui conspirantes, amici fiunt atque dicuntur. Nunquid necessariò amici sunt illi, qui opinantur idem? Nequaquam. Possumus enim idem in plerisque rebus, tam humanis quàm naturalibus opinari, & tamen inuicem nos odisse. An fortè beneuolentia, non in opinione, sed in voluntate consistit? Puta vt illi duntaxat qui volunt idem, dicantur amici? Neque id quidem, imò ob hoc ipsum nascuntur inimicitiæ, quod volumus idem. Sæpè qui eundem vel thesaurum, vel dignitatis gradum, vel artis honorem expetunt, sibi inuicem inuident, & irascuntur, & dimicant. Dixerit fortè quispiã discordiam eiusmodi inter homines ob hoc exoriri, quod finita quædam cupiunt bona, quæ dum alter possidet, vel nullo modo, vel non æquè alter possidet. Si qui verò reperiãtur qui idẽ bonum, quod & infinitũ sit, appetant, cum illud nusquã impediri possit, quin passim exuberet in immensũ, eos nullis inter se inimicitiis agitari. Amicitiamque inter illos esse qui bonum idem, infinitum volunt. At verò neque istud quidem sufficere ad beneuolentiam mihi videtur, omnes enim naturali quodam instinctu eiusmodi bonum optant, vnde fœlices esse volumus cuncti, non tamen nos inuicem cuncti diligimus. Vbinam igitur beneuolentiam ipsam reperiemus, quæ nihil est aliud quàm velle bonum, nisi circa bonũ ipsum, quod est omne bonum, id est Deum, eam reperiamus? Certè non alibi. Cæterùm, humana voluntas erga Deum, duobus præcipuè modis, quantum ad propositum spectat, affici potest. Aut enim accipere cupit inde, aut dare. Primus quidem instinctus communis naturalisque est omnibus, siquidem omnes à Deo quàm plurima exoptamus & petimus, sed non ob hoc ipsum Deum hominesve diligimus. Instinctus alter non æquè cuiuslibet esse videtur, nempè pauci admodum reperiuntur, qui Deo seipsos secumque omnia dedant, imò vt rectius loquar, Deo reddant. Nihil enim quod non ab eo acceperimus vel sumus vel possidemus. Quisquis seipsum Deo reddit, id est, omnem cogitationis affectum, actionis nixum effectumque conuertit in eum, hic solius Dei ipsius gratia Deum amat, ac cætera diligit propter Deum. Sane vanus formæ corporalis amator ob hoc ipsum diligit corporis speciosi picturam, quia formam ipsam & substantiam corporis amat. Ita verus piusque amator res creatas non ob aliam diligit rationem, nisi quia creatoris Dei, quẽ amat, vel imagines sunt vel vmbræ, & quanto similiores apparent, tanto magis admiratur & laudat, simillimæ verò diuinæ mentis sunt mentes Deo præ cæteris deditæ. Quamobrem eiusmodi mentes inæstimabili quadam amoris flagrantia & dulcedine & ad Deum & se inuicem prorsus afficiuntur, dum se tum illi sponte reddunt tanquam patri, tum sibi mutuo libentissime dedunt tanquam fratribus. Cæteræ quæ inter homines amicitiæ nuncupantur, nihil sunt aliud quam rapinæ. Vera charitas, sicut Paulus inquit Apostolus, non quæ sua sunt, sed quæ alterius, quærit. Et si honestis quotidie amicitiæ vocabulis magnifice gloriamur, tamen quisque nostrum vt plurimum talis est, vt non alium quenquam respiciat, sed seipsum. Non enim hic reuera se tradit illi, sed accipere potius studet ab illo vel voluptatem vel vti-

litatem quandam, siue ad externa corpusque siue ad animum id attineat. Denique, vt summatim dicam, solus ille vir verus legitimusque amator est appellandus, qui intelligit in omnibus bonis quæ passim sibi offeruntur & placent, nihil reuera aliud sibi placere, quam diuinum ipsum bonum, ex quo & per quod cuncta sunt bona, ideoque in iis omnibus ipsum amat, in ipso diligit omnia, ita vt neque ipsemet sibi sit dilectus, nisi in eo per quem hoc habet vt sit diligendus. Cunctos quidem pro viribus curat homines tanquam eodem secum patre creatos, quosdam verò ante alios eligit, tanquam patris illius similiores, quibus cum & cœlestem in terris & supercœlestem in cœlis vitam agat. Inter hos solos vera est amicitia, id est, ab vno & in vno Deo vnico vera. Quippe vera stabilisque inter plures vnio, nisi per vnitatem ipsam æternam effici nequit. Vera autem vnitas & æterna est ipsemet Deus, qui solus est vera simplicitas & immensa potestas. Ergo hi soli libere cum Propheta clamare posse videntur: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.

Fortuna neque benefacere potest malis, neque malefacere bonis.

MARSILIVS FICINVS Antonio Hyuano Serezanensi, S. D.

SI quem videris incurabili morbo corporis laborantem, variisque diuersorum membrorum doloribus cruciatum, inuidebis ne illi delicatas dapes, ministrorum turbam, strata mollia, purpuram, cubiculum auratum? Certe nisi tu quoque tantum ægrotes animo, quantum ille corpore, inuidere poteris. Quicunque verò voluptatibus pecuniisue aut gloriæ vel imperandi studio seruiunt, insanabili quodam animi morbo & multiplici dolore premuntur. Quisquis ergo his inuidet, nihil videt. Quamobrem cæci maximè omnium illi mihi videntur, qui fortunam ideo cæcam ducunt, quia vel benefaciat malis, quibus reuera nihil est bonum, vel malefaciat bonis, quibus denique nihil est malum. Qualis enim in se quisque est, talia cuique sunt quæ accipit. Soli inter homines rationis oculis capti sunt, qui non vident, quam mirabili ratione singulę mundi partes disponantur & moueantur, soli fortunæ cuidam, vt ita dixerim, & iniustitiæ summæ subiecti videntur, qui vbi exactissimus ordo rerum infinitam indicat authoris potentiam & sapientiam & iustitiam, ipsi vel irrationalem putant imperare fortunam, vel de diuina gubernatione quasi minus iusta queruntur.

Matrimonij laus.

MARSILIVS FICINVS Antonio Pelocto Poëtæ & Amico egregio, S. D.

QVod ad matrimonium iamdiu animum applicueris, mi Pelocte, non summopere probare non possum. Sic homo tanquam diuinus humanam speciem seruat quadam successione perpetuam. Tanquam gratus reddit naturæ quod mutuo acceperat ac sæpe fœnore. Tanquam felix verusque sculptor imaginem sui viuentem sculpit in filiis. Charam præterea vitæ societatem & fidam rerum custodiam, hac vel solum vel maximè ratione consequitur. Habet insuper domesticam Rempublicam in qua gubernacula prudentiæ omniumque virtutum vires exerceat. Parat etiam maximum præsidium, senectuti quam vel in vxoris dilectæ gremio vel in filiorum nepotumque vlnis vel in affinium officio ducat securiorem. Denique vxor atque familia vel laborum nobis est dulce solamen, vel saltem summa quædam ad moralem Philosophiam exercitatio. Quamobrem Socrates multo magis moralem ab vxoribus disciplinam, quam naturalem ab Anaxagora vel Archelao, se didicisse confitebatur. Quis nesciat creato quondam homini nihil prius antiquiusque à Deo præceptum & institutum quam matrimonium? Idque & inter sacra mysteria numerari & apud omnes Gentes summopere celebrari? Hoc semper & honorauere potentes, & sapientes non contempserunt, vtpote qui videbant ad res quidem agendas conducere. Literas autem, si temperate viuas & parce tempus expendas, non impedire. Plato noster quod in iuuentute quodammodo neglexit matrimonium, tandem in senectute pœnitētia ductus sacra Deæ Naturæ fecit, vt ob eam rem se apud vulgus à crimine tum omissi matrimonij tum sterilitatis absolueret. Statuitque in legibus suis, qui vxorem non duxerit eum procul ab omnibus publicis muneribus & honoribus segregandum. Publicis autem oneribus grauius quam cæteros ciues esse præmendum. Mercurius Trismegistus eiusmodi homines, inquit, & humana lege infelicissimos, & lege diuina tanquam steriles siccasque arbores iudicari. Ab hac tamen lege duo tantum genera hominum videntur

absolui, aut qui ob quandam naturæ imbecillitatem ad hoc ineptissimi sint, aut vnice seipsos Mineruæ tanquam vxori data fide deuouerint, illos quidem excusat ipsa natura, hos autem casta forsitan accusaret Minerua, si Venerem sequerentur. Pelo-ctum vero nostrum, si forte matrimonium neglexisset, improbasset, certe natura quæ hunc robustum peperit & formosum. Ac si Minerua, cui iamdiu seruit, forsan culpare tentauerit, quod Musis misceat Venerem, Apollo statim Mercuriusque defendent. Nempe dicent, Peloctum plura melioraque carmina post hymenea, sacra Musis quam antea dicauisse. Denique sublimes iubebunt ad sydera tollere vultus. Vbi & Phœbus Musarum dux & Mercurius harum comes, mediam ducunt Venerem, amoris & Musicæ matrem, æquisque penè cum illa, vt ita loquar, passibus gradiuntur, neque vnquam ab eo longè discedunt. Verùm mittamus in præsentia sydera, redeamus ad homines. Video te pósthac, Antoni, apud familiares tuos sæpè hunc in modum pro re vxoria declamantem. Homo vel solus vel maximè omnium est animal, vt dicunt Philosophi, sociabile, cui ad hoc ipsum soli sermonis condendarumque legum est à natura tributa facultas. Vt quicunque solus vixerit, intelligat se aut fortè maius aliquid homine esse, aut proculdubio minus, si quidem phœnice rarior est, qui inter homines vires humanas transcendant. Hic ergo præ cæteris humanitatis fungetur officio, qui continuam, domesticam, indissolubilem inierit societatem. Cuius commercio publicā ipsam generis humani societatem & seruare nitatur & gubernare perdiscat. Nempe quemadmodum ex domibus ciuitas, ita ex rei familiaris disciplina Reipublicę peritia constituitur Nesciet regere ciuitatem qui domum gubernare non didicit. Non amabit patriam, qui vel bona illius vel mala parum ad se pertinere censebit. Non curabit fortè seipsum grauioribus imbuere moribus, qui cum solus viuat, non sit familiæ bonorum morum præbiturus exemplum. Ocio & licentia quadam negligentior quotidie deteriorque euadet, quisquis in re familiari non fuerit occupatus. Nesciet verè quenquam stabiliterque amare, qui verum indissolubilemque amorem coniugis & filiorum non experitur. Non discet pati foris & superare ferendo, nisi qui domesticum habuerit patientiæ præceptorem. Non discet hominum misereri, qui vel coniugem vel filium nunquam senserit lamentantem. Siquidem mens non ignara mali, miseris succurrere discit. Quod verò omnium deterrimum est, is qui neq; scit suis prospiciendum, neque pro suorum salute Deus sæpè vocandus, humanas magna ex parte negliget leges, & homines ipsos, cultumque diuinum. Denique difficillimum erit, non exuere hominem, nisi legitimum matrimonij pallium induerimus. Quamobrem si vultis amici homines esse, si filij legitimi Dei, legitime genus hominum augete, & tanquam Deo similes instar Dei filios vobis similes procreate, nutrite, regite, gubernate. Mementote præterea in re familiari diligentissime gubernanda, vos ipsos colere, Reipublicæ terrenæ & peritiam discere & assequi dignitates, Reipublicæ munera promereri.

Philosophia sapientiam gignit, sapientia parit felicitatem.

MARSILIVS FICINVS, Sebastiano Saluino Amitino, S. D.

VBi nos diues potensque Iuno non audit, haud prius nobis culpandæ sunt Parcæ quā numen illud experiamur, quod quia viget vbique, affatim adest omnibus qui eidem adesse volunt. Audit hominem nondum vocantem, exaudit quemlibet ritè precantem. Totum igitur auxilium Saluine nostrum nobis est à Minerua petendum, quo possimus quandoque nos tollere humo, superasque euadere ad auras. Nempe solum id numen ad æthereum mundi caput hominem potest attollere, quod ipso summi Iouis est capite natum. Quoniam verò non exaudit quenquam, nisi ritè precantem, conemur, amice, pro viribus rectè hinc auxilium petere. Quisnam sapientiam rectè adorat, nisi qui sapienter? Sapienter autem hanc solus adorat, qui poscit à sapientia sapientiam. Non possumus nisi per illam quicquam vel ab ipsa vel ab alio petere sapienter, non possumus quicquam ab illa sapienter petere, nisi illam. Hoc nos docuit Socrates vir omnium, Apollinis iudicio, sapientissimus, quippe qui, vt Plato in Phædro recenset, in quotidianis precibus suis solam à Deo sapientiam exoptabat. Sciebat enim vir ille sapientissimus, insipientibus quidem vel quæ bona vulgo videntur, esse mala, sapienti autem etiam quæ mala dicuntur bona tandem euadere. Fœlix cui bene succedunt omnia, soli autē succedūt bene, qui omnibus vtitur, solus bene singulis vtitur, qui & suiipsius & aliorum vires à sapientia didicit. Fœlices igitur soli sapientiæ sacerdotes, qui vel in ipsa humana, (vt ita di-

eam,) miseria sunt beati. Cæteri verò vsque adeò sunt infœlices, vt in ipsa etiam humana fœlicitate sint miseri. Hinc quanta legitimæ Philosophiæ dignitas & diuinitas sic apparet, in hac enim maximè consistit perfectum sapientiæ sacerdotium. Verumtamen adeò indignè impieque vulgo tractatur, vt ij qui soli verè sapiunt & à quibus cæteri idipsum habent vt aliquid sapiant, maximè omnium desipere iudicentur. Præterea malè putentur sentire de Deo apud illos, qui à Philosophis Deum colere didicerunt, quando Philosophorum rationibus intellexerunt, Deum esse quem colant. O falsissimum vulgi iudicium. Tunc Democritum Philosophum putauerunt insipientem, cum maximè sapiens factus cœpit mortalium insipientiam deridere, & ab Hippocrate Medicorum sapientissimo iudicatus est omnium prudentissimus. Tunc Socratem diuinum quasi male de diis sentientem condemnauerunt, quando ab ipso eorum Deo, vtpote qui rectius quam cæteri de Deo sentiret, sapientissimus est appellatus. Sed rideat insanum vulgus vt libet, rideat Philosophos vt insanos & impios, interim Philosophi & flebilem vulgi risum vnà cum Heraclito lugeant, & ridiculum fletum cum Democrito rideant.

Non est sanus cui salubria displicent.

MARSILIVS FICINVS
Iacobo Bracciolino Poggij Oratoris filio, paternæ artis hæredi, S. D.

LEgenti mihi nuper Philosophicam quandam Plutarchi Platonici Epistolam ad Traianum imperatorem, venit in mentem subitò Bracciolinus, quippe cui sciam optima quæque valde placere. Atque in hoc ille mihi maximè placet, quod nihil laudat non bonum, nullum bonum non maximè laudat. Nullum certius apud Medicos sani gustus indicium, quam si illa quæ salubria sunt eadem & suauia videantur. Atque contra, quæ lædunt plurimum eadem & offendant. Sed accipe iam Philosophicam Imperatoriamque Epistolam, quæ quidem Procemium est libri Plutarchi de Politica & Imperatoria institutione ad Traianum Imperatorem. Quem librum Policrates penè ad verbum traduxit. Plutarchus Traiano S. D. Modestiā tuam noueram non appetere principatū, quem tamen semper morum elegantia mereri studuisti. Quo quidem tanto dignior iudicaris quanto à crimine ambitionis videris esse remotior. Tuæ itaque virtuti congratulor, & fortunæ meæ, si tamen rectè gesseris, quem probe meruisti. Alioquin te periculis, & me detrahentium linguis subiectum iri non dubito. Cum & ignauiam Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores Sic Seneca Neronis sui culpa detrahentium linguis carpitur. Adolescentum suorum temeritas in Quintilianum refunditur. Et Socrates in Pupillum suum dementior fuisse culpatur. Tu verò quiduis rectissime geres, si non recesseris à teipso, si primum te composueris, si omnia disposueris ad virtutem, recte tibi procedent vniuersa. Politicæ constitutionis morumque vires tibi descripsi, cui si obtemperas, Plutarchum viuendi habes authorem. Alioquin præsentem Epistolam testem inuoco, quod in perniciem imperij non pergis, authore Plutarcho. Vale.

Marsilij Ficini Florentini disputatio contra iudicium Astrologorum.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Hyppolito Gazolti Comiti viro clarissimo, S. D.

LIbrum scripsi contra vana Astrologorum iudicia, mitto ad te Procemium, reliquum mittam cum primum scriba noster exscripserit. Qui singula necessariò fieri à stellis affirmant, tribus potissimum perniciosis erroribus & inuoluuntur ipsi, & vulgus inuoluunt. Nam summo & omnipotenti Deo quantum in eis est propriam rerum auferunt prouidentiam, absolutumque mundi totius imperium. Angelis verò, qui ita apud illos cœlestia mouent, vt omnia inde hominum scelera, omnia mala bonis, omnia bona malis proueniant, iustitiam adimunt. Hominibus denique qui non minus quam bestiæ, vt illis videtur, huc & huc impelluntur, auferunt libertatem, omnique priuant tranquillitate. Si enim bona promittunt, quod & raro vix & obscure admodum facere consueuerunt, vt plurimum, maximis illa difficultatibus implicant, vnde fit vt nobis minimè prosint, quod si aliquando, & id quidem rarissimè, absque summo labore ventura pronunciant, inde vani, superbi, negligentesque reddimur. Atque si casu quodam, (vt promiserunt,) euenerit, minus grata prouenit diu exspectata voluptas. Si verò minantur mala, quod multo sæpius accidit, mala vel sero futura diu anticipamus, vel nunquam futura miseri fingimus patimurque fingen-

do. Denique si fata vitari non possunt, frustra præuidentur & prædicuntur, si possunt aliqua ratione vitari, falso ab Astrologis necessitas fati defenditur, fortasse dicent, (vt arbitrer) hoc quoque in fatis esse, vt aliquid è multis præsciatur interdum & caueatur. Sic igitur inter Parcas controuersia erit, vt alia vulnerare hominem statuat, alia protegat. Sed demus hoc in præsentia illis, si placet, ne cui forsan pertinacissimi videamur, nunquam tamen alicui concedemus, illud quoque in Parcarum decretis consistere, vt multi non credant illis, multi insuper contradicant. Quomodo enim Marsilium nunc impellit, vt pro ingenij viribus fato repugnet. Qui certè non fati, ipsius vi, sed potius contrarij alicuius vel saltem superioris virtute, nunc inuehitur contra fatum. Necessitas enim ipsa omnino sibi ipsi repugnare non potest, vt esse neget necessitatem, atque suo instinctu aculeisque se perimat. Quidnam vulgatissimum illud sibi vult. Fatis agimur, credite fatis. Atqui si diligentius rem ipsam consideremus, non tam fatis ipsis quam fatuis fatorum assertoribus agimur. Non cedetis mihi credite fatis, si fatuis non credetis, qui obscuris non vera, vt de Sybilla dicitur, sed falsa inuoluunt. Ac de singulis hominibus non propria prędicant, sed communia cunctis. Homines loquacissimi in medium tot adducunt, vt non mirum sit si inter multa mendacia aliquando casu in verum aliquod incidunt. Sapere volunt aliis, cum ipsi sibi minimè sapiant. Operæpretium est considerare quam inopes ipsi sint, quam sordidi, quam in negotiis suis infortunati, in rebus agendis imprudentes atque inepti. Si fortè mercaturam exercent, multo minus quam cæteri mercatores euentum pręuident mercaturæ, si Medicinam, minus quam cæteri Medici medium ac finem morbi præsapiunt, ac pessime omnium corpora curant, & cum diuinationem profiteantur ipsi inde casu viuere passim videntur & cadere.

Surgite igitur Philosophi precor, surgite omnes libertatis tranquillitatisque pretiosissime cupidi, eia agite, iam accingite vos clypeo Palladis atque hasta, bellum in præsentia nobis imminet contra nefarios gigantulos illos qui & futurorum præscientia Deo prorsus immẽso se ęquare conantur, & fati cœlestis defensione supercœlesti Deo, qui est summa libertas liberum imperium auferre. Sed qui tam superbe ad superos ascendere moliuntur, miserabiliter præcipitabuntur ad inferos. Porrige manum nobis ex alto Deus omnipotens, vires tuis militibus subministra, tuum istud defendere imperium. Nunc aggredimur, succurrite numina quæ circulos rotatis æthereos, succurrite iustitiam vestram excusaturis aduersus impios hostes, qui extremæ cuiusdam iniustitiæ vos accusant. Faue tu quoque nobis, ô genus hominum, sine inuidia, nempe tuam istam omnium pretiosissimam libertatem tranquillitatemque tuemur. Vt postquam de diuinatoribus non diuinis sed valde profanis, qui tamdiu suis nos præstigiis mancipant, triumphauerimus, liberè tandem clamare possimus. Impietas ergo pedibus subiecta vicissim obteritur, nos exæquat victoria cœlo.

Procœmium Marsilij Ficini in opusculum eius de vita Platonis ad Franciscum Bandinum.

NAtus est mihi nuper in ipso omnipotentis Christi natali Plato quidam, Bandine magnanime, qui quamuis auo illi suo patrique nostro Platoni longè sit impar, videtur tamen nescio quomodo, vtcunque potest, indole similis. Ad hunc ego conuersus, ô Plato, inquam, patrias ne auitasque sedes repetes Athenarum. At ille repente, ô fatum exclamauit iniquum, nulla mihi, proh dolor! nulla vsquam restat patria domus. O ferrea sæcula quibus Mars ille sæuissimus Atticas diruit Palladis arces. Non igitur in miseram Græciam, sed in Pannoniam, Marsili, me conferam. Ibi enim floret magnus rex ille Matthias, qui mira quadam potentia similiter & sapientia fretus certis relabentibus annis, ædem potenti sapientique Palladi, hoc est, Græcorum gymnasia, reparabit. Ibidem præterea penes regem ipsum Pannoniæ fœlicissimum fœliciter viuit Bandinus ille meus, qui diui Platonis quondam Florentiæ suis sumptibus & apparatu regio celebrauit in vrbe, atque etiam extra vrbem, dum conuiuium idem apud clarissimos Medices nostros instauraretur, primus interfuit. Ibo igitur iam celer & alacer in Pannoniam ad amicos. Denique huic ipse inquam decus, idest, nostrum, melioribus vtere fatis.

Montes non separant animos motibus altiores.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Reuerendo in Christo patri Domino Nicolao Batoreo Episcopo Vaciensi Pannonio, S. D.

CVm accepimus Bandinique literas, quibus vehementer suadetis vt in Panno-

Pannoniam proficiſcar, gratiſſimus Mathiæ, ſereniſſimo Pannoniæ Regi futurus, perfeceram iam quinque Platonicæ ſapientiæ claues, quarum vna cæteris breuior, ad vos venit. Venire autem me difficile eſt. Viuere deinde ſub iſto cœlo, forſitan difficilius. Verùm, vt rectius loquar, ſi venturus ſim ad vos, diſcedam à vobis prius oportet quam redeam, fieri nequit vt ab his diſcedam, quibus cum mihi conciliante Muſa, vnus iamdiu factus eſt animus. Ama precor, vt facis, Marſilium tuum, te ob egregias virtutes tuas ardenter amantem. Ama ſimiliter Franciſcum Bandinum noſtrum, virum ingenio magnificentiaque præſtantem, commenda vtrumque, ſi decet, Mathiæ fœliciſſimo Regi, huic nonnihil ex officina noſtra breui tempore proditurum nos vtcunque poterit commendabit. Valete fœlices animi, atque viuite mecum, inuitis montibus, qui nos ſeparare videntur: viuite mecum fœlices animi, vel altiſſimis montibus admodum altiores. Hoc ego ſum vobis, vnus ſibi quiſque quod ipſe eſt. Hoc mihi vos eſtis, quod duo ſunt oculi, octauo Calendas Iunias. M. CCCC. LXX.X. Florentiæ.



MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS,

BERNARDO BEMBO VENETO, Equiti clariſsimo, S. D.

PROOEMIVM. LIBRI V.



Liber Epiſtolarum noſtrarum quintus, ab Epiſtola de Lege diuina exordiens, eadem à nobis lege Bembi illius nomẽ tanquam caput ſuum videtur exigere, quem nobiſcum, vt alibi demonſtrauimus, lex diuina cœleſtiſque coniunxit. Tibi ergo præ cæteris meritò fœliciter dicatus ſit. Lege fœliciter.

MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

(:.) LIBER V. (:.)

LEGES DIVINÆ, FIDES, scientia confirmantur.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS Reuerendissimis familiaribus suis, S. D.



LEGES humanæ non aliter aut admittunt ab initio, aut postquam admissæ sunt propagantur, quam vel consuetis communibusque humanarum & naturalium rationum suasionibus, vel authoritate quadam imperatoria impetuve armorum, vel facilitate & commoditate viuendi, atque illecebris voluptatum. Præterea syderum dispositio, non aliis vnquam instrumentis, quàm eiusmodi leges inter homines potest inducere. Quamobrem si quam legem intellexerimus apud homines sanæ mentis, & ortam aliquando & latissime propagatam, dum probabiles illi multorum agumentationes aduersarẽtur, dum arma potentum contra illam vbique sæuirent, dum palam omnibus humanæ voluptatis vsus spesque a b ea prorsus auferretur, legem eiusmodi neque humanam esse, neque à cœlesti fato pendere, sed diuinam omnino, & à supercœlesti quadam potentia proficisci necessariò concludemus. Quod autem necessaria probatione concluditur, id proculdubio certa scientia comprehenditur. Quisquis igitur eiusmodi legi, tali quadam ratione crediderit, habebit & scientiam matrem fidei, & fidem scientia confirmatam. Qui talia non considerat, seipsum considerare non potest. Qui verò considerat quidem quodammodo, sed non credit, nihil credit. Quid eligant alij nescio, ego certè malo diuinè credere, quàm humanè scire. Siquidem diuina fides longè certior est quam hominum sapientia, credulitas illa semper vera scientia confirmatur. Scientia hæc nonnunquam incredulitate vacillat. Igitur vt veri quiduis alicubi possimus credere, iam ipsi veritati credamus, quæ quidem cùm ignorantiæ falsive nihil admittat, certè ignorat, fallitve neminem. Præterea, vt aliquid vsquam boni sperare possimus, in ipso speremus bono, quod cùm nihil agat mali, nihilque patiatur iniusti, neque sperantes frustratur vnquam, neque derelinquit amantes. Quos ipsum & vt sperarent illuminauit, & vt amarent pariter inflammauit. Motus enim ad ipsum bonum, neque aliunde quàm ab ipso bono pendere potest, neque alia ratione illuc refluere quàm inde profluxerit.

Nihil potest esse proprium, vbi communis est animus.

MARSILIVS FICINVS Naldo Poëtæ.

REdij nuper in Cellanum, Nalde meum, imò nostrum, nihil enim potest esse proprium vbi communis est ani-

mus. Composui secunda rusticationis die argumentum in librum nostrum de Religione breuissimum. Cumque id ad amicos inscriberem, primus mihi venit in mentem Naldus, primus omnium à nobis amatus. Cui & reliqui hoc ipsum quod à me stabiliter diliguntur, totum debent. Quippè cum in eo primum amando, cæteros amare didicerim. Mitto igitur argumentum. Scripsi Nalde quid egerim. Scribe & tu quid agas, & quomodo valeas. Sed cur, inquam, scripsi, & cur scribe rogaui? Epistolis tantum contenti sint, qui diligunt mediocriter, at verò neque Naldus scio, quod loquor, neque Marsilius mutuis Epistolis contentus erit.

Breuiter loquendum, sed non breuiter, vel cogitandum, vel amandum.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Hyuano, S. D.

VIdes, Antoni, quam arguti ingenij te existimem? Quoties libros petis integros, argumenta mitto. Librum primo de Summo bono petisti, argumentum misi. Theologiam deinde nostram platonicam postulasti, dedi & argumentum, quod paulò ante recepi Sed vt ter argutum te, id est, argutissimum faciam, accipe tertium argumentum in nostrum illud de Religione librum, quem legisti. Conuiuium de Amore desiderabas, hic solùm Hyuanus non argumentum tantùm nostro nomine, sed integrum opus accepit. Vtpote cui non portiuncula quædam impartiatur Marsilianæ beneuolentiæ, sed tota in ipsum penitus transfundatur. Noui disserere breuiter, breuiter amare non noui, quam angustus est sermo noster, tam amplus affectus. Sæpè flamma quæ minus spargitur, feruet ardentius.

Sacerdotes & Philosophi piè loquantur & sentiant.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

EXiges à nobis, mi Ioannes (vt arbitror) rusticationis huius nostræ primitias, quoniã prima quæque iure optimo debeantur primo. Scripsi nescio quam exhortatiunculam ad pietatem hodie ad familiares meos, imò in primis ad meipsum. Nihil vnquam cæteris studeo suadere, quod non mihi ipse antea persuaserim. Sacerdotis officium est, nihil loqui, nisi quod ad pietatem conducere videatur. Philosophi quoq; professio, non aliter agere quã loquatur, nõ aliter loqui quam sentiat, aliter tamen mẽte sentire quam sensu. Deniq;, ne exhortationem eiusmodi scribere frustra tentauerim, lege hanc mi Ioannes, obsecro, diligenter. Nam neque ad amicos scripsisse velim, neque ad meipsum possum nisi tu legeris.

Nullum in malis refugium est, nisi ad summum bonum.

MARSILIVS FICINVS
Familiaribus suis, S. D.

TRagœdiæ miseram mortalium sortem verissimè deflent, sors quoque mortalium tragœdiam verissimam peragit. Tragœdia est imaginaria quædam hominum vita, vita hominum tragœdia videtur esse verissima. Mitto nunc declamationes illas Oratorum, Poëtarum, Philosophorum, quibus singula humani generis mala & incommoda recensentur, hoc solo in præsentia quanta sit generis nostri miseria paucis exprimam, quod vt plurimum illi omnium maximè miseri sunt, qui vulgò videntur omnium beatissimi. Tria vitæ genera apud Philosophos numerantur. Prima contemplationi: secunda actioni: tertia voluptati tribuitur. Quicũq; in qualibet harũ vita habentur fœlicitate summi, ij vt plurimum re vera sunt in miseria summi. Sanè qui in veritatis contemplatione vulgò videntur excellere, ii sæpè maximè omnium insolubili dubitationum ambiguitate tenentur: nam dum singula curiosius discere studuerunt, atque cuncta in singulis audentius profiteri, meritò dubitare de cunctis in singulis didicere, & cùm neminem credant superiorem se habere, vel parem, iam neque habent cui credant quicquam, neque quem consulant. O insipidã sapientiam! ô scientiã inscitia omni cõfusiorem! Hanc Salomon omnium diuino iudicio, sapientissimus afferre laborem, inquit, atque dolorem. Hanc apud Deum insipientiam existimari, Paulus Apostolus asserit. Huius cogitationes apud Deum vanas haberi, Propheta Esaias exclamat. Hoc illis non immeritò videtur accidere, qui res veras in alio potiùs quàm in veritatis ipsius lumine videre confidunt, perinde ac si quis mentis lumine captus, colores rerum non in solis ipsius splendore, sed in oculi radio se credat inspicere. Proinde qui in actione primum obtinere gradum existimantur, primum reuera tenent in passione,

& cùm maximè dominari dicuntur, tunc maximè seruiunt. Postremò, qui voluptatibus propensius obsequuntur, ij sæpius incidunt in dolores, & cùm potissimum ingurgitare videntur, vehementissime sitiunt & esuriunt. O miseram mortalium sortem, sortem miseria ipsa miseriorem! Quonam igitur miselli confugiemus, vt miseriam nostram quandoque procul effugiamus? Ad Philosophiam ne illam sophistarũ curiosissimam? An ad imperium? An ad voluptatẽ? Heu nimium ad hæc iam toties frustra refugimus! Siquidem superbior illa Philosophia molestissimis nos quęstionibus implicat. Imperium autem extrema quadam & periculosissima opprimit seruitute. Voluptas denique breuis & falsa, veris & longis doloribus inficit. Forsitan operæpretium erit, si volumus, quod sequimur assequi, vt ad illa dumtaxat, quæ nusquam fugiunt, fugiamus, nusquam verò id solùm potest fugere quod mouetur nusquam, cũ impleat vniuersum. Verũ quid opus est vt moueamur ad illud, quód nõ mouetur vsquam, quod vbique singulis adest? ne moueamur igitur, neque circa plurima distrahamur, sed in vnitate quantum possumus maneamus, æternam siquidem vnitatem, vnamque æternitatem non motu vel multitudine, sed statu & vnione consequimur Cæterùm, quidnam est istud? amici eia dicite, quid est istud? Nunquid est ipsum bonum, quod vniuersum implet? Nihil enim reperiri potest, quod non sit ipsius boni præsentia bonum. Hoc ipsum est, nonne videtis? Hoc ipsum est quod appetunt omnia, quoniam ab ipso sunt omnia. Atque idcirco singula per ipsum perficiuntur, quatenus huic adhærere nituntur. Bono autem, vt mihi quidem videtur, non alia ratione, quam amore possumus inhærere. Quandoquidem hæc ipsa boni conditio est, vt appetatur, & appetibilis ipsius vt sit bonum. Atque id quod nobis optimum est, cùm primùm amamus, hæremus. Quippè cùm amor sit bonum aliquod summo bono quàm proximum, quoniam est flamma boni. Vbicunq; verò flamma boni feruet ardentius, ibidem & boni lumen clarius emicat. Quid Epistola, si Deus est ipsum bonum, ipsa lux boni, ipse boni lucentis amor, amemus, ô amici! amemus obsecro, ante alia bonum lucidum lucemque benignam. Sic enim non modo nostrum amabimus Deum, verumetiam amando fruemur, siquidem Deus est ipse amor, ipse amor est Deus. Ergo in primis ferueamus illo, sine cuius calore nihil calet. Vt benigna illius luce refulgeamus ad votum, sine cuius splendore nihil lucet. Agite, amici, maneamus in eo, quod recedit nusquam, & permanebimus. Seruiamus soli omnium Domino, qui nulli seruit, ne seruiamus vlli, sed omnibus dominemur. Fruamur illo si possumus, possumus autem si volumus; nam volendo fruimur, volumusque fruendo: fruamur, inquam, illo, quod solùm exuberat per immensum, atque ita solùm prorsus implebimur, ita solùm verè pleneque gaudebimus. Vbi enim bonum viget absque defectu, ibi voluptas absque dolore sentitur, ibi gaudium vndique plenum.

Non creauit ad parua quædam Deus homines, sed ad magna.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

DIalectici solent dicere, eam esse contradictionis conditionem, vt siquis in alteram eius partem iam inclinetur, non possit eodem momento in partem alteram inclinari. Ingenium verò meum vsq; adeò distractum est hoc autumno, vt neque loqui velim, neque silere: rursus, neque agere possim, neque non agere. Forsitan quia duplex quodammodo sum, qui videor esse simplex. Sed sim & duplex, vt in Phædro vult Plato, imò etiam triplex, vt idem disputat in Timæo, modo quod in me ad honestum negotium trahit, superet semper quod ad ignauũm ocium retrahit & torporem. Ecce superat iam quod ad agendum inuitat atque loquendum, itaque & loquor vtcunque possum & ago. Verùm surgit in nobis nescio quomodo statim altior quæstio. Quoniam iocari velim parumper (vt soleo sæpè) ac saltem ad Caualcantem meum faceti aliquid scribere. Atque cùm hoc potissimum proposito sumpsi calamum, scribo rigidiora, & qui Lyrica vel Comica tento, interim Elegia vel Tragica perago. Vis dicam, amice, Saturnum me vnicum his temporibus elegisse, in quo cunctas rigiditatis suæ vires experiatur? Sed non vis istud (vt video) mi Ioannes, nec ego volo. Quid ergo dicemus, ô amice? Deum velle sacerdotes suos esse omnium seuerissimos, neque leuia inter sacra tractari, sed grauia. Hac forsitan ratione Pythagoras discipulis suis præcepit in Symbolis, ne iuxta sacrificium vngues inciderent. Non creauit ad parua quædam Deus homines, sed ad magna, qui non implentur paruis, ac magna nouerunt, imò verò solùm ad infinita crea-

uit eos, qui soli in terris infinitam reperere naturam, quibus finitum nihil, quamuis maximum, penitus satisfacit.

Nullus incontinens potest sapiens esse.

MARSILIVS FICINVS, Philosophis & Sophistis, S. D.

INter omnes animæ vires, quæ in cognoscendo versantur, supremæ sunt intellectus & ratio, infimæ verò gustus & tactus, hæ quidem ad naturam descendunt maximè corporalem, illæ verò ad incorpoream ascendunt substantiam atque diuinam. Quisquis igitur his omnibus simul seruire contenderit, nimirum frustra contendet. Neque enim supremorum radiis illustrabitur, quisquis infirmorum tenebris se prorsus immerserit. Neque infimorum ridiculis auscultabit illecebris, qui vera supremorum bona gaudiaque gustauerit. Non attinget animus rationes rerum verissimas, quæ sunt à corporibus separatæ, nisi ipse seipsum, tum morum purgatione, tum speculationis intentione à corpore separauerit. Nullius existimabit quæ tempori subiiciuntur in terris, qui cœlum ipsum iam possidet, ipsamque (vt ita dicam) metitur æternitatem. Mitto quod quemadmodum oculi rubra quadam ophtalmia laborantes, vel amara lingua, nihil nisi rubrum sẽtiunt, vel amarum, sic animus qui ob diuturnum amorem obsequiumque circa corporea iam quasi corporalis euasit, quæ diuina sunt vel nulla esse putabit omnino, vel saltem corporea iudicabit. Mitto quam libero & quam diuturno opus sit ocio ad occultissimas rerum rationes inuestigandas. Nihil autem magis seruile, nihil magis negotiosum atque solicitum cogitari potest, quàm anxia eius vita qui sensibus tanquam dominis seruit, & pluribus & insanis. Ac dum tyrannis insipientibus mancipantur, sapientiæ insuper profitetur obsequium. Quoscunque igitur corpori stultè seruire deprehenderis, sapientes esse negabitis. Quos autem esse noueritis sapientes, hos non serui sui corporis seruos, sed dominos iudicabitis. Anxij certè viuunt, qui solis seruiunt corporis voluptatibus. Sed multomagis anxij, qui voluptates infimas cum supremis frustra copulare conantur. Nam cùm nimium vtrinque laborent, neutra ex parte, vel mentis, vel corporis voluptatibus perfruuntur. Nullos Deus reprobat magis, quàm eos qui sordidis vitiorum vasculis nectar & ambrosiam haurire confidunt. Nullos probat amaque magis (vt disputat Aristoteles) quàm qui mentem Deo simillimam in primis colunt, & à corporis labe longe dissimili segregant, diuinumq. lumen non nebulis obruere vitiorum, sed pura student mentis serenitate percipere. Hæc ratio & Socratem (vt opinamur) induxit, vt moralem in primis disciplinam hominibus exhiberet, & Pythagoram, vt à sacris Gymnasiis suis profanos longè propelleret. Quia sicut vas fœtidum, quemcunque liquorem infuderis, vel suauissimum, reddit sua contagione fœtentem, sic mala mens accepta scientia malitiam parit, non sapientiam. Prætereà, sicut aër ad lumen solis, sic mens se habet ad veritatis & sapientiæ lumen. Ergo neque aër, neque intellectus vnquam dum nubilus est, suos radios comprehendit, & vterque comprehendit subitò, cùm primùm purus & serenus euasit. Huc tendit Platonis illud in Epistola ad Syracusanos. Quod diuinum est, inquit, disci non potest, quemadmodum cætera quæ discuntur, sed ex diuturna circa diuinum ipsum consuetudine, vitæque similitudine, subitò quasi ab igne scintillante lumen effulget in animo, seque ipsum iam alit. Quid igitur tot lucubrationibus incumbitis, ô Philosophi! quid tam longis disputationum ambagibus opus est Sophistæ? Vnica, nonne videtis? Vnica ad lumen ipsum via nobis est ipsa serenitas. Heu! frustra sæpè confiditis impuro purum (quod Socrates damnat) attingere. Eia discite à Platonico Galeno, impossibile esse animam sanguine & adipe suffocatam cœleste aliquid cogitare. Discite rursus à Pythagora & Platone, sapientiam mẽtis nihil aliud esse, quàm summi ipsius boni lumen per animos verè bonos, tanquam specula quędam purissima vbiq; diffusum. Ergo cùm primùm boni penitus euaseritis, summi ipsius boni splẽdore, hoc est sapientia, refulgebitis. Sol cœlestis qui oculos animalium generat rerumque colores, idem apertis purisque oculis colores ostendit. Sol supercœlestis, id est veritas ipsa, res veras procreat atque mentes. Sol idem res veras puris ad ipsumque conuersis mentibus patefacit. Purgate rationis oculos ab omnibus corporis huius noxijs sordibus, auertite mentis aciem ab infimæ vmbræ materiæ, conuertite intelligentiæ interioris aspectum ad lucem ipsam formę supernæ. Vnde primum materia satis iam præparata corporeis formis repẽte formatur, inde mens parata sufficienter statim incorporeis formis afficitur. Et quam claris illustratur radiis veritatis, tam vero gaudio abundè perfunditur.

Philosophi sæpe dum discunt curiosius disputare, interim consultare dediscunt.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

QVidnam ais, ô vir, in rebus tãtum nostris delicatissime? Obrui ne te his diebus à nobis quereris copia literarum? Ah! quid agis mi, Ioannes, ferto precor leuiora hæc æquo si potes animo, quando nos multo ferimus grauiora. Cur te turbo numero literarum? Quia videlicet ipse nimia cogitationum turba confundor. Ita solent qui ocio nimio redduntur negotiosissimi. Præstat autem opprimente ocio negotiosum esse, quam prementibus negotiis ociosum. Consule conphilosopho illi nostro quid potissimum in sua causa sit acturus. Ignosce, amice, Philosophis, nam sæpe Philosophi dum discunt curiosius disputare, interim consultare dediscunt.

Solitudo Philosophi, non remissio mentis, sed intentio esse solet & debet.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Bembo Veneto, S. D.

SEcessi Nonis Septembribus in mõtem Celanum nostrum procul ab vrbe, remittendi, imò potius intendendi animi gratia. Nam solitudo Philosophantibus non tam remissio mentis quam intentio esse & solet & debet. Hic, Bernarde, qua die accepi exspectatissimas literas tuas, pauloante scripseram, nescio quid, ad familiares meos, forte tragicum magis quam Philosophicum. Sed qualecunque id sit, frustra esset ad meos scriptum, nisi Bembo meo imprimis transcriberetur. Quicquid verò Bembo dicitur, Phœbo quoque Capellę, & M. Aurelio dictum existimamus. Cum in vrbem rediuero, vbi illud reliqui volumen in quo nostra illa decem sunt argumenta eiusmodi transcribantur. Siue me tibi nunc commendauero, mi Bernarde, intellige Heroẽm illum nostrum Ioannem Caualcantem sub Marsilij nomine commendatum. Siue dixero Vale, intellige tibi sub Marsilij verbis ab Heroë prosperam valetudinem exoptatam. Cura vt valeas. At video Bembum meum neque posse neque velle absque delitiis suis bene valere Bernarde, Landinus & Bracciolinus tui tibi bene valent, igitur bene Vale.

Prophanis sapientia non conceditur.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Bonincontro Astronomo & Poëtæ, S. D.

SOles sæpenumero dicere, Laurenti, non posse homines impios vnquam Astrologos veros euadere. Quod quidem mihi quoque videtur esse verissimum. Nam si cœlum Dei ipsius est templum, consentaneum est, prophanos homines procul à cœlo cœlestibusque arcanis expelli. Præterea non solum Astronomiam, verumetiam sapientiam omnem à Barbaris descendisse, Plato noster cęterique Græcorum sapientes proculdubio confitentur. Compertum vero habemus solos apud Barbaros Sacerdotes, Physicas, Mathematicas, Metaphysicas scientias tractauisse. Vtpote qui sciebant sapientiam præcipuum Dei donum, non nisi mentibus maximè sacris diuinisque vel debere vel posse concedi.

Hac potissimum (vt arbitror) ratione Christus vitæ magister ait, sacra mysteria dari quidem vulgo velata, electis autem discipulis penitus reuelari. Verùm quid hac in re nunc denuo vltra progredior? Lege, si placet, quæ in eandem sententiam superioribus diebus ad Philosophos scripsimus & sophistas. Adhibe his, amice, lectorem, si quem repereris doctrinam cum probitate præ cæteris coniunxisse. Dic amabo, Laurenti, quem ad hæc legenda nunc potissimum cogitas adhibere? Angelum ne Manectum? Hunc ipsum & tu cogitas video, & ipse modo hunc ante alios cogitaueram.

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

MARSILIVS FICINVS Sebastiano Foresio, charissimo compatri, S. D.

NEmo est ex omnibus familiaribus meis quicum altius dulciusque loquar, dulcissime mi Foresi, quam tecum. Cæteris enim lingua tantum vel calamo loquor, tibi verò sæpe plectroque lyraque, alioquin plectra sine te mihi silent, muta sine te mihi lyra. Age amabo, mi Foresi, quoties ad lyram canis, cane tu quoque mecum. At video te dum alteram istam intentius fabricas citharam, interea cantum sonumq; alterius prætermittere. Inter cœlicolas Sebastiane Phœbus pulsat quidem, non fabricat citharam, Mercurius

autem fabricat, ſed non pulſat. Nemo igitur confidat in terris vtramque facultatem & fabricandæ & pulſandæ citharæ pariter exercere. Si quis nobis obiiciat, illos nimium delirare, quibus nimium agitur res de lyra. Reſpondebis. Scio viciſſim, nos ob hoc ipſum (vt ita loquar) lyrare ne delyremus. Qui tractant graui a ſemper, ipſo nimirum grauitatis pondere deprimuntur. Qui continue leuibus occupantur, merito leui qualibet aura huc atque illuc impelluntur. Miſcenda nobis eſt, (quemadmodum natura nos docet,) grauitas leuitati. Vt grauitas quidem quadam, (vt ita dixerim,) modeſta leuitate releuetur & erigatur, leuitas autem grauitatis ſtabilitate firmetur. Verùm quid ago? Muſicam ne accuſo noſtram quaſi rem leuem? cuius dignitatem ſiue potius diuinitatem aliàs, (vt te non latet,) longa Epiſtola demonſtraui. Sed ne nimis forſitan indulgere Muſicæ videamur, ſummatim ita concludimus. Graui quidem concentu nihil grauius, leui autem nihil leuius, temperato nihil poſſe temperatius cogitari. Ergo ſalua ſit ſemper nobis rite vocantibus cithara mediocris. Tu quoque ſaluus eſto, ſi modo ſæpe Ioannem Caualcantem & Petrum Nerum noſtros oculos ſalutaueris.

Ipſe Lucas Marſilij ſcriba, qui hanc Epiſtolam tranſcripſi, me tibi commendo. Atque oro, ſi modo tanto munere dignus tibi videor, vt tantum me ames quantum ab ipſo Marſilio amari te video. Patronus, Foreſi, meus te tantum amat, quantum ipſe amas amari. Vale.

Nullum commodius in malis remedium quam patientia.

MARSILIVS FICINVS
Sebaſtiano Saluino Amitino
ſuo, S. D.

VVlgare, Sebaſtiane, Prouerbium habet, nihil eſſe difficilius patientia. Nos autem contra ſentimus, neq; eſſe admodum difficile, quod non ſit valde laborioſum, neque laborioſum eſſe, quod non ſit operoſum, neque operoſum videri, vbi nulla opus eſt opera. Quo autem pacto ibi opus eſt opera, vbi non agendum eſt potius quam agendum? Patientia verò non vt agas præcipit, ſed patiaris. Quanto difficilius agere eſt, quam pati, tanto difficilius bene agere eſt, quam bene pati. Cæteræ quidem virtutes omnes in bene agendo verſantur, patientia verò ſola in bene patiendo conſiſtit. Quid eſt autem aliud pati bene, quam paſſionem à malis illam non augere? Quid autem hoc eſſe dicemus, niſi velle pati, quod etiam ſi nolueris, ſis paſſurus? Quod niſi patiare libens, omnino patieris inuitus, & niſi te duci permiſeris, traheris violentius & raptabere. O miram patientiæ poteſtatem! virtutes quidem aliæ contra fatum quodammodo pugnant. Patientia verò vel ſola vel maximè omnium expugnat fatum, quæ enim fatum immutabilia neceſſariaque fore decreuit, patientia cum diuinæ prouidentiæ voluntate conſentiens, ita quodammodo mutat vt ex neceſſariis faciat voluntaria, ſicut qui male agit, bona ſibimet conuertit in malum, ita qui bene patitur mala ſibi vertit in bonum, nempe in perferendis malis ipſe bonus euadit. Tanquam igne aurum, ſic iſte aduerſitate probatur & claret, tanquam veteranus miles frequenti periculorum exercitatione fit & callidus & intrepidus, tanquam qui iam guſtauit amara, dulcia deinde ſentit acutius, vtitur iis ſapientius, fruiturque ſuauius. Non recte æſtimat quanti ſit bonum homo, qui non expertus eſt malum. Neſciet vnquam frui bonis qui malis nunquam didicit vti. Nullius proſperitas debilior eſt quam cui videntur omnia proſpere contigiſſe.

Prudentis eſt & in ſereno aëre pluuiam, & in pluuia exſpectare ſerenum, imò nihil in caliginoſa hac vita putare ſerenum, niſi ſub mente ſerena. Continua nos extrinſecus procella ferit, intrinſecus tantum nobis eſt petenda tranquillitas. Vnde calor, inde ſerenitas, inde calor, vnde lumen. Lumen autem non ab vmbra materiæ, ſed à mentis luce procedit. Errant, amice, in loquendo qui dicunt, ex multis malis, multas in vita hominum contingere paſſiones. Rectius admodum diceretur, vitam ipſam eſſe paſſionem quandam, miſeros ſine vlla intermiſſione prementem. Non remedia quæ ad tempus agant, ſed quæ continuè proſint, morbis ſunt continuis adhibenda. Conſultare, pugnare, repugnare, non ſemper valemus, bene autem pati poſſumus ſemper & patimur & pati patiendo docemur. Poſſumus nimirum id ſemper, cuius potentia in ipſa voluntate conſiſtit. Cum primum bene pati volumus, bene patimur, ſiquidem pati bene nihil aliud eſt quam velle pati. Si male agimus, proculdubio & mala patiemur & male. Si bene patimur, bene agimus. Si importune pugnabimus, amice, defatigabimur, & ipſa ſaltem defatigatione, vel à nobis ipſi penitus expugnabimur. Si ceſ-

ferimus opportunè procuidubio expugnabimus. Cedit durorum corporum ictibus liquidissimus aër, redit subito aër in semetipsum qualis & ante fuit. Dura verò corpora colliduntur prorsus atque franguntur. Lentissima & mollissima quæque infracta perdurant, ligantque durissima, quia cedere non nouerunt, cædi, frangi, ligarique coguntur. Ergo Saluine mi, fortunam vince ferendo, & vt alia vincas, (sicut cœpisti,) vince teipsum. Memento quoque in regione hac mundi maligna nihil intactum à malis abire, sed sub iudice iusto, imo sub iustitia iudice, nullum bonum præmio iusto, nullum malum debito supplicio posse carere. Patientiam verò bonum vsque adeò perfectum esse, vt absque ipsa cætera hominum bona perfici nequeant. Quæ enim ab aliis virtutibus inchoantur, ab ipsa perficiuntur. Vale, dilectissime frater, atque vt alij te ferant, ferto alios. Ego certe quoties, quæ me offendunt in homine video, toties esse me hominem memini, ideoque nonnihil quod alios offendat habere. Hac ratione multos fero quotidie, vt multi me ferant. Fert etiam patienter rigiditatem prolixitatemque nostræ huius Epistolæ. Ne vel ego incassum de patientia disputauerim, vel tu frustra nunc videaris audisse, quæ iampridem pro tua prudentia & discere & seruare cœpisti.

Solum Mineruæ templum contra fortunæ procellas homines protegit.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico
vnico, S. D.

Amicus ille noster binis iam literis apud me de sua fortuna siue sorte conqueritur. Ego vna hac Epistola consulo, vt ad templum Mineruæ confugiat, quo solo contra fortunæ procellas fulminaque protegimur. Nescio per quem commodius quam per te Epistola Mugellanos montes ascendat. Si vis lege, mitte si potes Vale. Sed quidnam cogitasti modo, dum legeres, si vis lege? Num forte permittere vt ille tua potius quam tu legat? Fac tandem vtcunque placet. Ego verò nolim cuiquam nostra placere, nisi ei viro qui ante omnes mihi placet, ante placuerint.

(∴) (∴) (∴)

Amicitia vetus extrinsecis non eget officiis.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti Amico
vnico. S. D.

Responde quæso Ioannes, si modo iusta rogo, cur tot iam literis meis non respondes? Nescis verborum sapores morum afferre suauissimum nostris populis condimentum? Quidnam in acrioribus mihi dulce? Ioannes. Quid rursus in dulcioribus acre? Ioannes. An forte putas cum primum nostras Epistolas legeris, respondisse, præsertim cum verbis meis affectu semper operaque respondeas. Ac sæpè antequã loquar quicquam, ipse cuncta peregeris. Est ita profecto. Sed scio te vlterius processisse, nam cogitasti primum respondere, ac etiam quid potissimum responderes. Vide inde, quod & ante peruideras, Marsilium cogitationibus tuis propinquiorem esse lingua manuque tua. Ideoque inter animum tuum atque meum ministerium linguæ manusque interuenire non posse. Recte admodum diuinas, & ego recte diuino. Nam & tu cogitando scripsisti Ioannes, atque ego meditando legi dum scriberes. Verùm vt alij etiam tua hæc legere possint, quæ tu mihi responderis, nunc ipse transcribam. Ioannes Marsilio S. D. Vetus consuetudo nostra, Ficine, iam fecit vt nihil mihi amplius afferre possis noui. Noui iamdiu ingenium, Marsili, tuum, sensum habeo omnem, verbaque teneo. Erraui modo. Non enim tam consuetudinis diuturnitas quam initium ipsum istud effecit. Nempe ab ipso diuini huius amoris initio non partem mihi gradatim animi tui partemque subinde aliam, impertisti mi Marsili, sed totum semel in me vnicum penitus transfudisti. Tantumque muneris huius in alios qui abs te amantur, effunditur, quantum in eos ipse refundo. Quid igitur dare nobis conaris vlterius? Nihil habes omnino quod non habeat qui te habet. Ergo frequens scribendi, rescribendique officium, quod inter alios est perfectioris beneuolentiæ signum, hoc ipsum inter nos, si ad nos propriè referretur, beneuolentiæ imperfectioris foret indicium. Multo magis tu in amicitiam nostram loquendo forte delinquis, quam ipse silendo. Videris enim nescio quid inter nos numeri adhuc & absentiæ suspicari. Ego verò simplicem vnitatem continuamque præsentiam qualis est, ita confirmo, vt tu maximè confirmari desideras. Quid ergo? Nunquã ne mutuæ inter nos literæ perferentur? Absit vt ex affluentissima intimi fontis a-

bundantia nihil effluat vsquam, nihil extra redundet. Absit vt quod ardet intus, nunquam extra refulgeat. Sed hac ratione vltro citroque sæpenumero & scripsimus & scribemus, vt quæ nostræ mentes, imò nostra mens vicissim cogitat, & secum ipsa loquitur cogitando, cæteri etiam nonnunquam vsu intelligant literarum. Sed me cupis bene valere, quod certe ante omnia cupis bene. Vale.

Qui Musis abutuntur, non mel, sed fel ab earum fonte reportant.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Manetto Ciui præclaro, S. D.

SVnt amice, nonnulli & Latini scriptores & Græci, qui homines literarum admodum studiosos apibus comparent, propterea quod instar apum ex multis sparsim authoribus, ceu floribus, colligant, quod deinde capacibus memoriæ aluearibus conditum & quadam meditatione cōcoctum mellifluum pariat doctrinæ eloquentiæque liquorem. Siquis autem comparationem eiusmodi ab optimis authoribus confirmatam, fore negauerit, hic dignus mihi videbitur, qui fel potius quam mel ab ipso Musarum fonte reportet. Ego igitur non demam huic similitudini quicquam, sed potius addam. Audisti, (vt arbitror,) amice, nonnunquam, vbi apes quam plurimos lambunt absinthij flores, mel ibi sæpissime fundere, quod summis quidem labiis delibatum quodammodo dulciusculum videatur, sed ipsis subinde faucibus haustum haudquaquam dulce proueniat, sed pene instar fellis amarum. Compertum habemus idem ferme nonnullis literarum illiconibus lurconibusque librorum, qui neque modum habent vllum, neque delectum, sæpe contingere, nempe quanto auidius dulcissimos Musarum latices haurire videntur, tanto nescio quid amarius interim corde concipiunt. Hanc forsitan Latini bilem, Græci melancholiam cognominant, morbum, quemadmodum Aristoteles probat, curiosorum peculiarem literatorum. Hac Salomon ratione, studium literarum occupationem quandam onerosissimam appellat, addiditque tristitiam ipsi scientiæ comitem. Quid igitur ad Aristotelicum illud dicemus? Scientiæ arbor, inquit, radices quidem habet amaras, fructus verò dulci[illegible]mos. Profectò dabimus hoc Aristoteli. sed addemus, fructus eiusmodi fortassis esse poma persica, quorum dulcedini amarus quidam subest nucleus. Quid ergo? Musas ne detestabimur? Absit vt cœlestis nectaris, & ambrosiæ fontem stygios amarosque effundere riuulos, opinemur. Quantum igitur vsum ipsum laudamus Musarum, tantum vituperamus abusum. Quisnam maximè Musis abutitur? Nisi qui aut harum vestigia temere importuneque sectatur, aut vulgarem his Venerem imprudenter admiscet, aut eas à duce ipsarum Apolline segregat. Non capiunt scientiam inscij homunculi, sapientiam ipsam insipide capessentes. Non rite camenæ canunt, sed silent potius aut strident, vbi petulans Veneris filius interpellat. Non apte Pieridum saltat chorus, imò claudicat & vacillat, vbi dux chori procul abest Apollo. Proinde qui solis lumen percipere sine solis ope confidit, merito in tenebras corruit, non surgit in lucem, qui verum hoc & verum illud seorsum à summa veritate disquirit, proculdubio non in verum incidit, sed in falsum. Qui supernum nectar in stygia palude quæritat, nimirum sub vmbratili scientiæ melle verum fel opinionis merito bibat.

Nunquam aduersa reuera patimur, nisi cum patimur & peruersè.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

NArrat nobis iterum dilectus amitinus ille noster longo ordine, quot indies patiamur aduersa. Ego verò, vtpote qui iamdiu in me ipso sum expertus, nunquam magis aduersa reuera me passum, quam cum paterer & peruersè, scribo ad illum, imò & ad me ipsum Epistolam quandam de facilitate fœlicitateque patientiæ. In qua forte legenda opus sit legentis audientisque patientia, lege hanc patienter, optime mi Ioannes, ac si dignam existimas quæ mittatur, ipse mitte.

Amicitia perfecta verbis literisque non indiget.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Cardinali Senensi, S. D.

QVoties venerande pater sumo calamum, quod equidem tento quotidie, quo ad patronum meum aliquid scribam, cuius opera, siue negotio potius, ocium sum adeptus, quo multa quotidie scribam, toties patronus ipse meus, his me gratis ad-

modum clamoribus interpellat; Coram quem quæris adsum, pone igitur, Ficine, calamum. Quid nam vllis opus est literis, vbi veras assidue datur audire ac reddere voces? Illos qui ipsi inter se videntur absentes, aliquando præsentes efficiant. Hos verò contra, qui sibi inuicem adsunt vbique, forsitan abesse monstrarent. Noli igitur hunc abs te seiungere calamo, cui semper te corde coniungis. Quid hic faciam? Nescio mi patrone. Dum ipse quædam erga me contraria facis, ego interim duo vicissim contraria patior. Tu quidem calcaribus vt curram frequentius vrges, atque vnà fræno cohibes, vt quiescam. Ego verò siue non moueor, ignauus videor & ingratus, siue moueor insolens & ineptus. Verùm dum te meum sic animum distrahente, ego sic mutuo distrahor, hæc interim, nescio quomodo, è manibus erumpit Epistola, eo videlicet consilio, non vt tibi quidem loquatur, qui cum ego sine Epistola pro arbitrio loquor, sed populo potius, vt sentiat omnis, quantum in omnibus patronus clientulusque consentiant. Commendauisset tibi modo Caualcantem nostrum Epistola velut absentem, nisi cum primum ipsa te salutauit, te coram Ioannem tuum vidisset astantem.

Merito inuitus omni caret bono, qui sponte caret Deo, qui est omne bonum.

MARSILIVS FICINVS
Leoni Michaëli Peripatetico Veneto, S. D.

SI quis nostrum tanto ardore ipsum amaret bonum, quod est omne bonum, quanto quotidie omnes bona hæc amamus, & illa quæ absque ipso bono non sunt bona, certe tantum saltem boni semper gaudiique sentiret, quantum mali nunc omnes assidue dolorisque sentimus. Imò verò illius gaudium tanto ferme, & verò hoc dolore nostro vehementius, & falsa voluptate suauius esset, quanto substantia boni ipsius & potentior est quam malum, & verior quam bonitatis imago, atque etiam pura mens perspicacior quam impura. Nunc verò quid mirum? si omnia nos mala sequuntur, dum ipsi relicto primo bono, id est, Deo, male singula sequimur tanquam bona, quæ omnia sine primo sunt mala. Merito toties inuiti in omne malum incidimus, quoties sponte ab eo cadimus quod est omne bonum. Quid nam huc & illuc tamdiu dementes & infelices erramus? Profecto dum solum singula sequimur, interim vnum ipsum fugimus, quod est cuncta. Qui autem ipsum dumtaxat sequitur vnum, in eo mox cuncta consequitur. Potest nimirum mens omnia consequi, quæ solum pendet ex illo qui est super omnia. Hinc certè homo animalium solus accepit, vt quicquid vult assequi valeat, modo in eo ipso quod vult, velit insuper agere quicquid valet. Probo igitur te magnanime Leo, quod non turberis vlterius circa plurima, sed quemadmodum testatur Carolus Valgulius, testis apud nos locupletissimus, optimam iamdiu partem illam elegeris, quæ quoniam non solum à toto suo effluit fonte, verumetiam refluit in eundem, idcirco totam gustantibus implet sitim, atque ab ea mente quæ gustauit, semel nunquam aufertur.

Cum Deus sit ipse amor, quicunque absque Deo aliquid studet amare, hic absque amore tentat amare.

MARSILIVS FICINVS
Locterio Neronio, S. D.

SCripsi, optime mi Locteri, præterita æstate Epistolam quandam ad amicos meos de amicitia vera, quæ forsitan frustra ad veros amicos mihi scripta fuisset nisi legeretur ab illis, qui in eo ipso sunt nobis amici, sine cuius calore nullus amare quicquam potest, sine cuius splendore nil potest amari, sine cuius amore quicquid amare videmur, quoniam extra amorem ipsum affectamus amare, odisse potius cogimur quam diligere. Sine cuius amicitia, tanta magis quælibet inimica sunt nobis, quanto magis videntur amica. O mirabilem bonitatis ipsius & pulchritudinis amorisque copulam. Vbi enim bonorum lucet bonitas, ibi splendet pulchritudo pulchrorum, ibidem flagrat & amor amorum. Siquidem ipsam boni lucem pulchritudo sequitur tanquam splendor, pulchritudinis autem radios amatorius sequitur ardor, tanquam reflexio radiorum.

Solus feliciter dominatur qui volentibus dominatur.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Cardinali Senensi, S. P. D.

DIc amabo quibus potissimum in præsentia verbis te inuocem, benignissime mi patrone. Magna quidem isthæc in qua constitutus es dignitas postulare videtur, vt (reuerende in Christo pater) exor-

ciat, sed longe maior clementia tua & maxima quædam humanitas allicit, vt sic ferme familiarius inuocem. Salue amice dulcissime. Ac ne proprium patroni nomen clientis ori dulcissimum fuerit prætermissum, salue iterum mi Francisce suauitate suauior. Quando eiusmodi nunc ambiguitate laboro, quid faciam? Profecto vbi dignitatis gradus superat humanitatis affectum, dignis quibusdam superbisque titulis profari solemus, vbi verò singularis potentiam dignitatis excedit, humanis familiaribusque nominibus exordiri debemus. Ipsi præsertim qui apud te non hospites sumus & aduenæ, sed tua potius benignitate domestici. Solent, amice dulcissime, tunc maximè dolere clientes, quando patroni nihil daturi videntur, ego contra hoc ipso summopere gaudeo, quod patronus meus nihil mihi sit daturus vlterius, quippe cum nihil sibi reliquerit sui, sed iamdiu seipsum nobis secumque sua omnia dederit. Viue fœliciter, amabilissime mi patrone. Non possunt amici tui non fœliciter viuere, te viuente fœliciter, qui totus viuis amicis. Cui familiares omnes ob hoc ipsum arctissime seruiunt. Nulla seruitus vel arctior vel iucundior quam voluntaria, nulla dominatio tutior & facilior quam amatoria.

Egregios grex improbat, Deus probat, apud quem gratitudo est & libertas.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti Amico vnico, S. D.

Accipe Ioannes duarum exemplaria Epistolarum, quas in amici nostri causa hac aurora excogitaui, & hodie ad sacerdotes illos dedi, quos nosti. Nescio qua fortuna, atque id quidem non est mihi curæ. Vtinam saltem scirem qua Musa. Non sum mercenarius. Scio mercenarij fructum esse, bene recipere, liberalis verò artis finem, bene fecisse. Quicquid fit, saltem nostrum hunc in memoriam redigam, forsitan præstare dices obliuionem quærere, quam memoriam, & latere bene, quam male patere. Sed illius obliuiscantur cæteri, si quos delectat obliuio. Ille autem nequit obliuisci suorum. Compertum habemus, nullum vnquam magnum virum suis fuisse cognitum. Quid mirum? Sane egregii gregi non congruunt. Contrariis contraria non amantur. Liuor venerationis occupat locum. Caligant nimio splendore debiles oculi. Non capiunt grandia, qui paruis implentur. Sed hoc vnum mecum forte dolebis, mi Ioannes, quod forsitan non tam quia maximus sit ille noster, quam quia minimus censeatur, patriæ est ignotus. Ne doleamus, amice, dum modo & ille nobis & nos placeamus illi, qui minima æquè discernit vt maxima, maxima æquè capit vt minima. Non erit minimus quisuis ab eo probabitur, cui præ magnitudine sua, maxima quæcue infinitè minus sunt quàm minima. Nusquam obscurus erit, quisquis in eo lucebit, qui lucet in omnibus, in quo lucent omnia. Nihil autem facilius est quam placere illi, cui quidem placere nihil est aliud quam velle placere. Ergo vides, quod mirabile est, minima quæque bona multo chariora esse quam infinitum bonum, hæc siquidem non nisi magno cum labore ac pretio comparantur. Illud autem si emitur, emitur voluntate. Sed cur istud amice? Forte quia exuberat immensum, & quia illius pretium est in illo. Cætera quidem nos emimus, illud verò reuera vitro nos emit, emit, inquam, nos & voluntatis bonitate sua, & bonitatis voluntate nostra. Igitur cum id bonitate agatur vtrinque, atque ipsa bonitas ipse sit Deus, pretium est vtrobique. Nec vnquam liberi sumus omnino, nisi postquam infinitæ libertati nos libere vendiderimus. Cum primum eius sumus qui suiipsius est solus, tunc solum sumus & nostri. Filii nusquam magis quàm in paternis laribus liberi imperiosique sunt. Parentes nulli libentius quam filiis obsequuntur. Sed ne longius digredi cupiam videar, vnde cœperam, finem in eo faciam; ad quem digredi, nihil aliud est quam regredi.

Quod Philosophia non docet, imò vetat cum principibus viuere & conuersari.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

In eo libro quem hoc anno ad Bernardũ Bembum Venetorum oratorem de laudibus Philosophiæ composui, rationibus multis afferre conatus sum, Philosophiam cuncta docere. Vnum hoc excipere debui quod non docet nos vitam cum principibus agere. Nam si id vetat omnino, vt certè vetat, nullo modo docet. Vetat autem penitus vt mihi videtur, quandoquidem contraria iubet, nempe inueniendo veritatis amore tranquillitatem animi & libertatem vitæ desiderat. Apud principes autem non veritas habitat, sed mendacia, simulationes, dissimulationes, obtrectationes, adulationes. Non tranquillitas animi, sed cura,-

sollicitudo, inuidia, & omnis denique perturbatio. Non libertas omni charior auro, imò tam misera seruitus, vt neque subditis parcat vnquam nec principibus, eiusque finis sit vel seruitus vel ruina. Neque obiiciat mihi quispiam Cirenaicum Aristippum, non Philosophum, sed Phidolosum & Philosomatum, tam belle aliquādo cum Dionysio Syracusanorum tyranno versatum, nam hic Philosophiam, si vnquam antea sub Socrate indutus fuerat, tunc primum exuit cum induit Dionysium. Quem tamen induisse quandoque pœnituit. Expertus est enim Dionysij quidem capiti gladium, Aristippi verò ceruici & gladium eundem & Dionysium imminere. Multo hac in re vel prudentiores vel certè fœliciores, Democritus, Heraclitus, Socrates, Antisthenes, Diogenes, Crates, Xenocrates, Apollonius Theaneus, Plotinus, aliique permulti, qui liberam & ditissimam paupertatem seruilibus pauperrimisque regum diuitiis, atque dulcissimam sobrietatem amarissimis tyrannorum deliciis longè præposuerunt. Operæpretium est magnos illos considerare Philosophos, quorum memoriam veneramur, qui multo fœlicius quam homines alij cum principibus regibusq; vixissent, si modo id homines posset Philosophiam docere. Mitto, quod suum Ciceronem Philosophum non ignobilem adolescens Octauianus beneficiorum ingratus, non magnā causa inductus, hosti nefario tradidit occidendum. Nero absque causa præceptorem suum Senecam Philosophum sanctum morte damnauit. Rex Macedonum Alexander Philosophum Calisthenem magistrum eius ob hoc dumtaxat obiecisse dicitur leonibus laniandum, quod ab eo disputando superaretur. At quis non valde miretur deos illos Philosophorum Platonem nostrum & Aristotelem viros omnium grauissimos, qui cætera omnia nouerant, quæ sunt, quæ fuerant, quæ mox ventura trahantur, tam infœliciter, ne dixerim imprudenter, tyrannis vsos fuisse, vt minimam ob causam in summum capitis discrimen adducti sæpius fuerint? Vtpote qui cum induebant principem, Philosophum non exuebant. Quem forte exuere apud Persarum regem Cyrum Socraticus coactus est Xenophon. O nimium miserabilem apud potentes sortem Philosophorum! Diuinus Plato bis venundatus est, proh dolor! Ter subiit mortis periculum sub Dionysio maiore atque minore, tum libri cuiusdam Theologici, quasi ex mente Platonis à Dionysio scripti, & à Platone quodammodo retractati, tum vel maximè quod eosdem tanquam magister instrueret, quotidie ad iustiorem gubernationem adhortaretur. Alexander Macedo magnum illum sapientia virum Aristotelem magistrum pædagogumque suum ignominiosè nimium expulit, deinde etiam crudeliter est insecutus, siue Calisthenis Aristotelici causa, siue quod Aristoteles arcana naturæ prius Alexandro tradita post in vulgus ediderit. Leuissima causa cœlestem Pythagoram sese doctorem optimatibus immiscentem in Crotoniensi Republica imò tyrannide perdidit. Xenonem Eleatem Metaphysicum singularem leuis causa perdidit sub Hierone, sub Nicocreonte similiter Anaxarchum. Ac ne me à Philosophis in præsentia transferam ad Poëtas, mittam iniustum Ouidij exilium, mittam quod Musici certaminis causa Nero suum Lucanum diu quidem odio habuit & denique interfecit. Mittam quod Domitianus, nescio qua ambitiuncula impulsus, in suo illo muscarum ludo, familiarem eius Statium interemit. Sed, vt orationem meam cum Philosophis iam concludam, nemo vsque adeò sit humanæ facultatis ignarus, vt confidat se posse rite libereque philosophari ac simul secure tutoque vitam apud principes agere.

Solus in amando laudandoque, nunquam fallitur cui amandi laudandique lex Deus est.

MARSILIVS FICINVS Georgio Cyprio legitimo Medico, S. D.

QVisnam seruit turpissimè? Qui seruo seruit. Quis miserrime? Cui merces seruitutis est pœna. Igitur turpissimus & miserrimus est qui seruit corpori. Rursus qualis qui seruit vulgi rumoribus? Vanus, inquietus, infortunatus. At qualis qui sese his mancipat qui vulgo videntur egregij? Parum prudens. Quippe diligendi sunt homines, non adorandi. Sed diuturno ac saltem trilustri examine iudicandi & diligentissime deligendi antequam diligas, alioquin & amor iudicium fallit, & euentus frustratur amorem. Laudandi autem paucissimi, & hi quidem iam prorsus adulti, atque iamdiu prouecti, & ij rursus moderatissime. Alioquin laudando vituperamur ac sæpe pœnitet laudauisse. Solus nunquam fallitur cui & amandi & laudandi lex Deus est. Vt solum Deum suiipsius gratia veneretur, homines amet in Deo, in hominibus laudet Deum. Quorsum hæc? Nempe cum viro

viro præceptis moralibus instituto de præcipuis morum institutionibus disseruerim. Vale.

Fides gignit spem, spes charitatem, charitatis ardor affert intelligentiæ claritatem.

MARSILIVS FICINVS D. Bernardo Bembo Patritio Veneto iurisconsulto & equiti clarissimo, S. D.

PAulus Apostolus diuinæ sapientiæ vas electissimum, cum in cœlum tertium raperetur, vnde terrenorum mentibus cœlestis amor accenditur, solem inde illum inuisibilem subito vidit, cuius splendorem nemo prius suspicere potest quam per eius flammas diuino quodam accendatur amore. Solus autem eiusmodi flammis prorsus accenditur, qui & radiis eius omnia illustrantibus veram semper adhibet fidem, & in eiusdem calore benignissimè cuncta fouente spem omnem firmissimè collocat. Cum verò quantum luminis ex eo mihi sole nuper illuxerit haud satis intelligerem, Bernarde clarissime, iudicem ad hoc Ioannem adhibui Caualcantem, verum quoniam & hic similiter vnà mecum caligare videtur, idcirco eadem ambo sententia Bernardum Bembum nostrum linceis præditum oculis hac re iudicem constituimus.

Amore humano nihil infirmius, diuino nihil firmius.

MARSILIVS FICINVS Hieronymo Amatio, S. D.

QVam diuersa est amoris ratio atque aliorum pene omnium, amantissime mi Amati. Cætera siquidem quanto maiora sunt, tanto etiam firmiora censentur, amor autem & gratia contra, quo apparet ingentior, eo videtur infirmior. Crebrioribus enim sæpe leuioribusque causis ingens amor quam mediocris offenditur. Aut effectus ipsius ardor igneam incitat bilem, quæ paruo quodam afflatu nonnunquam magno irarum fluctuat æstu, aut cogitatio fixa bilem procreat atram, omnia tuta timentem. Aut certe auaritia eius qui totum alteri dedisse se putat, ideoque totum vicissim exigit ab amato, nunquam habet omnino, tota quod mente petebat. Sed aduersa hæc merito patitur peruersæ mentis affectus, vel mollis penitus vel mercenarius, qui cum terreno solum vento pascatur quando adolescere videtur maximè, tunc tumescit potiusquam adolescat, ideo quo apparet grandior, eo reuera est imbecillior. Humanus ergo, res est soliciti plena timoris amor. Diuina verò charitas virtutum flammis accensa radiisque cœlestibus, cuncta sublimia repetit culmina cœli. Vbi nulla solicitat vnquam terrenorum formido malorum. Talis est mutuus amor noster amati. Ergo quam certus es amoris erga me tui, tam certus esto prorsus amoris erga te mei. Absit à nobis, vt pectus humanum humano pectori non respondeat sæpe vocanti, quandoquidem & fides fidibus similiter temperatis respondere videtur, & cithara consonas citharæ sonante altera reboat, & certus aliquando parens vocitantibus resonat Echo.

Nemo vere seruit nisi qui seruit volens, nemo dominatur verè nisi qui volentibus dominatur.

MARSILIVS FICINVS Raphaëli Riario Cardinali sancti Georgij suppliciter se commendat.

POstquam à vobis heri discessimus, non potui me continere quin tuam consuetudinem Ambrosia, (vt dicam,) & nectare dulciorem domesticis tuis vehementius inuiderem. Ergo ne inuidia peream, redeo celer ad illos hodie, quibus datum est epulis, (si dicere fas est,) accumbere diuum. Ac ne vlterius istinc cogar abire, rursumque liuore torqueri, eo nunc ad vos duce reuertor, qui nunquam abs te longe discedit, à quo nunquam ipse discedo, qui mihi imperat, tibi paret. Quisnam iste est? inquies. Quis hic sit paulo post, (si volueris,) audies. Hesterni quidem itineris dux mihi fuit pulcherrima Venus in Tauro, comitante Luna, plagam cœli mediam obtinens. Quod Petrus Leo physicus & Mathematicus optimus tibi, (vt arbitror,) confirmabit. Hodierni verò nobis itineris dux erit Veneris natus ille cœlestis gratissimus amor. Igitur amatorio quodam, (si vis,) affectu amatorem tuum Marsiliū excipe. Quandoquidem mira quadam benignitate naturæ amas, (vt audio,) etiam non amantes. Vide venerande pater quanta libertate siue potius licentia tecum agam. Amatorem modo appellaui me tuum, forte seruum potius dicere debuissem. Hei mihi erraui. Verum tu ipse in causa es, mi domine nam talem vbique te singulis præstas, vt qui libertate fiduciaq; maxima non vtitur tecum proculdubio seruilissimus diffidētissimusque omnium videatur.

Fortè etiam nō errraui. Satis enim me seruum sum confessus, vbi me professus sum amatorem. Nemo verè seruit, nisi qui seruit volens. Nemo dominatur verè, nisi qui volentibus dominatur. O quam mirabile est Veneris & amoris imperium! Siquidem, (vt tradunt Poëtæ,) neque Mars Venerem ferocissimus, neque omnipotens domat Iupiter ipse Cupidinem. Sed omnia prorsus apud poëtas numina amoris ipsius vel flammis vruntur, vel saltem radiis micant & splendore refulgent.

Veritas de institutione Principis

Ad Raphaelem Riarium Cardinalem.

NVlla te precor, Felix Antistes, admiratio teneat, quod hominis nullius nomen tanquam authoris huic epistolæ legas inscriptum. Quid mirum? non enim humanus affectus, imòveritas ipsa tecum in præsentia loquitur. Veritas nunc ad te non solum inermis, verum etiam nuda, (vt vides,) incedit, non argumentationum argutiis aculeisque munita, non elegantium verborum ornamentis induta, sic enim se esse potentissimam omnium atque pulcherrimam scit: quemadmodum quicquid luci accedit extrinsecus, non lucem illuminat, sed obfuscat, sic veritatem ipsam alienis additamentis debilitari (vt ita loquar,) & deformari. Hæc te in præsentia verbis plurimis obsecraret, vt eam mente benigna parumper audires pro tua causa declamantem, nisi te sciret, hanc ipsam semper audire libenter, præter quam quicquid auditur, male infeliciterq; auditur. Veritas. Cardinali Riario dilectissimo filio Salutem plurimam dicit, & verissimā pollicetur. Falso me Philosophi Sceptici aliique permulti calumniantur, quod tanquam rerum omnium obscurissima nusquam pateam. Longè se res aliter habet, quid enim lucidius mea luce, per quam Sol ipse mundusque lucet? quid rursus latius potest clariusque patere quam veritas? Per quam solam patent quotcunque vsquam patent. Extra quam quæcunque patere dicuntur, nihil aliud sunt quam tenebræ, quibus omnia latent. Non igitur auara sum vllo pacto, non inuida, passim cunctis vltro libentissimeque occurro. Verum multi nubila mente me prensant, quæ sola capior mente serena. Plurimi putant me alta Principum palatia colere, ego contra, sępius cogor tuguria petere, atque humiles habitare casas. Sane non obstant hic tecta mihi plena spiraculorum, non obstant parietes rimarum vndique pleni, aperta hic ostia mihi, me excipit vacua domus. Contra verò solidis ditissimarum ædium tectis parietibusque repellor, ac si quando mihi hæ patent fores, occurrit repente innumerabilium turba mendaciorum. Ego autem inter hostes non censeo permanendum, igitur subito inde fugam arripiens, domum ipsam auri quidem falsique plenam, veritatis autem inopem vacuamque relinquo. Sed venio ad te felix Antistes hodie, tecum libenter, si modo volueris, semper habitatura. Properaui equidem in ipso tuæ dignitatis initio, antequam hostes mei, id est pestifera adulatorum obtrectatorumque mendacia tuos lares obsideant.

Principio tam excelsum dignitatis gradum, neque meritis tuis attribuas, quæ in tam paucis ætatis tenerioris annis, tam multa (vt verum fatear,) non potuerunt. Neque rursus fortunæ sortique ascribas, sacra enim mysteria ordinesque diuini, non à temeritate fortunæ, sed ab æterna sapientia Dei proficiscuntur. Diuina igitur prouidentia statuit, perfectum quendam gregis Christiani pastorem sæculis nostris ab ipso, (vt aiunt nido,) assidue proprio fouere sinu, & sacra solum alimonia educare. Atque antequam puerilibus ludis irretiatur, rebusque vel prauis applicet animum, virilibus imbuere moribus, ac maximis optimisque officiis erudire. Deus igitur (sicut audisti) Deus ipse te nuper nouum hominem genuit, tu quoque vicissim terra dimissa cœlestem genitorem tuum cœlestibus amplectere moribus omnia complectentem. Tamdiu (mihi crede) stabis, quamdiu illi qui non mouetur hærebis. Noli altitudinis magnitudinisque humanæ viribus vllo pacto confidere, altissima quæque ventis atque fulguribus sæpius quatiuntur, molesque ingentes casu concidunt grauiore, difficiliusque resurgunt. Surge age in eum qui cadere nequit, nec ipse decides vnquam. Tunc enim homines ipsi se deserunt infeliciter, quando ipsum, sine quo esse nullo modo possunt, stultissime & ingratissimè deserunt. Heu quisquis tutorum eiusmodi relinquere tentat, haudquaquam relinquit omnino, simul enim in eundem recidit, sed vltorem. quicunque patrem benigne lucentem, impie negligit, interim eundem tanquam iudicem experitur vrentem. Proinde scis legitimos Cardinales nihil aliud esse quam quosdam Christianę ecclesiæ cardines Apostolorumque vicarios, atque idcirco debere non proprio vel sui ipsius vel alterius commodo, sed communi Ecclesiæ bono consulere.

Præterea nihil agere vel cogitare, vel loqui quod non sit sanctitate Apostolica dignum. Qui verò contra faciunt, neque Cardinales imò sacrilegos esse, neque Apostolorum vicarios, sed inimicos. Dicam ne? & hoc insuper vnum multorum venia dicam ne? Dicam certe etiam absque venia, nam cui licebit vnquam dicere verum, si non licuerit veritati? Scito etiam nihil fermè à viris Apostolicis alienius esse debere quam fastum, pompam atque luxuriam. Quantum Gaudes seruis extrinsecis dominari, tantum da operam vt & diuinis legibus seruias, & seruis intrinsecis, id est, sensibus domineris. Memento seruos tuos homines esse, tibique æquales origine, neque metu aliquo sed amore humanum genus natura liberum vel debere vel posse ligari. Quantum potentes penè omnes delectantur rebus singulis ordine quodam domi dispositis & ornatis, tantum ipse mente composita decorisque verbis & moribus delectabere. Musica tua erit affectuum animi & actionum omnium temperatio, ne cui consonant extrinsecus omnia, solus dissonet animus. Ludus quoque, scriptorum electissimorum lectio frequẽs. Ne fortè in summis opibus solus esse inops animus videatur. Venatores aucupesque tui sint viri quidam penes te probatissimi atque doctissimi, qui prudentia, humanitate mirifica omnium tibi gratiam & beneuolentiam comparent. Sola humanitas esca est, qua homines capiuntur, sola hominum gratiè prosperæ res humanæ geruntur. Nihil periculosius est in principe, quam si quamplurimi eum contemnant, vel oderint vel nimis inuideant. Contemptus quidem scientia, grauitate, integritate vitatur. Odium verò, innocentia & humanitate lenitur. Inuidia denique, munificentia, liberalitate, magnificentiaque sedatur.

Cũ omnes homines & specie sint ęquales & arbitrio liberi, iniquissimo nimirũ animo seruitutem ferunt, nisi fortè qui dominantur, quantum inferiores excedunt sublimitate, tantum eisdem æquentur humilitate, ac longe magis sapientia quam fortuna excellere videantur. Natura membris capite inferioribus solam dedit tangendi potentiam, solum verò caput omnium sensuum viribus exornauit. qua quidem in re homines admonuisse videtur, illos qui cæteris tanquam caput præesse conantur, tantum sapientia reliquos superare debere, quantum caput ipsum sensu membra omnia superat. Nullus omnino vir magnus confidere debet, mores suos posse latere. Maxima enim quæque maximè patent, & quibus inuident omnes & minimè ignoscunt & maximè detrahunt. Videat princeps, quandoquidem ipse difficillimè alios latere potest, nequid ipsum domi forisue lateat, imprimis ipse sit Argus, deinde lyncem quendam penes se nutriat, ac, (si fieri potest,) Oedippo quoque non careat. Periculosum admodum est in magnis contemnere parua, parua sæpe scintilla contempta maximum incendium excitat. Neque decens, neque tutum est, vel hunc omnino se dedere somno, cui pro multis sit vigilandum, cui rursus plures inuigilent, vel multorum hominum caput bestiæ mancipari, id est. ventri libidinique seruire. Optimum tutissimumque est, irasci nunquam, quid enim aliud est ira feruere, quam ebrium insanumque euadere? Vbi vero ira frenum excusserit, interea donec iracundia referuescat, fræno cohibenda est lingua. Ac velut insanis fieri solet, manus pedesque ligandi, nequid in ipso furore aut dicatur prorsus, aut agatur. Nullum in Pythagora iracundiæ signum discipuli vnquam deprehendere potuerunt. Non aliud irati Socratis argumentum familiares eius habebant, nisi silentium. Plato Philosophorum pater aliquando delinquenti puero subiratus, inquit Xenocrati, puerum hunc ipse cedito, ego enim dum iratus sum nequeo. Sit tibi animus humilis pariter & excelsus. grauitas comitate permista, vita sobria, lingua veridica, sed parcissima, Largissima manus, promissio non temeraria, firma fides, obseruatio plena, diuturnum consilium, prudentum sententia diligenter examinatum. Ne multi quotidie te facilè fallant, neque multis ipse neque facilè credas. Non persuasio blanda vel leuis quælibet coniectura, sed ratio duntaxat certa te moueat. Neque aggrediare principium nisi finem ipsum, tam optimum quam certum ante prospexeris. Malos & infames deuita ministros, ne malus ipse Dominus habearis. Sed cur illud modo quod maximi momenti est, tam celeriter & quasi conniuentibus oculis pertransiuimus? Amorem Poëtæ cęcum ideo pingunt, quoniam amator vbi vel de se ipso, vel de amata re iudicat, sæpissimè fallitur. Cum vero neminem vehementius, quam seipsos homines ament, certè à nullo magis quam à seipsis decipiuntur. Noli igitur tibi quicquam credere, noli rursus vnico te totum cõmittere consultori, sed plures habeto, atque illos quidẽ admodum seniores, quos experientia rerum diuturna

docuerit, quorum mores tibi tanquam optimos constantissima commendet, ac res ipsa manifestissimè probet. Quoties vnà cum senioribus tuis de re grauiore deliberas, caue tuam intelligant voluntatem, ne fortè cupiditatem tuam potius quam vtilitatem & dignitatem cōsulendo sequantur.

Omnino autem quotidie tuis edicito, tantum tibi veritatis donum, (vndecunque offeratur,) fore iucundum, quantum solent tyrannis auaris preciosissima quæcunque munera grata contingere. Aperi precor monentibus aures, ne cor ipsum fortunæ telis aperire cogaris. Obstrue omnino aures laudatoribus, quasi maleficis cantibus Syrenarum. Memento te hominem esse, ideoque nonnulla in te, quæ redargui possint, semper habere. Quamobrem quicunque domesticorum sine vlla exceptione te laudant, eos vel cæcos esse, vel tales qui velint esse te cæcum. Si leges eos tanquam veneficos seuerissime puniunt, qui vel oculis oculos fascinant, vel carminibus quibusdam captant aures, corpusue inficiunt, quidnam in illos agendum esse censemus qui assentando blandiendoque mentis oculos obcæcant, auresque pręripiunt: Ergo si videre, si audire, si viuere vis, adulatores omnes voluptatumque ministros velut hostes longius amoue. De his autem qui interdum nonnullos apud te criminantur, quid dicemus? Hi forsan aliquando parumper audiendi videntur, nunquam tamen exaudiendi. Si quando abs te audiuntur, te cautum reddant, potius quam vltorem. Hoc solo vltionis genere contentus esto, si vlcisci posse monstraueris. Detractores verò, maledicos, inuidos, non aliter quam canes rabie percitos, à liminibus suis procul expellito.

Domus denique tua sit Dei templum, prudentiæ oculus, libra iustitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar, charitatis splendor, fons gratiarum, Musarum chorus, oratorum Poëtarumque gymnasium, Philosophorum Theologorumque sacrarium, prudentum senatus, ingeniorum fomentum, præmium literatorum, pauperum mensa, bonorum spes, refugium innocentum, præsidium miserorum. Si hæc cæteraque eiusmodi pro viribus obseruaueris, tandem vocem illam felicissimam audies: Super hanc petram fundabo ecclesiam meam.

Commendo tibi Marsilium Ficinum Florentinum, cuius ore tibi superiora narraui.

Tunc solum viro dignitatem nacto congratulari debemus, cum dignitate dignus apparet.

MARSILIVS FICINVS Cardinali Riario suppliciter se commendat.

NIsi veritas ipsa tibi diebus superioribus præcepisset, vt aures obstrueres laudatoribus, miris nunc laudibus literas tuas prosequerer. Quæ quidem, proh Deus omnipotens, quantum? Sed ecce me cantilenam modo laudatoriam, (vt ita dixerim) inceptantem, quamuis non redarguat veritas, tamen, (vt audio,) Riarius modestissimus interpellat. Non vis coram laudari, venerande pater, Esto sane, verum permitte saltem vt hoc ipsum quod ita laudari inhibeas, pro arbitrio laudem. An fortè vetas & istud? Ne acrior gloriæ stimulus qui te à fronte non pupugit, à tergo te feriat. Obtemperabo equidem domino. Sed tantulum mihi dabis interea, vt si tibi minus, saltem tum ipsi gratuler dignitati, quod eum virum tandem ornare statuerit, à quo ipsa ornari iam pene similiter videatur, tum fortunæ gaudeā meæ, quod cum sim veritatis amator, eum nuper patronum nactus fuerim, cuius patrona est ipsa veritas, ipsius quoque veritatis felicitati congratulabor, quæ cum intermis & nuda prodierit, non hostes reperit, sed amicos. Hæc tamen, venerande pater, his me diebus sæpe iam corripit, non quia inermem miserim, sed incultam. Quis eam neget incultam nostris exisse liminibus? Quam haudquaquam comitata est ipsa religio, quæ cultum omnem continet veritatis. Ergo ne vlterius de me aut mecum, aut apud te veritas conqueratur, religionem insuper eius pedissequam ad te mitto, sed inermem similiter atque nudam. Non tamen opinor aut veritatem, aut comitem illius religionem incultam vllo pacto fore penes Cardinalem nostrum sedulum vtriusque cultorem.

Veritas virum reddit dignitate dignum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Sodorino Iurisciuilis peritissimo, S. D.

VEritas ipsa, Soderine dulcissime, nostris precibus exorata, superioribus diebus Cardinalem nostrum Riariū salutauit. Non tamen videtur hæc precibus meis ad votum satisfecisse, nisi Soderinum

quoque amicum veriſſimum ſalutauerit. Errat autem ſi quis putat veritatem hanc ad te poſterius acceſſiſſe, nempe quæ Riarium adit poſt dignitatem, eadem ad te ante dignitatem eo conſilio proficiſcitur, vt, vel reddat vel ſaltem declaret iam ipſa dignitate te dignum.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

MARSILIVS FICINVS
Bernardo Bembo Veneto, S. D.

DVm mei literas Æneæ conſidero, clariſſime Bembe, videor mihi matrem illius Venerem ſuſcipere Ioui coniunctam. Siquidem noſter Æneas modo iura cum Ioue grauia dictat, modo cum Venere amatoria concinit. Vbique verò luculentus apparet, vbique benignus occurrit. Si fortè quæſiueris, quodnam leuibus animis cum grauibus ſit commercium? natura ipſa rerum protinus reſpondebit. Sub cœlo quidem elementa leuia grauibus commiſcere, floreſque & folia pomis. In cœlo autem tardis velocia, fixa mobilibus temperari. Summa quoque tùm Mercurio cum Saturno, tùm Veneri cum Ioue qualitatum ineſſe concordiam. Igitur omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. Vale feliciter mi dulcis vtiliſque Ænea.

Malo meis literis mente reſponderi quam manu.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni petro Apollinari Peripatetico ſingulari, S. D.

VTrum cauſa eadem contrarios circa ſubiectum idem effectus queat efficere, ingens eſt apud Philoſophos controuerſia. Hanc nuper litem noſter nobis diremit Amatius, atque id effici poſſe, nõ verbis, vt dialectici ſolent, ſed re ipſa monſtrauit. Siquidem in contrarios nos eodẽ tempore affectus induxit. Laudat hic mirificè Ioannempetrum Philoſophum ſingularem, & amat ardenter. Ego autem dum ita laudantem audio, ad ſcribendum aliquid prorſus impellor, dum video ardenter amantem. Amatum Philoſophum in amante, nobis agnoſco præſentem, ideoque reuocor à ſcribendo, exiſtimans præſentes amicos Epiſtolis non egere. Quid igitur faciam? Scribam ne? Scribam certè, vt ego quoque in diuerſos te affectus quodammodo diſtraham, vt videlicet non reſpondeas ſimul atque reſpondeas. Ego vir egregie quam tepide ſcribo, crede mihi tàm ardenter amo. Ergo mihi inepte ſcribenti reſponde, calamo nihil, ſed apte amanti, reſponde precor amore. Ac ſi nos amas, cura valetudinem tuam diligentiſſimè. Non enim poteſt his Philoſophia temporibus, niſi ipſe valeas, bene valere.

Maiorem charitatem nemo habet quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

MARSILIVS FICINVS
Laurentio Medici viro Magnanimo, S. D.

SAlue magnanime Medices noſter optime medice. Verè cœleſtis medici ſolus officio fungeris, ille ſiquidem æternum filium è cœlo dimiſit in terras, morborum medicum humanorum. Tu quoque chariſſimum ad nos filium heri vltro miſiſti, qui ægris admodum animis mederetur. Ille pro humani generis ſalute filio non pepercit, ipſe etiam pro conſolatione noſtra non peperciſti filio. Non enim te vulgata hæc epidemiæ ſuſpicio tenuit, quo minus mærentes amicos ingenui filij præſentia conſolareris, vt diuinum præceptum illud prorſus impleres: Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Laurenti dum vndique ſaluti noſtræ adeò proſpicis, noſtra omnia trahis ad te ipſum, vt in te potius quam in nobis iam viuamus. Quo fit vt ſi vices tibi rependere non poſſemus, poneremus vtique & nos noſtras pro te animas, ſi haberemus, ipſe has Medices habes. Has igitur vbicunque placuerit ipſe pone. Vale feliciter vnice patrone hactenus, nunc vnice pater.

Felix eſt qui habet omnia quæ vult, habet autẽ omnia quæ vult, qui omnia vult quæ habet.

MARSILIVS FICINVS
Franciſco Saxetto felicitatem dicit.

SOlum Saxette felicem ſapientes exiſtimant, cui ad votum cuncta ſuccedũt. Soli ad votum cuncta ſuccedunt, qui omnia quæ vult habet qui omnia vult quæ habet. Ille ſingula vult quæ habet, id eſt, quæcunque velle natura vel ſorte contingunt, qui primum quidem intelligit, nullum ſe bonum nolle deberet. Deinde iudicat, illum qui ab initio cuncta facit bona, quotidie ſingula bene vbique diſponere. Poſtremò vt nemo ſibi diſſentiat vſquam, ipſe cum omnium authore conſentit. Solum ergo felicem exiſtimamus

qui cum summa pietate se ipsum Deo gubernatore commiserit, quicquid acciderit, vel tanquam à Deo factum probat, vel saltem laudat tanquam à Deo in bonorum ordinem redigēdum. quæris forsitan, qua ratione potissimum id ostendam? Vna hac duntaxat ad præsens, gaudet enim Epistola breuitate. Si vel Solis lumen infinitum esset, vel ignis calor immensus, neque tenebris vsquam pateret locus, neque frigus vllum alicubi sentiretur. Scimus vnum illum vnius mundi rectorem, qui tantam molem tempore tàm bene regit & mouet, neque vnquam defatigatur, bonum esse prorsus immensum, si immensum est proculdubio & infinito, (vt ita dixerim,) se spatio propagat, & infinito virtutis gradu omnia superat. Vbi nam igitur malum habitat, si non potest esse cum bono, ac bonum ipsum occupat vniuersum? Non ergo veram alicubi malum, sed imaginariam habet sedem, haudquaquam in ipsa natura, sed in ea potius mente, quæ vsque adeò de diuina bonitate mentitur, vt sub immenso bono posse res aliter putat disponi quam benē. Contra verò nihil contingit illi non bonum, qui nihil existimat esse non bonum. Vt autem ita res existimare possumus, ideoque feliciter viuere, sola nobis potest præstare religio. Præstabit autem id tibi quandoque plus duplo quam cæteris, mi Francisce, si tantùm ipse religione alios superabis, quantum hæ tuæ ædes amplissimæ alias superant. Duplo tibi Saxette, religiosior domus est quam cæteris, aliæ certè sacellum vix vnum habent, tua verò gemina & illa quidem speciossima continet. Viue religiosior duplo quam cæteri, mi Francisce, Vale duplo felicior.

Prosperis peruersius vtimur quam aduersis.

MARSILIVS FICINVS
Raphaëli Riario & Francisco Saluiato
Archiepiscopo Pisano, S. D.

ARistoteles scribit in libro de moribus, difficilius esse dolores perpeti, quam à voluptatibus abstinere. Quod quidem forsitan ratione videtur esse probabile, quia dolor in destruenda natura potentior est, quam voluptas in conseruanda vel reparanda Præterea vir sanæ mentis, (si optio detur,) eliget à voluptatibus abstinere potius, quam pati vel ferre dolores. Verūtamen nescio qua stulta siue potius misera mortalium sorte contingat, quod plerique prosperis peruersius quam aduersis vtantur, & qui doloris non cesserant minis, cedant tamen illecebris voluptatum. Mitto nunc Achillem, Hannibalem, M. Anthonium, aliosque permultos, qui borea quidem furente constiterant, blandiente tamen aura conciderunt, cumque emerserint felle profundo, statim pauculo submersi sunt melle. Ac si liceret mihi muscas heroibus, more Homerico, comparare, adderem muscas acido quidem vino nunquam, dulci verò sæpissime suffocari. At verò quis non valde miretur, si modo considerauerit, quam sapienter Hebræorum sapientissimus Salomon in labore durauerit, quam insipienter libidini succubuerit? Præterea Gentilium fortissimus Hercules quam fortiter summa quæque discrimina superauerit? quam molliter collum voluptatis iugo subiecerit? Si fortè quæsiueris quam ob causam res prosperę magis molliunt frangūtque animos quam aduersæ, Philosophia sic breuiter respondebit: prosperitas vberiore afflatu animos inflat, rerum copia immoderatos facit & negligentes, licentia reddit deteriores, id est, ad scelera cuncta procliuiores. Profectò appetitus quisque natura bonum eligit atque sequitur, malum verò fugit & fugat. Voluptas quidem boni, dolor contra mali imaginem præ se ferre videtur, igitur vbi voluptas nobis occurrit, non modo non repugnamus, sed vltro velut amicam sequimur, eique cedimus & obsequimur. Atque hoc, (vt est apud Platonē,) velut hamo capti, hostibus, id est, malis deinde, quæ sub voluptate latent, clam necamur. Vbi verò facies tetra se doloris ostendit, tota protinus naturæ vis tanquam contra hostem in nobis armatur, vnde strenue sæpe pugnamus, faciliusque apertum hunc inimicum vincimus, quam proditorem. Quamobrem vt prosperè prosperis rebus vtamur, meminerimus, mali naturam tanquam insidiatricem, quo miseros fallat & perdat, sub prætextu quotidie boni, id est, voluptate, se nobis offerre. Alioquin malum ipsum, præsertim animi vitium, sicubi nondum nobis occurreret, cum vel ipsa turpitudine turpius sit, subitò fugeretur, sed voluptas, quæ boni ipsius imago est operum, hospitio facillime à quolibet quasi bonum excipitur, at paulo post hospitem suum merito clam ferro incautum superat. Fugiamus itaque voluptatem, vt dolorem procul effugiamus. Nocet empta dolore voluptas.

Nunquam deeſt amantibus ſcribendi materia.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Bembo Veneto Iuriſconſulto & equiti clariſſimo, S. D.

IAmdiu perquiro legitimam apud te diuturni huius ſilentij noſtri purgationem, atque idcirco vlterius interim ſileo, quia quam maximè afferam ſilētij cauſam non inuenio. Scribo tamen in præſentia ob hoc ipſum, optime Bembe, quoniam quod potiſſimum ſcribam haud ſatis inuenio, hoc ipſum videlicet ſcribens, me nihil habere quod ſcribam. Quidnam facimus, Bernarde dulciſſime? Vides quid mali nobis exſpectatio faciat? Nempe dum ego tuas propediem exſpecto literas, tuque meas, neuter noſtrum exſpectatiſſimas dat, neuter accipit literas. Ergo certemus poſt hac Epiſtolis inuicem pręuenire. pręſertim cum nobis non ſit expectandum, quid muſa ſcripturis dictare voluerit, illis enim Muſę eſt expectandus afflatus, quibus non afflat amor, quibus autem afflante amore corasſiduè flagrat, iis eodem illuſtrante ſemper inuentio lucet.

Præſtat dare ſuperflua quam debita denegare.

MARSILIVS FICIVNS Pierleono Spoletino conphiloſopho ſuo, S. D.

EPiſtola tua, conphiloſophe noſter, myſteria Platonica petit à nobis, ſimul & Platonica tractat. Tam belle petit, vt neſciam negare petenti, tàm bene tractat, vt mittere nequeam. Siquidem nihil habeo prorſus, quod ad eum mittam, qui cuncta iam poſsidet. Ergo quid faciam? Parcus ne ero tàm gratioſè poſcenti? An potius ſuperuacuus largitor omnia poſsidenti? At qui malo aliquando darè ſuperflua, quam debita forte negare.

Gratia naturalis plus perſuadet, quam acquiſita eloquentia, humanitas plures vincit quàm violentia.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Marco Aurelio oratori clariſsimo, S. D.

QVemadmodum occidente quidem Sole, mœrere, oriente verò lætari cuncta videntur, ſic Bernardo Bēbo quondam hinc abeunte populus hic omnis manifeſte condoluit, iamiam redeunte congratulatur. Iuuat hic Senatum Venetum parumper affari. Si quando diuine ſenatus vel ſiſtere fluuios volueris vel ſaxa mouere, non Orpheos aduocabis, non Amphiones, imò Bernardum. Non enim minus hic tacendo ob mirabilem quandam gratiam perſuadet quam illi canendo. Si longinquas aut rebelles oportuerit ſubigere nationes, non Cæſares Pompeioſue mittes, imò Bernardum. Plures enim faciliuſque hic humanitate capit atque amore, quam armis Imperatores. Quorſum iſta tecum optime Marce? Vt ipſe intelligas familiaribuſque ſignifices, quantum apud omnes veſtra iſthæc probetur electio, atque Bernardum ipſum, noſtrorum præſertim literatorum nomine roges, vt & celer & alacer carpat iter. Meque ipſum veniens feliciter iam mihi reſtituat, quem diſcedens facillime rapuit.

Excuſatio de libro Aſtronomiæ ſerius reddito.

MARSILIVS FICINVS Anthonio Beniuenio medico legitimo, S. D.

LIbrum ſtellarum, quem iamdiu commodo mihi dediſti, tandem tibi reſtituo, quod ſerior ad te redit non in me qui properantior eſſe ſoleo, ſed in ſtellas ipſas reiice culpam. Omnes enim Anthoni curſum prius ſuum peragere decreuerunt, quam domum reuerterentur.

Excuſatio diuturni ſilentij.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Raphaëli Riario ſancti Georgij Cardinali ſuppliciter ſe commendat, S. D.

AN putauiſſes vnquam venerande pater, tàm diuturnum inter nos ſilentium cadere potuiſſe? At desines id vnum (vt arbitror) forte mirari, ſi modo communem rerum huius temporis omnium ſortem diligenter conſideraueris? Prodigioſus nonne vides? Prodigioſus agitur annus. Quotidie tot noua, tàm inaudita contingunt, vt ſit quotidie verbum eiuſmodi repetendum, Non putaram. Verum vt dimiſſis publicis ad propria veniam. Cupieram equidem iamdiu aliquem nanciſci ſequique principem, qui mihi placeret omnino, cui æquè & ipſe placerem. Nactus ſum tandem, acceſſitus ſum millies, non ſum ſequutus. Hoc nunquam poſſe fieri pu-

tauissem, ah quoties ipsam, vt ita dicam, impossibilitatem sum execratus. Tu quidē primo impossibilia iubebas, mi Raphaël, cum me tua sequi vestigia obsecrabas. Non enim priuatæ solum causæ quas adducebam, sed etiam publicæ quædam & potentissimę quas declarare non poteram, retinebant. Ego autem paucis post discessum tuum diebus & tædio mei affectus & tui desiderio inflammatus, impossibilia similiter exoptabam, me videlicet, non venisse solum sed etiam præuenisse. Atque iterum iisdem miser causis retinebar. Verum quod vel discindere vel dissuere tentauerat sæuitia Martis atque Saturni, interim Veneris Iouisque benignitas resarcire vndique studens, reduxit Florentiam subitò archiepiscopum nostrum Amalphiēsem, mihi quidem familiarissimum, tibi vero præcæteris deditissimum. Qui cum pro arbitrio possem toties de Raphaële meo verba facere, quoties ad id me ardens affectus vrgeret, quem rursus ante haberem tui reciprocum laudatorem, hic præcipuus ægritudinis meæ medicus extitit, hic meum mihi restituit Raphaëlem. Siquidem vbicunque sunt duo in tuo nomine congregati, ibidem ipse ades. Meministi quam sæpe, quam multum Amalphiensis iudicium apud te probitatemque laudauerim. Si quando Amalphiensem ipsa præsentia noueris, affirmabis me verè quidem illum sed parcissime laudauisse. Frater eius Petrus Nicholinus vir egregius, illius causam commendabit. Marsilius tuus si bene quid vnquam apud te meritus esset, ipsum tibi pro cunctis suis meritis commendaret, cum verò nulla sint merita, quod quidem summopere dolet, saltem ob solam tùm benignitatem tuam, tùm virtutem Amalphiensis, ipsius tibi rem iterum iterumque commendat.

Patientia sine religione haberi non potest.

MARSILIVS FICINVS
Anthonio Cocchio insigni Iurisconsulto, S. D.

TRia præcipue, vt mihi videtur, patientia præcipit. Primum, vt mala libenter pati velis, quæ ipsa natura iubet vt pati nolis. Secundum, vt ipse tibi voluntaria facias, quæ fatum necessaria fore decreuit. Tertium, vt mala quælibet vertas in bona, quod Dei est solius officium. In primo quidem repugnare naturæ, in secundo verò expugnare fatum, in tertio denique iubet æquare se Deo. Longe facilius olim fuit Herculi Euristhei parere mandatis atque indomita illa monstra domare, quam nobis patientiæ ipsius præceptis obtemperare. Atque id quidem quanta moliamur difficultate, illud potissimum nobis ostendit, quod cæteris in rebus quicquid frequentissime tractamus, optime tandem facillimeque explere solemus. At verò in officiis patientiæ quantū proficiat vulgus, haud facilè video. Tota nimirum hominum vita in hac mundi regione maligna, cœlestibusque contraria mentibus, nihil aliud esse videtur quam morbus quidam dolorque perpetuus. Verūtamen cum assiduè patiamur mala, fermè continuè male patimur. Atque ad reliqua mala, quæ innumerabilia sunt, impatientia ipsa nobis accedit summa malorum, quæ adeò mala est, vt nihil nobis absque illa sit malum, nihil cum illa sit bonum. Sola enim impatientia facit, vt aduersa quæ ad externa corpusque tantum pertinere possent, in animum quoque pertranseant. Facit insuper, vt bonis à natura vel fortuna paratis minime perfruamur, patientia verò & mala bene ferendo transfert in bonum, & bonis vtendo bene felicissime fruitur. Profectò quam male, id est, difficile & infeliciter ferimus mala, cum à bono summo seiungimur, tam bene, id est, facilè feliciterque perferimus, quando bono summo coniungimur. Vbi enim est omne bonum, ibi solum reperitur omniū medicina malorum. Coniungimur autem, quando cum ipsa Dei gubernatoris omniū voluntate libentissime consentimus. Consentimus denique si amamus, imò si in singulis bonis amandis, agnoscamus, nihil reuera aliud nos amare quam summum ipsum diuinumque bonum, vnde & singula hoc ipsum habent vt bona amandaque sint, & nos id ipsum, vt & debeamus amari & amare possimus. Agnoscamus igitur, ô amice, precor, agnoscamus tandem, quandoquidem nihil vsquam, nisi ob ipsam Dei placet imaginem, nihil in his quæ placent aliud nobis placere quam Deum ipsum, ex quo singula hæc id ipsum habent vt placeant, sic vtique in omnibus amandis, Deum à nobis ipsum animaduertemus amari, sic cum ipsius voluntate libenter consentiemus, sic Deo coniuncti, fortunam, naturam, fatum feliciter superabimus. Profectò intelligimus, quemadmodum singula quæ vel calida sunt vel lucida ad summum calorem lucemque referri coguntur, ita quæcunque partem boni aliquam habent, id est, cuncta in vno mundi ordine bene sapienterque disposita ad

vnam summamque bonitatem & sapientiam manifeste reduci, cui cum nihil desit boni, vita prorsus adest æterna, intelligentiam rerum omnium summa, summa quoque benignitas, integra benificentia, perfecta felicitas. Cumque omnia inde quanto fieri potest melius disponantur, quicquid acciderit in melius semper accipiemus. In hoc vno patientiæ vis tota consistit, vt bene patiamur tanquam bonum; quicquid sub infinitæ bonitatis gubernatione contingit.

Sola malorum medicina est patientia.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Bembo Iurisconsulto & Equiti clarissimo Venetorum oratori, S. D.

QVoties his temporibus sumo calamum, quod facio sæpe, toties in mentem venit vt nonnihil de patientia scribam. Nihil ferunt aliud hæc ferrea sæcula nobis nisi malum. Nihil afferunt Musæ nobis aliud nisi patientiam, malorum virtutem perferendorum. Nunc metamorphosea illa est opus alchimia, quæ ferrum vertat in aurum. Vt sæcula pessima, quæ ob passionem ipsam ferrea veniunt nobis, saltem patientiæ munere aurea peragātur. Accipe igitur vir patientissime exemplaria trium Epistolarum de patientia breuiter disputantium.

Nihil magis vel necessarium vel voluntarium est quam amor.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Anthonio Vinciguerræ viro doctissimo Venetorum scribæ, S. D.

LEge feliciter vnà cum Bembo nostrum de religione librum. Atque viue semper Marsilij tui memor, imò verò, vt rectius loquar, Bernardi Bembi. In eum me iamdiu Deus ille, vt ita dixerim Magicus, transformauit, qui inter numina solus habet in liberas voluntates imperium? Cœlestis amor, Anthoni amantissime, solus sæpe voluntatem efficit necessariam; dum sic amo, vt non amare non possim. Ac vicissim voluntariam interdum reddit ipsam necessitatem, quando sic amo vt neque non amare velim, neque velim etiam posse nolle. Ergo siue Marsilium Bembum, siue Bernardum Ficinum cognominare libuerit, recte admodum vtrumque cognominabis. Eadem tu quoque nobiscum, nonne aduertis, ratione vinciris. Funiculus Anthoni triplex difficile soluitur, sed omnibus in rebus obseruandus nobis est Bembus noster. In hac vna forsitan aliquando parte vitandus. Dicam ne? Dicam certe, vbi enim exuberat amor ibi abundat & venia. Auerroicus videtur esse Bernardus quodammodo potius quam Platonicus, siquidem hic vnus illam Auerrois hæresim tacendo persuadet multo magis quam omnes Auerroici disputando. Quippe dum mirabili quadam gratia & amore conflante vnam in pluribus conficit voluntatem, vnum quoque, vt est apud Auerroem, significare videtur in pluribus intellectum. Verum nequid ominemur impij vbi de ipsa pietate disserimus. Dauidicus sit Bembus noster non Auerroicus, ô quam bonorum, ô quam iucundum habitare fratres in vnum.

Excusatio vbi serius respondemus.

MARSILIVS FICINVS Locterio Neronio, S. D.

NOli optime mi Locteri mirari si tardius Epistolas nostras quibus tuis respondemus acceperis, nam & literæ tuæ sero ad nos deueniunt ex ipso, vt ita dixerim, cœlo demissæ, & nostræ vicissim serius à terra cælestia petunt. Verumtamen inueni nuper, nescio quomodo, qua potissimum ratione me possim tollere humo, ipsaque parumper scandere culmina cœli. Prædam igitur vtcumque potero radios ab ipso Sole terras vsque porrectos. Quibus aliquando quasi funibus quibusdam pro viribus æthereas plagas ascendam. Atque ibi Locterium complectar meum, penè iam cœlestia complectentem. Quamobrem mitto ad te opusculi illius exemplar quod iamdiu de lumine conscripseram ad Phœbum Venetum oratorem, lege feliciter, sed ne interim Epistola sileat, quid nunc animus loquitur, Locteri, nisi tu mihi esses alter ego admonerem te ne ita posthac amplius amicos mihi meos surriperes, Ioannem certe Caualcantem meum heri nescio quibus filtris tibi adeò deuinxisti, vt nisi tu quoque meus esses ille iam desinat esse meus. Vale feliciter. Verum quid hic resistis inepte mi calame? quid cessas ingrate? Age nunc progredere paulo vlterius iam grate calame, exprime nunc gratissimum nobis illorum nomen quorum imagines animo iamdiu meo ipse amor impressit, Tho.

am Valorium & Georgium Anthonium Vespuccium insignes doctrina & probitate viros saluere iubeto. Sed lege iam Locteri, si placet.

Non ex humanis diuina, sed ex diuinis humana sunt indicanda.

MARSILIVS FICINVS Hieronymo Rossio Pistoriensi, S. D.

LEge feliciter nostrum de pia fide volumen, pie amice noster atque fide fidelior. Si quid in eo laude dignum repereris, Deum lauda absque cuius munere nihil est reuera laudandum. Si quid minus tibi forte placuerit, caue ne ob id ipsa tibi minus religio placeat. Noli rerum altitudinem diuinarum ex humani ingenij humilitate metiri. Non enim ab humanis diuina, sed à diuinis humana dependent. Viue felix nostri memor, amantissime frater.

Non cortex nutrit, sed medulla.

MARSILIVS FICINVS Florentinus reuerendo in Christo patri & D. suo Ioanni Nicholino archiepiscopo Amalphitano, S. D.

NOn eodem oculo Philosophorum, Theologorumque scripta legenda sunt nobis, quo Poëtarum vel Oratorum. Alibi quidem & si nonnihil oblectat extrinsecus, nihil tamen fermè reperitur quod nutriat. Hic autem non cortex nutrit aliquos, sed medulla. Aliud est olfacere flores, aliud carpere poma & sugere succos. Igitur diligenter enucleandi sunt sapientiæ fructus vt nutriant. Quanta sit vis in vino non qui tantum vidit, rectè iudicat, sed qui bibit. Quantum sit caloris in pipere, non qui solum tractat manibus, sed qui lingua gustat insuper, prorsus agnoscit. Quam ingens sit splendor Solis in æthere non citra, sed vltra nubes, imò potius discessius nubibus, intuemur. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quamobrem familiares tuos sæpe monebis, vt meminerint apud priscos Mineruam peplo velari. Atque vt mira Mineruæ ipsius opera haudquaquam conniuentibus percurrant oculis, sicut cætera solent, (vt ita dicam,) lynceis vigilantibus immorentur. Verum de his hactenus. Audio te Ioannes suauissima archiepiscopi Florentini consuetudine familiariter vti. Beasti me, nuper mi Nicholine, beasti certe me nimium. Vaticinatus es, (arbitror,) quam vehementer optarem iamdiu penes aliquem Iouialem vitam agere, quo nescio quid amari, atque, vt ita dixerim, Saturni quod mihi vel inseruit genesis, vel adiunxit philosophia, aliquando dulcissimo Iouis alicuius commercio leniretur. Tu ergo vt voti quandoque me compotem redderes, Rainaldo Vrsino Iouis ipsius alumno, te totum Nicholine dedisti. Nempe sciebas vbi Amalphitanus sit alter ego, ibidem me prorsus adesse. Vis me saluum fore, hunc saluta frequenter, eique Marsilium toties commendato quoties salutaueris. Vale feliciter. Sed dic amabo, putastine nunc è memoria nobis nostrum Quarqualium excidisse? quisquis Quarqualij mei me putat oblitum, me quoque putet oblitum esse mei. Scribo igitur ad illum nescio quid philosophicum ex eadem certe officina, sed vtinam bona depromptum.

Prospera in fato fortuna, vera in virtute felicitas.

Item Sinibaldo filio Pini Foriliuij Domini.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici Iuniori, S. D.

INgens amor erga te meus, egregiè Laurenti, iubet iamdiu me tibi dare ingentia dona. Contemplator cœli, nihil inter omnia quæ cernit oculis, existimat ingens nisi cœlum. Ergo si cœlum ipsum tibi hodie dedero, Laurenti, en quid erit pretij? Sed nolim modo pretium commemorasse, nam gratiis natus amor omnia dat accipituè gratis, neque pro cœlo quicquam sub ipso cœlo pari lance rependi potest. Tradunt Astrologi eum nasci omnium fortunatissimum cui fatum ita Signa cœlestia temperauerit, vt Luna primum haud male aspiciat Martem atq; Saturnum, deinde aspiciat bene Solem & Iouem, Mercuriumque & Venerem. Quantum Astrologi faciunt fortunatum, cui fatũ bene cœlestia disposuerit, tantum illum Theologi beatum faciũt qui ipsemet sibi similiter eadem temperauerit. At verò magnum id esse nimium inquies. Magnũ certe, aggredere tamen bona spe, ingenue Laurenti, maior admodum est ille cœlo qui te fecit, maior cœlo eris & ipse cum primum aggredi constitueris. Non enim sunt hęc alicubi nobis extra quærenda, nẽpe totum in nobis est cœlum, quibus igneus vigor inest & cœlestis origo. Principio

Luna quidnam in nobis significat aliud præter nostram illam continuam animi & corporis motionem? Mars deinde celeritatem, tarditatem verò Saturnus. Proinde Sol Deum, Iupiter legem, Mercurius rationem, Venus humanitatem. Eya accingere iam generose adolescens, atque hunc in modum vnà mecum tempera tibi cœlum. Luna tua, id est, continuus animi corporisque motus deuitet nimiam Martis celeritatem, tarditatemue Saturni, id est, singula maturè & opportunè pertractet, neque citius quam par est properet, neque serius differat. Præterea Luna hæc in te tua respiciat continue Solem, id est, Deum ipsum, à quo almos semper radios accipit, vt vbique colas præ cæteris illum à quo habes, & tu id ipsum vt sis colendus. Intueatur quoque Iouem, hoc est diuinas humanasque leges, quas nunquam transgrediatur. Siquidem abire à legibus quibus omnia constant, nihil est aliud quam perire. In Mercurium item, id est, in consilium, & rationem scientiamque aciem dirigat, neque absque prudentum consilio quicquam aggrediatur, neque dicat agatue quippiam, cuius non possit rationem probabilem reddere. Rursus hominem scientiæ literarumque expertem quodammodo cæcum arbitretur & mutum. Demum in Venerem ipsam, id est, humanitatem, figat intuitum. Qua videlicet admonetur, vt meminerit non posse à nobis in terris magnum aliquid possideri, nisi homines ipsos possideamus, quorum gratia terrena omnia sunt creata. Homines autem non alia prorsus esca quam humanitate capi. Eam caue ne quando contemnas, forte existimans humanitatem humi natam. Est enim humanitas ipsa præstanti corpore nympha, cœlesti origine nata, Æthereo ante aliàs dilecta. Deo. Siquidem eius anima spiritusque sunt amor & charitas. Oculi eiusdem grauitas & magnanimitas. Manus præterea liberalitas atque magnificentia. Pedes quoque comitas & modestia. Totum denique temperantia & honestas, decus & splendor. O egregiam formam! ô pulchrum spectaculum! Laurenti mi, nympha tam nobilis in tuo tota arbitrio posita est, si hanc ipse tibi connubio iunxeris, propriamque dicaueris, omnes tibi dulces afferet annos, & pulchra faciet te prole parentem. Denique, vt summatim dicam, si hac ratione prudenter tibi ipse in te cœlestia tùm signatum munera temperaueris, omnes fatorum minas procul effugies, auspiciisque diuinis vitam absque dubio beatam ages.

Cœlum pollicetur bona, virtus præstat.

MARSILIVS FICINVS Georgio Anthonio Vespuccio suo, Item Naldo, S. D.

AD Laurentium iuniorem scribo Epistolam de fatali prosperitate, quam à stellis quæ extra nos sunt plerumque sortimur, ac etiam de libera felicitate, quam pro arbitrio à stellis quæ in nobis sunt adipiscimur. Tu eam (si opus erit) interpretabere. Monebis quoque vt eam ediscat & seruet alta mente repostam. Quam magna isti nos pollicemur, tàm magna sibi ipse præstabit, si modo eadem ipse mente legerit, qua nos scripsimus.

De salute Philosophorum ante Christi aduentum.

MARSILIVS FICINVS Anthonio Hyuano Serezanensi, S. D.

MOsaica præcepta in duo genera apud Theologos distinguuntur. Alia ad naturale moraleque ius pertinent. Alia ad ceremonias & iudicia. Prima illa à Deo Mosi data sunt atque populo. Secunda Moses ipse constituit diuinitus inspiratus. Rursus prima omni hominum generi semper seruanda mandantur. Secunda Iudæos solos astringunt, videlicet vsque ad Messiæ ipsius aduentum. Prima quæ diximus, adeò communia sunt, vt cuique etiam minus liberaliter instituto vel solo naturali iudicio cognita esse potuerint. Quid enim in eis aliud continetur, præter Dei vnius cultum vitamque moralem? Pythagoras & Socrates & Plato, atque similes alij Dei vnius cultores, optimisque moribus instituti, eiusmodi siue Mosaica siue naturali disciplina, inferos deuitabant, superna verò sine superni Christi gratia mereri non poterant, quamobrem in mediam quandam regionem perferebantur, vbi in ipso lymbo de Messiæ aduentu, siue per Prophetas, qui ibidem similiter seruabantur, siue per Angelos, certissimi reddebantur. Hinc Gentiles similiter atque Iudæi sub ipsa Christi spe primum, deinde præsentia Christi superos repetebant. Legisti quæ de pace nuper in ipso bello scripsimus ad Pontificem. Lege iterum quæ de bello quondam in ipsa pace paucis ante bellum diebus Romam scripsimus ad Pacem quendam Florentini Archiepiscopi Scribam. Transcribo tibi Epistolæ illius exemplar.

Exhortatio ad respondendum.

MARSILIVS FICINVS Phœbo Capellæ Veneto oratori clarissimo, S. D.

PHœbe nisi responsa quandoque mihi dederis iam sæpe vocanti, forte negabimus esse te Phœbum, cuius præcipuum munus fuisse ferunt, dare responsa. Forsitan, inquies, non tantus es Marsili cui Phœbus ipse respondeat, sed age mi Phœbe, responde modo, nam subitò tantus ero. O si tantum dicere possem, Phœbus ipse semel mihi respondit, ô quantus essem.

Felix est qui verè gaudet, solus gaudet verè qui sola veritate gaudet.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Capponio Nicolai filio, S. D.

COmposui declamatiunculam quandam ad genus humanum de vitæ institutione breuiter disputantem. Tunc demum me bene rem tantam tractauisse putabo, cum tibi rectissime instituto, recte hominum genus instituisse videbor. Transcripsi tibi illius exemplar, lege feliciter, sed parum dixero nisi hoc vnum insuper addam, & viue feliciter. Quidnam aliud est felicitas nisi verum gaudium? Cuius gratia omnia omnes agunt. Ergo vt viuas feliciter, verè gaude, vt autem verè gaudeas, sola veritate gaude.

Pictura pulchri corporis & pulchræ mentis.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Familiaribus suis. Rursus Laurentio Medici, item Bernardo Bembo, S. D.

MVlta Philosophi disputant, oratores declamant, poëtæ canunt, quibus homines exhortentur ad verum virtutis amorem. Hæc laudo equidem & admiror. Alioquin, (nisi bona laudarem) essem ipse non bonus. Sed puto virtutem ipsam, (si quando producatur in medium) multo facilius meliusque quam verba hominum ad se capessendam cunctos adhortaturam. Frustra puellam adolescentis auribus laudas verbisque describis, quo stimulos illi amoris incutias, vbi ipsam pulchræ puellæ formam adolescentis oculis queas offerre. Monstra, (si potes, formosam digito, nihil amplius hic tibi opus est verbis. Dici enim potest quanto facilius vehementiusque pulchritudo ipsa quam verba prouocet ad amandum. Ergo si mirabilem virtutis ipsius speciem in conspectum hominum proferamus, haud opus erit suasionibus nostris vlterius, ipsemet citius quam cogitari possit persuadebit. Finge hominem vegetissimis perspicacissimisque sensibus præditum, robusto corpore, prospera valitudine, forma decora, congrua membrorum amplitudine, proceritate decenti. Finge hunc prompte sese mouentem & dextere, ornate loquentem, dulce canentem, gratiose ridentem, neminem amabis vsquam, neminem admiraberis, si virum eiusmodi, cum primum videris, non ames, non admireris. Age igitur vt facilius diuinam animi speciem ex congrua pulchri corporis similitudine cogites, redde singula singulis. Corpus enim animæ ipsius est vmbra, forma verò corporis, vtcunque potest, refert animæ formam, quamobrem viuacitas illa & perspicacia sensus in corpore, quodammodo sapientiam animi referat atque prudentiam, robur corporis animi fortitudinē, corporis sanitas quæ in humorum temperatione consistit, animi significet temperantiam, pulchritudo quam membrorum ordo constituit colorque decorus, iustitiæ ordinem & splendorem nobis ostendat, amplitudo quidem liberalitatem atque magnificentiam, magnanimitatem verò proceritas, dexteritas illa vrbanitatem & comitatem, ornatus sermo oratoriam. Cantus dulcis Poëticam facultatem. Denique risus ille gratissimus perfectum gaudium repræsentet, quo nos virtus ipsa perfudit, atque securam vitæ felicitatem. Collige iam singula quę narrauimus virtutis membra muneraque in vnum, venerandum subitò admirandumque spectaculum manifeste videbis O quam amabilis, ô quam mirabilis est hæc animi forma, cuius vmbra quædam est forma corporis, tàm vulgo amabilis, tàm mirabilis. Quantum verò virtus ipsa vbi oculis cerneretur gratissima specie ad seipsam singulos statim alliceret, tantum proculdubio vitium, si manifeste cernatur, deformitate sua deterrebit protinus & fugabit. Agite igitur, ô amici, diuinam ipsam virtutis ideam formamque semper ante oculos habeamus. Hæc nos gratia splendoris statim alliciet, suauitate ordinis atque harmoniæ iugiter oblectabit, bonorum copia prorsus implebit.

MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

(.·.) LIBER VI. (.·.)

ORATIO CHRISTIANI GREGIS ad Pastorem Sixtum, suadens vt ouibus suis dicat, Pax vobis.

Christianus Grex, Sixto beatissimo Pastori suo suppliciter se commendat.



HAVD facilè nunc inuenio (Pastor optime) vnde potissimum in primis exordiar. Hinc enim miris sanctitatis tuæ bonis prouocor ad laudandum, inde flebilibus miseriæ meæ malis reuocor ad querelas. Quid igitur in pręsentia faciam? Narrabo ne laudes tuas? An nostras potius ærumnas dinumerabo? cæterum, (vt videtur) nihil te laudando proficimus. Non enim crescit vulgaribus laudibus præstantia singularis. Præstat igitur vulnera nostra Medico nostro detegere, hac ratione potissimum curaturo, quàm laudes eius notissimas atque innumerabiles frustra dinumerare. Et si misera quadam necessitate compulsi importunius hunc obsecrabimus, suæ tamen misericordiæ potius quàm obsecrationibus nostris confisi, speramus eum omnem ab ouili suo pestem penitus expulsurum.

Si totus essem lingua, Beatissime Pater, explicare non possem, quanta nunc calamitate premar, quanto dolore conficiar. Dici non posset quàm ingenti olim gaudio sim perfusus, quando te mihi Pastorem Deus ipse præfecit. Audiueram equidem te esse Phœnicem Philosophiæ, sublimẽ ipsam Mineruæ arcem ante alios possidentem. Quod quidem adeò manifestum est omnibus, vt negari non possit. Verùm sperabam cum summa potestas summæ sapientiæ iungeretur, sæculum illud aureum rediturum, quod fore tunc Plato vaticinatus est, quando in idem potentia sapientiaque concurrerent. Demum quàm vera de sapientia tua iampridem audieram, fermè tam falsa de mea speraui fœlicitate. Vereor ne quis nimis contumeliosus vel minus patiens aliquando, sic audeat exclamare. Heu quantum hac in spe, mea me miserum fefellit opinio, conuersum est mihi gaudium in mœrorem. Non aurea, (quæ sperabam) sæcula sed ferrea sub Pontifice sapientissimo, quis credidisset? Ferrea sæcula redierunt, nihil vsquam video nisi arma in meam perniciem fabricata, nihil audio nisi armorum sonitum, equorum strepitum, tonitrus bombardarum, nihil vsquam sentio, nisi fletus, rapinas, incendia, cædes. Adde quòd & angor fame, & Epidimia indies magis magisque consumor. Et tanquam desint, quæ me intus sine fine fatigent, imminet assiduè capiti meo lupus omnium voracissimus, leo rugiens, vastus elephas, Draco pestilens, Teucer, (immanis hostis Ecclesiæ) iam iam nisi tu præsto affueris, misellum hunc gregem tuum teque in pri-

mis deuoramus. Ex te vno tanquam capite tota Christiana res pendet, in te vnum summa redundat vel gloria vel infamia, te maximum omnium manet vel præmium vel supplicium. Ergo nequid eiusmodi vel casus ferat, vel impatientia conqueratur, consule tibi in primis, sanctissime pater, nobisque prospice, serua te primum nobis, oramus, conserua nos tibi vicissim, beatissime pater, ignosce quęsumus filiis tuis, pater indulgentissime, atque fons indulgentiæ, si partim vrgentibus malis impulsi, partim charitate, tum nostra vsi, tum tua freti, monere sanctitatem tuam tanquam sus Mineruam aggrediamur. Charitas omnia credit, sperat, sustinet. Charitas nunquam excidit, summa quoque benignitas non potest quicquam accipere non benigne.

Memento esse te Christi mansuetissimi clementissimique Vicarium, obliuiscere, (sicut solebas) iniuriarum, quarum memoria, nihil est aliud homini quàm suiipsius obliuio. Odium si quod habes in tuos, ponito, vt solitam recipias, si modo amiseris, ingentem mansuetudinem absque te ipso non potes amittere. Charitatem igitur pristinam, (scimus quod loquimur) quam retinebis, ne pium illum genium tuum amittere compellaris. Non patieris quenquam tuis armis vlterius in gregem sæuire tuum, ne ipse alterius culpa pro Pastore lupus vel euadas vel saltem existimeris. Quisquis arma in tuos exercet, te proculdubio ante alios vulnerat. Non enim est vllus sine grege Pastor, & qui partem gregis aliquam vel abnegat vel amittit, Pastor iam desinit esse communis. Si nullius greges fueris omnium. Si fueris alicuius, nullius eris. Diuinum tibi Christus in primis concessit imperium, non armorum præcipuè, sed animorum. Claues præterea dedit, non galeam aut ensem. Claues quibus Iani Plutonisque hostia claudas, regni verò cœlestis fores aperias. Ter edixit tibi, Nunquid amas me? Nunquid amas me? Deinde subiunxit, si me amas pasce oues meas. Si quæ errauerint, septuagies septies illis ignosce. Relinque ad horam nonagintanouem obedientes, vt centesimam redimas minus obedientem, quam cum redemeris, vna hac magis gaudeto quam cunctis. Non dixit, insequere illam imprecationibus vllis, sed precibus eam benigne prosequere. Non dedit virgam aliquam qua deuias oues percuteres, sed & blanda potius verba, quibus benigne ad stabula reuocares, & claues quibus tutissime custodires. Mercenarius quidem alienas oues errantes nonnunquam rigide percutit, Pastor autem semper ignoscit suis & prospicit. Non mercenarium te Dominus constituit, sed Pastorem.

At video quid accusabis, dices, aliud esse errare à pastore de via, aliud pastorem cornu lacessere. Atque ita de ariete inter nos aliquo forte quereris. Circunspeximus vndique bone pastor, nullum inter nos talem inuenimus arietem. Non ea vis animo, nescio quid arieti succenses, penę totum tuum quodammodo vel perdis vel amittis ouile. Latet, (nescio quomodo) oculos tuos, grex tuus, ô pastor, syluis rupibusque dispersus. O vtinam hunc parumper aspiceres, non enim posses cladem tuorum tantam oculis siccis aspicere, proh dolor! grex tuus omnibus vndique morbis malisque vexatur. Passim incusatur pastor, passim vituperatur, vndique interim me miserum angustiæ premunt.

Hinc infamiam tuam doleo, hinc lugeo miseriam meam. Si tibi famæ ipsius aures ad horam saltem suggereretur, quibus & infamiam tuam & fletum meum audires, profectò non minus sortem ipse tuam defleres, quam ego meam. O pastorem meum hac in re, vt ita loquar, infortunatum! ô gregèm penitus infœlicem! proh nefas! In te quidem nonne audis? in te, summe Pontifex, satyri passim mordaces armantur. In me verò tragœdi tristiores incumbunt. Nulla legetur alicubi acerbior satyra, licet falsa. Nulla verior tragœdia nunquam vel luctuosior, si tragœdiæ materiam demis, demis simul & satyræ. Dele de infamiæ libro nomen tuum, iamdiu scriptum à Deo in libro vitæ. Surge custos noster aliquando, surge iam custos legitime, dic vna cum Domino tuo, dic amabo, Pax vobis. Dixit, & facta sunt. Pax erit & gloria tibique tuis. Aureum nobis vna tecum agetur seculum. Ferrum ab ouili tuo sub Constantini militia in lupos barbaros conuerteretur. Tantùm absque dubio, tunc laudabitur Pastor, quando trucidabuntur lupi, vel domabuntur, quantum nunc vbique vituperatur dum agni præcipitantur. Cadent à latere tuo vel inermi armati mille, & decem milla à dextris tuis, omnipotens pro te Deus ipse pugnabit.

Sed ecce, Accusas iterum arietem, accusa rursus, si accusandus tibi forte videtur, sed accusatio tua sit Christiana potius quam hostilis, non ad perniciem aliquam sit, sed potius ad salutem. Non venit Dominus tuus, vt perderet aliquem, sed seruaret. Medicum te esse voluit, non carnificem. Sed nolim coram sanctissima maiestate tua atrox illud verbum carnificis protulisse, cuius quidem vitium de pietate tua ne carni-

sex quidem vllus audeat suspicari. Dedit Deus omnipotens arma tibi, vt Paulus Apostolus inquit, non carnalia, sed spiritualia potius & diuina. Iussit te quidem subiectis ouibus prouidere simul & parcere, lupos verò superbos, id est, barbaros hostes fidei Constantini manibus debellare, non belli quidem, sed pacis gratia. Vt domitis feris seruatisque pecudibus, sub vno Pastore, tandem vnum sit & ouile. Sed parce tuis primum Alme Pastor, parce tuis, ne dum inter nos de lana herbaque certatur, interea lupi vitam ipsam ouium & Pastoris facilius ferociusque inuadant.

Non dabitur tibi dedecori, si tuorum alicui, etiam septies, erranti peperceris, cum tibi mandatum à Domino fuerit, vt etiam septuagies septies illis ignoscere debeas. Officium tuum est, vt te non latet, cognoscere singula, vt ignoscas, purgare ægrotos, vt restituas sanitatem. Victoria tua non tam in bello, quam in pace consistit. Quinimo si Christianos homines vincis in bello, ipse interim, quod à te procul absit, à dæmonibus & publica infamia vinceris. Si benigne emendas atque indulges, vincis omnes, atque integrum tibi seruas in tuos omnes imperium. Fortitudo tua ferendo claret, non inferendo, omnis tua sublimitas est humilitas. Tunc maximè mansuefacis omnes, cum ipse es omnium mansuetissimus. Facile quocunque placuerit mouebis omnes, si nusquam ipse moueberis. Visne subita simul & fœlicissima potiri victoria? Noli tuos bello vincere, sed potius ipsum vince bellum. Prouidentia plusquam cœlesti, motibus cœlestibus impera. Doma benignitate tua malignum ac sæuum Martem, rigidumque Saturnum. Non est victoria magna minima superare. quidnam magnum est in terris? Cum tota ipsa terra sit minimum. Ergo cœlestis Antistes, terra dimissa, vince cœlum, satis enim terrena vinces, si cœlestia viceris. Vbi est regnum tuum ibi victoria tua, regnum verò tuum, non tam mundi huius inferioris est, vt inquit Iesus, quam superioris atque diuini. Vide vtrum malis, sanctissime Pater, vtrumq; in tua electione consistit, in terris quidem miles ne haberi an pontifex, in cœlo autem respuine à Christo prorsus inermi, ipse armis onustus tanquam dissimilis, an potius, armis positis, excipi ab eodem tanquam similis.

Inquies forsitan. Non licere gregi monere Pastorem. Esto sane, fatemur enim patrem nostrum prouidentia summum admonitionibus nullis egere. At liceat saltem oportunè precari, imò verò etiam importune, vbi compellit necessitas, obsecrare. Liceat rursus timere illi quem & timemus vnicum, & amamus vnice, atque instar numinis veneramur. Suscipe, obsecramus, cœlum parumper, sicut solebas olim antequam animo prælia hæc terrena conspiceres, videbis Petrum illum Pontificem primum, vulnera hæc mea, quæ forte non vides, ipse, clare videntem. Videbis misericordem Petrum meo grauiter dolore dolentem. Forsitan necesse illum, nisi caueris, irasci tibi, dum nostri adeò miseretur. Sed absit à nobis, absit procul, vt vel Petrus irascatur Sixto, vel Sixtus ouili suo huic indigne. Nefas est vel Pastori bono mali aliquid ominari, vel ab ipso tandem sperare aliquid, nisi bonum. Non enim est suiipsius oblitus Pontifex noster omnium prudentissimus, non amisit sapientiam singularem, quando sapere cunctis incœpit, non exuit naturalem illam benignitatem, quando benignissimi Petri pallium induit.

Quid ego dicemus? Placuit forsan solerti gubernatori, suis interdum acrius minitari, ne perpetua illa & inaudita clementia sua segnities putaretur. Atque vt incomparabilis sua illa suauitas post austeritatem quandam suauius gustaretur. Forte etiam permisit hactenus gregem suum præliis insuetum idcirco ad certum tempus inter se dimicare, vt hac exercitatione ad prælium contra lupos barbaros committendum fiat instructior. O Sixte noster tantum iam siste prælium, satis iam satis exercitati sumus, quando prorsus defatigati iam sumus. Sixte benigne miserere tuorum. Dic age quandoque beatissime pater, dic iam bona voluntate tua ouibus tuis. Pax vobis, vt oues tuæ vicissim tecum vna proclament Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

ADHORTATIO AD RVSTICANDVM.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS Bernardo Bembo, & Antonio Vinciguerræ, Viris Clarissimis, S. D.

SAlue semper, Bernarde, mi Castor, salue rursus Antoni, mi Pollux. Aut fugate gemini seruatores, si fieri potest, pestem istam, cui quilibet imprecatur. Aut fugite saltem, heu fugite quamprimùm lethales terras, fugite littus amarum. Recipite vos in ipsa suburbia precor, si modo licet, vrbe relicta, vbi istos oculos meos, oculis quoque sæpè reuisam, alta semper mihi mente repostos.

Hoc ego sum vobis, vnus sibi quisque quod ipse est. Hoc mihi vos estis quod duo sunt oculi. Valete fœlices. Sed curnam Christophorum Landinum nostrum modo prætermisimus Musæ Phœnicem? Quia cùm in ipsa salutatione Ficinum dixi, putaui me dixisse Landinum.

Qui ardeter amat, nihil capit præter amantem.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Raphaëli Riario, sancti Georgij Cardinali suppliciter se commendat.

HAc noctis eius hora, qua summus Creator, sine quo nihil nascitur, Deus homo natus est hominibus, vt homines Deo diuini renascerentur, nascitur quoque mihi hęc ad Raphaëlem Epistola. Verùm quæritanti mihi, qua potissimum alimonia nascentem Epistolam, fouerem atque nutrirem, nescio quis spiritus inter eos qui nocte eadem diuinum Verbum Pastoribus cecinerunt: quid quæris, inquit Marsili, quod scribas? Penetra nunc singula animi penetralia, vacuam quidem cæterarum omnino rerum mentem reperies, solo autem Raphaële Riario plenam: ergo Raphaëli non poteris præter ipsummet Raphaëlem aliquid scribere. Adeò te hic aliorum omnium tunc reddidit vacuum, quando sua te fecit præsentia plenum, tantus est enim tibi, tanquam charus, vt nequeas aliud capere, dum capis ipsum. Vis ergo quicquid habes, quicquid cogitas, quicquid loqueris, commodissimè exprimere Raphaëli? Age eadem arte pingendi qua eum iamdiu animo pinxisti tuo, tunc pinge tabella.

Hæc quidem spiritus ille, mi Raphaël. Ego autem manibus id pingere nequeo. Animo ipse finge. Sed vbinam? vbi est Amalphitanus noster? Hunc iamdiu hac atque illac, vt iubeam, saluere perquiro, sed frustra extra te quærebam, quem nisi in te inuenire non poteram.

Neque tuum est incusare principes, neque fas incusare fortunam.

MARSILIVS FICINVS Reuer. in Christo Patri, & Domino suo, D. Ioanni Nicholino, Archiepisc. Amalphitano, suppliciter se commendat.

PRoperaui modo ad pugillares certo quodam consilio, venerande Pater, vt plurima certè ad eum scriberem, quem amo veneror que quamplurimùm. Verùm vbi cepi calamum, ita protinus omnis aufugit inuentio, vt non calamum, sed calamitatem inuentionis videar accepisse. Adhuc equidem ita mecum ambigo quidnam scribam? Cùm neque mali quicquam velim scribere, neque possim boni nihil, enim inter mala hæc innumerabilia boni se nobis offert. Ego quid faciam? Fortunamne incusabo, nimium his sæculis inimicam? An potius culpas hominum criminabor? Neutrum tandem, neque enim illud decet, neq; istud licet. Satis autem multa dixero, si quæcunq; aliàs vnà diximus, recolueris. Scribo ad benignissimũ nostrum illum patronũ S. Georgij Cardinalem, ipse literas reddito. Rogarem te vt me Papiensi & Senensi probatissimis Dominis commendares, nisi te scirem quoties te commendas, toties vna tecum Marsilium commendare.

Inter mala minus læditur, quem tuetur Deus.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri & Domino suo Raphaëli Riario Sancti Georgij Cardinali suppliciter se commendat.

NEque scribis clientulo tuo, neque rescribis quicquam, vnice mi patrone. Atque id quidem ille tam æquo patitur

animo, quam æqua patitur. Ille siquidem tibi hinc abeunti suos negauit pedes, tu quoque vicissim tuas iure negas scribenti manus, quamuis alter forsitan id neget volẽs, alter certè illud negarit inuitus. Verum infelix eiusmodi negationis vicissitudo felici quadã affirmationis vicissitudine iustè rependitur. Nempè quemadmodum ille tibi suum iamdiu animum dedit, sic ipse mutuò illi animum pro suo tuum magno cum fœnore reddidisti. Profectò in cõmuni hac generis humani miseria, quam narrare animus horret, in qua nostrum nemo non miser, ille duntaxat minus est miser, de quo clementissimus Deus mandauit Angelo suo, vt custodiat eum in omnibus viis eius. Videtur & mihi hac in re Deus ipse prospicere voluisse, dedit enim Raphaëlem viæ ducem, vitæque custodem. O miram Raphaëlis mei benignitatem! Tu mihi Raphaël & vigilanti & dormienti propitium te semper offers mente læta, vultu hilari, verbisque benignis. Atque inter multa quæ præmunt vndique mala, ita tu mihi passim vnicum solamen ades, quasi pulcher Apollo, discreta inter nubila lucens. Scribis autem Marsilio tuo nihil, cui loqueris omnia. Quippe nihil habes deinde quod scribas, cui iam fueris cuncta loquutus. Ego autem Patrono meo Epistolas dedico, non tam vt illi scribam, qui cum assiduè loquor, quam vt de illo scribam interdum, quem & cogito semper & loquor. Si quando humilia respicit qui habitat in excelsis, Marsilium tuum quandoque Pontifici summo commenda quæso me totum venerande Pater, potes autem integrum commendare, si in ipsa commendatione Amalphitanum Archiepiscopum prætermiseris. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Eius frater Angelus Nicholinus, Iuriscõsultus insignis ciuisque præclarus, tam optat tuus esse quàm suus.

Tunc solùm nos probare debemus, quando à probatissimis approbamur.

MARSILIVS FICINVS
Dominico Boliano Veneto
Iurisconsulto, S. D.

SI amicitia cum clarissimo Patritio Francisco Michaële, iampridem mihi contracta seruatoribus vllis egeret, obsecrarem te per ipsum numen amoris, vt omni studio in eius beneuolentiam me seruares. Equidem explicare non possem quanti faciam à viris amore dignis amari. Nam nisi ipse mihi placeam, non potest aliud quicquam mihi placere, tunc verò solùm maximè placeo, cùm à probatissimis viris probari me sentio.

Nemo infortunatior illo, qui neque ipse videt, neque videntem videt.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Cocchio insigni Iurisconsulto. Item Francisco Berlingherio, & Petro Arenensi, & magistro Georgio Cyprio, & Laurentio Medici Iuniori.

SCripsi iampridem Epistolã quandam vaticinio similem ad Pontificem, sed vtinam Pontificiam. Nec tam diuina apud alios fuerit, quàm apud nos diuinans, certè intestinam, externamq; perniciem iam jam Christiani gregis ceruicibus imminentem, procul expellet. Testor, amice, Deum, me hac in re meum pro viribus officium impleuisse, reliquum reliqui viderint, quibus oculi quidem dati sunt, vt in primis videant, aures autem vt saltem audiant. Alioquin & si fortè aliquando exclamare cogentur, heu non videram! nunquam tamen licebit dicere, non audieram. Idibus Ianuariis. M. CCCC. LXXVIII.

Cognosce alia, vt te cognoscas. Cognosce teipsum, vt cognoscas Deum.

MARSILIVS FICINVS
Reuerendo in Christo Patri & D. suo, D. Ioanni Ferdinandi, serenissimi Regis filio, Cardinali Aragonio, suppliciter se commendat.

SCripsi tres superiorib diebus declamationes, venerande Pater, Platonicas, potius quam Tullianas, quibus familiares meos à vitiis deterrerem, ad virtutem pro viribus cohortarer. Prima quidem miseram quandam vmbram improbæ vitæ describit: secunda verò vitæ probæ felicem refert imaginem: tertia denique diuinum exprimit probitatis ipsius exemplar. Tria hæc quasi specula quædam mittere ad te idcirco decreui, quia sciebam formosissimos quosque speculis admodum delectari. Speculare parumper in iisce te ipsum, venerande Pater. In primo qualis nũquam fueris, in secundo qualis iampridem euaseris, in tertio qualis iam sis, statim agnosces. Gaudebisque bonis tuis non mediocriter. Sed vt feliciter tuis gaudeas bonis, in omnibus gratias age Deo bonorum omnium largitori. Curnã præcepit Deus cognosce teipsũ, nisi vt in te cognoscendò, quicquid habes boni, habere ab eo prorsus agnoscas?

Si tibi nunc Marsilium commendauero, intellige Archiepiscopum Amalphitanum pariter commendatum, quos Deus coniunxit, homo non separet.

Spiritus vbi vult spirat.

Sixto Pontifici Marsilius Ficinus Florentinus atque vna omnes Conphilosophi sui cœlestem victoriam dicunt.

OBsecramus te per illum qui audit semper omnes etiam non loquentes, & exaudit sæpissime non vocantes, vt filiorum tuorum vocem audias parumper mente benigna, Pater omniũ benignissime. Nam Deus omnipotens, cui parent omnia, cui quidem parere libenter, nihil est aliud quam regnare, Deus ipse & clamare nos in præsentia, & audire te iubet. Præterea si nos patienter audiueris, non modo non pœnitebit, verumetiam, (vt speramus) iuuabit audisse.

Anno superiore, beatissime Pater, in ipso omnipotentis Christi natali, reliquiæ quædam Apostoli Petri in vrbe Volaterrana, miracula duodecim mense vno ingentia ostenderunt, omni populo manifesta. His ergo nouis commoti signis conuenimus vna Conphilosophi quatuor, & Prophetiæ & Astrologiæ pariter studiosi. Primum quidem Propheticorum examinatione mysteriorum consensimus, ex illis reliquiarum Petri miraculis portendi, Sixtum successorem Petri effecturum quandoque miracula cunctis populis Gentibusque notissima. Deinde nos ad Astrologica conferentes, considerauimus diligenter præteritam illam rursusque futuram coniunctionem Saturni ac Martis in Virgine. Iterum proximum Solis accessum ad Arietem, quartarum quoque anni totius initia. Eclypses præterea Lunæ quidem in Aquario. Solis autem in Leone futuras. Aliasque rursus anni sequentis Eclypses. Martis denique dissonam cum Ioue permixtionem, cæteraque quam plurima. Inde conclusimus, proximum biennium fore adeò miserabile, (vt vulgo putetur,) supremum illud mundi exitium imminere, communem scilicet & extremam generis humani calamitatem, bello, peste, fame, prementem. Principum cuiusque generis interitum plurimorum. Nouam deinde sub falso Propheta hæresim surrecturam. Horret hic animus narrare quod sequitur, mox Tyberinis vndis, (quod absit.) Petri nauiculam nataturam. Barbaros demum Italiam vastaturos. Quoniam verò Mars illi dux, Saturnum pestis, famis, proditionis, hæresis authorem, in omnibus illis quas narrauimus cœli dispositionibus, superabat, conuenimus ex ipso bello reliqua mala omnia euentura. Hic ergo admirabundi inuicem dicebamus. Vbinam igitur salubria illa Sixti miracula? Quæ ex illis Petri miraculis nobis portendebantur, si, vt & nos iudicamus & cæteri deinde Astrologi totius orbis existimant, tam dira sub eius Pontificatu clades primatos passim & principes Ecclesiamque vexabit.

In hanc tandem, (quam narrauimus,) sententiam disceptatio nos longa certa ratione perduxit. Quoniam videlicet Medicorum gubernatorumque virtutem morbi tempestatesue demonstrant, Idcirco prouidentia diuina permisit curante & gubernante Sixto, stellas aliquando plurimum & elementa inuicem conspirare, cum in communem generis humani perniciẽ, tum vel maximè in nauem Christianam, sæuis admodum fluctibus agitandam. Vt Sixtus, quasi Neptunus, in media tempestate surgens ipso potentiæ, sapientiæ, benignitatisque tridente, ira tum temperet Æolum furentes scilicet ventos, mare placet tumidum, virtute plusquam cœlesti motibus cœlestibus imperet, mirifica benignitate sua domet sæuum Martem rigidumque Saturnum. Atque id quidem Sixtum breui facturum non solum oracula Prophetarum, verumetiam cœlestia quædam signa manifeste demonstrant.

Hic igitur omnes Christianorum populi proclamabunt: Quisnam est iste? Quis iste est cui tam facile obtemperant elementa, cui sydera parent? Hic est profectò legitimus ille clemẽtissimi Christi Vicarius, qui clauibus acceptis à Christo statutis ab eo temporibus Iani Plutonisque ostia claudit, Almæ pacis templum filiis patefacit. Nam cum intelligat, non esse victoriam magnam minima superare, nihilque esse in terris magnum cum tota ipsa terra sit minimum, statuit iam terra dimissa cœlestia superare, ac non tam bellos suos vincere quam ipsum vincere bellum.

Sixtus sublimis Theologiæ phœnix, excelsas Palladis arces ante alios possidens, diuinum ibi oraculum in singulis consulit, neque humano in rebus diuinis administrandis, sed diuino potius consilio nititur. Præterea suspicit inde Deum omnipotentem omnia & bonitate facere & beneficia sibi cuncta subiicere. Igitur ipse similiter statutis ab eo temporibus benefica iam victoria gaudet, qui bene vincit omnes dum

beneficio sibi omnium corda deuincit. Profectò intelligit eum cui imperium in beluas demandatur, anxium ministerium quoddam nancisci potius quam imperium. Corpora verò hominum quæ sola in nobis violentia capiuntur, nihil fermè aliud esse quam beluas. Animos certè natura liberos non posse aliter, quam liberali quadam beneficentia vinci. Magnanimus Sixtus iam non sollicito in beluas ministerio, sed solo in homines ipsos, id est, in animos imperio gaudet. Sixtus noster insignis pietate, pater piorum parentum more, filios suos post minas obiurgationesque paternas blandius osculatur, propitio souet sinu, almis vlnis amplectitur. Et quantum paulo ante falso maleficentia quadam insequi filios videbatur, tantum mox beneficẽtia re vera prosequitur. Audite nunc omnes, audite vocem Pastoris nostri propitiam. Aspicite attentius hilarem Pastoris vultum qui cuncta serenat in benedictione, nonne videtis? Os aperit suum, ita suis ouibus cum Domino suo iamjam clamaturus;

Pax vobis, ô filij, vere nouo. Nolite timere non lupus sum, sed custos, non mercenarius sum, sed Pastor. Pastor ab eo missus in mundum per quem factus est mundus, qui in mundo erat, & missus est in mundum, non vt oues suas perderet sed seruaret, atque vt animam suam poneret pro ouibus suis. Mundi seruator, ad vos me misit, vt ei sine quo nihil seruatur, vos seruarem. Voluit quidem ad vos venirem, ab eo non abirem, siquidem abire ab eo per quem sumus, nihil est aliud quam perire. In eius nomine, qui vsque ad consummationem sæculi semper est nobiscum, iterum pacem meam do vobis ô filij, vere nouo, inuito mundo, missam Sixto ab eo promouet sistitque mundum. Deus lux clara est in qua tenebrę non sunt vllæ. Deus charitas lucens est, in qua odium non est vllum. Qui in luce clara, & charitate lucida manet, in Deo manet & Deus in eo. Ergo filij diligite inuicem, quemadmodum vos ego dilexi. Filij mei in eo inuicem diligamus, sine quo nullus habet vnquam vt sit diligendus. Nulla pars mundi absque concordia consistere potest, cum ipsa concordia solum constet mundus. Nullus in mundo sine concordia consistere potest, cum ipsa concordia solum constet mundus. Nullus in mundo sine concordia potest illi placere, qui ipsa concordia fecit seruatque mundum. Nos ergo vt verè beati simus verè inuicem diligamus. At vos abite à meis crudelia fata, à meis qui Deo parent superanti fatum. Abite procul fata crudelia, vires alibi posthac vestras in famos expertura. Migrate hinc ab ouili meo repente arma ferocia, in lupos iam vos conuertite barbaros. Accelerate, inquam, dum viget æstas, antequam lupi ferocius me simul ac meas oues inuadant. Contra Teucros diuinæ legis hostes omnipotens nobis Deus ipse pugnabit. Nobis militabit æther, & coniurati venient ad classica venti. Cadent à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris. Vnum breui sub vno Pastore erit ouile. Ferreum sæculum mox in aureum conuertetur. Siquidem Marte domito qui Christianis minabatur prælia, rapinas, incendia, cædes, domitus quoque Saturnus erit, qui inde pestem, famem, proditiones, hæreses falsas machinabatur.

Dixit Sixtus & facta sunt, ad benignissimam illam Pastoris vocem, Pax vobis, oues cunctæ clamabunt. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc est dies quam fecit Dominus, lætemur & exultemus in ea. Cantate Sixto canticum nouum hodie, nostrorum Pontifex animorum. Sixtus in pace sistit Ecclesiam. Sixto cantate vates, claudentur belli portæ. Sixto legitimo Messiæ Vicario, cantate Prophetæ, in diebus eius erit copia pacis. Venite omnes & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Auferens bella vsque ad fines terræ arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in Gentibus & exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Iacob.

Clementissime Deus qui ab excelsis humilia respicis, atque humilibus largiris excelsa, Deus omnipotens mundi seruator, qui eadem virtute recreas seruasque assiduè quę creasti, serua propitium nobis, oramus Pastorem nostrum, tui gregis egregium seruatorem. xxv. Decembris. M. CCCC. LXXVIII.

Fœliciter vincit qui animos beneficio sibi deuincit.

MARSILIVS FICINVS Florentinus atque vnà Comphilosophi sui, Sixto sanctissimo in Christo Patri suppliciter commendant.

FVit apud nos, beatissime Pater, hactenus Nicholinus Antistes plenus gratiæ & veritatis, homo nuper isthuc missus à Deo, cui nomen est Ioannes. Hic Romam venit in testimonium, vt testimonium nobis inde perhiberet de numine Sixti, quam gratiosa mente Sixtus noster filiam suam

Florentiam complectatur. Quandoquidem virum Florentinis gratissimum primo aduentu clementissime sit complexus. O legitimum Petri Apostoli successorem! ô verum hominum piscatorem! (proinde si dicere fas est,) in hoc vno retium iactu videtur quodammodo Petrum ipsum superauisse. Non enim centum quinquaginta tres pisces hic cœpit, imò fermè quotcunque Arnus alit, æquorque Pisanum. Sixtus certè legitimus Christi vicarius meminit, Dominum suum Christum cum esset discipulos electurus, primos præcipuos plures è piscatorum numero elegisse, eos se quandoque piscatores hominum effecturum, his deinde tres escas potissimum & retia tria dedisse, quibus in profundo hoc humani generis pelago fœliciter piscarentur. Esca profectò prima fuit, singularis in Deum pietas atque religio. Secunda sobrietas vitæ morumque integritas. Tertia erga homines tam operum exemplum bonum quam vera doctrina verborum. Retia quoque addidit tria. Rete primum fuit charitas ardens qua cunctos in Deo non aliter quam seipsos semper amarent. Secundum intelligentia summa, per quam omnibus tanquam filiis si quando errauisse putentur tam libenter ignoscerent, quam facile ipsi optent sua sibi errata à patre nostro qui est in cœlis, quasi filiis, condonari. Tertium rete, beneficentia tam abundans, vt non modo benefacientibus, sed etiam malefacientibus benefaceret. Et quos vel minus bonos vel etiam inimicos existimauerit, eos bono quodam, ac beneuolentia superaret, cœlestemque patrem imitaretur, qui almũ solem opportunasque pluuias æquè omnibus, etiam si minus videantur amici, abunde largitur. Hac igitur triplici esca allicere omnes, his quoque retibus tribus irretire & Christus ipse suis quondam mandauit discipulis, & Vicarius Christi Sixtus similiter ipse decreuit, vt ei Dominus ille suus eiusmodi quandoque lætus gratulabundusque occurrat. Veni iam Sixte. Veni, inquam, fili benedicte Patris tui, intra in gaudium Domini tui. Kalendis Decembrib. M. CCCC. LXXVIII. Florentiæ.

Surgunt è cœno quotidie qui rapiant nobis cœnam.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri & Domino suo, Ioanni Nicholino Archiepiscopo Amalphitano, S. D.

AD te scribo multa paucis ad Pontificem, tu verò contra de me pauca multis supplex Pontifici dicito. Non potes de bonis meis multa narrare. Multis tamen verbis in meo malo forsitan debes, certe potes, orare. O quam multa hic de meipso proloqui vrget animus! Verum non capit Epistola. Tu ergo mente cape. Ineptus ero si tua tibi commendare tentauero, haud æquum esse videtur in aduersitate Florentinum mihi apud istos nomen obesse, si modo obesse potest quod in prosperitate aliàs mihi nunquam profuit. Fortunatiores alij, ne dicam fœliciores, gaudent nostris. Nos numerus sumus fruges consumere nati, fruges dixi, modo non desint fruges. Vale. Sed antequam valeas, iuuat hic Riarium Cardinalem nostrum parumper affari. Tu verò mi Domine, memento iam serui tui, si qua videtur memoria dignus. Venisti enim in regnum tuum, heu quam inuitus nunc petere cogor temporum malignitate compulsus, quę nunquam aliàs censui Philosophantibus esse petenda. Dicam ne? Quod forte Philosophum minus, at verò decet egenum. Dispeream hercle nisi dixero. Surgunt è cœno quotidie qui rapiant nobis cœnam.

Nihil est occultius quam humana voluntas.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Nicholino Archiepiscopo Amalphitano, S. D.

MItto Vaticinium quoddam ad Pontificem. Spiritus vbi vult spirat. Neque hominis alicuius voluntate, neque humana perturbatione sum motus, sed nescio quo spiritu, scio qua charitate compulsus. Si eodem quo scribitur animo legeretur, neminem prorsus offenderet. Siquidem neminem offendere debet diuina veritas charitati coniuncta. Tradunt plerique Philosophorum rerum veritatem esse omnium obscurissimam. Ego autem puto longè obscuriorem esse hominum voluntatem. Veritas quidem rerum propriis vestigiis nonnunquam inuestigatur certisque discerni potest indiciis, quoniam determinata pendet ex causa, semperque permanet eadem. Voluntas autem humana cum ob libertatem non habeat causam terminatam, ac momento quolibet permutetur, neq; vestigiis neque indiciis certis inuestigatur. Præsertim cum ob simulationem dissimulationemque indicia sæpe sibimet contraria præferat. Ergo antequam edas consule tum teipsum tum eos maximè qui Pontifici chari sunt maximè,

ita demum Pontifici cæterisque legatur, si tam bona omnium gratia censeatur legi posse quam bona nobis est voluntate compositum. Sin minus, penes te ipse seruato. Equidem vbi nihil mihi prodesse potest, nihil obesse volo. Deus humilem mihi fortunam dedit; Fortuna olim tenuem, nunc tenuissimam facultatem. Deo pareo, fortunæ cedo, consentio facultati, exigua sum sorte contentus modo tuta. Fortunatus cui fortuna obtigit mediocris. Fœlix qui sua est fortuna contentus. Ego certe idcirco paucis contentus sum & si multis sum sæpè contentus, qui & hi multi sunt paucis, multi pretij continendi. Beati pauperes spiritu. Beati pacifici. Prodigiosus hactenus agitur, prodigiosior imminet annus. Quotidie dices, quotidie audies, Non putaram.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri & Domino suo, Ioanni Cardinali Aragonio Ferdinandi Regis Serenissimi filio suppliciter se commendat.

ALfonsus Rex fœlicissimus auus tuus, venerande pater, nuper Ferdinando patri tuo fœlicissimo Regi, oraculum effudit ex alto Angelica lingua, Marsilius Ficinus, (nescio quo spiritu raptus) interfuit, audiuit, seruauit, atque oraculum ipsum Angelica tunc ab Alfonso lingua pronunciatum, ipse in linguam humanam tibi hodie transtulit. Eo videlicet consilio, vt primum, (si placet,) ipse legas, deinde ad patrem tuum serenissimum mittas, vt quæ superioribus diebus Alfonso solis mentis oculis auribusque percepit, iam nostra opera ipsis quoque corporis auribus oculisque accipiat. Nemo autem miretur, oraculum eiusmodi quamuis in excelsum Regij Cardinalis Serenissimique regis ipsius conspectum sit proditurum, tamen absque humanis ornamentis vllis incedere. Quod enim diuini Solis, id est, supernæ veritatis, splendore vestitur, conari vestibus humanis induere, nihil esse aliud arbitror, quam purum Solis ipsius lumen crassiore quadam caligine nubium circunfundere.

Commendatum tibi patrique tuo Archiepiscopum Amalphitanum nostrum, longè omnium commendatione dignissimum, nisi eum scirem merito tantæ apud vos authoritatis esse, vt ipse & Marsilium suum & alios sępè per multos sit vobis commendaturus. Pridie Kalendas Martias. M. CCCC. LXXVIII. Florentiæ.

Oraculum Alphonsi Regis, ad Regem Ferdinandum, inter illos primùm Angelica lingua pronunciatum, deinde verò in linguam humanam, à Marsilio Ficino translatum.

ALfonsus Rex fœlicissimus fœlicissimo Regij Ferdinando filio suo, pacis olim seruatori, iamjam authori congratulans, in ipsa pace, veram salutem, victoriam certam, integram gloriam, gaudium plenum vaticinatur.

Descensus animorum.

QVidnam adeò stupes? ô fili! quid horres? Tam facilè, tam propitius huc aduolo, quoties mihi placet, quàm facilè, quàm propitij stellarum Solisque radij iugiter ad vos vsque descendunt. Neque radij syderum dum ad vos demittuntur sua sydera deserunt, neque supernæ mentes, dum vobis aspirant, superna relinquunt. Animaduerte, quæso, fili dulcissime, quantum cœlicolæ pace, tanquam cœlesti alimonia gaudeant. Nempe cum primum de pace, (quæ iampridem inuida quadam sorte turbata est,) omnino reconcilianda cogitare cœpisti, repente vel sola hac cogitatione tua quasi esca superis suauissima prorsus illectus huc aduentaui. Ergo stupore omni atque horrore procul expulso, intentis auribus asta, & serua quod cœlitus audis, velut oraculum, alta mente repositum.

Quam grata pax superis.

PRincipio, dilectissime fili, neque de mea sorte hactenus audisti quicquam, neque tuam plane vnquam intellexisti. At hodie tanquam pacis non modo seruator, vt olim, verumetiam maximus author iam factus es cœlicolarum iudicio dignus, cui ipsa pandatur domus omnipotentis Olympi, atque tam ibi prouidentiæ ipsius ordo pulcherrimus, quàm inde consonans fatorum series referetur.

Animus diuinus.

AGe iam mentem, Ferdinande, tuam in seipsam, relictis sensibus, circulari quadam suiipsius animaduersione reflecte. Videbis protinus mentem tuam quando in seipsam, dimisso corpore flectitur, esse incorpoream quandam sphæram, cuius circumferentia quidem, id est, intelligentia

& voluntas per incorporea voluitur. Centrum verò, id est, vita atque substantia, corporis alicuius cardini non innititur.

Deus, Angeli, Animi.

AGe iterum tuo isto lucidiore mentis circulo, quasi speculo quodam, speculare speculandoque attinge in mundo vbique atque vndique extra mundum, sphæricum intellectum, sphæramque intelligibilem, cuius centrum quidem sic vbique, dum infinite penetrat vniuersum, sed circumferentia nusquam dum infinite supereminet vniuersum. Eia speculare diuinam formam, formarum omnium fontem, formam vniformem omniformem. Formam mentibus omnibus passim, præcipuè puris tanquam speculis obuiam. Hic tibi coruscat Deus ille Deorum, præter quem nullus verus est Deus. Hic exuberat æterna bonorum bonitas, malorum penitus expers. Hic lucet immensa lux luminum Solque mentium reliquarum. In quem fermè non aliter & Angeli quàm stellæ, & animi quàm Luna in Solem vndique reuoluuntur.

Immortalitas animorum.

ÆTerni huius Solis radij quidam sempiterni sunt hominum mentes, caliginosa nube corporis circumfusæ, sed in suum se Solem cogitatione & affectu pro arbitrio reflectentes. Ita profectò resiliunt, sicut ab initio suo inde prosilierunt. Ergo cum possint aliquando medio quouis sublato in Solem suum tam rite contemplando quàm recte amando refluere, proculdubio inde absque medio effluxerunt, videlicet ab ipsa æternitate proximæ sine dubio sempiternæ. Quæ tũc immortalitatẽ suam clarius patefaciunt, quãdo mortalis tanquam minima præcipuè æternorum gratia paruipendunt. Præterea immortalia prout sunt immortalia capiunt, immortalitatemque ipsam, id est, Deum sub ipsa immortalitatis ratione certa quadam argumentatione percipiunt.

Prouidentia Dei.

HIs autem Deum cuncta videntem videntibus prouidet ante omnia Deus. Sane si Deus est, (vt certe est,) omnium causa, super omnia nimirum est & omnia. Si est simplicissimus, quod summa potestas ostendit, certe non aliud in eo est videre quàm esse, igitur quia omnia est, ideò facillime in se cuncta discernit, si optimus est, quod nemo dubitat, merito videre in eo nihil est aliud quàm prouidere. Quapropter cuncta videndo perfectè prouidet vniuersis, præcipuè verò mentibus, quæ ipsum & in singulis vident, & super omnia colunt.

Fatum & arbitrium.

CÆterum vt ad sortem nostram denique reuertamur, Deus ille Deorum præter quem nullus verus est Deus, solus mihi mentem largitus est, mentem sese in Deum pro arbitrio conuertentem. Corpus autem lucide mentis vmbram, (iubente Deo,) Capricornus adiunxit, spiritum verò qui mentis corporisque nodus est, Capricorni Dominus Saturnus infudit. Genius thronorum comes me quantum Deo parui, rexit & duxit. Vixi equidem apud mortales olim inter laborem semper & gloriam. Laborem quidem, (vt plerumque fieri solet,) intulit ardentior imperandi cupiditas. Gloriam verò singularis magnificentia & incomparabilis magnanimitas attulit. Demum mirifica tum pietate in Deum, tum clementia in homines, tanquam duabus alis, genio duce, in cœlestem patriam reuolaui. Vbi meo omniumque patri fœliciter restitutus, vitam beatam thronis quodammodo similem ago, qui Saturni sphæram in primis exornant.

Paradisus cœlestis.

HIc nobis inter innumerabiles spiritus qui ambrosia vescuntur & nectare, datum est epulis accumbere diuûm. Hic & si suum cuique certum sydus familiarius esse videtur, singulis tamen pro arbitrio non aliter quàm radiis quibusdam peruium atque perspicuum est vniuersum. Putatis, ô cæci, vos in terris cœlum ipsum & stellas videre sub crasso aëre, non aliter quàm si pisces idem arbitrentur sub gurgite vasto? O quantum vestra hæc ridicula nimium vos fallit opinio? Sane pisces in imo non cœlum ipsum, sed aquam, non pura cœlestium lumina, sed exiguas eorum imagines quasdam vident in aqua semper lutulenta iam fuscas. Idem contingit vobis ô miseri sub aëre crasso, & tamen cœlestia valde miramini iam vobis facta terrestria. Quantum & diurnum lumen noctis tenebras, & circumferentia centrum superat, tantum ætherea nobis sunt lucidiora & maiora quàm vobis. Quid de stellarum innumerabilium copia dicam vobis ignota? Quid de mirabili motuum diuersitate & ordine vobis incognito? Quid de inæstimabili harmoniæ illius suauitate, quam reddit

varius sphærarum motus globorumque omnium consona temperatio?

Paradisus supercœlestis.

VErùm quid vobis cœlestia iam diutius vsque adeò laudo? Quæ fermè non aliter supercœlestium vmbræ sunt quàm terrena cœlestium. O veram super æthera lucem, lucem vsque adeò veram vt verè exprimi nequeat. O veritatem super cœlum mire lucentem, tam mirabiliter perlucentem, vt eam nemo queat satis vnquam pro dignitate mirari, cum admirationem ipsam mirificè superet. Hic, ô fili, hic, inquam, solum verissime, clarissime, optime, lætissime viuitur, vbi vita omnis nihil aliud est, quàm veritas, claritas, bonitas, lætitiaque plenissima. Hic in ipso immenso lumine luminum lumina idearum cuncta conspicimus, & in luminibus singula vera clarissime contuemur. Perinde ac si quis in Sole quidem radios omnes inde manantes, in radiis autem colores singulos qui inde creantur inspiceret. Plura admodum in præsentia, fili, atque infinite maiora quam cœlum & pulchriora volentem me hic vobis ostendere, prohibet iam vestra isthæc humanorum imbecillitas oculorum. Quapropter ne nimio splendore caligare cogaris, haud vlterius nunc regni diuini infinitique Solis plusquam mirabile lumen ostendam, satis esto quàm beatus sit tuus Alphonsus, quàm beatus & ipse, si modo volueris, sis futurus, significasse. Quamobrem congratulare iam paternæ fœlicitati, fili dulcissime, congratulare admodum fœlicitati paternæ, gaude tua, sortem hic tuam hactenus inauditam iam lætus audito.

Sors & libertas.

MEntem idem tibi pater, qui & mihi cæterisque creauit, solus enim ille procreat mentem qui solus mentem & recreat, qui sola mente capitur, qui solus pascit impletque mentem, corpus autem tibi istud quondam texuit Aries caput Astrorum, spiritum verò feruentem Mars Dominus Arietis accendit. Custos tibi vitæ præcipuè genius est à Deo tributus, genius ex eorum numero, qui virtutum chorum Angelicarum propriè comitantur. Viuis & tu, mi fili, continuè laborem inter & gloriam. Laborem quidem atque discrimen rigidior Saturnus ipse tibi minatur. Gloriam verò prudens ille Mercurius Solis pedissequus pollicetur. Illinc tibi nonnunquam durities quædam potest obesse, hinc contra mirabilis prudentia prodest.

Saturni Martisque natura.

DVo potissimum inter Planetas hominibus assiduè pericula machinantur, Mars videlicet & Saturnus. Vterque tamen, sicut vos docet experientia, plerumque parcit suis, Saturniis inquam Saturnus, Mars similiter Martiis, vt plurimùm nescit obesse. Ego certe olim Saturni comes quoties peperci meis, hoc est Saturniis, toties fauit mihi Saturnus. Contra verò nihil vnquam fauit. Ergo Ferdinande mi, Martis comes ardentis, (si fœliciter regnare cupis,) parce tuis. Qui verò sint inter omnes præcipuè tui, ostendit tibi ignea illa qualitas Arietis, qui cum & Leo Sagittariusque consentiunt. Omnes igitur arietis, leonis, sagittarij filios ipse tanquam fratres habeto. Præterea, ignosce, indulge, obsequere, (si placet) & meis. Qui nam mei sint maximè quæris? Qui videlicet vel capricorno, vel aquario sedibus Saturni reguntur.

Admonitio moralis.

OMnino autem finibus tuis contentus esto. Plura tibi admodum, crede mihi, maioraque dona sors dabit vltro quàm lacessita. Quot enim violentia persequeris, totidem certe te fugient, atque quod absit, si quando poterunt, forte fugabunt. Quot autem beneficentia prosequeris, totidem & sequentur libenter & obsequentur. Toties bene vinces, quoties beneficio vinces. Tamdiu securissime dominaberis, quamdiu volentibus dominare. Facile, (quocunque placuerit) mouebis omnes, si nusquam ipse moueberis. Summa, vt scis, prudentia aut nunquam aut certe coacta init cum fallacissima fortuna certamen. Vbi Mars sæuit maximè, ibi fortuna & plurimum dominatur, & facillime fallit.

Diuinatio.

HActenus charitate paterna charum filium quamuis prouidentissimum monuisse sufficiat. Nunc breuibus iuuat fœlici nato meo parumper vaticinari. Efficies, video, cito quod monui. Sic enim te pro tua prudentia facturum præuideram longe antea quàm prædicerem. Præclara te manet solum in ipsa pace victoria, tutis plena triumphis, in victoria vero tranquillitas, in tranquillitate pietas cultusque Mineruæ. Audi obsecro nunc attentius audi, inquam, tota mente Ferdinande quod sequitur. Si tribus potissimum coronam tuam gemmis, hoc est, diuina fide, spe, charitate,

prorsus ornaueris, certe quandoque ab ipso tertio cœlo, vbi globum Veneris gratiosum Angelici principatus exornant, tres tibi Gratiæ fœliciter aspirantes, procul à liminibus tuis furias tres fugabunt, tria fata placabunt, cumque cursus duos Saturni peregeris, tunc præcipuè filij, Ferdinande, tui fœlici tum Solis ad Iouem aspectu, tum Lunæ cum Ioue coniunctione, imò verò maximo Dei omnipotentis dono, coram te excelsæ potestatis splendore fulgebunt. At verò postquam paternos annos impleueris, atque insuper Martis circuitus plures merito nobis, id est, superis tantum notos adiunxeris, demum iisdem ipse alis quibus & hic tuus pater Alphonsus, scilicet, & pietate in Deum, & in homines clementia, (genio duce) cœlestem patriam repetes. Vbi fermè perinde atque virtutes Angelicæ, quæ præcipuè Martis sphæram illustrant, beata æternitate frueris, fruendoque gaudebis.

Quam mirabile gaudium in patria.

O Mirum prorsus, ô incomparabile gaudium, vbi in ipso bonorum bono penitus infinito, cunctis bonis infinite gaudemus! O quàm integro ibi gaudio fruimur, vbi quisque nostrum, quantuscunque est, totus est gaudium, gaudiumque totum! Canerem equidem libentissime nunc tibi, mi fili, Angelica voce thronorum, quàm mirifica semper in patria dulcedine repleamur, nisi vererer ne forte posthac tantæ dulcedinis huius comparatione, tota tibi in terris vita non solum amarissima, verumetiam amaritudo ipsa penitus videretur. Quare misericordia quadam me continebo, ne filium meum vltra mœstissimam mortalium sortem, vehementius quàm cæteri doleant dolere compellam. Vt autem aliquando fœliciter æternitate fruaris, noli rebus caducis frui vnquam, sed potius vti. Atque vt quandoque vere gaudeas, sola semper veritate gaudeto.

Ascensus Animorum.

V Ale iam lætus & viue fœlix, suauissime fili, ecce nunc vocibus nonne audis? Vocibus, inquam, Archangelorum, sphæram Mercurij præcipuè decorantium ad æthera reuocor. Sed antequam valeas, amplectere amabo spiritum hunc tuo spiritu meum, quando ego iamdiu amplector & tuum. Viue mecum & semper & libenter, ô fili, quandoquidem ego etiam vltra consummationem sæculi viuo tecum. Sed aspice iam, mi Ferdinande, imò verò iam suspice quàm mirabiliter nunc seraphicis fretus alis & sublimes thronorum sedes momento temporis repeto, & lares interim tuos quodammodo instar radij non relinquo. Vale rursus ex alto.

Tam ineptus est qui amico iam perfecto gratias agit, quàm gratus qui non habet gratias.

MARSILIVS FICINVS, Florentinus Rainaldo Gauardio Senatus Veneti scribæ egregio, S. D.

M Isisti ad nos superioribus diebus Marsilij tui salutandi gratia filium tuum Dominicum & indole & moribus literisque decorum. Talem præterea huic Epistolam ad me dedisti, vt non alios mente quàm corpore videaris filios genuisse. Deinde dum excogito literas quibus tibi respondeam, atque gratias agam, ecce ipse ad nos accedit Bernardi Bembi Æneæ nostri fidus Achates. Quo quidem beneficio tanto me tibi vsque adeò deuinxisti, vt vnum è duobus animis animum iam prorsus effeceris. Quod ergo nullas tibi iam vlterius aut huius aut cuiuslibet alterius beneficij gratia, gratias agam ipse, egregie Rainalde, in causa es, ipse enim non duos vlterius nos esse voluisti, sed vnum. Ego tam ineptum insanumque esse arbitror eum qui sibimet gratias agit, quàm ingratum qui non habet alteri gratias.

Quod libenter accipis, redde libenter.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Lippo Rhetori & Poëtæ, S. D.

S Alue perspicacissime Lippe. Si tam facilè tamque libenter Alcinum à nobis traductum mihi reddideris, quàm facile quamue libenter, ipse iamdiu tibi legendum dedi, rem mihi gratissimam feceris.

Magis commendat virtus quàm amicitia, facilius persuadet probitas quàm eloquentia.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Francisco Bandino, S. D.

G Eorgius Antonius Vespuccius qua in re indigeat opera tua ipse te facit suis literis certiorem. Res autem ista mihi non aliter

aliter quàm ipsi cordi est Bandine. Non enim potest non coniuncta causa esse, vbi coniunctus est animus. Sed est Vespuccius noster, nosti ingenium hominis, in exigendo quàm par est verecundior. At verò insignis probitas & doctrina viri vel eo tacente apud æquos iudices omnia debet & vehementer exigere & facillime impetrare. Hunc ergo quamuis, vt scis, amicissimum, non tam ob amicitiam quàm ob virtutem suam tibi commenda. Nam ob virtutem ipsam est nobis amicus.

Votum, Oraculum, Miraculum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Bembo Doctori & equiti Venetorum Oratori clarissimo, S.D.

AMice cœlestis atque diuine semper salue. Cæteros quidem amicos partim mihi sors quædam obtulit, partim propria dedit electio, Bernardum verò Bembum mecum ab initio coniunxit cœlum, diuina deinde prouidentia mirabiliter confirmauit. Cœlum, inquam, propterea quòd eodem anno atque die sub eodem sydere nati sumus. Diuinam præterea prouidentiam nos inuicem deuinxisse ex eo potissimum assero, quod eo anno quo primum orator Florentiam accessisti, quarto ferè ante accessum mense mihi grauiter ægrotanti, statim post votum quoddam pro salute Deo diuæque Mariæ suppliciter institutum, visus es certe tum primum nobis notus in somnis, ante prorsus incognitus, citam prosperamq; valetudinem polliceri. Expergefactus pene sanus breui prorsus conualui. Quinto post mense quo die voto penitus satisfeci, eademque hora nostrum sponte primum adisti gymnasium magna comitante caterua, atque ea forma qua in somnis olim præuideram diuinitus salutasti, multaque inter nos dicta tunc factaque sunt, eodem prorsus pacto quo somnians videram. Eodem anno tanquam religiosis votis vitæ redditus librum de Christiana religione composui. Nunc ergo lege fœliciter amice cœlestis atque diuine. Quem certe nobiscum cœlum ipsum ligauit ab initio, deinde cœlo excelsior religio religauit. Marsilius tuus hæc manu propria Idibus Iuliis. M. CCCC. (∴) LXXIX. (∴)

Verus amicus, quid amicus optaturus sit præsagit, atque præuenit petiturum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Georgio Cyprio Physico insigni, S. D.

SI amor Deus est, quod & Poëtæ canunt & Theologi confitentur, ergo diuinus, si diuinus est & plusquam diuinus, cum sit Deus, ergo diuinat. Igitur verus amicus, quid amicus optaturus sit præsagit atque præuenit petiturum. Talis certe erga nos est Georgius noster Cyprius, illic ortus vbi Venus ipsa culta est, geminorum mater amorum. Equidem nisi vererer ne forte plusquam familiarem amicitiam nostram verbis offenderem, ingentes pollicitationibus tuis gratias agerem. Verùm qui familiaritatem ipsam minus familiariter tractat, non est amplius familiaris habendus. Tunc maximè erga amicum gratiosissimum grati sumus, quando tam grate accipimus quàm gratiose vel largitur ipse vel pollicetur.

Qui pro rebus verba dat, folia dat pro fructibus.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Cocchio literis & moribus ornatissimo, S. D.

TV mihi das fructus ego folia mitto, vtinam saltem tam bella hæc sint, quàm illi boni. Leges vnà cum Francisco Castilionensi Conphilosopho nostro nostras de pace Epistolas ad Pontificem & ad Regem, meque illi commendabis. Vale fœliciter.

Qui beati sint, qui beatis proximi, qui remotiores, qui remotissimi.

MARSILIVS FICINVS Locterio Neronio Conphilosopho suo, S. D.

BEati cœlestes qui nihil vnquam sentiunt aliud nisi bonum, proxime autem ad illos accedunt, qui cum in regione pessima collocati, necessariò mala vndique sentiant, interim tamen quoniam nusquam à summo dissentiunt bono, malis alicubi non consentiunt. Tertium illi obtinent locum, qui post lapsum ita quandoque in summum resurgunt bonum, vt agnoscant id esse malum, videlicet cessis-

se malis, agnoscant tunc solum se malis cedere, quando volunt ipsi vt apud se cedant bona maiora minoribus, agnoscant vbi inuenitur bonorum omnium bonum, ibi solum malorum Medicinam omnium reperiri. Infimi tandem existimandi sunt atque miserrimi, qui vsque adeò summi boni radiis vbique fulgentibus suos oculos clauserunt, vt nusquam in ea ipsa luce, extra quam nihil videtur boni, ipsi videant quantum hoc malum sit, sine illo semper esse, sine quo quicquid sentitur est malum. Hi nimirum quanta sit extra diuinam fœlicitatem miseria, tandem non in diuino splendore suscipiunt, ne illic suspiciendo beati sint, imò in suis tenebris per quosdam illius radiolos quasi hallucinantes suspicantur & sentiunt, vt hic suspicando sentiendoque sint miseri. Mundus (vt Christus ait vitæ magister) in maligno positus est, ob hoc ipsum præcipuè, quia positi sumus, imò sumus in mundo maligni. Male sanis & inquietis nihil occurrit sanum nihilque quietum. Quid ferrea sæcula toties iniustè culpamus?

Cum primum homo, ferrum auro anteponens, factus est ferreus, merito sæculum quod ante natura fuerat aureum, ferreum ipsi prorsus euasit. Quid mirum? si omnia nos vndique mala sequuntur, dum ipsi relicto primo bono, id est, Deo, mala singula sequimur tanquam bona, quæ omnia sine primo sunt mala. Non iniuria toties inuiti in omne malum incidimus, quoties sponte ab eo cadimus quod est omne bonum. Ergo non licet nobis de sæculis vnquam, imò contra licet sæculis ipsis de nobis vehementissime conqueri. Emamus ergo nobis, emamus omni studio aurum illud ignitum, quod aquila cœlestis ostendit, id est, puram veritatis lucem, ipso bonitatis amore feruentem. Sed non facilè splendore ardorem, imò potius ardore splendorem prorsus ememus. Siquidem ipsum aurum non quando radiis ignis eminus percutitur, ardet, sed quando ignis calore cominus occupatur, effulget. Neque quoniam igne fulget proprie, sed quoniam igne feruet, penitus fit ignitum. Sic solum, sic & ipsi si boni, id est, Dei solius in primis amore flagrabimus, subitò eiusdem splendore lucebimus, erimusq; diuini. Deus lux est, Deus charitas est. Cui charus ante omnia Deus est, huic fulget ante omnia Deus. Cui Sol ille fulget per quem omnia fulgent, huic facilè passim cuncta refulgent. Huic præterea mirificè dulcescunt omnia, qui nihil vsquam gustat, nisi in ipsa dulcedine, sine cuius sapore dulce nihil effici sentirine potest. Quorsum hæc? vt videlicet Theologicis Epistolis tuis quandoque vtcunque possum Locteri respondeam. Ad hæc enim suspicienda nuper ipse me tuis splendidissimis literis excitasti. Accipe ergo libenter, tua enim ista sunt, qualiacunque sunt. Tibi reddo. Calendis Augusti. M. CCCC. LXXXIX. In agro Caregio.

Non est harmonice compositus, qui harmonia non delectatur.

MARSILIVS FICINVS Sebastiano Foresio clarissimo compatri, S. D.

AVrelius Augustinus noster scribit in libris de Musica, eum non esse harmonicè compositum, qui harmonia non delectatur. Neque id quidem iniuria. Nempe cum ob similitudinem quandam voluptas effici soleat, necesse est eum qui concentibus non oblectatur, esse quodammodo concentus expertem. Hunc, (si dicere fas est) dicam, non esse à Deo compositum, qui in numero, pondere, mensura, cuncta componit. Dicam præterea, non esse amicum Deo, qui vsque adeò consonantia gaudet, vt mundum ob hoc ipsum creauisse potissimum videatur, quo singula quidem mundi membra & sibi inuicem & vniuerso concinerent, vniuersum verò ipsum authoris sui intelligentiæ bonitatique pro viribus consonaret. Adde, quòd ipsa sphæras disposuit earumque motus inuicem temperauit, vt (quemadmodum Pythagoricis Platonicisque placet) inæstimabilem harmoniam melodiamque conficiant. Plurima in hanc sententiam aliàs disseruimus. Hoc vnum præterea iuuabit commemorasse, quod equidem diligentius obseruaui, multos ingeniosos quotidie reperiri, qui his aut illis cæterorum sensuum voluptatibus studiisque natura vix moueantur, nullum vero ingenio præditum vnquam reperimus, qui Musicis modulis non raperetur. Nullum quoque eorum qui non rapiuntur nouimus acumine iudicioque pollere. Huius autem rei causa est præcipuè duplex, altera Physica, altera Mathematica. Physica quidem, quoniam media cerebri pars, quam propius respicit auris, iudicio tanquam instrumentum vel incitamentum quoddam quodammodo seruire videtur. Hæc autem quando perfecta consonantia caret, minime omnium consonantia capitur. Quando verò harmonicè admodum composita est, harmonia mirificè tanquam re simili & congrua delinitur. Mathemati-

ca verò, quoniam Mercurius, (idem quod Poetæ ab Astrologis acceperunt) ingenij largitor est, & citharæ faber. Quem ergo nascentem haud benigne satis Mercurius intuetur, videmus vt plurimùm tanquam asinum quendam & ad lyram & ad literas pariter apparere. Contra verò ad hæc ambo sese illos habere, qui ab ipso Mercurio lyræ literarumque magistro benigne respiciuntur. Vale fœliciter, mi Foresi, quem & si cæca fortuna minus, tamen perspicacissimus ille Mercurius benigne respexit. Equidem, mi Foresi, postquam tibi modo scripsi Vale, surrexi, properaui, sumpsi lyram. Incœpi longum ab Orphei carmine cantum. Tu quoque vicissim, postquam legeris hic iterum vale, (si sapis surge) protinus surge, libens sume lyram, laborum dulce lenimen. VIII. Septembris. M. CCCC. LXXIX. In agro Caregio.

Maledicus non aliter te lædere potest, quàm si faciat vicissim te maledicum.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Cocchio, S. D.

INimicus tuus non ob aliam causam tibi detrahit, nisi vt palam vituperandus appareas, atque animo perturberis. Si moueris & ipse, vicissimque in maledicta prorumpis, habet ille aduersum te tota quod mente petebat. Nam te malum iam reddidit & maledicum & infamem. Prudenter Plato noster de maledicis inimicisque suis non modo non obloquebatur quicquam, sed neque cogitabat quidem, docens nos imitari naturam, quæ contrarium suum à se procul expellit. Sic enim & nos faciemus, si hostes ex ore ac mente pellamus, Adde quòd si & cæteri eadem ratione erga hostes nostros se gererent, prorsus ex omni memoria hominum delerentur. Verùm multo diuinius nos Christus, (vitæ magister) instituit, præcipiens, vt benedicta quidem maledictis, benefacta verò malefactis libentissime redderemus. Sic enim facillime & ipsi permanemus indomiti, hostesque domamus. Naturam quoque ipsam sic imitamur, quę contraria curat, temperatque contrariis, malaque superat bonis. Deum præterea sequimur, qui omnibus vel inimicis suis, id est, impiis iniustisque benefacit gratis, Solem suum pluuiasque iubens super malos æquè ac bonos oriri. Ego quoties ab hac erraui via, toties pœnitentia sum affectus. Quando verò omnino secutus sum, tunc fœliciter mihi omnia successerunt. Arbitror te præcepta eadem sequuturum, & tanquam iam sequenti congratulor.

Cùm veritas ipsa sit immobilis & æterna felicitas, soli vere, immobiliter, beatè viuunt qui in veritatis studio vitam agunt.

MARSILIVS FICINVS
Sebastiano Saluino amitino suo, S. D.

ACcepi Epistolam tuam de rerum mutabilitate immutabiliter disputantem, immutabiliter, inquam, id est, verè, siquidem immutabilitatem ipsam nihil esse aliud arbitror quàm veritatem. Profectò veritas ipsa vsque adeò immobilis est, vt etiam motionis veritas sit immobilis. Quidnam aliud est veritas motionis, nisi ipsa eius ratio quæ vera eiusdem definitione comprehenditur? Hæc autem ita se habet, vt aliter vnquam se habere non possit. Proinde veritas semper est præsens, neque de præterito transit in præsens, neque de præsenti transit in futurum. Veritas adeò præsens est vt etiam futuri præteritique veritas præsens existat. Quippe eadem veritate verum est in præsentia, hoc aut illud vel esse, vel fuisse, vel fore; qua & ab æterno verum erit hoc aut illud aliquando fore, & in æternum verum erit, hoc aut illud quandoque fuisse. Veritas adeò sempiterna est, vt etiam si incœpisse dicatur quandoque, certe ante ab æterno verum fuerit, & non nisi per veritatem eandem fuerit verum, veritatem ipsam quandoque fore. Ac etiam si vnquam desinere veritas cogitetur, deinde in æternum verum futurum sit, atque non nisi per ipsammet veritatem futurum sit, verum, veritatem aliquando extitisse. Veritas si in motione immobilis est, si in præterito & futuro est præsens, si in principio est sine principio, si in fine similiter absque fine, certe nihil est aliud quàm immobilitas ipsa atque æternitas. Mens igitur natura veritatis capax, immobilitatis æternitatisque est particeps. Voluntas quoque natura veritatis auida, immobiliter æternéque voti sui compos effici potest. Vita electione veritatis studio, cultuique dedita, sola immobiliter æternéque fœlicissima viuit. Nempe quicunque à veritate veræ beatitudinis fonte impie ingrateque discedunt, interim à beata æternitate miseri decidunt Qui autem pro viribus accedunt ad veritatem, veræ fœlicitatis originem, simul in beatam æternitatem beati resurgunt. Igitur, quem-

admodum incœpisti, in studio cultuque veritatis viue fœliciter. Soli enim verè beateque viuunt, qui in ipsa veritate veræ beatitudinis fonte viuunt. Soli autem aliquando possunt in ipsa veritate viuere, qui semper quoad fieri potest, veritati viuunt.

Vbi bonorum viget bonum, ibi solùm reperitur omnium medicina malorum.

MARSILIVS FICINVS, & Ioannes Caualcantes, Leonardo Collensi, legitimo Iuris ciuilis Professori, S. D.

ANimus noster, vt est apud Platonicos, mediam quandam inter æterna & temporanea obtinet regionem. Atque tanquam vtrorumque particeps, ad vtraque pro arbitrio voluitur. Quando temporalibus sese mergit, primo quidem breuem quandam falsamque dulcedinem sentire videtur, mox longa veraque amaritudine prorsus obruitur. At, cùm sese erigit ad æterna, contra omnino se habet. Nempè post breuem quandam falsamque amaritudinem, dulcedine vera & diuturna perfunditur. Quippè cùm non temporaneum, sed æternum sit verum æternæ intelligentiæ nutrimentum. Cætera quidem hominum studia, vt plurimùm, à diuinis seiungunt, mortalibusve coniungunt, religio autem contra à mortalibus soluit, diuinisque religat, vbi stygiis amarisque saporibus procul expulsis, nectarea nos suauitate perfundit. Si quando aliàs religioni indulgendum fuit hac tempestate est potissimum indulgendum, hoc enim, vt vides, malorum omnium seculum est. Solùm verò apud Deum, vbi bonorum omnium viget bonum, reperiri potest omnium medicina malorum. IIII. Calendas Decembres. M. cccc. lxxix. Florentiæ.

Decrescente corporis pulchritudine, crescit animi pulchritudo.

MARSILIVS FICINVS Angelo Politiano, Conphilosopho suo, S. D.

SI nunc, Politiane, dixero me literarum tuarum acumen & eloquentiam non mediocriter admirari, aliquis fortè me nimis admirabundum existimabit, quippè cùm nouitas tantùm cæteris admirationem parere soleat, ego verò etiam quæ mihi in Politiano iamdiu notissima sunt, videar admirari. Sed reuera non antiqua nunc in te, sed noua demiror. Adeò enim feliciter Politianus meus breuissimo quodam tempore adoleuit, vt mutata forma alius mihi iam nouusque appareat. Ergo qui mihi puer non parum, qui multum placuit adolescens, idem plurimum perplacet adultus. Meritò crescente in dies forma, creuit & gratia. Atque id quidem ea etiam ratione placet factum, quia sæpè vaticinatus sum futurum. Perge igitur, fac obsecro, vt cœpisti, te diuinum, vt simul me facias diuinantem. Quod autem Marsiliana tantis vbique efferes laudibus nihil miror, quis enim in propriis laudibus cauendis, non vehemens sit? non accendatur? Quis adeò gustu caret, vt non sibi sua maximè placeant? Retulit nobis Francus quid cum doctis omnibus, præsertim cùm Hermolao Barbaro, erga nos egeris, quid petas vt agam? Agam equidem libenter, vtinam belle. Belle certè ago, atque bene, quicquid cum Bernardo Bembo meo ago. Landinus & Caualcantes innumeris te vicissim salutibus obruunt.

Seditiosas vrbes procul fugito.

MARSILIVS FICINVS Hieronymo Rossio, dilectissimo suo, S. D.

NAldus Poëta noster, postulauit à me tuo nomine, Pauli raptum. Mitto Opusculi huius Archetypum. Tu verò, quoniam Archetypum est, cùm primùm transcripseris tutò remitte, Naldus hic, simulque Angelus Politianus, alter Poëta noster, multa de me Hermolao Barbaro, multa insuper mihi de Hermolao cecinerunt. Ergo vt tibi accommodum erit latinissimum hunc nostrum Barbarum conuenito, dicito statuisse me, nihil ad eum tanquam præcipuè bonum aliquando scribere non bonum, nihilque in his tantis patriæ malis in mentem nobis venire non malum. Equidem vt plurimum miseræ huius vrbis tædio rusticor. Nec aliam ob caussam mœnia hæc interdum reuiso, nisi vt Bernardum Bembum meum visam, qui adeò nobis placet, vt eius causa tantùm hoc tempore possim dicere, nonnihil Florentiæ esse quod placeat. Idem de Bembo cæteri omnes sentiunt literati. Phœbo Capellæ, & Leoni Michaëli viris clarissimis nos commenda. Kalendis Martiis. M. cccc. lxxix. In Agro Regnano.

Orphica comparatio solis ad Deum, atque declaratio idearum.

MARSILIVS FICINVS & Ioannes Caualcantes Loterio Neronio Conphilosopho suo, S. D.

SPhæra Solis tota, vt Orphici tradunt, animam habet longè quam cæteræ sphæræ præstantiorem. Quæ per vniuersum quidem sphæræ corpus vitam motumque exercet, perque omnia inde diffundit. Per globum verò ipsum Planetæ Solis intellectum in primis exercet & visum. Intellectum quidem per lucem quandam intelligibilem in ipso Solis centro quin capiti ominantem. Visum verò per inuisibilem lucem in vniuerso Solis ambitu tanquam oculo perlucentem. Illic vtique ex intelligibili luce fit visibilis, & intellectu quoque fit visus, Nihil enim ibi aliud intellectus est, quam lux intelligibilis eadem, nihil aliud visus quam lux ipsa visibilis. Non aliud est, ipsius esse quam lucere, non aliud est ipsius lucere quam videre, non aliud illuminare, quam facere sua omnia factaque seruare, quam facilè essendo natura sua lucet intrinsecus, tam facilè lucendo illuminat extra, tam etiam facile illuminando sua omnia facit & seruat. Sed missa faciamus in præsentia cætera Solis officia, intimam dumtaxat visibilemque ipsius Lucem, id est, visum ipsum consideremus. Illic visus tam summus est, quam visibile summum. Visus per quem cæteri vident, visibile per quod cuncta videntur. Quonam potissimum visus ille se dirigit, vt videat aliquid, nisi in semetipsum, in quem & cætera vtcunque possunt, intuetur vt videant. Sed quidnam videt præcipuè quando se videt? Profectò visibilem lucem videt, visibilium omnium colorumque fontem atque originem. Si illic summus visus est atque visibile summum, certe summa est perfectaque visio. Et quæ differendo trium numero computamus, vnum reuera idemque existunt. Si enim visus eiusmodi atque visibile vnum sunt, vt diximus, consequens est, vt vt visio quæ tanquam actio quædam media inter vtraque cogitatur, cum vtrisque sit idem.

Proinde si lux illa perfecte se videt, certe quãtum in se possit & quodcunque facere ex se possit, penitus inspicit. Vt autem cætera quæ innumerabilia sunt, omittamus, colores certe omnes & facit & seruat. Prout enim ipsa sese variis modis passim per varia subiecta diffundit, varios edit vbique colores. Omnes ergo colores in se videt, dum se videt. Verum si lux illa simplicissima est, atque, vt ita loquar, vnicolor, quonam pacto tam multiplex erit atque omnicolor? Nimirum ob hoc ipsum, quia simplicissima est, est in genere suo & prima & omnium communissima. Si ita est, meritò omnes sui generis gradus in seipsa complectitur. Sola enim forma illa in quouis genere, omnino omniformis est, quæ in eadem omniformis. Atque multitudo formarum quæ in subiectis aliunde formatis compositionem diuersitatemque adducit, eadem in causa formatrice eminentem significat vbertatem, virtutemque vnitissimam (& vt ita dixerim) forti[illegible]mam.

Cæterum, ne longius peruagemur, quot sunt in rebus compositis colorum species, totidem ideas colorum lux illa conspicit in seipsa. Prout enim videt se primo dumtaxat gradu micabilem, est nigri coloris idea, vt autem gradu II. idea sit fusci. III. flaui. IIII. cœrulei viridisque. V. cœlestis & glauci. VI. rubei plenioris. VII. rubei clarioris. VIII. crocei, IX. albi. X. limpidi siue nitidi. XI. splendidi, splendoris denique. XII. Gradus eiusmodi qui in subiectis multis aliunde formatis multi sunt, in causa vna omnium formatrice vnus sunt gradus & summus. Non aliter quam innumerabiles numeri in ipsa eorum origine vnitates sunt vnum, & innumerabiles lineæ in centro vno indiuiduo vnum sunt atque indiuiduæ, Verumtamen lux illa, dum summum suiipsius inspicit gradum, conspicit similiter quot sequentibus gradibus passim queat summus gradus ipse diffundi, quotue inde colorum species procreare. Est colorum causa triplex, efficiens, & exemplar & finis. Efficiens, quantum ex se suaque virtute producit: exemplar quantum ad suam illos similitudinem exprimit: finis quantum & ipsa illos ad se eleuat atque reducit, & ipsi naturali quodam instinctu inde insito ad ipsius similitudinem, quantum species capit sua, peruenire nituntur. Colores in subiectis diuisi quidem sunt qualitate, situ & tempore: in causa verò tribus his modis prorsus vniti, in subiectis præterea confusi sunt atque inuicem contrarietate commisti. In causa verò & virtute effectrice tam perspicacia sensus singula inuicem discernentis, quam voluntate plurima eligentis absque vlla confusione distincti. In subiectis postremò imperfecti sunt, quoniam vndique sunt infecti. In causa verò perfecti prorsus existunt, quantum purissimi sunt atque plenissimi. Ergo sicut in subiectis ma-

gis inter se diuisi sunt, sic in ipsa causa magis sunt Quia priuationem illic aliquam essentiæ naturæque suæ non patiuntur. Quæres forsitan quonam pacto in causa distinguantur? Respondeo exempli causa, mysterium illud, adhuc Orphicum sequens, tribus modis colores in ip a luce considerari. Primo quidem secundum affectum eius & voluntatem. Per absolutam essentiam minime diuiduntur, vna enim lux pura ibi sunt cuncti colores.

Per visionem voluntatemque inuicem distinguuntur Quoniam & videt & vult multis lucem vnam modis permulta subiecta diffundi. Nunquid lux illa propterea composita multiplex euadit, quod multa in se videt posse ex se fieri vultque fieri? Nequaquam. Quippe quum neque per formas multas videat multa, sed per vnam, per vnam scilicet, lucem variorum originem exemplarque colorum. Neque pluribus ad plura cernenda eligendaque visionibus electionibusue vtatur. Sed & vna plura visione discernat. & vnica similiter eliget voluntate, ergo ratione dumtaxat, id est, perspicacia plurima discernente & voluntate multa deliberante discerni videntur. Non ratione, inquam, oculorum nostrorum, qui hinc in alio illa suspiciunt, sed ratione oculi sui qui ibi in se illa conspicit atque deliberat. Quamobrem respectus illi quibus ideæ colorum inuicem discernuntur, non à coloribus his oculisue creantur, imò ab ipsa luce tam perspicacissima quam summe perspicua, ab ipsa, inquam, luce sese ad diuersas colorum species referente. Sunt enim respectus ita multi vt sic perspecti atque electi. Eiusmodi verò multitudo in ipso perspiciente & eligente propriè naturæ suæ simplicitati non obstat. Sed satis iam satis, mi Locteri, in cœlestem Solem fiximus nostrum pro viribus, aquilæ instar, intuitum. Ergo ne infœliciter caligare cogamur, nostram iam ad nostra aciem reflectamus, ad nostra inquam, idest ad ideam nostram Solemque illum supercœlestem, qui ardentes amatores contemplatoresque sui perdite caligare non sinit. Sed quantum illorum coruscat oculis, tantum eorundem aciem & confirmat & roborat. Quapropter Orphicum mysterium illud si volumus fateri verum, saltem parumper fingamus quasi verum, vt Solem cœlestem ita suspiciendo, prospiciamus in eo supercœlestem illum, tanquam in speculo, qui in Sole posuit tabernaculum suum. XIX. Decembris. M. CCCC. LXX. X. Florentiæ.

Præstat exulem esse quàm inspicere patriam pereuntem.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Bembo Veneto Oratori, S. D.

Rogas vrbanissime Bembe, quamobrem tamdiu Neapolitanus ille noster rusticus esse velit? Quia videlicet Vrbanus hac tempestate esse non potest. Si vel posset ingentem, Bernarde, dolorem, quo ipsum vrbis istius Neapolitanæ conditio quõda n felix, nunc penè mi era premit, palàm securus premere vel saltem sciret cautus reticere, nunquam eius vrbis quæ Bembum suum diligit aspectum procul effugeret. Verùm in tantis patriæ malis grauiter non dolere non potest. Non datur succurrere, ne dicam, non licet, dissimulare non libet, libet abesse. At inquies forsitan scilicet iis Philosophis labor est, ea cura quietos sollicitat, equidem (si detur optio) mallet vnà cum Democrito procul ab vrbe, è summo quodam montis vertice Abderitanos ridere dementes, quam cum Heraclito è turris specula lugere Ephesios pereuntes. At verò is ipse est qui Iesum in hoc vno saltem natura quadam potius imitetur, Iesum miseram Hierosolymæ vrbis sortem in monte deflentem. Qui rursus Pythagoram, Platonem, Aristotelem modo sequatur deformem aliquando Athenarum faciem procul effugientes Denique vt Socrates non sit Aristoteles (vt ita dixerim) esse studet. Scis (vt arbitror) quam ob causam Aristoteles post Socratis necem relictis Athenis in Calcidem se contulerit. Kalendis Iunij. M. CCCC. LXXX.

Felix est qui vere gaudet; verè gaudet, qui sola veritate gaudet.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Francisco Hippolyto, Iuris vtriusque Doctori, Gazolti Comiti viro clarissimo, S. D.

Franciscus Berlingherius familiaris noster, literis & moribus ornatissimus, reddidit nobis Epistolam tuam, qua scribis te primum Epistolarum nostrarum librum habere, reliquos cupere. Reliqui quinque sunt; mitto secundum, qui totus in Platonicorum mysteriorum contemplatione versatur. Quatuor verò sequen-

tes perinde ac primus, quem habes, breuibus variisque admodum constant Epistolis. Illos autem mittam ad te postquam secundum hunc abs te recepero, quem obsecro remittas diligentissimè. Vnicum enim erat penes nos hoc libri huius exemplar. At tu Epistola tua ingentis amoris erga me plena, ita me tibi subito deuinxisti (vt putarim) vel vnicum exemplar fidei tuæ & diligentiæ committendum. Amoris autem mei erga te mutui argumentum quoque esse volui, secundam libri huius Epistolam, quam cum iamdiu statuissem communi quodam titulo (vt sæpe soleo) ad amicos inscribere, nuper inscripsi tibi, vtpote in quem vnum parem cunctorum beniuolentiæ beniuolentiam iam contulerim. Lege fœliciter, ac viue fœlix, sed vt fœlix viuas verè gaude, vt autem verè gaudeas, sola veritate gaude.

Publica nequeunt rectè feliciterque absque diuino auxilio gubernari.

MARSILIVS FICINVS Francisco Berlinghe-rio, S. D.

QVantum plerique solent amicis magistratus dignitatesque adeptis congratulari, tantum ego hac in re & Deo vouere soleo, & diuinam amicis gratiam exoptare. Didici equidem à Platone eas artes quæ circa priuata versantur bona, posse sufficienter interdum humana prudentia gubernari, in ea verò facultate quæ publicum curat bonum, gubernatorem esse, faterique oportere Deum ipsum, ad quem pertinet quidem omnium, sed communium publicorumque præcipuè prouidentia, humanam verò prouidentiam in eiusmodi facultate non gubernatricem esse, imò diuinæ gubernationis pedissequam & ministram. Huc tendit mysterium illud Platonicum in Protagora, Prometheum, id est, humanam prouidentiam artes omnes præter ciuilem industriam inuenisse. Hanc enim ab Ioue, inquit per Mercurium, id est, à diuina prouidentia per Angelicas inspirationes quotidie nobis subministrari. Huc tendit & comparatio illa Platonica. Quemadmodum nequeunt à bestia bestiæ rectè fœliciterque absque homine duci, ita neque homines ab homine sine Deo. Quidnam aliud sibi vult propheticum illud? Cor regis in manu Dei, & quocunque vult vertit illud. Quid & hoc Euangelicum Apostolicumque? Non haberes hanc potestatem nisi tibi data esset desuper. Rursus, Non est vlla potestas nisi à Deo. Quæ verò sunt, à Deo ordinata sunt. Quãobrem Dionysius Areopagita Archãgelos humanis ducibus, duces magistrosque præfecint. Hic Dauid psalmis non aliter quam habenis quibusdam regni sui gubernacula temperabat. Sciebat enim, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilaturum, qui custodit eam.

Hinc Salomon sapientiam diuinam inducit ita clamantem; Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Hinc Romanorum quoque religio, nihil publicum vel pace vel bello absque votis auspiciisq; tentari iubebat. Vnde Scipio haud prius publica aggrediebatur negotia quam diuinis votis incubuisset. Scite Oratores atque Poëtæ, eos qui publicis præsunt muneribus, tanquam nauium gubernatores esse aiunt; & quasi semper inter scopulos fluctus procellasque versentur, perpetuo numinum præsidio indigere. Quapropter quemadmodum erga cæteros amicos soleo magistratus adeptos, si erga te amicissimum nunc afficior, nempe in primis Deo pro tua fœlicitate voueo, deinde non tam tibi gratulor quam opto, opto, inquam, diuinam opem, vt pie, prudenter, iustè, clementer, & denique fœliciter istum aliosque omnes magistratus agas & peragas. Quod quidem spero te, noui enim ingenium tuum (gratia diuina) consequuturum. Vale.

Non est communis pater, qui communem filiorum non habet curam.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo Iurisconsulto & equiti Venetorum oratori clarissimo, S. D.

NIhil ad te iamdiu scripsi, mi Bembe, quia malignitas temporum nihil prorsus vel audienti vel cogitanti mihi suggerebat nisi malum. Ego autem quamuis male scribere non dediscam, mala tamen scribere nondum didici. At nuper hoc vnum audiui, quod probem, modo sit verum. Pastorem videlicet summum cœlesti consilio fretum, noluisse à grege suo Venetos segregare. Contra verò quid aut audiri aut cogitari prophanius potuisset, quam eam Rempublicam quæ omnium quæ in terris sunt, quæque fuerunt, diuinior iam censetur, ab ipso Dei vicario, vel oppugnari vel deseri? Proinde tunc

demum cuncta probabo, cum & cæteri omnes de Venetis idem senserint, & Pontifex ipse de cæteris quoque, idest, de Christianis cunctis idem penè senserint quod de Venetis. Cogitarit videlicet atque ostenderit omnem Christianorum omnium esse se patrem diuino oraculo iudicatum. Neque reuera patrem esse qui non habeat filios, neque filios habere reuera, qui filios suos non habet filios. Ego verò non solum pro mea in omnes charitate id opto, verumetiam Pontificem ipsum spero, pro sua pietate, esse facturum.

Sola illa gratia non senescit, quæ à rebus non senescentibus oritur.

MARSILIVS FICINVS Dominico Gallecto, S. D.

COgitabam modo diligentius ipse mecum, qua nunc te ratione potissimum obsecrarem obtestarerque, vt necessarium nostrum Conphilosophum Sebastianum Saluinum, si quo pacto potes, in sua causa adiuues. Primum quidem sese mihi obtulit amicitia, cumque ita scribere iam statuissem, rogo te per nostram amicitiam, mi Gallecte, & quæ sequuntur, virtus ipsa me subito sic interpellans, noli Marsili, inquit, amicitiam, quæ me, scilicet, virtutem sequitur, sed per virtutem ipsam quæ amicitiam ducit & sustinet, obsecrare. Igitur Gallecte mutato consilio statui, & hac in re & in cæteris omnibus non tam per amorem nostrum quam per virtutem ipsam amoris nostri conciliatricem te rogare. Plurimum profectò virtuti gratia debet, quippe cum propter ipsam immortalis euadat. Audisti, vt arbitror, prouerbium illud, Nihil citius senescit quam gratia, quæ videlicet à rebus aliquando senescentibus oritur. Quæ verò à virtute semper viridi nascitur, arescit nunquam.

Quidnam aliud sibi vult Poëticum illud, Solis æterna est Phœbo Bacchoque iuuentus. Nempe nihil aliud gratia ipsa est quam splendor atque lætitia. Splendor quidem ipse apud Poëtas appellationem Phœbi, lætitia verò Bacchi nomen accepit. Virtus autem & menti splendorem & voluntati lætitiam affert, viuentem semperque virentem. Vale fœliciter mi Gallecte, atque sicut semper sola virtute fulges, ita semper sola virtute gaude. Præterea quoscunque offenderis, qui sola virtute gaudeant, hos Marsilij nomine saluere iubeto, tanquam mihi iam notos atque necessarios, alios mittito, nolo enim saluos eos, qui ipsi se saluos nolint, nolunt verò se saluos, quicunque virtutem nolunt, qua salui esse non possunt. Humanæ autem virtutis principium finisque est, meminisse non esse humanam virtutem, absque diuinæ virtutis gratia & amore. Iterum bene vale.

Commendatio amici.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Reuerendo in Christo Patri, & Domino suo Raphaëli Riario, sancti Georgij Cardinali, suppliciter se commendat.

IAm percrebuit Florentiæ constans opinio, Marsilium Ficinum à Raphaële Riario vehementer amari. Atque hæc opinio iamdiu à nostra illa familiaritate nata quidem est, confirmata verò ab Epistolis meis, quæ passim reuerentiæ erga te meæ testes circunferuntur. Quapropter multi me quotidie rogant, vt causas tibi suas commendem. Ego autem ne tibi essem molestior, vnius duntaxat causam suscepi, toto hoc tempore commendandam, Francisci videlicet, Petrucci Presbyteri. Nosti (scio) Cæsaris filium, quem cum ob necessitudinem, quæ mihi est cum suis, tum propter virtutes suas tibi non commendare non potui. Tu verò, quamuis in discessu tuo prædixeris, nisi tecum isthuc accederem, nihil vnquam te mihi, aut per litteras, aut per nuncios responsurum, non tamen minatus es, quo minus aliquando affectu & opera responderes.

Ergo, ne sis periurus, si modo id iureiurando firmasti, neque literis, neque nunciis responde quicquam, verùm ne videaris à tuo illo ingenio discessisse, pio quandoque affectu saltem & opera respondebis. Sic viri solent magnanimi, qui tantùm ipsi rebus, quantum cæteri verbis abundant. Quorum affectum in effectu, potius quàm in verbis agnoscimus. Equidem, si iussis olim tuis, tam parere potuissem, quàm optabam, ita profectò tuo huic nihil tanquam præsenti scriberes sicuti nunc nihil absenti. Sic fato (vt ita dixerim) quodam institutum fuisse videtur, vt & ego nullo pacto literas abs te nullas acciperem, & tu verba quidem Marsilio tuo dares nulla, officia dares. Vtinam quoque omnes officia dent, non verba.

Auxilium meum à Domino, qui cœlum fecit & terram.

MARSILIVS FICINVS
Domino Bernardo Bembo Veneto Iurisconsulto, & equiti clarissimo, S. D.

POst diuturnam rusticationem meam, redij tandem grauibus compulsus negotiis in vrbem febricitantem. Hic Mars sæuus Iuliis Kalendis flammas in me geminas iaculatus in vitæ discrimen repente deduxit. Adeunt insignes Physici. Stephanus Mediolanensis, Georgius Cyprius, Antonius Beniuenius, aliique nonnulli, omnes in me Apollinis artes, si quo pacto sustinere possem, diligentius experturi. Ego autem cum certo scirem, debilissimam corpusculi mei naturam, neque febres ferre duas posse, Iulio præsertim mense, neque necessaria Medicorum auxilia sustinere, leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino qui cœlum fecit & terram. Ergo diuina afflante clementia cœlestis in me aura spirans, ambas simul flammas dum in augmentum procederent, præter omnem Physicam rationem momento prorsus extitit. Stupent Medici, mirantur amici, exclamant ipsi domestici. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Meministi, optime mi Bernarde, quemadmodum iamdiu Deus omnipotens me tibi dedit, quando amicitiam nostram mirifica illa (quam nosti) ratione conflauit. Ecce iterum Deus idem Marsilium Bembo reddit dum vitæ restituit. Totum igitur Deo debemus quod viuimus, quod fœliciter viuimus, quod amamus, quod fœliciter amamus. Viue fœliciter, ama fœliciter. XXIII. Iulij. M. CCCC. LXXX. Florentiæ.

Quatuor diuini furoris species sunt, amor omnium præstantissimus.

MARSILIVS FICINVS
& Ioannes Caualcantes Naldo Naldio Poëtæ, S. D.

REdditæ nobis sunt elegantissimæ literæ tuæ, ea ipsa hora, qua Luna Marti ad rectam lineam iungebatur. Quis nam putauisset, quantum ex ipso cœlo coniectare licebat, eas lunari quadam instabilitate vagari, atque Martij furoris odiique plenas esse debere? Contra verò omnino se habent. Nempe non infimo Lunæ motu pererrant, sed sublimis Vraniæ Calliopæque concentibus mirifice temperantur. Non Martis ardent, sed Veneris igne. Non odio feruent sed charitate. Qua in re plane perspicimus verum esse Poëticum illud atque Astronomicum, Martem scilicet à Venere vinciri atque domari. Verum quoque id Theologicum, diuinum videlicet furorem tanquam cœlestibus motibus superiorem haudquaquam parere syderibus; sed imperare. Cum verò diuini furoris species, vt Platoni nostro placet, quatuor sint, Amor, Vaticinium, Mysterium, Poësis. Atque amor Veneri, vaticinium Apollini, mysterium Dionysio, Poësis Musis attribuatur. Amor ipse diuinus, quo tu correptus ad nos scribis, omnium præstantissimus duabus de causis iudicatur, altera quidem, quod furores cæteri absque amoris instinctu ad eam ipsam rem circa quam furore animus concitatur, neque comparantur vnquam, neque seruatur. Altera verò, quod amor cum amantem transferat in amatum, quoties ad superiora dirigitur, mentem cum Deo propius quam furores alij copulat. Quod si amatorium hunc furorem tuum pro dignitate laudare aggrediamur, Poëtico nobis furore opus erit. Quoniam verò Musæ nobis in præsentia non aspirant, quod non possumus laudare Poësi, amore certè mutuo probamus, semperque probabimus.

Qui colit numen, numinis oraculis interest.

MARSILIVS FICINVS
Reuerendo in Christo Patri & Domino suo Francisco Soderino Episcopo Volaterrano, S. D.

AVdisti olim venerande Pater, veritatem ipsam coram Raphaële Riario Cardinali de institutione Principis, Interprete videlicet Marsilio, perorantem, audi, si placet, hodie veritatis ipsius amorem, id est, Philosophiam eadem fermè de re coram Ioanne Aragonio Cardinali breuiter eodem Interprete declamantem. Par enim est Soderinum Antistitem, quemadmodum duo hæc numina, ab ineunte ætate obseruantissime coluit, sic eorum quoque oraculis mysteriisque omnibus tanquam legitimum sacerdotem familiariter interesse.

PHILOSOPHICA
principis institutio.

PHilosophia mater Ioanni Cardinali Aragonio, dilectissimo filio suo, salutem veram in vera sui ipsius cognitione pollicetur & præstat. Mortales penè omnes, dilectissime fili, adeò mihi cæci videntur, vt vel noctuis interdum quodammodo similes videantur. Mittam in præsentia alia quamplurima humanæ cæcitatis indicia. Atque cùm ad virum in dignitate maxima constitutum orationem habeam, solùm quanta cæcitate in rebus eiusmodi mortales inuoluantur aperiam. Principio dignitatem falsa definitione nihil esse aliud iudicant, quàm honore digna nancisci. Ego autem veram dignitatem haud aliter definio, quàm honore digna mereri. Deinde illi tunc solùm dominos tranquillósque fore se sperant, quando plurimis tam rebus, quàm hominibus regendis fuerint occupati. At ego, id quod palam exitus ipse probat, tunc illos & omnium seruos, & omni perturbatione oppressos existimo, quando humeros suos temerè ponderi omnium sustinendo subiecerint. Verùm quoque illam dominationem esse censeo, quæ nulli seruiat seruo, quæ si quando seruit, tunc soli seruiat illi, qui solus nullius est seruus. Veram rursus tranquillitatem esse arbitror, quæ ita instituta est, vt perturbationes vel nullæ contingant, vel si fortè contigerint, tantùm ipsi seruiant, quantum cæteris dominantur. Prætereà, mortales vsque adeò insaniunt, vt quando vel sorte vel vitio quodam magna quædam nacti fuerint, repente inde magnos euasisse se opinentur. Perinde ac si quis mente captus, quando aut vestem induit longiorem, aut ædes amplas ingreditur, ob hoc longiorem se factum, glorietur vel ampliorem. Ego verò contra, magnos certè viros eos solos affirmo, qui res magnas magna similiter virtute gerunt, neque superantur à magnis, sed aut superant aut æquant. Denique illi ad summa rerum fastigia euecti cæteros tanquam inferiores multoque minores, imò velut minimos nihili pendere solent. Ceu si quis adeò deliret, vt postquam turrim altissimam ascenderit, tam seipsum altum procerumque existimet euasisse, quàm alta sit turris, atque opinetur quæcumque sub turri despicit verè tam exigua esse, quàm pusilla ab alto prospicienti videntur.

Ego autem illos esse re vera altissimos iudico, quos ob ipsam animi altitudinem, quasi in Olympi vertice constitutos, perturbationum nebulæ non attingunt. Cæteros omnes soleo tanquam infimos aspernari. Eos postremò & acutissimè cernere, & rectissimè iudicare omnia iudico, qui tanta esse singula, non quanta eminus prospicienti foris apparent, sed quanta intus re vera sunt, iudicant. Eos quoque tanquam magno animo iudicioque viros soleo magnifacere, qui haud tanti faciunt singula quanti aliunde apparere forte contingit, imò quãti ipsa sese sua virtute singula faciunt. Ego, Ioannes mi suauissime, tales inuito vulgò mihi filios pario quales audis, ita etiam alumnos meos enutrio. Hac equidem ratione eos à vulgi cæcitate lachrymabilique miseria segrego. Hac maximè via meos à Lethea caligine Stygiaque procella longè semotos eueho feliciter ad æthereum Phœbi lumen, ad Elysiam tranquillitatem, ad immortale Ambrosiæ pabulum suauitatemque nectaream, neque pro tam felici munere aliam mihi à meis gratiam, quàm duos tantùm nummos referri postulaui vnquam, vel postulabo: alter quidem est, vt tam libenter à me accipere dona velint, quàm ego dono libenter. Alter autem vt non tam mihi Philosophiæ, quæ sum veritatis amor, quàm ipsi sophiæ, id est, veritati summæ diuinæque, quam amo, gratias habeant. Illa enim me, illa, inquam, veritas me, seu sol ipse lunam, sempiterno replet lumine. Vos autem filij alumnique mei toties illa quæ passim vobis ostendo acutissime cernitis, quoties ea vobis à me quasi luna per ipsos dumtaxat solis, id est, veritatis radios, licet obliquos ostendi rectè discernitis. Profectò filij, sic affecti quandoque per diem in ipso diuino Sole inspicietis, quæ nunc quasi per noctem velut in Luna videtis.

Quorsum hæc? vt memineris, suauissime mi Ioannes, me iamdiu te tanquam filium libenter amplecti, memineris, me ab initio educauisse te sicut soleo meos. Neque plures vnquam abs te nummos pro ipsa educatione quam duos illos, quos paulò ante dixeram exacturum. Vale. Atque viue, in beatis vlnis matris huius tuæ Philosophiæ feliciter. xx Augusti. M. CCCC. LXXX. Florentiæ.

(∴) (∴) (∴)

Pius dominabitur astris.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici, viro magnanimo, S. D.

HOdie Laurenti, atque cras caueto tibi. Mars enim sub Capricorno tuo ascendente percurrens, quadrato aspectu hodie quidem Saturnum, cras verò Solem videtur aspicere. Præterea Saturnus ipse ascendentis tui Dominus nondum solis radios prorsus euasit. Ob hanc vltimam rationem mihi quoque est cauendum; veniebam superioribus diebus ad te, eadem prædicturus, sed obiter succurret, præstare vt in hanc horam vsque differrem, ne diuturniore te metu & molestia prememerem. Solemus enim sæpè prædictionibus nostris mala vel procul futura anticipare, diu vel interdũ fingere non futura. Cũ verò miseri censeantur omnes, quibus aliquando sit timendum, illi certè minus miseri, qui breuiore metu sollicitantur. Spero equidem, neque vana fides, eundem syderum hominumq; regem, qui te hactenus & à syderum minis, & ab immanibus hominum manibus mirificè sæpè seruauit, in posterum quoque pro sua clementia similiter seruaturum. XXVI. Septembris. M. CCCC. LXXX.

Vnum sunt qui ab vno amantur in vno.

MARSILIVS FICINVS Locterio Neronio, Comphilosopho suo, S. D.

QVa hora reddita mihi est sapiens illa Epistola tua, Locteri charissime, cogitabam Enigma quoddam Platonicum Ioanni Nesio, eruditissimo familiari nostro id cupienti ea breuitate, quam Epistola postulare videtur, euoluere. Rogaui equidem pium istum Locteri spiritum tuum, in tuis hisce literis resonantem, ne noua nunc à nobis exigeret, sed his quæ iam excogitaueram contentus esset. Annuit libenter spiritus iste mihi. Ego igitur pleniore quadam fide quod amicorum vni promiseram duobus seruabo. Vos autem, dilectissimi mei fratres, Locteri & Ioannes, facilè (vt arbitror) patiemini animum à Marsilio vestrum non duos existimari, sed vnum qui certè vos tanquam vnum vno, dumtaxat amore plenissimo, in ipso diligit vno, sine quo nihil vsquam, aut fit, aut permanet vnum.

Diligentia circa matrimonium & nuptias summa.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Berlingherio Nicolai filio, Conphilosopho suo, S. D.

SI fortè domum custodiendam, vel seruandum depositum, vel pascendas oues, aut agrum colendum, sis alicui traditurus, eligesne ditissimum quemlibet, vel potentissimum? An potius illum præ cæteris eliges, qui ea ipsa (quam tua res postulat) præditus sit facultate? Hunc igitur ipsum duntaxat, si sapies, custodiendam domum, depositumque seruandum soli prudenti, forti, iusto, fidoque committes. Pastori similiter trades probatissimo pascendas oues. Agrum quoque optimo cuidam agricultori colendum, si sapias, commendabis. Prætereà, si quem tibi filium cupies adoptare, nunquid fortunam eius externam, potius quàm ingenium & virtutem considerabis? Empturus seruum, num serui vestem, pluris quàm corporis firmitatem, animique fidem & diligentiam æstimabis? Empturus equum, phalerasne pictas, pulchrumve frænum, an multo magis equi membra, dexteritatemque diligenter inspicies? Fundaturus domum, nunquid in arenis, quamuis aureis, an potius in saxis iacies fundamenta? Filia tibi, vt audio, nubilis est, filia his omnibus, quæ suprà narraui, longè tibi charior atque pretiosior, animaduerte quæso, quid facias diligenter. Ibi enim grauissimè erramus, vbi palam semperque reprehendi errata prius quàm corrigi possunt. Ibi periculosissime cadimus, vbi ruenti semel deesse videtur omnis resurgendi facultas. Ibi dolemus amarissimè, vbi & nostra culpa dolemus, & semper opinamur nobis fore dolendum. Quid est autem, filiam nuptui tradere, nisi eam marito custodiendam, seruandamque, & pascendam, colendamque committere? Hæc autem omnia fortuna mariti pollicebitur quidem, sed virtus ipsa præstabit. Nemo magis cæcus, quàm qui cæcam fortunam quasi ducem sequitur. Nemo sæpius fallitur, quàm qui fallacissimæ credit fortunæ promissis. Proinde, eligere generum nonne fermè idem est, atque filium tibi aliquem adoptare? Aut hominem emere tibi, qui tibi obsequio, imò & ornamento (quoties oportuerit) esse possit? aut tanquam ædificium quoddam affini-

tatem ipsam tuis commodis stabilire. Superiora exempla satis ostendere possunt, qualem vir prudens generum sit quæsiturus, qualem quoque ducturus vxorem. Epistolam iam vna cum Themistocle Plautoque concludam. Siue generum electurus es, ita sapiens Themistocles consulit. Malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro. Siue accepturus daturusque nurum aut vxorem ducturus (scitus sic admonet Plautus.) Satis dotata venit, si morata venit, Vale.

Magnos magna decet.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri Domino Francisco Soderino Episcopo Volaterrano se commendat.

SCribo frequentes, vt fit quotidie, ad multos Epistolas, sed audi venerande Pater quid iãdiu hac in re mihi contingat, atque id quidem proculdubio nimium. Nunquam meus me stimulat genius, vt quæ scribo ad multos, aliquando ad Soderinum exscribam meum, virum certe perpaucorum. At quoties ad principes & Antistites magnos molior aliquid, ad Cardinales, ad Pontificem, ad Reges, toties munus idem ad Soderinum mittere subito genius ipse iubet atque impellit, vtpote qui nescio quid magnum Soderino meo iamdiu auguretur & optet. Forte etiam hac ratione monet, ne putem me magnis vnquam verè satisfacturum, nisi huic vni qui re vera muneribus dignus est, magnis pro viribus satisfecero. Lege igitur nostram hanc quam mitto ad Matthiam Pannoniæ Regem Epistolam, vtinam regiam. Cura valetudinem diligenter, rebusque reserua secundis. XXX. Nouembris. M. CCCC. LXXX.

Nihil magis adhortatur nos ad virtutis amorem quam species ipsa virtutis.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo Veneto, S. D.

CVm vellem superioribus diebus familiares meos ad ardentem veræ virtutis amorem verbis, vtcunque possem, quam breuissimis cohortari, conatus sum pulchræ mentis imaginem ex congrua quadam formosi corporis similitudine Platonicis quibusdam, vt soleo sæpe, coloribus pingere. Verùm dum pulchri animi corporisque simul imaginem exprimere conor, inter pingendum ob imperitiam, & inertiam pingendi meam, non tam imago ipsa, quam optabam, exprimitur quam vmbra resultat. Vmbram verò omnem cogi semper rem ipsam, cuius est vmbra, sequi adeò certum est, vt siquis id ignorauerit, is solus non homo esse reuera sed vmbra hominis videatur. Igitur vmbra eiusmodi, vt idem iam sæpius repetam, cum primum apud nos oritur, relicta Florentia, Venetias vsque Bernardi Bembi hinc abeuntis vestigia sequi compellitur. Si quando Bembus eam retro versus à tergo sequentem aduerterit, repente in ipsa seipsum, quantum ex vmbra datur, cognoscet. Præterea ob similitudinem quandam, subito Hermolai Barbari recordabitur, Hieronymi Pencij nostri, vt arbitror, interea non oblitus. III. Nouembris. M. CCCC. LXXX. Florentiæ.

Commendatio non vulgaris, Ciuis institutio non vulgaris.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo patri Domino Gentili Episcopo Aretino se commendat.

QVicunque Venerande pater intelligunt quam antiqua simul & quam viridis semper sit amicitia nostra, putant Marsilium Gentili suo varias plusquam mille amicorum necessariorumque causas iamdiu commendauisse, nullam tamen hactenus commendauit. Vtpote qui, nescio quo siue instinctu siue spiritu, præsagiret, causam Ioannis Mariæ auunculi sui necessariorum omnium dilectissimi se quandoque commendaturum, ipsique auunculo quicquid esse momenti in decem commendationum millibus potuisset, iam designaret. Si igitur huic vni gratificaberis, in hoc vno decies certe millies te mihi gratificatum existimato. Neque tamen id peto nunc ab Episcopo meo atque eo quidem iustissimo, vt ob amicitiam nostram quæ iustitia ipsa cœpit & permanet, aliquid vnquam quid minus iustum cuiquam videri possit, efficiat. Absit, venerande pater, absit procul à nobis quo placeamus homini, Deo interim displiceamus, sine cuius splendore vel gratia neque alia nobis, neque nos aliis, neque ipsi nobis, neque denique Deo possumus vllo pacto placere. Sed de his hactenus. Dici non posset quantum probem Laurentium Medicem Petrum primogenitum suum Gentilis magistri quondam sui disciplinæ dedicauisse.

Spero

Spero enim puerum iſtum educatione eiuſmodi, ſenem breui vel in ipſa pueritia euaſurum. Quo nihil antiquius, nihil magis neceſſarium Plato noſter eſſe illis exiſtimat, qui reipublicæ gubernacula ſunt feliciter accepturi. (Neque id quidem iniuria) Nempe ſi quælibet ars vel minima ſtatim ab ipſa pueritia nobis diſcenda eſt & pro viribus exercenda, nimirum publica gubernatio, omnium artium domina atque difficillima, à teneris vnguiculis, quantum per ætatem licet, diſcenda eſt, atque vt ita breuiſſima pro viribus longiſſimæ arti & diſciplinæ ſufficiat, facultas eiuſmodi vnà cum ipſo ſpiritu, cum ipſa vita, vt ita dixerim, eſt inchoanda.

Conandumque in primis, vt qui caput aliorum quaſi membrorum futuri ſunt, tantum ſaltem ſapientia prudentiaque cæteros ſuperent, quantum caput ipſum ſubiecta ſibi membra, ſenſuum copia & perſpicacia ſuperat, vt rationem ipſam modo prætermiſerim ſolo in capite dominantem. Meminerint quoque ſemper, nos neque pedibus, neque manibus vnquam, ſed ſolo capite cogitare. Ideoque qui ſtudent eſſe caput, eos neceſſario, vt & ſibi & aliis omnibus cogitare atque conſulere poſſint, nunquam prudentum cogitationum vacuos ſed plenos ſemper eſſe debere. Alioquin quiſquis cogitationum pondus tanquam difficile nimium (dum ipſe caput ipſum eſt) ponere cogitet, ponere ſimul & caput neceſſariò compellatur. Verum quid ego hæc? de gubernandi facultate prudentiaque tam multa ad eum virum, qui non modo prudentius hęc intelligit quam Marſilius, ſed & facit, ergo Vale.

Commendatio non vulgaris.

Nemo ardentius amandus quam qui Muſas ardenter amat.

MARSILIVS FICINVS Angelo Politiano Poëtæ Homerico, S. D.

ALamannus Donatus noſter iampridem ore illo Politiane ſuo, noſti hominem, ore rotundo, altius hunc in modum noſtris auribus intonat. Commenda precor per humanitatem, Marſili, tuã, commendo obſecro per ſacrum iſtum amorem in me tuum, qua obſecratione nulla ſacratior, commenda quam primum Alamannum tuum Politiano. Cum verò tam ardentis tamque pertinacis petitionis potius ab eo cauſas diligenter exquiro, ille ſimiliter rurſus ingeminat. Commenda quam primum. Cauſam antè tam exoptatæ commendationis adhuc explicat nullam. Ego igitur cauſam eius, qui nullam petitionis ſuæ cauſam affert, ſine cauſa ſimiliter tibi commendo. Sed caue Politiane putes præſentem commendationem ob hoc ipſum quod carere cauſa videatur, eſſe leuiſſimam. Ego enim contra ob id potiſſimum, tibi grauiſſimam videri volo, nempe ſummum apud Philoſophos in quolibet rerum genere illud habetur, quod in eo ipſo genere cauſam nullam habet, quaſi non ab alio vllo ſed à ſe ipſo dependeat.

Quamobrem commendatio præſens, cuius nulla præter ipſammet tibi adducitur cauſa, ſumma apud te commendationum omnium cenſeatur. Et ſi Alamannus ipſe (ſicuti plerumque ſolent, qui quoduis concitatius efferunt) & clamitat ſolum, eundemque clamorem ſæpius iam auribus noſtris ingeminat, clamoris autem ſui rationes vllas, lingua ſub rapidiſſimo cordis affectu hæſitante, plane explicare non poteſt, ego tamen indiciis certis adductus, opinor eum inſano quodam amore muſæ alicuius formoſioris accenſum ardere iam totum. Atque vehementer optare, ſaltem gratiam Politiani muſarum ſacerdotis amicitiamque inire, quo quidem conciliatore amatore amata quandoque Muſa facilius potiatur. Omnes vt ſecum ſtudiis pro talibus annos exigat, & pulchra faciat ſe prole parentem. Vale, ſed antequam Epiſtolam obſignem, teſte Angelo te, prædico huic Alamanno, ſi quando tanto huic officio meo, minus officioſus gratuſue videbitur, quod abſit, ei me ſic prorſus exprobraturum.

Ah nimis ingrate, dicam, nonne ſatis à me tibi factum quondam exiſtimabas, ſi te Muſarum ſaltem ſacerdoti conciliauiſſem? At ego quando te Politiano meo conciliaui, non tàm Muſarum Sacerdoti quam ipſis Muſis (quod multo maius eſt) videor commendaſſe.

Pictura malæ mentis & bonæ, item ignorantis & doctæ.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici iuniori viro Magnanimo, S. D.

AVdiui Laurenti iamdiu homines malis imbutos morib. tibi admodũ

displicere, audiui & nuper te ob hanc precipue causam placere bonis, quia displicet tibi mali. In illo equidem te valde probo, in hoc autem tibi magnopere gratulor. Nulla enim ad bonum via breuior, nulla commodior, quam odisse malum. Nullum certius sani gustus indicium, quam sapores illos, qui sanitati noxij sunt, aspernari. Nulla vel securior vita vel gloria firmior à bonis prudentibusque amari. Quos enim probi prudentesque viri amant, praui etiam tandem honorare coguntur. Vt autem mali homines non tantum tibi odio, sed etiam horrori sint, cupio, si modo placet parumper attendere, ac teterrimam miserrimamque flagitiosorum vitam tibi, vt aiunt, digito demonstrare. Talis, Laurenti, est animus moribus peruersis infectus, qualis silua passim sentibus aspera, truculentibus feris horrida, venenosis infesta serpentibus, rursus, quale est mare tumidum, contrariis inter se ventis sæuisue procellis fluctibusque iactatum, præterea quale corpus humanum tàm extra omnino deforme, quam intus ingentibus diuersorum membrorum doloribus cruciatum. Contra verò, mens moribus optimis exornata, talis est ferme qualis excultus ager & fertilis, quale tranquillum pacatumque mare, quale corpus humanum tàm pulcherrimum quam firmissimum. Vidimus amice primum, quandam malæ mentis vmbram, deinde contrariam bonæ mentis vmbram, deinde contrariam bonæ mentis effigiem, illam cum primum perspicue cernimus, non vehementer horrere non possumus, hanc verò non mirabiliter amare venerarique nequimus. Quid est autem aliud virum bonum euadere, quam & hanc obnixe sectari simul & ab illa penitus abhorrere? Cæterum dic amabo, optime Laurenti, vis ne quemadmodum malum bonumuè animum pauloante considerauimus, ita deinceps mentem aliquam ignorantem, rursusque doctam aliam, vna mecum clarius intueri? Imò verò desideras vehementer (vt arbitror) atque ego itidem tibi breuiter ostendere cupio. Talis certe est mens ignara veri, qualis Luna quando inter ipsam Solemque interposita terra, Eclipsim patitur, id est, Solis splendore priuatur, Iterum, qualis est nocturnus nubilus frigidus aër, postremo quale corpus humanum cæcis oculis, surdis auribus, linguaque muta.

Contra verò mentem & scientia rerum præditam, & verborum copia pollentem, haud aliter se habere putamus quam vel Lunam Solis lumine plenam, vel diurnum aërem & serenum abunde lucentem moderate calentem, vel denique corpus acutis sensibus expeditaque lingua Quisquis autem imperitam mentem, cum primum turpissimam eius effigiem siue vmbram videt, non subito fugiet?

Quicunque verò peritiam, vbi apparuerit, non sectatur ardenter, nihil vsquam video quod sectetur. Perge igitur, mi Laurenti, perge quæso, fuge (vt cœpisti) iampridem, heu fuge procul tetram illam & miserabilem improbæ ignorátisque mentis imaginem. Eia sectare totis viribus, sicuti facis, magis semper magisque indies, boni sapientisque animi speciem lucidam atque beatam. Vt quantum & ab initio natura, te & deinde fortuna locupletauit, tantum ipse saltem tua te industria locupletes. Ne forte cum cætera omnia tibi ad votum tam natura quam fortuna suppeditarit, aliquando tibi ipse tantum defuisse alicui videaris. Atque cum circa te tua omnia, agri, ædes, suppellectilia, vestes, membra denique corporis, singula splendeant, ferme tanquam stellę, tu quoque animo & morum literarũq; radiis refulgere, non aliter inter hæc omnia videaris, quam inter stellas Sol ipse lucere.

Commendatio literatorum non vulgaris.

MARSILIVS FICINVS Iacobo Lanfredino ciui legitimo, S. D.

SI vulgari ad Iacobum meum lingua scripsero, proculdubio bis errauero. Siquidem & ad virum & ad amicum non vulgarem, vulgaria misero. Ergo Latina, vtcunque potero, scribam, modo ne sim Barbarus, dum Latinus malo esse quam Florentinus. Sed quidnam potissimum scribam? Si res meas in præsentia commendauero, forte in amicitia diffidentior sim, minus certe in re familiari confidentior esse videbor.

Sed malo nimis rei familiaria confidere, quã vllo pacto amico diffidere. Quamobrem non precabitur nunc Epistola, sed gratulabitur, haud tamen Lanfredino meo cuius humeris, quamuis robustis, pondus ingens nuper senatus imposuit, imò potius literatis.

Quibus enim humeris Atlas cœlum sustinet stellis ardentibus aptum, iisdem certe Iacobus noster viros cœlestium

contemplationi deditos sustinebit. Profecto, cum ipse primum à Musis nutritus fuerit, & deinde filium suum Antonium Musis almis alendum à tenera ætate deuouerit, atque illæ patri feliciter hunc auerint, nimirum vtpote Musis gratus omnes earum alumnos, tanquam fratres, vbique libenter agnoscet, eosque omni studio operaque seruabit.

Non verbis amori, sed fide respondendum.

MARSILIVS FICINVS Antonio Lanfredino, S. D.

ACcepi ab Iacobo patre tuo simul atque abs te literas elegantiæ amorisque plenissimas. Quoniam verò Iesum sæpe clamantem audio, Ego & pater vnum sumus, idcirco vna tantum patri filioque simul Epistola respondebo. Amor omnis, amici optimi (quemadmodum prouerbium fertur) fidem postulat. Igitur amori summo erga me, summa quadam fide pro viribus respondere decreui. Quod si vllis perfecta fides testibus indiget, certè fidei erga vos meæ hoc potissimum mea Epistola testimonium feret secum, volumen ipsum, scilicet à vobis de vera fide compositum.

Frustra scribit, qui ita scribit vt à nullo intelligatur.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Bernardo Oricellario, S. D.

CVm meo in libro, quē de curanda literatorum valetudine nuper composui, multa nouaque de atræ bilis humore, ea qua potui subtilitate disputauissem, non nulli familiarium obiecerunt, me frustra duabus de causis tàm multa de hoc humore disseruisse. Tum quia fortè nullus comprehensurus ea penitus videretur. Tum quia nusquam felix illa melancholici ingenii temperatio, quam ibi effingerem potius quam narrarem, reperiri posset, haud aliter quam beatus ille Zenonicus, vel platonica illa Respublica vel Tullianus orator. Itaque mi Bernarde grauiter non dolere non poteram, meam hanc diligentiam siue potius curiositatem fore vanissimam. Sed heri Petrus Guicciardinus noster Iacobi ciuis clarissimi filius, & obiectiones illas confutauit facilè, & me ea (quam inde conceperam) molestia liberauit.

Siquidem librum nostrum vno, vt dicitur, spiritu perlegerit, tam subito singula comprehendit, tàm memoriter retinet, vt & illa omnino intelligi posse ostenderit, & felicissimum ingenium illud à nobis optatum extare iam in eo potissimum, hominem qui ita intelligit meminitque planè monstrauerit. Et si mihi is vnus sufficit testis locupletissimus. me videlicet, haud vana composuisse, tamen quia iudex duos saltem in causa testes solet exigere, lege precor & tu librum nostrum, optime mi Bernarde, quod quidem si feceris, spero alterum mox meæ causæ testem non defuturum. Vale.

Quam immundus sit hic mundus, quam falsus, quam fallax.

MARSILIVS FICINVS Locterio Neronio conphilosopho suo, S. D.

IAm pridem verus & verax ipse genius noster Marsilium iubet ad Locterium Neronium & virum humanissimum, & amicum verissimum omnium, scribere nonnihil quod sit inter humana maximè verum. Verum quærenti mihi eiusmodi aliquid quod tanquam verissimum probari possit, neque facilè satis inuenienti, genius idem ostendit, nihil inter hæc inferiora, cum reuera sint falsa, posse vnquam verius inueniri, quam id vnum, videlicet, hæc omnia, ita vt sunt, proculdubio falsa putare. Quo enim pacto in mundo potest mundanum, vt ita loquar, aliquid esse verum? Cum mundus ipse sit falsus, siquidem est immundus. Fortè cum creauisset Deus eiusmodi globum, quasi rotundum pomum aliquod, quale id quod pomum malum vulgo nominare solemus, videretque esse nimis immundum, vtpote qui ex immundissimo chao, vt poëtarum aliquis diceret, esset eductus, statim ab ipsa superficie mundi quasi mali pomi, mundare purgareque cœpit, putamina verò in centrum medium ad nos miseros suo pondere deciderunt.

Si qua igitur in vniuerso sunt munda, cœlestibus tantum donata sunt. Nobis autem, sicut par est, non munda, sed, vt ita loquar, quisquiliæ quædam & putamina contigerunt. Hinc Christianum illud; Væ terræ ac mari quoniam ad suos cecidit diabolus, ira furens. Rursus, Væ mundo à scandalis, necesse enim est vt scandala veniant.

Hinc illud Platonicum, contraria bono mala esse necessarium est, cum verò apud

superos esse mala non possent, regionem hanc inferiorem necessariò circumeunt. Nullumque nobis aliud datur remedium quam hinc illuc quam celerrime purissima quadam vitæ diuinæ similitudine fugere. Nam (vt est apud Hesiodum) plena malis tellus, plena & sunt æquora ponti. Sed neque cœlestia etiam corpora esse purissima Platonici opinantur, si ad illa quæ super cœlum sunt comparentur. Nam multo magis quæ sunt super cœlum puritate cœlestia superant, quam cœlestia illa hæc quæ subcœlestibus collocantur. Quamobrem & si non licet idem omnino cum Manichæis sentire de mundo, liceat saltem cum ijsdem aduersus eum ita clamare. O immundissimum mundum, qui eos inquinat fœdatque potissimum, qui ipsum auidius, & arctius amplecti conantur. O mundum falsissimum, ingratissimum, qui tanquam totus (vt ait Iesus, positus in maligno, illis mentitur sæpius, illos fallit magis & maximè lædit qui fidem, spem, amorem obsequium in eo præ cæteris collocant, & quasi anguilla quædam, imò lubricus anguis, infortunatas nimium constringentium palmas celerius quam exprimi possit perlabitur, simul & in faciem eorundem inuolans mordet protinus atque fugit, & absens absentem morsu paulopost perimit venenoso. Verum ne forte declamatores quidam audaciores siue inepti potius videantur, missa hęc oratoria in præsentia faciamus, & quibus potissimum rationibus primum, deinde quorum præcipue authoritate freti, hæc de immunda mundi huius inferioris machina sentiamus, in medium ea breuitate (quam exigit Epistola) producamus.

Anima in corpore dormit, somniat, delirat, ægrotat.

EXperimur in nobis non solum quotidie, verum ferme quálibet hora, quoties pauculus quidam vapor aliquanto crassior, & humidior ab inferioribus corporis partibus exhalans caput ipsum petit, cerebrique meatus opplet, statim nos somno grauari, mox etiam insomniis imaginibusque deludi. Experimur quoque nonnunquam (si vapor aliquis bilis atræ, quam melancholiam græci vocant, arcem corporis obsederit expugnaueritque) statim reginam inde nostram, ipsam videlicet rationem (vt ita dicam) præcipitari, ac manifesta homines insania corripi. Si fumus quidam exiguus tantam in nobis vim habet, si tam leuis motus nos tantum mutat, quanto magis censendum est cœlestem immortalemque animum, quando ab initio ab ea puritate qua creatur, momento delabitur, id est, quando obscuro terreni moribundique corporis carcere clauditur, tunc (vt est apud Platonicos) è suo illo statu mutari? quippe qui tunc non vno & consueto tantum humoris alicuius fumo, sed omnibus pariter nouisque humorum omnium vaporibus, atque ipsa insuper humorum membrorumque insueta mole grauatur.

Præterea informi illa materia quæ à formosissima mentis forma diuersissima est, tanquam flumine submergitur. Quamobrem totum id tempus quod sublimis animus in infimo agit corpore, mentem nostram velut ægram perpetua quadam inquietudine hac & illac sursum deorsumue iactari, nec non dormitare semperque delirare. Pythagorici & Platonici arbitrantur, singulas mortalium motiones, actiones, passiones, nihil esse aliud quam vertigines ægrotantium, dormientium somnia, insanorũq; deliramenta, vt non iniuria Eurypides hanc vitam, vmbræ somnium appellauerit, proinde cum fallantur omnes, tamen minus falli solent, qui interea quandoque, vt interdum fit in somno, suspicántur, secumque ipsi dicunt, forsitan non sunt vera, quæ nunc nobis apparent, forsitan in præsentia somniamus. Quicunque inter somniantes sic est affectus, talis certe est ad alios, qualis apud inferos ab Homero dicitur esse Tiresias, solus, inquit, iste sapit, cæteri verò omnes velut vmbræ volitant, imò vmbræ volitant.

Hinc diuinis Dauid in excessu mentis exclamat; Omnis homo mendax. Hinc sapientissimus Salomon parumper ante alios experrectus & resipiscẽs vociferatur; Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Hinc Hieremias ita sapientes insipidos admonet: Vidit Deus cogitationes hominum vel sapientum esse vanas. Hinc Christus vitæ magister, Non est, inquit, ex hoc mundo regnum meum. Christus ipse cum esset omnium rex æternus, vtpote & per quem & ad quẽ facta cuncta fuissent, ideoque esset hæres ab æterno rerum omnium constitutus, tamen quæcunque sub rapidissima cœli vertigine absque vlla stabilitate fluunt, atque aduersa quadam mixtione contrariorum confunduntur & prorsus inficiuntur, talia, in quã, Christus sua esse negauit, quasi talia reuera non sint, sed falso nobis esse appareát, ægrotis videlicet &

dormientibus atque delirantibus, cum hęc temporanea haudquaquam res ipsæ sint, imò rerum vmbræ duntaxat, rerum scilicet æternarum. Quicunque verò simulachra pro rebus ipsis admittunt, hi sine controuersia tanquam ebrij vel phrenetici vel dormientes, vmbris & insomniis illuduntur. Hi nimirũ, errãt obscuri sola sub nocte per vmbras, Perque domos Ditis vacuas & inania regna. Plutonem, inquit Orpheus, insomniorum populo apud inferos dominari. Inferos autem Pythagorici omnem sub Luna regionem præcipuè nuncupant. Noluit Christus noster, vt arbitror, se somniorum deliramentorumque regem similiter appellari. Iure igitur optimo mundi huius inania regna respuens, ita nostris auribus insonare videtur. O dementes nimium mortalium mentes, ô pectora cæca, quo ruitis? Quid tàm trepide hinc expauescitis phanaticæ mentes? quid anxie inde sectamini? heu miseræ nonne videtis? Insanus vbique vos agitat furor. Hinc falsæ malorum vmbræ vos terrent, inde vanæ rapiunt vmbræ bonorum, passimque inter ludicra semper & terriculamenta iactamini. Neque minus bonorum vana cupiditas quam falsorum formido malorum solicitat incensos furiis animos & fatigat. Vnica verò tot tantisque morbis medicina est, diuino medico credere vel expergisci prorsus, & vigilare semper, vel saltem eos qui dormiunt, dormientes existimare. Quamobrem surgite iam è somno miseri tàm profundo, surgite, inquam, ex infelici somno feliciter, respirate filij tandem, vigilate, filij, mecum, resipiscite iam & sapite mecum. Vt eadem qua & ipse quandoque ipsi quoque pro viribus felicissima luce & veritate fruamini. Aut saltem interea donec expergiscamini, inter dormiendum nonnunquam ita vobiscum dicite. Forsitan non sunt vera quæ nobis occurrunt, forsitan somniamus. Sic enim vos insomnia vestra vel quę bona videntur, minus fallent, incendent, defatigabunt, vel apparent mala, minus certe terrebunt.

Res veræ sunt in mundo inuisibili, in mundo verò visibili sunt vmbræ rerum.

OPeræpretium fore arbitror iam Platonis ipsius verbis ex septimo de Republica libro translatis, mysteria quæ supra narrauimus, confirmare. Finge, inquit, quandam sub terra speluncam, in ea homines nutritos à pueritia ita ceruicem & manus à tergo pedesque columnis quibusdam alligatos, vt neque moueri vsquam, neque alia nisi quæ è conspectu in opposita speluncæ parte apparent, aspicere possint. Post tergum verò superne è lampas accensa sit, atque inter lampadem & illos qui ligati sunt, alij multi deambulent, loquanturque inuicem, ferentes manibus varia arborum animaliumque simulachra. Qui igitur ita vincti sunt, nunquam reuera vel se ipsos vel alia eorum quæ narrauimus vlla videbunt, sed solas vel sui vmbras, vel aliorum quæ propter ignem à tergo accensum tantum ante suos oculos in aduersam partem speluncæ resultant. Quamobrem nihil aliud aut se esse quã sui vmbras, aut alia aliud esse vmbras illorum, existimabunt, aut lumen ipsum esse aliud quam exiguum illud quod ibi reflexum apparet, opinabuntur. Siquis autem horum qui vincti sunt forte soluatur, subitoque lãpadem & alia sub illa quæ sequuntur à tergo retrouersus intueri cogatur, caligabit protinus & dolebit, ac propter splendorẽ intueri non poterit illa quorum vmbras paulo ante cernebat. Multoque magis id illi malum continget, si à spelunca sursum ad cœleste diurnumque lumen repente trahatur. Quare non subito sed paulatim conuenientibus gradibus ab vmbris rerum ad res ipsas, item à luminis imagine ad lumen ipsum est perducendus, ita vt quæ in spelunca sunt apud illos prius illic in aqua videat quam ibidem in se ipsis inspiciat. Rursus quæ extra speluncam apud nos sunt primo noctu hic ad Lunam in aqua similiter, deinde in se ipsis terrena hæc similiterque in cœlo cœlestia noctu itidem solum intueatur. Postera verò die tã Solem ipsum quam quæ sub Sole videntur prius in aqua, post in seipsis illa demum Solem in cœlo suspiciat. Hac potissimum ratione singula sincere facileque discernet, atque existimabit se cæcum, deceptum, miserũque fuisse, quando sub specu vinctus exiguis rerum vũbris fuerat occupatus. Proinde quæ comparatio est speluncæ illius ad hunc mundum quem visibilem nominamus, eadem ferme mundi huius, ad illum quem inuisibilem diuinumque vocamus.

Siquidem hic animæ miseræ moribundi corporis clausæ tenebris & carcere cæco, neque alia vlla reuera, neque verum Solem, imò sui aliorumq; vmbras & exilem quandã veri Solis imaginẽ intuentur. Veræ enim mentes, veræ res quælibet, verus Sol, in mundo solum sunt inuisibili, quæ si absq; congruis educationis disciplinarũq; gradib. repẽte intueri conemur, caligamus

protinus & dolemus. Conuenientibus verò tum morum, tùm doctrinarum tum temporis perducti gradibus, sincerè discernimus iudicamusque cæcos illos & miseros, qui falsis mundi huius vmbris imaginibusque falluntur, occupantur atque premuntur. Verumtamen quando animus ab immenso inuisibilis mundi lumine in corpus obscurum regendum mouendumque descendit, nouis suæque naturæ contrariis obrutus tenebris, cæcutire hallucinarique & diu titubare compellitur. Adde quod propter repentinam maximamque in deterius mutationem diu cogitur ægrotare, atque ferme sic affici, vt ij qui propter amentiam vel somnum vel ebrietatem falsis imaginibus illuduntur atque vexantur. Aut certe non aliter se habere, quam siquis à Solis lumine in cauernam illam quam descripsimus, repente præcipitetur. Adeò enim nouis tenebris offundetur, vt aut nullo modo aut vix tandem sub exiguo illo cauernæ lumine, vmbras illas tantum quantum narrauimus discernere possit. Præterea ob solutam illam & in peius mutationem in morbos tàm sensus quam corporis varios incidet. Hactenus Plato. Gaudeant ergo mortales, temerè nimium gaudeant absque inuidia, quando in scænis vel inopes ipsi personis diuitum induuntur, vel etiam cum serui sint, tamen regum ibidem referunt maiestatem. Doleant, quoque frustra sed non absque misericordia quadam doleant nimium, quando in tragœdia nonnunquam, alioquin ipsi forte non miseri, tamen miserorum eiulantiumque gestus agere atque ægrotantium laruas gestare iubentur. Nos autem si vanos illos miserosque prorsus existimaremus, qui decipiantur adeò vt tanquam in veris bonis malisuè, sic in scænis modo gestiant & exultent, modo etiã lamententur, multo certe vaniores ac miseriores mortales omnes esse censebimus, qui somno profundissimo consopiti vmbratilia bonorum malorumuè simulachra pro veris bonis aut malis accipiunt, præcipue quoniam & si falsis atque volantibus, tamen id quod admodum miserabile est, falsis mobilibusque malis & verè dolent & diutissimè cruciantur, & merito quoniam vsque adeò stulti se falli permittunt, vt anxiam hanc cœlestis immortalisque animæ habitationem in terrena regione mortis veram esse vitam existiment, quam tamen manifeste vident à fletibus vagitibusque statim auspicantem perpetuo deinceps, quærimonia & extrema miseria confici. Contra verò, quando animus immortalis mortali solutus corpore reuiuiscit, tunc mortem subire putant, quod falso nimis putant, tunc enim solum crebra morte iam mortua, vera vita & sempiterna resurgit. Quapropter non absque ratione apud Gymnosophistas Indorum Philosophos, atque etiam apud Getas Thraciæ populos, lugebantur puerperia, natique deflebantur, funera verò festa erant, & veluti sacra lusu cantuque celebrabantur. Quod quidem ab Hesegia & Plotino Philosophis confirmari videtur, opinantibus optimum esse mentibus moribundum corpus non ingredi, proximum verè postquam ingressæ fuerint, statim egredi. Sed de iis aliàs. Interea accedit alius quidam rursusque alius error, nempe vel peregrinationem hanc tàm sollicitam laboriosam que, stulte nimium suam esse patriam opinantur, vel saltem & si peregrinari se didicerunt, sperant tamen interdum aliquam in ipso itinere se quietem consecuturos, cum tamen ab ipsa rapacissima cœli vertigine, iam satis superque admoneri & possint & debeant, se ne momentum quidem vnum sub rapidissimo cœli cursu posse quiescere, quandoquidem momentum quietis vllum ipsa mundi machina naturaliter vnquam habeat. Ergo errare multum à vero mortales miseri se iam & agnoscant & desinant. Sic enim iam proculdubio desinent laborare. Ergo incipiant quandoque, imò verò quam primum sapienter viuere, nam ita demum verè viuere incipient atque feliciter. Vale. III. Decembris. M. CCCC. LXXX.

Marsilius Ficinus Florentinus fingit Florentiam congratulari Danti, pia Christophori Landini opera, iam rediuiuo & in patriam restituto & coronato.

FLorentia iamdiu mœsta, sed tandem læta Danti suo Aligherio, post duo fermè sæcula iam rediuiuo & in patriam restituto ac denique coronato congratulatur. Vaticinatus es quondam mi Dantes in exilio constitutus fore tempus quo pietas superans impietatem, feliciter te patriæ redderet, atque in excelsa Baptistæ Ioannis ęde sertis Apollineis coronaret. Non frusta augurium nam docuere parentes, siquidem nuper tuus pater Apollo, & longum fletum meum & diuturnum tuum exilium miseratus, mandauit Mercurio vt piæ Christophori Landini diuini vatis menti prorsus illaberetur, Landineosque vultus indutus, alma primum virga dormientem te suscitaret, deinde alarum remigio te su-

biatum menibus Florentinis inferret, deniquephœbea tibi lauro tempora redimiret. Hodie tandem diuinitus impletum est mandatum Phœbi, Mercurij Landinique pium opus, vaticinium Dantis, Florentiæ votum. Venisti tandem iter monstrante Minerua, viæ duce Mercurio, clarissima poetarum omnium comitante caterua.
Denique ingredientem Gratiæ feliciter exceperunt, amplexus & oscula tibi Pierides, tibi Nymphæ dedere. Venisti tãdem modoque exspectata parenti. Vicit iter durum pietas, datur ora tueri, Nate, tua, & notas audire & reddere voces. Sic equidẽ ducebam animo rebarque futurum, tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit. O quam pulchriorem quamue beatiorem nunc te dulcis nate recipio quam amiserim? Conuersus est tibi mortalis prior ille vultus in immortalem atque diuinum. Conuersa Florentiæ tuæ nox in diem, conuersus Florentinis tuis mœror omnis in gaudium. Gaudete omnes & exultate felicissimi ciues, quibus iam mirabiliter pro vno Sole Sol geminus oritur, neque flammis tamen sed radiis geminatis. Hodie felicitati vestræ cœlum ipsum, (nonne videtis,) apertissime gratulatur. Suspicite ô ciues parumper, suspicite cœlum. Ecce nunc ecce dum noster hic coronatur Dantes, panditur interea domus omnipotentis olympi. Empirei cœli flammæ nullis amplius visæ hodie nobis manifeste coruscant, coronato Danti gratulabundæ.
Proinde quemnam putatis esse tamen hunc, tam nouum tam dulcem sonum, aures nunc nostras implentem? Profecto sonus sphærarum Musarumque nouem nullis aliis auditus sæculis, hodie palam coronationi Dantis applaudite dulces dominationum cantus a Phæbi globo, audite rursum miros archangelorum Hymnos, ab ipso Mercurij globo canentium. Gloria in excelsis Apollini summo. gloria Musis semper, gloria Gratiis, pax, lætitia, felicitas Florentinis, gemino iam Sole gaudentibus.

FINIS.

MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM LIBER VII.

MARSILIVS FICINVS FRANCISCO Berlingherio Nicolai filio, literis & moribus ornatissimo, S. D.

PROOEMIVM.


Liber Epistolarum nostrarum septimus, caput habet Epistolam de curanda literatorum valitudine disputantem, ab eaque tanquam & optima & omnium maxima iter auspicatur, quo precipue ipsa ducit, eodem ipse libentissime proficiscitur, hæc verò ad illum in præsentia ducit in primis, cui academia prosperam valitudinem in primis exoptat. Salue igitur optime mi Francisce, salue toties quoties non hic solum, sed omnes Epistolarum mearum libri saluere iubet amicos, sed ita salue, vt saluere ipsum

non à Marsilio tamen, sed etiam ab academia tota amantissima tui accepisse te putes. Omnia inter nos, (Pythagoricorum more) communia. Quod ipse volo cuncti volunt, quod cupiunt singuli, & ipse percupio. Neque id quidem mirum videri debet, nam omnes in eo vnum sumus qui ipse re vera solus est vnus. Omnes in eo stamus, qui sua virtute permanet solus, omnes in eo amamus inuicem, qui solus est propter seipsum amandus. Sic cuius solius causa singuli sunt amabiles, & cuius gratia tamen sunt amandi, soli qui se inuicem in vno hoc amant, exclamare vnà cum Propheta posse videntur, O quam bonum, ô quam iucundum habitare fratres in vnum.

MARSILIVS FICINVS LECTORI, S. D.

PRomittebam modo, lector, huic libro septimo caput Epistolam de valetudine literatorum disputaturam, hæc verò deinceps adeò nobis excreuit, vt non iam caput tam exigui corporis, sed ipsa seorsum totum aliquod corpus fore velit. Itaque secessit iam consilio meliore, si in librum de vita feliciter adoleuit.



SAPIENTIA A SOLO DEO.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.



PAr amice saltem pari referto. Vix quidem à me scripta, vix tu quoque legito. Scripta tamen qualiacunque sint, lege tamen, vtcunque legas. Sumpsi equidem his diebus sæpe calamum eo proposito vt ad hominem multa cogitantem pauca scriberem. Verum subito succurrebat, me scripturum frustra ad hominem non lecturum. Tandem frustra loqui malui, quam nihil loqui. Audi igitur. Multa sunt apud Poëtas figmentorum genera. Sed quid ego nugis nunc hisce meis pium hominem interpello? in ipsis Augustini Soliloquiis commentādis cum Deo solo loquentem. Missa igitur Poëtica facio, atque id tantum in præsentia moneo, vt memineris quando sermonem formamus, non tam linguam quę aliunde mouetur loqui solere, quam mentem ipsam quæ & mouet linguam & distinguit voces, & ad exemplar sui verba pro arbitrio format. Quod autem est ad mentem lingua, id fermè religiosa mens est ad Deum. Itaque non tam mens nunc tua Deo quam Deus per mentem tibi tuam loquitur. Quapropter quādo Deo te loqui putas, mi Ioannes, re vera tunc audis Deum. Memento igitur, te diuinam maiestatem frequenter audire, vitaque ipsa sapientissime institutа, declara nobis atque (vt cæpisti) confirma te tanquam discipulum diuinam ipsam sapientiam audiuisse. Volui hic (vt vides) hac hora diei tertia Epistolæ finem imponere, ne diutius diuinum istud Soliloquium tuum interturbarem, sed cum primum calamum posuissem, rediit in mentem non decere stomacho omnino ieiuno, ieiunam prorsus Epistolam spuere. Sed vt eructet cor meum verbum bonum, bonum quidem, vt arbitror, si superiorem illam de summo bono sententiam breuiter confirmauero. Omnes apud Iudæos Christianosque sacræ literæ clamant, sapientiam, nisi docēte Deo, disci non posse. Ideoque ab eo solo esse fide quærendam, spe petendam, charitate pulsandam. Quod quidem cum Plato noster animaduerteret, suis studiis non confisus in quotidianis ad Deum precibus solam à Deo solo sapientiam sæpe poscebat. Hac in re pulcherrimè fabulatus Orpheus, sapientiam solo Iouis summi capite natam canit. Musas quoque ab Ioue habēre principium. Iouis omnia plena. Tu verò si ab omnibus hanc adipisci posses, forte & si non absolutè, tamen commode à familiari illo tuo consequereris. At quonam pacto ab illo sapientiam consequeris, cui corpore nunquam sano mens semper est insana, & nuper cum animi primum deinde stomachi, postremo membrorum omnium debilitate non mediocriter laboraret, animo non mutato mutauit cœlum, & quoniam ab aëre elemento-

rum rerumque omnium infirmissimo firmitatem quærit, merito hactenus frustra quærit. Tu verò interim vnà cum Aurelio tuo clama, ô Deus omnipotens, quando nostra firmitas ipse est, tunc solum ipsa firmitas est, quando verò tua est, tunc est infirmitas. Ego quoque tandem idem efficiam.

Vbi sapientia maior, ibi sermo breuior.

MARSILIVS FICINVS D. Bernardo Bembo Veneto, S. D.

SOlent qui siluere diu, cum demum diuturna silentia rumpunt, erumpere largius, & quasi qui diutius parturierunt aliquem tandem cogitationis fœtum parere grandiorem. Marsilius verò tuus contra, non enim longo silentij tempore concipit longiora. Vtpote qui quanto diutius tacens secum ipse cogitat, tanto discernit acutius præstare nobis tacere quam loqui. Atque esse quam paucissima quæ exprimere vel digne sciamus, vel debeamus honestè, vel tutò possimus. Ergo tuis tantum in præsentia breuissime respondebo. Primum quidē de prosperitate tua imò nostra gaudeo, felicitatem opto, deinde verò quod vasculum Theriacæ miseris, magnas ago gratias, certe ingentes acturus, quando vas pro vasculo miseris. Quanquam ingens in hoc etiam salutari vasculo minus me ab ipso Phœbo simul atque à te accepisse confiteor. Postremo, quod petis Alcinoum, scito hunc apud Caualcantem nostrum hoc tempore rusticari. Cum primum ad nos redibit, vobis (vt par est) redibit.

Etsi literis quandoque, nunquam tamen animo ab amicis abesse licet.

MARSILIVS FICINVS & Georgius Antonius Vespuccius, Ioanni Baptistæ Boninsegnio, S. D.

PLato diuinus amicitiæ vel potius necessitudinis nostræ conciliator, iamdiu iubet ne abesse vnquam à Boninsegnio nostro velimus, qui cum ille semper esse nos voluit. Vt ergo Platoni simul atque necessitudini satis pro viribus faceremus, sæpe iam nos accinximus ad scribendum. Verum quoties calamum sumpsimus, toties conciliator ille noster inhibuit, id aperte monens, ne Boninsegnium assidue cum illo loquentem literis nostris interpellemus.

Quid igitur faciemus, dum Plato noster & mandat simul & prohibet? certe vt & quicquid imperat impleamus, ipso semper animo tuum animum alloquemur, & simul quicquid interim prohibet, deuitemus, ore calamoque silebimus. Sed liceat nunc saltem interpellare parumper, Platone videlicet semel id concedente, dum ab Athenis ad te in ipsa eius academia rusticante accedimus, teque Platonicorum omnium nomine salutamus. Præterea Roberto patri tuo insigni istic Præsidi nos commendamus.

Qui vmbram amat, transfertur in vmbram.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Antonio Hyuano Serezanensi, S. D.

REddita mihi est Epistola tua Hyuane charissime, qua multa paucis de optimo viuendi genere colligis. Optimum verò viuendi genus id præcipue iudicare te arbitror, quod longe sit à mortua vita semotum, qua & mortale viuit, & quodammodo moritur immortale, quamdiu videlicet cœlestis animus tereno corpori non solum natura semel coniungitur ab initio, sed affectu etiam quotidie mancipatur. Quo efficitur vt solus vere viuat, qui à falsa hac vita affectu saltem, remotissime viuit. Quam verò falsa hæc vita sit, quam fallax, Platonica hæc tecum Epistola disputabit, quam ad Locterium Neronium superioribus mensibus scriptam, tunc quoque ad te libenter exscripsi. Vale.

Excusatio quando non salutatur amicus.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico vnico, S. D.

RVsticari, Ioannes, hoc autumno, scio equidem quo affectu, sed nescio satis qua ratione, volebam. Verebar autem ne nunc primum, quod ego vellem, ipse nolles. Ergo rus abiens, quasi iam rusticus, non dixi, Amice vale. Ne tu contra, omine quodam minus bono, forte, ne valeas, responderes. Scis enim quam interdum (vt vulgo dicitur) auguriosus sim. Haud facile sperauisse me posse vnquam valere bene, heroe semel prohibente valere, Bene vale. Ac me firmioris valetudinis gratia dies insuper aliquot rusticari, permitte.

Agricultura literarumque studia inuicem feliciter coniunguntur.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

CVm hodie oriente Sole, summa vetusti montis fastigia peterem, montis, inquam, Vecchij, quem Marsilio suo colendum Cosmus ipse mandauit; atque in hac huius sylua passim oberrans Caregiana palatia contemplarer, repente venit in mentem, festum Cosmi Damianique diē iā illuxisse, quod singul. ānis ab ipso Cosmo eiusque filiis & nepotibus celebratur. Hic equidem non potui non dolere dum inde nullos vsquam perspicerem ciues ad Cosmica (vt fieri solet) solennia confluentes. Cum subito Iouius ille Cosmus cui Iupiter iam conciliata Iunone ciuile imperium sine fine dedit, ab excelsa quercu propitius nobis aspirans, eiusmodi mœrentes oraculis consolatur. Sacra, inquit, hodie, Marsili, mea Laurentius quidem vrbana pius instaurat, tu verò rustica mox, si mihi parueris, eadem hoc in luco nobis instaurabis. Neque te pudeat seniores istos Saturniosque agricolas meos sub montis huius vertice in ipsa academiola Phœbo sacrata conuiuas excipere. Quandoquidem hodie (sicuti vos astronomia docet) suspice iam, nonne vides? hodie Saturnus in cœlo Phœbusque iunguntur. Hæc est Marsili voluntas nostra, sicut in cœlo fit hodie, ita fieri & in terra, vt Apollinea nunc vtrobique Saturniis coniungantur. O felicissimum genus humanum, si rustica Saturnij fistula Panis vrbanæ Phœbi citharæ consonaret, semperque vtriusque apud nos Dei munera iungerentur. Miscentur hæc in cœlo (vt vides) apud superos hodie. Tu quoque apud homines sēper miscebis interris Vale. Vera hæc fermè (vt narro) sunt magnanime Laurenti. Ita ego primum recordatus mecum ipse mœrebam. Ita deinde visus est & solari & monere me Cosmus. Ita demum Apollineum, id est, philosophicum Saturniis hominibus, id est, senioribus agricolis tuis paraui conuiuium, neque id quidem absque delphica lyra. Atque solennia Cosmica qualicunque pro tempore, pro loco, pro facultate potuimus, in Phœbea Saturnij montis academiola libenter feliciterque celebrauimus. Quorsum hæc? Vt oraculis Cosmianis admoniti meminerimus (si feliciter viuere volumus) cæteris quoad fieri potest dimissis vel intermissis, Phœbum nobis simul & Saturnium Pana colendum. Rustica videlicet omnia quotidie dicanda Musis, Musasque vicissim ab vrbanis negotiis ad Cereris agros Bacchique colles sæpissime transferendas. Vale feliciter.

Inuitatio ad rusticandum.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti Amico vnico, S. D.

AVra qualibet leuiorem te esse putarem, si forte putares ipse me leui quadam commotum aura, tum Vere superiore tùm autumno præsenti, ab vrbe in colles secessisse charegianos. Sed absit vt eum vllo pacto leuem putem qui vel saxis est grauior. Nempe cum non absque ratione iudicauissem, multo satius fore te huc ad me montem ascendere, quam me his temporibus ad te è monte descendere, sæpe Apollinem obsecraui, vt lyræ nostræ illa nunc Orphei Amphionisque dictaret carmina, quibus illi quondam quercus & saxa mouebant, quo ipse te arboreum, meo iudicio, saxeumque traherem? Respondit Phœbus. Erras, Marsili, nimium, non enim arboreus, aut lapideus (vt opinaris) est Ioannes, alioquin iam pridem tua illum (mihi crede) cithara rapuisses, non lapideus, inquam imò ferreus est Ioannes. Hoc ergo maioris est artis opus. Quare posthac non loco, sed forma mutare saxa conabere. Ingens istud Vecchij montis saxum (si potes) metamorphosea Zoroastris arte transferas in magnetem, ita demum ferreum illum huc hominem attrahes. Hæc modo nobis, oriente Sole, in ipsa Vecchij montis silua deambulantibus Apollo consuluit, Hæc igitur in præsentia molior. Vide precor amice quam ardua tui gratia moliar. Vide quam frustra te cogente laborem. O quanto melius, quantoque facilius te sponte Ioannes mutari tua, quam meo saxa labore mutari. Cum primum ipse ferreus esse desieris, tunc ego frustra laborare iam desinam.

Amicitia inter pares libera est.

MARSILIVS FICINVS Alberto Lisco Veronensi, S. D.

MEministi cum superioribus diebus prope diui Ioannis ædem, verba de te atque Iacobo quodam apud Riciardum Theologum facerem, me vos his verbis & ad me & inuicem comparauisse. Ergo Ri-

charde mi, inquam, Albertum inter & Iacobum quasi aër inter ignem terramque medius sum constitutus. Et si tunc Alberte ioco quodam verba illa Socratico more proferre visus sum, non minus tamen virtutis quam ignis continent, nec minus ponderis quam tellus habent. Cætera quidem quæ sub hoc ænigmate comprehenduntur tuo ipse iudicio satis interpretabere. Vnum duntaxat egomet interpretari in præsentia volo. Quod videlicet quantum ignis præstat terræ, tantum dignitate terreo igneum anteposui. Rursus, quanto aër cum igne magis conuenit quam cum terra, tantum à me virum igneum quam terreum hominem ardentius amari, significari. Tu ergo nunc tanquam dialecticus, plane concludes, si honor amorque fidem pariunt, vtri vestrum fidem potius seruare voluerim Adde & alterum insuper argumentum. Quonam pacto verisimile est me Philosophiæ Platonicæ sectatorem, cogitauisse vnquam tibi violare fidem, cuius ego interim fidei, quod nec ipse negabis, mea omnia committebam, atque in posterum, quod plane perspiciebas, committere statuebam. Cum verò hæc ita se habeant, quidnam in causa fuit, vt in sacello Nouolano iam alter & alter sacrorum sub me minister potius quam Albertus meus esse potuerit. Principio putabam terrenum quendam dæmonem amicitiam nobis cœlestem tunc inuidentem, ministerium illud inter nos constitutum interturbasse. Quapropter ad literatorum numina confugiens, Mineruam scilicet & Apollinem obsecrabam, vt pithonicum dæmonem tum illa telo, tum iaculis ille, confoderet. Deinde verò communis ipse meus tuusque genius errantem me ita corripuit: Non dæmon, inquit, Marsili vllus te ab Alberto conatus est seiungere, Imò vos ipsi vnum cœli opus indico quædam inscij quodammodo secabaris Scito Saturnum Aquarii dominum vtrisque Aquario ascendente natis, vnum pene spiritum infudisse amicitiamque vobis inde cœlestem sine fine dedisse. Siquidem quæ Saturnus planetarum omnium altissimus stabilissimusque construit, nullus, vt est apud Astronomos, aut audet destruere vnquam aut potest. Sed ipsi vestrum iam errorem agnoscite atque recognoscite. Si enim amicitia ęqualitas quædam est, quidnam illi magis aduersari potest quam inæqualitas? Ergo cum cœlum vos amicos esse voluit, etiam æquales inter vos semper fore constituit. Vos autem tanquam cœlestis mysterij huius ignari, ministerium commerciumque inter vos quoddam statuebatis, in quo alter vestrum sub altero tanquam inæquales fore in posterum videbamini. Sed absit imparitas ab amicitia cœlesti, cœlo iubente, Absit dominatio procul & seruitus Pares verò inter se sint, amici semper sint & liberi pariter libereque se mutuo diligant. Hæc genius. Tu verò Alberte mi dilectissime, vale feliciter, mementoque ministerium quod non libuit superis, merito nobis non licuisse. Atque mysterium vicissim quod placet illis, nobis quoque placere omnino debere. xx. Octobris. M. CCCC. LXXXI. Ex agro Caregio.

De tribus Gratiis & Genio.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici Iuniori V. Magnanimo, S. D.

QVoties his temporibus sumo calamum, Magnanime Laurenti, quod equidem quotidie facio ad te scripturus, toties subito fœcundus admodum euasisse mihi videor plurimaque parturio. At verò cum primum duo hæc tantum scripsi verba, Marsilius Laurentio, idem ipse qui modo tanquam fœcundissimus multa parturiebam, mox quasi prorsus iam factus sterilis pario nihil. Hinc sæpe iam stupeo nimium, superosque incuso. Video enim quod & natura & arte paulo ante nobis ad te scripturis abunde suppeditabatur, idem paulo post iam scribentibus non posse aliunde quam à superis inhiberi. Quapropter frequenter, vt dixi, illos incuso, tum quasi inuidos, quod videlicet forte cœlestem in terris amicitiam voluptatemque inuideant, tum velut auaros, quod vbi & natura & ars tam prodiga est, ibidem quodammodo videatur, si dictu fas est, parca diuinitas tandem Philosophorum dux Minerua hodie, ne diutius tibi essemus steriles, neque in numina tam grauiter peccaremus, noli, inquit, impie incusare cœlestes, qui interim te vicissim iniquæ temeritatis, & accusant & damnant. Nescis impie, nescis; Nihil sine umma ratione à superis vel iuberi vnquam vel prohiberi. qua igitur ratione te his verbis ad Medicem scribere, videlicet Marsilius Laurentio, sæpe iam vetent, me paucis docente, perdisce.

Tres Gratiæ & tres Planetæ.

PRincipio quas apud nos Poëtæ tres Gratias tanquam tres puellas pingunt

quodammodo sese inuicem complectentes, tres potissimum apud superos planetæ sunt, Mercurius Iouius, id est, beneficio quodam Iouis affectus, Phœbusque & Venus mutui propitiique sibi inuicem in cœlesti circuitu comites. Tria quoque illa Gratiarum nomina scilicet. Viriditas, Lux, Lætitia, stellis eisdem aptissime congruunt. Hæ stellæ sic affectæ inter cœlestia humano ingenio præcipue fauent. Idcirco non quorumuis animalium, sed hominum tantum Gratiæ nominantur, neque re vera Veneris sunt pedissequæ sed Mineruæ. Si quando verò Gratiarum primam esse Iouem audiueris, ne tam Iouem intelligas quam Mercurium Iouium, id est aliquo vel aspectu vel munere alio Iouis adiutum. Mercurius enim Iouis vitali quadam promptaque mobilitate sua, vt res ipsas assidue inuestigetis, hortatur. Sol autem inuentionem vobis omnem sua luce quærentibus patefacit. Venus denique venustate gratissima quicquid inuentum est, semper exornat.

Genius scilicet dæmon ingenij dux à tribus Gratiis prouenit.

TRes igitur hi planetæ communi quodam inter se consensu, statim in ipsa genesi variis hominibus genios, idest, duces ingenij dæmones distribuunt, varios pro vt ex alia atque alia cœli plaga quotidie nascentes aspiciunt. quos quidem tanquam duces magis minusue sequi, vt plurimum, est in vestro arbitrio positum. Si quos autem ab eadem omnino ætheris regione similiterque respiciunt, eundem iis aut certe persimilem Genium largiuntur. Vbi verò genius præest idem aut similis, ingenium quoque idem aut simile sequitur. Huc sæpe eadem sponte vestra voluntas accedit. Postremo vbicunque vna similisue mens est, vnaque voluntas, & si animalia videntur duo, homo tamen intus est vna. Quamobrem, Marsili, in superos imò in te ipsum peccare iam desine. Agnosce quandoque tuam medicisque genesim, cognosces statim Iouium, Mercurium, Phœbumque & Venerem nascentibus vobis ab eadem prorsus cœli parte, scilicet Nona, quam fidei, religionis, ingenii, sapientiæ domum & Phœbi gaudiū Astronomi nominant, vtrumque vestrum similiter aspexisse. Quo efficitur, vt non modo similis, sed etiam vnus idemque ambobus inde genius sit tributus, Apollineus scilicet dæmon, nono siquidem ætheris domicilio gaudens Apollo, Apollineus ad homines genios inde demittit. Ex horum numero dæmonum vnum vobis annuente Venere Mercurioque Phœbus ipse præfecit. Hinc vna mens in vobis secuta est. Huc etiam vna voluntas vtrinque se contulit. Si vbi singula hæc vnum sunt, homo quoque semper est vnus, ne forte quos cœlum rationemque te ipsa coniunxit tu verbis vlterius separes, memento quoties ad Medicem tuum scribis oportere ita præscribere, Marsilius Marsilio, S. Atque ita demum superis aspirantibus inuentionis tibi vena largissime profluet. Hactenus Minerua. Ita prorsus amice alter ego, sæpe mihi his temporibus obtigit, vt dicebam, ita deinde dux illa Philosophorum minerua consuluit, ita & ipse, vt illa mouit, ne nobis exarescat inuentio posthac semper efficiam. Bene Vale. Sed quid modo quasi alter alteri abiens abeunti? Vale dicebam, imò valeant, & male valeant omnes qui inter nos dissidium quærunt. Nobis verò non vale, sed mane, dicendum. Igitur bene mane. Verum ne præsens Epistola dum de Gratiis & genio disputat, forte minus grata nostro genio sit, saluere iam & millies iterum saluere. Vespuccium iubeamus, virum omnium genio nostro gratissimum. XVIII. Octobris. M. CCCC. LXXXI. In agro Caregio.

APOLOGVS.

Diuinum genus diuina sola allimonia coalescit.

MARSILIVS FICINVS de Apologo quid sit, vnde genitus quo tendat.

VEnerem quondam in Pythiis Apollinis hortis, flores ac fructus legentem varios, Mercurius amore saucius sequebatur. Hic illam denique & indice & duce Phœbo sub lauro quadam feliciter assequutus, summa cum vtriusque voluptate cognouit. Horum congressu scitus admodum formosusque natus est puer. In quo statim & perspicacem Mercurii sensum & gratam Veneris venustatem Phœbique splendorem facile quiuis agnouerit. Hunc igitur à mercurii patris cognomine quem superi Logum cognominant, suus Apollo patronus Apologum nominauit. Iussitque ipsum passim discurrentem tantum humano generi salubri quadam delectatione prodesse, quantum frater eius Cupido noxiæ voluptatis hamo noceret. Igitur locorum ignarus Apologus dum extra Pythios hortos in proximis siluis oberrat, forte incidit in pastores, qui diuina pueri forma & indole mirifice delectati,

delectati, eum penes se diu detinuerunt, atque cibis agrestibus, id est, glandibus & castaneis, cæterisque id genus vrbanum Apologum aluerunt. Quapropter tandem mutata forma ex vrbano subrusticus euasisset, nisi eius patronus Apollo propitia nuper porrecta manu è syluis ad hortos Pythios, quos hodie Pinthios Florentini nominant, fœliciter reduxisset. Docet Apologus, diuinum genus diuina solum alimonia coalescere.

Philosophus tria potissimum deuitare debet, Venerea, auaritiam, ambitionem. Apologus.

MInerua quam prisci Sophiam nominant, cum animaduertisset solo se Iouis capite genitam, opus hoc diuinum rata solo videlicet capite gignere, patrem supplex orauit ac denique exorauit, vt ipsa quoque tanquam parentis æmula, semel saltem capite pareret. Peperit ergo filiam tum auo suo Ioui tum matri Mineruæ persimilem, ea sanè statim natura auitam quandam tum animo æquitatem, tum vultu totoque corpore dignitatem præ se ferebat. Præterea matris tam virilitatem quam pudicitiam & mente & gestibus referebat. Hanc auus à Sophia matre Philosophiam voluit nominari, edixitque Philosophiæ, vt quemadmodum ex Sophia, quæ summi rerum omnium capitis filia exortum habet, ita semper plantis mundi posthabitis summa rerum capita peteret, neque vllum inferiori Venere vnquam veneficoque filio eius Cupidine haberet commercium. Alioquin pro æterna Philosophia statim temporaneam Philocaliam tam re ipsa, quam nomine euasuram. Adiecit vt multomagis omnem Plutonis infimi eiusque cultorum consuetudinem deuitaret. Alioquin ambrosia nectareque amissis, stygiæ paludis aquas & herbas, quibus solis infeliciter deinde vescatur, reportaturam. Monuit denique ne ambitiosam Iunonem aliquando sequeretur crassiori aëre peruolantem, ne fortè cùm caligine serenitatem, procellis tranquillitatem, nubibus sydera, commutaret.

Impuri nunquam Musas vel Gratias assequuntur, sed Picas & Furias, Apologus.

ORpheus Delphicos aliquando lucos ingressus, Oraculum consulturus obuium statim quasi iam expiatus Apollinem habuit. Cùm verò ad Apollinis dexteram numen Musas tresque Gratias comitantes cominus conspexisset: ad sinistram autem, quamuis eminus sequentes Picas & Furias, admirabundus altius exclamauit. O quam diuersi! ô quam diuersi! Ducem hunc sequuntur exercitus! Sed noli, ô Vates! mirari, Phœbus ait. Nempè quotidie mihi multi sacrificant, quo Musarum à me Gratiarumque munera impetrent. Ergo quicunque puris sacra manibus operantur, Musas à nobis Gratiasque gratis accipiunt. Quicunque verò pollutis attrectare sacra manibus audent, Picas & Furias inuiti reportant.

Potentia sine sapientia non regnat, Apologus.

PRometheus cùm ascendisset in cœlum, ibique multa ab ipso Ioue rerum omnium authore mysteria didicisset, hac vna de re curiosius supplex interrogauit, quam videlicet ob causam Solem, Mercuriumque præ cæteris Planetis tam propinquos assiduè in cœlesti circuitu comites inuicem esse ab ipso rerum initio statuisset. Respondit Iupiter, vt quicunque Solem syderum dominum viderint absque sapiente Mercurio, in cœlo nusquam incedere planè intelligant; & in terris potentiam nunquam absque sapientia, vel concedi debere, vel concessam diu posse regnare.

In traductionem libri de Amore missam ab Alamanno Donato, ad Laurentium Medicem, Apologus.

CVm Alamãnus inter Lauros nuper, vt solet, sæpè deambularet, in cupidinem Lauros circumuolantem sæpius inuolans, denique comprehendit. Tenerum deinde puerum adolescens pius leuibus suauiter tractans manibus componebat, sertisque & floribus Deum iam planè agnitum exornabat, atque ita inter ornandum percunctabatur. Quænam noua huc aura formose Cupido tuas direxit alas? Est Paphos Idaliumque tibi sunt alta cythera. Tum ille suspirans, Heu matrem! inquit, iamdiu meam anxius passim quærito, matrem mihi meam neque Paphos Idaliumve reddit, nec alta cythera. Solus tamen Apollo quandoque longos miseratus errores, his me verbis admonuit. Mater, ô Cupido! tua solebat quondam cantilenis choreisque solùm leuibus oblectari, sed facta deinde ambitiosior cœpit aliquando & Achilli Homerum & Æneæ Virgilium

inuidere, ipsaque sibi Vatem persimilem exoptare, qui artes laudesque suas grandiori iam cythara personaret. Talem denique Vatem multa post sæcula Laurentem nomine inter Lauros canentem nacta Venus apud Tuscos in ipso gratiarum agro Charegio, ibi iã suarum laudum cãtu suauissimo delinitur, cæterorumque oblita omnium iucundissime conquiescit, ibi solùm post hac Musas inter pudicas requiescit Venus Cupido tua, illuc igitur & ipse te conferes vna cum matre semper habitaturus. Ita quandoq; mihi Phœbus Alamanne consulit. Hoc ergo Charegium relicta Cypro, has denique Lauros hędera myrtoque neglectis, sollicitus iamdiu quæro. Quod si illuc ad matrem ipse me duxeris, ego tibi præ cæteris afflabo propitius, ego tibi perpetuo quodam nexu meam matrem conciliabo. Tunc Alamannus, peropportune, inquit, manus inter volasti diue Cupido meas. Nempè trita meis pedibus, quæ ducit Charegium, via est. O me felicem cuius inter manus hodie puer felicissimus peruolauit! Ergo huc age diuine puer, leues iam tende alas. Per Fauentina pomœria Apollineis auspiciis petamus ambo Charegium, ego quidem gressu, sed ipse volatu.

Quod malè se habet Lucilia, id est anima, quando à Phœbo, id est, à Deo discedit, Apologus.

PHœbus vitæ lumen, Medicinæque vitalis auctio, filiæ suæ Luciliæ quondam è multis præceptis id dedit potissimum. Videlicet, ne vnquam a latere paterno discederet, alioquin fore, vt in varios grauissimosque morbos incideret. Principio Lucilia instantis hyemis asperitate quasi coacta paternis mandatis obtemperabat. Sed verni deinde temporis iam arridentis prosperitate freta, cœpit puella longius à paternis laribus digredi, passimque per pulchros blande Veneris hortos & picta prata liberius peruagari, atque ibi tum molli herbarum amœnitate, tum pulchritudine florum suauique odore pellecta, non solùm serta coronasque sibi, verum etiam vestes iam integras ex hedera, liliis, rosisque & violis aliisque contexuit. Mox dulces fructus, & mitia poma vndique carpens non degustat solùm, sed faucibus etiam plenis ingurgitabat, iamque insolenter ornatuque nouo lasciuiens, parentisque oblita, vt euaserat, puella vanior gloriabunda proximas vrbes adibat. Sed interea obiter & latentes angues in herba saltantis, puellæ mordebant pedes, & floribus sertisque suis apes insertæ ceruicem & genas, manusque pungebant, & aluus immodico noxioque cibo tumescens molestè nimis distendebatur. Quamobrem ingrata Lucilia, quæ antea voluptatis illecebris delinita medicum patrem neglexerat, summo quodam cruciatu compellitur redire domum, patrem agnoscere, paternumque auxilium his fermè vocibus implorare. Heu! succurre iam Luciliæ Phœbe pater, propera, obsecro, clementissime pater, fer opem filiolæ iamiam, sine tuo auxilio pereunti. Sed Phœbus, quidnam, inquit, inanis Flora patrem meum vocas? Desine iam improba, desine, nunquam ego te Flora vanissima peperi, abi hinc ad Venerem tuam, ô Flora prophana procul abi quam primum. At verò cum Lucilia supplex diutius institisset, multisq; Phœbum obsecrasset precibus, vt puellam cui solus ipse vitam dederat, solus à morte redimeret, promitteret præterea se nunquam in posterum paterna vel iussa vel consilia neglecturam, ita demum pater indulgens & increpuit pariter & admonuit. Haud te curandam prius recipiam, quam istos cupidineos fucos ornatusque Venereos deposueris, disce iam temeraria, disce dum à paternis laribus procul erras, quam diuturno grauique dolore quam breuis leuisque voluptas ematur, disce parum mellis, quoties veri Medici mandata contemnis, quam multum fellis apportet.

Diuina lex fieri à cælo non potest, sed forte significari.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Federico Vrbini Duci semper inuicto, Fœlicitatem, D.

STella quæ hodie Magos summos Orientis Astronomos fœliciter duxit ad Christum, eadem me quoque in eam duxit contemplationem, qua legitimos Astronomos Christianis facile breuiterque conciliarem. Hodie Magi quidem apertis thesauris suis Christo Deo myrrham, sacerdoti thus, regi aurum supplices obtulerunt. Marsilius autem Federico Duci semper inuicto & apprime sapienti atque clementi munusculum quoddam ex ipsis Philosophiæ thesauris offert, Theologicum simul & Astronomicum atque Physicum, aliàs quando Deus dederit, ampliora damus.

Communis religio non fit à ſtellis.

GEnus ipſum religionis, quo nihil in rebus humanis magis commune, firmumque eſt, nullus Aſtrologorum à motu diſpoſitioneque fieri vnquam exiſtimauit. Sciunt enim quæcunque motu fiunt, neceſſariò mutabilia fore, & quæ certa quadam ſyderum diſpoſitione creantur, poſitione tandem contraria diſſipari, genus autem ipſum religionis, quo Deus ab humano genere mundi gubernator agnoſcitur atque colitur, ſolùm inter omnia hominum ſtudia operaque vbique & ſemper firmiſſimum permanere.

Chriſtiana religio non fit à ſtellis.

VErùm ſiquis Aſtrologus dixerit, Chriſtianam legem exortam fuiſſe poſt aliquam Saturni cum Ioue cõiunctionem, in quibus coniunctionibus condendarum vim legum Aſtronomi quidam maximam collocant, ita in præſentia breuiter, quantum exigit Epiſtola, reſpondebimus. Alibi enim à nobis de his latius & ſubtilius diſputatur. Principio Saturnus & Iupiter vigeſimo quoque anno iunguntur, atque in quauis coniunctione vim coniunctionis ipſius extendere in quam plurimos annos exiſtimantur, quo efficitur, vt quandocunque nobis à Deo diuina lex detur, Aſtrologis æquè liceat cœleſtem aliquam potentiam fingere legis huiuſmodi, vel auctricem, vel ſaltem ſignificatricem. Mitto quod raro religionum mutantur ſpecies, cùm tamen Planetæ illi ſæpè concurrant. Præterea, cùm annis nongentis atque ſexaginta, ad eaſdem coniunctiones perpetuo reuertantur, atque in eo ipſo interuallo quater in ſigno quolibet coniungantur, mirum eſt diuinam legem, id eſt, Moſaïcam, Chriſtianamque tot mundi ſæculis, aut nõ prius extitiſſe aliquando, aut ſaltem poſtea tanto iam tempore non fuiſſe deletam. Præſertim, cùm plurimæ inter ſe contrariæ coniunctiones iamdiu præceſſerint. Proinde Aſtrologi, qui Chriſti temporibus proximi extiterunt, multò melius de Chriſtianæ legis fato (ſi fato ſubeſſet) quam poſteriores iudicare potuiſſent. Illi tamen adeò à veritate procul aberrauerunt, vt temerè nimium, illam cùm primùm annos trecentos ſexagintaquinque impleuiſſet, proculdubio ruituram affirmarent. Qua etiam in re Oraculum ipſum Apollinis mentitum eſſe conuincitur. Imò verò mentita eſt iniquitas ſibi; non tamen mentita eſt diuina Veritas, quæ Prophetas plurimos, & Sybillas expertes Aſtronomiæ ab ipſo rerum initio, vt Chriſtianam legem præuiderent diuinitus, & prædicerent, inſpirauit. Deinde poſt Chriſtum Chriſtianæ veritatis innumeros teſtes adhibuit Martyres, videlicet inter quos quamplurimi cùm in omnibus liberalibus diſciplinis, tum in Aſtronomia, præcipuè docti, pro Chriſti gloria mala omnia, & denique mortem libentiſſimè pertulerunt. Sed iam ad Aſtrologos redeamus. Profectò, multò difficilius de rebus quæ ad conſilium, mentem, Deum, ſpectant iudicare poſſe videntur, quam de iis quæ ad corporis affectus, actiones, paſſiones, operaque corporea pertinent, at verò de rebus huiuſmodi difficile admodum, falſoq; ſæpiſſimè iudicant, quod quidem non ipſa ſolùm experientia patet, verumetiam iis rationibus, quas hic breuiter perſtringam (alibi enim de his diffuſius diſputamus) confirmari videtur. Plotinus & ex Platonis ſententia, & Auicennæ ſubtiliſſimè diſputãt ſub diuina poteſtate prouidentiaque & cuncta ſingula contineri, eo videlicet ordine, vt cauſæ incorporeæ, ſcilicet Deus & Angeli, corporumque cœleſtium animæ, rerum naturalium artifices ſint. Cauſæ verò corporeæ ſint ſuperiorum artificum inſtrumenta. Deinde oſtẽdunt quæcunque terrena in terris accidunt ex communi quodam concurſu ſuperiorum inferiorumque ſimul cauſarum omnium prouenire. Cùm autem cuncta hæc nullus vnquam comprehendere valeat; nimirum neminem certam vlla de re huiuſmodi ferre poſſe ſententiam. Aſtrologi verò tum diuinis, tum inferioribus cauſis diſpoſitionibuſque obmiſſis, cœleſtia vtcunque poſſunt, ſola ſuſpiciunt, neque illa quidem omnia, ſed pauciſſima, pauciſſimorumque illorum vim experientia quadam, remota, rara, fallaci; potius quàm rationibus vllis attingunt. Præterea, certum natiuitatis noſtræ momentũ difficile admodũ deprehendere poſſunt, cõceptionis autẽ etiã difficilius, deniq; infuſionis animæ, difficillime, imò verò nullo modo vaticinantur. Neq; parentũ auorumq; naſcentis pueri complexiones intelligunt, neq; nutritionis, educationis, habitationis, conſuetudinis, diſciplinæ, conſilij, rationem vllam vel habere ſtudent, vel etiam ſi diligentiſſime ſtuduerint, prorſus aſſequi poſſunt. Omnia tamen hæc diligenter conſiderari Ptolomæus ideo iuſſit, quia nouerat vim cauſarum ſuperiorum non aliter à nobis ſuſcipi, quã per ſequentes cauſas, ac etiam per materiã perque habitũ, diſponamur. Vnde, inquit, ſtellarum effectus ex diuerſa diſpoſitione ma-

teriæ mobilis permutari apud nos sæpius atque impediri. Sanè videbat eodem momento nasci quotidie res inter se, tum genere, tum specie, tum numero, tam forma, quàm fortuna, eximque diuersas, vt nullo modo ex ipso solo, vel natiuitatis terrenæ cœlestis coniunctionis momento sufficienter quicquam iudicare possimus. præsertim cùm vltra proprias singulorum sortes communes quoque fortunæ & considerandæ sint, & inter se diligentius comparandæ. Nam duo hæc sibi inuicem tum impedimento sunt, tum etiam adiumento. Cuncta verò quæ diximus nemo complectitur Quamobrem Ptolomæus Astrologorum iudicia, & circa communia confusaque potius quàm distincta, & circa possibile, potius quam necessarium versari proculdubio confitetur. Vt igitur illuc regrediamur aliquando, vnde digressi sumus. Si Astrologi tam obscurè, vt ita dixerim, visibilia vident, quam obscurè inuisibilia ipsa videbunt.

Religio forte potest à cœlo significari.

SEd ne videamur nimium pertinaces, demus eosvidere nõnihil, modo per signa quædam sæpius quàm per causas, & illa quidem ambigua cognituque difficillima videant, atque tunc demum cernere nonnihil possint, cum quod potissimum ex diuersis mundanæ citharæ fidibus, vel consonum vel dissonum sequatur, intelligunt, imò, vt verius loquar, vaticinantur. Plotinus Platonicus docet, effectus infra lunam penè omnes, à cœlo significari, non tamen omnes à cœlesti corpore dependere: sola enim corporea posse vel à corpore cœlesti, vel potius per cœleste corpus, quasi per instrumentum, ab ipsis cœli motoribus fieri. Si qua verò apud nos omnino corporeum genus excedunt, atque ad mentem diuinitatemque accendunt, solùm à mente diuina mentibusque eam sequentibus proficisci. Quarum quidem mentium consilia voluntatesque sæpè posse cœlestibus figuris & motibus, tanquam suis quibusdam oculis ac nutibus, indicari. Sed indicia illa planè perspicere, viri apprime sapientis opus esse atque diuini. Hæc Plotinus. Quamobrem Mosaica Christianaq; religio, tanquã spiritalis penitus & diuina, neque à cœlestibus, neque per cœlestia corpora vllo pacto effici potuit. Præsertim, cùm cœlestes illi motus opera in terris sua, terrenis duntaxat adminiculis efficere soleant. Diuina verò ex nõ modo terrenis vbiq; auxiliis caruit, verum etiã multis sęculis omni impedimẽtorum genere passim perturbata afflictaq; fuit. Fortè vero quodã modo significari per sydera potuisse videtur, eodem videlicet ipso Deo, & sic & ad illud tẽpus designãdum mouente sphæras atq; tẽperante, qui & sic & tali quodam tempore legem suam fore præuidit atq; decreuit, quod quidem in Metaphysicis cõprobat Auicenna, affirmans morales diuinasq; leges certis seculis per Prophetarũ animas sola Dei prouidẽtia missas atq; afflatas, institui, toto interim ad idem vniuersi ordine sub diuino motore, eiusque ministris ita redacto, vt & in terris ipsum animæ Propheticæ corpus alicubi disponatur, & in cœlis atq; terris significetur aduentus. Fortè verò id voluit Dauid his verbis; Cœli enarrãt gloriã Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentum. Forsitan & hic quodammodo tendit, quod inquit Albumasar, Ægyptios Indosque in prima Virginis facie, virginẽ quandam pulchram considerauisse sedentem, nutrientemq; puerum, cuius nomen apud quasdam Gentes esse Iesum, Albumasar opinatur. Imago vero illa quæ in eo signo cogitatur, imo fingitur potiùs quàm videatur, si propria esset Iesu ipsius causa, certè & ante & post Christi tempora, sæpè aliàs, vel Iesum ipsum, vel quendam eius simillimum produxisset. Ergo si illic est imago eiusmodi, signum quoddam est legis Christianæ, non causa.

Multa per cœlum significantur, quæ non fiunt à cœlo.

QVod autem à cœlo multa significentur quidem, nec tamen ab ipse fiant, rursus ex eo constat, quod mala ordinisque experientia à rebus illis optimis, ordinatissimisque prouenire non possunt. Sæpè tamen per cœlestia videlicet, tanquam per signa, non tanquam per causas prædicuntur, non aliter quàm in auguriis auspiciisque multa per aues portendi putantur, quæ tamen per aues minimè fiunt. Ideo Plato in Timæo, stellas non dixit facere, sed prænuntiare futura. Non tamen omnibus, sed illis tantùm qui ratione hæc assequi possunt. Præterea, Astrologi in cuiuslibet genesi consideranda, plurima indicare solent quæ ad patriam, ad parentes, auos, fratres, coniuges, seruos, amicos, inimicos pertinent; quorum sors nullo modo ab alterius genesi prouenit, sed potius indicatur. Quod etiam in interrogationibus iis planè perspicitur, quæ de rebus præteritis fiunt abillis, atque tractantur. Profectò, quemadmodum quotidie per

oculos, gestusque & verba alicuius præuidemus, ipsum aliquid effecturum, qui tamen non iis indiciis, sed voluntate perficit quod elegerat, itaque per nutus sphærarum cœlestium portenduntur sæpe, neque ab illis cœli corporibus, neque per illa fiunt, sed à diuinis mentibus, quæ globos illos regunt mouentque, per cœlestia quidem quasi per suos vultus significantur, verùm per ipsa sua consilia vel ordinatissime disponuntur, vel rediguntur in ordinem, vel saltem ab humanis causis prouentura & diuinitus præuidentur à superis, & nobis per signa quædam cœlestia demonstrantur. Qua in re Ptolemæus quoque & Albumazar & Zaeles, & Manilius, cæterique præcipui authores Astronomiæ nobiscum sentire videntur Quando videlicet affirmant, cœlestia corpora esse diuinis animabus, mentibusque prædita, ac tanquam animalia quædam diuina ipsi Deo omnium rectori parere. Neque id quidem iniuria, nempe cum Ptolomæus ipse humanam sapientiam fateatur alieno operi, id est, stellis vsque adeò dominari, vt & minantibus repugnare & pollicentibus fauere sua sæpe industria possit, cui mirum si diuina concesserit sapientia operi proprio penitus dominari? Hinc illud Auicennæ; Cœlum est animal obediens Deo. Quoniam verò hi omnes intelligunt, singula hic à diuina prouidentia fieri atque gubernari, idcirco quando de cœlestium corporum virtute loquuntur, rarissimè quidem aiunt cœlestia hoc aut illud facere, frequentissimè verò asserunt, tale aliquid aut tale significare. Et quemadmodum per sydera portendi falsas humanasue leges putant, ita etiam sæpe veras atque diuinas.

Signa & testimonia de Christi diuinitate.

FOrte verò hanc ob causam, Magi in Astronomia omnium sapientissimi, quo tempore natus est Iesus, ab Oriente Hierusalem profecti sunt, asserentes certo se admonitos sydere, eo tempore eaque regione natum esse puerum qui rex Israël futurus esset, atque adoratione dignus. Quod verò infantem in opem tanti viri tam longo itinere adoraturi veniunt, plane demonstrat Magos exstimauisse in puero diuinitatem esse à superiori principio, quam à cœlo prouenientem, præsertim cum Stella quadam ducerentur miraculosa potius quam naturali. Calcidius Platonicus varias adducit historias de stellis, quæ cum raro videantur, ingentes portendunt calamitates. Deinde subdit. Est quoque alia sanctior & venerabilior historia quæ perhibet, ortu stellæ cuiusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilem ad humanæ seruationis rerumque mortalium gratiam, quam à Chaldæis obseruatam fuisse testatur, qui Deum nuper natum muneribus venerati sunt. Hæc Calcidius. Neque id quidem Magos animaduertisse mirum videri debet, nam in eadem orientali plaga, & (vt quidam aiunt) in vrbe eadem qua & Magi diu ante illos Propheta Balaam floruit, prædixitque tum surrecturum Messiam quasi virgam ex Israël cum noua Iacob stella exoriretur, his videlicet verbis: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israël. Quod autem Magi Christum adoraturi Hierusalem accesserunt, testimonio nobis est crudelis illa cædes infantum sub Herode, qua de re certiorem factum fuisse Augustum Macrobius asserit, ita scribens. Cum audisset Augustus, inter pueros, quos in Syria rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, præstat Herodis porcum esse quàm filium. Suetonius quoque scribit, veterem fuisse constantemque opinionem Oriente toto esse in fatis, vt circa Neronis tempora ex Iudæa profecti rerum summa potirentur. Idemque oraculum ante obsidionem Hierusalem scribit Iosephus in sacris literis fuisse repertum. Quod quidem aliis nullis conuenientius quàm Apostolis accommodari posse videtur. Siquidem in his oraculis designantur Iudæi quales fuerunt Apostoli ex Iudæa egressi Gentibus omnibus leges vbique daturi. Quum etiam Sybilla Cumæa tempore, eadem descripsisse videtur. Quibus magnus ab integro sæculorum nasceretur ordo, ac floreret virgo, nouaque progenies ex alto demitteretur. quamobrem sententia erat & vetus & constans & Oriente toto, & in Astrologorum præsagiis, & in sacris literis, videlicet in Prophetis atque Sybillis de Christi diuinitate temporeque, maximè consona.

Christiana Religio à Deo solo dependet.

SEd de diuinis Sybillarum Prophetarumque oraculis in libro de Religione latius disputamus. In hac autem Epistola sic de diuina lege quantum ad propositam pertinet quæstionem, breuiter concludemus. Si quis fato quodam genesis vel coniunctionis alicuius genesi suffragantis, Christum fecisse miracula nobis obiecerit, interrogabimus, quonam pacto innumerabiles inter Christianos viri sancti diuersis

temporibus locisque orti, ac diu post Christum multa fecerint miracula & quotidie faciant. Præterea Eclypsis illa Solis, moriente Christo, præter ordinem naturæ facta, apertissime declarauit, Christum ab altiori quàm cœlesti ordine natum. Eclypsim quidem fuisse illud nobis argumento est, quòd non licuisset Christi discipulis passim prodigium huiusmodi prædicantibus in re tam manifesta mentiri. Quid? quòd Eusebius in ipsis Gentilium historiis idem asserit se legisse, idem & ante Eusebium Lucianus Antiochenus atque Tertullianus. Flegro quoque Olympiadum scriptor defectum solis prodigiosum eodem quo & nos tempore comprobat contigisse.

Quod autem prodigiosus fuerit, Dionysius Areopagita, Apollophanesque Philosophi, iuxta Heliopolim vnà deambulantes, & oculis ipsis apertè viderunt, & disputationes subtiliter probauere. Quod quidem in Epistola Dionysij ad sapientem Polycarpum legimus. Idem hinc quoque coniicimus, quod nulli dubium, Iudæos Pascha ex lege semper Luna duntaxat plena celebrauisse, eodemque ipso tempore Christum affixisse Cruci. Vnde certissima ratione comprehenditur tum defecisse Solem, tum præter omnem naturæ ordinem defecisse. Vt videlicet cœlum morienti Christo ita nouis tenebris testimonium perhiberet, quemadmodum & nascenti testimonium noua luce perhibuit.

Conclusio de Christianæ legis diuinitate.

VErùm, vt ad propositũ redeamus, cui mirum si mundi Conditor ita partes mundi singulas temperauit, vt & in mirabili dispositione syderum, & in summa totius orbis pace sub humana forma homines salutauerit. Quandoquidem & diu antea per Prophetas suos cœlestia tum regredi iusserit, contra naturam. Quæ quidem prodigia Dionysius narrat Babylonios, & Persas tanquam diuina opera in Annalibus suis annotauisse. Similia quædam apud Platonem legimus in libro de Regno.

Quam quidem historiam Poëtæ (vt omnia solent) in Phaëtontis fabulas & alia quædã similia transtulerunt. Deniq; diuina lex sanctaque religio, neq; ab inferioribus, neque à superioribus mundi corporibus proficiscitur, cum incorporei boni Deique gratia, corporea cuncta, tum vita contemnat, tum affectu & cogitatione transcendat. Neque vlla ratione pendet ex fato, quæ fatum ipsum semper & negat & damnat, neque ab humana, vel natura, vel prudentia nascitur, quæ & eam negligit, & immenso quodam super ipsam spatio in Deum eleuatur immensum. Sed procul dubio à solo principio prouenit infinito quæ finem solùm appetit infinitum. Sed iuuat nostram sigillo Platonico Epistolã obsignare. Plato noster in Prothagora & Politico duo religionum principia ponit, quorum altero quidem statim in ipso rerum initio religio nata sit, altero verò post multa sæcula confirmata. Profectò non tam fuisse docet instinctu, quàm animis ex Deo manantibus insito, ob quam cognationem cùm primùm inclusi corporibus sunt diuinitus ex terra, vel creatis, vel suscitatis, subitò Deum tanquam Patrem agnouerint atque coluerint. Confirmata verò lege diuina quam aliquando Deus solus ob solam clementiam suam per nuncium ab ipso electum ad homines miserit. Vale, sexto Ianuarij M. CCCC. LXXXI. Florentiæ.

Philosophia & Religio germanæ sunt.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Antonio Ziliolo Sophronio Veneto, S. D.

SI quis opificium ingens aspectuque mirum semper ante oculos habeat, quod & ratione valde mirabili & arte admodum manifesta constructum sit atque moueatur, ac præterea spectantium vsui ad votum sit prorsus accommodatum, neque tamen ille animaduertat, aliquando opificium eiusmodi summa quadam potentia, ratione, bonitate, factum fuisse atque moueri, nonne rationis oculis captum esse putabimus? Aut si forte quamuis animaduertat interdum, nunquam tamen timeat, veneretur, colat, tanti, tam pulchri, tam commodi operis Architectum, an non necesse est illum cum apud spectatores alios, tum apud Architectum ipsum, hac de causa extremo quodam odio dignum existimari? Sola verò ex omnibus hominum artibus facultatibusque pia semper Philosophia omni studio prouidet, ne vel in cæcitatem tam miseram corruamus, vel tam graue odium subeamus. Nullum enim aliud veri philosophantis officium est, quam singulas tum partium tum vniuersi rationes & causas excogitare semper atque docere. Deinde in ipsis rerum rationibus & causis assignandis ad summam denique omnium rationem causamque ascendere, prætera cæteros ad superna pro viribus secum ducere. Ac dum

quanto sapientia regatur mundus ostendit, simul etiam quanta humani generis commoditate ducatur certis prouidentiæ rationibus demonstrare. Vt igitur agnoscamus Deum amemusque & totus vndique mundus clamat, & Interpres mundi Deique Philosophus verus demonstrat diligenter atque exhortatur. Adeò vt nisi omni penitus sensu orbati simus, apertissime iam cognoscere debeamus, nihil in tanto vniuersi ordine omnino esse fortuitum, nisi forte illi dumtaxat fortuiti sint, qui opificium tam artificiosum opinentur esse fortuitum. Proinde Philosophus dum ad contemplationem Dei nos erigit sapiens, dum ad amorem diuinæ bonitatis inflammat, pius religiosusque est appellandus. Quamobrem tota Priscorum Philosophia nihil est aliud quam docta religio. Missa in præsentia faciam cætera, nam innumera sunt Plato diuinis Mercurij Trismegisti mysteriis imbutus, in Republica & alibi sæpè disputat, nisi quis Dei ipsius & lucem quodammodo viderit & agnouerit bonitatem, neque aliud quicquam veri posse videre, neque aliquid bene vnquam agere vel publicè vel priuatim Diuinum verò Solem, solo eiusdem lumine perspici. Lumen denique illud menti solum serenæ infundi solere. Quam ob causam & ipse Plato suam semper, Socratico more, purgabat mentem, & cæteros vbique purgare docebat. Proinde non in dicendo solum verum & in cogitando exordiri à Deo præcipiebat in singulis, atque ipse semper exordiebatur à Deo Purgationis quoque eiusmodi gratia Pythagoras imitatus Orpheum, vltra singularem vitæ sobrietatem, quotidie oriente sole sacros superis hymnos consonante cythara concinebat. Idemque Empedocli cæterisque suis facere persuasit, quo cœlestes globos semper Deo canentes imitarentur. Præterea cum inuenisset latus recti trianguli longius tantum posse quantum duo reliqua simul iuncta, Hecatombum Deo suppliciter immolauit. Vtpote qui intelligebat nihil vsquam veri sine summæ veritatis lumine posse videri. Si pro rei tam pusillę notitia tam grandem victimam immolauit, nonne putas illum pro suiipsius cognitione seipsum dedicauisse Deo? Rursus pro vniuersi contemplatione, vniuersum quoque ipsi totius conditori supplicem sacrauisse? Quid de Mercurio Trismegisto dicam? Cuius disputationes omnes & à votis incipiunt & in sacrificia desinunt. Quid de Zoroastre? Cuius Philosophia (vt testatur Plato) nihil est aliud quam sapiens pietas cultusque diuinus. Denique (vt summatim dicam) Saturnia illa & aurea disciplina Priscorum non tam Philosophia quam Philothea nuncupanda videtur, eorumque sermo omnis oraculum est potius quàm oratio. Quorsum hæc de sapientiæ pietatisque copula? Vt videlicet meminerimus primo quantum aureis illis sacræ Philosophiæ sæculis debeamus Deinde (vt ipse intelligas) qua ratione Marsilius sectator antiquitatis, non solū in vno illo religionis libro, quem petis, verumetiam in omnibus eius scriptis vnà cum Philosophicis semper religiosa, pro ingenij facultate, coniungat Postremo ipsum agnoscas, te iam simulque Antonium Chronicum, tanquam Conphilosophos suos in ea Philosophia libenter amplecti, quæ sapientiam simul pietatemque complectitur. Vale.

MARSILIVS FICINVS
Phœbo Capellæ, S. P. D.

LVmen iamdiu quoddam peperi, lumen illud in suum continue Phœbum se recepit Stellam & nuper quandam genui, stella hæc similiter statim nata suum fœliciter reperit Phœbum.

MARSILIVS FICINVS
Phœbo Capellæ Viro clarissimo, S. P. D.

CVm sæpius orauisset me Guilielmus amicus noster, vt eum Phœbo meo plurimum commendarem, exscripsi tandem illi Epistolam, quam superioribus diebus de Stella Magorum ad Federicum Vrbini ducem scripseram, eamque his verbis Guilielmo dedi. Si vis amice Phœbo commendatus esse, age iam Mercuriali hac stella duce saluta Phœbum. Hæc te, vt spero feliciter illi conciliabit. Ito igitur, ito alacer, neque pigeat. Non enim hæc ex his stellis est quæ videri aliquando possint in æde Apollinis peregrinæ. Siquidem Mercurius ante omnes est Phœbo domesticus. Vale Florent. vi. Februarij. M. CCCC. LXXXI.

Quod pia sit Platonica disciplina.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Nicholino, Archiepiscopo Amalphiensi, S. D.

EVmenius Pythagoricus, quem Origenes Pythagoricis omnibus anteponit, cum Mosis atque Platonis legisset libros, Platonem iudicauit esse alterum Mosem, Attica lingua loquentem. Præte-

rcà scribit Aurelius Augustinus duplici ad veritatem via nos duci, authoritate videlicet atque ratione. Authoritatem quidem Christi se omnibus anteponere, rationes verò quæ huic potissimum consonent, se solum apud Platonicos inuenire, apud quos Procemium etiam Euangelij Ioannis penè totum colligi posse. Affirmat denique, Platonicos mutatis paucis Christianos absque controuersia fore, seque illos ex omnium Philosophorum numero, idcirco potissimum elegisse, quoniam quanto rectius de rebus diuinis quam cæteri philosophi sentiunt, tanto magis aliis anteponendi non iniuria videantur. Ego igitur diui Augustini primum authoritate adductus, deinde multorum apud Christianos sanctorum hominum testimonio confirmatus, operæpretium fore censui quandoquidem mihi philosophandum esset, vt in Academia præcipuè philosopharer. Verum vt doctrina platonica quæ ad diuinam legem, idest, Mosaicam Christianamque tanquam Luna quædam se habet ad Solem latius refulgeret, libros platonis omnes è Græca lingua transtuli in Latinam. præterea ne cui noui luminis huius aspectu oculi caligarent, volumen composui quasi commentarium, in libros decem & octo distinctum, in quibus platonica mysteria ita pro viribus exponuntur, vt mentem eius potius quam verba sequamur, sublatisque poëticis velaminibus platonicam aperiamus sententiam diuinę legi vndique consonam. Reor equidem, neque vana fides, hoc prouidentia diuina decretum, vt acutissima quæque ingenia quæ soli diuinæ legis authoritati haud facile cedunt, saltem platonicis rationibus religioni admodum suffragantibus denique cedant. Quorsum hæc, venerande Pater? vt familiaribus hæc tuis legas, quo mirari iam desinant, Marsilium, cum sit sacerdos philosophiæ, tam frequenter incumbere. Vale.

Marsilij Ficini in librum Platonis de Regno, ad Federicum Vrbini Ducem, Apologus.

IVpiter Optimus Maximus, cum optaret tale in terris quandoque regnum prospicere, quale in cœlo semper apud se conspicit, iamdiu per ipsam diuini regis ideam, regium quendam diuinumque animum dimisit in terras, conuocatisque cœlicolis imperauit vt omnes futuro huic regi suffragarentur, quem superi quidem & à fide regia fide regum, & ab orbis imperio Orbinatem Ducem iam nominarēt, homines verò mutatis literis Federicum Vrbinatem Cucem essent appellaturi. Assensere omnia Ioui, præter Iunonem, numina, sola enim Iuno crassioris aëris ambitiosa regina, cœleste terris regnum hactenus inuidet. Verùm Pallas Mercuriusque fauentibus aliis (& teste veritate) coronam sceptrumque regium iampridem viro eidem cui & Iupiter libentissime contulerunt. Cum verò Academia passim Palladem Mercuriumque colat atque sectetur, ipsa quoque regnum orbisque totius Monarchiam diuinus Plato describit, Federico Vrbinati Duci tum ex Iouis sententia, tum ex testimonio veritatis optime merito, fœlicissime tribuit.

MARSILIVS FICINVS
Apologus ad Federicum Vrbini Ducem, in librum Cosmographiæ Francisci Berlingherij Nicolai filij ad eundem.

QVem Iupiter omnipotēs orbis totius Dominus ad terreni orbis imperium procreauit, quem Pallas Mercuriusque Iouis filij iamdiu tanto fecere imperio dignum, huic & Academia horum cultrix nimirum, Platonicam terreni regni formam non iniuria dicat. Huic & Academicus Berlingherius noster vniuersam orbis terreni figuram, eo largitur tempore, quo Respublicę, Ducesq; & Reges iterum atque iterum tum Palladis hastam, tum Herculis clauam concedunt fœlicibus auspiciis potentem belli Italici dominam. Ac dum pleriq; potentes Federico Duci semper inuicto Italiam bello parere volunt, interim & Academia & Academicus eidem tam pace quàm bello totum subiicit orbem.

Sacra sacrilegi non attingant.

MARSILIVS FICINVS
Carolo Astoro, S. P. D.

PIus Plato noster his diebus ab impio quodam Germano transcribebatur, qui nuper sacrilegis manibus sacrum ante aras sanguinem fudit, ille repente, ille, vt ita dixerim, sacricida miles sacerdote cæso fugam arripuit, ipsaque fuga alterum videtur sacrilegium patrauisse, dum videlicet vrbanum Platonem inter rusticos relinqueret vagabundum. Tertium insuper sacrilegium patraturus, si sacrum cruentis manibus Platonem reuersus aliquando ausit attrectare. Da igitur operam quæs, voir optime, ne Plato, aut diutius in syluis oberret,

aut forte, quod foret crudelius, aliquando contaminatis prophani illius manibus polluatur.

In solo Deo salus.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

SAlue amantissime mi Bandine, salue, inquam, millies imò semper in sempiterno authore salutis Deo. Addidissem & in Platonem, si modo quærenda post Deum esset salus in homine. Valemus bene quod in primis audire cupis. Quod & de re audiuimus nuper speramusque, nos indies similiter audituros. Dedicaui Matthiæ inuicto Pannoniæ Regi geminos nostrarum libros Epistolarum, qui nunc Francisci Iunij opera exscribuntur. Cæteri verò libri nostri quos optatis, sunt iam in manibus impressorum, expressi cum fuerint, legati ad vos accedent, nostram vobis mentem fœliciter expressuri. Hæc interim Epistola tres tibi potissimum nobis in Musis amicos mandat iterum atque iterum salutandos, Epistolam Colocensem, Epistolam Vaciensem, Petrumq; Garasdam. Valete felices. IX. Maij. M. CCCC. LXXXII.

Tantum ipsi nos probare possumus, quantum à probatis ipsi probamur.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Petro Molino Veneto, S. P. D.

ANtonius noster pictor & sculptor insignis, cum hesterno vesperi me meosque familiares in foro tuo nomine salutaret, ita tuos nostris vultibus pinxit vultus, ita tuos affectibus nostris insculpsit affectus, vt non tam tuæ nobis ab illo narrari salutes quam à te ipso coram agi perspicuè viderentur. Itaque assurreximus omnes subitò neque Florentinum Antonium vlterius, sed ipsum Molinum iam præsentem agnouimus, & nudo capite, vt par est, honorauimus. Salue & tu semper doctissime Petre, nosque, vt cœpisti, salutari hac præsentia tua saluos frequentissime redde. Tamdiu nos honorandos reuera putabimus quamdiu ipse vos honorauerit. Tantum & nostra nobis placebit ciuitas, quantum tibi eam placere nouerimus. Vtinam tibi nostra magis in dies placeant, vt nos ipsi nobis in dies vehementius placeamus, bene Vale.

Honesta silentij diuturni purgatio.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti Amico vnico, S. P. D.

CVm hac aurora absoluendo sacro Theologiæ operi, quod iamdiu molior, totus incumberem, ac nemo quamuis familiarissimus interpellare me tunc auderet, abs te tamen vnico audentius his obiurgationibus interpellatus sum. Soles Marsili aliàs in primis rusticationis tuæ diebus Ioannem tuum literis salutare, nunc verò solitis iamdiu salutibus abstines. An non vides sacrilege quam sacrę amicitiæ tuo isto silentio detrahas. Ad hæc Plato hunc in modum respondere pro communi causa videbatur. Vide quam magna vis Ioannes tuis insit verbis. Nempe apud alios aliud quidem dicere est, aliud autem facere, ipse verò dicendo facis. Quibus enim verbis Marsilium appellas sacrilegum, iisdem sacrilegum hunc ipse facis, si modo qui sacrum publicumque opus, priuatæ quamuis singularis amicitiæ gratia intermiserit, sacrilegus sit futurus. Eiusmodi, vt dicebam, hac aurora nobis incidit controuersia. Verùm vicisti tandem, vt soles, atque Platonicis parumper mysteriis intermissis solitas à nobis salutes iam reportas. Reportare vis iterum, Platonemque iterum superare? Responde amice, precor. Responde, non vt soles, inquam, sed potiùs vt non soles. Quod si respondere non vis mihi, saltem responde Platoni. Sed ecce dum inter loquendum te, vti fit, intueor, geminum mox ibi vultum video, mirabile visu, vbi modo vnicum intuebar. Ac si ritè amicos agnosco vultus, grata Laurentij Medicis ora in tuo, vt ita dixerim, speculo, speculari videor, & ab eo penè atque à te similiter increpari. Ergo geminatis iam tibi vultibus, geminentur & mihi vicissim illæ salutes, & quæ paulò ante duobus quasi vni dicebam, nunc vni dicta sint quasi duobus.

Responsum de genesi, quod iudicium sit fallacissimum.

MARSILIVS FICINVS Zenobio Romano, S. P. D.

QVamquam non sunt illa hic apud me nunc instrumenta, quibus cœlestia examussim examinari pensitarique solent, tamen vt agam in præsentia nonnihil pingui Minerua, illa mihi cœli figura

non admodum placet, in qua Mars medium tenet cœlum, Saturnus sextam occupat domum, Iupiter comburitur, Lunam Sol aspicit ex quadrato. Sed neque mala ominari iuuat, neque his multum decet credere. Nam cum in rebus proximis quotidianisque sæpè fallax iudicium sit, nimirum in remotissimis est fallacissimum, præsertim cum ex multis aliis præter sydera causis res nostræ dependeant, genitura, nutritione, loco, educatione, consilio, sorte, quod quidem ex eo patet perspicuè, quod eodem momento feruntur, atque nascuntur, inter se tamen genere, specie, numero, qualitate, fortuna, exitu, longissimè discrepant. Vale.

Diuina dum mittuntur, non amittuntur.

MARSILIVS FICINVS
Locterio Neronio, Conphilosopho suo, S. D.

IOannes Cocchius Academicus noster, hesterno vesperi me conuenit, atque Terentiano, vt solet, more, Saluere, inquit, te Marsili noster, Locterij nostri nomine iubeo, tu vero nunquid Locterio referri iubes? nam ad eum, vt vides, aduolo, ego autem cum te vicissim saluere vehementer optarem, easdem, inquam, salutes Locterio referes. Tum Ioannes, At si reddideris, inquit, easdem salutes amico, videberis quas ille miserat fortè respuer. Ad hæc ego, si dextra, inquam, meæ sinistra reddat, quod accepit à dextra, id non amisero equidem, sed quadam potius commutatione seruauero. Locterius certe, Marsiliusque hominis eiusdem dextra sunt atque sinistra. His fortè Dialecticus quidem interfuit obiecitque, & si homo idem possidet quicquid alterutra possidet manus, non tamen vlterius est in altera, quod iam reddidi alteræ. Tum ego ita respondi. Si mutua inter nos minæ permutatio fiat, nimirum quod obiicis, Dialecticè, sequitur. Sin autem radius id quidem fuerit, minimè sequitur. Solet enim à lucido corpore in speculum prosilire radius atque resilire. Radius hic quidem corpus vnde emicat dum emittitur non dimittit, vicissimque dum reflexione resilit non amittitur, proinde radius quicquid percussione quadam vulnerare videtur, fouet à quocunque frangi, mutua repercussione apparet potius geminaturque. Nescis Dialectice, nescis Marsilium à Locterio missis in diuino lumine radiis salutari, vicissimque ab hoc illum radiis permissis resalutari. Præterea nihil hic offendi, sed foueri; nihil frangi, sed geminari. Ergo Dialecticè, inquam, cum tuis istis tenebris vale miser. Sed tunc demum futurus felix, cum lumen quod te gratis semper inspicit, grate respexeris. Tu vero Ioannes me interatque Locterium indiuiduos diuinæ salutis radios fer absque vllo diuisionis metu, referque feliciter.

Petitio, commendatioque artificiosa.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Bandino, S. P. D.

MIsi nuper nonnulla ad Matthiam inuictum, Pannoniæ Regem, ex nostra hac Officina iamdiu deprompta, ea in primis, Bandine, spe eaque fiducia, vt quæ ego nescio quo pacto Saturnia feceram, suo ille splendore Iouia faciat. Quod equidem ita demum me facilè spero consequuturum, si quæ nos ad eum Marsiliana misimus, ipse quandoque Mercuriali, vt solet, ore apud Regem regia reddas. Exscripsit autem hæc Amitinus frater meus ferè alter ego, Sebastianus legitimus Theologiæ Professor, hic dum illam legeret exscriberetque Epistolam, in qua iamdiu respondebam vobis, non posse me facilè quod optabam accessu istuc meo, nunc satis vestro desiderio facere, Non potuit se continere, quin quasi quidam semipoëta meis auribus protinus intonaret. Non patiar, ô Marsili, non patiar vnquam, quantum potero, te vnquam non posse quod optes. Quid ergo? Inueni, Ficine, viam, grata repertis, quæ tanto te reddat amico. At ego, quanam istuc efficies, inquam, Saluine via? Si ego, inquit, illuc Ficinus alter accessero, tu in me saltem quo cupiebas accesseris. Sed felicibus in Pannoniam constitui auspiciis proficisci. Id est autem tutis Bandini nostri pedibus, qui & ipse feliciter est profectus. Hunc equidem, mi Francisce, & apud te laudarem, & tibi plurimum commendarem, si vel deceret alicubi laudare meipsum, vel oporteret commendare me mihi. Vale feliciter. Viue felix. Ama, vt soles, scribe quæ satis salutant amici. Saluta amicos. Commendo te Regiis, commenda nos Regi. Ex Agro Caregio xx. Septembris. M. CCCC. LXXXII.

Qua in re præcipue disciplina Platonica Peripateticam superat.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Pico Mirandulano Complatonico suo, S. D.

MAgna quidem voluptate me affecerunt elegantes literæ tuæ, quod te plane iam eloquentem nostro iudicio præstat, maiori verò quod Peripateticum quoque euasisse significant, maxima denique quod Platonicum proculdubio pollicentur, quam optimè singulare felixque ingenium tuum excoluisse videris. Quippè cum post humana eloquentiæ studia, rerum naturalium rationes apud Peripateticos indagaueris, atque te iam ad diuina Platonis nostri mysteria conferas. Nam Peripatetici quidem quanta vbique ratione naturalia disposita sint diligentissime disputant, Platonici verò præter hæc, quantum insuper illi qui hæc numero, pondere, mensura disposuit debeamus, ostendunt. Quamobrem illi nos facile doctos efficiunt, hi præterea sapientes atque beatos. Tu igitur, optime mi Ioannes, perge fœliciter (vt cœpisti) ego autem tam honesto proposito tuo si modo (vt ais) nostra opera indigueris me polliceor non defuturum. Vale.

Salutatio pia & librorum petitio.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Ioanni Francisco Hyppolito Gazolti Comiti, S. P. D.

LActantius Tedaldus nos tuo Laurentiique Bonincontri nomine iterum iterumque saluere iubet. Sed quanam salute potissimum? ea scilicet quam seruante nihil in nobis potest esse non saluum, Deo igitur seruatore saluete semper, atque in eiusdem amore nos amate, præterea saluete & vos nostrarum Epistolarum quandoque libelli. Satis iam satis hospites fuistis Hippolyti, ergo domum iam salui redite. XXII. Decembris. M CCCC. LXXXII.

Honesta simul ac vehemens librorum commendatorum exactio.

MARSILIVS FICINVS Dulci suo claro Iurisconsulto, S. P. D.

SAlue mi suauissime Dulces, amaritudinemque meam, tua (si potes) atque vtinam possis, dulcedine tempera. Ego (vt scis) nullos vnquam genui liberos, nisi libros; quam verò chari parentibus filij sint nullus ignorat. Mentis autem filij quanto propinquiores præstantioresque sunt quam corporis, tanto chariores habentur. Quorsum hæc? nempe Dux ille vester inuictus & Epistola & voce vehementer me rogauit, vt meos Vespasiano libros crederem Vrbinum ad se mittendos. Credidit equidem tam libenter, quam ille vehementer percupiebat. Vespasianus igitur tabellariis eos tradidit perferendos mercede conductis. At illi illos cum accepissent, non accepta mercede, captiuos mihi iamdiu retinent. Ego interim ardentissimo eorum desiderio vror, eisque quotidie mille pericula timeo. Obsecro per Musas te, mi Dulces, tuos per gratias obsecro dominos, ne patiantur me, dum & Ducis voluntati obsequi studeo & eos insuper honorare cogito, iacturam pati tam grauem. Vale.

Negotiosum virum non esse temere interpellendum.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Oricellario Florentini senatus Oratori, S. P. D.

PRudentium sententia est, virum grauibus negotiis occupatum absque graui causa non esse interpellandum. Mihi verò nunc satis grauis ad te interpellandum causa erit Platonica grauitas, satis certe quod & ipse (vt arbitror) facile confiteberis, nostra hæc siue Academia siue bibliotheca Latinum Platonem, Græco semine iamdiu conceptum, parturit quotidie. Verum absque obstetricis manu haud facile potest parere. Ergo mi Bernarde obstetricias Impressorum adhibe manus, quæ maturum iam fœtum exprimant, expressumque forment. Vale.

Non sunt amici, nisi alter ex altero pendeat.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

LIteræ, mi Bandine, tuæ prosperam quidem valetudinem tuam mihi significant, meam verò confirmant. Ego vicissim idcirco respondeo, vt dum significo tibi meam, tuam quoque confirmem. Nec immerito amicorum alter pendet ex altero, siquidem est alter in altero. De Vaciensi verò Episcopo nostro quid dicam? Verùm satis equidem dixi, modo cum de nobis di-

xi, proinde si amorem erga hunc explicare meum voluero, cæteris quidem longissimus ero, mihi verò breuissimus. Ergo ne vel alios prolixitatis tædeat vel me pœniteat, breuitatis affectu dumtaxat contentus ero, quandoquidẽ sermone nõ possum.

Solitudo literatis necessaria.

MARSILIVS FICINVS
Petro Nero viro candidissimo, S. P. D.

ABesse me iam ab vrbe diutius, vt opinor, vnà cum aliis nostris & ipse conquereris, sed desine conqueri, nunquam enim minus absum ab Academia quam cum ab vrbe absum. Vrbana quidem à vobis sæpè me distrahunt, rustica verò restituunt, vester hic totus sum atque expeditus. Siue enim deambulo, vobis, mihi, passim ipse floreo, siue dormio vos mihi semper somnia nostra reducunt. Vale atque saluta omnino, sed quem? sed quos? Nullum equidem, vno cunctos cognominauerim, Acadamicos. Iterum bene Vale. Kalendis Aprilis. M. CCCC. LXXXIII.

Non verè se inuicem amant, qui non assidue de se inuicem cogitant.

MARSILIVS FICINVS
Philippo Valorio, S. P. D.

VIdes Philippe cum Valori scripturus essem fere Tarducio me scripsisse. Quid mirum? Nempe & vterque sibi inuicem vnus & mihi vnus vterque. Quo etiam fit, vt siue lyram pulsem, siue carmina canam, compulset alter & cõcinat alter. Sed heus Valori nonne corrusticari sacros hos dies constitueramus, non agri sed animi colendi gratia. Iamque inuicem dedissemus verba, nisi quod conuiuunt semper, non corrusticari non possent, sed hoc interest, quod ego te duce Maianum agrum petiturus eram, nunc verò contrà Caregianum ipse me duce petisti. Cum verò rerum omnium vicissitudo sit, mox ego Maianum te duce petam, verum nequid te lateat, vbi legis ego quasi sub grandiori quodam egone Berlingherium subintellige. Cupio hic vos complurimis salutationibus onustus reddere, quas deinceps in nostros passim Academicos transfundatis, in compatrem Boninsegnium, in compatrem Guicciardinum, in confratres denique cunctos. Vale.

Laus Platonici Philosophi.

MARSILIVS FICINVS
Petro Leoni insigni complatonico suo, S. P. D.

SI Sophista à Sopho quadã diminutione deducitur, iustius est sophistam sequi sophum quam contra. Noli ergo mi sophe vlterius sophistam petere, hic enim mox, vt par est, te sequetur. Vale.

Dolores omnes ex amore animi erga corpus nascuntur.

MARSILIVS FICINVS,
Amerigo Corsino dilectissimo suo, S. D.

APollinem Medicinæ fontem ferunt duos præcipuè filios genuisse, Æsculapium atque Platonem, Æsculapium quidem qui corporibus, Platonẽ verò qui animis medetur. Solent Medici Æsculapij sectatores doloribus corporis fomenta quædam vnguentaque adhibere quæ anodina, id est, dolorem sedantia nominant. Solet & Academia Medicinæ Platonicæ studiosa eiusmodi Pharmacum tanquam anodinum fomentum, mœrentibus animis admouere, hac equidem imprimis vtor. Hanc & charissimis communem facio, quod si charissimis, & Amerigo igitur quam charissimo. Vbi dolor, ibi amor. Exue amorem, exueris & dolorem. Exue, inquam, non ipsius amorem boni, absit enim vt vel malum vel impossibile iubeam. At verò & malum est non amare ipsum bonum, & impossibile est non amare idipsum quod amas necessitate naturæ. Ergo non boni ipsius quod primum summumque & omne bonum est, sed singulorum quæ inter homines iudicantur bona amorem iubeo exuere. Quippe cum adhæc amando conuerti nihil sit aliud quam ab ipso diuerti. Quatenus autem diuertentes ab ipso per quod solum hæc habent vt bona sint, adhæc conuertimur quæ absque illo sunt mala, eatenus in mala præcipitamur. Rursus ibi dolor vbi amor, horum videlicet bonorum amor quæ & differri possunt & auferri. Si possessio eius quod cupimus differatur, dolor vrit atque sollicitat. Si possidemus quod interea auferri posse cognoscimus, dolor distrahit si auferatur quod amorem quæsiueramus atq; possederamus, dolor opprimit. Quamobrem ne dolere cogamur solum ipsum propter se amemus bonum, quod solum per se est bonum, quod quidem cum ob

ob naturam potentiamque infinitam neque vsquam absit differri nequit, neque vnquam desit, auferri non potest. Nusquam deserit nisi deserentes, nunquam dimittit nisi dimittentes. Non admodum operosa est boni infiniti petitio, sola enim quærit inueniturque voluntate. Non sollicita suspiciosaue possessio, eadem enim voluntate qua quæsitum acquisitumque fuerat retinetur. In hoc vno amando possidendoque omnia tanquam bona complectimur, hoc vno deserto quo solo reliqua bona fiunt, cuncta passim mala nobis euadunt. Exuamus ergo exuamus affectum, qui miseros ad inferiora detorquet, induamus affectum ad sublimia erigentem, hic enim nos liberabit à malis, hic nos ex doloribus eruet, implebit omni bono, afficiet omni gaudio, gaudio, inquam, quod à nobis nunquam auferetur. Hæc à nobis Amerige charissime, summatim animi languoribus adhibentur, eadem à Platone latius ac elegantius, & à sacris literis potentius atque diuinius. Vale.

Expositio allegorica sæculi aurei atque aliorum.

MARSILIVS FICINVS
Iacobo Antiquario Secretario Ducali, S. D.

CÆteri te Iacobe tantum cognominant Antiquarium, Academia verò & Antiquarium pariter & Nouarium, tanquam antiquitatis innouatorem atque cultorem. Quid autem esse aliud opinamur renouare antiqua, quam aurea illa sæcula reuocare, regnante quondam Saturno, felicia? Quid rursus Saturnum apud homines? Quidue Iouem? Sane Platonici cum animam in tres præcipuè distinguãt vires, intelligendi, videlicet, & irascendi atque concupiscendi, primam partiuntur in duas, scilicet in mentem vel contemplationi vel actioni præcipuè deditam. Mentem quidem contemplatricem nomine Saturni significant, mentem verò actionibus occupatam nominant Iouem, deinde animum vel iracundia duriorem esse Martem, vel voluptate molliorem esse Venerem, arbitrantur, præterea sub primo duce vitam tam publicè quam priuatim agi, auream, id est, pretiosam & lucentem æternamque existimant, sub secundo argenteam, quippe tum sicut argentum pretio sequitur aurum, ita & actio contemplationem quasi pedissequam dominam obseruareque debeat. Proinde sub tertio ob durissimam armorum crudelitatem ferream duci vitam putant. Sub quarto denique plumbeam, libido enim atque voluptas instar plumbi & mollior est, & quasi pondere quodam ad inferiora decliuior. Quantum verò vanissimos illos, quos vulgo Alchimistas appellant, toties & fallit opinio & fortuna frustratur, quoties inferiora metalla conflare in aurum moliuntur, tantum his qui concupiscentiam, iracundiam, actionem contemplationi pro viribus subigunt, res ipsa quotidie succedit ad votum, adeo vt pro cæteris metallis aurum, id est, pro vilissimis pretiosissima & pro caducis æterna reportent. Perge igitur Iacobe felix vt cœpisti, aureæ antiquitatis contemplationisq; Platonicæ cultores, faue, vti facis, antiquis, faue aureis atque ita pro Antiquario nobis aureus eris. Vale feliciter Academię charior auro.

Omnium rerum vicissitudo est.

MARSILIVS FICINVS
Matthæo Forliuensi Pontificis Commissario, S. D.

TRadunt Poëtæ Iouem Saturno patri quondam imperium abstulisse, ego verò arbitror Martem his temporibus quasi Saturni vindicem sibi Iouis regnum vsurpauisse, etenim, vt aiunt Astronomi, religiosi viri ab Ioue significantur atque reguntur. Nam quotidie religiosorum bona ad Martios homines transferuntur. Sed vtinam vicissim imperium cœleste succedat, vt quemadmodum Marti iam pridem cessit Iupiter, ita & Mars quandoque Ioui cedere compellatur. Sane tunc demum cum solus regnabit Iupiter, speramus pios homines, vt dixerim, regnaturos. Idque forte ante biennium, nisi nos Astronomica fallit ratio, coniunctio Planetarum magna vel perficiet vel, vt rectius loquar, significabit interea vos Commissarij saltem quibus pij gregis cura committitur, commendatum habeto te gregem vobis à Deo non mediocriter commendatum. Id optamus quidem ab aliis, sed abs te insigni pietate viro iam speramus. Vale. Die. xv. Iunij. M. CCCC. LXXXIIII.

Qui humanum amorem in diuinum transfert, ex homine transfertur in Deum.

MARSILIVS FICINVS
Domino Matthæo Forliuensi clarissimo Pontificis Commissario, S. P. D.

PLatonis nostri sententia est, ea potissimum ingenia quæ ad amorem propensiora sunt; alas quibus reuolatur in

cœlum posse recuperare, quod si liceret in Epistola rationes more disputantium accuratius assignare, equidem Platonicæ huius sententiæ quatuor in præsentia rationes afferrem. At verò si vel peierare licet amanti, disserere quoque liceat de amore loquenti. Ergo prima huius rei causa est humana, secunda naturalis, tertia cœlestis, quarta diuina. Humana, inquam, propterea quod amor ipse verum amicitiæ est fundamentum. Amicitiæ verò tanta vis est vt hac sola, vel sine legibus vllis, humanum genus tranquillè possit beateque viuere, hac verò sublatà neque leges neque cætera hominum studia beatum efficere possint. Mitto quàm acutos ad inuentionem, quam vehementes ad eloquendum, quam tractabiles, iucũdos, vrbanos, fidos, ad rationem, consuetudinem, amor efficiat. Naturalis autem ratio est eiusmodi. Profectò similitudo quædam vbique est causa amoris. Quod quidem in stellis & elementis plantisque & animalibus plane perspicitur. Quisquis igitur ad amandos homines propensissimus est, is nimirum ipsi humani generis ideæ, ad quam diuinus artifex homines procreauit, simillimus omnium iudicatur. Contra verò quicunque ab amore alienissimi sunt, hi & ideæ diuinæ dissimillimi & ab humana specie remotissimi. Tertium ad idem cœlestemque causam ab Astronomis sic accipimus. Solent ad amorem procliuiores esse quorum in genesi ita Venus Mercuriusque disponuntur, vt ob mutuum aspectum vel congressum aut receptionem, aut terminum, ingenij gubernacula concordi voluntate suscipiant. Tunc sanè & Mercurius ingenij eloquiique magister ad Venerem transfert vtrumque, & Venus ipsa gratia decorisque & fidei mater ingenium eloquiumque lepôre condit, elegantia ornat, fide veridica format. Quamobrem nulli vel acutiores vel elegantiores reuera sunt quam amatores. Neminem verò latere volumus, aliud quidem libidinem esse quæ tactum expedit, aliud verò amorem qui aspectu audituque & contemplatione contentus est, à Platonicis iudicari. Quarta denique ratio est diuina. quam Plato diuinus in Phædro atque Symposio probat quamplurimum. Cum in diuina mente rerum omnium formæ sint exemplares, earumque apud nos vmbræ quædam appareant, in his nobis creatoris ipsius pulchritudinem nihil refert expressius quam pulchritudo creata, neque tam facilè putat Plato nos ex humana sapientia vel alia quauis virtute nostra diuinam sapientiam cæterasque Dei virtutes inuestigare posse, quam facile ex humana pulchritudine diuinam pulchritudinem inuenire inuentamque amare. Quippe cum reliquarum quæ sunt in Deo virtutum similitudo solis conueniat mentibus atque his dumtaxat percipiatur, pulchritudinis verò diuinæ simulachrum per omnia sese fundat, neque mente solum, sed oculis etiam qui sensuum omnium perspicacissimi sunt, plane perspiciatur. Hinc amorem ex humano diuinum existimat prouenire. Proinde amorem nihil aliud quam pulchritudinis desiderium esse, definit, pulchritudinem verò non aliud esse quam gratiam, gratiam, inquam, ex tribus Gratiis, id est, ex tribus præcipuè rebus insitam, & à tribus similiter numinibus venientem. Siquidem Apollo per Musicæ consonantiæ gratiam alliciat audientes, Venus autem per gratiam coloris atque figuræ rapiat intuentes, Mercurius denique per miram intelligentiæ & eloquentiæ gratia contemplatores in primis ad se conuertat, atque amore diuinæ contemplationis pulchritudinisque accendat. Quoniam verò non tam intelligentia nos in rem ipsam quam intelligimus, quam amor in eam quam amamus transferre solet. Idcirco Plato noster existimat hoc ipso diuinæ pulchritudinis desiderio potius quam vel scientiæ studio vel alia quauis virtute mentem receptis alis in patriam reuolare. Quorsum hæc? Nempe vt dum hæc legis, non modo mentem hac de re nostram intelligas, sed etiam vt in hac perfecti amatoris descriptione tanquam in speculo quodam tuam imaginem speculeris. Dum enim & legitimum amatorem & pium amicum effingo, Matthæum meum pro viribus expressisse volo. Vale.

Obsecratio vt Platonis libri in Latinum à nobis translati ex eius manibus qui occuluerat redimantur.

MARSILIVS FICINVS
Hieronymo Cantiano Vrbinatis Ducis Oratori, S. D.

Dium Platonem in Ægina venditum, Anniceris Cyrenæus à seruitute redemit, & in Sicilia in summo vitæ discrimine constitutum, Architas Tarentius ab exitio liberauit. Platonis autem liberi cum relicta Græcia à Barbaris occupata sese in Italiam contulissent, in carcerem forte coniecti sunt, integrumque biennium, proh nefas! in vinculis detinentur. Sed ecce iamiam insignis pietate vir Cantianus Hieronymus à compedibus eos soluet lucique restituet. Quantum ergo quondam

Cyrenco & Tarentino pro Platone Græcia debuit, tantum Cantiane pro Platonis liberis debebit Italia.

Charitas potius quam scientia transfert in Deum.

MARSILIVS FICINVS Philippo Carduccio literis & moribus ornatissimo, S. D.

DEclamatiunculam nostram quæ ad pietatem charitatemque amicos diebus superioribus cohortabar, Philippo Carduccio meo censui dedicandam, viro pietatis charitatisque plenissimo. Cum verò Philippum nomine piumque appello, geminum intelligi Philippum volo Carduccium atque Valorium, legite igitur ambo feliciter.

SI Deus propriè nuda quadam res omnes intelligentia faceret, forte omnia & intelligerent & ab intelligentia recta minime aberrarent. Per quam enim proprietatem effectus à causa produnt, per eandem quasi imaginem à causa sibi impressam suam continuè stabiliterque causam repręsentant. Cum verò creata omnia cognitionem habeant, & quæ habent, sæpe aberrent in cognoscendo, affectum tamen naturalem habent omnia atque ipso affectu non errent, consequens est à creatore omnia non tam per intelligentiam quam per voluntatem fuisse creata. Quod quidem inde confirmatur, quia sicut à causa processerunt ita & conuertuntur. Cum igitur per affectum ad bonum conuertantur omnia, non per cognitionem, sequitur à bono per affectum omnia processisse, atque sicut per affectum ipsius processerunt, sic per eundem vbique conuerti. Quod enim in rebus appetitionem dicimus, nihil significat aliud quam passionem, id est, raptum ab ipso primo cunctis illatum. Sed qui hæc quidem ferri vident, illum verò non vident trahere, ita decipiuntur, sicut qui ferrum putarent seipso sponte magnetem petere, quando magnetem alicubi non viderent. Hinc ergo constat voluntatem diuinam esse portam per quam mentes dum creantur egrediuntur, rursusque per quam eædem dum recreantur regrediuntur. Ergo ad canorum Dauidis Poëtæ sacri Psalterium verus ille Phœbus omnipotens ab alto, ita nostris mentibus intonat. Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales & introibit rex gloriæ. O principes, ô mentes corporum principes, principes animalium quas ego minui paulominus ab Angelis, quas ego honore & gloria coronaui, quas super opera manuum mearum iure constitui, attollite portas, sursum eleuate volũtates, ô portę æternales, ô voluntates æternæ ab æterno creatæ, æternorumque capaces, nolite aperire vos ad inferiora excipienda, quorum vos ingressus inficiat, aperite vos ad superiora recipienda, quæ suo vos ingressu reficient. Tunc sane ego per vos intrabo rex gloriæ, rex, inquam, & lucis & gaudij. Signabo super intellectus vestros lumen vultus mei, dabo autem vobis lætitiam meam. Ego sum porta per quam quisquis non intrat fur est & latro. Voluntas mea porta est per quam egressi estis omnes, voluntas vestra porta est per quam in me regrediemini omnes. Ego ignis sum consumens atque consummans. Consumens quidem materiam, consummans verò formam, consumens quidem materialem deformitatem, consummans verò spiritalem formositatem. Attende quid vbique faciat ignis, ignis illuminat atque calefacit, quod verò ab igne illuminatur non ideo euadit ignis, quia lumen ignis accipiat, sed quia calorem. Similiter ego velut ignis intellectus illumino, voluntates accendo. Vos autem non ideo diuini potestis euadere quia meam lucem sola intelligendi ratione quæratis, sed quia calorem meum flagrantia volendi petatis. Agnoscite igitur quanti sit amor, ego enim amore vos meo creaui, vos quoque amore vestro, amore, inquam mei, vos ipsos in me recreabitis. Ego amore feci vos mentes, vos autem amore Dei vos quandoque deos reficietis. Tunc ego dicam. Vos quoque dij estis & filij Excelsi omnes.



MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM,

AD PHILIPPVM VALOREM, Virum Magnificum,

PROOEMIVM.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS
Philippo Valori, generosissimo Valoris
virtutis hæredi.



Vm sæpè, dilectissime Valor, octauo Epistolarum libro caput imponere tentauissem, neque vllo pacto valerem, supplex tandem diuinam potentiam obsecraui, vt tantùm saltem mihi valoris suppeditaret, quantum capiti huic adhibendo suppeteret, felicissimum certe votum. Nempe dum pro capite admouendo Valorem opto, Valor ipse interim mihi factus est caput. Salue itaque dulcissimum libri, imò liberi mei caput, quo liber meus ducitur, & quo viuit, imò verò quo multi iam mei liberi viuunt. Opportunè admodum quorum vita iamdiu aspirat domus Medica, aspirat simul & Valoria domus. Quippe cum & hæ familiæ prorsus idem vbique velint, & opem Medicam mox valetudinis prosperæ Valor ipse sequatur. Aspiret semper vtriusque familiæ felicitati Deus omnipotens, & concordiam hanc seruet antiquam. Lege feliciter, & viue felix vna cum Nicolao fratre admodum eleganti, atque lectioni huic Antonium Lanfredinum egregium Academicum non vt Lectorem tantùm, sed vt iudicem adhibeto.





MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM,

(∴) LIBER VIII. (∴)

Gratiarum actio pro libris Platonicis, per Hieronymum, ab occupatore redemptis.

Marsilius Ficinus Hieronymo, Vrbinatis Ducis Oratori, S. D.



Ogitabam modo, Hieronyme, tibi per Epistolam agere gratias, quod Diuinum Platonem à diuturno quodam carcere, durisque compedibus liberaueris. At, ipse Platonis genius, his me fermè verbis corripuit. An adeò Marsili, & eloquentiam magnifacis tuam & libertatem paruifacis meam, vt dignas liberatione mea gratias Hieronymo te confidas acturum? Ego Hieronymum salutabo meum, ipsemet & gratias agam, ipse & referam, hunc enim & inter Academicos annumerabo meos, & tertium iam liberatorem meum post Anniceridem Architamque cognominabo. Sic ad me Hieronyme modo Platonis genius, tu verò ipsum mox Platonis spiritum, audi in hoc volumine quasi suo quodam corpore resonantem.

Amor absentiam non patitur.

MARSILIVS FICINVS Petro Compagnio dilectissimo suo, S. D.

TVnc primum te hinc abesse suspicari cœpi, cum Epistolam tuam legerem, qua interrogabas, quando ad vos sim profecturus. Ego verò iamdiu istuc aduentassem si te hinc abesse sensissem. Modo proficiscor ad alios quia minus amo, ad Academicum non proficiscor quia nimis amo, atque ita complector vt abire non sinam. Vale.

Prœmium in Apologos.

MARSILIVS FICINVS Georgio Cyprio compatri charissimo ac optimo Medico, S. D.

CVm apud te literati nonnulli in ipsa cœna de Scalæ nostri scriptoris elegantissimi Apologis verba facerent, atque à me in primis, quia nuper legeram, iudicium de his exigerent Ego omnis, inquam Scalæ nostri Apologus & elegans mihi videtur & masculus. At illi arriserunt pariter atque deriserunt. Arriserunt quidem eleganti quasi eleganter expresso, sed masculum quasi dictum impropriè derisere. Ego igitur (iudice te) affirmo me non solum proprie sed etiam verissime Apologos Scalæ masculos appellasse. Quis enim iure neger eos esse masculos, qui me adhæc antea sterilem vno afflatu adeò fecundum

reddiderint, vt eodem ferme partu multos filios Apologos parerem? Quod quidem hinc etiam confirmatur, quod postquam illi è nostris laribus discesserunt, nulli deinde apud nos nascuntur Apologi. Eos autem qui tunc nobis nati sunt quasi ob priorem sterilitatem meam imbecilliores tibi & tanquam compatri nutriendos & tanquam Medico fouendos confirmandosque commendo. Vale & charissime compater & optime Medice atque lege fœliciter.

Amatoria silentij purgatio quando amicorum literis non respondemus.

MARSILIVS FICINVS Philippo Valori, S. P. D.

ACcepimus iam pridem Epistolam tuam mi Valor, non mihi solum, sed etiam Petro Nero Philippoque Carduccio ac denique Academicis cunctis communem, vt nihil mirum sit nullum adhuc nostrum Epistolæ respondisse, dum aliis alios quotidie responsuros arbitrarentur. Accedit adhæc, quod Dialecticus quidam ex Academia, cum audiret reprehendi nos quod Valoris nostri Epistolam valoris plenam quodammodo paruifacere tam longo silentio videremur, in hunc ferme modum argumentari cœpit. Facile ostendi potest, amici non tam nos quam Philippum ipsum diuturni huius silentij causam extitisse, quapropter ipsum potius quum nostrum quemquam esse repreprehendendum. Sane si Philippus Valor est amicus noster, certe est Valor noster, rursus si ipse est Valor noster, vtique ipse est noster Valor, At si ille est noster Valor, consequens est, vt illo absente ipsi nihil penitus valeamus. Ergo Valor redeat, subito vox nostra redibit. Ingenium nobis ille dat, ille rapit. Cum verò hæc illa Dialecticus conclusisset, alij omnes lætissimo statim applausu consensere, vnus dumtaxat in argumentando paulo curiosior, non amorem quidem erga te communem simul & singularem improbare, sed ipsam argumentationis formam reprobare aggrediebatur. Sed cæteri omnes ad eum conuersi imposito silentio concluserunt, conclusiones amatorias quomodocunque & vndecunque ducantur non dissoluendas esse, sed totis viribus confirmandas. Ergo bene vale, Valor, noster & ad nos vola.

(∴) (∴) (∴)

Quomodo singuli Angelos custodes habent.

MARSILIVS FICINVS Philippo Callimacho, S. P. D.

PLatonicorum sententia est, complatonice mi Callimache, quot in cœlo dij, id est, stellæ sunt, totidem circa terras esse dæmonum legiones, totidemque in qualibet legione dæmones contineri, quot in cœlo sunt stellæ, duodecimque esse dæmonum principes, quemadmodum & duodecim sunt in Zodiaco signa. Præterea alios quidem Saturnios esse, Iouis, alios, Martiosque atque Solares. Similiterque pro aliarum stellarum tam nomine quam virtute varios dæmones censent atque cognominant. Addunt tot insuper esse humanarum ordines animarum, quot & stellæ & dæmonum legiones connumerantur, aliasque aliorum tum dæmonum tum syderum tam naturam quam munus appellationemque sortiri. Hos verò dæmones appellant genios, ingenuos duces ingenij, singulos singulis animabus à lege fatali, id est ab ipsa, quando animæ labuntur in corpus sphærarum omnium dispositione, influxuque nobis accommodatos, quibus mentes nostræ, quatenus deterioribus quibusdam dæmonibus sensibusque non parent, quotidie facili quadam occultaque persuasione ita fermè ducuntur, vt naues gubernatore reguntur. Verùm de his iam satis. Nam hic eam reclamat Epistola, cuius humanitas humilitasque sublimiores contemplationes vix admittit.

Admittis hæc verbis (vt equidem audio) mi Callimache, tanquam Platonis nostri sectator: sed, vt video, non omnia hæc re ipsa confirmas. Quod enim vnicum quisque bonum habeat dæmonem, cum ipse multos apertissimè bonos habeas, haud satis affirmas. Nunc Poësis Apollineum præfert dæmonem, nunc oratoria Mercurialem, aliàs Philosophia Saturnium; aliàs grauitas Iouium, semper & magnanimitas Martium, & humanitas vrbanitasque Venereum, vt Callimachum nostrum Polidæmonem cognominare iure possimus. Salue igitur salue iterum Callimache Polidæmon, imò verò salue toties quoties bonis dæmonibus obtemperans, malis interim dæmonibus dominaris, & quoties præclare pugnans, quod Callimachus nomen sonat, superas quoque præclare Quid mirum ex omni te certamine victoriam reportare. Nempe si vnico dæmone quondam scilicet & Mercuriali Vlysses, & Martio Achilles,

& Venereo Æneas, multis periculis sospites euaserunt, tu certe fida multorum custodia passim tutissimus ibis.

MARSILIVS FICINVS Sebastiano Baduero & Bernardo Bembo clarissimis Venetorum ad Summum Pontificem Oratoribus, plurimum commendat.

VT certioribus auspiciis ad summum Pontificem accedatis, publicam totius Italiæ penes illum, quam optat, concordiam firmaturi, ferte vobiscum concordiam cum lege diuina excellentissimorum apud Gentiles Philosophorum vestrumque Marsilium Pontifici summo Seruum deuotissimum suppliciter commendate.

Concordia Mosis & Platonis.

MARSILIVS FICINVS Braccio Martello literis & moribus ornatissimo, S. D.

NVmenius Pythagoricus quem Origenes non solum Pythagoricis, verumetiam Philosophis pene omnibus anteponit, cum & Mosaicos & Platonicos legisset libros, ait se in Platone Mosem agnouisse, nihilque aliud esse Platonem quam alterum Mosem Attica lingua loquentem. Quamobrem qui te, optime Bracci ad Academiam vocant, non tam ad Platonicam disciplinam quam ad legem Mosaicam exhortatur Nam cum primum ingressus Academiam fueris, occurret tibi Parmenides qui vni cum demonstrabit Deum esse rerum omnium ideas, id est, exemplaria rationesque eminentissime continentem vel producentem. Occurret Melissus & Zeno, qui solum Deum reuera esse demonstrent, cætera verò videri. Veniet obuius & Timæus ostendens mundum à Deo suæ bonitatis gratia fuisse creatum, Deumque à principio cœlum terramque creauisse, deinde aëreum spiritum super aquas circumfudisse, atque hæc omnia tamdiu permansura quamdiu diuinæ placuerit voluntati. Deum fecisse hominem adeò sibi similem, vt vnicum Dei in terris cultorem terrenorumque Dominum collocauerit. Offerent ibidem se tibi Politicus, Prothagoras & Menexenus & Critias differentes ex terra homines ab initio rerum Dei virtute creatos atque sub spirituum diuinorum perpetua custodia positos, legem à solo quodam Dei nuncio accepisse, ac demum post mundi cursum ex terra, Deo iubente, resurrecturos. Ibi Philebus, Thæetætus, Phedon, Phedrus, Socrates in sola Dei ipsius similitudine atque fruitione nostram beatitudinem esse docent. Audies & senem quendam Atheniensem, verbo Dei mundum esse dispositum asserentem, Deumque rerum omnium esse mensuram, maximè verò si Deus fiat homo, superbos tanquam à Deo rebelles effulminantem, humiles verò probantem tanquam Deo charissimos, denique omnibus prædicentem siue descenderint in infernum, siue in cœlum ascenderint, eos vbique diuinum iudicem reperturos Audies Hermiam, Herascumque & Coriscum ibi doceri Deum rerum omnium ducem causamque patrem esse simul & filium, atque in singulari ipsius amore summum constitui bonum. Doceri insuper Dionysium, circa omnium regem esse cuncta ipsius gratia omnia, eumque causam esse bonorum omnium, deinde beatos hoc ordine distingui spiritus, vt alij potentiam Dei vel vt efficientem causam, alij sapientiam seu exemplar, alij bonitatem tanquam finem omnium referant. Doceri tandem Syracusanos, diuina mysteria rationibus comprehendi non posse, sed puritate mentis Deo persimiles denique fieri, vt tanquam ab igne scintillante subito lumen animo fulgeat seque ipsum iam alat. Proinde aspicies Herum Pamphilium diuino iussu à mortuis resurgentem, quo viuentibus animorum secreta renunciet. Ille te per Elisia prata perducet quæ nostri nomine paradysi significant. Ostendet & inferos digito & purgatorium antrum atque Lymbum Eadem tibi Socrates multis vbique rationibus confirmabit, docebitque æternitatis curam habendam nobis esse multo magis quam temporis. Contemnenda esse caduca, vt consequamur æterna, præstare iniurias vel grauissimas perpeti quam inferre. Nihil curandum contendendumque aliud quam vt purissimum iudici omnia inspicienti animum offerre possimus, itaque confessionem pœnitentiamque voluntariam peccatorum ante omnia probabit esse saluti hominum necessariam, sed ad eam iubebit maximè properandum, ne antiquatus animi morbus insanabilis prorsus euadat. Monebit denique nos per huius vitæ mare ipsa exactissime rationis naui tamdiu vehi, quoad diuino denique verbo tutius felicinsque prouehamur. Illic & Laches ad crebram delictorum confessionem pœnitentiamque hortabitur. Verùm curnam generosum Charmidem prætericeram? Hic enim tibi Bracci à pristina quadam animorum nostrorum intemperantia, omnia tum corpo-

ris tum fortunæ incommoda proficisci aperiet. Rursusque adiiciet, si prima ipsa puritas animorum restituatur, immortalitatem quoque restituendam. Denique Critias in ipsis Academiæ penetralibus tanquam Mosaicum oraculum proclamabit. Deum cum creauisset mundi hominem postremo, quod & Prothagoras dixerat, effecisse in terra sibi simillimum atque alma quadam impleuisse gratia, qua permanente cunctis tum animi tum corporis fortunæque bonis perpetuo frueretur, in viridariis quoque suis sub Vere perpetuo eum collocauisse, exigua quadam salubrium pomorum degustatione vitam fœlicem prorogaturum. Circumsepsisse insuper hortos, nequid alienum ingrederetur. Verùm cum homo à diuinis paulatim ad caduca diuerteret, patrisque legibus minus indies minusque obtemperaret, diuinam illam euanuisse gratiam, ideoque in turpem animi habitum corporisque morbos & vitæ solicitudinem, laboresque incidisse, atque demum ex hortis illis ad regiones admodum dissimiles fuisse translatum. Quod quidem insidiante malo quodam dæmone sub insolentioris voluptatis esca infœliciter accidisse, Timæus & Phædrus & Diotimia in Academia testabuntur. Sed, vt redeamus ad Critiam, hic tibi concludet, Deum cum humanum hoc opificium suum iam penitus improbaret, vtpote quod ex diuino paulatim profanum euaserat, quo & purgaret malignitatem & restitueret puritatem, terras ingenti aquarum diluuio abluisse. Neque verò prætermittenda est aurea sententia illa Platonis Academiæ ducis, eatenus acquiescendum esse, dicentis, præceptis suis, donec sacratior aliquis quam homo in terris appareat, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes. Hactenus & Plato & hi qui Platonis lingua loquuntur. Præterea Plotinus & Philo, diuinum intellectum Dei filium celi iubent, ab ipso Deo patre manantem vel tanquam à loquente verbum, vel tanquam à luce lumen. Quod quidem Iamblicus, Ægyptiorum testimonio comprobat, Deum suiipsius patrem filium apertissime nominans. Numeratque Angelos Archangelosque & principatus, quos & Proculus nouenario distribuit numero, affertque Chaldæorum oracula in quibus paterna in Deo potentia & intellectus à patre manans, Igneusque amor exprimitur. Sed quid de Amelio dicam? Hic procemium illud Euangelij Ioannis quod in sacris quotidie legitur, paucis totum colligit atque admiratur. Hæc illi. Tu verò Martelle, postquam Academiam ingressus mysteria hæc ab his heroibus intus acceperis, ac insuper alia plura atque maiora quæ non capit Epistola, forsitan Petri voce Bonum clamabis Bonum est hic esse, faciamus tria tabernaculorum millia.

Confirmatio Christianorum per Socratica.

MARSILIVS FICINVS, Paulo Ferobanti insigni Theologo, S. P. D.

NISI vererer, optime Paule, fore nonnullos qui vel prauitate ingenij vel paruitate iudicij, alio quam nos loquamur sensu captent, singula demonstrarem, Socratem & si non figura qua Iob atque Ioannes Baptista, tamen adumbratione forte quadam Christum salutis authorem, quasi (vt ita loquar) præsignauisse, idque hac ratione præcipue facerem, vt detractorem illum confunderem Lucianum, qui cum omnibus detraxisset, bonis Christianis denique non pepercit, audens fidei nostræ martyres deridere, quod & tanquam nimium simplices, omnia quæ apud homines bona habentur libenter amitterent, & tanquam infortunati seipsos vltro cruciatibus cædibusque exponerent. Obiiciendus autem Luciano simplices deridenti, Socrates ante alios sapientissimus & magnorum testimonio Philosophorum & Apollinis oraculo iudicatus. Hic ergo non rudi quadam simplicitate, imò singulari mentis excellentia atque (vt Plato Xenophonque testantur) diuinitate insuper vaticinioque ingenito, æterna bona caducis in omni eius vita præposuit, incommodaque corporis, inediam præsertim & nuditatem atque fortunæ mala omnia vltro sustinuit, solo animi malo detrimentoque sempiterno perterritus, vni dumtaxat pietatis charitatisque intentus officio. Quippè qui propria negligens commoda, nulloque detentus periculo, tanquam animorum Medicus mentibus hominum, vbique, circa fines patrios, purgandis incumberet, dum superbiam ante omnia detestatur, mansuetudinem verò & charitatem religionemque præ cæteris approbat, solum veri amoris charitatisque studium profitetur, ambitiosam scientiarum excludit professionem. Diuinis vbique nititur testimoniis, firmaque illis hæret fide, piis iustisque moribus est contentus, atque id quod mirum est, nullum tam laboriosi officij in præmium humanum sperans, sed certo ob id periculo & morti se subiiciens. Nempe ad hoc vnum se à Deo missum asseuerabat, malleque di-

cebat Deo quam hominibus obsequi. Sed audiamus Socratem ipsum parumper apud iniquos iudices ita clamantem: Me verò esse talem vt à Deo ciuitati tributus fuisse videar, hinc potestis animaduertere. Non humanum certe id esse videtur, quod ego mea quidem omnia omnino neglexerim, atque in hac rei familiaris negligentia inopiaque tot annos iam perseuerem, vestro semper intentus bono, dum singulos conuenio tanquam pater aut frater natu maior, suadens curam virtutis habere. Quod si quam pro officio meo mercedem reciperem, humanam quandam id rationem haberet. Hæc ille. Itaque dum corripit peccatores, & calce percussus salutat percussorem, & alteram percussus genam abiicit alteram. Deniquetantum ex veritate odium reportauit vt ab iis ipsis impietatis fuerit accusatus, quibus ipse palam pietatis officium prædicauerat. Quid verò dicam, quod cum se facile defendere posset in iudicio non defendit, neque excusauit seipsum, sed iudices accusauit, & cum è carcere posset abire noluit, iniustamque necem sustinuit libentissime, summæ constantiæ patientiæque posteris exempla daturus. Mitto in præsentia, triginta nummorum precium de Socrate factum & ipsius Socratis vaticinia, vindictam quoque diuinitus post eius necem subito consecuturum Lotionem, vesperi pauloante obitum institutam à Socrate exhortationemque eius ad pietatem hora cœnæ. Quid quod in eadem hora de calice atque benedictione & in obitu ipso de gallo fit mentio? Mitto prętera multa Socratis tam facta quam dicta, non ab ipso quidem, sed à discipulis eius quatuor præcipue scripti, quibus Christiana fides aduersus Lucianum maximè confirmatur. Multa enim sunt & ea quidem maxima, quæ de numine huic infuso deque abstractione mentis à corpore & quasi quadam transfiguratione traduntur. Hæc verò neque facile Epistola caperet neque benigne forsitan nonnulli reciperent, putantes fortasse Socratem nunc quasi æmulum comparari, quem defensorem paro.

In quo Principis consistat laus.

MARSILIVS FICINVS
Galeotto Fauentiæ Principi,
S. P. D.

ALamannus meus modo me rogat proficisci Fauentiam, quo & sponte sum profecturus. Imò etiam iampridem (iubente Platone) quippe qui ex alto mihi iamdiu vaticinantur, quod sibi quondam tertio in Siciliam itinere minimè contingit, in præsentia me primo hoc itinere statim consequuturum, inuenturum scilicet virũ sui ipsius, prius quàm populi principem, neq; tam dominum, quàm patriæ patrem. Qui non Martis fossam colat, sed & Palladis arces, qui & inter milites Martem referat, & inter Musas agat Apollinem. O felicem vrbem! ô verè Fauentiam! cui tam mirificè propitius fauit Deus, quam effecit felicissimi Principis fauore felicem.

Excusatio obsequij non collati.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Pico Mirandulano complatonico suo, S. D.

QVa de causa ipse cupis Platonicos à nobis libros accipere, eadem & nos in præsentia cogimur retinere. Si quando dabitur obsequendi facultas sponte obsequar quam libentissime. Doleo equidem, mihi crede, ob singularem mutuumque amorem nostrum, & te sæpe optare quæ pręstare non possum, & me non posse semper præstare quod optes. Vale.

Qui commendat omnes, est commendandus ab omnibus.

MARSILIVS FICINVS
Bandino, S. D.

SI quis honorandus est ab omnibus, is proculdubio est qui & ipse omnes honorat. Verrino igitur vati debent omnes honorem. Hic enim tam gratus est, tam gratiosus, vt omnes & quibus debet admodum grate, & quibus non debet gratis honoret. Fauet bonis, extollit ingenia, ornat doctos, illustrat principes, colit sanctos, Deum in omnibus veneratur. Quid plura? ipsum vos audite. Qui enim laudat omnes ipse se laudabit in omnibus Nisi verò tibi commendatus sit is cui probi commendati sunt omnes, nescio quem vnquam habeas commendatum. Vale.

Charitatis laus.

MARSILIVS FICINVS
Hermolao Barbaro Veneto, S. P. D.

CHaritas non quærit quæ sua sunt, sed quæ alterius, charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas non cogitat malum, charitas nunquam excidit, denique in charitate nullus est timor,

sed perfecta charitas timorem omnem procul expellit. Hæc verbis quidem simplicibus, sed ingenti quodam mysterio clamant diuinæ religionis Antistites. Hæc tu, humanissime Barbare, sic erga me forte quadam quasi erga teipsum seruas omnia, vt hanc ipsam charitatem quam pietatis Christianæ patres in primis exoptant, in te magnopere feruere non dubitem. Profecto amantissime mi Hermolaë, Deum ipsum testor, qui charitas est, adeò ipsam charitatis ideam & in te expressisti, & mihi ante oculos posuisti, vt ego quem hactenus quoad poteram ac liber amabam, nunc iam supra vires necessarioque amare compellar, hactenus igitur non amare & absentiam ferre potui, Iam verò in posterum nequeo non amare, atque absentiam æquo (vt solebam) animo ferre non possum. Spero autem Deum qui nobis mirabiliter coniunxit animos, quandoque similiter oculos coniuncturum. Neque verò putare quemquam volumus Hermolaum atque Marsilium ob id forsan minus vel esse vel fore coniunctos, quod alter quidem Aristoteli fauere potius videatur, alter verò Platoni. Nam in eodem veritatis virtutisque cultu sumus vnum, In quo Plato & Aristoteles non esse vnum non potuerunt. Perge itaque latinissime & Attice Barbare, atque, vt cœpisti, Atticum Aristotelem à diuturna barbarie strenue vendica. Ego verò Platonem nostrum à lethea quadam obliuione vel somno pro viribus excito. Ita diuinitus institutum est, vt mea tuaque opera Latini Platonem loquentem saltem, & Aristotelem nunc primum audiant Latinè loquentem.

Non exigendum ab amico plusquam habeat.

MARSILIVS FICINVS, Ioanni Aurelio Ariminensi, S. P. D.

AN satis à me putabis tibi factum Aureli iustissime, si toties ero tuus, quoties meus ero? satis equidem arbitror. Noui enim æquitatem & modestiam tuam, nihil plus mei à me exacturam quam habeam ipse mei. Hactenus non Marsiliani iuris sum, imò verò Platonici, Iamdiu interpretatione huius totus addictus, heri tandem, adiuuante Deo Platonicum opus exegi. Nunc primum mihi redditus, amicis quoque sum pariter restitutus. Misisti ad nos Vere superiori carmina multa partim à te, partim ab amicis composita, in quibus artem humanam laudo, Apollineum furorem miror, pietatem erga defunctos summopere probo, ingentes pro ingenti munere gratias ago.

Commendatio librorum Platonicorum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

ACcedit ad vos tandem Plato noster pia Philippi Valoris opera, neque profecto absque singulari valore valuisset vnquam tanta terrarum spatia peragrare. Ergo age complatonice mi Bandine, quantum ego te amo, quantum & tu me amas, tantum sicut & soles honora Platonem. Ac si Platonici nunc iterum peregrino opus est hospitio, hospes esto. Rursus si parum isthic noto opus est pręcone, esto præco, si denique inter aduersarios trepidanti necessarium fuerit patrocinium, esto patronus.

Excusatio quando breuius respondetur amicis.

MARSILIVS FICINVS Antonio Calderino, S. P. D.

NEmo vel lætior aspicit amicorum literas vel respondet alacrior quam Marsilius, cui nihil sine amicis est gratum. Quod autem duabus iam Epistolis tuis vix tandem reddiderim vnam, Platonicus ille magnus Plotinus in causa est. Qui cum Platonem suum nuper resciuerit (me duce siue potius traduce) in Italiam accessisse, me dies noctesque sedulus vrget, ne permittam Platonem diutius absque fido Achate suo apud Italos peruagari. Ego igitur adeò ingenti huic operi vehementer incumbo, vt vix mei ipsius aliquando reminiscar. Cum primum Plotinus me mihi reddiderit, reddet amicis.

Excusatio quando breuius respondetur amicis.

MARSILIVS FICINVS Callimacho, S. P. D.

ACcepi tuas Callimache literas subtiliter & eleganter de dæmonibus disputantes atque has quidem valde dæmonicas. Sed vide quam dæmonicus amice sis, imò verò diuinus. Dum enim certas non posse à dæmone hominem occupari, interim te dæmone & quidem diuino occupatissimum esse demonstras. Quam quidem de re libentissime tecum pluribus agerem, nisi quouis momento Plotinus noster ad se reuocaret interpretandum. Quamobrem dum Plotinus detinet, Plato interea ad te profectus nostra opera tecum Latinè loquatur, hic etiam pro muneribus magnas tibi gratias agit, dum ipse gratiam habeo immortalem. Vale. Die XVIII. Aprilis. M. CCCC. LXXXV.

Quod qua via ducit Deus, pergendum ſit.

MARSILIVS FICINVS
Franciſco Bandino, S. P. D.

PLatonem, Bandine, quem petitis, arbitror iam ad vos ante has literas peruenisse, hũc ergo feliciter interea legite, dum ego do operam vt quando quod legatis lecto Platone, Plotinum: Plotinus noſter Platonicorum vnà cum Platone ſuo facile Princeps, quinquaginta & quatuor diuinos compoſuit libros. Trigeſimo eius libro hac hora (Deo aſpirante) extremam impoſui manum. Ita profectò iubet Deus omnipotens, hac nos diuina prouidentia ducit, hac ergo ſequamur.

Dubitatio, Vtrum opera Philoſophica regantur fato, an prouidentia.

Ioannes Panonius, Marſilio Ficino Platonico, S. P. D.

LEgi Budæ in Epiſtola ad Bandinum, item in Proœmio tuo ſuper Platonẽ, & in Proœmio Theologiæ tuæ, quantum aſtruas prouidentiæ, quod aliquis eſſe fati, ſuſpicabitur: Primò non video equidem ad quid ſeruiat prouidentiæ renouatio antiquorum Theologia, præterea memini cùm olim in Italiam profectus, Latinis literis & Græcis erudirer Florentiæ, me à duobus veſtrorum Aſtrologis audiuiſſe, te ex quadam ſyderum poſitione antiquas renouaturum Philoſophorum ſententias. Quamquidem poſitionem ſyderum, & ſi audiuerim non ſatis recolo, ſed te arbitror meminiſſe, imò & per te inueniſſe. Adduxerũt item illi Aſtrologi ad ſuum iudicium confirmandum, quod fatali quodam tempore antiquum cytharæ ſonum, & cantum, & carmina Orphica obliuioni prius tradita luci reſtituiſſes, mox & Mercurium Triſmegiſtum antiquiſſimum traduxiſti, & Pythagorica multa Item carmina Zoroaſtris explanauiſti, & antequam Florentia huc redirem, transferendo Platoni manum inieceras, iiſdem (vt equidem ſuſpicor) Aſtronomicis auſpiciis. Quod autem hæc non prouidentia quam fato quodam fiant abs te, illud etiam argumento eſt, quod ante hæc omnia, antiquum quemdam Philoſophum ſiue Poëtam, vtpote adhuc adoleſcens, leuiter propagaſti, quem deinde meliori fretus conſilio ſuppreſſiſti, &, (vt audio) pro viribus extraxiſti, neque fuerat illud diuinæ prouidentiæ munus, quod ipſe ætate prudentior factus, meritò iudicaſti damnandum. Equidem, te amice, moneo, caueas ne fortè curioſitas quædam ſit iſthæc renouatio antiquorum, potius quàm religio.

Quod diuina prouidentia ſtatuit antiqua renouari.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Pannonio, S. P. D.

SI noſtra quæ legiſſe te dicis intellexiſſes, non dubitares nũc qua potiſſimum ratione noſtra hæc veterũ renouatio diuinæ prouidentiæ ſeruiat. Principio neq; debemus ab illis ad ſummum Chriſtiana requirere, qui Chriſti aduentũ anteceſſerunt, neque confidere acuta & quodammodo Philoſophica hominum ingenia vnquam alia quadam eſca præter quam Philoſophica ad perfectam religionem allici poſſe paulatim ac perduci. Acuta enim ingenia ſoli ſe rationi committunt, cumque à religioſo quodam Philoſopho accipiunt, religionem ſubitò communem libenter admittunt. Qua quidem imbuti ad meliorem religionis ſpeciem ſub genere comprehenſam facilius traducuntur. Itaque non abſq; diuina prouidentia volente omnes pro ſingulorum ingenio ad ſe mirabiliter reuocare factum eſt, vt pia quædam Philoſophia quondam, & apud Perſas ſub Zoroaſtre, & apud Ægyptios ſub Mercurio naſceretur, vtrobique ſibimet conſona. Nutriretur deinde apud Thraces ſub Orpheo atq; Aglaophemo. Adoleſceret quoque mox Pythagoras apud Græcos & Italos. Tandem verò à diuo Platone cõſummaretur Athenis. Vetus autem Theologorum mos erat, diuina myſteria tum Mathematicis numeris, & figuris, tum Poëticis figmentis obtegere. Plotinus tandem his Theologiam velaminibus enudauit, primuſque & ſolus, vt Porphyrius Proculuſque teſtantur, arcana veterum diuinitus penetrauit. Sed ob incredibilem tum verborum breuitatem, tum ſententiarum copiam ſenſuſque profunditatem, non tranſlatione tantùm linguæ, ſed Commentariis indiget. Nos ergo in Theologis ſuperioribus traducendis & explanandis hactenus laborauimus. Nunc verò quotidie in Plotini libris ſimiliter laboramus, huic operi nos, ſicut & illi ſuo, diuinitus deſtinati, vt hac Theologia in lucem prodeunte, & Poëtæ deſinant geſta myſteriaque pietatis impiè fabulis ſuis annumerare, & Peripatetici, id eſt Philoſophi omnes admoneantur non eſſe de religione, tanquam de anilibus ſentiendum.

Totus enim terrarum orbis à Peripateticis occupatus, in duas plurimum diuisus est sectas, Alexandrinam & Auerroicam. Illi quidem intellectum nostrum esse mortalem existimant, hi vero vnicum esse contendunt. Vtrique religionem omnem funditus æquè tollunt. Si quis autem putet tam diuulgatam impietatem, tamque acribus munitam ingeniis, sola quadam simplici prædicatione fidei apud homines posse deleri, iis à vero longius aberrare palam reipsa protinus conuincetur. Maiori admodum hic opus est potestate. Id autem est vel diuinis miraculis vbique patentibus, vel saltem Philosophica quadam religione Philosophis eam libentius auditturis quandoque persuasura. Placet autem diuinæ prouidentiæ his seculis ipsum religionis suę genus authoritate rationeque Philosophica cõfirmare, quoad statuto quodam tempore veris infimam religionis speciem, vt olim quandoque fecit, à manifestis per omnes Gentes confirmet miraculis. Quod verò tu nostri huius operis causam in fatum referre volens de nostra genesi attigisti, non inficior equidem in hac ipsa figura Saturnum in Aquario ascendentem, & Solem Mercuriumque in noua cœli plaga aspectumque reliquorum Planetarum ad ipsam nonam, significare hominem rerum antiquarum innouatorem, sed efficere nego. Tu quoque si Epistolam nostram de Magorum stella, & similem in Theologia nostra disputationem, item Plotini libros hac ipsa de re tractantes, quos & traduximus, diligentissime legeris, planè intelliges, officia publici boni ad animos pertinentia, dependere quidem præcipuè, velut à communibus primisque causis, à supernis mentibus Dei summi ministris, proficisci etiam quodammodo tanquam à causis propriis atque vltimis, ab humanis consiliis, vbi se supernis accommodant. Significari autem à figuris moribusque cœlestibus, velut diuinarum mentium instrumentis. Disces præterea fatum, id est, cœlestium seriem causarum prouidentiæ diuinæ seruire. Animos verò nostros tunc maximè liberos iudicari, quando maximè cum diuina voluntate consentiunt. Quoniam verò te Poëtarum apprime studiosum esse cognosco, rem totam vna cum Marone concludam. Aeneas, id est heroicus animus descensurus ad inferos, & iterum ascensurus, id est, secreta diuinorum mysteria penetraturus, & obscura editurus in lucem, diuina ad hoc ipsum prouidentia ducitur, tanquam & diuinitus, vt ait, genitus quem & ęquus amabat Iupiter, & diuina ad idem Oracula prouocabant. Incedit rursus ad idem, libero quodam arbitrio, vbi eum ardens euehit ad æthera virtus, & vbi consultat, quid potissimum sit agendũ, & sponte Oracula consulit, & semper libentissime cum sententia diuina consentit. Confert ad idem fatum prouidentiæ seruiens ab Oraculo designatum.

Carpe manu namque ipse volens, facilisque sequetur.
Si te fata vocant, aliter non viribus vllis,
Vincere, neque duro poteris conuellere ferro.

Profectò fatum velut prouidẽtiæ præco ad id te vocat, id tibi significat quod statuit & imperat prouidentia, tu verò eatenus opus arduum vales ad finem vsque perducere; quatenus duo hæc aspirant. Eatenus quoque agis liberè, quatenus libenter prouidentiæ pares. Et tunc re vera es in regno fati dominus, quando videris in regno prouidentiæ seruus. Vale.

Pro prima Platonis impressione parum fortunata.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

QVod Platonis nostri libri tandem ab Impressoribus sint expressi, pia Philippi Valoris opera & magnifica manu factum est. Quod autem minus eleganter expressi, id partim negligentia Impressorum, vel potius Oppressorum, partim (si dictu fas est) malignitate fortunæ, nobis accidisse putato. Doles autem (qua tua pietas est) senem hunc nostrum ad vos squalidum accessisse. Desine, precor, mi Bandine, dolere. Sic enim & natura cõparatum est, & sorte datum, vt qui è carcere diuturno soluuntur, profundisque tenebris eruuntur, squalentes prodeant, macieque cõfecti. Est aliquid post multa tenebrarum secula vidisse lucem, est plurimum ab inferis surrexisse. Iam sub diuo est diuus Plato, iam spirat Phœbus pater ex alto suis filium radiis illustrabit. Vale.

Purgatio de silentio.

MARSILIVS FICINVS Americo Corsino, S. P. D.

DIxi equidem fratri tuo Philippo probo doctoque viro his mihi temporibus non licere, vel ad amicos absentes ab vrbe quicquam scribere vel salutare præsentes; Plotinum namq; Platonicum me sibi totum penitus vendicare, hinc tu Plotinum statim vehementi oratione, & acerrimo carmine liuoris accusas, qui & ipse

ipse nullius sit, & me qui ferme omnium esse soleo, nullius fore contendat. At ego nunc Amerige vicissim Plotinum fore omnium molior, ac dum vni huic omnium mox futuro diligenter indulgeo, videor interim omnibus indulgere. Vale.

Propheta & interpretes Prophetarum.

MARSILIVS FICINVS Dominico Beniuenio Complatonico suo, S. P. D.

QVærebas superioribus diebus (& subtiliter admodum vt soles) omnia, qua virtute potissimum post tàm diuturnam Platonis lectionem adhuc viuam, cum prima Platonis nostri lectio tibi rapuerit animum, totumque in Platonem ipsum repente transtulerit? Nisi Plato noster, mi Dominice, viueret, & imò nisi melius admodum quam nos viueret, profecto dum transferimur in Platonem, interim laberemur in mortem. Sed cum inter homines quondam æternæ semper vitæ vixerit, merito nunc æterna vita viuens non in mortem legentes vertit, sed felicius conuertit in vitam. Missa in præsentia facio tanti muneris argumenta. Quod imminet nunc agamus. Dic age quis nunc nostris vulneribus medeatur, quæ medici nobis Hebræi quotidie inferunt, nisi Plato noster Medicus animorum? Interfuisti & tu disputationibus quæ in ædibus Ioannis Pici Mirandulensis ante alios admirandi, sæpe tractatæ sunt atque tractantur, vbi Helias & Abraham Hebræi Medici atque Peripatetici aduersus Gulielmum Siculum disserunt. Oracula Prophetarum ad Iesum minime pertinere, sed alio quodam sensu dicta contendunt, conuertentes aliorsum omnia è manibusque nostris pro viribus extorquentes, neque facile conuinci posse videntur, nisi diuinus Plato prodeat in iudicium inuictus religionis sanctæ patronus: hunc igitur audiamus, consideremusque diligenter quid hac de re, & in Timæo dixerit, & nunc nobis adducat in medium. Alij (inquit) vates sũt, alij vatum interpretes. Nam qui præsagiunt, sæpe nesciunt quid præsagiant, & qui velociter interpretantur, errant magis in præuidendo, huius autem causa est, quod solertia interpretum venatoria, velox & versatile requirit ingenium præsaga facultas. Siquid debeat præsentire, ingenium exigit pacatum atque quietum, hæc autem tanquam inter se repugnantia in eodem facile non concurrunt.

Ex hac ergo Platonis nostri sententia colligere possumus, certam præscientiam futurorum in Deo tamen esse, mentemque diuinam per Prophetam quasi per linguam futura prædicere, & quæ mens intelligit linguam interea ignorare. Nec immerito Prophetæ, id est, prædictores & fatidici, id est prædictores fatorum appellati sunt, neque tamen præscij vel præscientes, quasi non horum officium sit intelligere, sed præscita solum diuinæ mentis pronunciare. Quod si præsagi dicuntur, id est, præsentientes, id ipsum præsagium non ad mentem & rationem, sed ad sensum imaginationemque pertinere videtur. Sit ergo in lingua Prophetæ futuri prædictio futurorum, sit in eius sensu futuri quædam imaginatio. Ratio verò certa & finis futuri ipsius in mente diuina, neque tamen temerè prorsus Propheta loquatur, sed dum proprium quiddam se imaginari putat, illudque se sperat dicere, interim prænunciet aliud licet simile, tamen inde diuersum.

Quod quidem & adeò qui ad sonitum Propheticam inflat tubam distinctè prænoscitur, & postquam denique factum est ab interprete deprehenditur ita esse factum, vt & Propheta quasi præter spem protulerat, & Deus ipse præsciuerat. Non latuit Euangelistam talia esse prædicentium vaticinia (vbi ait) Caipham Pontificem Prophetasse, dicentem: Præstat vt moriatur vnus pro populo quam tota Gẽs pereat. Admittit quidem Euangelista hæc verba, veluti vaticinia quædam de morte Christi pro populo, scit autem alio quodam sensu à Caipha fuisse pronunciata. Non latuit Apostolum Paulum Prophetas nequaquam intellexisse quid dicerent, vbi ait, Testamentum vetus totum sub nube ac velamine extitisse, & sub figura quadam illis omnia contigisse. Vult igitur ferme omnia non solum verba sed gesta significasse futura, neque tamen confiteretur, antiquos quicquid loquerentur, quicquid gererent cognouisse hæc nostra portendere. Non latuit Prophetam Dauidem, Prophetas velut infantes atque lactentes non satis intelligere quæ prædicuntur. Mitto quæ alij de asino Balaam præsignãte futura ferunt. Et quæ Gentiles de augurriis auspicijsque latissimè scribunt. Sciunt autem aues quamuis significent futura quædam ac prænuncient, quid tamen portendant penitus ignorare. Sileant ergo sileant iam Iudæi verborum cauillatores. Esto (si placet) pronunciauerit Isaias & Ieremias & Daniel aliiq; nõnulla sub eo sen-

su quo Hebræi passim interpretantur, sed interim pronunciantes latuerit quid Deus ipse senserit, quidue simile Prophetarum verbis, diuersum tamen fore prædestinauerit. Hac sane sententia & expositione Platonis, optime mi Dominice, Iudæorum interpretum commenta solito suo tenore procedunt, Iudaica versutia frangitur, veritas Christiana seruatur. Vale. Sed postquam dixi vale, recordatus sum, Doctores Christianos cum Prophetia sapientiam copulare. Idemque Iamblicum Platonicum & Proculum affirmare atque dicere, eum qui sine sapientia prædicit aliquid aut præsagit non Propheticum. Hac ergo distinctione tutius accipere possumus, quæ ex Platone & sacris literis sunt adducta.

MARSILIVS FICINVS Reueren. in Christo patri & Domino, D. Marco Veneto Diui Marci Cardinali se commendat.

PLato noster Romam profectus iamdiu vagatur, hospitium passim quæritans ingenio suo moribusque aptissimum. Diuinus hic hospes purum sacrumque optat hospitem, sapiens doctum, eloquens elegantem. Tandem post longos errores in Augustis Marci Veneti Cardinalis ædibus, velut in portu libentissime conquiescit, existimans se illic alteram academiam consequutum, & sperans quod in primis optabat, singulari iam sui hospitis sapientiæ summam quandoque potentiam non defuturam. Plato igitur hac electione hisque auspiciis tuos ingressus est lares, hoc ille potissimum tecum animo viuit. Quo autem ego erga te animo sim, quo amore obseruantiaque affectus Plato ipse interea tibi vaticinabitur, donec Antonius Calderinus familiaris noster mentem erga te meam aperiat, testis doctrina probitateque locupletissimus tuarum apud nos virtutum præco, nostræ apud te singularis obseruantiæ nuntius. Vale.

Inimici hominis domestici eius.

MARSILIVS FICINVS Petro Leoni Platonico Peripatetico singulari, S. P. D.

SAlue iamdiu mi complatonice, iampridem saluo Platone, salue, & nuper mi complatonice Plotino iam saluo. Accipe nonnullos quos hic expectabas Plotini libros, heri omnibus transferendis finem imposui. Reliquum est & recognoscere verba, & obscurum sæpe sensum argumentis quibusdam reddere clariorem. Tu quidem optabas his tandem peractis multos Hippocratis libros me latinos efficere, ego autem Plotino mox absoluto, medicum cogor non iam interpretari, sed agere. At sacerdotem, inquies non decere. Quid sacerdotem? Sacerdotem præstat referre medicum quam mendicum. Vixi hactenus atque etiam viuo, quod maximè Philosophum decet, tenui facultate contentus, sed non eadem contenti viuūt domi nepotes, orphani, neptesque iam nubiles, inimici hominis domestici eius. Vixi equidem philosophantis more semper, hodie necvnquam crastinum cogitaui. Sed hodie domestica turba me compellit inuitum (quod Deus vetat) cogitare de crastino. Tentaui fortunam meam hoc anno Laurentio nostro sępius aperire, sperans mihi apud illum significatione tantum opus fore non precibus, subrusticus verò pudor me sæpe cohibuit, sed Epistola vel amicus minus forsitan erubescet. Vale. Florentiæ die XVII. Ianuarij. M. CCCC. LXXXV.

MARSILIVS FICINVS Venerando in Christo patri D. Marco Veneto Cardinali diui Marci, S. P. D.

MErcurium ferunt (quod te non latet) venerande pater, non verba tantum solitum nunciare, sed mittentis etiam mentem interpretari. Ascribunt Mercurio rursus oportunum reminiscentiæ munus, neque id quidem iniuria, sicut enim Lunæ motu corporis, ita Mercurio motum animi tribuunt. Dum igitur in animo mouet sensum, nunciare videtur, dum rationem mouet, interpretari, vbi verò memoriam excitat, reminiscentiam suscitare. quorsum hæc? Nempe Calderinus noster inter nos integro Mercurij videtur officio fungi, non solum enim quasi nuntius tuas mihi literas reddit verbaque refert, verum etiam mētem erga me tuam interpretatur. Amorem denique non docet, inquam, sed reuocat potius in memoriam. Sciebam enim iamdiu me abs te vehementer amari, non id quidem alio, sed animi duntaxat mei conscientia nunciante. Cætera venerande pater humana externis discimus coniecturis, quod videlicet doctus sit aliquis, quod formosus, quod potens atque diues. Quod verò nos amet non externa docent, nam externa sæpissime fallunt, sed animus amore erga illum affectus certissime docet.

Qua enim vel ingenii similitudine ego iamdiu te amo, eadem vicissim (nam mutua similitudo est) abs te amari non dubito. Mercurius ergo noster quo apud nos tuo nomine nuper officio functus est, eodem apud te vicissim nomine nostro fungetur. Neque sic quidem quanti iudicium tuum faciam, & quam mirifice singulares virtutes tuas colam, exprimere poterit. quod autem vel ipse Mercurius (vt ita dicam) explicare non possit, Apollo saltem proferat vaticinio, ac tandem Iupiter officio feliciter impleat.

MARSILIVS FICINVS Antonio Calderino, S. D.

SAlue Calderine noster, salua quoque sit Epistola nostra. Cum sub Solis defectu à nobis abieris, cuinam mirum sit Epistolam quoque nostram tunc defectum fuisse perpessam? Nempe clausulæ in eius calce duæ nescio quomodo defuerũt, forsan quoniam duæ quædam Solis quartæ lumine defecerunt. Resumpsit Phœbus suum subito lumen, resumpsit nostra mox Epistola finem,

MARSILIVS FICINVS Braccio Martello literis & moribus ornatissimo, S. P. D.

CVm superioribus diebus apud Philippum & Nicolaum Valores in agro Maiano versarer, & in quodam ibi secessu naturam dæmonum indagarem, affuit repente Plotinus, diuinumque oraculum de dæmonibus nobis effudit, verbis & breuissimis & obscurissimis inuolutum. Visum itaque nobis operæpretium accire Porphyrium tùm Plotini discipulum, tùm perscrutandis dæmonibus deditissimum, qui facile dæmonicum sui præceptoris inuolucrum nobis euolueret. Aduentauit ergo Porphyrius & per Plotinum suum & per suos dæmones aduocatus, aperuit uobis quæ præceptor senserat. Confirmauit quæ Origenes de dæmonibus disputauerat. Porphyrius quidem Græcis nobiscum locutus est verbis, quorum ego summam verbis tibi Latinis interpretabor, hanc tu summam si cum Epistola, quam de Mosis Platonisque concordia tibi dicaui de contemplatione Platonicorum non Plato solum verum etiam Platonici cum nostra religione consentiant. Vale.

Platonici Deo & animæ mundi nihil præter contemplationem sacrificant, animabus autem stellas mouentibus flores sacrificant atque terræ arborumque fructus.

PRimus quidem Deus cum sit incorporeus, immobilis, impartibilis, in vllo, neque etiam in se ipso cohibitus, nullo eget extrinseco, neque etiam mundi anima eget extrinsecis, possidet enim & continet ipsum quod est trina dimensione porrectum, facultatemque naturaliter se mouentem, & suapte natura decreuit bene ornateque moueri, mouereque mundi corpus secundum optimas rationes. Excepit autem in se ipsa corpus atque complexa est, quamuis incorporea sit atque ab omni libera passione. Diis autem reliquis ac mundo & errantibus & non errantibus, qui ex anima & corpore constant oculis manifesti, sacrificandum est sacrificiis duntaxat inanimatis.

Numina sub Luna quæ non videntur, dæmones, antiqui gentium populi nominabant, putabantque vnumquemque dæmonem prodesse nobis aliquando & obesse.

REliqua est inuisibilium multitudo, quos Plato absque distinctione dæmones appellauit. Horum verè alii quidem ab hominibus cognominati, apud singulos nacti sunt honores diis æquales, reliquumque cultum. Alij verò plurimum ferme nominati non sunt, sed à quibusdam per vicos, aut vrbes nomen & cultum occulte quodammodo sortiuntur, reliqua verò turba sic quidem communiter appellatur nomine dæmonum. Rata vero apud omnes fides est eiusmodi, eos certe læsuros genus humanum si irascãtur propterea quod negligantur, neque cultum legitimum nanciscantur, rursusque benefacturos hominibus, qui eos votis supplicationibusque & sacrificiis & aliis quæ consequuntur sibi conciliauerint. Cum igitur opinio hęc de dęmonibus confusa sit, multumque habeat in eos calumniæ, necessarium est eorum naturam ratione distinguere: forte namque necessarium aiunt, vnde circa illos error hominibus incidit declarare, distinguendum igitur hunc in modum.

Omnes dæmones sunt animæ quædam prodeuntes ex tota anima, id est ex ipsa animarum idea, habent & spiritum, id est, tenue corpus: sed dæmones qui maxime suo corpori dominantur boni sunt atque benefici, qui autem corpori minime dominantur mali sunt atque malefici.

QVæcunque igitur animæ ex tota anima pullulantes magnas sub Luna locorum partes gubernant, innitentes quidem siue adhærentes spiritui, sed ipsum secundum rationem superantes, has vtique bonos dæmones iudicandum, & ad eorũ quæ fiunt vtilitatem omnia procurare, siue quibusdam præsint animalibus siue certis fructibus, siue aliis horum gratia ordinatis, velut imbribus & tempetaris ventis aërique sereno temperationique temporum & reliquis ad hæc omnia conferẽtibus, apud nos rursum, artibus & Musicæ disciplinæ & medicinæ ac gymnasticæ atque similibus, fieri verò non prima vt hi qui vtilitati rerum commoditatique consulunt, rursum inferant detrimenta. Inter hos annumerandi sunt dæmones, quos Plato transferre nunciareque dicit humana quidem diis, diuina verò hominibus. Dum vota quidẽ nostra ad Deos velut iudices perferunt, illorum verò iussa monitionesque vnà cum vaticinio ad nos deducunt. Quæcunque verò animæ coniuncto spiritui minime dominantur, sed plurimum cedunt, hæ sane per hunc ducuntur nimium & feruntur, quando iræ concupiscentiæque spiritus inualescunt. Hæ quidem animæ quoque sunt dæmones, sed rite malefici nominantur, sunt autem tùm hi omnes, tùm quos diximus ab his diuersi inuisibiles, nec prorsus humanis sensibus manifesti, non enim solido corpore vestiuntur, præterea nec vnam omnes formam habent, sed figuris plurimis insignitas & formæ quæ illorum spiritum obsignant aliàs quidem apparent, aliàs verò nequaquam. Aliquando verò & formas mutant, illi scilicet qui deteriores sunt, spiritus autem earum qua quidem ratione corporeum quiddam est, passioni obnoxium est atque dissolubile, sed qua ab animabus ita deuinctum est, species eius diu perseuerare potest, neque tamen est æternum. Consentaneum enim est aliquid ab eo semper affluere atque nutriri. In harmonia quidem corpus bonorum consistit, quemadmodum & corpora nobis manifestorum, sed maleficorum dęmonum corpora inconcinna sunt ac affectione passiua locum incolunt terræ vicinum. Nullum ergo malum est quod non audeant perpetrare, habent enim omnino violentum & malesanum morem, desertum videlicet custodia dæmonum meliorum, indeque vehementes repentinasque insidias plurimum machinantur & proruunt, ac dum agunt incursiones, partim latere conantur, partim inferunt violentiam. Quamobrem acutæ velocesque sunt passiones ab eis illatæ. Curationes autem emendationesque à dæmonibus melioribus tardiores esse videntur. Omne enim bonum gubernatione facile æqualeque est & progreditur ordine neque quod opportunum est transgreditur. Si ergo sic de dæmonibus senseris nunquam in opinionem de illis incides absurdissimam, per quam opineris vel à bonis mala, vel à malis contingere bona. Neque sic tantum absurdus est sermo, sed etiam multi concipientes inde pessimas de diis opiniones in multos homines diuulgarunt. Vnum enim hoc est inter maxima damna quæ à maleficis dæmonibus inferuntur, quod videlicet cum ipsi infelicium passionum terrenis incidentium authores sint, sicut pestis, penuriæ, terræ motus, æstus, incendij atque similium, nobis interea persuadent illos horum effectores esse, qui contrariorum potius, id est, fertilitatis, prosperitatisque eiusmodi sunt authores. Sic itaque seipsos ex ipsa calamitatum causa conantur absoluere. Atque hoc primum quidem iniustitiam suam latere nos moliũtur. Subinde veros nos flectunt ad supplicationes & sacra beneficis conuenientia, de diis quasi illi nobis irati sint. Hæc autem similia que faciunt studentes à recta deorum scientia nos abducere atque seipsos adducere. Omnibus enim rebus sic iniquè discorditerque factis admodum delectantur. Et tanquam aliorum deorum facies subeuntes sicque in prudentia nostra confisi sibi turbas in societatem assumunt. Et propter eiusmodi concupiscentias hominum, incendunt animos amoribus cupiditatibusque diuitiarum, dominationum, atque voluptatum. Rursus nouis opinionibus nos inuoluunt, ex quibus seditiones bellaque nascuntur & cætera generis eiusdem. Quod autem animum grauissimum est persuadent similia à superis effici, adeò vt etiam Deum maximum criminationibus eiusmodi subigant. Quem tradunt omnia sursum deorsumque turbare. Accidit autem hoc non rudibus tantũ hominibus sed multis Philosophiæ etiam studiosis. Cum verò erroris vitio precedit atque confirmatur: etenim Philosophantes qui à communi colluuione nun-

quam secesserunt, in eosdem cum plebe errores inciderunt, rursusque turbæ opinionibus suis similes, à laudatis scriptoribus audientes in hac de iis sententia sunt magis etiam confirmatę. Poëticum namque artificium suspiciones insuper eiusmodi hominum acrius excitauit, propterea quod elocutione vtitur ad stuporem & attractum quasi magicum vehementer accommodata, facileque potenti mulcere animos & allicere, ideoque fidem de rebus prorsus impossibilibus nobis afferre. Sed profecto firmiter credendum est, neque bonum vnquam lædere, neque prodesse malum. Non enim caloris est, vt inquit Plato, frigefacere, sed oppositi, ita neque iusti nocere. Iustissimum autem omnium naturaliter est ipsa diuinitas, alioquin nihil diurnum foret. Nonne igitur secernenda est hæc potentia sors beneficorum dæmonum? Quæ enim prompta est naturaliter ad nocendum, contraria est beneficæ, contraria verò circa idem nunquam naturaliter accidunt. Cum igitur eiusmodi dæmones in multis mortalem lædant naturam, etiam quandoque in magnis certi boni dæmones interim officia sua nunquam deserunt, sed imminentia passim à malis pericula pro facultate significant, tùm insomnis ostendentes, tùm per animos diuinitus inspiratos perque alia multa. At siquis posset significata discernere, omnes improborum machinas deprehenderet atque deuitaret, hi namque significant omnibus, sed non quiuis significata cognoscit neque quilibet scripta legere valet, sed qui literas antę didicerit. Per contrarios verò dæmones vniuersum efficitur veneficium. Hos namque maximè horumque ducem honorare solent qui mala veneficiis inferunt, hi sane dæmones omniformibus figuris imaginibusque abundant prodigiorumque machina strenue fallunt, horum opera infelices, philtra amatoriaque maleficia machinantur. Omnis enim intemperantia spesque diuitiarum atque gloriæ per hos inualescit, præcipue verò deceptio. Mendacium enim proprium est eiusmodi dæmonum. Dij enim videri volunt ac potestas ipsa eis prę sidens Deus maximus vult haberi, hi sane sunt duntaxat qui libamine nidoreque carnium oblectantur, his enim spiritale corpus eorum pinguescere solet. Viuit namque hoc vaporibus fumigationibusque atque varias admodum, vt par est, per varia nidoreque sanguinis & carnium vires assumit.

Qui sacrificant animalia clam dæmones ad se malos alliciunt, dæmonibus verò bonis, id est, Angelis, res duntaxat inanimatas puritate mentis consecrare debemus.

VIr igitur prudens atque temperatus cauebit eiusmodi sacrificiis vti, quibus eiusmodi dæmones attrahat ad seipsum. Studebit autem animum perfectè purgare. Animum namque purum ob ipsam dissimilitudinem nunquam aggrediuntur. Proinde si ciuitatibus forte necessarium sit hos etiam dæmones sibi conciliare, nihil ad nos vsus eiusmodi pertinet. Nam in ciuitate diuitiæ externaque & corporea commoda tanquam bona inter ciues habentur, atque horum contraria mala. Neque ferme quicquam pensi habent de animi perfectione atque puritate. Nos autem commodis quæ dæmones afferant quantum fieri poterit non egebimus, sed tùm ex animo, tùm ex rebus externis omni studio contendemus, Deo quidem ipsi sibique propinquis, similes fieri, quod sane tranquillitate animi veritatisque rerum comprehensione distincta, ac vita ad hæc prorsus intenta, completur. Improbis autem hominibus atque dæmonibus omnique prorsus eo quod mortalique gaudeat, dissimiles effici Quamobrē secundum ea quæ tradidit Theophrastus ipsis quoque sacrificabimus quib. & Theologi consenserunt, cognoscens videlicet quatenus animam à perturbationibus purgare negligimus, eatenus potestati improbæ copulari. Vnde merito compellemur hanc insuper demulcere, vt enim Theologi tradunt, qui à rebus pendent externis neque dum perturbationibus dominantur, hac ipsa conditione coguntur, putantis eiusmodi impetum à se propellere, alioquin cessare nunquam à laboribus poterunt.

Puritas & abstinentia à malis dæmonibus nos tuentur, quibus contemplatores sacrificare nihil debent.

QVapropter Theologo siquando permittunt dæmonibus improbis vitam durum gratia malorum, quæ illaturi sint, animalia mactare vetant, simul talia sacrificia degustare, præterea iubent antequam ita sacrifices, purgare animum ieiunio ac præcipue animalium abstinentia. Existimant enim sanctam animi puritatem esse quasi symbolum & characterem diuinum, quo custodiaris adeò vt nihil patiaris ab illis quibus ipse propinquas dum eos sacri-

ficando concilias. Quando enim contra sis affectus atque illi quibus sacrificia operaris, sisque purior ideoque diuinior, te & corpore & animo indemnem perseuerare, pura scilicet sanctimonia velut arce munitum. Quamobrem fascinatoribus etiam veneficisque necessaria visa est eiusmodi cautio per quam sint à discrimine tutiores, neque tamen penitus tuti esse possunt, lasciuiæ namque gratia consueuerunt dæmones improbos compellare. Quapropter non veneficorum incantatorumque propria est puritas atque sanctimonia, sed diuinorum certe viuorum contemplantiumque diuina. Iam verò castitas abstinentiaque suas passim obseruatores contra malos dæmones diuina familiaritatem tuetur. Itaque si fascinatores hac vti prorsus constituissent certe fascinare nunquam prorsus auderent, vtpote qui per hanc reuocati essent ab eorum concupiscentia quorum gratia impietate se polluunt. Itaque perturbationum pleni, atque vix vel paululum cibis abstinentis impuris, ideoque ipsi prorsus impuri supplicia luunt trãsgressionis contra vniuersum iniquæ, partim quidem sub dæmonibus quos ipsi prouocant, partim etiam sub diuino iudicio, cuncta mortalium opera consiliaque prorsus inspiciente.

Sapiens abstinebit tum cibo tum sacrificio animalium, per hæc enim mali ad nos dæmones aduocantur.

DIuinus vir animum, tùm sapientia diuinarum tùm abstinentiam cibo rum perturbationes hominibus incitantium, tùm ipsa ad Deum similitudine muniet & quasi Dei templum incontaminatum animum esse putabit. In hoc videlicet vniuerso Dei patris templo. Denique cum omne sensibile corpus defluxus quosdam materialium dæmonum nobis afferat, certe vnà cum impuritate nutrimenti ex carnibus & sanguinibus hausti, adest nobis potestas dæmonica huic amica facileque pellecta propter similitudinem proprietatemque valde familiarem. Quamobrem recte Theologi omnes in primis abstinentiæ studuerũt. Memento igitur dæmones quidem malos animalium victimis delectari. Deum ante eiusmodi victimis non egere, qui sane adorantium mores inspicit, maximum existimans sacrificium rectam de diuinitate sententiam. Nam apud Deum optima est oblatio, pura mens & perturbationum vacuus animus, hinc Plato, bono quidem viro conuenire ait sacrificia operari diuinisque interesse, malum verò frustra inter sacra versari.

Purgatio de silentio ad amicum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

DIces mi Bandine, video, imò iamdiu dicis, Marsilium ad amicos raro parumque scribere, contra quam frequens & longus postulat amor, sæpe multumque requirens. Ego verò multa semper mihi videor ad amicos scribere, dum assidue multa conscribo amicis cæterisque legenda. Plotinus iamdiu quod promiseram Latina disputat lingua, quatuor & quinquaginta libris, sed horum insuper commentaria poscit à nobis. Octo iam peregimus Deoque confisi alacriter ad cætera pergimus. Commenda nos Matthiæ inuicto Pannoniæ regi. Sed dicito non posse commendatum habere Marsilium, nisi Iacobum Azarolum in primis delitias nostras habeat commendatum.

Honesta exactio ab amico.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Pico Mirandulano viro doctissimo, S. P. D.

SAlue. Dum alij aliorum gratia te vrgerent, ego de mittendo ad nos Mahumete vrgere te nolui. Vereor autẽ ne si diutius extra patriam consenescat, impotens tandem sit ad reditum. Tu igitur vt oportune redeat pro tua humanitate curabis. At si aliquot insuper dies huc sis apud te hospitem retenturus, mitte saltem subito Auicennam, qui permissione diuina statim disputat post Mahumetem, hæc enim disputatio mihi nunc in primis est necessaria, hanc in Alcorani calce vel paulo post inuenies.

Purgatio de breuitate scribendi ad amicum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

DEdi iampridem ad te literas Iacobo Azarolo amico vero & eleganti viro, quẽtu pariter atque me Matthiæ inuicto Pannoniæ Regi sæpe meo nomine commendare memento. Scripseram me in octauum Plotini librum iam commentaria peregisse. Nunc in duodecimum cõmentaria meditor, atque hac assidua cura contingit, vt raras admodum & perbreues

amici literas à nobis accipiant. Et profecto quando tu tales, cæteri forte nullas. Miranda equidem inuenio in Plotino mysteria, atque (id quod mirabilius est) frequentissima, quæ vtinam saltem verbis explicem sicut augurari animo mihi videor. Sed vale iam Bandine mi suauissime, Plotinus interim me accersit.

Commendatio amici.

MARSILIVS FICINVS
Francisco Bandino, S. P. D.

ROgaui te aliàs, iterumque precor, vt causam iam vetustam Vincentij sacerdotis necessarij nostri magno regi commendes. Tota istinc pendet vita misselli. Erit profecto clementiæ regiæ, opem ferre sacerdoti egeno iusta petenti. Vale.

Quid sit felicitas.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Seraphico conphilosopho, S. P. D.

TAm grata mihi fuit Seraphice Epistola tua quam grata tua mihi libertas. significat enim te tandem à negotio in ocium libertatemque vindicasse te ipsum, si felicitas cuius gratia omnia omnes agimus finis est, si finis est quies, si quies est ocium, nihil felicitati magis quam negotium aduersatur. An ergo vt sim beatus nihil agam (absit:) si enim vita actus est naturæ intimus & perennis, neque potest beate viuere qui non viuit, nimirum nec essemus nihil agendo beati, quid ergo? Nempe deuitabimus actionem qua vel sit in motu, si modo beatitudo sit quies, qua vel sit multiplex, quandoquidem summus finis est vnus, vel quod referatur ad aliud, siquidem finis vltimus non refertur ad finem. Actiones igitur fugiemus externas, quæ versantur in motu, quæ distractæ sũt, quæ præmio seruiunt alieno. Actu interim mentis intimo contenti erimus, actio hæc non aliunde pendet, sed habitat ipsa secum, non expectat præmium, sua enim sibi voluptas est præmium. Denique quicunque sic agit solus animum non agit vt aliquando sit beatus, sed iam beatus agit.

Laus ingenij.

MARSILIVS FICINVS
Illustri Ioanni Pico Mirandulano conphilosopho suo, S. P. D.

ORes miras, ô rem incredibilem, apud eos qui reminiscentiæ non meminerint. Legimus quæ misisti noningenta problemata, singula (quod est mirabilius) singularia. Liceat ergo mihi vnicum præter hæc palam proponere defendendum, cognitionem scilicet quæ scientia dicitur esse reminiscentiam. Hoc equidem non his tamen noningentis asseram argumentis, sed toto prorsus tuo ingenio comprobabo. Tot enim & tanta, tam recte, tàm facile, præstare in ætate tàm tenera reminiscentis est potius quam discentis. In memoria igitur æterna erit amicus.

Nil intempestiue tentandum.

MARSILIVS FICINVS
Bernardo Bembo Veneto equiti clarissimo, S. P. D.

DEsiderabas (vt audio) testimonium aliquod apud Platonem incredibilis beneuolentiæ nostræ. Amoris nostri, mi Bembe, testis est sextus Theologiæ liber, liber totus Epistolarum, quotidianus Marsilij sermo. Plato verò idcirco non accessit ad testimonium ne forsan importunus accederet, sciens testem non afferre fidem, nisi venerit opportunus. Sed testimonium hac de re Plato suum Plotino mandauit, Platonico testi vsque adeo fido, vt in Plotino tamen ipse Plato sit fidus, hic igitur explebit facilius quod Plato forsan difficilius præstitisset, hic quatuor & quinquaginta in omni Philosophia libros diuine composuit Omnes iamdiu Latinos effecimus In decem atque octo commentaria composuimus, reliquos studiose prosequimur, sperantes operis tanti finem (fauente Deo) felicem. Vale feliciter Marsilij tui semper memoris perpetuo memor.

Sapiens abstinebit tum sacrificio animalium, per hæc enim mali ad nos dæmones aduocantur.

DIuinus vir animum, tùm sapientia diuinarum, tùm abstinentiam ciborum perturbationes hominibus incitantium, tùm ipsa ad Deum similitudine muniet & quasi Dei templum incontaminatũ animum esse putabit. In hoc videlicet vniuerso Dei patris templo. Denique cum omne sensibile corpus defluxus quosdam materialium dæmonum nobis afferat, certe vnà cum impuritate nutrimenti ex carnibus & sanguinibus hausti, adest nob. potestas dæmonica huic amica facileq; pellecta propter similitudinẽ proprietatemque

valde familiarem. Quamobrem recte Theologi omnes in primis abstinentię studuerunt. Memento dæmones quidem malos animalium victimis delectari. Deum autē eiusmodi victimis non egere, qui sane adorantium mores inspicit, maximum existimans sacrificium rectam de diuinitate sententiam.

Nam apud Deum optima est oblatio, pura mens & perturbationum vacuus animus, hinc Plato, bono quidem viro conuenire ait sacrificia operari diuinisque interesse, malum verò frustra inter sacra versari.

Purgatio de silentio ad amicum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

DIces mi Bandine, video, imò iamdiu dicis, Marsilium ad amicos raro parumque scribere, contra quam frequens & longus postulat amor, sæpe multumque requirens. Ego verò multa semper mihi videor ad amicos scribere, dum assidue multa conscribo amicis cæterisque legenda. Plotinus iamdiu quod promiseram Latina disputat lingua, quatuor & quinquaginta libris, sed horum insuper commentaria poscit à nobis. Octo iam peregimus Deoque confisi alacriter ad cætera pergimus. Commenda nos Matthiæ inuicto Pannoniæ regi. Sed dicito non posse commendatum habere Marsilium, nisi Iacobum Azarolum in primis delitias nostras habeat commendatum.

Honesta exactio ab amico.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Pico Mirandulano viro doctissimo, S. P. D.

SAlue. Dum alij aliorum gratia te vrgerent, ego de mittendo ad nos Mahumete vrgere te nolui. Vereor autē ne si diutius extra patriam consenescat, impotens tandem sit ad reditum. Tu igitur vt oportune redeat pro tua humanitate curabis. At si aliquot insuper dies huc sis apud te hospitem retenturus, mitte saltem subito Auicennam, qui permissione diuina statim disputat post Mahumetem, hæc enim disputatio mihi nunc in primis est necessaria, hanc in Alcorani calce vel paulo post inuenies.

Purgatio de breuitate scribendi ad amicum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

DEdi iampridem ad te literas Iacobo Azarolo amico vero & eleganti viro, quem pariter atque me Matthiæ inuicto Pannoniæ Regi sæpe meo nomine commendare memento. Scripseram me in octauum Plotini librum iam commentaria peregisse. Nunc in duodecimum cōmentaria meditor, atque hac assidua cura contingit, vt raras admodum & perbreues amici literas à nobis accipiant. Et profecto quando tu tales, cæteri forte nullas. Miranda equidem inuenio in Plotino mysteria, atque (id quod mirabilius est) frequentissima, quæ vtinam saltem verbis explicem sicut augurari animo mihi videor. Sed vale iam Bandine mi suauissime, Plotinus interim me accersit.

Commendatio amici.

MARSILIVS FICINVS Francisco Bandino, S. P. D.

ROgaui te aliàs, iterumque precor, vt causam iam vetustam Vincentij sacerdotis necessarij nostri magno regi commendes. Tota istinc pendet vita miselli. Erit profecto clementiæ regiæ, opem ferre sacerdoti egeno iusta petenti. Vale.

Quid sit felicitas.

MARSILIVS FICINVS Antonio Seraphico conphilosopho, S. P. D.

TAm grata mihi fuit Seraphice Epistola tua quam grata tua mihi libertas. significat enim te tandem à negotio in ocium libertatemque vindicasse te ipsum, si felicitas cuius gratia omnia omnes agimus finis est, si finis est quies, si quies est ocium, nihil felicitati magis quam negotium aduersatur. An ergo vt sim beatus nihil agam (absit:) si enim vita actus est naturæ intimus & perennis, neque potest beate viuere qui non viuit, nimirum nec essemus nihil agendo beati, quid ergo? Nempe deuitabimus actionem qua vel fit in motu, si modo beatitudo sit quies, qua vel sit multiplex, quandoquidem summus finis est vnus, vel quod referatur ad aliud, siquidem finis vltimus non refertur ad finem. Actiones igitur fugiemus externas, quæ versantur in motu, quæ distractæ sūt,

Commendatio amici nomine Philoſophi.

SAlue dilectiſſime mi Bandine. Scribo iam tertio ad te pro cauſa neceſſarij noſtri Vincentij ſacerdotis. Hanc precor ſi modo id valeas, opportunè inuicto Regi Matthiæ commendes, atque id inſuper nomine meo, ſiquidem potes, Philoſophicum nomen apud reges alicuius eſſe momenti, ſolet enim ea eſſe Philoſophicæ ſortis humilitas, vt apud minimos quidem poſſit aliquid, apud maximos verò minimum. Atque hac ipſi ſorte contenti ſumus, modo philoſophi ſimus, id eſt, vt penes nos ipſos ſaltem plurimum valeamus. Neque diffiteor tamen me apud Matthiam interdum aliquid potuiſſe neque diffido iterum valiturum, ſiquidem non potentia ſolum, verum etiam ſapientia claret. Vale.

Oratio Marſilii Ficini de charitate, habita in collegio canonicorum Florentinorum ad populum, propoſitum in tria capita orationem diuidens.

ATtollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Attollite aures, eleuate mentes, introibit in vos viuum & efficax Dei verbum, vnà cum verbo Dei charitas ante omnia ſalutaris, ſimul cum charitate ſtatim rex gloriæ Deus. Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.

Quod Deus charitas eſt.

CAPVT I.

DEum quidem ſummum eſſe charitatem, patres venerandi & dilectiſſimi fratres, non tantum ſonat Apoſtolica tuba, verum etiam tota rerum natura proclamat. Omnis enim natura rerum ideo creata eſt atque ſeruatur, quoniam ab initio voluit atque vult Deus ipſe creator. Voluntas autem in Deo proculdubio nihil aliud eſt quam charitas atque Deus. Voluntas, inquam, penes Deum non appetitio prorſus vlla, ſed gaudium, gaudium propria bonitate perpetuo gaudens. Cum enim duo quædam potiſſimum in voluntate conſiderare poſſimus, appetitum atque lætitiam, neque poſſit in primo bono vllus eſſe ſtimulus appetendi, nimirum voluntas illic & charitas nihil à gaudio diſcrepat. Nam quemadmodum lux & calor, quæ duo quædam ſunt in igne, vnum denique ſunt in Sole, ſic appetitus atque lætitia duo quidem in nobis ſunt extra patriam circa finitum bonum, ſed penes bonum infinitum voluntas omnis eſt ipſa voluptas. Iam verò in elementis cœlo ſubiectis aliud quidem eſt elementorum motus ad locum, aliud autem eorundem quies in loco, ſed in cœlo prorſus idem eſt motus, quieſue cœleſtium in reuolutione perpetua quieſcentium. Similiter ſuper cœlum idem tandem eſt ardor ipſe charitas & gaudium.

Qui manet in charitate, in Deo manet.

CAPVT II.

DIuina quidem charitas dum proprio gaudet bono, commune omnibus amat curatque bonum. Charitas humana viciſſim quatenus communi omnium bono gaudet, eatenus proprium inde reportat bonum. Quamobrem qui manet in charitate, in Deo manet, permanetque ſemper in gaudio, tùm quia Deus ipſe charitas eſt, tùm etiam quia dum charitatis flammis animus ardenter affectus, Deum quidem excelſum in ſeipſo, homines autem amat in Deo, interim ipſo Deo, qui charitas eſt, afficitur mirabiliter Deuſque efficitur. Nempe quemadmodum materia quælibet non idcirco fieri ſolet ignis quod ab igne lumen accipiat, ſed calorem, ſic & animus quandoque diuinus euadit, non tàm quia Deus intelligentię noſtræ quaſi ſubrutilet, quam quoniam noſtra voluntas amoris diuini flagrantia ferueat. Inter hæc autem exclamat nobis hunc in modum veſter Apoſtolus. Ceſſabit tandem prophetia vobis in patria vbi præteritum deſinet atque futurum. Ceſſabit quoque ſcientia vobis vbi & argumentatio deſinet, & modus mutabitur intuendi, charitas verò ſola ceſſabit nunquam. Siquidem amandi conditio ſub ratione gaudendi ſemper eadem permanebit.

Et Deus in eo.

CAPVT III.

HAc igitur ratione charitas ſola permanet, & qui manet in charitate in Deo manet, ſed quonam pacto manet Deus in eo? In animo, inquam, finito ipſe Deus immenſus, manet quidem animus noſter in Deo comprehenſus, manet autem Deus in animo comprehendens. Manet certe Deus omnipotens etiam vbi non eſt charitas, ſed tanquam iudex acrior

atque iudex exactorque pœnarum. Manet rursum clementissimus Deus vbi viget charitas tanquam eucharistia salutaris & gratiarum omnium abunde largitor.

Epilogus & exhortatio.

O Charitatem omnipotentem, quæ Deus est, quæ facit, quæ seruat, quæ perficit omnia! O sapientissimam charitatem quæ diuinitus accendens animum ex animo mirabiliter transformat in Deum. O charitatem proculdubio benignissimam! quæ gratiam creatoris immensam cum finita creatura communicat Eucharistiæ sanctæ communione. Qua Christus ipse propitius mundi seruator dum & in cœlo est, nihilominus vsque ad consummationẽ sæculi totus est vbique nobiscum, caducam alimenti nostri substantiam in corpus suum in nutrimentum cœleste conuertens, panis quidem dimensionem seruãs, interea propriam non admittens, panis præterea dimensionem diuidens non diuisus! Quo quidem nouo prorsus & grandiore cibo ne forte perdat nos velut prophanos, sed vt tanquam suos foueat salubriter atque alat. Claudamus dilectissimi fratres claudamus precor terrenas sensuũ nostrorum portas, per quas insidiosus quotidie dæmon ingreditur, pandamus autem atque eleuemus æternas voluntatis & intelligentiæ portas a dmagnum Regem gloriæ Christum, ad Iesum Christum nostrarum Pontificem animarum, Pontificem æternum ad ostium nostrum assiduè stantem atque pulsantem nobiscum, si aperuerimus, hodie cœnaturum. Ad cuius ingressum statim gaudebit cor nostrum gaudiumque nostrum nemo tollet à nobis. Hic enim ob incredibilem charitatem suam nos in loco pascuæ collocabit, hic de torrente voluptatis suæ potabit nos, hic nos in hac cœna pascali recreabit manna cœlesti & pane nutriet angelorum. Nos igitur ob charitatem solam videbimus & gustabimus hodie quam suauis sit dominus, sentiemus protinus quam magna sit multitudo dulcedinis eius, quam solis eum diligentibus conseruabit. Inebriabimur enim ab vbertate domus eius, satiabimur ad votum cum apparuerit gloria sua.

Fortuna virtuti plurimum aduersatur.

MARSILIVS FICINVS Rainaldo Gauardo Veneto, S. P. D.

FOrtunam plerique cęcam existimant, quod nunquam videat quibus patrocinetur aut etiam aduersetur, sed absque delectu semper clientis cuiuslibet suscipiat patrocinium, poterit & aliquis forsan fortunam fingere non cæcam quidem, sed inuidam potius ac prorsus ambitiosam. Quippe cum nolit viris ingenio prudentiaque excellentibus aspirare, quorum præclara facinora non sorti sed virtuti potius ascribuntur. Afflare verò soleat plurimum, vbi quicquid emerserit magnum fortunæ solum possit attribui. Contra verò pro viribus bonos insequi conarique vsque adeò virtutem deprimere, vt nihil ab ipsa præclarum vel geri vel comparari posse vulgo putetur. Vnde omnes denique fortunam faciamus Deam cœloque locemus. Non habes igitur, mi Rainalde, quod doleas in eorum numero te haberi, quos fortuna soleat insectari.

Responsio ad omnia.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Michelottio, S. P. D.

NOn putaram imprecationes vllas vel coniectas in hostem, vnquam mihi posse placere, vsque adeò sum augurosus, at Musa isthęc Michelotti tua tàm strenua est, tam belle ludit, vt imprecationibus multis vndique in nos congestis interim me mirificè delectauerit. Quid? si eandem vicissim hæc deprecantem audiuero feliciaque precantem. Cane igitur obsecro palinodiam. Vale.

Purgatio postquam diu non scripseris.

MARSILIVS FICINVS Reuerendissimo in Christo patri & D. Marco Veneto Cardinali diui Marci, S. P. D.

PYthagoras & Plato pretiosum diuinorum mysteriorum thesaurum tanti fecere, vt non fragilibus chartis, sed æternis mentibus, & his quidem æternitate dignis existimauerint commendandum. Itaque non scribebant summa diuinitatis arcana, sed voce docebant. Ego quoque commendatum esse me tibi tanti facio, vt non tàm per leues literas quam per graues amicorum animos atque sermones quotidie me tibi commendem. Siue igitur istinc amici scribentes ad me scribant, Marsili, salue, siue hinc Romam proficiscentes dicant, Ficine vale, protinus addo, si vis me saluere siue valere, Saluta meo nomine Cardinalem vnicum patronum meum,

meque illi deditissimum suppliciter commendato. Sic dum tacere iam diutius tecum videor, taceo nunquam, si qui verò mandata verbis minus explent, ego interim impleo mente. Quam & plerique alij & in primis Calderinus iste quasi quidam Mercurius noster interpretari atque exprimere facillime potest.

De eodem.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Calderino suo, S. P. D.

AGgressus iamdiu sum commentaria in Plotinum à nobis traductum, vigesimum nunc librum explico, quatuor & triginta sunt reliqui, per has occupationes mihi peregrinari non licet, alioquin iamdiu Cardinalem patronum nostrum ore salutauissem, quem assidue mente saluto. Nemo enim est quem salute iudicem digniorem. Tu frequenter eum adito precor, ac (si fieri potest) me frequentius commendato. Vale.

Largiendum est etiam ingratis.

MARSILIVS FICINVS
Miniati, S. P. D.

QVod me Miniates amas, iustè facis pariter & amicè; iustè quoniam amas amantem, amicè, quia me honoras amando. Quod præterea Platonicam disciplinam publica passim laude prosequeris, diuinæ pietatis officio satisfacis. Id enim ad communem ingeniorum præsertim Philosophantium salutem diuina instituit prouidentia. Id equidem iamdiu melior, id sedulus elaboro tanquam aquarianorum more congrego quotidie quæ dispergam, & effundam gratis pariter & ingratis, ac me siquo modo possint libenter obscuraturis. Sed certo scio in lucem prodeunte Platone, legitimum Platonis amicum obscurum esse non posse. Quod denique mala pro bonis nuper à quodam Vgone reportasse conquereris, communis isthæc tibi mecum atque cum multis querela est. Tu ergo communi iactura, si licet, propriam consolabere. Præsertim quia cernit Deus omnia vindex.

Purgatio quando non salutas coram sed literis.

MARSILIVS FICINVS
Reuerendissimo in Christo patri. D.
Marco Veneto Cardinali diui
Marci, S. P. D.

SOlent aliquando genitores adeò efficaciter imaginem suam filio prorsus imprimere, vt qui natum videat viderit & parentem. Id equidem dari mihi nunc diuinitus opto, vt Epistolam mente in præsentia procreem adeò mei similem, vt ad te venisse videar dum accedit Epistola, alioquin impius proculdubio sum futurus nisi ad patronum meum iamiam nobis propinquiorem me subito conferam. Si quid vnquam ardenter optaui id ardentissime nunc exopto, consequi posse putans. Solus enim liber ex omnibus operibus artium liberi tanquam filij nomine nuncupatur, quia solus prodit simillimus authori, certe similior quam pictura, hæc enim solam refert vmbratilem personæ nostræ figuram, siquidem homines ipsos, id est, animos, Plotinus mundanam hanc tragœdiam ingredi putat corporibus personatos. Liber autem totum exprimit hominem, quando totum explicat animum. Verum quid ago? Dum Epistolam mihi persimilem exigo paulatim, reddo dissimilem. Non enim erit humili Marsilio similis, si altius caput extulerit. Iam igitur suppliciter me tibi commendo. Vale Ex Florentia die XXVI. Iunij. M. CCCC. LXXXVII.

Multa quæ stellæ significant, dæmones persuadent, nos agimus.

MARSILIVS FICINVS
Nicolao Batoreo Episcopo Vaciensi, S. P. D.

SCribis Matthiam inuictum Pannoniæ regem præsentiam nostram desiderare, quod & tu valde desideres aliique nonnulli Platonicæ mentis explicandæ gratia. Rogas si minus ipse venire valeam, vt aliquem saltem mittam ad vos meorum qui vestro hac in re satis desiderio faciat. Ego verò curabo pro viribus, vt ad vos Sebastianus noster amitinus accedat, aut si per occupationes suas ipse non possit, iter ad vos meorum alius agat, me verò patrias mutare sedes mirum fuerit, siue mutationem prohibeat Saturnus in Aquario nobis ascendens, quod forte iudicabit Astrologus, seu vetet aliquis eiusmodi genius, quod Magus forsitan opinabitur, siue corpusculum ineptum laboribus impediat iter, seu mens contemplationi semper intenta quiescere iubeat. Ambiguas equidem hac de re causas assignaui. Nam Platonici putant humanos euentus à stellis quidem interdum significari, incitari verò frequenter à dæmonibus stellarum quasi pedissequis, peragi denique ab hominibus, pro conditione rerum nobis propinquiorum. Vale.

Consolatio in obitu filij.

MARSILIVS FICINVS Vgolino Verino poëtæ, S. P. D.

PRiscorum sapientum sententia à Plotino in libro de prouidentia maximè confirmata, homines, id est, animos in hanc vitam ab ipso Deo velut in comœdiam tragœdiamuè descendere, vbi fabulosa sint omnia quæ vulgo vel aduersa putantur, fictæ diuitiæ paupertasque, ficti reges & serui, ficti similiter ortus & obitus. huc forte tendit Platonicum illud, humanum genus in terris est Dei ludus. Ludi quidem huius & fabulæ author est ipse Deus qui & pater est animorum, hos igitur velut histriones in ludum hunc ille demittit ex alto, personas autem his adhibet ipsa mundi natura, coniugio ad hoc ipsam maris & fœminæ ministrante. Felicior certe discedit ex ludo, qui authori Deo recedit acceptior aut qui obsequentius gessit sibi traditos actus, felicissimus omnium cui præ cæteris honestiores dati sunt actus & breuiores. Solet enim fabula longior tragica frequentius inserere comciis. Nũ igitur ingenuum adolescentem illũ Verine deflebis? conquerens filium tuum teneriorem è vita migrasse? filium ne tuum? quem non tu procreasti, sed Deus, quem tu, breui lusurum à Deo missum persona quadam subornasti, tamen ac subornatum ad ludum hunc pro viribus instruxisti, qui non est vita, sed ex quodam vitæ ludo rediit in ipsam vitæ substantiam, qui cum doctam honestamque & piam ludi huius prouinciam strenuè gesserit, alacer remeauit ad patrem antequam comœdiam in tragœdiam commutaret, pro breui ludo præmium reportaturus æternum.

Studium diuitiarum atque dignitatum, maximè omnium nocet studio literarum.

MARSILIVS FICINVS Petro Soderino Academico, S. P. D.

ASTronomi veteres duo domicilia Iouis apud superos inuenerunt, Pisces atque Sagittarium, duo quoque Mercurij, Virginem atque Geminos. Cum verò Virgini quidem Pisces oppositi sint, Geminis autẽ Sagittarius opponatur, merito nos admoneri cœlitus arbitramur, ingenio & studio literarum quæ Mercurio tribuuntur, nihil magis opponi quam immensum diuitiarum & imperij studium præ cæteris Ioui tributum. præterea cum Leo Solis domus longissime ab Aquario distet domo Saturni. Rursumque Aries exaltatio Solis remotissimus sit a Libra exaltatione Saturni, Sol autẽ reges, Saturnus verò Philosophos contemplatoresque significet. Quisnam hæc intelligens sperauerit vnquam vel Philosophos? Certe non aliter quam diuinitus id effici potest, & tanquam diuinum munus Plato noster vehementer optabat. Hanc equidem scio sententiam tuam esse, mi Petre, Noui enim excellentiam ingenij tui mentisque præstantiam. Hæc igitur vnà tecum confabulari decreui, vt te in hac tua sententia rationibus cœlestibus confirmarem. Vale.

Commendandus ante omnes qui sapientiam toto orbe perquirit.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Pico Mirandulano Conphilosopho suo, S. D.

SAlue. Robertus Saluiatus amicus fidelis & strenuus, hesterno vespere mihi legit Epistolam tuam, qua certis argumentis aduersariorum istic tuorum maledicta refellis. Conuenimus igitur vt hæc magnanimo Laurentio recenserem, quo si quid ille prius ex vrbe Roma aduersariis dictantibus accepisset falsum, conuinceretur. Recensui ergo libens atque ille libenter audiuit. Vnde coniicimus nullum latere in eius animo erga te odium, sed amorem. In primis illud asseuerandum fuit, istos non tua sed sua causa in carcerem fuisse coniectos, nam contra istinc huc vsque fuerat diuulgatum. Eos igitur propria culpa fuisse comprehensos, & tu satis Epistola tua declaras, & Petrus Leo mihi fuit testis, qui acceperat illos temere nimium & superbe in Pontificem oblocutos. Inter hæc autem magnanimus hic Leo noster hinc abit alacer peragraturus orbem raptus veritatis amore. Quam & si nobis vester quantum licet homini iam consecutus, prosequitur tamen impensior, diuinum præterea pro humano fructum, si Deus aspiret, reportaturus. Nostrum est igitur, religiosis precibus atque votis diuinum amico tanto præsidium, inter diuersa incerti itineris discrimina, comparare, Valeat ille felix, tu quoque vale feliciter.

Gratiarum actio, congratulatio, commendatio.

Serenissimo Pannoniæ regi Matthiæ semper inuicto. Marsilius Ficinus Florentinus suppliciter commendat.

ACcepimus eodem nuntio, te nuper Dei gratia fortiter potitum victoria, & amicum nostrum gratia nostri clementer è carcere liberasse. Gratulor itaque tibi quampluri mum, congratulor & amico, mihi denique gaudeo, quod tamen apud regem tantum me posse cognoscam. Ago equidem Deo gratias pro fœlici victoria tua, tibi quoque post Deum pro libertate amici non mediocriter, sed plurimum pro authoritate apud te mea. Optoque etiam tibi quidem victorias posthac longe maiores, amico ante meo beneficia subinde maiora. Vt cui liberalitatem beneficiorum maximam contulisti, non dedigneris: præterea, si res postulauerit, leuiora conferre.

Cognitio de diuinitate animæ ante omnia necessaria.

QVidnam prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? frustra laboras Philosophe dum conaris omnia comprehendere nisi apprehenderis animam, per quam sis reliqua comprehensurus, quidnam tibi Theologe prodest, æternitatem asserere Deo, nisi eadem tibi quoque asseras, vt per æternitatem tuam frui possis æternitate diuina? Ergo Philosophi simul atque Theologi venite precor omnes, audite Prophetam admirantem, quanta fecit Deus animæ nostræ. Quidnam exclamas, ô Propheta, cum ais, venite? quid rursum admiraris, quando dicis, quanta? quid tandem portendis vbi subdis, Deus? exclamo equidem, admiror, portendo, Deum ipsum animæ nostræ dedisse diuina. Sin minus, ô fratres, Prophetæ creditis, quærite, petite, pulsate, quantum licet parentem nobis Deum. Ergo tu bone Iesu qui pendes isthic pro anima, nunquid voluisti pro anima corporea pati, pro anima mortali mori? Aspicite, ô fratres, auscultate precor, nonne videtis os ille suum aperire atque respondere, Absit, vt pro re vilissima rem pretiosissimam commutauerim, imò verò pro anima hominis diuina, Deus factus est homo, pro anima immortali sum mortuus. Erubescant igitur, conturbentur, confundantur valde velociter inimici nostri, quoniam Deus noster magna & mirabilia fecit nobis. Inimici nostri, non qui pecuniam nobis surripiunt, pecunia enim non nostra est, sed est fortunæ. Inimici nostri, non qui corpus occidunt, corpus enim non tam nostrum est quam fortunæ, naturæ fati. Inimici nostri qui perimunt animum, hic enim solus est noster, hic ipse nos ipsi est. Interimunt verò animum qui corporeum prædicant atque mortalem. Erubescant igitur Aristippici, conturbentur Epicurei, confundantur Lucretiani, erubescant, si sunt Philosophi, nulla ratione niti, conturbentur, si sunt egregij, plebeia consuetudine falli. Confundantur denique Platonicis argumentis quæ deinde sequentur.

Philosophia Platonica tanquam sacra legenda est in sacris.

ORATIO MARSILII, in principio lectionis.

ASpira nobis precor alme Deus, narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te, in conspectu Angelorum psallam tibi. Solebant quondam dilectissimi fratres, qui exoptatas à Deo fruges vberius impetrabant, frugum primitias reddere Deo. Pythagorici, verò, quos nostri sequuti sunt Platonici optatam imprimis & acceptam diuinitus sapientiam Deo reddentes, sacra Philosophiæ mysteria meditabantur in templis, atque docebant. Nos igitur antiquorum sapientum vestigia pro viribus obseruantes, religiosam Platonis nostri Philosophiam in hac media prosequemur Ecclesia. In his sedibus Angelorum diuinam contemplabimur veritatem. Verùm, ô dilectissimi fratres, candidis omnino mentibus has sedes ingrediamur, quas Deus omnipotens pro illis qui in tenebras iamdiu corruerant, nuper candidioribus implet Angelis sedesque restituit, patrocinio insignis pietate ciuis quem cognoscitis omnes atque veneramini. Vt autem certiorem spem habeatis nostras animas posse quandoque sublimius in sedes Angelicas euolare, venite, audite, videte, quanta fecit Deus animæ nostræ. Iam verò si Angelicum templum hoc intrauimus admirandum spectaturi Deum, Deoque perspecto suauiter fruituri, mandatur autẽ mox intrantibus (Cognosce teipsum) merito debemus animam nostram in primis agnoscere, per quam velut speculum venerandum parentis nostri faciem feliciter speculari possimus.

Congratulatio.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Francisco Bandino, S. P. D.

PAndolphus Pisaurensis vir præclarus innumeris me tuo nomine salutationibus obruit. Tunc verò maximè veram mihi salutem dixit, quando dixit, esse te saluum & egregie saluum, atque ab inuicto Pannoniæ rege magnis legationibus honoratum. Gaudeo mirum inmodum prosperitate, Bandine, tua, hæc enim, & in amicos patriamque redundat. Vale felicior indies, iterumque felicior.

Iupiter & Venus Martem domans.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Pico Mirandulano Conphilosopho suo, S. D.

RObertus Saluiatus noster nunciat mihi dum publicæ lectioni ardenter incumberem, te sospitem peruenisse Bononiam. Gratulor equidem te factum nobis viciniorem, gaudeo te ex iniquorum manibus incolumem euasisse. Octobre superiore dum Mercurius à Marte combureretur, fremuerunt aduersum te Martiæ Gentes, & populi meditati sunt inania, quos extemplo derisit qui habitant in excelsis. Nam & nos interim hora Iouis & Veneris magnanimi Laurentij patrocinio freti, ne Mercurius etiam in terris vreretur obstitimus. Obstet Deus precor in posterum aduersariis nostris atque maledicis. Vale felix & me ama te amantem.

Exhortatio ad amicos, vt percepturi Deum corporeum omne deponant.

PRophani sunt habendi, vt Plato in libro de scientia inquit, qui nihil esse putant nihil quod pugno comprehendi potest. Omnisolens Epicure, complectere manu puluerem, subterfugit protinus ipse tibi, coge aquam, subterlabitur, coërce aërem, subterfluit, cohibe ignem, subteruolat. O Epicure demens, non potes ignem, non aërem, non aquam, non puluerem constringere pugno, potes ne igitur illum cō plecti pugno, qui pugno vniuersum ipse complectitur? Corpus vis esse Deum, esto corpus excellentissimum. Igitur ignis esto. Accede igitur ad hunc ignem, lumen habet pariter ac ardorem. Comprime (si potes) manu lumen, non lumen iam, sed tenebras reportabis, comprehende pugnis ardorem, protinus dissolueris. Deus ignis consumens est, non pugnis, id est, imaginatione, non affectu mortalium, hunc potes apprehendere, etiam si moratus fueris, nullo tamen imaginationis pugno diuinæ veritatis percipies lumen. Relaberis enim protinus in tenebras falsitatis. Opus est igitur Dialectica cunctas imaginationis nebulas dissoluente. Rursum etiam si Dialecticus fueris, non potes tamen mortalium oppressus affectibus vitali calore Dei salubriter ipse perfrui, dissoluit enim quicquid materiæ reperit. Quod autem occurrit à materia liberum assistit, sibique conciliat. Depone igitur terrenos affectus, diuino protinus ardore salubriter perfrueris.

Quòd ab amore Dei exordiri debemus, vt Deum intelligamus.

DEus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Verùm si charitas est amoris appetitus, stimulus, indigentia, Deus autem nullius indigus, omne bonum, quo pacto ipse Deus est charitas, est in charitate feruor, est lumen, est & gaudium. Est itaque Deus charitas, sed charitatis huius feruor quidem accensus est in anima, lumen verò viget in Deo, gaudium in vtroque sicut solis radius idem propè concauum speculum in se quidem lumen est, sed ardor illic in ligno, & ex ardore fit lumen ibidem. Qui igitur manet in charitatis ardore, statim in ipsa Dei luce manet, statim diuinum gaudium manet in eo. Cœleste profectò corpus perspicuis subinde corporibus, tanquam valde similibus, lumen prius communicat quàm calorem, terrenis autem admodum dissimilibus calorem impertit ante quàm lucem, hæc igitur ardore purgata factaque simillima cœlo, lumen protinus inde reportat. Animus igitur terreno corpore circumseptus ab amore Dei exordiatur oportet, vt amore purgatus, lumen sortiatur inde diuinum & in lumine gaudium.

Insinuatio quædam in amicitiam.

MARSILIVS FICINVS Domino Francisco Scali, Neapolitani Regis Secretario, S. D.

DVm cœnarem apud Philippum Valorem meum, accepi literas à Nicolao Valore meo, quibus significat, quàm ardenter me ames, quantis me laudibus prosequaris: addit præterea eum

te virum esse, quem vltro vehementer amare debuerim, etiam non amantem. Ego igitur qui Valoris mei testimonium esse validissimum certè scio, non solùm redamo te iamdiu me amantem, sed opto me amore te insuper præuenisse, & colo mirum inmodum, & gratias ingentes ago, quod me beneuolentia tua, tuisque laudibus dignum existimaueris. Ita enim & cunctorum excellentium virorum amore amore laudibusque dignum arbitror me effectum. Quid igitur tibi pro munere tanto rependam? Et si non quantum debeo, saltem quantum valeo, valebo autem fortasse non parum, quatenus multum in Valoria domo valebo, hæc enim nobilitate, authoritate, iustitia, plurimum ab ipso Florentiæ vrbis exordio floret. Vale Florentię, die 14. Decembris. M. cccc. lxxxvii.

Exhortatio ad iustam causam defendendam.

MARSILIVS FICINVS
Domino Ioanni Victori Senensi
præclaro Iurisconsulto, S. D.

SEbastianus Saluinus Theologiæ doctor & doctus Amitinus noster eget patrocinio tuo in causa sua, & hac quidem admodum iusta. Iustitia verò quantum in cœlo patria sua robusta est, tantùm extra patriam in terris euadit infirma, vt continuo indigeat sustentaculo. Solus autem iustus qualem esse te ferunt, & facilè credo, potest ac vult, matrem suam sustinere iustitiam. Spero igitur, quod vehementer exopto, te causam necessarij nostri iustissimam facile suscepturum, quam cito feliciterque expedias. Vale.

Commendatio amici apud Regem.

MARSILIVS FICINVS
Matthiæ Pannoniæ Regi semper
inuicto, S. D.

OPto, serenissime Rex, literas propemodum maiestate tua dignas ad te dare, sed vrget admodum me scribere cursim, tum sacerdos ipse Vincentius, necessarius meus, commendationem nunc efflagitans, tum nuncius discessurus ad horam. Accipies ergo literas non quales solet ocium & libertas, sed quales necessitas properantior procreare.

Proinde si forte videor in postulando procacior, solita erga me clementia tua tantam mihi tribuit libertatem. Ergo libenius obsecro, vt quem olim sponte mei gratia è carcere liberasti, nunc à me rogatus, hoc insuper afficias beneficio, vt perditam istic pecuniam suam (si fieri potest) quandoque recipiat. Ego verò quod toties iam tantum apud te possim tibi quidem gratias ago, mihi verò gaudeo. Deum denique obsecro, vt feliciter tibi semper aspiret.

Cur viris magnis discrimina magna immineant.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Pico Mirandulano
Conphilosopho
suo, S. D.

SVperioribus diebus Laurentium Medicem in crudo nimium obitu filiæ, verbis (vt fieri solet) consolabar amicis. Magnanimum virum consolationibus nullis egentem, consolationemque interea etsi superuacuam, necessariis tamen rationibus & exemplis testamenti veteris confirmabam. Inter loquendum incidimus mox in Mosem, cuius vitam gestaque ab initio, Laurentio iubente, narrauimus. Quibus ille auditis, vides Ficine, inquit, quot, quam diuersa, quam magna futuræ Mosis magnitudini, non solum ab infantia per omnem vitam, sed in ipso etiam ortu & ante ortum obstitere pericula: profecto compertum habemus magnis sæpe incœptis hominibusque futuris quandoque magnis ingentia passim imminere discrimina, siue magnanimi grandia, dura, ardua moliantur, seu aduersa fortuna tentata sæpius atque superata, viros fortissimos prudentissimosque efficiat. Siue communis liuor plurimorumque ambitio egregiis se semper opponat. Seu diuina prouidentia ita commodis & incommodis vitam hominum nostrę salutis gratia temperauerit. Seu lateat præterea causa quædam inferior Deo, superior homine, res hominum ita commiscens, quam indagare ociosorum est & forte nonnunquam curiosorum. Verum vndecunque veniat, id ita profectò venit. Ac ne præterita nũc, quæ innumerabilia sunt, exempla reuoluam, videtis subiunxit, eramus enim multi, quam certa sint in Mirandulano argumenta magnitudinis singularis, non futuræ solum indicia, sed ferme præsentis experimenta, præterea quàm grauibus hic adolescens discriminibus agitetur. Denique & ille mirificè te probauit, & cæteri comprobarunt. Paulo post ad me conuersus ait: Vos autem ociosi, num aliquam ad hæc latentiorem cau-

sam inuenistis? Ad hæc ego, si figura vel harmonia cœlestium portendens securam vitæ facilitatem, tam diuersa est ab illo quæ excellentiam virtutis promittit & gloriam, vt rarissimè admodum concurrere possint, aut forte non possint. Accedit ad hæc, quod sint in aëre dæmones quasi stellæ secundæ in cœlo hoc nobis proximo. Inter quos stellarum instar sunt dæmones superiores, sunt & inferiores vtrique pastores hominum. Superiores quidem egregiorum, inferiores autem gregariorum. Inferiores sanè dæmones quasi homines quidam humanis mouentur affectibus, præcipuè verò superiores inuidiaque tanguntur, ideoque dolent viros dæmonibus sublimioribus commendatos excellentiores palam existimari quam suos, & idcirco nolunt eos regnare, proficisci, viuere, suscitant igitur contra illos ex gregibus suis vbique complurimos, bestias insuper opponunt atque etiam elementa. Hæc ibi dicta sunt. Sed nonne & magnum aliquid fore decreuit Platonicorum documentorũ copulam ab initio supernus ille Saturnus in natali vtriusq; figura Dominus, Dominus & in figura Platonis, horum itaque copulam Saturnij dæmones præcipuè regunt. Sed hanc interea dissoluere passim Martiales dæmones machinantur. Siquidem Mars ipse in tres, quas dixi, figuras venit vt hostis. Tantum denique copula hæc destinata potentibus primordiis, potentes quoque quos sustinet hactenus aduersarios superabit, quanto Saturnus est Marte superior, Saturnus qui olim me nascente, suum capite tangebat Aquarium, atque anno post trigesimo in lucem te prodeunte repetebat eundem, huc tendit, vt arbitror, Laurentius inter Saturnios præstantissimus & me tuetur & Picum ad Florentem reuocat vrbem. Et si omne solum forti patria est, hoc tamen præcipuè Picum suum Saturniæ iubent capessere sortes & iussere iamdiu, cum primum sub coniunctione magna huc habitaturus accessit. Esto felix, Florentinus esto. xxx. Maij. M. cccc. lxxxviii. Florentiæ.

Quo vadit amicus & tu vadis.

PLATONICVS
Complatonico S. D.

NE quando Marsilium in amicitia primum isthuc venisse dicas ad te postremum, ecce venit. Contemplare, si placet, vultum istius qui te modo salutat & gestus. Sed interea quid sub persona lateat, attentius inspice. Iuueniles ne hos, inquies, contempler pro Marsilio vultus? At supplex ille Pice, si nescis, impetrauit nuper, vt renouaretur velut aquilæ iuuentus sua. Impetrauit sane. Gestus autem quales?

Quanam ratione factus modo iunior effectus est & grauior? O quam grauibus amice vix tandem obsecrationibus impetratur pro senectute iuuentus, vt non mirum sit hominem tam grauiter obsecrantem, inde iuniorem simul grauioremque euadere. Euaserit quidem, sed cur Philippi Valoris ille potissimum induit vultus? Mitto nunc Pice quam formam potissimum elegerit amor, ille Deus eiusmodi operis Architectus dæmon certe vultus transformationis amatoriæ faber, miro quodam naturæ affectusque valore vsus in transformando, nimirum Valoris formam expressit in opere. Agnouisti iam satis qui cum loquaris amice. Vale, & Valorem ama.

Erunt nouissimi primi.

MARSILIVS FICINVS
Probo Pontificis Commissario, S. D.

QVoniam in Euangelio de conuiuio legitur, Erunt nouissimi primi, discumbe, probatissime Probe, nouissimus hodie hac in mensa, in mea mente primus. Vt autem ego in tua mente sim primus postulare non audeo, satis mihi factum existimabo cum gradum apud te obtinebo secundum, secundam enim inde mihi fortunam auspicabor. Præterea qui secundus Probo fuerit, quandoque probandus erit. Probauimus sane literati plerique Pontificem, quod viro apprime docto nos commiserit iudicandos. Literati enim quando in hominem indoctum incidunt, cadunt, doctum verò nacti, resurgunt. Nacti denique doctum pariter atque probum surgunt, vlterius non casuri, Vale.

Iocosa ex eo quod salutaturus, non salutauit.

Ionnes Picus Mirandulanus, Marsilio Ficino Philosopho Platonico, S. D.

SAlue pater Platonicæ familiæ. Iam extra omnem controuersiam, & noxium, atque infaustum esse Saturni sydus, & te, mi Ficine, & si tuo fortasse bono, meo certè malo Saturnium esse natum. Vt enim ille est plurimum retrogradarius, sic & tu

quoque simili prædims ingenio, iam bis retro retulisti pedem, & quod est maius, occumbente sole, ne te Phœbi Iubar dicas esse reueritum. Sed dic amabo, quid fuit in causa iteratæ retrocessionis? An tuus Saturnus? An potius saturi nos? Sed quicquid illud fuit, quod te mihi, id est, me mihi abstulit, fac quæso in posterum, vt non seiungat nos, qui nos olim coniunxit, nec te vnquam credas ad me saturum accessurum, qui te solatium meæ vitæ, meæ mentis delitias, institutorem morum, disciplinæ magistrum, & esurio semper & sitio. Vale & veni, vt tuus Saturnus, id est, tuus saturus vãs me quoque saturum reddat. Vale iterum, imò iam adueniens salue.

Planetæ reuerentur solis aspectum.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Pico Mirandulano, S. D.

QVod mense superiore tardior admodum quàm soleam, ad te accesserim, in causa sit Saturnus, mense etiam superiore retrogradus, postquam ipse ex Capricorno Solem in Tauro per triangulum cœpit aspicere. Quod autem heri bis ad te & manè, & vesperè proficiscens, bis retuli pedem, si qua apud superos culpa est, in culpa sit Iupiter, heri namq; incœpit Iupiter retrogradarius esse, vtpote qui in trinũ similiter veniebat Solis aspectum. Ille enim ex Piscibus hunc iam spectabat in Cancro sedentem. Cùm vero superiorum planetarum mos & natura sit, cùm primùm in ipsum Solis conspectum prodeunt, inde regredi aut progredi, vtrisque iam & Saturno & Ioue testibus, tu mihi Phœbus eris. Quanta igitur fides est in Ioue, quanta firmitas in Saturno, tam firma fide tu mihi Phœbus eris. Vale. quarto Iulij. M. CCCC. LXXXVIII.

Labor improbus omnia vincit.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Pico Mirandulano, Conphilosopho suo, S. P. D.

SAlue solus musarum salus, sed ad hoc ipsum vt saluus sis, nihil in rebus humanis magis expedire videtur, quam vt Saluiatus noster velit esse te saluũ. Quantum igitur opto semper fore te saluum, tantùm opto Saluiatum tibi salutem, vt nunc ita semper optare. Equidem præter hunc noui nemin, qui quodcunque velit, protinus assequatur, siue enim ipsa virtute voti homines consequuntur optata, solus hic toto animo, totoque spiritu assidue quicquid elegit, efficit, siue sedula potius opera diligentiaque perficiuntur incœpta, solus hic quicquid sequitur ardenter ad finem vsque prosequitur, vt quod dicitur solus qui ad finem vsque perseuerauerit, hic saluus erit, portendere videatur, solus hic saluus erit. Forte verò & granum illud sinapis quo transferuntur montes, hic noster habet. Nam & heri cameleopardalum transtulit per foramen acus, per inuia traducens animal, viæ prorsus ineptum. Quid ergo nobis opus est centum illis, quas nunc vna legimus rationibus Nicolai ad Astrologos confutandos? Vna hæc satis nobis sit pro centum. Nempe cum hic noster contra Saturnum retrogradum sibi negantem expeditionis officium durissima quæque celeriter ardenti quodam studiò peragat, satis hinc exploratum habemus, studio nostro potius quam instinctu cœlesti nostra negotiã peragi. Mira profectò potestate pollere animus cognoscetur, si modo toto sua potestate vtatur ad opus. Vale sexto Iulij. M. CCCC. LXXXVIII. Florentiæ.

De tribus gratiis & concordia.

MARSILIVS FICINVS
Roberto Saluiano & Hieronymo Beniuenio, S. D.

SOlent multi scribentes Pico inscribere Concordiæ Comiti, hactenus quidem recte admodum appellatus est Concordiæ Comes, vtpote qui & cõcordiam ipse quærebat, & libenter concordes homines sequebatur. Posthac autem non Comes quidem, sed Dux Cõcordiæ extra controuersiam est appellandus. Iam enim hunc ipsa velut ducem concordia sequitur. Nempe sicut nebulæ discutiuntur Solis accessu, sic aduentu Pici procul omnes discordiæ fugiunt. Subitoque hunc passim sequitur concordia ducem, adeò vt solus hic valeat quod olim tentauere nonnulli, & hic agit assidue, tum Iudæos Christianis, tum Peripateticos conciliare Platonicis, Græcosque Latinis. Et merito, quoniam tres illæ Gratiæ, quæ quondam Venerem suam comitabantur, statim nascente Pico, Picum relicta Venere, Iouis & Phœbi Mercuriique imperio comitantur, prima quidem ab initio formauit animum, secunda statum animo confirmauit & corpus, tertia fortu-

næ denique iubet parere consilio, & qua colit animum, tres animo gratias imprimis adhibuit, sapientiam, eloquentiam, probitatem, sic enim Phœbus, Mercuriusque & Iupiter decreuerunt. Quamobrem si & quemadmodum Furię discordiam pariunt, ita Gratiæ concordiam procreant, merito Picum quem Gratiæ comitantur, sequitur & vbique concordia ducem.

Quomodo tacentes etiam colloquantur amici.

MARSILIVS FICINVS Pierleono Complatonico suo, S. D.

Nescio quo consilio, vel fato potius vel forte casu factum fuerit, vt heri Florentia discedens, non dixeris saltem per nuntium (sicut soles) Ficine Vale. Hoc certo scio id te & si non alia necessitate, saltem amicitiæ iure, si modo poteras facere decuisse. Neque frustra id forte fuisset factum. Cupiebam equidem, quod etiam significaui, longius confabulari tecum. Sed dum confabulationem meam coactus ad triduum differo, inopinatus tuus iste discessus fabulam frustratur meam. Ita mihi abit longa hæc inuentum fabula, dum magnanimus hinc abit Leo mihi non fabula. Erraui modo. Non enim inuentos euanuisse potest, nondum pronuntiata fabula. Quid ergo?

Si meus tuusque genius volatiles voces iudicauit indignas, quibus æternus committeretur huius fabulæ sensus, itaque si voces quodammodo viuas dedignatus est, qua nam ratione dignabitur literas non viuentes? Quæ igitur non commendaui vocibus, nec literis commendabo. Hanc ergo confabulationem, intimam Genius meus qui nec vsquam, nec vnquam abest discedit ue à tuo, nunc iam exorditur tuo loquens prosecuturus in æuum His ita confabulantibus intus nulli se vlterius inserent liuidi nigrique dæmones extrinsecus occurrentes. Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis. Vale fœliciter, Philosophare fœlicius, ad Florentem Vrbem adeò tibi amicam aliquando fœlicissime rediturus vndecimo Augustij. M. CCCC. LXXXVIII. Florentiæ.

(:.) (:.)

In ignem omnia resoluenda secundum Orpheum.

MARSILIVS FICINVS Callimacho sapienti Poëtæ, S. D.

Orpheum aliosque nonnullos cecinisse ferunt: Cum omnia ex materiis quatuor inter se contrariis composita sint, & ignis amplissimus omnium, atque potentissimus, motuque perpetuo paulatim reliqua conterat, cætera tandem in ignem penitus resoluenda. Quid ergo? Si diuinus temperator omnium intellectus resolutionem eiusmodi tantam mundo concessit, vt quemadmodum quamdiu sibi constat in formam pulcherrimam est compactus, ita cum demum soluitur, in materiam formosissimam redigatur. Hunc ergo nos tantum interitum vniuersi, si credimus, æqua mente ferimus. Feremus magnanime mi Callimache æquo similiter animo nouum tuæ domus incendium. Lucem præterea quærebas ex libris, in lucem tibi conuersi sunt libri sapientes in cœlum rapti, contra quam è cœlo Prometheus cum igne rapuit sapientiam. Quid igitur hinc tibi auspicamur amice? Magis obitu tandem quam vita lucebis. XV. Augusti. M.CCCC.LXXXVIII. Florentiæ.

Videndum quo stylo ad quem scribas.

MARSILIVS FICINVS Hermolao Barbaro Veneto, S. D.

Agitur apud te, vt audio, causa Mathiæ Cini, qui isthic negotia curat ciuis cuiusdam amicissimi mei Nisi hic me rogauisset, eius tibi iura non commendarem, nam superuacuum esse puto viro prudenti iustoque, iustitiam commendare. Hæc, Hermolaë, me causa compulit, vt tibi nonnihil post longa silentia scriberem. Scriberem certe sæpius si scriberem elegantius. Audio enim castigatissimis auribus tuis, nisi exquisitissima non placere. Beatus es amice qui primum sis gradum eloquentiæ consecutus. Neque tamen ego miser, nam decimo sum contentus. Vale & me ama plurimum te amantem. Ioannes Picus noster, qui Florentiæ nunc Philosophatur egregie se tibi commendat. XIII. Septembris. M. CCCC. LXXXVIII. Florentiæ.

De Famæ volatu. Et quod sua cuique charissima sunt.

MARSILIVS FICINVS Paulo Florentino Theologo, S. D.

GRatissime mihi contigerunt literæ tuæ, quibus equidem intellexi, & te bene valere & me volare, quod enim, vt scribis, totam iam Europam in amatoriam mihi subegerim seruitutem, facere quidem accessu non valui, ergo feci volatu. Sed tu laudum, imò & præconiorum spiritu ad volatum hunc alas adhibuisti. Tu ergo mi Dedalus esto, I modo, ne ego tibi sim charus, quamuis valde charus, & merito imprimis tibi sum charus, quandoquidem tua tibi debent esse charissima. Sunt & mihi tua quoque tam chara, vt adolescens iste nobilis tibi ante alios commendatus, sit mihi quoque gratissimus. Præsertim quia doctrina iam, vt ais, iudicioque sit senex. Profecto sic vices rerum sæpe natura rependit, quandoquidem sunt & plerique senes etiam ingenio pueri. Denique quam meus sum, tam sum mi Paule tuus, tam etiam adolescenti sum suus. Vale.

Nihil magis impedit literas quàm ciuilis ambitio. Probatur per Astrologiam.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Hermolao Barbaro Veneti Senatus Oratori clarissimo, S. D.

ACcepi à multis hoc anno, & nuper à Petro Alamanno, qui isthic legatione functus, heri me tuo nomine salutauit, in te legatione tua, non minus consueueris incumbere literis, & quod mirabilius est, acrius etiam philosophari, quam soleas. Solent homines mi Barbare, quando publica gerunt, imo etiam cum primum attingunt, intermittere studia literarum. Tum quia negotiosa vita, literarum imprimis ocium aufert vacuæ mentis opus. Tum quo propius ad Iouem accedimus gubernationis & imperij dominum, eo longius discedimus à Mercurio principe literarum Nam & Luna cæterique cœlestes nusquam ab ædibus Mercurij separatiores sunt, quam vbi Iouis sedes ingrediuntur. Quippe cum ipse mundi faber, & Virgini Pisces & Geminis Sagittarium opposuerit. Præterea nonne Solem quidem principes & honores significare putant, Saturnum verò Philosophos? Horum autem in cœlis & regnum regno & domus domiciliis opponuntur. Quis igitur vel princeps philosophabitur vnquam? vel Philosophus dominabitur? Sed cum tu quæ neque polliceri videtur cœlum, neque præstare mortales solent, efficias, animum dicemus tuum, quemadmodum Plotini animum Magus dixit Olympius, humana cœlestique natura potentiorem esse. Tanta igitur potestate gaude. Eadem congratulantur amici. Vale. XI. Octob. M. CCCC. LXXXVIII.

Pauci negotia publica coniungunt cum studio literarum.

MARSILIVS FICINVS Francisco Gaddo Florentini Senatus Oratori, S. D.

SCribo ad Hermolaum Barbarum, probans eum quod in ciuilibus turbulentisque negotiis solitum captet ocium ad studia literarum, quodue mirabilius est, etiam philosophatur ardentius. Et quanto magis Iupiter, huic curis publicis caput vrget, tanto magis vrgeat ipse Mineruam Iouis capite natam. Pauci quos æquus amauit Iupiter, non Planeta, sed conditor Planetarum, pauci coniungunt in vnum duo hæc inter se longè diuersa. Soli diis geniti potuere vel simul vtraque prosequi, quod efficit Hermolaus, vel dum sequuntur alterum, quod est philosophandi studium, momento perficere, quod cæteri vix tempore longo facere potuerunt. Alterum hoc efficit Picus noster, cui quidem igneus inest vigor & cœlestis origo. Aqua lignum mille vix annis transmutat in aquam, Ignis illud quasi momento conuertit in ignem Saturnum Theologi voracissimum appellarunt. Picus Saturno natus, ceu Saturnus ille liberos, sic ipse grandes quotidie libros integros deuorat, quos quidem non in cinerem redigat, vt noster ignis, sed vt cœlestis in lucem. Tu igitur dilectissime Francisce noster, Hermolaum Barbarum imitatus, interim in legatione philosophari non desines. Salutabis, quando per negotia tibi licebit, illum Marsilij Picique nomine. Significabisque quantum nostri sumus vtrique, tantùm esse suos vtrosque, quando verò vtrumque nomino Politianum intelligi volo, indissolubile vinculum vtriusque. Vale XI. Octobris. M. CCCC. LXXXVIII.

Ibi solùm viuitur, vbi viuitur intellectu.

MARSILIVS FICINVS Reuerendissimo in Christo Patri, & D. Marco Veneto Cardinali D. Marci suppliciter se commendat.

Videsne, quàm sit callidus Calderinus noster? Excogitauit hic iamdiu facillimum tutissimumque viaticum, quo saluus semper & Florentiam petat, & repetat Romam. Salutationibus enim sese semper fulcit armatque tuis, quibus & ipse saluus eat per tela, per ignes, & saluum reddat amicum, saluum tibi quoque renuntiet: salutationes verò tuæ sunt, siue abs te eant, siue ad te redeant, hunc equidem quem modo callidum appellabam appello prudentem. Cæteri namq; sortis eiusdem homines plurimum dormitant ad fores insipientium: sed noster interim isthic ad fores vigilat sapientis, vt hauriat salutem à Domino, quam & impertit amicis, imò etiam vt inueniat vitam, sperat enim ibi duntaxat victurum, vbi potissimum viuitur intellectu, siquidem & legit, & meminit, intellectum da mihi, & viuam. Viue igitur felix ante alios, venerande PATRONE, noster tuosque clientes habeas commendatos.



MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS,

MARTINO VRANIO CONSTANTIENSI, Amico vnico, S. D.

PROOEMIVM.



Liber nostrarum Epistolarum nonus, quo sentire circumq; moueri possit, caput iamdiu poscit virtutis animalis arcem, & sensus atq; motus originem. Dum igitur de capite huic eligendo delibero, Angelus ipse nostri custos seipsum adhibet libro caput, iubens videlicet, sibi numerum hunc nouenarium consecrari. Siquidem Angeli nouẽ Ordines non solùm apud Christianos, sed apud Hebræos esse atque Platonicos acceperunt. Sub tanto igitur capite atque duce quærimus; Nunquid quoties liber aut homo, quem custodit Angelus, huc atque illuc pererrat, toties similiter oberret & Angelus? Nequaquã, Angelus enim quem bonum dæmonem geniumque nominant, aut semper esse vbique, quod Plotinus, Porphyrius, Iamblichus opinantur, aut tam facile, velociterque vbicunque vult adest, quam radius ipse solis, huc momento perueniens hinc illuc, & passim eodem momento reflexus; imò & multo celerius atque facilius, quam radius quidem est actus corporis luminosi, Angelus autem sui iuris existit: aut sicut sua cuiusq; stella non descendens influxu passim diffuso gubernat. Quam igitur ob causam ab Angelo librum auspicati sumus, satis iam dixisse videmur. Sed curnam Martino Vranio potissimum dedicamus? Quoniam meus liber iam genialis effectus, ipso iure factus est huius, qui cum mihi idem communis est genius. Accipe igitur libenter, ac lege feliciter, Vranie mi cælestis amice, Martianas pariter atque Marsilianas Epistolas. Vale feliciter alter ego, IIII. Iulij. M. CCCCXC. Florentiæ.



MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

(∴) LIBER IX. (∴)

DESCRIPTIO VILLÆ SALVBRIS.



CVM superioribus diebus, Ego & Picus noster Mirandulanus, vir virtute mirandus, Fesulanos, imò Subfesulanos colles peragraremus, prospiciebamus obiter subiectum oculis totum Florentinæ vrbis agrum, habitationem certè felicem, si modo duo tantùm incommoda cautè deuitentur, & medij fluminis Arni nebulæ, & acres montis oppositi venti. Fingebamus igitur in colle domum ad montis Fesulani radices, vt inde caliginem, hinc Boream vitaremus. Nolentes tamen in concauo sitam, vt auram vberius sub æstu susciperet. Desiderabamus insuper eam inter culta pariter & nemora collocatam; & vndique fontibus abundantem, quæ ad Meridiem vergeret atque Orientem. Quod in ædificiis, vbi de re familiari disputat, omnino præcipit Aristoteles. Inter eundum verò, (dum talia fingimus) repente videmus & talia.

Hic Picus exclamans, Num, inquit, mi Ficine, quod modò vehementer imaginabamur, optabamusque, mox & videre videmur? Quod quotidie somniantibus accidit. An fortè qualem mente machinabamur formam, talem imaginationis potentia fecimus? An potius vir sapiens quondam ædificauit talem, qualem recta & Physica ædificandi ratio præcipit? Tum ego, Hanc Pice, inquam, sapiens ille Leonardus Aretinus dicitur construxisse, & propè hanc ipsam illic, vbi vides Ioannes Boccatius habitasse, hanc deinde conciuis noster Pandolphinus, familia & nomine, Petrus Philippus, eadem certè prudentia qua & illi, elegit feliciter habitandum. O felicem virum! inquit Picus, cui contigit è publicis negotiis secedenti, ædem sacram inhabitare, ædem dixi, nam & propè sacrum hunc est posita lucum, & hanc circunstantes ædes viginti diuorum. Sacer itaque præ cæteris locus est in primis aptus Oraculis. Vnde & Pandolphinus videtur ritè cognominandus. Siquidem hoc cognomine (si Græcum interpretemur) Delphicus totus significat. Hæc, mi Valor, inter nos dicta tunc probataque sunt, eadem ipse necessariò tuo præclarissimo ciui referes, vt sedes adeò salubres, si diuinitus dedicatas, libentius post hac colat, atque frequentius. Vale, quarto Calendas Nouembris. M. CCCC. LXXXVIII.

(∴) (∴)

Querimonia & consolatio, in amicorum obitu.

MARSILIVS FICINVS Amerigo Corsino, Conphilosopho suo, S. P. D.

CONquerebar heri, Corsine noster, vnà cum Ioanne Canacio & Bindaccio Recasolano, fratribus in Platone nostris, de crudeli nimium obitu Alamanni Bonati Academiæ Martis: hunc equidem hanc ob causam Martem Academiæ nomino, quoniam magnanimus Iuuenis & facundus vnumquemque nostrum contra liuidos detractores acerrimè defendebat. Hunc igitur Martem nostrum heri Mars in Leone discurrens, coniuncta secum Luna crudeli nimium casu, allisit ad petram è mulo deiectum, statimque è medio sustulit, Martem hic incuso præ cæteris (si quem nobis fas est ex superis incusare) quoniam Leonem tunc occupabat ipse cum Luna olim ascendentem Alamanno nascenti, & modo percusso, octauam domum in cœlo tenentem. Sed eadem hora qua cecidit miser, heu! & occidit, surgens ab ortu Saturnus in Capricorno, grauemque philosophantis sortem miseratus: amat enim Saturnus ipse Philosophos, animam eius per Capricornum excepit, deorum portam & Angelicis ibi Thronis annumerauit. Et si id satis mœrorem nostrum consolari debet, deflebam tamen, vt dixi, crudum generosi Iuuenis obitum.

Ad hæc illi, Marsili noster, inquiunt, heu! non vnam hanc tantummodo iacturam Academia fecit, sed Locterium doctum etiam & religiosum virum, obitu nuper amisit, vnde consolatione nobis opus sit gemina (si pergimus ista lugere.) Inter hæc nuntiatum nobis est, Amerige, summum tibi hodie magistratum Reipublicæ demandatum, quamobrem consolationem, qua egebamus, geminam protinus consequuti sumus, tum quia hoc munere honestatur amicus, tum etiam, quia tanto viro honestatur & munus: hoc hoc igitur Magistratu & Academia congratulatur, & patria gaudet. Tu quoque gaude Corsine noster, non tantùm præsenti munere, sed felicibus etiam auspiciis. Nunc enim Sol aspectu trino fœlicissimoque Iouem iamjam recta progredientem aspicit, in posterum feliciora promittens. Tunc deniq; præstaturus, quando Deus ipse voluerit, syderum temperator, IIII. Calendas Nouemb. M. CCCC. LXXXVIII.

Positio aspectusque Planetarum ingenio conferentium.

MARSILIVS FICINVS Florent. Hermolao Barbaro, S. P. D.

FRequenter solent amici mutuò scribere animos amicorum inter sem ntibus non seiungi. Quibus sane dicendis mentiuntur sæpius, aut certè falluntur. Longè enim disiuncti sunt animi, quando alter alterius ingenium prorsus ignorat. Tu ergo, vir verus, vt in hoc, sicut in cæteris suis veridicus, si quando idem ad nos tibi, quod cæteris scribere fortè contigerit, misisti nuper ad hos quandam ingenij tui formulam, profectò formosam. Si modo Mercurius largitor ingenij aërium domicilium suum geminos habitans, amplum præstat ingenium. Ac forsan venustius & elegantius quam in Virgine, & aspiciens illinc sextili surgentem in Ariete Iouem, integritatem & humanitatem adhibet pulchritudini. Ac dum inde spectat quoque Saturnum, trino in Libra regnantem, obtinentemque (vt arbitror) Occidentis angulum, sicut & Iupiter Orientis grauitatem, & antiquæ sapientiæ studium, & id quidem firmum atque perpetuum decernit ingenio. Venit itaque ad nos animus Hermolaë tuus, sed hactenus sine corpore suo nudus nobiscum habitat, quo ad reliquam accipiamus abs te cœli figuram, qua corporis forma distinctius & plenius exprimatur. Adeò humanus es, mi Barbare, vt non perpessus fueris amici tui animum, animo suo carere diutius. Num igitur animo nunc tuo tam inhumanus eris, vt patiaris hunc corpus suum diutius affectare? Sed absit vt id permittas. Nam si quod vehementer optamus effeceris, & totus eris, Hermolaë, tecum, & totus pariter nobiscum eris.

Accedit ad hæc, quod genitura tandem perspecta, scribemus ad te nonnihil ad tuam valetudinem non inutile. Sperantes dum vitæ consulimus tuæ, sæculi nostri vitæ prospicere. Vale fœliciter, atque vt fœlicius valeas, totus vbique tecum esto. Duodecimo Nouembris, M. CCCC. LXXXVIII.

(.:.) (.:.) (.:.)

De efficacia loquendi, & ratione iocandi.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Pierleono Philosopho singulari, imò & Poëtæ, S. D.

POëtam verè nunc saltem te esse ne nega. Siquidem modo factus es loquendo factor, hoc sane tua testatur Epistola, his statim in Procemio verbis. Ita sum, inquis, difficilis in scribendo, & quæ sequuntur. Quidnā conaris his verbis, nisi difficultatē scribendi dicere? Hanc interea facis ipse dicendo, difficultatem, difficultatē, inquam, non scribendi tantū, sed insuper & legendi. Tam grandibus simul & atris hæ dictiones sunt plenæ lituris. Adeò ergo & veridicus es & efficax, vt quæ dicis interim & efficias. Verùm quid nunc tum Philosopho grauissimo iocor? At verè non tam Philosophus ego cum Philosopho iocor, quàm amicus amico, sed quomodocunque iocer, quid tum? Nonne & Mercurius ipse nunc iocatur in cœlo, luditque in nobis?

Solet is apud Saturnum, aut Iouem seriò loqui, apud Venerem verò iocari, hac igitur hora cum Venere coniunctus & Luna, & nunc ascendens seria respuit, gaudetque ridiculis. Missa tamen ridicula hæc parumper, si possumus, faciamus. Quod nostra passim Platonicaque diuulgas, tam gratulor equidem, quam luce delector. Soli namque viro nostra canente, tamquam illustrante Phœbo, obscuri esse non possumus. Proculum à nobis expectas. Expecta Proculum simul, atque Iamblichum, diuinum illum Iamblichum, plurimis & grauissimis Porphyrij quæstionibus mirificè respondentem, & interea Ægyptiorum Assyriorumque diuina mysteria reuelantem. Promissorum igitur tarditatem muneris copia propediem, DEVS adiuuerit, compensabimus. Intereavale feliciter. Sed postquam dixi vale, attigit hanc Epistolam legitque Picus noster Mirandulus, vir certe mirandus. Atque ita perbelle legit, tam acriter iudicauerit, vt hanc non tam meam dicerem esse quam suam. Quid ergo? si tactu simul, atque intuitu is eam sic affecit, vt suam è vestigio fecerit, sed tamen interim non desinit esse mea. Quamobrem vbi dixi, vale, dicendum erat, valetudinem tibi properam optat Ficinus Picusque tertio Ianuarij. M. CCCC. XC. statim exorto Sole.

Satis ad vnum scribit amicum, qui cunctis simul scribit amicis.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Francisco Bandino, S.D.

NIhil iamdiu ad te scribo charissime mi Bandine, quoniam interea & tibi & omnibus multa conscribo. Vtinam tam multum bona sint quam multa. Plotini libros omnes iamdiu me fecisse Latinos intellexisti, atque in eos commentaria scribere mox incœpisse, hæc ad dimidium iam perduximus, & forsitan absoluissem, nisi inter commentandum coactus fuissem traducere insuper in Latinū Psellium Platonicum de dæmonibus, & Synesium de somniis, atque ex parte Porphyrium de abstinentia, ac etiam diuinum Iamblicum de Ægyptiorum Assyriorumque Theologia, & denique Priscianum Lydum Theophrasti mentem, de mente diligenter interpretantem. Inter hęc Philippus Valor, valoris & gratiæ plenus, regique vestro omnium deditissimus, Plotini textus commentariaque regi transcribit, volumine regio. Quinterniones iam tres atque triginta grandes sunt absoluti. Vale sexto Ianuarij. M. CCCC. LXXXIX. Florentiæ.

Amicus in amico. Item excusatio de itinere non suscepto.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Platonicus Serenissimo Pannoniæ regi Matthiæ semper inuicto, suppliciter se commendat.

SI mira potest amicitiæ virtus efficere, quod Pythagorici pollicentur, vt sit amici animus in amico, certe nunc meus animus est in Philippo Valore, qui nuper in Pannoniam in primis maiestatem tuam salutaturus accedit. Vt cum istum audiueris suppliciter salutantem, Marsilium ipsum audiuisse te putes. Desiderabam equidem iamdiu maiestatem tuam visere, isthic desideratus à multis, verebar autē ne vires minus itineri longo suppeterent. Decreui tandem in Valore venire, ita demum præsertim quia viaticum mecum attuli, libros salutari mentis alimonia plenos, qui & pro nutrimento in via & pro vehiculo simul mihi forent. Leges ergo feliciter Priscianum Lydum Philosophum, qui & Theophrasti & Aristotelis mentem de sensu & imaginatione & intellectu diligenter in-

terpretatur. Quem equidem non traduxi tantum è Græco, sed breuibus etiam notis exposui. In hoc verò legendo plane cognosces, quod & Themistius asserit, eandem esse Platonis & Aristotelis & Theophrasti de mente sententiam, vt vna quidem omnibus hominibus sit communis, & ea dumtaxat mens diuina, humanas vbique mentes illustrans, quem Peripatetici intellectum vocant agentem. Totidem verò sint propriæ mentes hominibus, quot sunt & animæ, atque hæ similiter immortales. Quos illi intellectus nominare possibiles consueuerunt, id est, à diuina mente formabiles. Per hæc intelliges Alexandrum & Auerroem confutatos, & animæ nostræ diuinitatem prorsus agnosces. Præterea non dedignaberis librum Michaëlis Pselli de dæmonibus legere, breuiter à me traductum, qui Platonicos Christianis in dæmonum opinione conciliat. Videbis post hæc operosum Plotini opus, ex parte nunc in Pannoniam, vt tibi totum ex parte monstretur, allatum. Reliquum est, vt felicissime maiestati tuæ Valorem meum validissime, meque ipsum in Valore commendem. Sexto Februarij. M. CCCC. XC.

Proœmium in Theophrastum de anima.

MARSILIVS FICINVS Philippo Valori, S. D.

QVi præcipit. Cognosce, teteipsum, nos admonere videtur, vt animam cognoscamus, quæ quoniam est media rerum, nimirum est & omnia, hac itaque cognita facile sumus omnia cognituri. Ego igitur, vt animam imprimis assequerer, per quam consequutus omnia forem, ad Philosophos, non plebeios illos quidem, sed egregios iamdiu studiose me contuli. Cum verò hinc quidem Platonicos, inde vero Peripateticos anxius percunctarer, eorumque responsa dissidere inuicem viderentur, diffidebam ab initio me voti compotem vnquam fore. Verùm non multo post Themistius spem mihi præbuit optimam, affirmans, tantos inter se Philosophos non sententia quidem dissentire, sed verbis. Tandemque de anima Platonis, Aristotelis, Theophrasti, sub diuersis verbis esse sententiam. Incidi denique diuina quadam sorte in librum Theophrasti de anima à Prisciano quodam Lydo breuiter quidem, sed tamen diligenter expositum, ea potissimum ratione, qua Plutarchus, Iamblicus Platonici Peripateticique insignes, Aristotelicam de anima sententiam explicauerant. Cùm igitur in his legendis Platonicos Peripateticosque esse concordes animaduerterem, habui fermè tota quod mente petebam. Atque, vt cæteri quamprimum habeant, librum hunc è Græca lingua transtulimus in Latinam. Adiunximus præterea Expositiones quasdam breues à nobis interlegendum, atque transferendum excogitatas. Neque tamen hac in re duxi in præsentia mihi nimis elaborandum, vel latius euagandum, Ioannes enim Picus noster Mirandulanus, vir certè mirandus, iam hoc agit ad summum, vbi Philosophorum omnium de quauis materia mentes diligentissime discutit, ac Platonem Aristotelemq; de anima mirabiliter monstrat esse concordes. Librum verò tibi potissimum, mi Valor, censui dedicandum. Tu enim vnà mecum iamdiu concordiam Philosophorum hac de re vehementer affectas.

Medices verò nostri, quibus tanquam Patronis dare omnia, imò reddere consueuimus, consentiēt proculdubio munusculum hoc vnum è multis meo dedicari Valori, & Medicæ domus præ cæteris amicissimo, & promptissimo semper Platonicorum operum adiutori. Quamuis autem Græcum exemplar vnicum inuenerimus, & id quidem mendosum, atque fragmentatum, attamen lege securus, & ita cæteris præbe legendum. Nam emendare hoc atque reserare diligentissime studui. Et Angelus Politianus noster, acerrimo vir iudicio, plurimaque doctrina, nostram hanc diligentiam approbauit. Vale. XXV. Martij. M. CCCC. LXXXVIII.

Proœmium in Iamblicum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Reuerendo in Christo Patri Domino Ioanni Medici, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali suppliciter se commendat.

CVm Epistolam ad te scribere statuissem in Cardinea dignitate nuper tibi collata congratulaturam, cogitaremque cui potissimum eam darem tibi reddendam, qui congratulationem nostram efficeret admodum gratiorem, in Academiam me subitò contuli, sperans in eius saltem penetralibus, salutatorem nobis aliquem tibi acceptissimum non defuturum. Illic ergo diuina quadam sorte, primus occurrit Iamblicus inter Academicos cognomento Diuinus, & magnus ibi Sacerdos. Cui equidem salue, inquam Iamblice, Sacerdos

Sacerdos magne. Est homo Florentiæ missus à Deo, cui nomen est Ioannes, Heroica Medicum stirpe natus, hic venit in testimonium, vt de summa Patris sui magnanimi Laurentii, apud omnes, authoritate testimonium perhiberet. Huic ergo & tu, precor, de singulari meo erga eum amore testimonium perhibeto. Tu nouo huic Antistiti Christianæ religionis Cardinem iamjam gesturo congratulationem nostram, alioquin ieiunam, diuinis verbis mysteriisque tuis efficies pleniorem. Annuit ille precibus, atque hac ad te sententia Ioannes Sacerdos magne, venit magnus ille Sacerdos. Tu igitur salutatorem tantum lætus excipe, atque post salutationem primam, post lectam Epistolam, quid Diuinus ille loquatur, si placet, attentius audi. Promisit enim vt sua tuaque persona pariter digna diceret, se tibi breuibus quid Ægyptij & Assyrij Sacerdotes de religione rebusque diuinis senserint, expressurum.

Argumentum in Librum.

PORphyrius qui inter Platonicos propter excellentiam Philosophus appellatur, longam in Ægyptum misit Epistolam ad Anebonem Sacerdotem, variarum, & grauium quæstionum plenam, ad omnes Philosophiæ partes spectantium, præsertim ad Deum atque Angelos, dæmonesque & animas, ad prouidentiam, ad fatum, vaticinia, magicen, miracula, sacrificia, vota, Porphyrij quæstionibus, respondit Iamblichus eius auditor. Introducit verò Porphyrio respondentem Abamonem Ægyptium Sacerdotem, pro Anebone discipulo suo, ad quem Porphyrius misit Epistolam.

Huius ergo quæstionis totius, atque responsionis, profecto diuinæ, tanquam in Plotino adhuc nimium occupatus, singula fermè non verba sed sensa traduxi, vt non mirum putari debeat, sicubi diuulsa videatur oratio, præsertim inter ipsa disputandi principia, vel leuior iactura verborum, nam deinceps verborum etiam contextus magis perpetuus apparebit. Coactus verò sum interdum meum aliquod verbum, vel continuationis, vel intelligentiæ gratia interserere. Velocioris autem ædificationis etiam in causa fuit Pierleonus, vir omnium cupidissimus secretorum, verùm quod in primis admiror, hic semper affectare videtur quæ iam possidet. Nam diuinitate quadam ingenij, Philosophorum arcana & Græcorum & Barbarorum nondum lecta consequitur.

Proœmium in Proœmium & Porphyrium.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Reuerendo in Christo Patri Domino Ioanni Medici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali suppliciter se commendat.

DEus omnipotens Ioanni Bicio Medici, insigni pietate viro, & quantum ciuilitas capit, ciui omnium sententia sancto, quasi cuidam Abrahæ, quantum fas est conferre, quondam promisisse videtur; Proles, ô Ioannes, tua fulgebit in sæculum, sicut stellæ cœli. Seminibus tuis benedicent populi. In semine tuo tandem benedicentur omnes Gentes. Hæc illi Deus. Semina verò Ioannis, quibus benedicunt populi, Cosmis quidem primo, deinde Petrus Cosmi filius, tertio magnanimus Laurentius Petro natus. Semen autem Ioannis eiusdem in quo benedicentur omnes Gentes, est Ioannes Laurentio genitus, cui adhuc adolescentulo, diuina prouidentia mirabiliter Cardineam contulit dignitatem, futuri pontificis auspicium, in quo quidem vice Christi benedicantur omnes Gentes. Huic ergo familiæ à Deo iamdiu electæ tanquam optimæ, optimus quisque literatorum sua omnia, vt ita dixerim, consecrare, & ea quidem quam electissima debet Marsilio quidem antiquo Medicæ domus alumno, non licuit per ætatem quicquam Ioanni Bicio dedicare, licuit autem Cosmo primum nonnulla, deinde Petro, tertio, Laurentio destinare. Licet adhuc quarto iam, aspirante Deo, Ioanni Farro Medicæ domus Flori, flores ex Platonicorum Philosophorum pratis collectos offerre. Quos felicibus equidem auspiciis offero, vt libri, imò liberi mei, quando tandem in te benedicentur Gentes, ipsi quoque participes benedictionis euadant. Accepisti quidem venerande Patrone nuper, quos ex pratis Iamblici flores legeram, quos verò modo ex agris Porphyrij Proculique carpsi, feliciter accipe, quibus apium more libatis, vel in hortis Academiæ fingas.

Proœmium in Sinesium atque Psellum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Petro Medici viro magnanimo, S. D.

QVanquam multa quotidie legitis meliora nostris, nulla tamen fermè magis arbitror nobis placere quàm nostra

Si modo sua cuique maximè placere solent. Sua verò cuiusque sunt potissimum quæ omnium antiquissima possidentur. Antiquissima certè possidentur à vobis Marsiliana, spero igitur hæc vobis semper charissima fore, vt etiam si somnia mittam, hæc quoque quasi pro veris apud vos, primùm atque per vos, vera etiam apud alios habeantur. Cùm igitur Sinesij Platonici librum de somniis, quem nuper interpretati sumus è Græco, authoritatem & fidem in primis apud Lectorem primum, & per hunc apud alios habere desiderarem, potissimum ad te misi. Quarto iam gradu post magnum Cosmum nostra lecturum. Atque hæc statim approbatione tua ob egregiam doctrinam, authoritatemque tuam omnibus probaturum. Adiunxi libro de somniis librum Michaëlis Pselli Platonici de dæmonibus, non immerito, quoniam à dæmonibus somnia mitti veteres arbitrantur. Vale. xv. Aprilis. M. cccc. lxxxix.

Commendatio styli.

MARSILIVS FICINVS Andreæ Cambino Compatri optimo, S. D.

MVltis iamdiu de causis dilectissime compater tibi debeo multum, sed hac ipsa plurimum, quod animum hodie nostrum tædio, nescio quo, grauatum, onere molestiore leuasti. Dedisti enim tres nobis orationes Francisci Puccij necessarij tui legendas, quarum lectio me adeò delectauit, vt vix orationibus totidem ac tantis, voluptatem hanc exprimere valeam. Solent enim ea potissimum oblectare, quæ satis desiderio faciunt. Ego verò in orationibus præ cæteris hæc ipsa desidero, argutos quidem sensus, interim non obscuros, copiam quoque minime supervacuam, breuitatem etiam, non mancam illam quidem, sed integram, & interea moderatam. Proprietatem denique elegantiamque verborum. Ac si fieri possit, miram pictoris industriam, quæ rem ipsam oculis afferat. Cum igitur hæc omnia in orationibus necessarij tui reuera perspexerim, nimirum me mirificè delectarunt. Quapropter & tibi compater, atque illi ingentes gratias ago. Vale. Quinto Iunij. M. cccc. lxxxix.

(∴) (∴) (∴)

Responsio petenti Platonicam instructionem & librorum numerum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Martino Vranio Prænyngero, S. D.

DVas ad felicitatem vias diuinus Iamblicus Ægyptiorum mente describit, alteram Philosophicam, alteram sacerdotiam, illam quidem apertiorem ad felicitatem inueniendam, hanc verò breuiorem ad consequendam, illam in primis elegerunt Peripatetici, similesque Philosophi; Hanc maxime populus religiosus incedit. Plato noster vtramque viam mirabiliter coniunxit in vnum, & vbique religiosus est pariter, atque Philosophus, disputator subtilis, pius sacerdos, facundus orator. Quamobrem si Diui Platonis vestigia, sicut cœpisti, diutius prosequaris, felicitatem, & inuenies, indice Deo, &, Deo duce, consequeris eandem. Præsertim quia Plato noster vnà cum rationibus Pythagoricis, atque Socraticis, legem sectatur Mosaicam, auguraturque Christianam. Ducent verò te, quandoquidem id interrogas, ad Platonicam intelligentiam argumenta in libros eius nostra, & libri quos etiam habes nostri, de immortalitate animorum potissimum inscripti, Platonica tamen vniuersa complexi. Item Alcinous ad te hodie missus.

Præterea multoque magis diuinus Iamblicus, nuper traductus à nobis, aliàs ad te mittendus. Maximè verò in penetralia totius sapientiæ, introducent Plotini libri quatuor & quinquaginta, quos & traduximus & iam magna ex parte commentariis interpretati sumus. Hos Vere nouo forsitan, accipere poteris. Quæris autem quos præter hos vel transtulerim libros, vel composuerim, transtuli equidem Mercurium de mente diuina, & opificio mundano, Sinesium de somniis, Psellum de dæmonibus, nonnulla Porphyrij de anima & intellectu. Et Proculi quædam in Alcibiadem, Prisciani Platonici commentaria in libros Theophrasti de anima. Composui de voluptate, & de curanda literatorum valetudine, quos nunc accipies, octo Epistolarum nostrarum volumina, commentarium in Philebum, nondum absolutum, de amore, de religione Christiana. Tentaui & alia quædam potius quam composui, & librum contra pestem lingua Tusca. Interrogas qui rursus apud Latinos inueniantur Platonici libri Dionysij, Areopagitæ omnia sunt

Platonica, Augustini multa, Boëtij consolatio, Apulei de dæmonibus, Calcidij commentarium in Timæum, Macrobij expositio in somnium Scipionis, Auicebron, de fonte vitæ, Alpharabius de causis, & Henrici Gandauensis, Auicennæ Scotique, multa Platonem redolent. Leguntur etiam vtcunque traducta elementa Theologiæ Proculi, atque ipsa eius Theologia, & liber de Prouidentia simul atque Fato. Similiter & nos vtcunque traduximus Hermiam in Phædrum, & Iamblicum de Pythagorica secta. Extat insuper defensio Platonis à Bessarione Cardinali Miceno facta. Quædam speculationes Nicolai Caisij Cardinalis.

Sed hactenus quæsitis fermè satis mihi videor respondisse, amori autem in Marsilium Martine tuo, quem singularem esse certo scio, non Epistolis vel innumeris respondere vnquam me posse confido. At ne omnino sim ingratus, singulari prorsus amori tuo, singulari similiter, mihi crede, amore respondeo, ardentemque in me tuum animum simili mentis ardore complector. Hæc primum à nobis amatoris tui, Prennyngere, præmia geres. Sed vtinam Vranio, id est, cœlesti donum aliquod, vel prope cœleste, dare, vel saltem auspicari cœleste possem. Opto equidem mi Vrani, atque etiam spero, te antequam cœlestem patriam repetas, fœlicitatis fore participem, & in cœlo beatum. Florentiæ, duodecimo mensis Iunij. M.cccc. LXXXIX.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Pierleono Conphilosopho suo, S. D.

QVantum ipse Proculum desiderabas visere, tantum ego ad te mittere cupiebam. Quibus enim voluntas est eadem, nimirum inest & æqua similisque voluntas. Cur ego non prius? Nondum venerat hora eius, venit hora nunc, quamuis tardior, hinc abeundi. Vtinam ne serus ad vos perueniat, bonus certè veniet, quodcunque venerit. Philosophare fœliciter, amice, omnium optatissime, ac si quid à nobis optas, postula, sed eo sydere, vt celerius posthac accipias. Mirandulanus noster egregiè philosophatur, & te amat egregiè. Vale. II. Augusti. M. CCCC. LXXXIX.

(∴) (∴) (∴)

Commendatio leuis.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Ioanni Nesio, S. D.

SAlue, rogauit Bernardus presbyter, vt eum tibi commendarem in vacatione cuiusdam Ecclesiunculæ, propemodum futura. Eum igitur tibi commendo, commendationis autem rationes nihil opus est afferre, Notior enim hic tibi est quam mihi. Tuæ igitur humanitatis erit amico, siquidem bene meretur, opitulari. Bene vale. VIII. Augusti. M. CCCC. LXXXIX.

Studium de vita longa.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Ioanni Pico Mirandulæ Conphilosopho suo, S. D.

QVo die hinc abisti, libellum de Vita cœlitus comparanda peregi, pridie verò opportunè incideram in quendam Arnaldi librum de retardanda senectute, diu à nobis optatum, sed scribarum vitio, lectu difficilem, difficillimum intellectu. Interea lectionem vrget instantius libelli Dominus, lectio igitur difficilis simul & properantior de senectute retardanda, retardat aduentum ad me tuum. Sed hoc, vt arbitror, æquo animo patiemur, modo diligentia hæc senectutem tibi quandoque retardet. Mihi verò non tam de retardanda senectute cogitandum est, sed potius retinenda. Interea dum separati videmur & separata tractare, facimus idem, Prometheum æmulamur, fingimus hominem, tu animam, ego corpus, tu diuinitus illam ducis, ego cœlitus hoc accipio, quam belle post mundum septiformi speculo abs te mirabiliter demonstratum, communi statim opera hominem speculatorem mundi componimus. Vale. VIII. Augusti. M. CCCC. LXXXIX.

De stylo Poëtico in Aphorismis Hippocratis.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Antonio Fauentino nobili Physico, S. D.

LIteras ad nos forsan die vel hora Saturni, vel hoc ipso ascendente, aut saltem Luna fixum domicilium subeunte, de-

disti. Nam Ferraria Florentiam vix quatuor mensibus peruenerunt, verumtamen Saturnus iste Iouem peperit, Epistolam humanitatis & elegantiæ plenam. Si sermo diuorum & stylus oraculorum carmen est, atque Hippocrates quondam Deus est habitus, & Aphorismi eius oracula, rectè admodum eos in carmina traduxisti. At verò ne forsan quod benefeceris alicubi male locatum, videatur factum male, Mecænatem suum Poëmati quæris. Nulla iam mi Antoni inter Mecænates electio, vix enim vnus est quem nominas. Hic ergo carminibus tuis Patronus esto. Pergratum mihi erit tuos legere versus. Gratissimum iam est abs te amari. Quid enim amabilius, quam amari ab eo, qui iudicio amet & ipse veneratione sit dignus? Nostra in Plotinum commentaria, Theophrastus, Iamblicus, Proculus, & alii quidam, interpellarunt, affectantes & ipsi per nos è Græcia quandoque in Italiam proficisci. Sed redii nuper ad Plotinum, commentaria in eum prosecuturus assiduè. Vale felix, optatissimus ad nos aliquando rediturus. XV. Augusti. M. CCCC. LXXXIX.

Astronomicum auspicium pro libro de Vita longa.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Ioanni Pico Mirandulano, Conphilosopho suo, S. D.

QVemadmodum Plato noster prouocans quidem à Lysia, inuitatus autem à Timeo, Zenone, Parmenide, quæ ipsi scripserant conscripsit & ipse. Sic ab Arnaldo Philosopho, ego adductus sum ad libellum de Differendo senio componendum. Quoniam verò rem supra terrenas vires moliri me noueram, à cœlestibus Opusculum tantùm auspicatus sum, à Mercurio quidem rectum iter sub Virgine sua fœliciter prosequente, à Luna rursum, Taurum subeunte, atque ibidem coëunte cum Ioue, & illinc Phœbum suspiciente per trigonum & Venerem similiter, atque Mercurium, vt compositio nostra vitalibus nata Planetis, regnante Mercurio, Philosophantibus conferret ad vitam, tibi præsertim dilectissime Pice philosophantium omnium vita dignissimo. Cui sane vt maxime diligentia nostra prodesset, Phœbum cum Tauro ludentem qualem ipse nascens fœliciter nactus es, equidem obseruaui hodie, postremò peregi ad Saturni trigonum veniente Diana, ita Picum sublimis Saturni filium præ cæteris curatura. Præsertim quoniam Saturnus interea victor insidet Capricorno, caputque Draconis ingens dextra tenet, & gloriabundus, trinis oculorum radiis Apollinem intuetur, hoc statim aspectu suis promissa cœlestium stabili prorsus fœdere firmaturus, si modo, quod sperandum est, Iupiter ille summus, Capite quo Mineruam genuit, Mineruæ cultoribus annuat. XXIII. Augusti. M. CCCC. LXXX. X.

Responsio desideranti natalem suum & reliqua.

MARSILIVS FICINVS Martino Vranio Prænyngero Constantiensi, S. D.

MItto ad te Iamblicum, quem primum petebas, & Proculum insuper, atque Sinesium, tanto enim nostra iam iure postulas, vt plura semper tibi sint mittenda quam petas. Octo Epistolarum nostrarum libros etiam desideratos abs te librariis concedemus propediem exscribendos. Primum missuri primò, deinceps verò secundum. Statui equidem hac aurora nonum fermè iam absolutum tuo potissimum nomini dedicare. Hoc enim à nobis & plura charitas exigit, virtusque tua. Natalem præterea nostrum poscis, & si Plotinus noster amicis frequenter id flagitantibus concessit nunquam, ego tamen ingenti quodam amore erga me tuo, ita sum affectus, vt nihil tibi aliquando sim negaturus, nisi quod forsan facultati nostræ fuerit denegatum, Nonus ergo suprà decimum Octobris dies mihi natalis fuit, anno videlicet à salute nostra millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, hora verò diei, quamuis à patre Ficino medico descripta non fuerit, eius tamen Matrisque verbis coniecimus fuisse vnam suprà vigesimam, ascendisse tunc Aquarium ferme medium, vnà cum Piscibus, arbitror. Saturnum in Aquario tunc angulum tenuisse, Martem in eodem, Carcerem duodecimũ tenuisse, in Scorpione Solem, atque Mercurium in domo nona, Lunam in Capricorno, in Leone Iouem in septima. Ibidem in Virgine Venerem, in Ariete Fortunam. Natalem habes, qualiscunque fuerit. Natum habes quantuscunque contigit. Et si fortuna nunquam ampla & perpetua, quędam corporis imbecillitas, nostris semper libris, vel scribendis obstitit, vel edendis, nunquam tamen ab officio nobis forsan decreto destitimus.

Iam vero in hoc octauo ætatis nostræ septenario, nouæ etiam editionis, imò & conscriptionis tu mihi causam præbuisti. Nam cum hoc anno librum à nobis de curanda literatorum valitudine peteres, compositum septimo ætatis septenario nostro, quo libros Platonis edidimus, genius profecto tuus, nostrum genium excitauit, vt librum de Vita ingeniosis producenda componerem. Vt non solum bene, quamdiu viuant, valerent, sed etiam vt diu bene valentes viuerent. Itaque hunc de vita studiosis proroganda librum iam absoluimus, fauente Deo, atque huic addidimus deinceps opusculum de vita cœlitus comparanda compositum, vt remediis medicinisque, non vtcunque compositis, sed astrorum obseruatione confectis, prosperam ingeniosis valetudinem vitamque longæuam promitteremus, si modo Deus ipse, sicut conscribenti nuper aspirauit, ita legentibus in posterum, & vtentibus aspirauerit. Bene vale, diu vale. Vale fœliciter. Vigesimo nono Augusti. M. CCCC. LXXXIX.

ARTIFICIOSA COMMENDAtio docti viri.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Serenissimo Pannoniæ regi Matthiæ semper inuicto suppliciter se commendat.

HActenus non putaram eundem hominem posse duobus simul in locis, præsertim inter se longe seiunctis existere, nunc autem id posse fieri non solum puto equidem, sed scio etiam, audio, video, scio quidem Nicolaum nostrum Theologum singularem, nuper ex Italia se in Pannoniam contulisse, audio tamen eundem Florentiæ, vt solebat, in gymnasiis publicis, in foro, in templis loquentem, legentemque frequenter, & assiduè disputantem. Videmus eundem quotidie in ipsis coronis Philosophantium coronatum.

Viuit igitur apud vos iam Nicolaus vester, spirat apud nos interea Nicolaus & noster, clamat adhuc in scholis, atque in ipsis parietibus inde resonat echo: hac igitur ratione opinionem quidem iste fefellit nostram, satis autem desiderio fecit. Iam enim tanti viri præsentiam desiderabamus, vt nunquam foret velut absens à nobis desiderandus. Fallet & vos forsan aliter, nisi monuero. Histriones quidem in scenis personas suas, sub alienis abscondere solent, Nicolaus autem sub sua vicissim occulit alienam. Cum igitur disputationes eius auscultabitis, scitote Nicolaum quidem vos aspicere, neque tamen audire. Beatum namque illum Thomam Aquinatem disserentem, potius audietis in ipso iam Nicolai pectore viuentem, in eiusdem ore clamantem. Aut enim in hoc ille nascente renatus est, quod Platonicus aliquis opinabitur, aut saltem sublimis è cœlo Thomas loqueti propitius afflat. Vos itaque in Nicolao velut in viua quadam statua Thomam illum colite Aquinatem. Die VI. Septembris. M. CCCC. LXXXIX. In agro Caregio.

Iocosa gratiarum actio.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Roberto Saluiato, S. D.

ATHlantem Astronomiæ Principem Poëtæ canunt, non solum perpetua quadam astrorum obseruatione, sed mira etiam proceritate corporis, cœlestia consecutum. Tu quoque ratione quadam forte simili sydere nuper assecutus mihi videris. Quo enim momento Iupiter ex alto oscula libauit natæ, quo quidem in coitu poscenti negare nihil solet, literas ad me ipse dedisti. Quamobrem nec ego negare tibi mi Roberte quicquam volo, quamuis neque possim reddere quod dedisti, iam verò si tanto plus cuique debeo, quanto plus acceperim, nihil certè cuiquam maius quam tibi debeo, perquam magnificentissime mi Roberte. Rides ne perquam magnificentissimum istud verbum? Non importune forsan grandissimum hoc nunc nobis venit in buccam, immensum est enim quod dedisti, quodue debeo. Siquidem toto semel me donasti mundo, quando mundum illum ad nos misisti diuinitus ab Ioanne descriptum. Legebam equidem mox tempestiuè tuas literas simul atque donum oculis contemplabar in nostro illo, quod iamdiu nobis obtigit, quod & colimus, diui Christophori sacello. Orbem igitur præterea illum oculis lustrabam, quem Athlantis instar humeris ille sustinet, si forte nobis occurreret in orbe toto quicquam moueri tuo par vel simile persoluendum. Interea diuus ille mihi; Quidnam, inquit Ficine, demens, sub cœlo quæritas, æquale cœlo?

Nonne totum accepisti nuper ab amico mundum? Et interea plusquam Prophetam

ille tuus refecit amicus. Propheta quondam cœlum vidit nouum, terramque nouam. Tu modo amici tui opera hæc non aspexisti solum, sed manibus etiam tenuisti. Creauit Deus ab initio cœlum & terram in abysso tenebrarum, quem ante genuerat in abysso lucis, recreauit quondam in sapientia Mosis, recreauit & nuper in spiritu Pici, in verbo Mirandulæ, hanc vnà cum literis Robertus tibi dono dedit. Tantum ipse donum æquare nunquam potes, vix ego tam grandis æquabo, tam longus. Longe vale Marsili, longe valeat & amicus. Hæc diuus ille mihi visus est mi Roberte loqui. Hac igitur & tu longissima valetudine bene feliciterque vale, si modo salutaueris frequenter meo nomine Picum complatonicum nostrum.

Sed heus tu! dic amabo, nunquid Democritum his saltem diebus appellare debuerim potius quam Platonicum? Mundi faber sabbato quieuit ab omnibus operibus suis. Picus autem absoluta iam mundi fabrica, magnum nescio quid molitur. Num igitur nouos constituit vnà cum Democrito mundos? Sed redit inter scribendum oportunè nimium mihi nunc in mentem, quid noster ille potissimum moliatur. Non soliuagum nunc per inania sectatur Democritum, innumerabiles Atomos numerantem, sed illum certè, quem quotidie audimus ita clamantem. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Operatur Dei filius, id est, procreat quotidie nouos animos quasi mundos, per hos ergo mundos, vno iam absoluto, Picus noster animæ contemplator Christum sequitur, non Democritum.

PROOEMIVM IN Librum de Vita longa.

MARSILIVS FICINVS
Philippo Valori, Ciui optimo, atque nobilissimo, S. D.

QVamquam Plato noster genio suo viuit, & victurus est (vt arbitror) dum mundus ipse viuet, meus me tamen genius huc semper impellit, vt post diuinum cultum omnia Platonis vitæ prospiciam. Ad hoc ipsum iamdiu nobis aspirat præ cæteris Medica domus, ad idem conspiras & tu, mi Valor, Medicum amicissimus, & Platonicæ gloriæ, atque disciplinæ admodum studiosus: quam ergo vitam Platoni semper exopto, eandem opto Medicibus, similemque Valori.

Quamobrem, hortor & obsecro te, mi Valor, vt quanta semper opera gloriæ Platonicæ faues, tanta aliquando diligentia præcepta hæc nostra de Vita producenda legas, atque serues, quibus diu viuens resurgenti nuper disciplinæ Platonis diutius vnà cum magnanimo Laurentio Medici, patrocinari possis. Vale.

IRONIA IN LIBRVM suum, contra Grammaticum detractorem.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Tideo Procuratori Regio, S. P. D.

DEdi nudius tertius Antonio Librario, nomine tuo petenti Platonicum Iamblicum exscribendum. Si tibi fortè legenti ordo quidam in libro perpetuus non occurrerit, scito me hunc librum non ad verbum expressisse, sed ad sensum. Non tam, quoniam in Plotini Commentariis totus fueram occupatus, quam quia vnicum est apud nos exemplar, mendarum plenum, & quod est deterius, fragmentorum. Tum verò si stylus ibi noster non satis tuo iudicio fecerit, istum Tidee, quando non placet, mittito, saltem accipito sensum. Aliquando enim sub ære latet argentum, quemadmodum sæpe contra tegitur æs argento. Sed ne Grammaticus forte quidam seuerus Philosophorum censor arrogantiæ me accuset, quod hic argentum quodammodo mihi videar vendicare; aurum isti concedo quam libentissime, si quo pacto possim rigidiorem in me iudicem munere tanto placare. Atque vt largius etiam ipsi gratificer, fontem istum equidem appellabo, me cisternam. Vale felix. Me tibi commendo, tu quoque Regi magno me commenda.

IOCOSA ADVERSVS silentium diuturnum.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus, Pierleono Conphilosopho suo, S. D.

CÆteri quidem diuturni silentij crimen, Apologia quadam & hac sæpè longa purgare solent, tu verò nouus Ora-

tor, si modo Orator est qui tacet, accusationem silenti; silentio diluis. Nouus certè Medicus contra videlicet quam cæteri consueuerint, similibus similia curans. Iamdiu te omnes amici damnamus, quod nec sponte, nec etiam lacessitus, tuorum alicui quicquam scribas At Proculus nuper abs te Florentiam ad nos profectus, mandatis quidem tuis, sed sine tuis literis, silentium criminationibus in te nostris imposuit, iubens nos æquo animo ferre desiderium literarum tuarum tam diuturnum.

Nempe, cùm ipse vir tantus tibique tam amicus Epistolium discedens à te impetrare nequiuerit, nec mirum nobis, inquit, videri debere, nec temerè factum abs te, vt Epistolam quam non obtinuit ille, nec nos iamdudum impetrauerimus. Ita semper mira quædam non tantùm loqueris, sed facis, amice, silentium defendis silentio, similibus similia cura, persuades quoque tacendo, sed noli rursum precor. librum, siue liberum illum tuum, qui iampridem ad Laurentium Medicem est profectus, eodem quo tu silentio nobiscum agere. Laurentio quidem vix, mihi vix aut omnino nihil loquitur, forsitan à patre prohibitus. Concede tandem, obsecro, vt tuus ille saltem cum Marsilio tuo paterna venia indulgentiaque loquatur. XII. Octobris. M. CCCC. LXXXIX. Florentiæ.

IN LIBRVM de Vita.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, Paulo Florentino, insigni Theologo, in seruorum Mariæ grege egregio, S. D.

MItto ad te libros de Vita nostros, mi Paule, vita dignissime, non tam vt legas hæc adminicula vitæ, quam vt serues. Nam cum omnibus amicis meis vitam magnopere cupiam, tibi hanc affecto summopere. Orphico enim clamore tuo, sacra passim declamatio spirat, & viuunt parietes ipsi templorum. Decimoquinto Decembris. M. CCCC. LXXXIX. Florentiæ.

IN LIBRVM DE VITA, post libros de Somniis & Dæmonibus.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Petro Medici, S. D.

EGo iampridem, meusque Valor, misimus ad te Synesij Platonici somnia, Pselli Complatonici dæmones; sed in ipsis portarum tuarum liminibus, nescio quo fato & somnia statim euanuerunt, & omnes subitò disparuere dæmones, vt hæc nostra saltem, quam nunc mittimus, apud te vita compareat. Leuis forsitan somniorum, dæmonumque iactura, vitæ verò non leuis. Ito nunc igitur vita charior, melioribus vtere fatis. Adito iam alacris Petrum Medicem decus nostrum, penes eum victura fœlicius. Decimoquinto Decembris. M. CCCC. LXXXIX.

(∴) *LIBRI NONI FINIS.* (∴)



MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM,

AD NICOLAVM VALOREM,
literis & moribus ornatissimum,

PROOEMIVM.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS,
Nicolao Valori, amico gemino, S. P. D.



VM duodecim Epistolarum libros iam absoluissem, eosque recognoscerem, deprehendi decimum, vndecimumque librum certa adhuc inscriptione carere: itaque cogitanti mihi cuinam potissimum hoc opus geminum dedicarem, tu mihi in primis occurristi, mi Valor amicus, & ipse geminus. Gratis enim hactenus Philippus optimus frater tuus, atque tu meorum operum gemini seruatores, ceu Castor atque Pollux, nunc autem defuncto nuper Philippo, ipse mihi superfuisti geminus, qui profecto dum te mihi offers, quod quidem pro humanitate in me tua quotidie facis, refers quoque Philippum incomparabiliter à nobis amatum. Et quantum nos angit grauissima Philippi nostri iactura, tantùm nos itidem sufficiens per te compensatio consolatur. Consolatur & spes firmissima sperantem Marsilium libros vbique suos non minus Nicolao deinceps, quam olim Philippo commendatos fore. Lege feliciter, ac diu feliciterque viue, & obseruator Platonicæ sapientiæ diligens, & studiorum meorum diuturne seruator.

MARSILII FICINI FLORENTINI, EPISTOLARVM

(∴) LIBER X. (∴)

PRO LIBRO DE VITA, ad Amicum misso.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS, IACOBO MARTINIO Iurisconsulto, S. D.



FRustrà librum de Vita profuturum amicis composuissem, nisi prodesset in primis Iacobo meo mihi omnium amicissimo. Tu igitur ne frustrà conscripserim, accipe libenter vitam, quam mitto nostram, lege diligenter, teneto memoriter, serua sedulo. Viue diu ad votum, atque fœliciter. XVI. Decembris. M. CCCC. LXXXVIII.

Pro eodem.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici iuniori, Ciui præstanti, S. D.

LIbrum de Vita nostrum amicis quidem omnibus, & literatis, & bonis prodesse cupimus. Illis verò potissimum, quorum ita multis profutura est, & qui rationem viuendi optimam elegerunt, hi maximè omnium digni sunt vita. Lege igitur diligenter, dilectissime mi Laurenti, ac diu fœliciterque viue. Decimosexto Decembris. M. CCCC. LXXXVIII. Florentiæ.

(∴) *Iocosa.* (∴)

MARSILIVS FICINVS Bernardo Michelectio, & si fortè riuali suo, tamen perquàm dilectissimo perquàm plurimam S. D.

DEdicaui præterita æstate Petro Medici nostro librum Sinesij Platonici de somniis, & libellum Pselli Complatonici de dæmonibus. Petrus igitur accepto libro, statim Procemium legit, lecto posuit; liber ipse nescio à quo paulopost sublatus est, posthæc diu quæsitus, hactenus non comparuit, vt profectò videantur cum primum penetralia Domus, siue sacræ cuiusdam ædis attigerunt & disparuisse dæmones, & somnia prorsus euanuisse. Perscrutare precor accuratissime mi Bernarde, num isthuc somnia hæc, hi dæmones aduolauerint. Si ita compereris, expiate vos moneo, & ad nos expellite. Denique suspicor, ne Cardinalis vel Gregorius, librum hunc legendum acceperint. Si forte habent, lectum ad nos mittant. Saltem non habere significa, vt alibi diligentius perquiramus. Commenda me venerabili viro Pandolpho Lunæ, Solem verò cur nam prætermiserim? Commenda igitur impri-

mis Cardinali nostro Soli, deinde Pandolpho Lunæ, & quidem plenè, sed vt hinc exorsi Catalogum cœlestium prosequamur. Commendabis & Ioanni Baptistæ, propter leges quasi Ioui, Gregorio quinetiam Mercurio nostro, Sed dic amabo, vbinam Venerem collocabimus? Matthæus igitur Venus esto. At quoniam inermis est sine Cupidine Venus, ages ipse Cupidinem. Alioquin hodie Bernarde mi vix amabere. Saturnum verò, ac Martem lætitia & humanitas à festiuo contubernio vestro procul expellit Vale. XXI. Decembris. M. CCCC. LXXXVIII.

Proœmium in libros primo quidem missos ad Laurentij filios & Valorem. deinde ad Laurentium Medicem.

MARSILIVS FICINVS Magnanimo Laurentio Medici, patriæ seruatori, S. D.

SInesius atque Psellus & Iamblicus, ac Porphyrius Proculusque Platonici, iampridem amplissimas tuas ædes ingressi, ingenuos filios tuos salutauerunt, hactenus quidem rectè admodum fecisse videntur. Quod autem insalutatum te reliquerint, nec egisse prudenter, nec euasisse felices. Imprudentiam ergo suam tandem recognoscentes, vt quandoque feliciores sint, limina nunc tua reuisunt cognituri patrem, ac rursum vnà cum patre filios agnituri, sic protinus victuri felicius. Quippe cum nuper compertum habeant, nec libros quidem de Vita nostros, absque tuis auspiciis viuere voluisse; comitantur præterea hos quique Philosophos Priscianus Lydus, simul & Theophrastus. Hi enim cum Valorem meum saluere iamdiu dixerint, & ardẽter optauerint, hodie te alacres adeunt, ita demum magnopere votum consecuturi, vt imprimis ipsi penes te salui saluum faciant & Valorem, per te præcipuè post Deum saluere desiderantem. Salue ante alios optime Patrone noster, ac tantos Philosophos apud te colloquentes fœliciter audi.

Cœtus ciuium quorundam elegantium, & optantium tranquillitatem, nomine Mammolæ.

MARSILIVS FICINVS, Bernardo Oricellario dilectissimo in libertate vitæ & secura quadam negligentia fratri, S. D.

CVm rerum omnium vicissitudo quædam futura sit, meum certe est nescio quo fato, vicissitudinem in plerisque reddere. Cæteri sane seruiture solent, & quidem longa, breuem sibi tandem asciscere dominatum, & summa quadam diligentia præfecturam. Ego vicissim libertate potius, & negligentia, nescio quam heri præfecturam nactus fuerim vel censuram. Et in hac quoque dignitate vicissitudo patet. Nempe censores alij corrigunt imprudentiam. At ego deinceps sum (nescio quomodo) prudentiam correcturus. Iam verò & hic vicissitudo resurgit. Nam prudentia Mammolæ imprudentia est apud vulgus. Atque contrà prudentia vulgi manifesta quædam est apud Mammolam imprudentia. Summa denique rerum vicissitudo in qua contubernij huius versatur officium, hæc est profecto, vt cum cæteri securitatem omni cura studiose perquirunt, nos per summam quandam incuriam, non quæramus quidem, sed iam habeamus. Nam quærere certe curiosi est, habere verò securi, nec tam quod optaueris possidere, quam quicquid forte possideas, id optare. Et idipsum velle quod habes. III. Ianuarij. M. CCCC. XCIX.

De charitate nonnihil, cum commendatione rerum suarum.

MARSILIVS FICINVS Alexandro Philicharo, S. D.

SI charitas omnis incipit à seipsa, quemadmodum vulgo fertur, heri equidem apud vos charitatis officium non sum secutus, quando magistratui vestro commendaui quidem alios, me ipsum verò interim prætermisi. At si verior Pauli Apostoli sentẽtia est dicentis, Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ alterius, ingentem habui charitatem, & idcirco charitate sum dignus. Tantum igitur amicorum in rebus meis indigeo diligentia, quantum ego in re quidem mea sum negligens, in aliena diligens. Tu verò nobis es amicus, tibi igitur me commendo, vt Caregium in me Caregiolum habeas commendatum. XXII. Ianuarij. M. CCCC. XC.

Laus nobilis & optimi ciuis.

MARSILIVS FICINVS Iacobo Antiquario, S. D.

SI librarij quondam nostros Platoni libros tanta diligentia impressissent, quanta Philippus Valor magnificentia exprimi procurauerat, optime nobiscum

actum existimaremus. Libros autem de vita nostros exprimi forte nuper feliciore curauit vir nobilissimus pariter atque optimus, & antiquitatis innouandæ, quemadmodum & tu dilectissime mi Antiquari, studiosissimus. In quo sane Platonicum illud reipsa compertum habemus, ex stirpe videlicet generosa prolem ingenuam proficisci, ac si educatio diligens accesserit, optimam. Quem ergo noster hic librum de vita hodie mihi dono dedit, do equidem fratri eius ad te ferendum Nicolao eleganti grauique iuueni oratoris Florentini nepoti, vt sicut literatorum nostra hęc diligentia profutura sit ad vitam, tibi maximè prosit, vita certe dignissimo. Sed quoniam de oratore nostro facta mentio est, Franciscus Valor qui isthuc legatus accedit, & patruus est Philippi, atque Nicolai, & mihi ætate quidem frater, sed reuerentia pater. Vir profecto prudentia, integritate, authoritate summa, quem quoties aspicimus & audimus, quod & quotidie facimus, quasi magnum illum Cosmum Medicem, quem vultu verbisque refert, spectare & audire videmur. Quorsum hæc Antiquari quam optime? Vt dum per legatum tibi mitto librum, interea quis ille sit, & quantus tibi significauerim. Significo quinetiam Ioannem Picum Mirandulam, & Angelum Politianum, nostros non mediocriter te amare.

Commendatio causæ Iurisconsulto.

MARSILIVS FICINVS
Leonardo Iurisconsulto, S. D.

CAusam nostram pluribus verbis amicissimo commendare superfluum arbitramur. Superuacuum quoque iusto Patrono, iustam sui clientis causam commendare. Quid ergo? Significatione potius quam commendatione apud te nunc vtemur. Hebræi Iouem Sedech, id est, iustitiam, nominant. Quoniam & in genitura regnans iustum significat hominem, strenue pro iustitia repugnaturum, & in causis agitandis si cœlitus potenter aspexerit, iustam portendit fore sententiam. Cum igitur non solum apprime doctus sis atque facundus, sed etiam Iouialis, & cras pro nostra causa pugnaturus, Sole feliciter Iouem aspiciente, speramus, si modo ingenij tui neruos intenderis, te iniquas aduersariorum nostrorum cauillationes expugnaturum. Vale.

De amore & amicitia & commendatio amici.

MARSILIVS FICINVS
Hieronymo Donato Veneti Senatus
Oratori clarissimo, S. D.

ANtonius Pelotrus Apollineus Academiæ nostræ lepos, vir alioquin fallere nesciens, fallit me quotidie falli volentem: Semper equidem heri putaram tantum me debere Pelotro, vt amplius in posterum debere me posse negarem. Semper verò deinceps ampliore quodam in me officio arctius me sibi deuincit. Vnde statim me conuincat sententia superiore deceptum. Hodie tandem amplissimo omnium beneficio me affecit, quando me teque simul ex amantibus effecit amicos. Nempe vterque nostrum, dilectissime mi Hieronyme, iamdiu alterum ardenter amat. Hactenus tamen neuter erat, vt videtur, amicus, se videlicet nesciens redamari. Sed Poeta noster Antonius nunc Poetæ, id est, effectoris & transformatoris officio functus, amicitiam inter nos confecit, & in amicos transformauit amantes, dum vtrumque certum reddidit non redamari solum ab amato, sed & prius diutiusque amari. Virorum profecto philosophantium amicitia, non minoris apud mortales videtur esse momenti, quam inter cœlicolas, cœtus felicium Planetarum. Significauit præterea mihi Pelottus quantum & ipse viscere me desideres. Ego certe te, mi Hieronyme, iamdiu videre percupio. Et si egregium animum vultumque tuum non solum in elegantissimis tuis literis, verumetiam in ore, in vultu Ioannis Pici Mirandulæ, & Angeli rursum Politiani tuorum quasi præconum, & audire frequenter mihi videor & videre Tu me verò quantuscunque sum in ipso Valore meo isthuc procedente, videbis in Francisco Valore inquam Florentini Senatus Oratore. Hunc equidem amo præ cæteris & admiror, hic enim magnum illum Cosmum, quem adolescens senem adeò venerabar animo, facie, sermone refert. Hunc igitur cum primum aspexeris, Marsilium protinus introspicies libenter in suo Cosmo viuentem. Sed non quantus sum vt modo dicebam, in meo Valore me cernes. Imò verò velut per vitrum intuens, maiorem in eo me videbis effectum, Quantulus denique vel in meipso sum, vel quantus in isto, tantus sum optime mi Hieronyme tuus, plura insuper amor ingens scribere me prorsus impellat, nisi Nicolaus Valor Legati nepos iuuenis quidem elegans & admodum in iuuentute senex, isthuc accederet, multa præterea tecum meo nomine loquuturus. Vale.

De Amicitia & Immortalitate animæ.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Bembo Veneto, S. D.

CVm singularis inter nos amor, mi Bernarde, non à mortali causa, sed immortali potius & cœlesti fuerit procreatus, merito præter Epistolarum monumenta, memoriam eius non cuilibet libro, sed libris potissimum de immortalitate commendare constitui, rem videlicet immortalem immortalitati commendans. Testis est igitur amoris tanti iamdiu liber Theologiæ de immortalitate sextus. Testis & nuper diuinus Plotini de immortalitate liber, in cuius argumento scripsimus hodie quę sequuntur. Desideras, maganime Laurenti, breuem tandem longæ disputationis summam, disputationis, inquam, de immortalitate, & in Theologia & in præsentia in longum iam productæ. Desiderabat & idem noster ille Bernardus cum Veneti senatus hic Orator nos hac de re latissime disputantes audiret, Bernardus, inquam, Bembus vir apprime doctus, doctorumque Patronus, atque meus in sydere genioque frater. Tibi igitur atque illi pariter hæc erit summa, quatuor distincta capitibus. Primo quidem, quod anima rebus caducis dominari potest incitamentisque corporeis repugnare. Secundo, quod multa à corporibus separata frequenter excogitat, siue res ipsas attingat per se separatas, siue separet ipsa. Tertio, quod naturaliter æterna desiderat, ac sæpe æternorum fiducia negligit temporalia. Quarto, quod æternum colit Deum, vitæ sempiternæ gratia. Tota denique religio naturalis homini, firmissimum immortalitatis est fundamentum.

Dæmones solares Medici. Item Commendatio libri de vita.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Pierleono Medico, S. D.

SAlue dilectissime mi Pierleone, salue iterum magne Leo. Sed ne forte putes cognomento Leonis te nunc inferiorem homine iudicatum, cœlestem dico Leonem non terrenum. Nisi forte terrenum hominem, qui in terram è cœlo descenderit, legimus enim in carminibus Zoroastris, duodecim Zodiaci signis, duodecim præesse rectores. Vbi eum qui Leoni præsidet, nominat Leonduchum, additque ritè vocatum in terris apparíturum immensa figura orbem totum occupaturum, huic ergo Chaldæi subiectos dæmonas nominauere Leones, qui etiam oculis nostris quandoque se afferant, figuris, pro arbitrio, variis humanisque, nonnunquam artes Apollinis professuri, herbis pariter verbisque medentes. Si nunc te vnum ex his Leonem cognominauero, nec indignabitur veritas, nec tu igitur dedignabere. Sed de his satis. Patronus noster magnanimus Medices vnà cum vita sua ad te fert & meam. Vbi igitur suam tibi credit, meam quoque commendat, hic tu precor vtriusque Medicum age, herbis quidem curato suam, verbis vero meam curato pariter & ornato. Quid velim intelliges planius, si quando Bernardum nostrum egregia quidem indole iuuenem, præstanti verò virtute virum audiueris nostra legentem.

Filij Solis dicuntur quibus nascentibus Sol aspirat, Sol in Leone in nona cœli plaga.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici Iuniori, S. D.

ORationem Iuliani Platonici ad Solem habitam, in qua certis argumentis Solem ipse suum agnoscit Patrem, Laurenti merito postulasti, nam & ipse, nisi forte genesim ignoras tuam, genus à Phœbo ducis. Ille enim te nascentem è regio statim solio gaudioque suo libenter aspexit. Illum tu parentem splendore virtutis, & carminibus imitaris.

Commendatio literati literato.

MARSILIVS FICINVS venerabili Ioachimo Patri Prædicatorum Generali, S. D.

CVm literatum iuuenem viro literatissimo, virtutis indole præditum virtute præstanti, amicum meum, amicissimo meo commendaturus sim, in præsentia breuis ero. Facile enim me persuasurum spero: Dominicus Florentinus Ioanne natus, prædicatoriam diui Dominici sub te Patre professionem agens, tuum postulat patrocinium, atque ego sui gratia posco. Vale.

In librum

In librum de vita, de accepto dono.

MARSILIVS FICINVS Martino Vranio Constantiensi, S. D.

Liber de vita noster est expressus. Accepi his diebus ab impressoribus vnum ad te missurus. Et hunc quidem non tibi venalem, vt cæteros, sed gratis accipies, imò abs te iam emptum, & pretio quidem magno, quando enim tuam amore nobis animam tradidisti, vitam tibi nostram extra controuersiam vendicasti. Accepi nuper tuo nomine thecam cultellariam manubriis gemmeis & aureis ornatam, munus non philosophicum tantum, sed & regium, regio nimirum animo tuo dignum, mihi præterea quam gratissimum, præsertim quoniam hoc dono eundem mihi tibique preesse genium planè perspexi. Nam cum compertum haberem Calcidonium quidem subesse Aquario præsertim medio, lapidem verò Saturno Aquarij Domino, mihi autem eo gradu Saturnus ascenderit, vtrumque lapidem ardenter optabam. Votum ergo meum genio meo notum, tibi subitò notum, declarat, eodem nos genio gubernari. Quid vero quod Autumno superiore affectare talia cæpi, tu interim, vt coniicio, eodem tempore de mittendo ad nos dono deliberare. Si quis igitur sibimet ipse gratias vnquam sit acturus, certè nunc Marsilius Martino gratias ingentes agit. Potest sane idem sibi gratias agere, si modo sit geminus. Vterque nostrum geminus est, dulcissime mi Martine. Eadem ratione geminorũ in cœlo sydus est vnum futurum, vt spero, commune animis nostris hospitium. Vale feliciter. Libri Epistolarum tibi exscribuntur indies. Plotino extremam manum propediem imponemus, & nunc habebis subitò, cum primum impressus fuerit. Me certè semper habes. x. Aprilis. M. cccc. xc. In agro Caregio.

Approbatio libri ex comprobatione Doctorum

MARSILIVS FICINVS Matthæo Aretino physico necessario suo, S. D.

Librum de Vita physicum vere & æstate superiore composui inter flores in agro Caregio, Vtinam Florentem. Tunc demum probaturus cum à physicis comprobatum fuisse rescirem. Accepi vero diebus superioribus literas tuas tanto plenas spiritu, vt subito earum afflatu vita mea quæ iam pridem edita, quasi, vt ita dixerim, exspirauerat, mihi protinus respirauerit, tuaque apud me approbatione fuerit approbata.

Vide igitur mi Matthæe quantum mihi placeas, in quo & ipse mihi placeo. Perge precor, atque vt nos iam amas semper ama, physicisque commenda. Petis præterea siquid nuper ediderim. Septem Platonicorum libros magno Laurentio Medici nuper dedi suo arbitrio exscribendos, cum rescripserint habere poteris, neque multo post, Plotini libros & commentaria in eos nostra. Vale feliciter. XXIX. Aprilis. M. cccc. xc. In agro Caregio.

Commendatio Academiæ Peripatetico.

MARSILIVS FICINVS Antonio Fauentino Peripatetico pariter & Platonico, S. D.

Perge precor, Antoni miles strenue, antiquam Academiam resurgentem, vt iam pridem facis, totis viribus adiuua. Peripateticus miles, imo dux Platonicos feliciter adiuuabis. Deus ipse pro religiosa philosophia, pro pietate pugnabit Si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? Tentaui pro amico aditum, quem monueras, patebit, vt arbitror, quandoque honestus in publico gymnasio locus. Sedulo equidem id efficiam, causam non deseram. Rem totam aliàs latius patefaciam. Vale XXX. Aprilis. M. CCCC. LXXXIX. In agro Caregio.

De adorando Deo in confessionibus Augustini.

CAPVT II.
Magnanimo Laurentio Medici, S. D.

Tvtus vbique solus, cui Deus adest. Prope est Dominus (inquit Dauid) omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate. In veritate primus Deum solus inuocat vir sapiens simul atque sanctus. Talem fuisse diuum Augustinum non dubitamus. Quamobrẽ vnà cum Augustino, mi Laurenti, præceptore pariter & patrono Deum suppliciter adoremus. Ita proculdubio precantibus ipse Deus aderit. Nam clementer adest etiam precaturis, efficitque vt eum in veritate precemur. Qua vero ratione in veritate adorantes Deum impetraturi simus, docet ipse Propheta, qui postquam inquit, Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum

in veritate, subiungit, voluntatem timentium se faciet & deprecationem eorum exaudiet. Præterea, custodit Dominus omnes diligentes se. Denique, laudationem Domini loquetur os meum. Quibus in verbis admonet, vt semper timeamus, amemus, laudemus Deum, si modo petentes cupimus exaudiri. Iam vero quid potissimum sit in oratione petendum, eisdem verbis similiter aperit. Cum enim tria hæc, timor, amor, laus, efficiant vt impetremus, merito tria eadem, dum adoramus, nobis postulanda videntur. Concedat videlicet nobis Deus vt eum timeamus rectè, amemus ardenter, rite laudemus. Summatim verò adorare docet & impetrare Dauid, vbi ait, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, sed iam orantem Aurelium audiamus. Sic enim cui regium nuper templum condidisti, eidem ipse diuinum templum ædificabere. XII. Maij. M. cccc. xc. In Agro Caregio.

Oratio quotidiana.

MARSILIVS FICINVS Hermolao Barbaro Amphioni Herculi Apollini suo, S. D.

SAlue humanissime & elegantissime Barbare, salue semper præcipua post Deum mea salus. Commendasti nuper dum hinc abires orationibus apud Deum nostris vitam tuam. Commenda vicissim verbis apud ipsum Dei vicarium tuis vitam meā. Ego sanè mi Hermolaë quod semel promisi tibi ter præsto quotidie. Ter enim Psalmum illum, Exaltabo te Deus meus rex, quotidie iam diu cano Deo. Et postquam admonuisti hunc concino semper tui memor. Doctores Hebræorum omnes extra controuersiam conuenerunt, quicumque mane, meridie, vespere, Deum hoc Psalmo laudauerit æternæ felicitatis hæredem fore. Tu verò quid erga vitam nostram vicissim pro humanitate tua sis acturus intelliges, quando libros de vita nostros legeris, Apologiam præsertim libris additam, vbi cum Amphionem, Herculem, Apollinem conuocatos audies, vbique Hermolaum intelliges aduocatum. XV. Maij M. cccc. xc. Florentiæ.

Pro libro de vita.

MARSILIVS FICINVS Antonio Calderino amico suo officiosissimo, S. D.

LIbros de Vita, dabis Hermolao Barbaro nomine Valoris atque Marsilii, cum his Epistolam, cæteris verò hæc tuo nomine monumenta dabis. Quicumque non perturbata mente, sed iudicio sano nostra legerit, plane perspiciet, quam syncero consilio, quam pia mente, quanta religionis veneratione conscripserim. Præterea cognoscent literati omnes, quantum debeant fauere libris nostris literatorum vitæ diligentissimè consulentibus. Vale etiam Reuerendissimo diui Marci Cardinali nostro Patrono frequentissime nos commenda; atque Patrocinii nobis ab eo præstiti gratia, gratias ingentes age. XXVII. Maij. M. cccc. xc. Florentiæ.

MARSILIVS FICINVS reuerendissimo in Christo Patri D. Francisco Soderino, Episcopo Volaterrano se commendat.

ACcepi superioribus diebus humanissimas abs te literas, quibus quantum in causis non solum meis, sed etiam amicorum meorum sis officiosus, plane cognoui, imò agnoui potius antea mihi cognitum. Quod igitur amicis nostris tam libenter patrocineris, gratias tibi magnas ago, sed multo maiores quod Patronum tuum reuerendissimum Cardinalem Aleriensem præstiteris & mihi patronum. Accepi enim per literas Antonii Calderini nostri antiquum hunc tuum Dominum, ac nuper meum, aduersus calumniatorem quendam strenuè nobis patrocinatum. Id equidem non meis vllis in eum meritis, sed cum tuis apud eum commendationibus, tum etiam pietati & clementiæ suæ acceptum refero. Tui verò posthac erit officii vel amoris saltem, optime Soderine qua Patronum tantum ratione mihi conciliasti, eadem perpetuò conseruare, & quas ego gratias vix agere possim, accumulatius agere, habere, referre, denique mihi significare, siqua in re gratificari insigni huic pietate Patri & Domino possim.

Gratiarum actio pro patrocinio exhibito nobis à Principe.

MARSILIVS FICINVS reuerendo in Christo Patri Domino Marco Cardinali D. Marci, S. D.

DEsideras magnum Plotinum videre, venerande pater, quod mihi nuper Antonius Calderinus noster officiosè admodum significauit. Vises quidem Plotinum breui, vt spero, argumentis in

eum nostris mox absolutis. Sed vt interea quantum virum, aut heroa potius, sis visurus intelligas, audi precor quæ Porphyrius eius auditor in vita Magistri describenda recenset. Et profecto, inquit Plotinus, ipsa quoque natura ab initio maius aliquid præter cæteros possidebat, Ægyptius enim quidam sacerdos Romam perueniens perque amicum quendam Plotino subitò notus, cum exoptaret suam Romæ sapientiam ostentare, suasit Plotino vt secum accederet familiarem sibi dæmonem (eo aduocante) protinus inspecturus. Cui facile Plotinus est obsequutus. Acta verò est in Isio dæmonis inuocatio. Solum namque hunc locum Romæ putum, ait Ægyptium inuenisse. Sed cum in aspectum proprium ipse dæmon accerseretur, pro dæmone Deus accessit, qui sanè non esset in genere dæmonum. Sic ergo repente Ægyptius exclamauit, Beatus es ô Plotine qui habeas pro dæmone Deum, neque ex inferiori genere sis ducem sortitus familiarem. Hæc Porphyrius. Sed quam opportunè nunc in historiam hanc incidimus? Nam quemadmodum Ægyptio Sacerdoti quondam dæmonem inuocanti pro dæmone Deus apparuisse fertur, ita mihi in Apologia nuper Herculem & Apollinem aduocanti, Pater eorũ Iupiter ipse comparauisse videtur, quando Venetus Ecclesiæ cardo cœlitus à Diuo Marco missus, Patronus mihi tutissimus affuit. Hunc ex ipso Iouis ordine in terras demissum, testimonio nobis est fortuna, quidem eius ampla, amplior verò virtus. Nam & Astronomi Iouem fortunam primam nominauerunt. Et Iudæi eundem Sedech, id est iustitiam, communi lingua cognominant. Salue simul & vale feliciter salutaris nobis in terra Iupiter significate quidem ab Ioue celesti, à superiore verò create. Ego autem Mercurius fore cogar, si dignas officio tuo gratis sim acturus. XXVI. Iunij M. CCCC. XC. Florentiæ.

Gratiarum actio pro Patrocinio exhibito nobis à Principe.

MARSILIVS FICINVS Rainaldo Vrsino Archiepiscopo Florentino, S. D.

SAlue diu, salue semper Pastor bone. salus ouium, Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis, vt ea & pascat, & tueatur à lupis. Ita vt nuper agnum tuum Ficinum pie admodum ex voracibus luporum faucibus eruisti, & Saturno iam nos grauiter inuadenti, tu quasi Iupiter es oppositus. Vaticinatus equidem videor, Antistites Iouiales, id est, magnanimos, & veridicos periclitanti mihi patrocinaturos, vbi de Planetis stellisque disputans, toties Iouem cæteris anteposui. Te verò Iouialem appellaui iamdiu etiam antequam tuam genesim contemplarer, & vbi contemplatus sum idem prorsus asseueraui, ex cancro videlicet regno Iouis ascendente, atque ex ipso Ioue in vndecima suo gaudio feliciter constituto, & inde Cancrum suum figura exagona contuente. Sed omnia tandem bona à summo Ioue cœlesti creatore Iouis proficisci putamus. Quoniam verò Vicarius eius summus Pontifex vestra opera nobis aspirare cępit, opto eum non solum aspirare nobis, verum etiam ipsum spirare diu. Itaque si eius genesim intelligerem & corporis habitudinem, & à quo morbo medici huic maxime timeant, confectionem, vel medicinam aliquam diligenter excogitarem diuturnæ vitæ atque prosperę valetudini profuturam. Hanc saltem gratiam vobis referre cupio, referre verò parem ne Gratiarum quidem trium dux Venus ipsa poterit. XXVI. Iunij M. CCCC. XC. Florentiæ.

Commendatio diligentiæ. Officia Mercurij.

MARSILIVS FICINVS Antonio Calderino quondam, sed iam Caliderino.

SAlue calidissime simul, & callidissime mi Caliderine. Quanto enim cordis calore nos amas, tanta res nostras calliditate gubernas. Misisti nuper quidem literas caloris & elegantiæ plenas, iamdiu vero officium præstitisti. En quid erit pretii? Hoc saltem inter Ioues, Apollines, Hercules, Amphiones. Tu mihi deinceps Mercurius esto. Quanquam & hic nobis extitisti iamdiu. Quod sanè literæ ad nostrum Cardinalem nostræ declarauerunt. Nuncias, interpretaris, persuades, concilias, expedis. Ergo Mercuri facunde noster, quas nunc ego balbus nequeo, heroicus Patronis nostris ipse gratias age. Persuade præterea, ne causam deserant, si perseuerauerint vsque ad finem saluus ero.

Declaratio amoris vnici.

MARSILIVS FICINVS Martino Vranio Constantiensi, S. D.

ALter Marsili salue, dulcissime mi Martine, amice Vranie, reuera cœ-

litus mihi date, in quo apprime mihi ipse placeo, cui in primis salutem exopto. Accepi literas abs te XXIII. Maii die missas. Acceperam etiam quas XII. Martii die dederas. Nec tamen munuscula quæ misisse scribis, sed munera rege digna. Epistolam verò missam abs te cum tribus rhenensibus aureis die XXVI. Aprilis nondum habui. Dedi iampridem ad te literas ei qui dona tuo nomine mihi reddiderat. Do Georgio hodie quinterniones epistolarum septem, reliquos qui multi sunt, missurus alias, ac forte breui, si tabellarium nactus fuero. Plotino iam finis imminet. Aurum & argentum abs te Martine nolo, te tantum volo, tu mihi sufficis vnus.

Purgatio traditionis in respondendo.

Hermolaus Barbarus Venetus Marsilio Ficino Platonico, S. D.

FErus sim ne dum Barbarus, qui nec muneri, nec literis tuis responderim, nisi eo ingenio esse te cognoscerem, vt tũ demum amicos tuos diligeres, cum securius tecum agunt, nec solliciti sunt, ne aduersum te minus officiosi fuisse videantur. Ego verò lucubrationem tuam non don: modo, sed beneficij quoque loco posui. Nihil mihi poterat insami cœlo gratius accidere quam liber sanitatis, & studiorum præcepta continens. Quod autem rogas, vt quemadmodum tu me Deo, ita ego te Vicario eius commendem, scito id me nõ solum fecisse, verum etiam ex animo diligenter, ac sæpius fecisse. Atque vt hoc verissimum esse intelligas, respondit per Laurentium stetisse, quo minus huc te arcesseret. Multa de te mitissimus Pontifex honorificentissime locutus, in sententia sua permanet videndi te apud se. Quod quidem si futurum aliquando est, opto, vt in legationis meæ tempus cadat, id & tibi gratum fore scio, mihi certe commodum, sed hæc satis, tibi & mihi vale, quibus meo nomine salutem isthic dici velim, quorum beneuolentiam inter prima mea bona collocem, qui me suis excellentibus officiis obæratum fecere, tu melius quam ipse nosti. Romæ Kalendis sextilibus. M. CCCC. LXXXX.

Petitio auxilij in publicis oneribus.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Diuitio Laurentij Medicis Amanuensi, S. D.

TAnta mihi est erga magnanimum Laurentium reuerentia, vt vel Epistola, quę minus erubescere solet iam erubescat. Hæc igitur nunc Laurentium aditura, interim rubore cohibita ad te saltem dilectissime mi Bernarde confugit. Sed venit nimium ad te quoque lenta, vtpote quæ non festiua quidem, qualem forte desiderat, sed querula venit, & queri præterea nesciens, videlicet à Philosopho venien- querelis minime omnium assueto. Quid ergo? Narrabit saltem. Publica literatis stipend a vbiquè dari solent, ne dixerim, & in patria debent, amplissima certe Florentiæ dantur & peregrinis & ciuibus, ego verò literosus senex stipendium literarium vt excipiam nihil postulo, non enim tantum mihi arrogo, sed satis mihi factum fuerit, si non dedero. Recepi me nuper in secessum montis Vecchij, ne frequentes amicorum salutationes, præsens hoc meum cui totus nunc incumbo Dionysiacum opus interpellarent. At verò quod longè molestius est, non interpellant quidem me amici mei, quos iam desidero, sed interturbant quotidie exactores improbi & vexant, vt verius dixerim, extortores, post decimas illas mox studij Pisani nomine, Florentium hominem certe studiosissimum à diuino circa Dionysium studio separantes. Fortuna studiis inimica bonis, ne diuinum opus id producam, & multis me id genus iniuriis agitat, & crebris interea corporis languoribus afficit, sed præstat excrescentem hic querimoniam interciper, sperare tandem, espirante Deo, prosperam valetudinem, leuamenque curarum statim, Laurentio succurrente. Vale feliciter optime mi Bernarde, & quam potes ipse fer opem.

Purgatio circa salutationem non frequentatam.

MARSILIVS FICINVS Pandulfo Pisaurensi prætori Florentino, S. D.

SAlutaturus equidem te, mi dilectissime, frequenter eram, salutationes quidem priores intercepit magnus ille Plotinus, sequentes iterum Dionysius Areopagita maximus nunc intercipit. Interceptores tantos æquo animo tolerabimus, nam & si salutationes impediunt, salutes tamen mutuas animorum semper inter se loquentium è medio tollere, neque possunt, neque volunt vbicunque: versor inter literas, certè à literatissimo Pandulfo meo nusquam absum. Vale.

Alludendo nomini declaratur diuitias esse bona animi.

MARSILIVS FICINVS Bernardo suo vulgari quidem lingua Douitio, Latina verò Diuitio, S. D.

CVm te mi Bernarde vulgus quidem Douitium vocitet, Latinitas verò Diuitium, hinc forsan auspicabitur aliquis te non vulgaribus artibus fore diuitem, sed Latinis. Artes verò Latinæ sunt, quod te non latet, Latinæ literæ, liberalesque humanitatis artes, ac ipsa in primis humanitas. Ego verò te harum diuitiarum genere non tam aliquando fore diuitem auguror, quam iam esse testificor. Verum ne forte quos Deus ipse coniunxit, ego diutius separem. Quod modo tibi, mi Bernarde, dicebam, Petro quoque fratri maiori tuo dictum puta. Harum ambo diuitiarum affluentia iamdiu magnanimo Laurentio accepti estis, longè omnium hac ratione ditissimo. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, XXV. Octobris. M. CCCC. LXXXX. In Agro Caregio.

De fato & fortuna & suo cuiusque dæmone.

MARSILIVS FICINVS Gregorio Scuto Alexandrino ingni medico, S. P. D.

QVod Plato in Timæo & Phœdro & Symposio probat, amorem perturbationum omnium principium esse. Quod probat iterum in Phedone, dolorem semper voluptati succedere, ac sæpè vicissim, id equidem in dies magis magisque comprobo. Ac nuper in discessu, dilectissime mi Gregori, tuo proculdubio sum expertus. Inueneram tandem, vt fertur, hominem iuxta cor meum. Itaque quantum præsentiam huius amabam, tantum absentia sum dolere compulsus. Atque & fermè vicissim quantum discessus hinc tuus dolore me affecit, tantum heri me tuæ literæ delectarunt. Te namque mihi reddidere præsentem, post hac nunquam, vt arbitror, discessurum. Eris igitur, singularis amice, in me saltem Florentiæ. Vbi, vt inquis ipse, aliter esse fata te nolunt, fortuna quin etiam fatis consentiente.

Quæ quidem cum fato, id est, cum serie cœlestium causarum apud Platonicos, idcirco consentit, quoniam fortunæ nostræ dux est ipse vniuscuiusque dæmon ad cœlestem harmoniam, vt Platonicè loquar, nascenti cuique destinatus. Qui & diuulsas apud nos inter se causas sagacissime pariter & potentissime colligens ad vnum conducit euentum, præter consilium sæpè nostrum, ideoque cognomento fortuitum. In eiusmodi fortunam, in hunc dæmonem Platonici eos potissimum effectus referunt, quorum nullæ apud nos manifestæ sunt causæ, imò & quibus euidentes causæ reluctantur. Si dæmon Gregori tuus ipse Cupido foret, Florentiæ profecto vitam ageres, vbi maxime cupiebas esse, vbi & ego alter tu te viuere summopere cupiebam. Decreuit autem, vt auguror, se senis vitam ducere, vbi ob ascendentem Taurum regnat Venus. Neque tamen Cupido Venere natus te ducit, vt video, sed Mercurius, nam contra solitam barbariem medicorum Mercurialem retines eloquentiam, Mercurialis scilicet dæmonis beneficio, alioquin à medico protinus fugituram. Eiusdem & nos officio, id est, meditationibus assiduis frequentibusque Epistolis semper erimus, fato dæmoni nusquam repugnante, præsentes. XXVII. Octobris. M. CCCC. LXXXX. In agro Caregio.

In successu operum, Deo gratias age, amicis congratulare.

MARSILIVS FICINVS Pierleono legitimo Philosopho, S. D.

CVm tandem Saturni die, quem sabath, id est, quietem Hebræi nominant, laboribus in Plotinum meis finem imposuissem, nihil mihi prius venit in mentem quam primus ille in quo mentes solo tanquam vltimo conquiescunt. Hæc igitur, quam leges, breuis oratio longi operis finis mihi fuit. Gratias tibi agimus summe Deus, illuminator mentium, authorque bonorum, quod nobis præter meritũ ad absoluendum opus tãtum tua gratia vires suppeditasti. Da precor clementissime Deus veram lectori pio prosperitatem, infunde præterea lumen, quo vera passim discernat à falsis, ne vsquam vel meditando vel agendo à tua voluntate dissentiat. Reliquum erat, Pierleone mi pietate vir insignis, post orationem diuinam amicis congratulari. Primus autem post illud diuinitus petitus lumen, succurrit Leo magnus Apollinis sui lumine plenus, suos etiam in opus nostrum abunde radios effusurus. Inprimis ergo tecum diu iam optatæ quietis, gratiosissime mi Pierleone, congratulor. Deinde labores nostros pro cõmuni, vt scis, vtilitate susceptos,

Patrocinio tuo frequenter iam exhibito commendo quam plurimum. Denique quem tu apud Plotinum locum in sexta Enneade secundo eius libro habeas, audi, ita enim illic in argumento Laurentium nostrum alloquor. Prosequitur quidem Plotinus deinceps entium genera Platonico more, interpretationem verò in his magnanime Laurenti breuissimam à Marsilio nunc accipies, audisti enim nonnunquam, & forte quandoque leges, familiarem tuum Pierleonem Mysteria eiusmodi diuino quodam, vt cætera solet, instinctu tractantem. XXI. Augusti. M.CCCC. LXXXXI.

Finis operis. Principium operis tibi esto de commentario in Philebum.

MARSILIVS FICINVS reuerendo in Christo Patri & D. Francisco Soderino episcopo Volaterrano, S. D.

SCripsi hactenus tutissime mi Patrone, quid potissimum in causa clientuli pro tua humanitate, & beneficentia sis acturus. Requiris posthac, vt soles, rationem studiorum meorum studiosissime Soderine. Reddo igitur, vt Patrono debeo, rationem. Superioribus diebus legitimum illum Philosophum, & amicum nostrum Pierleonem fecimus certiorem, nos iam diuturnis laboribus in Plotinum nostris finem imposuisse, & hunc quidem sabbato quietis die. Quo quidem auspicio sperabamus in posterum à laboribus conquiescere, at mihi contigit, ac omnipotenti cœli fabro, ille enim hoc die ab omnibus operibus suis quieuisse fertur, ego autem instar cœli, quod quiescit nunquam, quod quietem suam sortitum est in motu, quod in ipso reuolutionis fine principium reuolutionis imminentis instituit, opere tanto mox absoluto nouum iam opus aggredior, ac forsan omnino non nouum, quemadmodum & cœlum circuitum forte nouum agit nullum, sed semper repetit consuetum. Rediit enim mox in mentem absoluenda mihi superesse commentaria in Platonis Philebum de summo bono, quondam ad & dimidium vsque producta.

Pro acceptis gratias age antequam noua petas.

MARSILIVS FICINVS reuerendo in Christo Patri. D. Gentili Episcopo Aretino, S. D.

SAlue semper, Antistes sempiterna salute dignissime, Commendaturus tibi mox necessarij causam, malui prius meo nomine gratias agere, quam alieno gratiam poscere. Inprimis igitur ingentes tibi gratias ago, quod in causa Montis Martiani potissimum tua, & sponte mihi cesseris & tempestiuè monueris. Admiror equidem non mediocriter, modestiam, humanitatem, clementiam tuam, quod nihil mihi debens adeò erga me amice te gesseris, vt reddideris ex amico mancipium tibi posthac omnia debiturum. Necessarij verò mei causam per tabellarium nunc exponam.

De Adoratione.

MARSILIVS FICINVS Bindacio Recasolano viro nobili & literato secum singulari charitate coniuncto, S. D.

PRomisi iamdiu, dilectissime mi Bindaci, nonnihil de adorationis diuinæ virtute scribere. Præstare verò promissa absque benefica illius, qui adorandus est, virtute non possum. Quamobrem, vt sacram, de adoratione diuina, disputationē feliciter auspicemur, aspira nobis precor alme Deus. Sic igitur decenter exorsi, sacro huic ædificio fundamentum iacimus diuinum illud Porphyrii dictum. Inquisitio quidem diuinorum, purgat animum, imitatio verò facit Deum. Hæc ille. Hos igitur arbitramur tunc certe Deum quærere, quando Deum quoquomodo notum inprimis amantes, per omnia eius opera testimoniaque tanquam vestigia quædam diligenter inuestigamus. Vt verius veneremur inuentum, atque eiusmodi est perscrutatio illa, qua ab omnibus primum perturbationibus, deinde à nebulis animum purgare censetur. Imitatio verò, quæ animum facere Deum, id est, quoad fieri potest, diuinum, existimatur, est eiusmodi, vt separatus ipse prouideas, placiturus Deo, qui prouidet omnibus separatus. Potentiā quidem diuinam vel sapientiam æmulari non possumus, semper infirmi, semperque ambigui, & vtrum vera consecuti simus, frequenter incerti. Prouidentiam verò diuinam potius imitari licet. Si quid enim de Deo nobis est notum, quod & rationibus, & testimoniis est profecto, hoc est potissimum, Deum scilicet esse potestatem, & sapientiam quandam, ita regentē omnia, vt rerum gubernatarum conditionibus, & passionibus non sit admixta, sed penitus segregata. Vbi sane excelsam & segregatam esse, nihil impediat, quo minus adsit singulis, atque prouideat, sed po-

tius ad hoc ipsum conferre putetur. Vbi rursum diligentissima omnium dispensatio excelsum nostræ habitum non perturbet. Vt igitur pro viribus imiteris eum qui in excelsis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra, studebis in primis vt ipse à terrenis perturbationibus, ac vitiis segregatus, quanta poteris charitate hominibus tanquam fratribus vbique prosis atq; prouideas. Hac ipsa prouidentia separata imitaturus Deum & ipsi potissimum placiturus, qui & ipse omnibus prouidet, ab omnibus segregatus. Hęc est igitur imitatio Dei, quæ animum quasi Deum putatur efficere. Hanc olim pro viribus tentauit Socrates, ac post illum Apollonius Theaneus Hanc vitæ magister Christus impleuit. Hanc omnes secuti sunt, qui tandem eiusmodi vitæ officiis miraculosa quædam opera, quasi iam diuini perpetrauisse feruntur. Horum duntaxat orationes, tanquam diuinorum summus Deus exaudit, nam & voluntas eorum, vnà cum diuina voluntate concurrit, & Deus animis sic affectis frequenter, vt instrumentis vel subiectis vtitur ad miracula penetranda. Denique cum ex institutione diuina materiæ quælibet sub certis causis paratissimę, subitò causis quasi coniunctę influxum quendam suscipiant causarum, merito mentes per imitationem Dei iam factæ diuinæ, & amore, votisque propius accedentes ad Deum, affectum quendam mox diuinum & ipsæ capiunt, & in corpus suum, resque suas & proximos homines, præsertim similiter affectos, transferre putantur. Hæc Auicenna & Algazel confirmare videntur, vbi aiunt, eiusmodi animas suis sæpe votis non solum corpora propria, sed etiã elementa mundi, miraculose mouere. Præterea Damis & Philostratus, confirmante Apollonio, narrant, sapientes quosdam sanctosque viros apud Indos, qui appellantur Oxidrachi, suas vrbes ab hostibus, non manibus, sed oratione defendere. Deum enim ab eis suppliciter obsecratum, hostes tonitruis fulminibusque fugare. Quod autem Deus sanctarum animarum orationes exaudit, Thomas Aquinas noster inde probat, quod cum omne mouens quodammodo ad suam moueat similitudinem, atque ideo motus vouentium ad bonum directus ab ipso bono dependeat (quod sanè nec frustra mouet) nimirum ad optatum finem quandoque perducit eos, quos ipsum ad optandum mouet, & qua facultate his impressa semel mouit, eadem adiuuat vt prosequantur, eadem quoque peragit, vt denique consequantur. Nam & in naturæ motibus similem inclinationis consecutionisque regulam facultatemque constituit. Præterea quæ motori suo propinquiora sunt, efficacius inde mouentur. Mouet autem primus motor omnia, cui naturæ rationales propinquiores sunt admodum quam corporeæ: cum igitur naturæ corporales inde & moueantur per appetitum naturalem ad fines quæque suos & consequantur, multo magis substantiæ rationales, quæ in votis ad bonum à primo bono mouentur, bonum aliquãdo consequuntur optatum, quatenus videlicet inde mouentur. Agitantur autem inde, quatenus & bene & ad verum bonum, desiderio precibusque procedunt. Eatenus igitur exaudiuntur preces, & euentus contingit optatus. Confirmantur hæc per quandam Iãblichi diuini sententiam, sicut Sol quidem solaribus, & Luna lunaribus & concauum Lunę leuibus proprietatem, qua ad Solem, Lunam, concauum mouerentur, impressit, sic instinctum animis quo ad Deum orando conuerterentur ipse Deus infudit, & hunc quidem minime vanum. Quandoquidem nec ipsa natura dat aliquid mouetque frustra videlicet recta diuinitus. Denique si ad amicum pertinet honestis amici desideriis obsequi, mens certè diuina cui mentes ipsa similitudo partim naturalis partim acquisita facit amicas, legitimis mentium desideriis satisfacit, ad cuius bonitatem prorsus immensam pertinet, bona latissimè vsquequaque largiri, mentibus præsertim ad diuinum propriè bonum diuinitus instigatis. Reliqua de Adoratione in argumento in Timæum iam tractauimus. XX. Septembris M. CCCC. LXXXX. Florentiæ.

Procemium in libros in adolescentia compositos, sed collectos tandem atque, ad Laurentium missos.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

VEnerunt ad te iamdiu libri omnes, Patrone charissime. Liberi inquam mei quos in iuuentute vel ætate paulo maturiore peperi. Veniunt & ad te quotidie quos in ipsa etiam senectute parturio. Qui verò mihi quondam adolescenti nati sunt, facti semel vagabundi, eadem adhuc fortuna, ne dixerim temeritate, pererrant, sed hos etiam errones nuper reuocaui domũ, iussique protinus ad te confugere, vt & patronum eundem mei simul omnes agnos-

cerent, ita demum victuri felicius. Et ego similiter apud illum, quem in omni eius ætate semper amaui totum, totus quoque forem adolescens & vir senex. Accipe libenter tuos optime Laurenti. Lege feliciter, viue felix, certa patriæ nostræ felicitas, Marsilium Ficinum totum tuum dilige totum. XXVII. Octobris. M. CCCC. LXXXX. In agro Caregio.

Proœmium Marsilij Ficini in librum, qui inscribitur homo, ad magnanimum Laurentium Medicen.

HOminem Peripatetici ex anima corporeque componunt. Hominis animam Christiani tradunt, mox genito corpore procreari. Ecce homo noster ad te venit humanissime Laurenti ex anima & corpore constitutus. Primo quidem corpus aspicies, vbi tanquam medici de curando corpore disputamus, deinde introspicies animam, vbi quasi theologi animũ à cura corporis ad Deum conuertimus contemplandum. Ibi sanè quinque libellis velut gradibus ad diuinam cõtemplationem ascendimus scala Platonica. Sextus subinde liber ad Deum iam factum hominem, id est ad Christum, vnà cum Magis, indice stella, ducit. In septimo tandem Apostolus Paulus ad tertium cœlum raptus, secum rapit & mentem, penes Deum die septimo quieturam XXX. Octobris. M. CCCC. LXXXX. Florentiæ.

Per quas cœli plagas animæ descendunt atque ascendunt.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici, S. D.

NVdius tertius quibus causis animæ laberentur in corpora, diligenter tanquam Platonicus, vt cætera soles, inuestigasti. Qua verò potissimum cœli plaga descenderent, vt arbitror, angustia tẽporis omisisti, si igitur & hoc desideras accipe paucis. Per Cancrum Lunæ domicilium, animas Theologi veteres ad inferiora transire dixerunt. Cum enim generationis affectu veniant in regionem generationi subiectam, merito per plagam Lunæ generationi fauentis viam agere putauere. Quamobrem prisci Cancrum quidem mortalium portam appellauerunt, Capricornum verò huic oppositum Deorum portam nominauere, per hunc enim purgatos tandem animos reuolare in cœlestem patriam arbitrantur. quoniã quemadmodum stimulo generandi descendunt, sic ascendunt vicissim studio contẽplandi, diuinæ verò contemplationis authorem, aut saltem significatorem esse Saturnum, dominum Capricorni Astrologi omnes cum Platonicis consenserunt. Hæc igitur tibi porta Deorum, insignis pietate vir cõtemplatorque sublimis Laurenti, patet, tibi, inquam, auspiciis nato felicibus aperta diuinitus, Capricornum circuli tropici caput. Astronomi idcirco putant, quoniam & signum hoc tangit ipse circulus, & Sol cœli Dominus Capricornum mox attingens, petit ascensum. Sed per opportunè in huius circuli mentionem inter disserendum nunc incidisse videmur. Speciosissimam enim intersecat viam in Capricorno, quam Astronomi cœlestem viam nominauere, Græcè quidem Galaxiam, Latine verò lacteam nuncupatam. Hanc exiguæ quidem sed quamplurimæ frequentesque stellæ quasi domicilia parua conficiunt animis, vt tradunt, dedicata beatis. Felicis autem huius viæ humiliumque domorum, sed cœlestium caput asserunt Capricornum. Similem nunc aureæ Laurenti viam sub seculo iam prope Saturnio construis. Viam certe pietatis ædibus charitatisque domiciliis consecratam. Quæ quidem te feliciter exoriente, Capricorno natum, denique ducat ad Capricornum cœlestis viæ caput portamque Deorum.

Amatoris cura secura.

MARSILIVS FICINVS Paulantonio Soderino eleganti viro, S. D.

CVm nocte superiore Laurentium Medicem audiuissemus Apollinis instar in tranquillo Mammolæ, quasi Musarum choro diuina mysteria de amore canentem, ego & alter quidam ex eodem cœtu familiaris ad multam noctem disseruimus, vtrum amores Mammola & amatores admittat, nec ne? Ille quidem hac ratione negabat. Quoniam cœtus eiusmodi securitatem inprimis exoptans curas omnes procul expellit, amor autem cura quædã est omnium profecto grauissima, & amator assidue intollerabili miser hoc modo vexatur. Ego verò non facile huic rationi concedens hunc in modum mox obieci. Quemadmodum lumen ingens minora lumina prorsus extinguit, sic amor cura omnium ardentissima, cęteras omnes longè propulsat. Cum igitur mortales alii curis innumeris opprimantur, quas quidem

omnes amator, amore iubente, posuerit, nemo securior viuit amante. Nullus igitur in iucundum Mammolæ contubernium venit acceptior. Tum ille, imò verò curarum, inquit, plenus ille venit, quisquis amatoria cura curarum omnium acerrima feruet. Sed ego, non respuit, inquam, Mammola hanc ob causam amatorem. Quoniam si in amatam personam iampridem translatus est amator & quo se transtulit simul traduxit & curas, amator Mammolam iam securus ingreditur. Denique si forte conuiceris, hunc, quamdiu amat, securum esse non posse. Esto sanè, curet aliquid & quidem quam maxime, si vis, amator. At non humana iam curat, vt arbitror, sed diuina. Diuina verò curare non prohibet Mammola, sed humana. Quantum enim mortalium studium perturbatum est, tantum vicissim diuinorum cultus est vbique tranquillus: quod autem animus amore saucius non humanum aliquid tandem appetat, imò diuinum, hinc nostri coniicere Platonici solent, quia nullo prorsus corporis formosi sensu vel vsu, sedatur amoris incendium. Quasi aliud quiddam præter corpoream formam, circa formam eiusmodi superno fulgens quodammodo nobis occultum, clam affectet Et idcirco quid potissimum cupiat, quidue patiatur, ignoret. Hæc nos & similia vltro citroque confabulati sumus. Placuit tandē vtrisque, mihi præsertim te, Paulantoni dulcissime, tanquam & æquum virum & amatorii iuris consultum, hac in causa iudicem adhibere. Ego igitur, vt de me loquar, spero te non tam iudicem in hac controuersia mihi fore quam Patronum, scio enim quantum diuino elegantis amoris genio soleas indulgere, & quam vehementer Marsilium ames tuum, iamdiu te ardenter amantem.

Fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo.

MARSILIVS FICINVS
Petro Philippo Pandolfino Florentini senatus Oratori clarissimo, S. D.

DEscripsi tibi singulos deinceps anni futuri dies, quos his natalis magni lucubrationibus obseruaui. Felices equidem tibi dies ominor, infelices abominor, illos item precor, hos verò deprecor, Iuuans ille Pater, ac pontificum significator, Iupiter decimo septimo, Septembris præteriti die in tuis Geminis pedem retulit, & ad Taurum vsque regressus decimo tandē huius Ianuarij die gressum diriget, atque deinceps tramite recto gradiens, tuos iterum Geminos feliciter in fine Februarij repetet, & ad xx. Octobris diem feliciter ita progredietur ad Cancrum. Hoc itaque tempore quo Iupiter rectus incedit, præcipue verò per Geminos, fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo. Tunc igitur aureum illum arboris arduæ ramum, Carpe manu, namque volens, facilisque sequetur, cum te fata vocant. Antea non viribus vllis Vincere, neque duro licuit conuellere ferro. Sed vides ne Maronem vnà cum fato actionis quoque nostræ arbitrium coniunxisse? vbi ait, Carpe manu. Religionem quoque dominari fato, quando dicit, Aderit vocatus Apollo. Idē Ptolemæus ipse confirmat, dicens, sapiens adiuuabit opus astrorum, quemadmodum agricola terræ naturam. Vale in cœlo quidem fortunatus, in rectore verò cœli beatus. XXVI. Decembris. M.CCCC. XC. Florentiæ.

Laurentius Platonis libros formis exprimere iussit.

MARSILIVS FICINVS
Braccio Martella, S. D.

AStronomi Iouem tradunt vitalem vim fœtui inspiraturum, per Mercurium potissimum ad humanam vitam spiritum conformare. poëtæ quoque canunt, Iouem animas ab inferis reducturum, mandare Mercurio, vt Caduceo tangat, & animas suscitandas. Quamobrem si Laurentius Medices in suscitando Platone nobis est pro Ioue, nutu qui concutit orbem, satis fuerit hunc semel oculis annuisse, quibus sæpe rem nostram publicamque serenat. Tibi strenue mi Bracci brachium caduceum erit, quo tanquam Mercurius alter attingas, vbi noster ille Iupiter annuit, vt Plato tandem non semi viuus surrexerit, sed iam viuus Plato mi Bracci noster, tantum Eurydicen pulchram, quantum Orpheus adamauit, Eurydicen, inquam, iudicii scilicet amplitudinem. Sed Orpheus quidem Eurydicen reuisurus descendit ad inferos, Plato verò visurus eandem propediem, vt speramus, ascendet ad superos, felicior proculdubio victurus Florentiæ quam Athenis. Quam enim illic optauit quondam visere Eurydicen, nunc primum Florentiæ viset, habebitque tota quod mente petebat. Amplum certè iudicium ibi tantum esse nosti, vbi contemplatio cum publica gubernatione conspirat, vbi

videlicet gubernator ipse philosophatur. Augusti quidem animi est, alterum sine altero sequi, infortunati verò, alterutrum absque altero consequi, felicissimi denique pariter vtrumque complecti. Viue igitur sub ampla Lauri Medicis vmbra nobiscum vnà cum Platone felix. Die xx. Ianuarij. M. CCCC. XC.

Concordia Iouis & Solis, Concordia collegarum.

MARSILIVS FICINVS Angelo Nicolino, & Philippo Valori, præclaris in Florentina Republica ciuibus.

ASTronomorum princeps Ptolomæus ait, in Harmonia cœlestium Iouem cum Sole maxime omnium consonare. Consonantia verò hæc ad homines felicissime personat, quoties cœlestes illi conspectu trigono se inuicem contuentur. In hunc heri tandem conspectum conspirauerunt. Conspirantes verò confestim vos egregio magistratu decorauere, simulque declarauerunt, & alterum quidem vestrum Iouialem esse, alterum vero Solarem. Et ambos in hoc magistratu, quemadmodum in cœlo Sol & Iupiter concordes sunt, ita proculdubio fore concordes. Ego igitur vobis congratulor, non tam quia tanto munere exornati estis, quam quoniam felicissimo sydere & auspiciis fortunatissimis in dignitate feliciter constituti, eodem fermè tempore quo stella felix quondam Magos perduxit ad Christum xx. Ianuarij. M. CCCC. XC. In agro Caregio.

Gratiarum actio pro immenso beneficio.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

DVo nuper iam quasi diuinus in amico meo fecisti miracula, & in vitam restituisti, & hunc nobis reddidisti mutum. Nam cum primum te inspirante reuixit, tam grandem mox pro immenso beneficio gratiarum actionem mente concepit, vt parere hanc ore non possit. Laus igitur, quod inquit Dauid, esto silentium xx. Ianuarii. M. CCCC. XC. Florentiæ.

Allegoria quomodo Mercurius cœlestium minimus, significat sapientiam virtutum maximam.

MARSILIVS FICINVS Bindacio Recasolano viro nobili & literato, S. D.

QVæris generose Bindaci subtiliter admodum, vt cætera soles, cur Deus per Mercurium cœlestium minimum, sapientiam, virtutum maximam, significari voluerit. Vt igitur quæstioni breui, breuibus quoque respondeam, admonuit hac in re nos Deus, vt meminerimus minimam esse in hominibus sapientiam. Quippe cũ nobis à stellarum minima promittatur. Docuit præterea sapientiam nec in magnitudine corporis constitutam esse, nec ab ipsa mole materiæ proficisci. Nonnunquam homines corpore, audacia, fortuna minimi, sunt sapientia maximi. Denique Sol quidem Deum ipsum præfert, Mercurius sapientem, Mercurius igitur nũquam à Sole discedens, significat animum duntaxat sapientem fore, qui nunquam discedit à Deo. Sol quinetiam principes significare putatur. cum igitur Sol nullam stellarum propinquiorem habeat incessu quã Mercurium, admonet interea principes debere nullos habere familiaritate coniunctiores quam sapientes, quod autem Mercurius idem, sapiẽtiam, eloquentiamque promittit, literarum studiosos, iubet eloquentiæ studium cum studio sapientiæ copulare. Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. XIV. Februarii. M. CCCC. XC.

Pallas, Iuno, Venus, vita contemplatiua, actiua, voluptuosa.

MARSILIVS FICINVS Laurentio Medici viro magnanimo, S. D.

TRes esse vitas, nemo ratione viuens dubitat, contemplatiuam, actiuam, voluptuosam. Quoniam videlicet tres ad felicitatem vias homines elegerunt, sapiẽtiam, potentiam, voluptatem. Nos autem sapientię nomine quodlibet liberalium artium studium, religiosumque ocium intelligimus. Sub appellatione potentiæ authoritatem in gubernatione ciuili pariter atque militari, diuitiarumque affluentiam, & splendorem gloriæ, negotiosamque virtutem comprehendi putamus. Sub voluptatis denique cognomento quinque sensuum oblectamenta & laborum curarumque declinationem, contineri non dubi-

tamus. Primum igitur poëtæ Mineruam, secundam verò Iunonem, tertiam denique Venerem nominauerunt. Tres olim apud Paridem de pomo aureo, id est, de palma & victoria certauerunt. Consultante videlicet Paride secum, quam è tribus potissimam ad felicitatem viam eligeret, elegit denique voluptatem, cum verò sapientiam spreuerit, & potentiam, merito imprudenter felicitatem sperans, incidit in miseriam, duæ tantum occurrisse traduntur Herculi, Venus scilicet, atque Iuno. Hercules neglecta Venere, animosam sub Iunone virtutem est secutus, neque tamen inter mortales propterea felix, perpetuo certaminum labore vexatus, sed hunc tandem exæquat victoria cœlo, huic denique superata tellus sydera donat. Duę quoque Philebo cuidam obuiæ, voluptas, atque sapientia, de victoria contenderunt, atque eo iudice, Venus Palladem superauisse visa est, sed paulo post Socrate rectius decernente, Minerua victoriam reportauit. Spreta verò Venus simul atque Iuno Socratem tandem sub falsis iudicibus agitatum, morte damnarunt. Laurentius denique noster Apollinis oraculo doctus, nullum posthabuit superiorem, Tres enim vidit, tres quoque pro meritis adorauit. Quamobrem & à Pallade sapientiam, & à Iunone potentiam, & à Venere gratias poësimque, & Musicam reportauit. xv. Februarii M. CCCC. XC.

Congratulatio in noua dignitate, cum auspiciis astronomicis.

MARSILIVS FICINVS reuerendo in Christo Patri, D. Hermolao Barbaro Patriarchæ Aquileiæ. S. D.

IOuem Poëtæ sæpe Mercurium, nonnunquam Aquilam mittere consueuisse ferunt. Te vero nascente misit vtrumque, ipse enim ad orientalem plagam in arce Zodiaci sedens, Aquilam quidem sydeream iussit per cœli verticem sub capricorno volare, Mercurium verò figura quadam exagona subire Dioscuros. Chyronem præterea suum nonam cœli plagam colere sacris & sapientiæ consecratam. Iupiter igitur, & communis & tuæ religionis author, vel saltem significator, cum primum suos reuisit Dioscurus, vnde Mercurium quondam demisit ab alto, te sacrum antistitem declarauit, Aquilæque præfecit, Aquileiam, scilicet ædem tuæ nuper curæ prouidentiæque commendans. Sed missis in præsentia stellis Astrorumque portentis, opto equidem hanc tibi dignitatem, mi Barbare, felicem fore, idque Deum precor cœlestium conditorem, congratulor etiam dignitati. Quæ profecto tantum abs te honestabitur, quantum plerique solent à dignitatibus honestari. Gaudeo denique mihi seculoque nostro, quod doctrinam cum integritate vitæ iamdudum coniunctam vidimus, & iam forte potentiam cum sapientia, quod Plato noster inprimis optabat, videbimus conspirantem. Tantum vero bonum, & si à cœlo significatum, tamen ab ipso rectore cœli factum existimamus. Vale felix, & Marsilium tuum habeas commendatum. XII. Martii. M. CCCC. XCI. Florentiæ.

Heroicorum virorum laboriosa quidem vita est, sed gloriosa.

MARSILIVS FICINVS Pierleono Platonico, S. D.

HErculem apud Poëtas heroem quendam præcipue Solarem esse, hinc forsan coniectare licet, quod & nomen Herculis, gloriæ splendorem significat, ad Solem maxime pertinentem, & Hercules ipse monstra duodecim superauit, sicut & Sol animalia XII. Zodiaci, quasi superans cursu perpetuo peragit. Heroem ergo Solarem duri celebrant labores, huic tandem superata tellus sydera donat. Phœbeum quoque Leonem nostrum Apollineus Dæmon palam celebraturus, non singulari certamine, id est, duello tentare constituit, sed in hostium turbam vbique producere, vt hinc excelsa tandem virtus victoriam referat ampliorem. His igitur auspiciis magnanime Pierleone in publicis passim gymnasiis feliciter certauisti. Sic denique vicit Leo de tribu Iuda. Nam itaque primum scribendum nobis mutuo fuit, quando prorsus congratulandum. Hactenus autem frequentes occupationes tuæ non tibi solum, sed mihi quoque diuturni silentii causam præbuerunt. Quod autem rogas, quid in præsentia moliar: Dionysii Areopagitæ scripta relego, hæc aggressus æstate superiore. Cum primum commentariis Plotino, finem imposuissem, Dionysius mihi solus supererat declarandus, Platonicorum proculdubio summus. Hunc igitur eodem ordine quo Platonem atque Plotinum & transferre, & summatim interpretari conamur, Platonica videlicet ratione. Librum eius de mystica Theologia iam absoluimus. Nomina nunc diuina prosequamur.

Præmium in Apologos de voluptate.

Marsilius Ficinus Martino Vranio amico suo cœlitus dato, S. D.

NOnus Epistolarum nostrarum liber à Martino sumpsit exordium, decimus autem finem iam accipit in Martino. Genius enim Martinianus, Marsilianusq; penitus idem, numerum sibi vendicat nouenarium, amoris autem nostri perfectio singularis denarium postulat, perfectionem videlicet numerorum. Cum vero amor nihil desideret aliud quam voluptatem, merito decimus hic liber consecratus amori, finem in voluptate facit; Voluptate, inquam, Vrania, id est, cœlesti, quandoquidem hæc Vranio dedicatur. Leges igitur alter ego, hic iã in calce decimi nonnullos de voluptate Apologos, dedicatos tibi quidem hodie, iamdiu autem à nobis excogitatos, dum Philebum Platonicum tractantem commentaremur, commentarium Laurentio Medici destinatum, tibi verò cum primum occasio se obtulerit exscribendum, nunc enim librarij nostri in exscribendis ad te Epistolis occupantur.

APOLOGVS.

Malus dæmon per verisimile ad falsum, per voluptatem trahit ad malum.

Deus verò per hæc ad verum & bonum.

DEus veritas est & bonitas, ideoque omnia ex veritate & bonitate composuit. Res enim quælibet quantum in integra sui puritate id quod à Deo factũ est permanet, vera denominatur. Quatenus verò aliis conducit ad aliquid bona aliis nuncupatur. Item quatenus intra se aliud sui conducit ad aliud bona sibi. Impressit autem Deus veritatem rerum verisimili quasi nota, bonitatem verò voluptate perfudit quasi esca, vt occulta cuiusque veritas per imaginem verisimilem indagaretur, ac demum per omnium veritatem Dei veritas. Rursus, vt per voluptariam escam singula ad bonum per se latens, allicerentur, perque bona omnia ad Dei bonum. Cum verò dæmon inuidus Deum, partim verisimili nota, partim boni simili esca, ad se trahere cuncta contueretur, machinatus est tanquam diuinitatis æmulus, qua potissimum ratione ipse similiter ad se omnia traheret. Itaque notam verisimilem & boni similem escam ad diuinæ illius expressit similitudinem adhibuitque tùm illam falso, tùm hanc malo, quo fit, vt per illam mentes ad falsum, per hanc affectus trahat ad malum, ac denique ad se ipsum. Ipse enim cum à diuina veritate bonitateque quasi rebellis & alienissimus sit, falsitas quædam est atque malitia. Hinc Plato malorum escam in Timæo nuncupat voluptatem.

Apologus de bonis atque malis.

ERant quondam duo quædam sola, bonum, scilicet atque malum. Quamdiu verò bonum generabat, nihil malum ad generandum haud irritabatur præ superbia, putans se solum posse bono resistere. Incæpit tandem bonum generare bona, tunc malum extimescens sibi à bono atque bonis, concupiuit contra hæc generare mala. Cum vero ob sterilitatem non posset desiendo, sortem suam inuocauit fortunam, qua fauente, cæpit generare mala, atque contrario modo quam bonum bona. Videns enim bona referre bonum ad ipsumque conferre, habere virtutem, serua id in quo sunt salute sua concordare inter se, habere à tergo voluptatem, contra hæc obiecit opposita, scilicet degenerationem, impedimentum, numerosam turbam, impatientiam eius, scilicet quod sustinet bonum item ineptitudinem, ad varia simul bona. Denique voluptatem posuit in fronte mali, reprehendens vnà cum Momo bonum ipsum, quod escam boni occuluisset. A tergo bonis eam subdens, quam forte rectius proposuisset. At verò bonum ipsum ne regnum suum à malo dissolueretur, constituit primo quidem mala pati, contraria duo, scilicet malum alterum, atque bonum, cum bonum bono contrarium esse nequeat, deinde vt malum non modo alterum destruat malum, sed etiam seipsum. Siue enim per defectum fiat, siue per excessum, destruit tandem fundamentum quo sustinetur, à quo seorsum stare nequit. Hinc fit vt malum virtute infinitum esse non valeat, bonum vero valeat. Denique constituit vt mala & si voluptatis escam præferunt, breui tamen in dolorem decidant diuturnum. Hoc significauit Pythagoras dicens, ab animali caudam habente nigrã abstine, id est, à vitiis.

Apologus. De voluptate quæ vicit ambitiosos, victa est à Pallade.

VOluptates quondam cum audirent se ab ambitiosis concionatorib. passim vituperari, in vnum pro sua defensione conspirantes, Patronam causæ impudentiam

dentiam elegerunt, his verbis. Vide impudentia, quam ingrati hi omnes erga nos sint? Quippe cum in nobis tota illorum sita sit felicitas, attamen audeant palam nos improbare. Tunc impudẽtia. Ignauiam vestram, inquit, admiror, nempe cum illos illorumque ædes possideatis, non audetis saltem è fenestris portisque vestros interdum vultus populo demonstrare, quo intelligant omnes in deliciis vos apud illos haberi, atque idcirco ab eis vituperari, ne quis vos inde surripiat. Posthæc voluptates impudentiæ fretæ consilio atque insuper ope, vultus per fenestras aperuere suos. Hinc factum est, vt ambitiosi illarum vituperatores omnem apud populum fidem authoritatemq; amitterent, & qui voluptatem vituperauerant, ab ipsa vicissim vbique vituperarentur. Postquam verò vanos falsosque vicere hostes, reliquum erat, vt aduersus veros hostes legitimosque Philosophos se defenderent. Quoniam verò voluptati Mineruam anteponunt, iudicium, aduocata nuper temeritate, in Iouem est translatum. Cum igitur peruentum esset ad Iouem, temeritas in voluptatum causa declamatrix, ius ait esse Mineruam in iudicium accersiri, quam suprà quam fas est sectatores eius voluptati omnium dominæ anteponant. Pallas acersita comparuit. Repente obiicit ita temeritas. Nec tua, ô Iupiter, Pallas ex ore philosophorum voluptatem nihili pendens, se tuam esse filiam gloriatur. At ego respondeo, voluptatem ipsam sub Veneris nomine ex te natam, voluptatis verò filiam sub sapientiæ nomine esse Mineruam, quam voluptatis cuiusdam gratia Philosophi cuncti sectantur. Quid plura? Ex te nata Venus est, quod si ex tuo prodiisse capite se iactet Pallas, asseremus, & ipsam abs te cum voluptate progenitam. Adhæc Pallas. At ego te ô voluptas affirmo ex me ortam, tum penes Iouem sapientiæ beneficio seipso gaudentem, tum apud homines ex me quoque variorum inuentrice oblectamentorum, imò verò ex mea apud philosophantes imagine. Hi enim imagine quadam mei splendoris delectantur, atque rapiuntur. Tunc temeritas, Dialecticas, ait, mittamus argutias. Voluptas vtpote simplex & innocens, eiusmodi se non munit aculeis Circumspice Iupiter quam amplum sit voluptatis imperium, en Venus, en Cupido huius stipulatores, huius & pedissequę Gratiæ, huius & hortorum Deus ipse minister. Huius in popina Ceres, atque Bacchus in penu. Huius Ambrosia nectareque cœlestes cuncti vescuntur. Quid memorem Martem Deorum ferocissimum? quid teipsum Iupiter? quid cæteros Veneris passim illecebris irretitos? Et quod cæteri violentia tandem vix assequuntur, vixque retinent, vnà hæc vno quodam nutu feliciter implet, nullum trahens, omnes volentes ducens, retinensque libentes. Neque solum quæ in terris viuunt sed quæ in cœlo & quæ in cœlum ducunt, ipsa ducit. Neque viuentia solum, sed etiam non viuentia rapit ad sua quęque voluptas. Cæterum ne Pallas vel Diana, vel Vesta suam iactent sterilitatem, imperiumque voluptatis effugiant, Voluptas, ô Iupiter, ipsa, & Palladem iubet arcubus & venatione Dianam & Vestam laribus delectari. Adhæc indignata Pallas, O Iupiter, mox videbis quam fortis sit voluptas hæc quæ tam insolenter omnium gloriatur imperio. Accerse huc pauorem non Deorum tantum, sed omnium abiectissimum. Exclamauit Iupiter, Heus pauor! Confestim ad ipsam pauoris aduocati nomen, voluptates omnes trepidæ vnà cum temeritate fugam arripuerunt. Tunc omnes risere cœlicolæ fugamque tam vilem ridiculo damnauere iudicio. Denique Pallas Deorum sententiam sic obsignauit. Quidnam pauore vilius? Hic enim ex eo quod non est creatur, quando ex absentis mali fit imagine. Hic rursus ex eo quod non est necatur, quando ex absentis boni imagine perditur, pauore verò tam vili vilior est voluptas. Hæc enim non ab ipso solum, sed ab eius vmbra fugatur, quando non solum pauens, sed cogitans pauorem subitò fugit, imò, vt verius loquar, interit, atque vt maiori cum ignominia pereat, non in simile quicquam amicumue transformatur, sed in hostem, & id quidem subitò, dum in vita conuertitur in dolorem.

De voluptate, quod non sit cum ipsa congrediendum, neque in terris speranda.

Apologus.

CVm cognosceret & Iupiter animas ad cœlum non redire, quia voluptate in terris detinentur, misit Martem atque Vulcanum ceu fortissimos, & armatos ad Voluptatem interimendam, sed ij in primo congressu, vtpote iuuenes voluptatis illecebris deliniti, arma deposuere. Misit iterum Palladem armatam & sapientem, putans illos ob temeritatem succubuisse. Ad hanc ergo Voluptas ait; Nonne te pudet ô Pallas, deam vestitam, armatam certare mecum, humana, inermi, nuda. Illa respondit, Sic placet tecum certare, quo te superem. Adhæc illa, cum neque gloriæ, neque vtilitatis in certando rationem ha-

beas, neutrum enim victa me consequeris, constat re ipsa dumtaxat victoriæ voluptate deuictam, certare nulla gloriæ vel vtilitatis habita ratione. Tum Pallas verbis conuicta, prorumpit in verbera, telumque sæpius in eam direxit. At illa cuius natura cedens est, atque subintrans & fugacissima, ictus protinus declinabat. Ergo Pallas latum clypeum in caput eius protendit, at illa clypeum penetrauit, adeò enim ad penetrandum est potens vt corpus animamque penetret. Posthæc aduocauit Pallas dolorem, quo hoste contrario perderet voluptatem. At quoniam contraria se mutuo non accipiunt, dolor non in Voluptatis faciem irruebat, sed iuxta tendebat in latus. Tum Pallas vnà cum socio Vulcano, acceptis follibus extenuare & resoluere voluptatem moliebantur. Neque potuit extenuare eam, cum tenuissima sit, neque resoluere in vlterius aliquid, cum sit vltimum. Cum enim quæritur quare quis facit hoc? non respondetur, propter illud. Rursusque quæritur, quare illud? ac respondetur, quia placet. Si quæratur iterum, quare placet, non aliter respondebitur, quam quia placeat. Palladem ergo pallidam præ dolore, quia Voluptatem non persuasit, ad Iouem redisse ferunt. Tunc ea, vtpote à fluxu proprio, properãtior aggressa, Iouem ait, O fili! nunc agnosces tibi opus esse senis Saturni consilio, cui hactenus abstulisti regnum, & in palatij penetralibus occlusisti. Actiua videlicet vita homines à contemplatiua plurimum distrahente. Reseratis ergo ianuis conuocatur Saturnus ad consultandum. Tũ ille; Duo sunt ait principia motus. Voluptas quidem prosequendi; dolor autem fugiendi, indolentia verò neutrum facit. Non ergo voluptas interimenda, alioquin animæ cœlum non petent, voluptate etiam hic extincta. Sed Voluptas huc trahenda, dolor apud homines relinquendus, vt inde huc cuncti confugiant. Placuit senis consilium, mittuntur dæmones Martis Vulcanique satellites ad Voluptatem corripiendam. Timebatur enim ne dij illius pulchritudini indulgerent, & cederent. Constabat autem dæmones nullam rationem pulchritudinis habituros. At dæmones nunquam voluptatem tenere manibus potuerunt, mollitie lubrica anguillas mirabiliter superantem. Eius enim mollitiem confirmat assiduus mollium dulciumque vsus & habitatio. Voluptas denique & deos & dæmones superauit, vt nemo audeat cum illa congredi. Fugienda enim est potius quam inuadenda. Verùm ne diutius in diuina nomina delinquamus, fateamur Mineruam in terra, & deos in terra alios, id est, humanam sapientiam, & potentiam, plurimum voluptate deuinci, sed eam à sapientia diuina superari. Nam Saturnus iterum vnà cum Minerua deliberauerunt, vt tentandum esset voluptatem rapere non per violentiam illi oppositam, imò per gratiam eius amicam. Miserunt ergo Mercurium, Apollinem, Musas, Gratias, ad Voluptatem sursum alliciendam, Mercurius ad eam primus orationem habens, dissuasit Voluptati in terris moras trahere inter hostes suos, timorem, dolorem, iram, odium, inuidiam, laborem, & pauperiem, atque morbum. Phœbus quoque eam cythara deliniuit, Musæ cantilenis, & modulis, Gratiæ saltibus atque choris. His enim pellecta Voluptas inseruit se canentibus Musis, manibusque porrectis implicuit se Gratiis blande ludentibus. Itaque numinibus his canendo atque ludendo cœlũ repetentibus comitata Voluptas cœlo inuecta est. Terra à Voluptate deserta est. Hinc ergo illuc abeundum, ita tamen vt abeundo te retro ne vertas, ne Orphei more, perdas præmium. Sed quonam tempore voluptas aufugit in cœlum? Quo & Astrea, originalis scilicet iustitia Adam peccante. Sed ne mortales orbati voluptate inter tot aduersa se affictarent & perderent, Iupiter miseriæ nostræ misertus, dum abstulit Voluptatem, spem nobis multiplicauit. Sed fallit spes voluptatis hic consequendæ, id est, ex rebus mortalibus reportandæ. Nam ad Mineruam trãslata est, Mercurio, Phœbo, Musis, Gratiis perducentibus. Quamobrem Voluptatem plenam penes diuinam sapientiam tantum assequi possumus, delectationem etiam quandam ex liberalibus disciplinis. Posthæc Pluto rex terræ, videns sublatam sibi escam detinendarum apud inferos animarum, cogitauit saltem escam fingere aspectu similem Voluptati. Acceptis ergo vestibus fucisque à Voluptate relictis, quibus in terris solebat vti (in cœlum enim abiit pura) subornare & substituere alium pro Voluptate decreuit, neque tamen subornauit dæmones, ministri etiam necessarij sunt, neque animas, adiudicatæ enim sunt, sed aliquam furiarum, non iram, non inuidiam, odium, timorem, dolorem, non enim his, velut nimium diuersis, congruebant vestes, & calcei Voluptatis, sed subornauit iacturam, quam nouerat semper terrenæ Voluptati familiarissimam. Hinc admonendi sumus, vt Voluptatem procul effugiamus, alioquin sub Voluptatis prætextu in latentem iacturam protinus corruemus.

MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

(.·.) LIBER XI. (.·.)

EPISTOLA DE DONO Argentei Calicis.

Georgius Heriuart Augustiensis, Marsilio Ficino Platonico, S. D.



QVOTIES animo repeto, repeto autem quotidie, & vt verius loquar, singulis horis, faustum illum & iucundum diem, qui mihi dulcis consuetudinis & amicitiæ tuæ initium attulit, libet illum ea celebritate dignum existimare, qua solet natalis dies celebrari, ac (vt mos erat antiquis) lapillo illum candido notare. Is etenim fuit qui mihi eminens illud ingenium tuum, egregias virtutes, ac mellifluam illam, quæ in te cumulare viget, dicendi copiam notam reddidit. Quæ omnia tanti facio, vt tibi qui his sis ornatus, me totum dederim & dedicauerim. Nec quicquam maius habeam quam si datur occasio, vt tibi omnibus in rebus valeam gratificari, & vt opera mea, cura, ingenio, quantuluncunque est, vbicunque sim, velis vti. Quod vt facias vehementer etiam atque etiam rogo. Mitto nunc ad te argenteum, vel, vt sic loquar, potellum friuolum sane, & puerile munusculum. Quippe sunt virtutes tuæ tales, quæ mereantur amplioribus muneribus condonari. Sed vt ita, vt es, humanissimus, id nō munus, sed amicitiæ nostræ nuper initæ & tuæ in me humanitatis aliqua ex parte pignus & testimonium appellabis. Sicque existimabis me id ad te eo animo mittere. Vale & me ama. Datum Venetiis. Idus Aprilis. M. cccc. xci.

Responsio pro dono argentei calicis.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Georgio Heriuarti Germano, S. D.

EST mihi à teneris annis, mi Georgi, naturalis quædam cum Germanis beniuolentia, causis occultis conciliata, itaque Florentinorum socij Miniatenses, Germanum genus, præ cæteris hospites nostri sunt, & familia Picorum atque Caualcantum à Germania ducens originem nobis est amicissima. Quamobrem si germani comiter omnes mihi sunt Germani, quid dicam de viris amicisque inter vos egregiis? de Martino Vranio amico cœlesti? de te insuper optime, mi Georgi? profecto quicunque mihi plusquam germanus est, is extra controuersiam est alter ego, vt non mirum sit, si vestra vobis charissima sunt, mea quoque vobis in primis tanquam vestra placere. Vtinam quantus apud vos sum amici, tantus & apud me virtute forem. Beneuolentia certe talis erga te sum, qualis est ipse calix nuper abs te mihi dono datus, extra quidem argenteus, sed aureus intus. Arbitror & ingenium tuum, sub argenti specie, aurum illud habere, quod Socrates & in Phœdro suppliciter à Deo petit, & in Republica in Heroicis agnoscit ingeniis. Denique quantum nobis grata fuerit Epistola tua, ac munus acceptum, testis erit vndecimus Epistolarum nostrarum liber, ab

Epistola tua inprimis adscripta, & hac responsione mea sumens exordium. Vale felix. Ac si Marsilium amas ama Martinum cognomine Pnyngerum, si me cupis amore quodam cœlesti complecti, Vranium amorem meum tota mente complectere. xxix. Aprilis. M. cccc. xc.

Quomodo aliquis sub aliena persona cogitanti sibimet occurrat.

MARSILIVS FICINVS Pierleono complatonico suo, S. D.

ACcepi literas Pierleone tuas amoris & gratiæ plenas, atque vt vno verbo laudem, re vera Platonicas. In quibus sanè scribis, cum primum Platonicum aliquid occurrit tibi, succurrere mox tibi Marsilium, sed caue ne te forsan exterior fallat imago. Reor equidē ipsum tibi Pierleonē sub Marsilii persona latere. Siqua enim humana species tibi res Platonicas contemplanti se offert, probabile est speciem maximè Platonicam præ cæteris se offerre. Quid autem in rebus humanis Platonicum magis, quam Leo magnus Solis Platonici domicilium. Forte igitur, quemadmodum & Narcissus, te ipsum intuens, opinaris alium intueri. Præcipuè verò Marsilium cuius imaginem ardens te induit amor. Sed quoniam incidimus in imaginem, scis profecto rationem inter imaginationem intellectumque mediam esse, atque in eam hinc quidem ab imaginatione confluere imagines naturalium, inde autem ab intellectu influere species diuinorum. Quamobrem sæpè contingit vt diuina quædam species apud humanam rationem imaginem quandam subeat naturalem, itaque quod intus diuinum est sæpè rationis oculis appareat naturale. Quid? si ratione simili Pierleonus sub figura Marsilii sibi sæpè sit obuius? Sed de his quidem hactenus. De Dionysio Areopagita recte admodum sentire mihi videris: mihi certè nec vlla scientiæ forma est gratiosior quam Platonica: neque forma hæc vsquam magis quam in Dionysio veneranda. Amo equidem Platonem in Iamblico, admiror in Plotino, in Dionysio veneror, sæpè verò suspicor antiquiores Plotino Platonicos. Ammonium atque Eunumium aut his forte priores, legisse Dionysii libros antequam nescio qua calamitate Ecclesiæ delitescerent. Atque illinc in Plotinum & Iamblicum Dionysiii scintillas verè Platonicas fuisse transfusas, vnde tantus sit ignis accensus. De Dionysio satis gratus admodum mihi erit Galenus de dogmate Hippocratis atque Platonis. Sæpè de te apud Laurentium Medicem verba fiunt. Amat profecto te mirificè, sicut solet, vt par est, admodum veneratur. xii. Maij. M. cccc. xci. In agro Caregio.

Ad magnos pertinet beneficia conferre etiam non merentibus.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Reuerendo in Christo Patri & Domino Raphaëli Riario Sancti Gregorij Cardinali, suppliciter se commendat.

ET si nulla forte merita sunt, quibus impetrare apud te quicquam debeam, audebo tamen nonnihil gratiæ poscere, non meritis quidem confisus vllis, sed & mea in te obseruantia, & tua in omnes clementia fretus. Iustum quidem, sed humanum est beneficium præstare merentibus, clementissimum verò est atque diuinum largiri etiam non merentibus. Magnum certè sacrumque Antistitem, magna imprimis diuinaque decent.

Charitas & pietas potissimum est sapientis officium.

MARSILIVS FICINVS Martino Vranio Germano dilectissimo suo, S. D.

VTinam mihi tantum sapientiæ foret, vt & promissis pro me tuis, & expectationibus aliorum satis quandoque facere possem, officio quidem meo fermè iam pro viribus satisfeci. Adolescentes enim quos nuper ad nos gratia disciplinæ misistis perlibenter excepi. Pio statim apud nos hospiti commendaui. Dabo indies operam vt beneualeant, vt educentur, erudianturque quam optime. Meam saltem eiusmodi diligentiam, optime mi Martine, parentibus adolescentum vestrisque principibus quibus sapientiam promisisti, promittito. Hactenus & ipse fideiussor eris, vt spero, veridicus, vt ego satis forte fecero, si pro expectatione sapientię imprimis præstitero charitatis & pietatis officium, pietas enim summa quædam apud Deum sapientia est. Primo Iunij. M. cccc. xci.

Purgatio de literis non redditis.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri & Domino Raphaëli Riario S. Georgij Cardinali suppliciter se commendat.

CHristophorus marsupinus familiaris noster, Florentiam nuper Roma reuersus, statim post prima salutationis verba,

narrauit, quantum me tua clementia diligat. Quo quidem nihil gratius audire poteram. Sed hoc interim molestum mihi fuit, quod mox negligentiæ criminari me cœpit, quasi nullas post discessum hinc tuum ad te literas dederim. Sed ego statim huic Archetypum Epistolarum mearum aperiens, quatuor saltem legi literas ad te hoc tempore missas. Certe nimis infortunatas itinere, inquam, Romano. Nondum enim ad te peruenisse videntur. Quæ tamen alibi feliciore fortuna fretæ, non solum per omnem Italiam, sed etiam in Hispaniam iamdiu, Galliam, Germaniam, Pannoniam, peruolarunt, obseruantiam & reuerentiam erga te meam vbique iam præter quam Romæ testificantes. Quamobrem non quia nullas, sed quia paucas Epistolas ad te miserim iure culpandus eram, Sed vtinam quę natæ semel infortunatæ videntur, fortunatiores saltem hodie renascantur, vt ad felicem Patronum melioribus vsæ fatis quandoque perueniant, clientulumque commendent. IIII. Iunij. M. CCCC. XCI.

Pro Adolescentibus è Sueuia missis ad Academiam Florentinam.

MARSILIVS FICINVS Ludouico Nauclero & Ioanni Phorcensi, Germanis Iurisconsultis, S. D.

SCribitis ad nos vestroque nomine Germaniæ Principes, Florentiam adolescentes erudiendos tanquam Academiam mittere. Sed ea interim elegantia scribitis, vt non ad Academiam filios, imò ex Academia mittere videamini, atque apud exteras nationes perquirere vobis iam domesticam disciplinam. Quæ rerum vicissitudo est? Quantum insolentes plerique more Sophistarum aliena temere profitentur, tamen vos modestissimi viri vel propria, ritu Socratico, diffidemini, hoc præ cæteris admirandi, quod quàm curiose multi lapillos terræ visceribus reconditos perscrutantur, tam accurate, vos cœlestem sapientiæ splendorem vbique Gentium prosequamini. Quamobrem incredibili quodam amore erga vos affecti, adolescentum vestrorum curam pia mente suscepimus. Et imprimis insigni pietate hospiti commendauimus. Dabimusque indies operam, vt ager natura fertilis frugem quandoque proferat felicissimam. Vos igitur bono animo estote, & principibus vestris nostro nomine respondete, Magnanimum Laurentium Medicem, cuius & ipsi clientes sumus, adolescentum prouidentiam libentissimè suscepisse. V. Iunij. M. CCCC. XCI. In Agro Caregio.

De quatuor speciebus diuini furoris. Item laudes Medicis Laurentij vera.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Petro Diuitio, literis & moribus ornatissimo, S. D.

CVm iamdiu Platonem nostrum in conuiuio audiuisses de Amore latissimè disputantem, desiderarésque præterea Compendiariam quandam de Amore sententiam, libellum dedi legendum, hac de re nobis in adolescentia Poetica facultate præstantem nostra compositum ad peregrinum alium adolescētem. Memini equidem quam mirificè delectabaris audire amorem ipsum re vera non esse libidinē, sed furorem quendam excellentibus ingeniis diuinitus instigatum. Pręterea, diuinum furorem, tanquam genus quoddam, quatuor in se species continere. Amorem, Poësimque & Vaticinium, atque Mysterium. Et Amorem quidem à Venere, à Musis verò Poësim, sed ab Apolline Vaticinium, à Dionysio Mysterium proficisci. Qua denique ratione alia hominum ingenia ab alio plurimum alioque numine variis furoribus agitentur. Reliquum erat, ingeniosissime Petre, perquirere, nunquid ingenium idem à pluribus, vt ita dixerim, diis simul afflari possit, variis inde furoribus concitatum? Iam verò de Amore quidem atque Poësi quæstio non admodum difficilis esse videtur. Nam Homerum, Pindarum, Callimachum, Sapphon, Maronem, Poëtico simul amatorioque instinctu percitos fuisse non dubitamus. Vaticinio insuper Epimenidem, atque Sybillam. Sed præter hæc etiam mysteriis inspirari, soli, vt aiunt, diis geniti patuêre, qualem Gentes Orpheum, qualem nostrum Dauidem fuisse tradunt. Cognouimus & nos ingenium nostro sæculo felicissimum, quatuor has æquè furorum dotes à quatuor numinibus consequutum, Poeticum sanè, amatoriumque spiritum sub Musis Venereque cœlesti iamdiu in ipso adolescentiæ flore concepit. Quod quidem vbique suauissimi cantus, & miranda prorsus eius carmina personant. Sed vaticinium hausit ab Apolline iam adultus, quo certè mirabili quadam mentis sagacitate cœlitus insita, frequenter futura discrimina, priuatim publiceque, præsagiens, medicam periculis manū adhibet, & Phœbea statim virtute medetur. Mysticum verò furorem à Dionysio propè iam maturus feliciter est adeptus. Dionysiam ebrietatem Theologi veteres excessum mentis de-

finierũt, à rebus quidem mortalibus segregatæ, secreta verò diuinitatis mysteria penetrantis. Bacchus amat colles. In collibus Ambre Agnaneque vallens Laurens ille Phœbeus Dionysio nectare passim ebrius debacchatur. Tumverò afflatus ex alto cœlestia super hominem carmina fundit ore rotundo, profunda, quorum sensa nullis vnquam penetrare fas est, nisi ingeniis simili quodam furore correptis Rapitvero secum noster ille Patronus, nonnullos interdum attentius atque felicius audientes, in eos videlicet præ cæteris vbertate furoris exuberans. Qua verò ratione percitus ipse numine alios fermè similiter concitare valeat, docet Plato noster in libro qui inscribitur Ion. Vbi ingenti cuidam Herculeo lapidi ferreum annulum subdit exiguum, mox facile rapiendum, primo statim annulo subnectit secundum, tertium verò secundo, quartumque deinceps. Catenamque, conficit annulorum à magnete subinde pendentium, per quos attrahendi virtus à priore deinceps in consequentem repente transfunditur. Eadem ratione putat à Phœbo Musam rapi, ab hac Poëtam, à Poëta corripi similiter audientes. Mysterium hoc his forte carminibus Virgilius imitatur. Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit, Vobis Suriarum ego maxima. Sed Surias in præsentia nominasse nolim, vbi non de Suriarum, sed de Gratiarum furore tractamus Quo quidem Patronus noster abundans, Petre felix, & te pariter atque me, cæterosque suos obseruatores afficit protinus, affectos corripit, correptos occupat, occupatos mox incomparabili quadam voluptate perfundit. Quamobrem tanto beneficio hinc affecti in ardentissimo eius amore perseueremus, in quo singulariter amando, diuinum quotidie reportamus instinctum. VIII. Iunij. M. CCCC. XCI.

Vera Laus Marci Cardinalis sancti viri.

MARSILIVS FICINVS Antonio Calderino dilectissimo suo, S. D.

PEtrus Fannius noster vir doctus & probus, multis heri testimoniis comprobauit singularem beneuolentiam erga me tuam, pluribus iamdiu tuis in me officiis confirmatam, cum verò multis de causis plurimum tibi Calderine debeam, hac debeo certe quamplurimum, quod sanctum illum virum Marcum diui Marci Cardinalem, & iamdiu reddidisti nobis amicum, & quandoque Patronum in nostris periculis præstitisti, cuius quidem obitu non possemus grauiter non dolere, nisi speraremus hunc è cœlo, vbi beatam agit vitam, certiore quodam in dies patrocinio nobis aspiraturum. Hic certe, quod te non latet, Dauidicum illud, Anima mea in manibus meis semper, & viuens & moriens impleuisse videtur. Atque illud Euangelicum attigisse, Potestatem habeo deponendi animam meam. Ita enim prædixit, horam ita lætus, & quasi pro arbitrio discessit è corpore, vt non mori quidem, sed sponte peregrinari, imò redire in optatam patriam videretur, immortalis vitæ mortalibus exempla daturus, nouumque lumen cœlestibus luminibus accessurus. Felix igitur mi Antoni ob hanc maxime causam amicitia nostra, quod sub Patrono confirmata est omnium felicissimo. Vale feliciter, ac me, vt soles, ama, singulariter te amantem. XXIX. Iunij. M. CCCC. LXXXXI.

Rationes negotiorum suorum amico reddendæ.

MARSILIVS FICINVS Martino Vranio Prænyngero amico vnico, S. D.

CVm neminem te, perquam dilectissime mi Martine, chariorem habeam, iure nulli potius quam tibi quotidianas rerum nostrarum rationes reddere debeo. Valeo equidem bene, quantum habitudo, ætas, æstas, assidua literarum studia ferunt. Prosequor vt iampridem scripsi, diuina Dionysij nomina. Recognosco Plotinum interea dum exprimitur à librariis, quatuor posthac aut ad summum quinque mensibus, vt arbitror, erit expressus. Exscribitur tibi nostrum commentarium in Philebum, mitto nunc eius partem quinterniones octo, alios verò reliquos breui accipies. Venetiis quotidie Platonis Theologiæque libri, iterum & vt aiunt diligentius inprimuntur. Adolescentes commendati nobis, prospere valent, multumque in dies literis moribusque proficiunt. Singularis quidem noster amor exactissimam singulorum rationem exigit, sed negotia prohibent, his ergo contentus, felicissime Vale. XX. Iulij. M. CCCC. LXXXXI.

De simplicitate & integritate morum.

MARSILIVS FICINVS Pierleono complatonico suo, S. D.

SAlue salute dignissime Pierleone vir omnium integerrime, imò & omnium

simplicissime. Verùm Plato noster in Symposio quidem nullos nostris sæculis nasci integros existimat, sed diuisos. In Timæo autem atque Phædro duplices affirmat omnes. Te igitur quando integrum simplicemque appello, non huius quidem sæculi filium iudico, sed alterius, in quo, vt Plato inquit, homines quondam integri pariter atq; simplices nascebantur. Quādiu videlicet regnabat quædā in humanitate diuinitas, diuinitas enim & integritas eadē est, atque ipsa simplicitas. Naturalia verò multiplicem habēt integritatem. Monstra denique ab integritate simul, & simplicitate degenerant. Sed Mysteria vix admittit Epistola, sortes videlicet facile. Vide igitur Pierleone mi alter ego, quam similem in plerisque sortem nacti sumus, disciplinæ Medicem, in cœlestibus eundem, vt coniecto, Saturnum ducem quoque Platonem, Patronum rursus eundem Laurentium Medicem, Platonicarum disciplinatum instauratorem, amicos prorsus eosdem, inimicos autem ipsi nullos, amamus enim omnes, solùm forte non amaturi, siquis denique deprehensus fuerit solum amare seipsum. Mores præterea nostros quis non similes dixerit? Simulare namque vel dissimulare, pariter vterque nescit. Simulatores dissimulatoresque similiter vtrūque fallunt. Sed fallant (vt cūque lubet) iterū atque iterū, modo ipsi iam falsi, quandoque nos quoque falsos mutatis moribus non efficiant. Vale feliciter in tua integritate simplicitateque, in vita etiam ingrata sorte victurus. xx. Augusti. M. cccc. lxxxxi.

Proœmium in Platonis Institutiones

MARSILIVS FICINVS
Philippo Valori dilectissimo
suo, S. D.

ANno salutis humanæ M. cccc. lvi. quo ego quidem anno ætatis agebam tres atque viginti, tu vero natus es, primitias studiorum meorum auspicatus sum à libris quatuor Institutionum ad Platonicam disciplinam. Ad quas quidē componendas adhortatus est Christophorus Landinus, amicissimus mihi, vir doctissimus. Cùm autem ipse, & Cosmus Medices peregissent eas, probauerunt quidem: sed vt penes me seruarem consuluerunt, quoad Græcis literis erudirer, Platonicaque tandem ex suis fontibus haurirem. Eas enim partim fortuita quadam inuentione, partim Platonicorum quorundam Latinorum lectione adiutus effeceram. Platonem deinde, Platonicosque Græcos aggressus, Institutiones illas paulatim libris sequentibus emendaui. Neque tamen librum ipsum placuit abolere, quem tanquam liberum primogenitum meum, eo anno genueram quo natus es, mihi certè, & obseruantia filius, & perpetuo quodam fauore patronus. Hunc igitur tu, mi Valor, dilectissime fili, fratrem tuum, fraterno precor amore complectere, in Valorum laribus ineunte iam ætate mihi domesticis, optato prorsus Valore victurum. Vale, xxiiii. Nouembris. M. cccc. xci.

Gratiarum actio.

MARSILIVS FICINVS
Martino Vranio Prænyngero,
amico vnico, S. D.

IOannes Streler ille vester, ac propè iam noster, legit mihi hodie partem Epistolæ ad se tuæ, amoris erga nos ardentissimi plenam: qua præterea significabas te natalem nostrum, & Doctorum cœtu, & magnifico sumptu celebrauisse. Ego igitur tantæ huic erga nos pietati tuæ facere non aliter satis possum, nisi tantùm amauero quantum me. Incomparabilis autem amoris erga te mei, suauissime mi Martine, testes erunt non solùm Epistolæ nostræ, verumetiam libri quidam in posterum nobis edendi. Viue igitur, mi Martine, felix, non minus mihi semper quam mea vita charus Mitto ad te reliquum Commentarij nostri in Philebum, quinterniones quatuor. Plotini librorum impressio proximo huic Martio erit (vt arbitror) absoluta, magnifico Medicis Laurentii sumptu, formaque Regia, constituit mox quoque Platonis nostri libros eadem exprimi dignitate. Ego verò curabo pro viribus, vt emendatior sit expressio secunda quàm prima. Præterea libros singulos in capita multa, capitulataque distinguam, & inscriptionibus quam certissimis, tanquam formulis declarabo. Dionysii libri iamdiu vobis incœpti propter occupationem eiusmodi aliquanto tardius absoluentur. Vale. xxiiii. Nouemb. M. cccc. lxxxix. Florentiæ.

In librum de Vita dono datum.

MARSILIVS FICINVS
Mazingo insigni Physico, amico
inseparabili, S. D.

SAlue salutis nostræ (Deo authore) curator, amice prorsus inseparabilis. In primis forte mirabile, cur inseparabilem amicum potius quàm aliter nominauerim. Quia videlicet, quos cœlum coniunxit, terra minimè separabit. Quo enim pacto infima mundi terra nostros animos per lo-

corum distantiam disiungere poterit, quos altissimus Planetarum suis in ædibus amore coniunxit. Amore, inquam, tam durabili, quam stabilis est ipse Saturnus. Beniuolentiæ verò tam firmæ pignus esto vita isthæc penes te mea. Nec immerito vitam istam tibi probandam colendamque committo, cui iampridem meam hanc meorumque, vitam commisi curandam.

Philosophica ingenia ad Christum perueniunt per Platonem, in Augustino Aurelio contigit.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Ioanni Pico Mirandulæ, Conphilosopho suo, S. D.

SCribis amice quam optime (quod mihi omnium est gratissimum) te multis quotidie suadere, ac iam persuasisse nonnullis, vt Epicurea impietate relicta, vel Auerroica quadam opinione posthabita, piam de anima Deoque sequantur Platonis nostri sententiam. Per quam sane quasi mediam quandam viam, Christianam pietatem denique consequantur. Salue igitur vere piscator hominum. Qui enim vulgaribus ingeniis persuadent, pisces vel potius pisciculos captare videntur, sed qui egregiis, piscatores hominum iudicantur. Hos forte magnos pisces nuncupat Euangelium, quibus cõprehendendis nec rete quidem scinditur. Nostrum verò Mirandula rete nunc est Platonica ratio, quæ quidem si modo ritè trahitur sub Christiana veritate non scinditur, sed permanet integra dum impletur. Nullos legisti Philosophos quondam nisi Platonicos Christianam suscepisse religionem. Merito igitur Platonicis (vt ita dicam) retibus altissima quęque Christo piscaris ingenia. Vtinam tres saltem eiusmodi religioni piscatores adessent, vt grandes nulli pisces pelago superessent. Sed heu miseri vel infortunati potius, messis quidem multa, operarij verò pauci. Quo igitur pauciores mi Mirandula sumus, eo frequentius nobis vehementiusque laborandum. Vale.

Commendatio.

MARSLIIVS FICINVS, Francisco Soderino Episcopo Volaterrano, S. D.

MArtinus Vranius è Germania Romam venit, mandata sui principis pro viribus effecturus, & perfecturus (vt spero) si tu consilium tuum operamque præstiteris. præstari verò tam vehementer percupio, vt nihil ardentius nunc affectem, hunc tibi (si noueris) virtus eius mirifica commendabit. Ignotum ergo commendet ingens beneuolentia nostra. Hic enim mihi tam charus est, vt non aliter exprimere possim nisi dixerim, alter ego. Cum igitur amicorum meorum nullum frustra tibi hactenus commendauerim, quæ tua quidem incredibilis humanitas & clementia est, spero nunc, imò certo scio, Martinum, imò verò Marsilium tibi fore feliciter commendatum. Primo Aprilis. M. CCCC. XCII.

Commendatio.

MARSILIVS FICINVS Philippo Valori suo, S. P. D.

MEministi mi Valor quam ardenter nos amet Martinus noster Vranius, adeò vt & filium suum meo nomine Marsilium nuncupauerit, nostrumque natalem instituerit celebrandum. Hunc ergo non dubito abs te vehementer amari. Hic te salutabit, consilium aperiet suum, auxilium postulabit. Si memineris quam sæpe de Martino dicere soleam, alter ego, non dubito quin habeas hunc in omnibus mirifice commendatum. Scripsi fermè eadem ad venerandum Soderinum nostrum. Huic ergo tu Marsilium ita (vt scis) geminum, geminatis quoque precibus commendato.

Actio gratiarum. Item de ostentis in obitu principis.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri Domino Ioanni Medici Cardinali suppliciter se commendat.

CVm quartum Medici gradum maximum arbitrentur, tu verò quartus à Cosmo in generosa Medicum familia mihi sis patronus, es proculdubio maximus. Quod quidem hinc planè perspicio, quod non aliena mihi das, sed tua. Tuo iamdiu canonicatu me ornasti. Æde nunc Martiana, tibi dono concessa, subitò me donasti. Quamobrem obitũ magnanimi Laurentij nostri, neque fortunam meam deflere mihi licet, qui deinceps tanto patrono me videam maximè commendatum, neque sortem eius commiserari, quem multis euidentibusque argumentis translatum ad superos esse cognoscimus.

Legisti (vt arbitror) apud Hesiodum, triginta beneficorum dæmonum millia per aërem sublimem humana curare. Quos quidem prisci rectores hominum exploratoresque cognominant. Præterea, excellentissimos quosque apud homines principes, post obitum ad rectores eiusmodi commigrare, quasi collegas eorum posthac in humana gubernatione futuros. Animis ergo felicibus illuc aduolantibus illos congratulari, Platonici putant. Congratulationes verò signa dare portenta hominibus admiranda, tonitrus, fulmina, flammas, machinarum ruinas, oracula, somnia. Quæ quidem prodigia, partim maiestatem transmigrantis animæ, partim detrimentum orbi populi, partim intercessionem antiquæ potestatis in hæredes significare videntur. Idque in Romuli Cæsarisque decessu extra controuersiam afferunt, contigisse. Quod & nunc in morte Laurentij magni propemodum diui, Florentiæ fuit vniuerso fermè populo manifestum. Viue igitur felix, maxime mi patrone, diuina voluntate contentus, gaudens felicitate paterna, confisus ope diuina. Die xv. Aprilis. M. cccc. xcii. In agro Caregio.

Actio gratiarum.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo Patri Domino Francisco Soderino, Episcopo Volaterrano, S. P. D.

GRammatici quidem vltra superlatiuum nihil habent, Oratores autem atque Poëtæ huic aliquid addunt. Huc forsan tendit Virgilianum illud.

O ter quaterque beati.

Ter quidem beati sunt beatissimi. Quater verò, quàm beatissimi.

Hactenus me tibi charissimum esse planè perspexi, nec vnquam posse chariorem fore putabam. Nunc verò quam charissimum esse proculdubio video. Charissimos enim tuos expolias, quo me induas. Gratias igitur quas olim soleo pro multis in me beneficiis tibi maximas agere, iam quam maximas ago, ac me tibi quam deditissimum esse confiteor. Illi quin etiam familiari tuo debeo non mediocriter, quem tuo rogatu mox animo haud ægro nobis, audio, concessisse. Die xxv. Aprilis. M. cccc. xcii. In agro Caregio.

Causa prodigiorum in obitu Principis contingentium.

MARSILIVS FICINVS Philippo Valori Oratori apud Pontificem, Florentino, S. D.

COgitanti mihi prodigiorum causas in excellentium virorũ, præsertim principum, obitu contingentium, primò quidem venit in mentem, hæc neque fortuna contingere, habent enim ordinem, neque natura procedere, diuersa enim inter se fiunt, vt ad naturalem influxum vna quadam procedentem via, referri non possint, & habent in se mysteria natura prorsus superiora. Deinde succurrit, si portenta eiusmodi, neque à fortuna, neque à natura proficiscuntur, à diuinitate quadam proculdubio proficisci, id est ab intelligentia quadam sublimi, naturæ vires exuperante. Sed ne minima quæque ad mentem primam absque medio quodam ordine redigamus. Videntur hæc (vt Platonicè loquar) ad tria potissimum numina referenda. Est enim personæ genius, dæmon familiaris homini, quem Angelum custodem nostri Theologi nominant, est & loci genius, domus, ciuitatis, regni custos, quem cognominant principatum, est insuper ordo sublimis chorusque numinum, vel dæmonum, vel Angelorum, in quorum numerum sortemque per officij similitudinem, excellens animus quasi ad stellam suam migraturus, est in eodem illic officio quasi collega futurus. Quemadmodum ergo tres prodigiorum authores sunt, ita & tria videntur genera portentorum. Sublimis quidem ille chorus crinitas accendit, tonitrus ciet, fulgura iaculatur, & flammas stellasque cadentes. Præfectum prouinciæ numen, quatit diruitque machinas, oracula fundit, auguria & auspicia mouet, æstus designat. Custos verò familiaris somnia omniaque excitat, canumque latratus quasi malum dæmonium illinc arcentes. Finem præterea desideraturus mihi videris, huius hæc gratia fiant. Prima quidem illa significant excellentissimos non extingui, non negligi, sed post obitum regnare cum superis. Secunda, calamitatem populi, tanto viro destituti prænunciant, & cauere imminentia subinde monent. Tertia, & virum admonent moribundum, & suis indicant cœlestem fauorem, illo quidem moriente non mori, sed familiæ suæ post illũ aspiraturum. Addunt Platonici quidam, inter sublimes hos dæmones sempiternos atque homines

vitæ breues, esse dæmones quosdã medios valdè longæuos, horum ergo potentioribus potentiores homines commendatos. Cumque illorum aliquis post multa secula moritur, magnũ simul Principem ipsi commendatum ægrotare protinus vitaque decedere. Turbari vero aërem nouaque & miranda contingere, quando & magnorum dæmonum aërea corpora dissoluuntur, & amici dæmones fatum magni, tum dæmonis, tum Principis ægrè ferunt. Vale. xxv. Aprilis. M. cccc. xcii.

De vita solitaria, & quanti facienda sit.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Pico Mirandulæ, S. D.

LAtere ne vnquam speras, mi Mirandula? Parua quidem & obscura latere facilè possunt, magna verò & præclara non possunt. Tu quidem, vt bene viuas, studes semper latere bene, sed interim quo populo euadis admirabilior, eo notior. Hinc quicquid tentaueris, rumores varij protinus excitantur. Quid ergo? Circunspiciesne semper vniuersam plebẽ, & quid confabulaturi sint, longè prospiciens, seruus eris? An tua potius professione contentus, vulgi iudicium nihilipendes? Noui equidem ingenium tuum. Videor igitur mihi videre quid agas. Haud omnino nihili pendes hæc, sed paruipendes, plurimi verò prudentum iudicia facies. Sed de his quidem satis. Ego verò, dilectissime mi Ioannes, eo grauius tuo discessu dolui, quod me propter duorum simul amicorum obitum in summo mœrore constitutum repente deseruisti, sperantem mihi te solum consolatorem Medicumque fore. Sed spero te prope diem rediturum, qua quidem spe fretus amicos etiam consolabor. Vale reditque felix. Die xxviii. Aprilis in agro Caregio.

Laudes amici, scilicet Bindacij Recasolani.

MARSILIVS FICINVS
Philippo Valori Oratori Florentino, S. D.

DIuturnus Laurentij Medicis morbus vnà cum iniquitate temporum (vt arbitror) in causa fuit, vt & ego non leuiter ægrotauerim. Sed ex longa infirmitate iam satis belle conualui, videlicet aspirante Deo. Nemo verò longi languoris tędia magis mihi leuauit, quam Bindacius Recasolanus familiaris noster, vir certe natura generosissimus, virtute probatissimus, opera officiosissimus, hic sæpe me sponte sua, sæpe etiam tuo nomine salutauit. Significauit præterea se tibi debere quam plurimum. Hunc igitur in primis ama, mi Valor, & apprime te amantem, & omnium amore dignissimum. Martinus Vranius, alter ego, ad nos reuersus narrauit hodie quam amice, quamque magnifice eum exceperis. Fecisti tu quidem (sicut soles) nec quicquam hoc tempore mihi gratius efficere potuisses. Die. xxvi. Iunij. M. cccc. xcii.

Laudes legitimi Principis.

MARSILIVS FICINVS
Eberardo Duci Vuittembergensi & Montis Peligardi seniori, S. P. D.

MVlta iampridem de singulari virtutum tuarum excellentia ex multis audiuimus. Plurima nuper accepimus à Martino Vranio nostro, teste quidem & fideiussore apud nos locupletissimo, laudumque tuarum præcone apud omnes fide dignissimo. Quamobrem ingens admirabilium virtutum tuarum, quasi stellarum splendor ad nos vsque refulgens, incredibilem in nobis iam accendit ardorem, ad te vehementer amandum & colendum in primis atq; venerandum. Desiderabam equidem iamdiu quod & Plato noster optare se prædicabat, cognoscere principem, in quo quemadmodum in Pallade vnà cum potentia, pariter sapientia conspiraret, necnon, vt in Cæsare magnanimitas cum clementia, sicut in Scipione grauitas cum comitate concurreret. In quo præterea floreret & iustitia Minois, & religio Numæ, sub quo pax illa rediret Octauiani. Qui denique pacis studia rebus bellicis anteponeret, templa fundaret, publica literarum gymnasia faceret. Quem subditi non tam metuant quam ament & obseruent atque mirentur. Eiusmodi quidem est legitimi principis idea, & optata quondam à Platone, & à nobis in primis desiderata, atque (vt constans iam fama perhibet) in te præcipuè ingens, vt non mirum sit me iam, meosque Academicos omnes, tot virtutum tuarum radiis inflammatos, te quasi cœleste numen colere ante alios principes atque venerari. Sed incredibili quodam amore præterea cogimur te obsecrare, vt ipse quoque nos ames, singulariter te amantes, semperque post hac etiam, vt iam facis, memineris, quemadmodum omne lumen pendet ex alto, ita virtutum tuarum splendorem ex ipso Deo patre luminum dependere, vt summus ille bonorum omnium author probitatem tuam pariter atque felicitatem con-

firmet etiam in posterum, & augeat confirmatam dispositionem, & quotidianos cœlestium cursus aspectusque consideras, prosequaris.

* Hic deest finis Epistolæ ad Ducem Vuitembergens. Principiũ Epistolæ ad Bandacium.

* Probo equidem (dilectissime mi Bandaci.) Veruntamen si quando Astrologiam illam aggrediaris, qua frustra nimiũ certa futurorũ iudicia promittuntur, id minimè comprobabo. Quem enim omnium familiarissimum habeo, eundem & felicissimum fore desidero. Compertum vero habemus omnes qui prædicendis futuris curiosius inhiant, omnium infortunatissimos esse vel fieri. Cuius quidem aduersitatis causas, vel manifestas, vel occultas esse putamus. Manifestæ profectò causæ sunt, quod infinito ac prorsus incerto futurorum studio, sua semper omnia negligere compelluntur. Plerumque verò imminentis fati, vel promissis confisi, vel minis deterriti, sua quidem sententia necessariis, ipsi interea nihil agunt, toti videlicet ex fato pẽdentes. Occultas autem huius rei causas esse arbitror, quod prouidẽtia diuina, cui natura, fatum, fortuna, seruiunt, non dat omnibus omnia, sed sua cuique iustè dispensat. Quibus ergo & his quidem volentibus futura concessit, meritò præsentia negat. Cũ enim præsentia, si cum futuris compares, paucissima minimaque sint, si rebus eiusmodi careas, dummodo futura, quæ plurima maximaq; sunt quoquomodo possideas, cõqueri apud prouidentiam de tua sorte non debes. Fortè verò fortuna, quæ videtur in hoc saltem opposito fato, quod illud quidem ordinem rerum asserit necessarium, hæc verò ordinem eiusmodi renuit, nimirum futurorum auguratoribus tanquam fatidicis assertoribusq; fati infẽsa redditur & aduersa. Forte etiam qui ventura audacter anticipant, quę cœlestis ille pater in sua posuit potestate, sibi ipsis quod Dei ipsius est, insolenter vsurpant. His ergo Iupiter indignatus eos tanquam Gygantes illos superbia nimium elatos effulminat. Missa equidem nunc quæ mihi succurrunt Astrologica facio. Rerum videlicet reconditarum longeq; à præsenti distantium perscrutatores, inde protinus in Saturnum abditissima quæque remotissimaque tenentem. Et quoniam præsentia fortunæ bona concessit Ioui, rebus tandem venturis secretissimisq; contentum. Quamobrem (vt summatim cuncta concludam) dilectissime mi Bindaci, quoniam ad sola præsentia longe deficimus, ne dum ad futura quoque sufficiamus, quod diuinè præcepit Paulus, memori semper mente tenendum: Nolite sapere plusquam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Vale.

Opiniones non temerè diuulgandæ. Item Orphei carmina.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Martino Vranio amico vnico, S. D.

ARgonautica & hymnos Orphei & Homeri atque Proculi, Theologiamque Hesiodi, quæ adolescens, nescio quomodo, ad verbum mihi soli transtuli, quemadmodum tu nuper hospes apud me vidisti, edere nunquam placuit, ne forte lectores ad Priscum deorum dæmonumque cultum iamdiu merito reprobatum, reuocare viderer, quantum enim Pythagoricis quondam curæ fuit ne diuina in vulgus ederent, tanta mihi semper cura fuit, non diuulgare prophana, adeò vt neque commentariolis in Lucretium meis, quæ puer adhuc, nescio quomodo, commentabar, deinde pepercerim, hæc enim sicut & Plato tragœdias elegiasque suas, Vulcano dedi. Maturior enim ætas exquisitiusque examen, vt inquit Plato, sæpe damnat quæ leuitas iuuenilis vel temere credidit, vel saltem, vt par erat, reprobare nesciuit. Periculosius verò est, vt Plato inquit, noxias opiniones imbibere, quam venenum pessimum diuulgare. Sicut enim bonum, quo latius, eo diuinius, ita latissimum malum, pestilentissimum. Promisi verò tibi tutiora quædam Orphei carmina mittere, Ecce mitto.

Orphei Versus de Deo.

EVsebius Cæsariensis Libro XIII. de Euangelica præparatione sic ait, Sed Orpheus etiam in carminibus quæ inscripsit de verbo sacro, diuina virtute omnia gubernari, cunctaque à Deo producta, hoc modo asserit, vt legitur in libro quem Aristobolus ad Ptolomæum scripsit.

VOs qui virtutem colitis, vos ad mea tantùm
Dicta aures adhibete, animosque intendite vestros.
Contra qui sanctas leges contemnitis, hinc vos
Effugite, & procul hinc miseri, procul ite prophani.
Tu verò qui diuinas specularis, & alta
Mente capis musea voces, complectere, & illas
Aspiciens sacris oculis, sub pectore serua.
Hocque iter ingressus, solum illum suspice mundi
Ingentem auctorem solum, interituque carentem.

Quem nos præsenti quis sit sermone docemus.
Vnus perfectus Deus est qui cuncta creauit.
Cuncta fouens, atque ipse ferens super omnia sese.
Qui capitur mente tantum, qui mente videtur.
Qui nullumque malum mortalibus inuehit vnquam.
Quem præter non est alius, tu cuncta videto
Hic ipsum in terris melius quo cernere possis.
Hic etenim video ipsius vestigia, fortem
Hicque manum video, verum ipse cernere qui sit
Nequaquam valeo, nam nubibus insidet altis.
Nemo illum, nisi Chaldæo de sanguine quidam
Progenitus vidit, quem cœlorum aurea sedes
Sublimisque tenet, cuius se dextera tendit
Oceani ad fines, quem de radicibus imis;
Concussique tremunt montes, nec pondere quamuis
Immenso sint, ferre queunt, qui culmina cœli
Alta colens, terris nunquam tamen ille sit absens.
Ipse est principium, mediumque & exitus idem.

Item idem in tertio inducit Porphyrij verba ista.

Admiranda est Græcorum sapientia, qui Iouem mundi mentem arbitrantes, quæ in seipsa mundum continens produxit, sic à Theologia Orphei profecti de ipso tradiderunt.

Orphei carmina.

Sydereaque domus rex & Iupiter ipse
Principium atque ortus, verum, vis vna Deusque
Vnus & omnipotens regali in corpore cuius
Singula ponuntur, tellus, vnda, ignis, & aer,
Nox simul atque dies, sapientia primaque origo
Ac iucundus amor, magno hoc in corpore regis
Sunt Iouis excelsi, ceruicem namque videbis
Cœli suspiciens reuerentia magnaque recta.
Hoc caput auricomum, flaui de vertice crines
Stellarum rutilant radij, de hinc aurea pandit
Cornua bina caput, capitisque simillima tauri
Vnum est ortus, ipse est occasus & aliud
Ast oculi fulgens, ingenti lumine Phœbus
Lunaque purpureo Phœbi redimita colore.
Præscia venturi mens constat regius æther,
Quam strepitus nullus, nec vis, nec fama latere
Arcanumue potest, penetratque per omnia victrix.
Præterea inuictum corpus, sine fine modoque
Panditur: Ast humeri magni quoque pectora lata,
Est aer, alas quoque vento possidet ille,
His ad cuncta volans, Euro est velocior ipso,
Tum sacer antiqua matre ex tellure tumescit
Venter, & ex altis consurgit montibus ingens,
Quem medio pontus subcingit rite sonorus.
Vltima præterea terrarum limina & ampli
Fundamenta globi, furibundaque tartara plantas
Esse pedum magni constat rectoris olympi.
Hic dum sub terris celasset cuncta, deinde
Ex imis repetens, in lucem protulit almam.

Porphyrij expositio.

Simulachrum Iouis.

VNiuersus igitur mundus Iupiter est, animal ex animalibus, Deus ex diis constitutus. Iupiter autem est quantum intellectus est, à quo vniuersa producuntur, & qui cuncta creat intelligendo. Hoc igitur modo Theologis de Ioue sentientibus, impossibile est talem eius imaginem fingere, qualem carmina descripserunt. Iouem igitur esse credendum est, virtutem prouidentem, atque viuificam, quam pilâ & rotundis figuris significant. Hominis simulachrum ei constituunt, quoniam mens est quæ cuncta seminali ratione producit. Sedere autem fingitur, vt stabilis virtus atq; incommutabilis exprimatur. Nuda apertaque habet superiora, quoniam conspicuus intelligentiis superioribus est: inferiora verò teguntur, quia occultatur inferioribus creaturis. Sceptrum læua tenet, quia in his corporis partibus, ceu spiritalissimum vitæ domicilium inuenitur. Creator enim intellectus rerum spiritusque viuificus mundi est. Dextera verò aut aquilam portendit, aut victoriam, alterum quia cæterorum deorum dominus, quemadmodum aliarum auium aquila est. Alterum, quia omnia sibi subiecta sunt. Decimonono Iunij. M. cccc. xcii.

Exhortatur amicos, vt Plotino foras prodeunti faueant.

MARSILIVS FICINVS Philippo Carducio dilectissimo suo, S. D.

SAlue, mi Carduci, Academiæ studiosissime cultor. Vide quam verum sit Prouerbium illud, omnium rerum vicissitudo est. Diuinus Plato noster quondam magnum Plotinũ peperit. Plotinus Platonem iam parturit, propediem pariturus. Plato lucem Plotino dedit, Platoni reddet lucem,

cem, cum ipse primum prodibit in lucem. Editus ille quidem iam est à nobis, sed adhuc (nescio quomodo) liminibus hæret. Surge age Carduci, nostrorum omnium ardentissime, Plotinum hærentem promoue, nostrosque omnes & cæteros cohortare ad hunc manibus alacriter comprehendendum, vt ipse in lucem euestigio prodiens, connuentibus omnibus, vicissim reddat lucem. XII. Iunij. M. CCCC. XCII.

In librum de Vita missum ad amicum.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Canacio, & Bindacio Recasolano dilectissimis suis, S. P. D.

SI qui familiarium meorum mentem meam tenent, vos certe familiarissimi omnium totam prorsus habetis. Vos itaque minime latet, quo consilio vsus, quaue spe & fiducia fretus, libros de Vita conscripserim, vt ingeniosis quidem prodessem omnibus: sed inter eos multomagis amicis, maximè verò ciuibus imprimis saluti patriæ necessariis. Non dubitabam equidem me semel quam plurimis imò omnibus profuturum, si quos potissimum conseruarem, salutis publicæ seruatores. Meum quidem hactenus fuit, libros illos hac sententia, diligentiaque componere. Vestrum verò deinceps operam assiduè dare, ne forte me fallat opinio, frustraque nimium laborauerim. Quoties ergo Paulantonium Soderinum nostrum salutabitis, virum & frequentissima salutatione, & perpetua salute dignissimum, toties commemorare huic præ cæteris memineritis, vt libros de vita relegat & obseruet. Huic enim maximè vitam longam salutemque perpetuam exoptamus. Quippe & cum ingeniosissimus amicissimusque sit, magnisque Medicibus patronis nostris non parua quidem naturæ, certe quam maxima beniuolentiæ necessitate coniunctus, imoque saluti publicæ admodum necessarius. Si tantum robore vir ille valeret, quantum consilio præualet, ita neque Medicorum remediis indigeret ad bene valendum, sicut nec vllorum iam consiliis eget ad bene viuendum. Iam verò si tantum valetudini suæ quandoque consuleret, quantum rebus agendis & amicorum commodis reiq; publicæ prosperitati quotidie prospicit, nequaquam vos vrgerem vt de curanda sui corporis valetudine moneretis. Denique bene valete. Et Paulantonium nostrum (vt soletis) salutare frequenter, de colenda diligentius valetudine quotidie moniturі, vt ipse quoq; tamdiu saltem filio suo Thomæ præclaro adolescenti viuat, quamdiu sibi Thomas suus pater vixit, clarissimus eques. Die XXII. Iulij. M. CCCC. XCII.

Catalogus familiarium atque auditorum.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Martino Vranio amico vnico, S. D.

NIhil à me iustius postulare poteras, quam quod per Ioannem Streler Congermanum tuum iam sæpe requiris, amicorum videlicet nostrorum Catalogum nō ex quouis commercio vel contubernio confluentium, sed in ipsa dumtaxat liberalium disciplinarum communione conuenientium. Cum enim absque amicorum meorum præsentia esse nusquam, aut debeam, aut velim, ipseque sim non in Italia solum in meipso, sed in te etiam in Germania, merito amicos hic meos, istic etiā mihi adesse desidero. Omnes quidem ingenio moribusq; probatos esse scito. Nullos enim habere vnquam amicos statui, nisi quos iudicauerim literas vna cum honestate morum, quasi cum Ioue Mercurium coniunxisse. Plato enim noster in Epistolis integritatem vitę veram, inquit, essePhilosophiam, literas autem quasi externum Philosophiæ nuncupat ornamentum. Idem in Epistolis ait, Philosophicam communionem omni alia non solum beniuolentia, sed etiam necessitudine præstantiorem stabilioremque existere. Sed vt mox veniam ad Catalogum, cunctos summatim amicos ita laudatos accipito. At si proprias cuiusque laudes singulatim narrare voluero, opus incœptauero longe prolixum. Si quos prætermisero non æquè laudatos, prorsus inuidiosum. Omnino verò absurdum fuerit, si dum amicos ordine disponere tento, interim comparationibus omnia perturbauero, odium pro beneuolentia postremo reportās. Primum summumque inter amicos locum patroni nostri Medices iure optimo sibi vendicant, Magnus Cosmus, Gemini Cosmi, filij viri præstantes Petrus atque Ioannes, Gemini quoque Petri nati, magnus Laurentius & inclytus Iulianus, tres Laurentij liberi, magnanimus Petrus, Ioannes Cardinalis plurimum venerandus, Iulianus egregia indole præditus. Ac ne in longum singulorum laudes prosequar, vna Medices omnes communi laude complectar, genus Heroicum. Præter patronos duo sunt nobis amicorum genera. Alij enim non auditores quidem omnes, nec omnino discipuli, sed consuetudine familiares (vt ita loquar) confabulatores, atque vltrò citroque con-

filiorum disciplinarumque liberalium communicatores. Alij autem præter hæc, quæ dixi, nos quandoque legentes & quasi docentes audiuerunt, & si ipsi quidem quasi discipuli, non tamen reuera discipuli, non enim tantum mihi arrogo, vt docuerim aliquos aut doceam, sed (Socratico potius more) sciscitor omnes atque hortor fœcundaque familiarium meorum ingenia ad partum assiduè prouoco. In primo genere sunt Naldus, Naldius à terrena statim ætate mihi familiaris, post hunc in adolescentia nostra Peregrinus Allius, Christophorus Landinus, Baptista Leo, Albertus, Petrus Pazius, Benedictus Accoltus, Aretinus, Bartholomeus Valor, Antonius Canisianus, paulopost, Ioannes Caualcantes, Dominicus Galectus, Antonius Calderinus, Hieronymus Rossius, Amerigus & Thomas ambo Bencij, Cherubinus Quarqualius Geminianensis, Antonius Seraphicus, Michaël Mercatus ambo Miniatenses, Franciscus Bandinus, Laurentius Lippius Collensis, Bernardus Nuthius, Comandus, Baceius Vgolinus, Petrus Fannius Presbyter. Horum plurimi exceptis Landino & Baptista, Leone & Benedicto Accolto, primas lectiones nostras nonnunquam audiuerunt. In ætate verò mea iam matura familiares, non auditores. Antonius Allius Ricciardus Anglariensis, Bartholomæus Platina, Oliuerius Arduinus, Sebastianus Saluinus Amitinus noster, Laurentius Bonincontrus, Benedictus Biliottus, Georgius Antonius Vespuccius, Ioannes Baptista Boninsegnius, Demetrius Bizantius, Ioannes Victorius Soderinus, Angelus Politianus, Pierleonus Spoletinus, Ioannes Picus Mirandula. In secundo genere, id est, in ordine auditorum sunt, Carolus Marsupinus, Petri quinque Nerus, Guiciardinus, Soderinus, Compagnius, Patentus, Philippi duo, Valor scilicet & Carducius, Ioannes quatuor, Canacius, Nesius, Guiciardinus, Rosatus; Bernardi quatuor, Victorius Medices, Canisianus, Michelectius. Francisci quatuor, Berlingierius Rimicinus, Gaddus, Petra sancta, Amerigus Cursinus, Antonius Lanfradinus, Bindacius Recosolanus, Alamannus Donatus, Nicolaus Michelotius, Matthæus Rabatta, Alexander Albitius, Fortuna Hebræus, Sebastianus Presbyter, Angelus Carduccius, Andreas Cursus, Alexander Borsius, Blasius Bibienius, Franciscus Diacetus, Nicolaus Valor.

Proœmium in compendium Proculi.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Martino Vranio amico vnico, S. D.

Post discessum ex Italia tuum aduecti sunt è Græcia mox ad magnanimum Petrum Medicem, libri multi ex quamplurimis electi, nuper electore Lascari Græco admodum elegante, pro regia illa bibliotheca iampridem à magno Laurentio fœliciter instituta. Ego autem inter multa (vt soleo) semper in primis legi Platonica, primaque inter hæc commentaria Procli in sex Platonis de Republica libros principiumque septimi. Quos igitur ex amœnissimis horum pratis flosculos passim discurrendo collegi, religionem sanctam præ cæteris redolentes, ad te mitto insignem religione virum. III. Augusti M. CCCC. XCII.

Excerpta ex Proculo in Rempublicam Platonis à Marsilio Ficino, tres cuiusque Dei proprietates.

Plato in Legibus per tres proprietates definit ipsam Dei rationem, scilicet, per bonitatem, potentiam, cognitionem, per tres quoque similes in Republica, scilicet per bonitatem, immutabilitatem, veritatem. Immutabilitas quidem est potentiæ propria, veritas autem cognitionis perfectio. Dicitur autem vnusquisque Deus reuera bonus. Tum quia cum bono suo nullum malum est admixtum, tum quia bonitas in eo non est habitus aliquis essentiæ additus, sed ipsa eius essentia. Non enim prius quidem est Deus, deinde bonus existit. Eadem enim essentia sua formaliter & Deus æquè est & bonus. Sic igitur vnusquisque Deus ita suaptè natura dicitur seipse bonus, sicut Deus primus seipso bonum. Proculus idem in elementis Theologiæ probat, vnumquemque Deum ita esse formaliter bonitatem quandam essentialem, sicut primus est ipsum bonum super essentiam. Item ad ipsam Deitatem tria hæc formaliter pertinere, bonitatem puram, potentiam non impeditam, cognitionem nullius incertam.

De nullius mali causa, nunquam mutat formas, nullum fallit.

Plato in Republica, tria dogmata Theologica ponit. Primum, si quisque Deus suapte natura verè bonus est, bonorum quidem semper est causa, mali verò

alicuius nunquam. Secundum, si verè potens est, penitus immutabilis. Tertium, si ad Deum, & potentia immutabilis, & veritas bonitasque pertinent, neminem vnquam fictionibus vllis mendaciisque fallit. Circa primum dubitatur, vnde sint mala. Si Deus nihil agit ad malum. Circa secundum, si Deus nullus vllo modo mutatur, quomodo dij sponte apparent? aliàs quidem figurati, aliàs non figurati? nisi enim hæc admiserimus, omnem sacrorum disciplinam, & opera sacerdotum funditus sustulerimus, & ipsa quoque visa, in quibus dij sponte in figuris alias aliis se offerunt. Circa tertium, quomodo responsa nonnunquam falsa reddantur? Iam verò multa in Oraculis mendacia deprehenduntur.

Respondetur ad primum. Malum nec ex Deo, nec ex alia causa, ptoprium inter existentia habere processum. Neque verò possibile est, vel malorum ideam ponere, vel materiam dicere causam esse malorum. Omnes enim ideæ tanquam species quædam intellectuales sunt atque diuinæ. Extantque exemplaria, tum essentiarum, tum perfectionum ad essentiam pertinentium. Materia verò ex Deo producta est, tanquam necessaria mundo, neque malefica est. Quippe cùm ad generationem vniuersi conducat. Neque etiam est bonum, cùm omnium vltima sit, sed in necessariis ordinem habet. Quicquid enim est, alicuius gratia tale est. Nullam ergo, vel specialem, vel materialem malorum causam, ponere fas est, nec omnino vnam eorum causam. Sed quemadmodum ipse inquit, dicendum est, particularia & dispersa malum inferre. Particularia quidem. Quoniam nullum vniuersorum, vt intellectus, anima, corpus, causa est malorum. Dispersa verò, quoniam non res vna quædam causa est malorum: sed (vt ipse inquit) aliæ malorum occasiones sunt quærendæ. In corpore quidem malum, id est morbus accidit, propter diuersa quædam absque mutua proportione inter se confluentia, dum vnum quodque superare contendit. Malum quoque in anima propter differentes vitæ species, & contrarias inter se pugnantes. Quibus pugnantibus ex aliis malum accidit aliis, vnoquoque quod suum est agente. Oportuit autem corpus fore tale, scilicet ex contrariis atque repugnantibus (vt foret) nonnihil etiam in mundo caducum. Atque ita perfectus mundus, ex omnibus videlicet constitutus. Animas quoque commixtionem hic habere, ne regiones istæ mundi rationalium animalium expertes forent. Neve rationales vitæ in corporibus absque medio plantarentur, sed agerent, paterenturque irrationalium quoque conditiones, & talia quædam appetant, sentiant, imaginentur His enim opus est mortalibus, si modo vel breue tempus in his sunt regionibus permansura. Dum igitur quod suum est, res quælibet agunt, mala subscindunt, neque propter aliud, nisi propter bonum. Quibus sane contingentibus vniuersum vtitur oportunè, euaduntq; hæc in bonum per ipsam vtentium potestatem. Quapropter nullum est purum alicubi malum, sed est boni quodammodo particeps. Atque ita malum diuinitus quoque pendere quodammodo dici potest, tanquam quodammodo bonum. Sed interim ab aliis permultis particularibus agentibus, velut aduentitium huic incidere, accidere, inquam; multis ipsis atque diuersis. Ad dubium de apparitionibus, deinceps ita respondebimus. Cùm superi permanent immutabiles nec admittunt, diuina quędam visa inde prosiliunt, quæ generationem suam in loco nobis circunfuso suscipiunt. Cùm enim spectatores quidem vtantur corporibus, dij verò sint incorporei, spectacula diuinitus emanantia, videlicet coram dignis aspectu, habent quidem aliquid à superis producentibus, nonnihil verò spectatoribus quoquomodo cognatũ. Quapropter apparent, neque tamen omnibus. Et quibus apparent aspiciuntur duntaxat persulgida quædam animarum inuolucra. Et idcirco clausis oculis frequenter aspiciuntur. Quantum igitur extensa sunt, & in alio quodam huiusmodi, id est, aëre apparent, cognatè spectantibus euadunt. Quantum verò diuino sunt referta lumine, & efficaciam habent, deorumque vires imagine repræsentant, per ipsa perspicua symbola, id est signa, continuè velut suspensa dependẽt à numinibus producentibus ea. Quapropter & ineffabilia illorum sacramenta mysteriaque, per talia figurantur, dum formas varias intuentibus offerunt. Testantur hoc eloquia sacra, sacerdotem sic alloquentia. Diuina quidem omnia incorporea sunt, corpora verò propter his sunt adhibita. Quippe cùm incorporea incorporaliter percipere nequeatis, propter corpoream naturam istam in qua estis vniuersi. Hæc ibi. Hæc igitur & apparent, & disparent pro voluntate deorum, ipsi verò sunt occulti, quales natura sunt interea permanentes, neque quicquam per hæc ostenta suscipientes, nec amittentes.

Quemadmodum intellectuales illæ species, id est, ideæ neque corporeæ fiunt, vel compositæ, vel formatæ, dum per ipsas talia quædam efficiuntur, per ipsas videlicet minime tales. Omnis itaque Deus permanet, non formatus, quamuis sponte quasi formatum sese offerat. Non enim in ipso talis, quædam forma est, sed ab ipso, dum spectator non valet sine forma, quod est sine forma videre, sed pro modo suo sub forma prospicit non formata. Ad tertium dubium ita respondemus. Mendacium non est in superis, qui respondent, sed in his qui responsa suscipiunt, propter infirmitatem suam oraculum peruersè suscipientibus. Atque hæc ipsa fallacia non contingit præter numinum voluntatem, volentium dignos dumtaxat votum consequi. Sunt & nonnulli, quibus veritatem ipsam puram penes deos manentem, scire non conuenit, sed pati quod conuenit per fallaciam penes se contingentem. Neque igitur veritatem dij ignorant, nec ipsa confundunt, sed confusione propter ineptitudinem nostram apud nos accidente, ad nostram vtuntur vtilitatem, iam verò ipsa oraculorum testatur historia, propter locum, vel tempus, vel modum, vel aliud interrogantis erratum, falsum in responsis accidere.

Quando Plato in Republica dicit, non solum omne diuinum, sed etiam dæmonicum semper esse veridicum, neque mentiri, intelligendum est de dæmone vero dictum atque naturali, non de dæmonio per habitudinem quandam sic appellato, quod mutationes plurimas sustinet, seducitque illos quibus factum est amicum. Quod verò secundum essentiam est dęmonum, cum & rationale sit, est omnino veridicum. Irrationale verò & ipsum quidem veritatis est impos, fallitur que & fallit tanquam falsum, existimatur que genus fallax, quod tradit historia, sæpe decipere, dum vel subit oracula, vel inuocationes auscultat, vel vltro aliquibus occurrit. Idque totum est non natura dæmonium, sed habitudine. Tota religio & opera sacerdotum & historia, communisque hominum fama consentit, deos sensibiliter apparere, multasque offerre formas variasque figuras. Et aliàs quidem lumen proferre non figuratum, aliàs figuratum, & nunc quidem humana figura, nunc alia. Dum videlicet vbique permanet immota diuinitas. Ipsa namque Deorum simplicitas apparet multiplex intuentibus. Non quidem per illius mutationem vel fallaciam, sed propter naturæ conditionem, quæ pro modis participantium, definit Deorum proprietates. Cum enim Deus ipse participatus, in se sit vnus atque simplex, aliter ipsum participat intellectus, aliter intellectualis anima, phantasia item aliter atque sensus. Intellectus enim indiuiduè, intellectualis anima reuolubiliter, phantasia formabiliter, sensus verò passiuè. Idque quod participatur per substantiam est vniforme. Per participationem verò fit multiforme, est immutabile, apparet mutabile propter infirmitatem nostram. Cumque nullo modo sit graue, dum tamen implet, grauare videtur. Quemadmodum de pallade Poetæ tradunt.

Quale enim est quod capit, tale necesse est quod accipitur apparere Quando igitur Deorum aliqui quasi hospites vel aliter nobis occurrunt, non est putandum apparentem mutationem illis inesse, sed indifferentibus susceptaculis imaginationem variam resultare. Atque hic vnus est modus, quo Poësis deos in se immutabiles, tamen nobis quasi mutabiles introducunt. Est & modus secundus, quando scilicet diuinum ipsum multas in se vires habens specierumque omnium plenum varia contemplantibus intelligibilia spectacula profert. Tunc enim tradunt, diuinum ipsum has vires in se continens demonstratam virium varietatem in formas varias commutare, aliàs aliam proferens, semper quidem secundum omnes agens, apparens tamen transitoriis animarum intelligentiis semper aliud atque aliud propter formarum quas in se continet multitudinem. Atque hoc pacto Protheus ille formam propriam fertur spectantibus permutare, alius deinceps aliusque apparens. Protheum igitur qui diuinus quidam intellectus est, virium omnium specierumque plenus, sub Neptuni serie computatus particulares animæ, quæ sub eadem serie nominantur Phocæ assiduè contemplantur, & nunc quidem alias, tunc verò alias species intuentur, suarumque cogitationum progressionem Protheo applicantes, formarum permutationem in Protheo suspicantur. Itaque videtur omnia fieri spectantibus ipsum quotcunque terram incolunt, vel aquam vel aërem, aut ignem. Quot enim species in se continet, imò quot species ipse semper est æternè, totidem alternè videtur effici propter perceptionem intuentium iugiter alternantem.

Tertius apparitionis variæ modus est, quando varia vnius Dei visa non proueniunt propter subiectorum perceptiones neque propter varietatem virium diuina-

rum, sed quando Deus idem secundum ordines diuersos progreditur, & vsque ad vltima quasi descendit numero se multiplicans in ordinesque inferiores declinans, tunc rursus fabulæ tradunt, diuinum illud permutari in hanc ipsam speciem desuper in quam processum fecit. Hac itaque ratione Mineruam quidem mentori, Mercurium verò lario aui garrulæ, Apollinem rursus asturi se similem reddidisse ferunt. Ostendentes videlicet præstantiora horum Deorum ordines, in quos processerunt ab vniuersis. Quamobrem quando diuinas apparitiones describunt eas sine forma figuraque conseruare student. Vtpote quando Pallas Achilli quidem soli se declarauit, exercitui verò præsenti nequaquam. Vbi verò apparitiones Angelicas afferunt, deos alienis formis indutos proferunt, sed his quidem vniuersalibus.

Quemadmodum in humanam quandam speciem viro mulierique communem, nec hominis alicuius propriam, deuenisse canunt. Sed quando dęmonicas narrant processiones, tunc in singula quædam particulariaque mutationes descensumque in bruta non verentur afferre. Vltima enim ordinum sequentium deos per figuras huiusmodi declarantur. Iam verò consideratu dignum est, quam aperte cum ordine rerum talia congruant. Diuino namque conuenit ipsum simplex, Angelico autem vniuersale, dæmonico tandem particulare. Et illi quidem intellectuale, isti autem rationale, huic denique genus quoddam irrationale. In ipso enim dæmonum ordine vita quoque talis est implicita.

Tres habitus statusque animarum separatarum. Contemplatiuus, Actiuus, Voluptuosus.

ANimarum habitus differentes sunt etiam à corpore separatarum. Similiter vniuersi loca quæ inhabitant differentia sunt. Necesse est igitur animas sic ab instrumentis mortalibus segregatas, vt nec ad deteriora habeant habitudinem, neque mortalium perturbationum nugarumque sint plenæ, secum quoque ferre inuolucra olim lucida, adhuc pura sicut antea fuerant, neque materialibus vaporibus perturbata, neque ob naturam concreta terrenam. Animas autem nondum per Philosophiam perfectè purgatas, sed ad affectum erga crassum corpus inclinatas, vitamque cum ipso communem adhuc affectantes, necessarium est talia quoque vehicula sua sibi suspensa videre, potentibus demonstrare. Vmbrosa videlicet materialiaque retroque pondere recedentia, plurimumque secum mortalis concretæque naturæ ferentia, quod perspicuè in Phædone narratur. Harum præterea animarum ad hanc vitam se adhuc inclinantium differentiæ multæ sunt. Quę enim vitam magis practicam duxerunt, neque adhuc à vita eiusmodi destitere merito competens diligunt practicis actionibus instrumentum, segregatæque ab hoc indignatæ commercium percupiunt, vitamque hanc nostram separatæ vitæ præponunt, vtpote quæ secundum vitam illam agere nequeant, ad vitam videlicet practicam aptiores. Quæ verò ob vitam flagitiosam caducum corpus affectant, vitamque cum ipso nihil differre putant à vita in ipso ducta, conueniens est in locum vniuersi tenebrosum vltimumque deferri. Homerus, quemadmodum & Plato, animam distinguit ab idolo suo, & intellectum ab his quæ sunt animæ propria, & animam quidem idolo, inquit, vti, intellectum verò vtrisque diuiniorem esse. Atque idolum & animam esse quodammodo nota, etiam in hoc corpore. In quo & seorsum à quo curam prouidentiamque huius habere, idque naturaliter concupiscere, intellectum verò phantasticis formabilibusque motibus nostris non comprehendendi. Proinde quemadmodum animarum in cœlum ascendentium instrumenta harmonicam vocem emittunt, motumque concinnum præferunt, sic sub terras descendentium, iamque minus rationalium, sonus similis est lamento, ferens videlicet affectuosæ phantasticæque vitæ dumtaxat imaginem. Inferorum præterea loca & iudiciarios sub terra status ad flumina, quæ Homerus Platoque describunt, non esse putandum imaginationes vanas fabulosaque tantum terriculamenta, sed quemadmodum animis cœlestia repetentibus, multa variaque loca illic sunt pro meritis distributa, ita putandum est punitione quoque purgationeque indigentibus animabus, loca sub terris esse disposita, varios defluxus habentia ab elementis circumfusis terræ. Quos sane defluxus flumina vocauerunt. Esse denique differentes dæmonum ordines huic præfectos operi, partim quidem vltores, partim castigatores, partim purgatores, partim verò iudiciales. Perterreri vero illic animas consentaneum est imaginatione dæmonum præfectorum, statuque pro meritis quidem habitibusque vario confusoque, & à superis Solis radiis segregato.

Tres animæ vitæ, diuina, humana, ferina.

TRiplicem animæ vitam ita summatim disponere possumus. primam quidem optimam atque perfectissimam, qua diis coniungitur, agitque ibi vitam superis cognatissimam, ac propter summam quandam similitudinem, vitam illis iam vnitam, nec sui quidem iuris, sed Deorum, dum suum quidem subit intellectum, suscitat autem interim ineffabile munus, characteremque vniformis illius substantiæ superorum, copulansque simile simili, suum videlicet illi lumini lumen, ipsi scilicet, vni super omnem essentiam vitamque extant, ipsum essentiæ suæ vitæque propriæ vniforme quam maximè.

Secundum vitæ gradum ponimus, in quo animus à vita diuina deuenit in seipsum, statuitque mentem atque scientiam principem actionis, vbi euoluit multitudinem rationum, omniformes specierum differentias contuetur, atque in idem & quod intelligit, & quod intelligitur, in se colligit, repræsentatque, & quasi per imaginem exprimit intellectualem essentiam, in vno quodam videlicet naturam intelligibilem comprehendens. Vitam denique tertiam arbitramur, quæ cum potentiis deterioribus commercium iam init, agitque cum illis, imaginationibus sensibusque ratione carentibus vtitur, deterioribusque prorsus impletur.

Distinctio rerum in genera quatuor, item de imaginibus atque vmbris.

PLato in septimo de Republica, rerum ordinem lineæ comparat, per continuam rerum connexionem, quæ quidem ex mutua similitudine proficiscitur. Similitudo verò est vnitas quædam in rebus proueniens ex ipsa simpliciter vnitate vniuersi principio. Quæ sanè totum volens simillimum sibi facere, neque tamen simpliciter vnum saltem maximè fecit. Ad quam vnionem confert etiam ipsa principij bonitas. Cùm enim ipsius boni natura sit, quasi diffundere se per omnia per processum, vicissimque per appetitum ad se vnum omnia reuocare, meritò vniuersum summopere reddit vnitum. Diuiditur autem mundana apud Platonem linea in partes præcipuè duas: scilicet in genus insensibile atque sensibile. Primum illud longe amplius est secundo, hoc videlicet in se continens. Illud iterum in res intelligibiles diuiditur, atque cogitabiles, id est, in formas diuinas, atque Mathematicas.

Hoc autem in res quasi substantiales, atque imaginales. Substantiales quidem corpora sunt, imaginales autem imagines corporum atque vmbræ. Imagines quidem, repræsentationesque corporum speculares, subiecto quodam indigent tres habente conditiones, densitatem, & lenitatem, atque nitorem. Opus quidem est densitate, ne influens apparitio, si in subiectum inciderit, nimis rarum subito transfluat, atque ita imago ex multis defluxibus non fiat vna. Lenitate verò, ne asperitas ipsa propter partes suas, partim quidem prominentes, partim verò profudas, inæqualitatis causa sit imagini cmoponendæ. Nitore quoque splendido, vt imago alioquin exilem habens formam conspicua fiat. Sic enim & minutissimæ quæque in domus ipsius aëre compositiones sæpè patent oculis in radiis per fenestellas rimasque penetrantibus. Alioquin ob tenuem naturam nobis occultè.

Dicendum ergo, secundum sententiam Platonicam in Sophista, apparentes imagines, esse substantias quasdam, quorundam simulachrorum machinatione quadam dæmonica fabricatas. Iam verò & vmbræ, quas cum imaginibus commemorat quasi cognatas, eiusmodi naturam habent: sunt enim & ipsæ corporum figurarumque imagines, plurimamque sympathiam, id est compassionem, consensionemque cum illis ipsis habent, à quibus decidunt. Quemadmodum declarant quotcunque Magorum artes pronuntiant, promittuntque ad idola, vmbrasque conficere.

Quid verò dicam imaginum vmbrarumque vires per quas fiunt in animalibus ratione carentibus sæpe multa, quæ omnem superant rationem? Nam hyenam ferunt calcantem canis in alto sedentis vmbram, illum ex alto præcipitare statim atque deuorare. Atque Aristoteles, inquit, mulierem in purgatione menstrui sanguinis constitutam fœdare sanguine quodam obiectum, speculum & imaginem. Imagines denique substantias quasdam esse Plato confirmat, vbi ait: Sicut cogitabilia ad intelligibilia sese habent, sic imaginalia ad visibilia corpora. Cogitabilia verò, idest, Mathematica, res in se quædam speciesque sunt, similiter imagines, cum sint naturales quidam ex rebus naturalibus effluxus, naturam quoque suam habent.

Quomodo bonum est super essentiam. Et quomodo cognoscatur.

PLato in sexto de Republica ita diuina comparat. Solem quidem ipsi bono, lumen verò Solis veritati à bono manants, colores ex lumine dependentes, formalibus idealibusque rerum rationibus, à bono sub veritate pendentibus. Oculos autem & genitos & illustratos à Sole, comparat intellectibus ad bonum similiter se habentibus. Subdit præterea. Quemadmodum Sol super inferiorum visibilium generationem extat; ita bonum super ens & essentiam. Item, sicut Sol lumenque suum colores superat atque visus, ita bonum veritasque boni lumen, est super ideas, entia, mentes. Denique sicut Sol visibilibus nostris & oculis, non solum actionis perfectionisque causa est, sed etiam generationis, naturæ, virtutis, ita bonum est omnium tam intelligibilibus quam intellectibus author. His itaque omnibus est superius. Cum igitur ipsum bonum sit intelligibilibus, intellectu, veritate superius, non eadem ratione qua intelligibilia cognosci potest, sed diuino quodam intuitu percepto neque intelligentiam excedente, quam Plato illustrationem animæ nominat. Tunc videlicet ita diuinitus illustrante postquam à bono per negationem segregauerit, omnia quæ sunt post bonum, vicissimque rite admodum comparauerit. Hac scilicet ratione reflectens erigensque se in ipsum, quasi facta iam resupina, quæ hactenus fuerat, quasi prona. Sol inter mundana videtur ingenitus. Quoniam nihil amittit suum, nihil alienum rursus admittit. Cætera verò omnia radios ab illo nouos semper accipiunt, dum ille proprio centro reuoluitur, atque ita cœlestia circum & inferiora collustrat. Sol igitur qua ratione talis est, mundanis omnibus dominatur, quantum verò corpus & mobile alicui subest, supremæ videlicet, quæ sphæra dicitur circuitum idemtitatis habere. Hinc enim & Sol ipse fertur, sphæra rursus illa ad circuitum refertur sapientissimum, idest, mentem. Inter hæc memento sicut in rebus diuiduis est indiuiduum velut vnitas atque punctum, sic in rebus corruptibilibus incorruptibile aliquid esse.

Bonum triplex, scilicet in nobis, in idea, super ideam.

PLato tres venerandi boni considerat gradus. Vnum quidem in omnibus, scilicet statum quendam vitæ ex intelligentia & voluptate rite permixtum, alium autem inter ideas, alium denique super ideas. Inter ideas enim, aliæ quidem rerum essentias constituunt, atque definiunt, aliæ verò perfectiones suas essentiis adhibent. Illarum præterea prima est ens & essentia. Quod quidem genus est ad omnes alias ideas essentiales, id est, quæ ad constituendas essentias pertinent, velut ad ipsum animal, ipsum hominem, ipsum equum. Idearum verò ad perfectiones omnium pertinentium, prima est ipsum non simpliciter bonum sed ideale, quod similiter genus est idearum omnium ad perfectiones rerum quomodolibet attinentium, quales sunt ipsum pulchrum, ipsum iustum & sapiens atque similia. Sicut ergo essentiæ rerum perfectiones suas origine quadam antecedunt, esse enim naturaliter præcedit bene esse, ita ens & essentia in ipsa idearum serie ipsum antecedit ibidem ideale bonũ. Sed ipsum tandem simpliciter bonum est ente superius, simulque imparticipabile bonum. Nam bonum inter ideas imparticipabile quidem est, sed est interim cum essentia, siue sub ente. In nobis tandem & sub essentia est, & participabile quidem est, sed interim cum essentia siue sub ente. In nobis tandem & sub essentia est & participabile bonum. Iam verò communis omnium consensus definiens bonum, cuius gratia omnia & quod appetunt omnia, vaticinari videtur illud nec vllius gratia esse, nec aliud prorsus appetere. Illud itaque necesse est esse eos aliquod, nec aliquod bonum in ente. Omnis enim essentia bonum appetit, id est, esse secundum naturam, ac bene perfecteque sese habere. Bonum quoque in essentia illius, ipsius substantiæ gratia est quęsitum, vt videlicet secundum naturam perfectè se habeat. Nec est bonum simpliciter, sed alicuius dumtaxat & in aliquo bonum. Denique, vt summatim dicam, illud ideale bonum in ipso ente essentiaque tanquam pars alicuius, & in aliquo totius gratia collocatum. Itaque super illud est ipsum simpliciter bonum.

De dæmonibus.

MARSILIVS FICINVS Philippo Carducio dilectissimo suo, S. D.

CVm Procli Platonici commentarium in Platonicum Alcibiadem è Græca lingua in Latinam non tam ad verbum, quam ad sensum interpretarer, recordarerq; te Platonicam de dæmonibus sententiam summatim desiderare, hanc ibi repertam, mittere ad te constitui. Lege feliciter.

Philosophia cum fortuna & diuitiis non coniungitur.

MARSILIVS FICINVS Philippo Valori Oratori apud Pontificem, Florentino, S. D.

INimici hominis domestici eius, domestici quidem mei, qui mihi sunt multi, multumque molesti, quoniam neque Philosophici, neque Philosophico victu suppellectilique contenti, frequenter obiiciunt, cæteros Medicæ domus clientes atque clientulos, paucis annis inde quam plurimum accepisse, me verò amplissimę huius familiæ familiarissimum, ac (vt ita dixerim) clientissimum, multis annis reportasse non mulum. Sed audi parumper, mi Valor, nostram hanc ad meos Apologiam. Cæteri quidem amici Medicum, nondum quantum voluerant, acceperunt, ego verò quantum voluissem, si modo petissem, & habeo certe quantum volo. Illi plerumque precario, ego gratis. Medices item aliis aliena dederunt, mihi sua. Nos igitur ita causam apud domesticos nostram perbelle probamus. At illi, quod mihi molestissimum est, non comprobant. Oportuerat enim iamdiu vel meos vnà mecum quandoque fore Philosophos, vel me non fuisse Philosophum. Sed fatum videtur ab exordio rerum, neque Philosophos vllos vnquam fore diuites, neque rursum diuites facile fore Philosophos. Nullum enim fuisse fertur Mineruę cum Iunone commercium. Nec eisdem Iupiter & Phœbus, Venusque fauent, quibus Mercurius simul atque Saturnus. Neque cum sapientia rerum contemplatrice, facile rerum domina fortuna consentit. Porrò vnum est necessarium. Vbi intenderis ingenium valet. Ingenium igitur & fortuna diuisum in nobis habent imperium, hoc quidem in animi cultum plurimum dominatur, hæc verò quam plurimum in rebus externis. Hinc & bona fortunæ dicuntur. Sed in corpore vtrumque forsitan æquè potest. Verùm non licet Epistolæ nunc vltra philosophari, negotium enim iam aliud vrget.

Vbi plus fortunæ, ibi sapientiæ minus, atque vicissim.

MARSILIVS FICINVS Bindacio Recasolano ciui optimo & dilectissimo suo, S. P. D.

ARistotelicum illud, vbi plus intelligentiæ, ibi fortunæ minus, atque vicissim, vbi plus fortunæ, illic minus intelligentię, plerique forsitan sic accipiunt, vt sapientissimi quique philosophique minime fortunati sint, quod & carmina Pythagorica comprobant & res ipsa confirmat, nec non Astronomica ratio, præcipuè per Mercurium atque Saturnum Philosophiam significari putant, hoc verò cum Ioue, Sole, Venere, affluentiam rerum significantibus nullum officij habere commercium. Denique legitimi veritatis contemplatores, & negligunt fortunæ bona, & ipsi à fortunatissimis negliguntur, neq; principibus placent, neque vulgo probantur. Vt non mirum sit, eos minimum habere fortunæ. Vicissim verò fortunatissimi quique plerumque negligunt sapientiam, plurimumque temere & improuide viuunt, fortunæ videlicet afflatu confisi. Ego autem & superiorem interpretationē minime respuo, vtilius tamen atque diuinius Aristotelicum illud interpretater. Cum enim compertum habeamus, homines quo prudentiores sunt, eo minus casu viuere, paucioraque in familia rebusque suis agi fortuito, coniectare proculdubio possumus, Deo sapientissimo rerum omnium authori, nihil vsquam casu contingere, sed omnia prouidenter esse disposita. Atque vicissim, cum videamus cœlestia & naturalia omnia extra fortunam ordine certo disposita, concludere licet, summatim his omnibus sapientiam dominari.

Proœmium in comparationem Solis ad Deum.

MARSILIVS FICINVS Eberardo inclyto Duci Vuirtembergensi & montis Peligardi Seniori, S. P. D.

MArtinus noster Vranius, id est, cœlestis, reuera cœlestium contemplator, longo mecum sermone tractauit, qualis Sol est inter sydera, talem, extra controuersiam, te esse inter omnes Germaniæ principes. Quibus equidem laudibus, quasi quibusdam virtutis tuæ radiis inflammatus, Epistolium illud iampridem ad te dedi, ingentis quidem in te nostri pignus amoris. Sed non pignus (vt par fuerat) ingens. Quamobrem vt aliquanto vberius & summæ dignitati tuæ & meo satis desiderio faciam, ad ipsum Germaniæ Solem, nunc Platonicum & Dionysiacum Solem mitto, mirum te amorem nostrum splendore passim declaraturum. Quemadmodum verò Mercurius Phœbi munera ad hominum ingenia transfert ita Phœbum hoc munus nostrum ad vos feret Ioannes Streler, no-

bis quasi Mercurius alter. Leges ergo feliciter Phoebeę princeps, quæ de comparatione Solis ad Deum partim Plato Dionysiusque Areopagita tractarunt, partim ego interpretor atque commentor. Viue felix in hac vmbra vitæ, post hac Sole tandem perpetuò fruiturus. Vale.

Laudes sæculi nostri tanquam aurei ab ingeniis Auerrois.

MARSILIVS FICINVS Paulo Middelburgensi insigni Physico & Astronomo, S. P. D.

QVæ Poëtæ quondam de sęculis quatuor cecinerunt, plumbeo, ferreo, argenteo, aureo, Plato noster in libris de Republica ad quatuor hominum ingenia transtulit, disputans aliis hominum ingeniis, plumbum quoddam, aliis ferrum, aliis argentum, aliis aurum naturaliter insitum. Si quod igitur sæculum appellandum nobis est aureum, illud est procul dubio tale, quod aurea passim ingenia profert. Id autem esse nostrum hoc sæculum minime dubitabit, qui præclara sæculi huius inuenta considerare voluerit.

Hoc enim sæculum tanquam aureum, liberales disciplinas fermè iam extinctas reduxit in lucem, Grammaticam, Poësim, Oratoriam, Picturam, Sculpturam, Architecturam, Musicam, antiquum ad Orphicam Lyram carminum cantum. Idque Florentiæ. Quodue apud Priscos fuerat venerandum, sed iam propè deletum, sapientiam coniunxit cum eloquentia, cum arte militari prudentiam. Idque potissimum in Federico Vrbinate Duce, tanquam in Pallade declarauit, filiumque eius & fratrem virtutis illius effecit hæredes. In te quoque mi Paule perfecisse videtur Astronomiam, Florentiæ quinetiam Platonicam disciplinam in lucem è tenebris reuocauit. In Germania temporibus nostris imprimendorum librorum inuenta sunt instrumenta. Tabulæ præterea, quibus hora (vt ita dixerim) vna, per omne sæculum tota cœli facies aperitur, vt prætermittam machinam Florentinam, quotidianos cœlestium motus agentem. Iam verò Germanicas tabulas Micheloctius noster diligenter expressas ad vos affert, inclyto Duci vestro dicãdas. Cœleste quidem munus, cœlesti principe dignum, dignum præterea (vt arbitror) quod & abs te cœlestium contemplatore probetur, dignum denique commendatione apud vos nostra. Valete. Die XIII. Septembris. M. CCCC. XCII.

MARSILII FICINI FLORENTINI EPISTOLARVM

Ad Hieronymum Rosium, dilectissimum suum,

PROOEMIVM.

Marsilius Ficin. Hierony. Rossio dilectissimo suo, S.D.



Vm duodecimo Epist. mearum libro finem imposuissem, cogitaremq; cuinam in primis hunc inscriberem, rationi consentaneum fore censui, vt diuturni operis finem tibi singulariter dedicarem, ad quem summatim vniuersum opus iamdiu destinaueram; vt ad finem: Preterea, vt totum Epistolarum mearum studium in te denique conquiescat, vt in fine decreui: quotcunque etiam posthac Epistolas sum scripturus, ad librum hunc duodecimum, vel longissimum pertinere, summatimque suo Rossio, vel Roscio potius titulo contineri. Lege feliciter, & felicissimè viue, certè feliciter à nobis amate.

MARSILII FICINI FLORENTINI,

EPISTOLARVM

(∴) LIBER XII. (∴)

Nullus mala penitus & curas extirpare poteſt.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS Ioanuictorio Soderino, & Franciſco Diaceto Conphiloſophis ſuis, S. P. D.



Væritis quid ſibi velit Euangelicum illud, Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. Idem profectò quod & Platonicum illud, mala penitus extirpari non poſſunt, ſed circa mortalem hanc regionem neceſſariò reuoluuntur. Mitto equidem nunc, quot mala nobis inferat fatum, natura, fortuna, elementa, homines, animalia. Multo certè grauiora ſunt, quæ ipſi nobis imprudenter inferimus. Iam verò mirum videri non debet, homines vel negotioſæ vitæ deditos, vel libidinibus mancipatos, malis innumerabilibus opprimi. Quippe cùm ipſi ſe fato paſſim & fortunæ ſubiiciant, & quaſi ſponte perturbationibus frequenter occurrant. Illud certè nimis eſt mirandum. Viros quinetiam qui voluptuoſa & actiua inſuper vita neglecta, ſe totos contemplatiuæ dediderunt, perturbationibus agitari. Cauſas enim ſolicitudinum deuitauiſſe videntur Sæpè tamen grauioribus curis quam vel voluptuoſi, vel actiui ſolicitantur. Contemplatores enim ſpretis humanis, aut ad religionem, ſanctimoniamque, aut ad Philoſophiam ſeſe conferunt. Vtrobique verò incidunt in Scyllam, cupientes vitare Carybdim. Sancti enim deliramenta nugaſq; mortalium fugientes, in dæmones incidunt tentatores. Non enim in his eſt certamen aduerſus carnem & ſanguinem, Paulus inquit Apoſtolus, ſed aduerſus maleficos quoſdam ſpiritus aëris caliginoſi tyrannos. Quo fit vt ſanctos dum Deus exercitat dæmonia vexent. Quid verò de Philoſophis dicam? Nonne vel negotia Iouis, vel oblectamenta Veneris reſpuentes, in Saturni tædia ſæpè mœroreſque corruūt & atram bilem? Cui quidem ingenti malo, Democritus, Plato, Ariſtoteles ingenioſiſſimos quoſq; obnoxios arbitrantur, vt pœnas illas quodammodo quas furti cœleſtis Prometheus in monte Cauſaco contemplator expendit, pendere videantur. Tanto verò contemplatores vtrique grauiores ſæpè ſubeunt curas, quam vel negotioſi, vel voluptuoſi, quanto validiores incidunt vexatores.

Quamobrem, ſi eiuſmodi viri, qui maximè omnium mala declinaturi putantur, in mala ſæpius grauiora labuntur, nemo profecto confidere poteſt, mala mortalibus vnquam poſſe vitari. Sed hoc forſitan intereſt, quod ſuperiorum quidem illorum mala paulatim in peſſima conuertūtur. Hi verè ſi prouidenter profeſſionem ſuam conſtanterque proſequantur, tandem authore videlicet & promittente Deo. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Hæc verò commemorare vobis, dilectissimi Conphilosophi mei, operæpretium fore censui, vt neque confidatis vos dulces Philosophiæ sapores absque amarore quodam degustaturos, neque rursum desperetis, vel amaritudinem ipsam, autore Deo, quandoque, quod & in pomis sæpè natura facit in dulcedinem posse conuerti Valete felices, & in contemplatione vestra (quemadmodum cœpistis) prudenter constanterque perseuerate. Die vigesimoseptimo Septembris. M. CCCC. XCII.

Solem non esse adorandum, tanquam rerum omnium authorem.

MARSILIVS FICINVS Eberardo inclyto Comiti, Vuirtembergensi & montis Peligardi Seniori, S. D.

SOcrates in castris sæpè sub diuo Solem suspiciens orientem stetit attonitus in eisdem vestigiis, immotis membris, inconniuentibus oculis, statuæ more, quousque Solem salutaret iterum resurgentem His ergo Platonici similibusque signis adducti Socratem fortè dicent, Phœbeo quodam dæmone statim ab ipsa pueritia ductum, Phœbum ipsum venerari summopere consueuisse. Eademque ratione sapientissimum Græcorum omnium, Apollinis Oraculo, iudicatum Ego verò quid de Socratis dæmone, seu genio, siue Angelo, affirmandum maximè videatur, in præsentia prætermittam. Id certè ausim affirmare, Socratem in eo mentis excessu non solem quidem hunc admiratum fuisse, sed alterum. Cui enim admirationem sola nouitas afferre soleat, quid tantùm stupeat hinc admirabundus Socrates, quem & quotidie videt, cuius & motus omnes viresque iamdiu, Mathematica simul, & Physica ratione comprehenderat. Quem (teste Platone) non Deum primum, sed Dei Filium appellauit, non Filium, inquam, Dei primum, sed secundum, iamq; visibilem. primum namq; Dei Filium non solem hunc oculis manifestum, sed alterum, hoc lōgè superiorem, intellectum scilicet primum, solo contemplabilem intellectu. Socrates igitur sole cœlesti nonnunquam admonitus, solemq; supercœlestem auguratus, & illius maiestatem contemplabatur attentior, & patris illius incomprehensibilem bonitatem admirabatur attonitus. Hunc Iacobus Apost. patrem luminum appellauit, luminum, inquā, plusquam cœlestiū, atq; cœlestium, apud quem non sit transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio. Nam & supercœlestia illa facta putat naturaliter mutabilia, & cœlestia quotidie per noctium vices obumbrari non dubitat. Quamobrem omne datum optimum, scilicet menti naturaliter insitum, & omne donum perfectum, videlicet post naturales dotes adhibitum, non à Sole hoc stellisque mundanis, sed altius ab ipso patre luminum descendere, censet. Nam intelligentiæ viribus, quasi gradibus quibusdam, non quidem cœlitus, sed desuper acceptis freti, super cœlos ascendimus, ibique multa cœlis præstantiora, cognoscimus, amamus, & colimus, ipsumque cœli fabrum ante omnia veneramur. Neque tamen possemus intelligentia incorporeum aliquid cœloque melius intelligere, vel amare, si cœlitus tantum intelligentiam haberemus. Iam verò ne quis Solem, Lunam, Stellas, nimium, & adoraret, & tanquam intellectualium munerum authores, & patres veneraretur, prudenter admonuit Solem hunc non esse vniuersi principium. Missas in præsentia faciam rationes, quibus in Theologia nostra principium vniuersi, nec corpus esse, nec animam, nec intellectum, sed aliquid admodum excelsius, affirmamus. A quo quidem Sol cœlestis longissime distat, vt vmbra quædam illius esse iudicetur, potiusquam imago.

Rationes autem quas Iacobus hic attingit breuiter, in præsentia perstringam. Cum status tanquam principium, & rector, finisque motionis, sit omni motu perfectior, certè Deus ipse principium & finis & rector omnium, mobilis esse non potest Sol autem est assidue mobilis. Præterea principij virtus tanquam immensa, fortiter attingit omnia, nec vsquam cohiberi potest. Solis autem virtus per radios agens præpeditis passim radiis impeditur, defectum patitur obiecta Luna, sæpe nubibus coërcetur, terrena densitate repellitur, distantia loci debilitatur Sol ipse, quinetiam minima quædam est particula mundi, angusta quadam sede tenetur. Trahitur à sphæra rursumque retrahitur. Contraque sphæræ propriæ impetum à sphæra semper superiore reuoluitur. Contrariis signis impeditur & stellis, & aspectu malorum nonnunquam debilitatur.

Denique, principium vniuersi omnia vbique & semper, & in omnibus operatur. Sol autem nec mundi globos ipse facit, nec quæcunque frigida vel humida

sunt vel densa similiaque ipse virtute propria potest efficere. Neque similes in cœlo virtutes vllam à Sole ducunt originem. Cęterum, quamuis Sol ab authore mundi longissime distet, cœlestia tamen omnia ad Solem vnicum qua rectorem in cœlo mensuramque diuinitus redacta videntur. Vt hinc prorsus admoneremur, vt omnia quæ in cœlo sunt & sub cœlo & super cœlum, ad vnum cunctorum principium similiter referri, considerantes tandem hoc ipsum ea saltem obseruantia veneraremur, qua cœlestia Solem.

Copula Philosophiæ cum legibus, quod felix & nobilis sit Philosophus.

MARSILIVS FICINVS
Martino Vranio Prænygero,
amico vnico, S. D.

PHilosophanti quidem mihi semper, nunquam verò Legibus incumbenti, Professores Legum duo sunt amicissimi, In Italia quidem Ioanuictorius Soderinus, In Germania verò tu in primis optime mi Martine, & vtrique cum insigni facultate Legum mirum sapientiæ studium coniunxistis. Dixerit ergo quispiam: Quænam Legibus cum Philosophia cognatio? Quæ videlicet Ioui Legum authori, cum Saturno Philosophiæ Duce, id est filio cum patre necessitudo. Mitto nunc Astronomos asserentes, Iouem quando Saturno coniungitur, nouas differre Leges. Præsertim quoties in ipsis cœli cardinibus, triplicitatumque capitibus, coniunguntur. Nonne Poëtæ prisci, veteresque Theologi, Saturnum in additis contemplatorem fingunt, legesque & iura post diuturnam contemplationem excogitantem? Quæ deinde Ioui filio actionum duci tradat obseruanda ciuibus mandaturo. Homerus quoque Minoëm, inquit, Regem conditorem Legum in Iouis antrum, annis nouem secedere solitum, ibique à Ioue leges accipere. Nemo verò antiquorum mysteriorum peritus proprium Ioui semper publico dedicauerit antrum. Hoc igitur nihil aliud esse videtur, quam Saturni ipsius semper additum domicilium vel sacellum, in quo quidem & Iupiter constitutus cum Saturno collega regem Minoëm Legibus instruit, mox populũ formaturis. Sed misso iam officio legum, sapientiæ studium prosequamur. Multos equidem ad hoc totis viribus capessendum sum per meas Epistolas exhortatus. Vos autem iam in hoc ipso prouectos non adhortabor equidem nunc, sed potius confirmabo. Aut certe nos ipsos consideramus, aut suspicimus Deum, aut cæteros homines circumspicimus. Si forte nos ipsos, sola sapientia facit, vt & nos ipsos denique cognoscamus, & soli nobis cum habitare possimus propriis semper contenti diuitiis. Si verò Deum, sola quinetiam sapientia Deo similes efficit & amicos contemplantes videlicet assidue, quæ Deus ipse fecerit contemplando, ipsumque tanquam bonorum omnium authorem cognitum venerantes. Si autem homines, sapientia quoque sola sapientem populis, regibusque tandem constituit regem & quasi numen denique generandum. Cum igitur sapientiæ studium felicem prorsus efficiat animum, nunquid præterea nobilem vel efficit vel declarat? Si Platoni licet credere, nobilissimum est profecto Philosophorum genus. Nam & aureum esse inquit, & ab ipso Ioue mundi totius opifice reuera profectum, si Stoicis fidem adhibes, nobilitatem Philosophorum ex posteritate cognosces. Solus enim fore asserunt immortales. Prophetæ denique Danieli non credere nefas. Fulgebunt, inquit ille, docti, sicut splendor firmamenti. Et qui multos erudierint ad iustitiam tanquam stellæ in perpetuas æternitates. Firmamentum verò non octauum dumtaxat cœlum, sed totam sphærarum molem significare videtur, stellarum planetarumque omnium firmamentum. Hoc autem etiam seorsum à stellis atque Planetis quodammodo suapte natura fulget, sed rariore quadam & sparsa, & candida luce, propterea minus oculis manifesta. Eiusmodi quadam luce fulgebunt, & hic & in patria docti reuera sanctique viri, etiam si nullos vnquam ipsi docuerint. Quid verò non solum sibi ipsis diuina contemplati fuerint, sed alios insuper palam erudierint, legesque dederint ad iustitiam obseruandam, manifestiore præ cæteris fulgore lucebunt, stellarum instar clarissime coruscantes. Neque id quidem ad tempus certum, sed per omne tempus, nempe per totum mundi tempus solum, sed per ipsum diuinioris æternitatis vsum, nunquam videlicet interruptum, sed perpetuum penitus atque continuum. Iustum enim esse videtur, vt qui publici diuinique boni fuerint authores semper sint hominibus profuturi, lumenque sibi diuinitus datum non absconderint, sed ad commune bonum prorsus ediderint, æterno quodam splendore diuinitus bonoque donentur. Vale.

Cur semper eadem & antiqua tractem.

MARSILIVS FICINVS Philippo Valori Oratori apud pontificem, Florentino, S. D.

HEster no vespre iam Franco nostro dixeram vale, tuque mihi ad Valorem nostrum eris Epistola. Mox autem (nescio quomodo) sum compulsus vespertinis literis addere matutinas. Quod quidem & amantes factitare plerumque solent, singulis Epistolis non contenti. Francia igitur (vt ita dixerim) Epistola nostram tibi valitudinem nuntiabit. Studiorum verò nostrorum rationem quam per negotia non poterat Francus tunc accipere, Epistolium præsens tibi reddet. Requiris, video, quid nunc agam. Quod equidem iamdiu, mi Valor agebam. Eodē semper, nescio quo fato, reuolutore. Significator nobis, ne dixerim ductor (vt scis) ab initio Saturnus sub Aquario ascendens extitit. Saturnia igitur & antiqua perpetuo retractamus. Cum primum olim rediit ad Aquarium, prisca Platonis opera sub magno Cosmo semel interpretati sumus.

Iam Saturnus iterum reuersus est ad idem, ad idem nos quoque reuertimur, Platonem iterum post Laurentianum Plotinum interpretamur. Sed grande opus (vt par erat) grandioribus commentariis declaramus. Commentariolum in Timæum in agro Maiano apud te compositum, latius nunc nobis excrescit, mox Parmenidem similiter aggressurit. Magnus ille patronus noster Petrus Medices spem nobis firmā dedit se resurgenti Platoni rursus aspiraturum. Atque iam ita prorsus inspirat, vt Plato noster hactenus errabundus, sit iam super hanc Petram, suam academiam fundaturus. Huic igitur isthuc ad pontificem accedenti per ocium hac de re nostro nomine gratias quam plurimas agito. Penes hunc quasi tuum Iouem, tuos agnosces Dioscuros, Bibienos, Castorem, atque Pollucem, his ergo post illum nos etiam commendabis. Finem verò faciam, non inquam, Epistolio sed iam Epistolæ, si tibi prius significauero, Martianam illam causam, imò iam tarditate Saturniam, post Medicam authoritatem, tua insuper opera iam esse confectam. VII. Nouembris M. CCCC. XCII.

Similitudo Mercurij cum Saturno.

MARSILIVS FICINVS Philippo Carduccio dilectissimo suo, S. D.

CVm Epistolæ à me compositæ, iam omnes tibi transcriptæ, propemodum per tabellarium ad te perferendæ forent, decreui Mercuriale opus ad Mercurialem amicum non absque auspiciis Mercurialibus aduehi. Vt si quid in negotiis eiusmodi cœlestia valent & ocius ad te peruenire, & celerius legeretur, præterea vt diutissime relectum consideraretur, Mercurio Saturnum insuper addidi, siue comitem, siue ducem. Legi hodie rursus in x. de Republica Mercurium Saturnumque colore id est luce cœlestium omnium inter se simillimos esse, vt non mirum sit intelligentiæ quoque luce ita consimiles esse, vt alter quidem ad sapientiam exhortetur, alter verò Deo videlicet altius aspirante, perducat. Dei quidem imaginem esse Solem volunt. Deus ipse est author sapientiæ primus, sapientiæ significatores, Mercurius & Saturnus, imaginis diuinæ comites, minime omnium à Sole discedunt, dum videlicet & Mercurius sub Solis splendore ferme semper incedit, & Saturnus ab Ecliptica Solis via minime omnium præuaricari videtur. Hos Astronomi natura quadam similes esse putant Mercuriumque ædibus & finibus & aspectu Saturni gaudere. Hic (vt opinor) efficitur, vt ferme omnes, qui à Mercurio suum iter professionemque exordiuntur, solum desinant in Saturnum. Vtinam tu mihi Carduci à Mercurio ad Iouem etiam quandoque peruenias. Vale. Die XIII. Nouembris. M. CCCC. XCII.

Apologia in librum suum de. Sole, & lumine.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Philippo Valori Oratori apud Pontificem, Florentino, S. D.

LIbrum de Sole clarissimo Petro Medici destinatum domi iam diutius retinebā atq; contra preceptū Euangelicum, sub modio lucernam, siue Solem ferme iam impius abscondebam. Sed Petrus ille Nerus, quem in Epistolis nostris frequenter candidissimum appellauimus, pium existimauit fore, vt lumen hoc quam plurimis, vt Deus præcipit, effulgeret. Itaque

candidissimo viro ad quem potissimum cura de lumine pertinet & candore libentissime parui. Atque vltra mysterium magnanimo Petro Medici commendatum permisi librum opera Petri Neri palam impressoribus exprimendum. Ecce igitur mi Valor luce mihi charior palam Sol hic quantuluscumque meus iam exoritur. Sed forte mox suborituris nebulis offendendus, vel etiam futurus noctuis quibusdam vespertilionibusque molestus. Nebulæ quidem aut venti protinus dissipabunt, aut Sol ipse cum ascenderit altius, extenuabit atque dissoluet. Vespertilionibus autem sub lumine caligantibus cæcutientibusque consulito, si modo consilij sint capaces, ne lucem quidem incusent cæteris salutarem. Sed ipsi splendorem hunc effugiant, suo more potius, atque (vt par est) indigni lumine assidue delitescant. Bona quidem spe Valorem meum ad hoc certamen prouoco, Valorem inquam non solum contra bubones, sed aduersus etiam inania monstra. Herculis instar validissime pugnaturum. Soles enim Boëtianum illud pro Hercule dictum in ore frequenter habere. superata tellus sydera donat. Herculem; veteres introducunt, virum Solis alumnum, pro vera gloria, pro veritatis splendore, quæ Solis ipsius munera propria & officia sunt, labores duodecim signa zodiaci subeuntem, Ito nunc alacer mi Valor in prælium, propugnatores enim illic (scio quid loquar) tres saltem inuictos habebis. Politianum Herculem inquam, Phœbeumque Picum, Amphionemque Landinum. Hi profecto qua strenuè pro mea vita iam triennium certauerunt, tam feliciter deinceps pro hoc meo, quantuscumque est, splendorem pugnabunt. Die II. Ianuarij. M.CCCC.XCIII.

Sæpe in cœlestibus gemini sunt, item Soles duo.

MARSILIVS FICINVS
Martino Vranio Germano, amico vnico, S. D.

IVuat vnà tecum mi Vranie vir cœlestis cœlestia sæpe tractare. Non solum in firmamento gemini sunt illi dioscuri, sed inter planetas sunt quoque germani, Mercurius enim quasi minor frater est Saturni, consimili enim (vt Plato inquit) luce fulgent. & ingeniis vtrique præsunt. Germana Iouis est alma Venus, Phœbi quoque Phœbæ. Mars autem quasi superbior communionis expers, Solem ipsum non tam comitatur quam æmulatur. Præter enim feruorem suum Solis æmulum quasi riualis, lumen (nescio quod) infundit Lunæ paucis admodum obseruatum. Post hæc autem æternus aër quasi Iupiter alter frater & maritus est sequentis aëris quasi Iunonis. Sed vt reuertamur ad Solem. Quid mirum ? siquidem in cœlo sunt gemini Soles, geminos quoque penes me quasi Soles esse natos, principio quidem maiorem, deinde minorem. Minorem igitur ipse orator ad Pontificem proficiscẽs præterita æstate apud nos vidisti Florentiæ, qui & te hinc in Germaniam abeuntem, è vestigio sequutus est, clarissimum principem tuum Eberardum salutaturus. Alterum verò Solem qui inter Platonicas commentationes grandior iam coaluit, iure sibi vendicat Petrus Medices, & qui & Platonica iure sibi omnia vendicat, lumen similiter, ô mi Vranie mihi geminum inter lares eluxit, minus atque maius. Minus quidem iamdiu Phœbo Capellæ fulsit, maius vero nunc Petro Medici clarissimo lucet. Vtrumque igitur vir cœlestis fœliciter contemplare. Contemplaberis verò feliciter, si luminis huius similitudine Platonicum hoc quod sequitur de diuinitate mysterium memoriæ commendaueris. Quæ minimum lumen habent non aliter cernere consueuimus quam passim quærendo propius accedentes. Solem verò visuri, non tam quærere Solem cogimur vltro nobis obuium atque omnium patentissimum, quam purgare oculos, aperire, conuertere, proque modo nostro hos ad illum accõmodare. Similiter cæterarum quidem rerum veritates exiguas quasi scintillas argumentationibus perscrutari compellimur. Immensum verò Dei lumen sic assequi non valeamus, sed & amatoria voluntatis conuersione & serenitate mentis paramur ad illum, nobis videlicet præparatis vltro feliciter coruscantem. Hinc Platonicum illud. Diuina quidem verbis rationibusque doceri non possunt quemadmodum cætera quæ discuntur, sed assidua circa diuinum ipsum consuetudine vitæque communionem, subito tandem nobis velut ab igne scintillante lumen effulget in animo, seque ipsum iam alit.

In librum de Sole, dono missum.

MARSILIVS FICINVS
Laurentio Conphilosopho suo Laurentianæ ædis Antistiti.

CVm ego superioribus diebus librum de Sole & lumine, paruum quidẽ, sed

magna cum voluptate componere, tu interim & si præsenti meæ lucubrationis inscius, peropportune admodum Astronomicis rationibus inuenisti nostrum omne sapientiæ studium, ad Solem potissimum pertinere. Quoniam sors illa quam Ægyptij sapientiæ partem nominant in genesi peruenisset ad cor Leonis. Sol vero Dominus eius nonam tenuisset cœli plagam, sapientiæ destinatam. Oportune rursus absoluto statim libro de Sole & lumine heri ad nos computationem Astronomicam attulisti. Eadem igitur oportunitate ego vicissim librum ipsum ad te hodie mitto. Vtinam nostrum hoc lumen non Lunam videatur proferre, sed Solem. Die XIV. Februarij. M. CCCC. XCIII.

Amor ipse Deus amantem redamari iubet.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Iuliano insigni Theologiæ professori Ordinis Minorum non minori, S. P. D.

NIhil est, dilectissime mi Iuliane, quod silentium apud nos tuum purges. Nam & si nobis quidem raro, frequenter tamen de nobis es locutus, ac si quid verbis forte defuerit, id totum ingenti erga nos amore compensas. Amoris equidem ardentis erga me tui, hinc argumentum habeo proculdubio maximum, quod ego te absentem diu ardentiori quodam in dies amore complector. Prouerbium verò illud, si vis amari ama, in libro de Amore, atque Epistolis alicubi rationibus multis exposui.

Sed omnium maxima, quæ inter scribendum modo mihi succurrit esse videtur, nisi repentina me fallit opinio. Sed vt fallat aliquanto leuius, ita parumper confabulemur. Apollinem & Cupidinem sagittarios antiqui fingebant, hunc quidem flammas, illum verò lumina iaculantem. Quemadmodum igitur Apollo lumen simul in geminos iaculatur, vt quo ego te lumine viso, eodem & ipse me reuisas, ita Cupido flammas, vt qua iam ardet vnus, eadem mox ardeat alter. Omnino verò Amorem esse Deum, & Plato probat, & omnis testificatur antiquitas, & Theologi nostri sanctum quidem Spiritum amorem primum, seraphicis, id est, amatoriis Angelis anteponunt, & seraphicos Angelos veris amoribus vbique præficiunt. Amatorium ergo numen mutuæ caritatis & Iunonis amicum, vbi aliquem accendit amore, statim ardentes ex hoc amore velut speculo radios in amatum occulta quadam & mirifica virtute reflectit, vt absens vel inscius ille mirabiliter accensus, vicissim amat amantem: iustum namque numen non patitur amantem superno videlicet instinctu concitum non redamari. Sed etiam de amore satis. Conquerebaris preterea per Epistolā Plotini libros ad vos minime peruenisse, meam propemodum tarditatem accusaturus, libri quidem ipsi præterito Maio sunt ab impressoribus absoluti.

Sed in quibus mandatum est à Medicibus, vt eos saltem per Italiam diuulgarent, tardiores hactenus extiterunt, ac me etiam vrgente, sunt tardi. Nouam Platonis interpretationem nondum edidi vltra dimidium iam productam. Ad hanc tu me maximè omnium adhortatus es, forte interim cohortantibus Angelis, in quorum æde id in cœna mihi persuasisti.

Quo tempore post declamationes nostras ibidem frequentibus concionibus tu orabas. Libellum de Sole & lumine à me nuper editum ad te mitto legendum, vt vbi noster iamdiu feruet calor, ibi lumen quoque refulgeat. Die XX. Februarij. M. CCCC. XCIII.

In librum de Sole.

MARSILIVS FICINVS Mazino Physico insigni Conphilosopho suo, S. D.

OMnes (quod te non latet) Astronomi, Lunam quidem tertia ab ascendente cœli plaga gaudere putant, itineris illinc breuis religionisque paruæ ducem. Solem verò nona, longioris itineris, ac religionis magnæ rectorem, vt autem tutius loquamur, saltem significatorem. Cùm tu igitur longum religiosumque ad Loretanam ædem iter sis propediem aggressurus, merito solem quendam nunc tibi trado mihi nuper exortum. Futurum (vt opto) sereni aëris, facilisque itineris auspicium.

In librum de Sole.

MARSILIVS FICINVS Georgio Cyprio insigni medico, S. D.

CVm Phœbum omnes Medicinæ authorem medicorumque patrem esse consentiant, merito Phœbeum de Sole & lumine librum à nobis nuper editum ad te mitto legendum, antiquum familiæ

nostræ medicum. Phœbus igitur perpetui amoris erga te mei veridicus tibi testis erit. Sol tibi signa dabit (vt inquit Maro noster) Solem quis dicere falsum, audeat? Die XIV. Iunij. M. CCCC. XCIV.

In librum de Sole missum.

MARSILIVS FICINVS Baccio Vgulino, S. D.

CVm fratres sint Phœbus atque Bacchus, alter merito salutat alterum. At vter vtrum prior adit? non Appollinem quidem Liber, metuens forte ne verba reportet. Sed Phœbus ipse Bacchum, sperans referre merum. XV. Iunii. M. CCCC. XCIII.

Fœlicia ad philosophiam auspicia, à Mercurio, Saturno & Sole.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Valori dilectissimo suo, S. D.

NVllus familiarium nostrorũ feliciori-bus, quam tu auspiciis Philosophari cœpit. Non commemorabo equidem latius in præsentia, quantum ad Philosophiæ studia conferre putetur coniunctio illa Mercurii cum Saturno sub Aquario tunc imminens, quando & ego librum de Sole & lumine componebam, & tu Philosophiæ iam dabas exordia, atque quidem ab ipso Sole sane tanquam Orpheus alter ab Apolline potius quam à Musis.

Hunc ergo Solem quod quidem auspicia tanta decebat, aquilinis statim oculis suspexisti. Ad hoc verò deinceps, qui inter cœlestia dominatur, ad altiorem Solem cœlestium authorem mira quadam celeritate profectus, Platonicam Theologiam feliciter admodum es aggressus. In qua quidem tam perspicue in dies profundissima quæque mysteria inspicis, quam dilucide fas est eum cernere, qui non sub Luna, sed sub ipso Sole singula contuetur. Perge quæso, mi valor, ea deinceps alacritate, qua cœpisti, & me passim socio & Apolline duce, summum veritatis gloriæque splendorem breui consequuturus.

Signa legitimi Platonici, atque de ideis.

MARSILIVS FICINVS Francisco Diaceto complatonico suo, S. D.

ERrant omnino, qui Peripateticam disciplinam Platonicæ contrariam arbitrantur. Via siquidem termino contraria esse non potest. Peripateticam verò doctrinam ad sapientiam Platonicam esse viam, comperiet, quisquis recte considerauerit, naturalia nos ad diuina perducere, hinc igitur effectum est, vt nullus vnquam ad secretiora Platonis mysteria sit admissus, nisi Peripateticis disciplinis prius initiatus. Absoluti verò Platonici tria sunt symbola, quibus sacerdos eiusmodi à cæteris Philosophis sapientibusque discernitur, primum quidem est mens sublimis, ab inferioribus seipsam semper ad superiora conuertens, secundum verò religio, tertium eloquentia, & hæc quidem quasi poëtica. Primum rursus ad Saturnum, secundum ad Iouem, tertium pertinet ad Apollinem. Solus itaque Platonicus est legitimus qui illa quam diximus incedit via, his prẹditus symbolis, his (vt ita dixerim) numinibus commendatus. Quãobrem conphilosophe mi Francisce, tibi tanquam legitimo Platonico gratulor & academiæ gaudeo. Vt autem ad tuam illam de ideis quæstionem pro Epistolæ modo respondeam, ita breuiter accipe. Non putas, proprias singulorum ideas in mente prima inter se absolute quidem, sed quadam relatione distingui.

Neque id quidem à Plotino iam tuo arbitror alienum. Quod sane in commentariis in eum breuiter explico. Negat & in Parmenide Proculus, ideas proprias singulorum, videlicet absolute distinctas. Id proculdubio Platoni maximè consonat in Timæo dicenti, ideale exemplar æternum esse. quodue ad ipsum exprimetur, atque per ipsum, sempiternum fore significanti. Vnde colligitur naturalium species illinc penitus exprimi, tanquam videlicet sempiternas, singula verò non æquè, sed sequentibus deinceps causis ad extremum inter se discerni. Quæ tamen distinctio intellectum primum non lateat vniuersi ordinis conditorem. Hinc in Timæo seniores dij, dæmonesque Architecto mandante, atque disponente, singulorum sub Luna fabricam prosequuntur.

Ne igitur vel in eo quod summopere est vnitum, extrema fit multitudo, vel cum quamplurima lateant, qui intelligentia facit & perficit omnia, singularium omni-

no mutabilium illic ideæ non sint re ipsa inter se naturaliter disiunctæ, sed eiusdem intelligentiæ se ipsam aliter atque aliter conferentis ratione distinctæ. Bene igitur excogitasti mi Francisce. Bene Vale. Die XI. Iulij. M. CCCC. XCIII.

Purgatio silentij diuturni.

MARSILIVS FICINVS
Philippo Valori oratori Florentino ad summum pontificem, S. D.

QVæres forsitan diuturni huius silentii causam, hæc autem nihil aliud est, vt respondeam breuiter, quam incerta scribendi causa. Nam quid potissimum scribam? An forte quomodo valeo? Qui male ne, an bene valeam, semper ambigo. Nunquid significabo quid faciam? & de hoc hercle ambigo. Equidem quid velim scio, quid tentem; quid autem efficiam adhuc ignoro. Ambigo quinetiam præsentem ne te nobis putẽ, an absentem, quem quotidiana Nicolai fratris tui mecum philosophantis consuetudo vsque adeò præsentem reddit, vt esse opus Epistolis non aduertem. Solent grati homines post diuturnum silentium Epistolas saltem mittere longiores. Ego autem adeò ne ingratus fuerò, vt breuissimo forsitan Epistolio, longissimum silentium compensare confidam? Nequaquam, sed amor ingens potius, & fiduciam præstat & satis officio facit. Vale die XV. Iunii. M. CCCC. XCIV.

In Librum de Sole.

MARSILIVS FICINVS
Antonio Calderino, S. D.

SOl inter cœlestia Dominus, in hoc vel maximè cæteras rerum naturalium causas antecellit, quod calore quidem omnia facit, lumine verò demonstrat. Mihi vero & si nihil opus est, vt calore Solis vtar ad Calderinum calefaciendum, quem in rebus meis expediendis atque tuendis vbique feruentissimum sum expertus, lumine tamen Solis vtendum censui quo ardentem amorem nostrum iamdiu testimoniis plurimis confirmatum, nunc insuper teste Apolline palam omnibus declarem: Die XV. Iulii. M. CCCC. XCIII.

Lumen est admirabile, quoniam est imago sapientiæ. Item quam mirabilis sit copula sapientiæ cum potentia.

MARSILIVS FICINVS
Ramberto Malatestæ, illustri Sogliani principi, S. D.

COmmunis omnium certaque sententia est, & quasi vox ipsa naturæ, nihil aspectu pulchrius, nihil amabilius, nihil admirabilius esse quam lumen. Et si hoc omnes extra controuersiam confitentur, vbi tamen tantæ rei tanquam manifestæ, causam quæras, non omnes iam inuenient rationem, sed solus ille probabiliter respondebit, qui lumen hoc oculis manifestum animaduerterit, nihil aliud præter clarissimum intelligentiæ lumen. Quod quidem Plato noster in Phœdro vaticinatus est, siquando interioribus oculis cerni possit, amores sui multo ardentiores excitaturum, quam lumen hoc patens in corporibus speciosis quotidie soleat amatoribus incitare. Quippe cum lumen hoc aspectu perspicuum, non tàm à lumine tantam apud nos gratiam admirationemque nactum fuerit, quam ex illo secretiore cuius est imago, ex illo, inquam, diuinæ sapientiæ lumine. Diuina igitur sapientia vbique dedit lumini tanquam suo cuidam vicario principatum. Corporis quidem nostri soli duces sunt oculi, inter membra enim sunt luminis, quasi cuiusdam sapientiæ, compotes. Inter omnes quoque animæ vires regnat mens sola, videlicet munere sapientiæ lucens. Elementorum præterea similiumque corporum, ignis est Dominus solus inter hæc quasi sapiens quidam lumine præditus. In cœlo similiter Sol ipse solus fons luminis omnibus dominatur. Idemque apud Astronomos potentiam significat atque sapientiam, nona cœli plaga gaudens velut æde Mineruæ. Cuius etiam vicinitate Mercurius sapientis nomẽ obtinuisse videtur. Quid plura? Ipsum denique totius mundi regnum caloris vllius aut frigoris violentia, aut motuum quorundam impetus, aut vlla corporum vel fluctuantium turba vel vastorum moles sibi vendicat, sed sapientia prima, sicut omnia cernens, sic & omnia potens, sicut prouidens vbique singulis, ita rursus & domina singulorum. Hæc itaque merito & nobis mandauisse videtur, vt ita sapientiam cum potentia pro viribus coniungamus, sicut ipsa & in se & in vniuerso manifestè coniunxit.

Quamobrem diuinitus affectum arbitror, vt Solis lumen idem, quod quidem efficit omnia tanquam potens, similiter omnia demonstraret, velut sapiens, imò & cuncta iuuaret atque delectaret tanquam bonum. Quo semper admonemur, cum potentia non solum sapientiam, sed bonitatem etiam copulare. Eiusmodi verò copulam venerandam prorsus atque beatam vt poëtæ canunt, extitisse quondam regnante Saturno, & Plato noster videre præ cæteris exoptabat. Ac nos sectatores eius ante omnia cupimus, virum præ cæteris amaturi, qui singularis sapientiæ studium morumque probitatem cum generosa stirpe simul & principatu coniunxerit. Hic iam adulationis vanitatisque suspicio à philosophis admodum aliena, prohibet latius explicare quod sentio, fas verò sit id saltem breuiter eloqui. In Ramberto Malatesta Sogliani principe, iam habeo tota quod mente petebam, tota hunc mente diligo, atque vt lex amicitiæ iubet, mea huic omnia communia facio.

Quomodo Venus per cupiditatem commiscet amantes. Iupiter amicabilis per Mercurium conflat amicos.

MARSILIVS FICINVS Ramberto Mala testæ Illustri Sogliani Principi, S. D.

ANtiqui Gentium Theologi amicitiam tanti fecerunt, vt inter cætera numina, imò & sæpe præ cæteris Iouem coluerint amicabilem, conciliandis vbiq; beniuolentiis amicitiisque præfectum. Apud hos ergo quemadmodum alma Venus per Cupidinem accendebat amores & (vt ita dixerim) coniungebat amantes; ita Iupiter amicabilis per Mercurium grauiores procreabat beniuolentias, amicitiasque conflabat. Si nobis hodie liceat Iouem Mercuriumque nominare, profecto amicitiam hanc nostram non humana quadam causa dixerimus, sed Iouis amicabilis munere copulatam, siquidem ipsa Minerua beniuolentiæ nostræ conciliatrix, fertur à summo Iouis capite nata.

Sed nunquid per Mercurium id nobis effecisse dicemus? Per Mercurium certe, non solum per ocultiorem illum atq; cœlestem, sed etiam per notiorem nobis aliquem & humanum. Quandoquidem Petrus Martellus vtriusque nostrum amicissimus, qui & nos coniunxit in vnum, non solum Mercuriale fert ingenium, sed ipsam etiam effigiem indolemque Mercurij prę se ferre videtur. Quam equidem, vt de meo quodam quasi vaticinio nonnihil dixerim, nondum inspecta eius genesi, auguratus sum, & inspecta, sum augurio confirmatus. Is igitur quemadmodum in amicitia inter nos vincienda; hactenus sub Ioue Mercurium egit, ita deinceps in mutuis consiliis inter nos significandis interpretandisque, vltro citroque Mercurius erit. IV. Augusti. M. CCCC. XCIII.

Sol imago vicariusque Dei.

MARSILIVS FICINVS Reuerendo in Christo patri. D. Francisco Soderino Episcopo Volaterrano, S. D.

LIbrum de Sole nuper magnanimo Petro Medici dedicatum, ad te quoque necessarium eius, mitto legendum. Sed vt tibi etiam alteri patrono meo liber ipse totus videatur inscriptus, hanc totius summam tibi dedico. Tria Theologi Deo præcipua tribuunt, potentiam, sapientiam, bonitatem. Sol igitur imago Dei efficit apud nos omnia tanquam potens, distinguit præterea quotidie, demonstratque oculis singula velut sapiens, iuuat denique nos atque delectat tanquam bonus. Dei solius proprium esse tradunt, miracula facere. Sol itaque Dei vicarius tria potissimum miranda videtur efficere, sub cœlo quidem quamplurima per hyemem quasi mortua, in vere suscitat & æstate. In cœlo autem cœlestia omnia illuminat, moderatur & regit. Quæ verò super cœlum non oculis tantum, sed mentibus etiam nostris inuisibilia sunt, Sol, vt ita dixerim, visibilia reddit, dum admirandis cœlestium spectaculis nos admonet supercœlestia contemplari. Contemplare feliciter sacer Antistes Solem hunc nostrum atque lumen, vero prę cæteris Sole alma luce dignissime. VIII. Septembris. M. CCCC. XCIII.

Proœmium in Epistolas.

MARSILIVS FICINVS Florentinus cunctis semel Epistolis suis, Sal.

QVoties Epistolæ meæ amicis meis, me iubente, salutem dicitis, toties amicissimo vestro Hieronymo Rossio immortales salutes dicetis. Vos enim ego mortales genueram, ac nescio qua fortuna propediem moribundas, Hieronymus autem insignis pietate vir regenerauit vos

nuper (vt spero) iam immortales. Latebatis enim iādiu locis cupidæ, nec quisquā adhuc è tenebris eruebat, fato forsan vel genio nondum volente. Roscius autem noster, imò iam & vester, Roscius, qua pietate semper erga parentem vestrum Marsilium se gessit, eadem nunc & vos charitate quadam hæreditaria feliciter est prosequutus, diligentia simul & opera curans, vt vestræ facies iamiam oppressæ, prorsus exprimerentur. Hunc ergo doctum piumque restitutorem vestrum, hactenus quidem tristes, nunc hilares salutate, atque pro ingenti immortalitatis munere immortales gratias agite. xv. Decembris. M. CCCC. XCIII. Florent.

Pro libro de Sole, item de stella Magorum, in solennitate Epiphaniæ.

MARSILIVS FICINVS Angelo Nicholino ciui & iurisconsulto præclaro, S. D.

HOdie magi (stellarum obseruatores, stella miranda duce) Christum stellarum authorem muneribus præcipue tribus salutauerunt, auro, myrrha, thure. Hodie Christus sancto spiritu cœlitus corruscante, fertur ab Ioanne Iordanis aqua per fusus. Hodie Christus aquarum procreator & vini, nuptiali conuiuio mirabiliter aquam commutauit in vinum. Hunc ergo diem tribus ingentibus miraculis celeberrimum, insignis pietate vir Angele, trino tu quoque solenniter quotannis honore concelebras, conuiuio, Musica, lectione. Huic equidem lectioni apud te sacræ, librum de Sole & lumine consecro, hac à me nuper ratione compositum, vt Solis luminisque visibilis comparatione ad inuisibile diuinitatis lumen pro viribus contemplandum lectorum mentes erigerentur. Vtinam sicut stella mirabilis ad videndum Christum, Deum & hominem, perduxit hodie Magos, ita nos ad Deum excogitandum hodie Sol perducat, Ianuarij VI. M. CCCC. XCIV.

Pro Bacchi dono. Item Euangelicum illud, ex aqua vinum factum.

MARSILIVS FICINVS Mazingo insigni Physico, S. D.

MAtutinis infra octauam Epiphaniæ lectionibus frequenter admonitus, hodie mecum Euangelicum illud animo reputabam. Vinum ex aqua factum, an præter mysticam allegoriam, atque moralem, physicum quoque sensum habeat, siquidem non longo quodam tempore, aquam fermè, sicut momento Christus permutet in vinum. Physicus verò sensus, ad medicum præcipuè pertinens, inuestigat, curnam hoc primum miraculorum suorum Christus esse voluerit? Forsitan vt ostenderet, primum summumque vitę nostræ subsidium fore vinum, sed curnam vinum bonum, id est, validum, quare Creticum & Orientale merum seruatum est vsque adhuc? Cur noluit ille vitæ Magister in prima mensa vinum hoc afferre, sed adeò distulit? Voluit forsitan admonere, vinum virtute vigens feruenti iuuentuti minimè concedendum, sed recreandæ potius frigidiori senectuti seruandum. Cur denique non partem, sed totam prorsus aquam permutauit in vinum? vt videlicet bonum vinum in senectute præsertim bibatur & merum. Itaque cum hæc circa meridiem meditarer, exoptare cœpi atq; iam exquirere vinum eiusmodi, quo & senectutem meam & matris senium confouerem. Nam præterito autumno, illa quidem octuaginta, ego autem sexaginta iam annos impleuimus. Tu verò tanquam vates eadem hora vinum ad me misisti diuinum, Apollineum certè medicum, qualis meus est Mazigus, & vaticinium decet & Bacchi munus, siquidem Phœbus idem & primus medicus, & vaticinij author appellatur, Bacchi frater sacrisque coniunctus. Quod denique multifacio, vnà cum electissimo Liberi patris munere Epistolam dedisti Galenicam, vitæ salubriter consulentem, vt cum auxilio consilium amice coniungeres. Ego igitur quantum cum medicina pronosticum, & cum Phœbo Bacchus, tantum profecto sum atque semper ero tecum amore coniunctus. Ianuarij XIII. M. CCCC. XCIII.

Pro libro de Vita rerum imprimendo. Item auspicium de amicitia immortale.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Menchen sacerdoti Coloniensi, præclaro iuris Canonici professori, magni Coloniæ antistitis secretario, S. D.

QVintodecimo Calendas Februarij propè Solis ortum in somniis salutare videbar incognitum mihi antea virum honesta specie præditum, vestibus comitibusque ornatum. Qui post disputationem physicam mihi pedem ostenderet

quasi curandum, eodem ipse die Florentiam accessisti, profecturus Romam magni antistitis Hermanni legatus, qui cum propter contusionem pedis ad nos venire non posses, desiderium visendi significasti, egoque ad te, vt non oportebat solum, sed etiam decebat, accessi, itaque cum primum te iam obuium sum intuitus, agnoui statim qualem in somnis Heroicum virum videram, post salutationem primam in mentionem operis nostri de vita mox incidimus, multaque ad medicinam præcipuè pertinentia inuicem disseruimus. Inter loquendum, vt quicquid dormiens præsagiueram impleretur, pedem ostendisti contusum. Itaque non somnium quidem vidisse videor, sed oraculum diuinitus accepisse (vt arbitror) auspicium amicitiam nostram fore diuinam. Quoniam verò diuina sunt etiam immortalia, immortalem ego quidem (vt modo narraui) diuinitatem amicitiæ nostræ præsensi. Tu verò interim futuram eius immortalitatem excogitasti, decreuisti enim libros de vita nostros curare iterum exprimendos, quo & nostra hæc vita latius inde propagaretur, & posteri hoc tuo erga nos officio quantum nos amaueris, pariter à nobis amatus, intelligant, atque ita diuina hæc amicitia nostra apud posteros immortalis euadat. Viue felix mi Ioannes & nostræ propagator vitæ, & vita dignissime. Vale feliciter XVII. Ianuarij M. CCCC. XCIV.

Commendatio breuis in causa iusta.

MARSILIVS FICINVS
Reuerendo in Christo patri Domino
Francisco Soderino Episcopo
Volaterrano, S. D.

MOnasterium Septimi tibi commendaturus in causa Mutinensi paucis agam. Scio equidem quantum monachos illos, viros admodum pios, ames. Quos ego quoque non amo solum sed colo. Arbitror eos tanquam iustos iusta etiam postulare, tu iuris acerrimus es patronus. Quicquid denique officij in hos contuleris in me horum obseruatorem pariter collatum esse putauero. Monachus istic huius causæ procurator, & re & nomine iustus diligenter tibi referet omnia. Me quoque tibi commendo quam plurimum. Vale felix. XXV. Ianuarij. M. CCCC. XCIV.

Plato multa Christianis consentanea dixit. Platonici multi Christiana sunt imitati.

MARSILIVS FICINVS
Florentinus Reuer. in Christo patri
D. Iacobo Rōdono Episcopo Ariminensi, S. D.

FRater Sanctus in ordine diui Dominici Theologiæ professor insignis, tuo nomine me salutans, testimoniis profecto multis asseuerauit, me abs te ardenter amari quod quidem & si iamdiu mihi plane perspectum erat, desiderabam tamen de prospera valitudine tua nuntium qualem nunc accepi, diutius exoptatum. Philosophia humanorum omnium bonorum mater, amicitiam iamdiu nostram peperit, omni, vt Plato inquit, necessitudini præponendam, nec tempore perituram. Sed hæc profecto certiora sunt, quā vt testibus verbisque indigeant. Retulit præterea nobis, fratrem, nescio quem, in declamatione publica insolenter asseuerauisse, Trinitatis apud Christianos diuinæ mysterium apud Platonem ipsum extare, Christianosque familiaria illic primos accepisse. Vos autem à me super hac re tanquam mihi Platonica sint nota, iudicium expectare. Ego igitur extra cōtrouersiam assero, Trinitatis Christianæ secretum in ipsis Platonis libris nunquam esse. Sed nonnulla verbis quidem quamuis non sensu quoquomodo similia. Similiora verè in sectatoribus eius, qui floruere post Christum, in Numenio, Ammonio, Plotino, Amelio, Iamblico, Proclo. Qui cum & omnes Ioannis Euangelium legissent. Et quidam insuper Dionysij Areopagitæ libros, nonnulla trinitati similia libenter vsurpauerunt, ordinesque angelorum & nomina susceperunt, tanquam Platoni su[illegible] Mosis sectatori plurimum consentanea. Quamobrem Aurelius Augustinus quondam Platonicus, & iam de Christiana professione deliberans, cum in hos Platonicorum libros incidisset, cognouissetque Christiana per imitationem ab his probata, Deo gratias egit, redditusque iam est ad Christiana recipienda propensior. quantum verò Platonica Christianis similia sint, ex Epistola quam hac de re ad Braccium Martellum iamdiu scripsi, breuiter intelligere poteris. Hanc enim nunc exscriptam ad te mitto. Vale felix, & me (vt soles) ama, te vehementer amantem. Die I I. Februarii. M. CCCC. XCIV.

Semper aliquid agendum, & , quoad fieri potest, in eodem perseuerandum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Callimacho doctissimo viro, & amico optimo, S. D.

CVm vniuersum hoc, cuius quodammodo partes sumus, semper moueatur, certe nos ab actione motuque vacare, neque possumus vnquam neque debemus, præsertim quoniam primus perpetuusque motus (vt placet Platonicis) est ipsi animæ naturalis, & vita nihil est aliud quam animæ motus & actus, vt quam viuere, tàm profecto moueri & agere necessarium sit, & pariter exoptandum. Sed nunquid ego interim sum ineptus? Oportunius forte fuerat, post diuturnum silentium, rationes negotiorum nostrorum & valitudinis nuntium, statim per Epistolam tibi reddere, quam adeò repente Philosophari. Certe fuerat oportunius mi Callimache. Verum quod tam importune Philosopher, in causa est & diuturnior iam noster vsus & Genius. Tu quoque nobis cum soles per Epistolas sæpe, sed tempestiue & apte semper Philosophari. Pergamus ergo parumper (vt iam cœpimus) vtinam non inepti. Tres præcipui sunt per locum in vniuerso motus. Alia quidem circa idem eodemque modo perpetuo reuoluuntur, alia verò continuè locum situmque permutant, alia partim quidem motu illũ circularem partim etiam rectum hunc imitantur. Homines quoque alij motus alios prosequuntur. Sed vt ego nunc de motu iam meo, nõ alieno, loquar, mihi certe datum est, vt sẽper reuoluar eodem. Quidnam hodie Marsilius agit? Quod & heri. Quid cras acturus? Iterum quod & hodie. Semper, vt vides, intra parietes academiæ voluor, circa idem iterum reuoluor. Quid autem hoc iamdiu circuitu fecerim, rursusque refecerim, atque retexam, intelliges ex catalogo librorum meorum, quem vnà cum libro de Sole legendum ad te mitto, vt clarissimo Phœbi muneris testimonio amicitia nostra præsentibus posterisque refulgeat. Mitto autem triplicem de Sole & lumine codicem, vt non tibi solum ego gratificer, sed tu quoque duobus tuis amicis gratificari possis. Quæ igitur componantur à nobis, ex his ipse percipies. Ego verò te iam res tuas composuisse ex Octauiano tuo & Fedaldis accepi, quod quidem mihi contigit quam gratissimum. Vale feliciter. Die. II. Aprilis. M. CCCC. XCIV.

Sapientes filij sunt Mineruæ, hæc Philosophiam parit, Philosophia Philosophos.

MARSILIVS FICINVS Germano Ganaiensi dilectissimo fratri, S. D.

MIneruam poëtæ celebrant perpetuo virginem, nulla tamen apud superos aut homines filios procreat grandiores, perpetua interim virginitate seruata. Siquidem ipsa solo summi Iouis capite nata, solo similiter capite generat, generat, inquam, pro extinctis gigantibus sapientes quasi heroas gigantibus grandiores. Philosophia quoque perpetua virgo sophię, id est, Mineruæ filia pro sapientibus Philosophos vertice parit. Salue igitur iterum dilectissime mi Germane, quem mihi re vera germanum communis peperit Philosophia mater, cum nollet filios vnquã inter se disiunctos & te (vt scribas) isthuc missa luce traxit in amorẽ mei, & me vicissim transmisso hucusq; ex ipsa luce calore rapuit in amorem tui. Quoniam verò amicorum, præcipue fratrum, omnia debent esse communia, decreui mea omnia tibi ad votum communia fore. Itaque mittam ad te primo quidẽ Dionysii & Platonicorum multorum libros tibi iam exscriptos, quos iamdiu petisti. Deinde commẽtaria in Parmenidem, Quæ tui gratia quotidie exscribuntur. Quibus forte succedent commentaria in Timæum, atque Sophistam. Quæ quidem, Sophistam properant iam ad calcem, transcribuntur interea & Epistolæ recognoscunturque vt cætera. Plotinum enim habere te senseram, nuper autem non scribis habere. Si mitti vis significa. Vale.

Pro libro de Sole.

MARSILIVS FICINVS D. Bernardo Bembo Veneto, S. D.

SOlet vulgaris amor sæpe propter absentiam longam diuturnumque silentium refrigescere, prorsusue deleri. Amorem verò nostrum vtpote singularem, propter hæc neque deferuere vnquam, neque obliterari posse, Phœbus ipse & calore sit pignus, & lumine testis. Die XIX.

Pro libro de Sole.

Marsilius Ficinus, D. Antonio Cronico Veneto.

IOuem quendam amicabilem antiqui colebant amicorum conciliatorem, amicitiæ seruatorem. Sed quasnam potissimum mundi plagas Iupiter hic inhabitat? In Sole forsan posuit habitaculum suum. Siquidem amicitia ab amore dicitur atque ducitur. Amor autem calor quidam est. Amatorius verò ex notitia proficiscitur, à pulchritudine procreatur. Sed Apollo præ cæteris caloris est & notitiæ, & pulchritudinis author. Iupiter amicabilis in hoc Apollineo munere amicitiæ nostræ pignus esto. Die XIV. Augusti. M. CCCC. XCIV.

Quid sentiat de Astrologia.

MARSILIVS FICINVS Angelo Politiano, S. D.

COntra multos Astrologos, qui more gigantum eripere cœlum Ioui tàm frustra quam impiè moliuntur, merito & Picus alumnus Palladis, & tu miles Herculeus sæpe feliciterque certatis. Nempe Palladem Orpheus gigantum expultricem canit, & ab Hercule poëtæ multi gigantem Anteum à terra simul & è vita sublatũ ferunt. Ego autem quid? Profectò tanquam in omni vita vobis vnanimis, in hoc quoque studio conspiro vobiscum, & si forte non decerto strenue, tamen ita plane decerno. Cæteri quidem Platonici, cœlestes imagines quas describunt Astronomi, pro opportunitate commemorãt, neque reprobant eas, neque rursus comprobare student. Plotinus autem talia extra controuersiam ridet. Ego quoque in commentariis meis in eum, tanquam interpres æquè derideo, partim quidem eius authoritate confisus, partim etiam quoniam nullam habeo certam eiusmodi rationem. Multas præterea ibidem Astrologorum regulas in controuersiam simili ratione deduco. Sed in libro de vita, vbi profiteor Medicinam, ac remedia vitæ, vtcumque & qualicumque possum, vndique diligenter exquiro, neque despicio prorsus imagines illas, neque omnes respuo regulas, & si enim arbitror certam iis rationem nullam inesse, tamen vt studiosissimus humanæ Medicinæ curator, remedia non solum sapientibus certa, sed etiam multis probabilia sector, vt subsidia passim accumulem quomodolibet profutura. Nequid denique prætermiserim intentatum, quod ad vitam vtcumque conducturum cuiquam videri possit, nonnulla tamen intersero firmiora, multa quoque passim congero, quæ & si forte minus spero, tamen opto prodesse Quod autem in principio libri tertij dicere videor, imagines ab antiquioribus Platonicis in cœlo dispositas esse, non id equidem volo. Non enim consilium ibi meum est, Platonicos affirmare cœlestium imaginum assertores, de quibus aut nihil, aut parum quid loquuntur. Sed Platonicorum quorundam fuisse sententiam, mundi animam cœlestia sibi corpora peperisse, stellasque cum cœlo, atque vltra stellas singulas, si modo ibi vllæ sint imagines, eiusmodi quoque imagines genuisse. Narro autem illic dispositiones signorum imaginumque non quales apud Platonicos, sed quales apud Astrologos obseruaueris, iam verò quantum imaginibus vel cœlestibus credam, vel arte factis cõfidam, progressio libri declarat. Præterea in libro de Sole, non tàm Astronomica doceo quam per hæc morales allegoriasque ad diuina perquiro. Denique tàm in libris de vita quam de Sole & lumine cum Philosophicis poetica miscens, liberius sum interdum & forte licentius euagatus, cum Plotino parcius seueriusago, vt mihi tandem non ingratum sit futurum, Astrologica portenta fuisse à Pico nostro Mirandula singulariter confutata. Quæ enim ego nusquam affirmo, imò & cum Plotino derideo, explodi à Mirandula gaudeo, superstitiosam præterea vanitatem ab illo tanquam à Phœbo Pithonicum virus extingui tecum Politiane congratulor. Tu enim semper hac in causa, vt vbique soles, Herculem præstitisti. Soles profectò iamdiu hæc Astrologorum prodigia, vt alia monstra, passim acriter insequi, vt non in terris Solem, sed etiam in cœlo monstra fortissimus Hercules expugnaueris. Vtinam denique sicut Herculi, sic & tibi, superata tellus sydera donet, interim in terris viue diu. Vale feliciter. Die XX. Augusti, M. CCCC. XCIV.

Pro libro de Sole.

MARSILIVS FICINVS Bernardo Oricellario Marioti filio, S. D.

CVm & optans amicis lucem, & cupiens eos lumine declarare, operam equidem iamdiu dederim, vt libri de Sole & lumine mei apud omnes amicos meos forent, nimirum, & tu dulcissime mi Ber-

tarde nuper hoc munere donandas accedis, modo videlicet à nobis amatus, quia nuper es cognitus, neque tamen nunc solum, sed & semper amandus, quod autem te vehementer amem, non solum ingenium tuum elegans probitasque facit, sed etiam quoniam charus admodum sis Hieronymo Rossio & omnium mihi charissimo, & præ cæteris luce dignissimo. Sed vt aliquid tecum de lumine commentemur. Si quando inter legendum, illic hæsitaueris, vbi Solem vel lumen dicimus primo creatum, animaduerte quæso, ne forsan intelligas primo creationis momento vel gradu Solem vel Solis lumen fuisse factum, cum Moses ipse dicat. In principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem &c. sed lumen angelicum primo quodam ordinis gradu creatum, lumen verò Solis futurum primo die, Solis denique ipsius globum atque figuram quarto, omnino verò & lumen Solis & globum, *primo* dignitatis inter *cœlestia* gradu. Vale iam & absque hæsitatione lege feliciter.

Commendatio clientis apud Magistratum.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Benino, literis moribusque prædito, S. D.

ERat profecto officii mei ab ipso tui magistratus initio pro beniuolentia nostra non mediocri, tecum non mediocriter gratulari, non solum quod hac dignitate ornatus fueris, sed etiam & multo magis quod Magistratum fores pro dignitate gesturus. Congratulandum quoque fuerat amicis clientibusque meis, quod si vel insontes forent, patrocinium abs te consequuturi essent, vel si rei, saltem indulgentiam quandam, atque clementiam. Noui enim ingenium tuum. Certo scio te (quod Deus ipse agendo præcipit) iustitiam rite cum clementia coniuncturum. Præterea si quid hac in re circa Iouem confabulari licet, hunc Hebræi sedech, id est, iustitiam nominant, & Astronomi Ioui suo iura legesque concedunt. Eundem poëtæ Iouem canunt indulgentiæ plenum, vt prætermittam poëticum illud ad licentiam potius declinans quam indulgentiam. Iupiter esse pium statuit quodcumque iuuaret, satis esto apud Astrologos, Iouem cum legibus afferre vel significare clementiam, in hoc sane Deus cœlitus homines admonuisse videtur, vt in magistratu pariter vtrumque miscerent, sed hæc tu pro ingenio tuo, vt arbitror, satis nosti. Vale feliciter Florentiæ. XXXI. Augusti M. CCCC. XCIV.

Gratiarum actio pro indulgentia in clientem impetrata.

MARSILIVS FICINVS Nicolao Benino literis moribusque prædito, S. D.

CVm bonum atque malum sibi inuicem opponantur, atque idcirco conditiones subeant inter se oppositas, probabile nimirum esse videtur, si bonum tam fœcundum est, vt malum, contra sterilẽ sit futurum. Quantum verò malum crimẽ est, tantum clementia bonum sit, ergo necesse est, vt indulgentia clemens longe fœcundior sit quam crimen atque delictum. Quamobrem si clientis mei delicti Epistolam ad te nostram peperit, multo magis liberalis & clemens indulgentia tua parere rursus debet Epistolam, ac multo meliorem atque maiorem, prima quidem, vt ita dixerim, fuit Iouia, Iouis videlicet comparatione freta, secunda igitur non aliter superatura primam, vel saltem est æquatura, quæ si fuerit Apollinea. Solus enim Sol potest superare Iouem. Quapropter Apollineis auspiciis hæc satis officio in me tuo facere possit, mitto eam ad te Phœbi comitem, Solisq; pedissequam. Lege libenter librum de Sole nostrum tibi dono datum, ac viue feliciter. Die III. Septembris. M. CCCC. XCIV.

De Ioue amicabili & Apolline pro libro de Sole.

Oratio Marsilij Ficini Florentini ad Ioannem Matheronem magni Gallorum regis inclytum oratorem.

ANtiqui Theologi primum, deinde poëtæ, inter cætera numina Iouem amicabilem coluerunt, casti amoris ac firmioris amicitiæ patrem. Qui propterea & ab amore pariter atque amicitia, nomen hoc amicabile reportauit. Cum igitur & Plato noster numinis huius nonnunquam faciat mentionem, sæpe equidem intercommentandum quæsiui, quonam alio hunc Deum nomine clarius appellarem. Diu denique meditanti venit in mentem, vt hunc præcipuè Deum clarissimum, id est, Apollinem nominarem, lucis, caloris, harmoniæ, notitiæ fontem. Iam verò nec vnquam amamus incognita, nec quicquam sine luce cognoscimus, nec absque calore quodam ad amandum aliquando

prouocamur. Præterea & harmonica quædam congruitas est ad amorem & amicitiā necessaria. Rursus, ad amorem sæpe desideratur pulchritudo corporis. Ad amicitiam semper optatur animi pulchritudo: vtraque verò nihil aliud quam splendor quidam esse videtur. Splendoris autem author est Apollo. Omnes itaque rationes cogunt, amoris & amicitiæ fontem Apollinem præcipuè nominare. Nos autem si consabulationis gratia Deorum numerum forte Gentilium more recipimus, Phœbū esse dicemus Deum quendam numenue Soli præfectum inter cœlestia regem: sin ratione potius seria nitimur, Phœbum esse Deum summum asseuerabimus. Cuius Sol cœlestis est imago. Itaque Phœbus ille honesti amoris & amicitiæ firmæ author est, Sol verò significatur. Cum igitur ego Phœbeo quodam sapientiæ virtutumque tuarum splendore singulariter inflammatus, te ardenter amem, affectemque amicitiam ex amore conflare, nimirum & Apollineis auspiciis ad te venio. Salue.

Multifaciendum est laudari à laudato viro.

MARSILIVS FICINVS
Germano Ganiensi viro Virtute præstanti, S. D.

QVæ de excellenti virtute dignitateque tua iampridem è multis audiueram, nuper Cosmus Saffectus, & Laurentius Spinellus testimoniis apud me multis confirmauerunt, viri nobiles, atque testes hac in re profecto locupletissimi. Narrauerunt præterea quanti me facias & quam ardenter ames. Ego verò plurimi facio probari amari que abs te, laude præ cæteris & amore dignissimo: quam igitur tibi gratum sit nostra visere, tàm nobis optabile tibi prorsus gratificari. Videbis, vt spero, mox nonnullos hinc ad te Platonicos venientes. Vidisses & Areopagitam simul platonicorum culmen, si nunc eo habitu, qui & ipsum & te decebat accedere potuisset, exscriptoris & librarij negligencia impediuit accessum. Paucos, vt spero, post dies veniet cum Epistolis. Exscriptum iam tibi est commentarium in Parmenidem. quotidie rescribitur in Timæum. Vale felix, atque (vt cœpisti) charissime mi Germane, Marsilium germanum sub platone tuum ama precor ardenter amantem. Decimo sexto. Octobris. M. CCCC. XCIV.

Pro libro de religione, purgatio de tarda salutatione.

MARSILIVS FICINVS
Ioanni Stephano Equiti & Oratori Mediolanensi clarissimo, S. D.

ET si virtus dignitasque tua & amor ingens erga te meus iamdiu postulabat, vt te vltro frequenterque salutarem, tuorum tamen negotiorum turba interpellare te nisi in re quadam necessaria prohibebat. Nunc igitur cum & minus tibi forte negotij fore putem, & nostra res exigat, vt iampridem par fuerat, te saluto. Salue semper in ipso sempiternæ salutis authore Deo, vir omnium salute dignissime. Nolui equidem ad virum virtutis dignitatisque plenum accedere vacuus, ad inclytum illustrissimi Ducis Oratorē sine duce venire. Ducit itaque me in præsentia Christus veritatis & gratiæ plenus ferentem mecum librum de Christiana religione tractantem. Neque te offendat precor humilis ac pauper libri habitus, siquidem Christiana religio & in primis humilitatem præcipit & libenter paupertatem tolerat. Omnino verò liber Christiana pietate compositus, te decet insignem pietate virum. Præterea duo potissimum amor vt sit perfectus, desiderare videtur, ardorem, inquam, atque firmitatem. Profecto quam te ardenter amem testimonio esse potest Sol ille apud te noster, vt luminis, ita & caloris origo, quam vero firmus noster erga te amor sit futurus, argumentum penes te atque pignus erit præsens de religione liber. Nihil enim religiosa pietate firmius, charitas enim nunquam excidit. Vale felix, meque ama precor iamdiu ardenter amantem. Die IV. Nouembris. M. CCCC. XCIV.

Oratio Marsilij Ficini Florentini ad Carolum magnum Gallorum Regem.

EXcelsa maiestas tua, rex Carole semper inuicte, solet nonnunquam, vt plerique fuerunt, dicere, ad hanc expeditionem mitti diuinitus. Quod quidem nos & vniuersus hic populus Florentinus tuus proculdubio credit, firmiter sperat, vehementer congratulatur. Veri namque simile est & Christianissimum Gallorum Regem à Christo mitti, & Carolum præ cæteris insignem pietate regem, Christiana pietate duci, præsertim cum iter opusque tantum ea mente sis aggressus, vt sanctam Ierusalem sæuissimis Barbaris occupatam, summo humani generis redemptori, denique

ri, denique redimas. Regnum profecto sanctum speramus te facile redempturum. Recepto prius ob iter hæreditario regno, siquidem hoc itinere passim pro viribus vestigia Christi sequaris. Christus rex pacificus pacem volentibus sæpe promittit, idem tu quoque rex Christianissimus singulari pietate præditus promittis, vt audimus, atque vt speramus, profecto præstabis, idque reuera facies, quod pio quondam Eneæ, Æneadumque generi mandatum est à patre. Parcere subiectis, & debellare superbos. Quamobrem cum volentibus pacem, omnibus pacis author sis futurus, tuis præsertim, idest nobis, pacificum te præstabis. Florentinam ciuitatem tuam mirifica pietate vises, Florentiam à flore, id est, à lilio dictam, liliorum vbi que plenam. In propria venies, & tui te tota mente recipient. Tu autem ducem tuum imitatus Christum, clamabis ad populum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Præsens itaque populus & futurus in æuum gratiosum regem Carolum à charitate gratiisque nominatum, his semper vocibus celebrabit: Benedictus qui venit in nomine Domini. Carolus charus nobis, excelsus, rex pacificus. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Hæc, inquam, de tuo splendore populus Florentinus præsens futurusque prædicabit. Totus autem mundus, omniumque communis historia, quæ mox dicam (vt arbitror) recensebit, Carolus Gallorum rex inuictus Cęsarianum illud, dictu magnum, factu maximum. Veni, Vidi, Vici, adeò superauit, vt dicere iam iure possit, nondum veni, necdum vidi, iam vici. Superauit & celebratissimum illum apud omnes Herculem, Hercules enim manibus, igne, ferro, claua, laboribus dicitur pugnauisse. Carolus autem magnus, non tot quidem machinis, sed ferme Iouis instar, solo, vt ita dixerim, nutu concutit orbem, vt iam non Galliæ duntaxat, sed etiam orbis Dominus videatur quandoque vocandus. Quoniam excelsus Carolus videtur missus esse diuinitus ad domandos Turcas, & ad sanctam Ierusalem sic à manifestis hostibus vindicandam, sicut ipse Deus omnipotens humanum genus ab occultis hostibus liberauit.

Cur prouidentia permittat aduersa. Item de vaticiniis remediisque malorum.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Ioanni, Caualcanti amico vnico, S. D.

SÆpe quæritur à Platonicis, cur nam prouidentia diuina permittat semper homines malis innumerabilibus agitari, iustos pariter & iniustos? Summatim ad hæc respondere solent. Primo quidem à mortalibus ignorari, mala ne ista sint an bona. Humanas enim res vmbris, cogitationesque somniis esse consimiles. Huc tendit Propheticum illud, Omnia vanitas. Omnis homo mendax. Respondent iterum etiam si constiterit, quæ mala videntur, quodammodo etiam esse mala. Denique malum ab ipso summo bono permitti duntaxat gratia boni. Res enim difficiles & aduersæ vitium quidem curabile purgant, incurabile verò puniunt. Illic igitur purgationis, hic iustitiæ lucet bonum. Boni quinetiam homines in aduersis discernunt à malis & exercentur atque probantur. Probatio verò & profectus & constantia bonum. Operæpretium est præterea diligenter considerare Platonicum illud in Phædro, de venefica mali dæmonis astutia dictum. Dæmon aliquis statim ab initio vitiis quam plurimis immiscuit voluptatem. Hæc quidem ibi Socrates, inquit, admonens, malorum dæmonum præcipuum esse studium, animas seorsum à cœlesti patria in hoc exilio diutius detinere superni patris oblitas, longasque machinari moras illecebris oblectamentisque terrenis, quibus profecto quasi poculis veneficæ Circes, soporiferisque Syrenum cantibus delinitæ, nunquam aut certe tardius in cœlestem patriam reuertantur. Contra verò dæmonicas insidias benefica prouidentia Dei statuit, dulcibus quidem his lætiferisque saporibus, sapores amaros interim commisceri, ne ab eiusmodi voluptate, quam Timęus malorum escam nominat, capiamur, vt pisces ab hamo. Hanc vtique Platonici, præcipue Plotinus atque Synesius magna, ex parte causam esse putant, vt diuina prouidentia tot tantisque perturbationibus animos in terris vexari voluerit. Huc tendit Platonicum illud in libro de scientia, consonum euangelio, iamdiu, dilectissime mi Ioannes, ad te scriptum, ac breuiter declaratum. Impossibile, inquit, est Theodore mala funditus extirpari, necessarium enim est semper aliquid bono subcontrarium es-

se, apud superos quidem esse mala non possunt. Per mortalem verò naturam locumque hunc inferiorem necessario reuoluuntur. Quamobrem conandum est, vt hinc illuc quam celerrime fugiamus. Fugere verò illuc, est pro viribus se similem Deo reddere, similes verò nos Deo faciunt, iustitia, & sanctitas cum prudentia. Hæc Plato declarat, nos ob eam maximè causam, fugam hinc ad Deum aliquando meditari, vt mala quæ necessariò nos hic affligunt, effugiamus, ex hoc videlicet mortali malo, sempiternum illud reportaturi bonum. Iam vero nec vllus nisi vexatus morbis, cognoscit aditque medicum, neque nautæ, nisi fluctibus agitati, gubernatoris prudentiam admirantur, mortales profecto tàm habetes sunt, vt bonum non aliunde prorsus cognoscant quam ex comparatione malorum, tàm ingrati, vt Deum bonorum omnium largitorem non facile colant, nisi malis oppressi. Quamobrem morbis perturbationibusque frequentibus cruciati, ad Deum ipsum tanquam ad medicum opitulatoremque confugere compelluntur. Coguntur quoque cognoscere, non terrenam quidem prouinciam vbi anguntur assiduè, nunquam verò quiescunt, suam fore patriam, sed cœlestem. Nulla verò potior assignari causa potest, ob quam mala Deus & aduersa permittat, quam ratio Euangelica docens, cæcos mutilatosque nasci nonnunquam admirabilem Dei potentiam bonitatemque hominibus declarandam. Mala videlicet hominibus incurabiliter curaturam. Quemadmodum & morbi fluctusue non quilibet, sed grauissimi, medicum gubernatoremue summum testificari solent. Sæpe igitur homines & priuatim & publicè, tam extremis vndique coërcentur angustiis, vt nusquam pateat exitus, nulla iam speretur humana salus, sed tamen diuina bonitas & potestas filiis suis pia mente supplicitur obsecrantibus propitiam porrigens ex alto manum declarat, Deum solum esse in extremis calamitatibus seruatorem. Idque tunc quidem demonstrat apertius, quando discrimina tanta diu prius quæ veniant, per Prophetam quendam ventura prædixerit. Medici quidem humani officium est, & si minus sanitatem, saltem semper præstare pronosticon. Diuini vero pariter vtrumque complecti. Et si horum exempla ex sacris literis licet afferre quamplurima, quæ omnibus sunt in promptu. Meum tamen consilium est in præsentia, quid & semper fuit in lucem minus nota proferre, mysteriaque Christiana quoad possem Platonicis confirmare. Audi igitur, mi Ioannes, tàm diuinorum cultor, quam studiose Platonicorum, quibus verbis apud Platonem Socrates diuinum consilium circa malorũ humanorum remedia Prophetasque confirmet, sic enim loquitur in Symposio. Sacerdos Diotima fatidica mulier diuinorũque perita, pestem prædixit Atheniensibus imminentem. Itaque sacris decennio ante pestem peractis, morbi dilationem dedit. Item sic in Phædro, si referamus Sibyllam, & alios quicumque vsi sunt vaticinio quam multa prædicentes in futurum profuerint, prolixum nimis extendemus sermonem, ac rem manifestam omnibus proferemus. Et paulo post inquit, Antiqui testificantur vaticinium diuino quodam furore profectum, coniectura prudentiaque humana supra modum præstantius esse. Atqui aduersum morbos laboresque grauissimos ob antiqua delicta quandoq; diuina indignatione mortalibus imminẽtes, diuinus Gentibus quibusdam aliunde furor adueniens, & futura prædicens, quibus opus erat, remedia mirabiliter adinuenit, confugiens ad vota cultusque diuinos. Vnde expiationes, propitiationesque consequutus incolumẽ reddidit possidentem, & in præsens tempus & in futurum absolutionem præsentium malorum recte furenti occupatoque adeptus. Hæc ibi præterea in libro legum primo, Plato sic inquit. Epimenides Cretensis, vir diuinus decem annos ante Persicum bellum, Dei Oraculo monitus, peruenit Athenas, & sacrificia quædam Dei oraculo edita fecit, Atheniensibusque Persicam formidantibus classem, prædixit decennio Persas nõ venturos, & postquam venerint infecta re discessuros. Eiusmodi sane virum Plato omnium sapientissimum esse censet, quamuis sæpe vulgo stultissimus habeatur. Itaq; in Phædro scribit mirabile quiddam hunc in modum. Diuinis meditationibus, qui recte vtitur, perfectisque mysteriis semper imbuitur, perfectus reuera solus euadit, ab humanis autem studiis segregatus, diuinoque inhærens, carpitur à multitudine, quasi extra se positus, sed ipse Deo plenus, multitudinem latet. Posthæc Plato cum Prophetam & sacerdotem diuinis occupatum, sapientiæ humanæ longo admodum interuallo præposuisset, describit mentem quandam diuino prorsus amore flagrantem, ecstasimque amatoriam patientem, atque furorem alienationemque huiusmodi, non solum humanæ prudentiæ, sed diuinis etiam muneribus omnibus anteponit. Vbi plane comprobat Apostolicum il-

lud. Maior horum charitas. Mitti ante Prophetas à Deo, & qua ratione mittantur, Auicenna etiam in libro diuinorum multis rationibus Platoni consentit. Sed longioribus iam digressionibus prætermissis, ad institutum breuiter redeamus. Animaduersione profecto non mediocri dignum est, quod in superioribus, inquit Plato, propter antiqua delicta indignatum Deum calamitates hominibus quodammodo destinasse. Hinc asseueratur oraculum illud, propter peccata veniunt aduersa. Illud quoque Mosaycum, ex primorum delicto parentum, aduersa nobis omnia contigisse. Vbi præterea subdit Plato, Deũ tanquam misericordia quadam affectum, frequenter afflare Prophetas, futura nobis flagella prænuntiaturos, vt hinc admoniti ad vota expiationesque sacras confugiamus, quibus rite peractis, incolumes frequenter euadimus, ibi profecto, omnia videtur ecclesiæ nostræ mysteria comprobare. Proinde ne forte rei tantæ longius exempla petantur: Nonne propter multa delicta, postremum huic vrbi hoc autumno exitium imminebat, nulla prorsus hominum virtute vitandum? Nonne diuina clementia Florentinis indulgentissima, integro ante hunc autumnum quadriennio nobis istud prænuntiauit, per virum sanctimonia sapientiaque præstantẽ Hieronymum ex Ordine prædicatorum, diuinitus ad hoc electum? Nonne præsagiis monitisque diuinis per hunc impletis, certissimum iamjam supra nostrum caput imminens exitium, nulla prorsus virtute nostra, sed præter spem opinionemque nostram mirabiliter euitauimus? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Reliquum est, optime mi Ioannes, vt deinceps salutaribus tanti viri consiliis obsequentes, non solum ego atque tu, sed omnes etiam Florentini, Deo nobis clementissimo, grati simus, & publica voce clamemus. Confirma opus hoc Deus quod operatus es in nobis Die XII. Decembris. M. CCCC. XCIV.

Gratulatio pro literis diu expectatis.

MARSILIVS FICINVS Germano Ganaiensi dilectissimo suo, S. D.

EAdem tempestatis huius iniquitas & tuas ad me & meas ad te sępe literas intercepit. Heri tandem vicit iter durum pietas, expectatamque diu tuam mihi concessit Epistolam. Surge mea nunc Epistola præsens, I nunc ad decus nostrum, melioribus vtere fatis, sed quidnam primo scribam? Certe quod in primis contigit mihi gratissimum, me videlicet & commendatum esse per Epistolam tuam fratri tuo Ioãni, Achati regio Parisijs præsidẽnti. Id quidem operæpretium nobis fuit & erit. Nam Italia ferme tota, certe Tuscia omnis, præsertim Florentia, externis pariter & internis quotidie tumultibus agitatur. Conueni equidem hic apud excelsum Regem vestrum superioribus diebus Ioannem nostrum, virum frequenti salutatione dignissimum, eiusque conspectu non solum ob splendorem suum, gratulatus sum, sed etiam ex hoc valde congratulatus, quod in egregio fratre tuo Charissimum meum videre videbar, me interim in præsentibus angustiis consolantem. Proinde & si professio nostra est vacuæ mentis opus, pergo tamen inter hos strepitus in Platonicis commentationibus assidue quoad possum, eas propediem (si Deus aspirauerit) perfecturus.

Pia Platonis sententia, de amicis, & inimicis Dei.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Caualcanti amico Vnico, S. D.

COntuli heri tecum & cum genero tuo Gerardo Ianfilatio pio viro, quid in Philebo Plato de amicis Dei sentiat, vel inimicis. Placuit ergo tibi vt ipsa verba Platonis ad te scriberem, & quæ ibidem sit expositio nostra. Accipe igitur atque lege feliciter. Verba Platonis hæc sunt. Vir iustus & pius & probus nonne Deo amicus est? Iniustus autem & improbus inimicus? Est profecto. Plurima quidem spe vnusquisque ducitur. Interiores enim sermones quidam sunt in vno quoque nostrum, quos & opiniones & spes nominare solemus, sunt quinetiam Phantasmata picta. Nam cuique licet fingere se cumulum auri maximum possidere, oblectamentisque variis abundantem, omni suauitate perfundi. An non dicendum, opiniones imaginationesque eiusmodi bonis viris, quia Deo amici sunt, veras frequenter euadere? malis autem sæpe numero falsas? Dicendum certe. Prauis vtique viris oblectationes quædam adsunt, sæpe confictæ, ac denique falsæ, falsis igitur voluptatibus praui sæpe numero gestiunt. Homines autem boni gaudiis semper veris aluntur. Hactenus Plato. Sequitur expositio nostra. Bo-

nus vir à Platone censetur, qui in se quidem temperatus, ad Deum autem pius est, ad homines verò iustus. Animus eiusmodi propter similitudinem Deo præ cæteris est amicus, malus autem propter dissimilitudinem inimicus. Itaque cum Deus & moueat intrinsecus, & vbique prouideat, nimirum opiniones & imaginationes spesque bonorum virorum, veræ frequenter euadunt, malorum verò falsæ, vtrique gaudia quædam excogitant, optant, sperant, hæc bonis viris tanquam diuinis atque veridicis, vera sæpe contingunt, malis verò falsa, mali enim tanquam sibimet mendaces, sicut frequenter opinione falluntur, ita falsa sæpius oblectamenta confingunt. Denique si prauis tanquam à diuina veritate discordibus, succedere spes non debent, sæpe tamen in externis successum habere videntur, sequitur saltem, vt intrinsecus non succedant, semper ergo solicitantur intus atque languent, eorumque voluptates similes sunt falsis voluptatibus ęgrotantium, somniantium, insanorum. Die xx. Decembris. M. CCCC. XCIV.

Pro libro de Sole.

MARSILIVS FICINVS Ioanni Ganaiensi dignissimo Parisij præsidenti, S. D.

CVm propter hospitum domesticorum turbam, publicos tumultus, tranquille isthic Philosophari non possem, Philosophicum tamen officium mihi perpetuum intermittere nollem, in rusticam solitudinem ex vrbe secessi. Sed antequam discederem, exoptatum mihi diu splendorem tuum sæpe quæsiui. Quem denique nondum salutaui præsentem, hunc absentem munere quodam Phœbeo saluto. Siquidem ipse Phœbus, quæ forte non tangit globo, radiis interim attingit vbique, splendor quin & tuus suis hucusque radiis me contingit. Per ipsum luminis Phœbei calorem te obsecro splendidissime mi Ioannes, vt Marsilium ames ardenter amantem Vale.

Pro libro de Sole.

MARSILIVS FICINVS Paulo Veronensi, insigni doctrina viro, S. D.

VIdere tē quidem Florentiæ licuit, idque admodum mihi gratum contigit. Gratissimum quoque fuisset, præsidentem Parisij visere, virum aspectu dignissimum. Quanquam si vos inuicem ea, vt arbitror, charitate deuincti estis vt sit alter in altero, cum primum aspexi Paulum, in Paulo introspexi Ioannem, ita profecto Phœbus dum splendore foris aspicit, calore interim (vt ita loquar) introspicit, denique per ipsum Phœbeum munus, quod ad te quoque mitto, te vehementer obsecro, vt Apollineo Ioanni me sæpe commendes. Vale.

Finis duodecimi & vltimi libri Epistolarum Familiarium Marsilij Ficini Florentini. Deo gratias. Amen.

In hoc opusculo de Sole & Lumine quædam sunt quæ in aliis Marsilij operibus quoque reperiuntur, sed cum author ipse hoc compendium gratificari & consulere nimirum volens iis, qui magna volumina non potuerunt habere, scripserit, mutare nihil voluimus.



MARSILII FICINI

IN LIBRVM DE SOLE, ad magnanimum Petrum Medicem,

PROOEMIVM.



Nouam Platonis interpretationem auspiciis iamdiu tuis incœptam Magnanime Petre quotidie prosequor, atque (vt te non latet) crebrioribus articulorum distinctionibus, longioribusque quantum res ipsa postulat, argumentis explano. Itaque cum nuper ad mysterium illud Platonicum peruenissem, vbi Solem ad ipsum Deum artificiosissimè comparat, placuit rem tantam aliquanto latius explicare, præsertim quia Dionysius noster Areopagita Platonicorum primus, cuius interpretationem in manibus habeo, similem Solis ad Deum comparationem libenter amplectitur. Dum igitur ad Solem hunc quasi lucernam pluribus iam noctibus lucubrarem, cogitaui rem hanc electissimam ex opere magno seligere, & proprio commendare compendio. Idque de Sole mysterium quasi Phœbeum munus, ad te potissimum & Phœbi Musarum ducis alumnum, & Musarum patronum mittere, cui etiam vniuersa hæc noua Platonis interpretatio dedicatur, vt hac interim luce quasi Luna quadam, quale futurum sit Platonicum opus totum tanquam Sol ad Lunam, augureris, ac si quando Platonem meum, imò iamdiu vestrum amauisti, posthac lumine hoc accensus ardentius ames, & tota mente complectaris amatum.



MARSILII FICINI

VERBA AD LECTOREM, librum hunc allegoricum & anagogicum esse potius quam dogmaticum.

CAPVT PRIMVM.



Ythagoricum præceptum est, magnanime Petre, profectò diuinum, de rebus mysteriisque diuinis absque lumine non loquendum. In quibus (vt arbitror) verbis non id solum sapiens ille significat, nihil in rebus diuinis audendum, nisi quatenus ipsa Dei lux illinc afflatis mentibus patefecerit, sed etiam admonere videtur, ne sine huius manifestæ lucis comparatione ad occultam diuinorum lucem vel percipiendam, vel declarandam proficiscamur. Ab hac igitur nos ad illam non tàm rationibus in præsentia, quam com-

parationibus quibusdam deductis ex lumine, pro viribus accedemus. At verò tu interim, accuratissime lector, vtinam & nobis indulgentissime, Apollinei modo & quasi poëtici sub Sole permissi memor, seueriora posthac à nobis, &(vt Græci aiūt) dogmatica ne exigito. Allegoricam equidem duntaxat & anagonigam ingeniorum exercitationem, fideiussore Phœbo, cuius hæc sunt munera, sum pollicitus. Non disputant vnquam cum Apolline Musæ, sed canunt. Ipse quinetiam Mercurius primus disputationum artifex, & si cum Saturno vel Ioue tractat grauia, tamen cum Apolline ludit. Ille quidem non apte solum iocantur, sed diuinè. Nos autem vtinam saltem non inepte ludamus. Sed iam nostra hæc luminis qualiacunque futura sint acturi præludia, ipso bono, id est summo Deo feliciter inspirante, prodeamus in lucem.

Quomodo Solis lumen sit ipsi bono scilicet Deo, simile.

CAPVT II.

RES nulla magis quam lumen refert naturam boni. Primo quidem lumen in genere sensibili purissimum eminentissimumque apparet. Secundo, facillime omnium, & amplissime, momentoque dilatatur. Tertio, innoxium occurrit omnibus atque penetrat, & lenissimum atque blandissimum. Quarto, calorem secum fert almum, omnia fouentem, & generantem, atque mouentem. Quinto, dum adest inestque cunctis, à nullo inficitur, nulli miscetur. Similiter ipsum bonum totum rerum ordinem supereminet, amplissime dilatatur, mulcet, & allicit omnia. Nihil cogit, amorem quasi calorem habet vbique comitem, quo singula passim inescantur, bonumque libenter asciscunt. Vbique rerum penetralibus præsentissimum, commertium cū rebus nullū habet. Denique sicut ipsum bonum inæstimabile est, atque ineffabile, ita ferme lumen. Hoc enim nullus adhuc definit Philosophorum, vt nihil lumine clarius sit alicubi, nihil rursus videatur obscurius, sicut bonum & notissimum est omnium, & pariter ignotissimum. Quamobrem Iamblichus Platonicus huc postremo confugit, vt lumen, actum quendam & imaginem perspicuam diuinæ intelligentiæ nominaret. Quemadmodum emicans è visu radius est ipsius visus imago. Forte verò lumen est ipse visus cœlestis animæ, vel visionis ipsius actus ad exteriora porrectus, eminus quidem agens, cœlum interea non relinquens, sed semper ibi continuus, exterioribus non permixtus, videndo agens simul atque tangendo. Nos saltem lumen solemus dicere vestigium quoddam vitæ mundanæ, quasi proportione quadam seipsam oculis offerentis. Vel quasi spiritum vitalem inter mundi animam, atque corpus. Sed de hoc in Theologia nostra satis diximus. Quamobrem vbi multas supra cœlum mentes Angelicas quasi luces, earumque ordinem & inuicem & ad vnum Deum patrem luminum asseuerare studes, quidnam tibi longis inuestigationum amabagibus opus erit? Cœlum suspice precor cœlestis patriæ ciuis, cœlum ad hoc ipsum perspicue declarandum ordinatissimum à Deo factum, atque patentissimum. Cœlestia igitur tibi sursum conspicienti, statim per ipsos stellarum radios tanquam oculorum suorum aspectus atque nutus enarrant gloriā Dei, & opera manuum eius nuntiat firmamentum. Sol verò maximè Deum ipsum tibi significare potest. Sol tibi signa dabit, Solem quis dicere falsum, audeat? Ita demum inuisibilia Dei, id est, Angelica numina per stellas potissimum intellecta conspiciuntur, per Solem vero sempiterna quoque Dei virtus atque diuinitas.

Sol cœlestium illuminator & Dominus atque moderator.

CAPVT III.

SOl tanquam manifestus cœli Dominus omnia prorsus cœlestia regit, & moderatur. Magnitudinem eius ingentem qua centies sexagies terram continere putatur in præsentia prætermittam. Principio lumen stellis omnibus inserit. Siue natiuum illæ per se lumen exiguum habeant (vt nonnulli suspicantur) siue nullum (vt plurimi putant.) Deinde illud imprimis ex signis XII. viuum, vt inquit Haly & Abraham, dicitur, & apparet effectu, quod Sol eo tempore vegetat. Imò vero duo vtrinque signa Sol tanta virtute complet, vt vtrumque spatium apud Arabes ductoria Solis, id est regium solium appelletur. In quo planetæ dum sunt, incendium tamen interea deuitantes, virtute mirifica pollent. Præsertim si in hoc ipso interuallo positi Planetæ quidem superiores exoriantur ante Solem, inferiores vero post Solem. Rursus signum illud in quo regnat Sol, id est Aries, caput inde fit

signorum caputque in quolibet viuente significat. Illud quoque signum quod Solis, est domicilium, id est Leo, & cor est signorum, & in quolibet viuente cor obtinet, iam vero cum Sol peruenit ad Leonem, epidimiam quasi Pythonicum venenum in regionibus multis extinguit. Præterea semper ab ingressu Solis in Arietem annua totius orbis fortuna dependet. Et hinc quidem proprie natura Veris. Ab ingressu autem Solis in Cancrum, æstatis qualitas iudicatur. Ab introitu in Libram, autumni natura. Ab accessu in Capricornum, hyemis qualitas inuenitur. Comperta videlicet ibi præsenti figura cœlestium. Merito cum tempus à motu dependeat, Sol per quatuor signa mobilia, tempora quatuor anni distinguit. Item à reditu Solis in natiuitatis vniuscuiusque gradum atque minutum sua cuique varia per annum fortuna reuoluitur. Accedit ad hæc quod motus Solis tanquam primi & principis planetarum, vt Aristoteles inquit, simplicissimus est, nec à medio discedens Zodiaco, sicut cæteri, neque regrediens.

Conditiones Planetarum ad Solem.

CAPVT IV.

ITem certa quædam in cœlis ab ipso Sole vbique spatia definita videntur, quæ cum primum peregerunt Planetæ, motum habitumque permutant. Nam Saturnus Iupiterque & Mars per tertiam à Sole cœli partem in conspectum Solis trinum peruenientes, mutato statim motu, vel ante vel retro mouentur. Si orientales à Sole fuerint, regrediuntur, si occidentales, progrediuntur. Venus Mercuriusque breuiora quædam, certa tamen à Sole & ad Solem spatia peruagantur. Venus quidem vltra, XXXIV. Mercurius autem XXVIII. gradus discedere prohibetur. Luna in quouis aspectu Solis figuram mutat atque naturam. Et quasi Sol alter ætates quatuor agens, quatuor anni tempora repræsentat. Et quoties Soli coniungitur, ab ipso gradu coniunctionis cœlique figura declarat mensis futuri naturam. Proinde Planetæ omnes cum primum cor Solis attingunt, cæteris eo tempore, quamuis exiguo, dominantur. Aliter verò propinquantes Soli solito interim officio vacant. Congrediens quidem cum Sole Saturnus rigiditatem pristinam, Mars quoque solitam ferocitatem ponere iudicatur. Planetæ superiores quatenus ad eos Sol accedit, ascendunt, quatenus verò discedit, contra, descendunt. Coniuncti quidem Soli sunt Epiciclo summi. Oppositi vero sunt infimi. In quadratura sunt altitudine medij. Luna vtrobique in perferente sublimis existit, in quadratura descendit. Venus atque Mercurius, si progredientes coniungutur Soli, excelsi sunt, si regredientes, infimi. Neque fas est Planetis Epicicli sui prius explere circuitum, quam Solem quasi suum Dominum coniunctione reuiserint, in his quæ diximus videntur profecto planetæ superiores, quando in conspectu Solis trino gressum mutant, regium reuereri Solis aspectum. Et coniuncti cum Sole ideo esse summi atque directi, quoniam sunt interim cum rege concordes. Contra verò quando discordes sunt id est, oppositi, retrogradi sunt & infimi. Venus atque Mercurius quando Solem attingunt, si recti tunc incedunt, id est, obedientes Domino, sublimes euadunt. Sin obliqui, quasi rebelles, interea sunt obiecti. Luna verò si etiam opposita Soli est sublimis, nullam nobis admirationem debet afferre. Quid enim Lunæ lumen est, nisi idem ipsum Solis lumen hinc & inde lunari speculo repercussum? atque in plenilunio in Solem è conspectu refluxum. Descendere autem Luna videtur in quadratura, quoniam torua tunc Dominum intuetur. Rursus sicut Sol non refert pedem, ita neque retrocedit, Luna epicicli velocitate præueniente regressum. Luna denique virtute solari, vbi in via Solis septentrionem petit ingenti Draconis capite constituto signis ibidem augmentum præstat. Vbi verò meridiem, decrementum cauda proiecta, planetæ omnes orientales à Sole facti, vel occidentales conditionem vtrobique mutant, atque cognomen. Omnes quidem verentur Solis viam, quam eclipticam nominant. Inferiores planetæ magis deinceps atque magis. Fœminæ denique scilicet Luna Venusque maximè. Ideo plurimum digrediuntur in latus. Omnes denique vel in hoc tramite collocati, vel hinc digressi rursus ad septentrionem interim aut meridiem procedentes, conditionem vbique mutare putantur. Luna generationis Domina, nullum habet manifestum nisi à Sole lumen. Atque ex perfecto Solis aspectu omnium cœlestium vires accipit, vt inquit Proculus, quasi in Sole sint omnes, viresque similes ad nostra demittit.

Virtus Solis in generationibus atque temporibus, in genesi & in omnibus.

CAPVT V.

DEnique in cuiusque hominis natiuitate ipse Lunæ locus declarat Dominum genituræ, conceptionisque momentum. Et Lunæ cum Sole coniunctio vel oppositio ante hominis ortum facta, veritatem natiuitatis aperit, & fortunam. Atque in præsenti figura ea cœli portio in quam incidit pars fortunæ natiuitatis dæmon dicitur ab antiquis portenditque, vel ducit (vt placet Aegyptiis) totius vitæ tenorem. Partem verò fortunæ designat spatium inter Solem primo, atque Lunam obseruatum, deinde áb ascendente gradu proiectum. Proinde Astronomi per motum Solis iam compertum Planetarum motus inueniunt, atque metiuntur. Et Sol motu suo noctes diesque distinguit, & horas, & menses, & annos. Lumine pariter & calore generat, vegetatque, & mouet, & regenerat omnia, & exhilarat, atque fouet, & quæ occulta fuerant, primo aduentu efficit manifesta, accessuque vicissim atque recessu quatuor efficit anni partes, & regiones nimium à Sole remotæ, semotæ pariter sunt à vita. Ver quidem est temporum optimum, quoniam ab Ariete regno Solis incipit. Autumnus vero pessimum, quoniam à Libra casu Solis exordia sumit. Natiuitas postremo diurna communiter existimatur melior quam nocturna, & illa quidem ex Sole plurimum, hæc vero iudicatur ex Luna tanquam speculo Solis. Cœlestem in natiuitate figuram in partes duodecim patiuntur.

Vbi cum nonam quidem Soli, tertiam vero Lunæ destinent, illam profecto Deũ nominant, hanc Deam, & optima quæque significare putant sapientiam, fidem, religionem, gloriam sempiternam. Hæc enim omnia Sol & omnem simpliciter veritatem & vaticinium regnumque significat. Accedit ad hæc, quod quatenus Sol ad medium ascendit cœlum, vitalem, & animalem spiritum in nobis mirificè fouet. Quatenus vero descendit, spiritus vterque debilitatur. Quamobrem Dauid omnipotentis tuba Dei, diluculo ad citharam & carmina surgens, atque interea clamans, Vanum est vobis ante lucem surgere, Solem declarat ad nos venientem, bona secum nobis cuncta referre, spiritusque nostros excitatos illuminatosque mirabiliter ad sublimia reuocare. Mitto quod Sol, vt ferunt, quasi vates accessu suo vaticinia quædam sobriè dormientibus afferre putatur. Luna quoque Solis, quam Aristoteles minorem appellat Solem, spiritum humoremque naturalem ascendendo similiter recreat, deserit descendendo. Et quo magis lumine Solis abundat, eo magis est omnibus salutaris. Mitto nunc quemadmodum obseruanda sit ad Solis aspectum Luna lumine non deficiens in hoc signo deinceps, atque illo significante membrum hoc & illud, Atque ita per Lunam à Sole traiicienda virtus cœlestiũ omnium ad membra fouenda per Medicinas eo tempore rite compositas. Satis enim de his in libro de vita iam diximus.

Antiquorum laudes in Solem, & quomodo cœlestium vires in Sole & à Sole sunt omnes

CAPVT VI.

QVas ob res Orpheus Apollinem viuificum cœli oculum appellauit. Atque summatim hæc quæ dicam ex hymnis Orphicis congregantur. Sol oculus æternus omnia videns. Supereminens cœleste lumen, cœlestia temperans, & mundana. Harmonicum mundi cursum ducens, siue trahens. Mundi Dominus, Iupiter immortalis mundi oculus circumcurrens, habens sigillum, omnia mundana figurans. Luna stellis grauida, stellarum Luna regina. Hæc Orpheus. Apud Ægyptios Mineruæ templis aureum hoc legebatur inscriptum. Ego sum quæ sunt, quæ erunt, & quæ fuerunt. Velum meum reuelauit nemo. Quem ego fructum peperi, Sol est natus. Vbi apparet, Solem Mineruæ, id est, diuinæ intelligentiæ partum, florem fructum, esse. Theologi veteres, eodem Proculo teste, dicebant reginam omnium iustitiam è medio Solis throno per cuncta procedere, omnia dirigentem. quasi Sol ipse sit omnium moderator. Iamblichus Ægyptiorum sententiã ita narrat. Quicquid habemus boni, habemus à Sole, videlicet, vel ab ipso solo, vel si & ab aliis, id quidem vel à Sole absolutum, vel à Sole per alia. Item Sol elementalium omnium virtutum Dominus. Luna virtute Solis generationis domina. Ideo Abumasar per Solem, inquit, & Lunam vitam cunctis infundi. Moses cœlestium Dominum in die Solem putat, in nocte Lunam, quasi nocturnum Solem. Solem quasi Dominum omnes in mundo medium, quamuis ratione diuersa, collocauerunt. Chaldæi quidem medium Planetarum, Ægyptij vero inter duos mundi quinarios, nẽpe super

hunc Planetas quinque, sub hoc Lunam & quatuor elementa. Propinquiorem verò terræ quam firmamento positum à prouidentia putant, vt eius feruente spiritu & igne, Lunæ aëris, aquæ humor, & crassa terrenorum materia foueretur. Alia quoque ratione medium ipsa planetarum prosperitas declarauit. Quæ quidem dispositionem eorum ad Solem eiusmodi postulat, in qua Saturnus, Iupiter, Mars, oriantur ante Solem. Venus autem & Mercurius atque Luna post Solem, quasi regem agentes itinere medium. Incedentes aliter, debiliores euadunt Inter illos autem præstantiores habentur, quos ipse Sol Dominus præcedere iussit. Sed redeamus ad priscos. Physici veteres, Solem cor cœli nominauerunt. Heraclitus luminis cœlestis fontem. Plerique Platonici in Sole mundi animam collocarunt, quæ sphæram Solis totam implens, per globum illum quasi igneum tanquam per cor effundit radios, quasi spiritus, inde per omnia, quibus vitam, sensum, motum vniuerso distribuit. His forte de causis Astrologi plerique putant, sicut Deus solus intellectualem nobis animam tribuit, ita solum sub influxu Solis eam mittere, id est quarto duntaxat mense post conceptum. Sed hoc illi viderint. Mercurius certe motum mentis nostræ significans, motu minime omnium discedit à Sole. Saturnus denique significans statum segregatæ mentis Eclypticam minime deserit. Præterea Iupiter atque Mars, quoniam ille per Sagittarium suum, hic per Arietem cum Leone congruunt Apollineo, tantum adepti sunt munus, vt Iupiter quidem religiosam iustitiam legesque ciuiles atque prosperitatem significaret, Mars ante magnanimitatem & fortitudinem atque victoriam. Luna, Venus, atque Mercurius Solis comites appellātur, Luna quidem ob frequentem cum Sole coitum vel aspectum. Venus autem atque Mercurius vltra vicinitatem propter æqualem cum Sole progressum. Hinc igitur vniuersæ generationis imperium acceperunt. Siquidem humidior Luna in coitu conspectuque Solis, vitalem calorem nacta, rebus subinde generandis humorem suggerit calentem atque vitalem. Mercurius autem duo hæc partesque omnes in rebus gignendis numerosa quadam proportione commiscet. Venus autem eiusmodi mixtionibus decentes adhibet formas, & gratiam, atque lætitiam. Sol profecto quemadmodum lumen totum in se collectum per varias distribuit stellas inter se specie differentes, sic & omniformes virtutes cum omniformi lumine digerit. Ex quo perspicue coniectare licet, tot saltem Soli virtutes inesse, quot stellæ in cœlis existunt.

Dispositiones signorum & planetarum circa Solem atque Lunam.

CAPVT VII.

PRoinde Solem esse regem, Lunamque quæ Solis & soror est, & coniunx, esse reginam cœlestium, ipsa signorum in Zodiaco dispositio manifeste declarat Leo. enim Solis & Cancer Lunæ sedes se contingunt. Item Aries Solis, & Taurus Lunæ regnum. Cæteri verò planetæ sedes quisque suas circa regem reginamque vndique quasi medios circumponunt. Mercurius hinc quidem prope Leonem habet Virginem, inde vero prope Cancrum habet Geminos. Venus autem hinc Libram, inde Taurum Mars quoque hinc Scorpiū, illinc Arietem. Iupiter hinc Sagittarium, inde Pisces. Saturnus hinc Capricornum, illinc Aquarium. Sed olim cum ita Planetarum sedes ad Solem Lunamque disponerem, familiaris meus Bindanius Recasolanus profundo vir iudicio, sic obiecit. Videsne Marsili, sedes easdem quamuis ordine conuerso, eisdem tamen gradibus ad Saturni domos esse vtrinque dispositas? Video, inquam, hoc ipsi Soli præcipue conuenire, interim verò altissimo etiā Saturno contingere. Quid verò, si hoc Saturnus dignus est honore, quoniam minime omnium à regia Solis via præuaricari videtur. Sed redeamus ad institutum. Quinque igitur hi Planetæ duas quisque sedes habent. Vnam quidem Solem quasi à tergo sequentem, alteram in conspectu Lunæ illæ nominantur occidentales à Sole, hæ orientales à Luna. Veruntamen totum Zodiacum Sol & Luna sibi vendicant. Nam prouincia Solis, Leonem, Virginem, Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum, occupat. Prouincia Lunæ, Aquarium, Pisces, Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum. Forte verò Cancrum hominum portam appellauere, quoniam Sol ibi descensurus propemodum iam videtur. Capricornum verò deorum portam, quoniam ibi Sol statim videtur ascendere. Sed hæc aliter quoque alibi declarauimus. Profecto duo hæc signa & Aries simul atque Libra dignitatem sibi vendicauerunt, vt cœli cardines vocarentur, quoniā ibi mutationes quatuor temporum Sol decernit, & quoniam per Arietem Sol incedens atque Libram, medium

in ascensu vel descensu tenet cursum, diemque cum nocte librat, ideo circulus ab Ariete productus in Libram, Mineruæ, id est, sapientiæ iustitiæque circulus apud Ægyptios nuncupatur. Cœlestium quidem ordo tam mirabilis declarat mundum non fortuna, sed prouidentia constitutum. Atque obseruantia quædam omnium ad vnum Solem cunctorum moderatorem ostendit, & angelicas mentes omniaque cœlestia vni supra cœlum summo prorsus obtemperare, & nostros animos multo magis eidem obedire debere.

Planetæ concordes cum Sole & Luna sunt felices, discordes contra. Item quomodo salutent Solem atque Lunam.

CAPVT VIII.

Solem Lunamque Ptolemæus vitæ auctores existimat, & hanc quidem quod ad augmentum vegetationemque pertinet exhibere. Illum verò quod spectat ad sensum. Iouem præterea Veneremque idcirco vitę salutares existere, quoniam proportione quadam harmonica cum Sole consonant atque Luna. Iupiter quidem cum Sole plurimum, aliquantum quoque cum Luna, Venus verò vicissim. Saturnus autem atque Mars ideò sunt aduersi, quoniam à Sole Lunaque dissonant, Saturnus à Sole magis, Mars autem magis à Luna dissidet. Iupiter verò præ cæteris almus, quoniam si Solis Lunæque lumina perfectè conflentur, ex vtrisque Iupiter coalescit. Neque verò prætermittendum est, quod Planetæ quando Solis aut Lunæ faciem quasi quadam salutatione reuisunt, vim subito nouam adipiscantur, quam Arabes almugeam nominauere, quando scilicet, vel sequentes Solem, ab ipso tanto spatio distant, quanto sua domus à domo Solis remota est, vel præcedentes Lunam, eodem interuallo Lunæ propinquant, quo domicilium suum est domicilio Lunæ propinquum. Sic ergo Saturnus salutabit Solem quoties occidentalis, id est, post Solem exortus in signo sexto à Solis signo fuerit. Iupiter verò reuiset Solem, cum in quinto, Mars in quarto, Venus in tertio, Mercurius in secundo, similiter salutabunt Lunam, quando orientales à Luna, id est, ante illam orti eisdem illam interuallis aspicient. Hinc iterum apparent consonantia quidem Iouis Venerisque cum Sole atque cum Luna, dissonantia verò Saturni Martisque ab vtrisque. Nempe Iupiter apud Leonem Solis sedem, sedem suam Sagittarium in trigono collocauit aspectu perfecto. Venus Libram iterum ad Leonem in exagono aspectu quoque propitio. Mars Scorpionem in quarto videlicet spatio dissonante. Saturnus & in sexto non consono, & in septimo prorsus opposito. Opponit enim & Leoni Aquarium, & Cancro pariter Capricornum. Similiter Venus ad Cancrum disponit Taurum in exagono, id est, sextili. Iupiter Pisces in trigono, id est, in trino. Mars Arietem in quadrato. Saturnus, vt diximus, in sexto pariter atque septimo. Ideo Iupiter atque Venus fortunati dicuntur, vtpote cum Rege cœlestium reginaque concordes. Saturnus autem atque Mars infortunati, quoniam sunt inde discordes, sed Saturnus magis infelix, quoniam maximè dissidere videtur à Sole, imò etiam magis quam Mars à Luna. Hinc admonemur, animos illos qui cum diuina voluntate consenserint, felices fore, discordes verò miseros.

Sol statua Dei. Comparatio Solis ad Deum.

CAPVT IX.

Hæc diuinus Plato noster diligentissimè contemplatus, Solem ipsius boni conspicuum filium nominauit. Arbitratus quoque est Solem esse perspicuam Dei statuam in hoc templo mundano, ab ipso Deo positam, intuentibus vbique præcæteris admirandam. Hunc veteres, vt Plotinus ait, & Plato, venerabantur vt Deum. In Sole prisci Gentium Theologi omnia Gentilium numina collocarunt. Quod quidem Iamblichus & Iulianus Macrobiusque testantur. Denique quisquis non videt Solem in mundo, imaginem esse vicariumque Dei, is profecto neque noctem considerauit vnquam, neque Solem suspexit exorientem, neque cogitauit quantum excedat sensum. Quam subito viua redeat quæ procul ipso mortuo putabantur. Neque munera Solis animaduertit, quibus solus ipse facit, quod stellæ cunctæ conficere nequeunt. Solem igitur vel Phœbum, Musarum, id est, intelligentiæ ducem, vnà cum Platonicis atque Dionysio imaginem Dei conspicuam esse concludе. Esse quoque Phœbem, id est, Lunam imaginem Phœbi fermè, quemadmodum ille Dei. Et vt inquit Hipparchus, hanc esse Solis speculum, videlicet, incidens sibi à Sole lumen, ad nostra deflectens, in præsentia disputare non expedit.

Neque tamen prætermittere decet comparationem illam Platonicam, alibi latius à me descriptam. Quemadmodum Sol & oculos generat & colores, oculisque vim præbet qua videant, coloribus qua videantur, & vtrosque in vnum lumine concilianite coniungit, ita Deus ad intellectus omnes resque intelligibiles se habere putatur. Spes enim rerum intelligibiles & intellectus omnes ipse procreat, atque virtutem inuicem agendi præbet vtrisque propriam semel atque naturalem. Circunfundit insuper assiduè commune lumen, per quod virtutes & intelligibilium, & intellectuum ad actum mutuum excitat, copulatque agendo. Quod sanè in lumen rebus quidem intelligendis veritatem, in mentibus autem scientiam Plato nuncupat. Putat insuper ipsum bonum, scilicet Deum ita saltem hæc omnia superare, sicut Sol lumen & oculos & colores. Sed vbi Plato Solem, inquit, omne visibile superare, proculdubio supra corporeum Solem, incorporeum auguratus est Solem, diuinum scilicet intellectum. Quoniam verò ab imagine ad exemplar partim adimendo quod deterius est, partim addendo quod melius, ascendere licet, deme si placet Soli, cui materia subtraxit Auerrois, tu certam similiter quantitatem, sed interea cum luce relinque virtutem, vt supersit lumen ipsum mirifica virtute refertum, nec quantitate certa, nec figura aliqua definitum, ideoque immensum imaginatione spatium sua circum præsentia tangens. Ita nunc excedens intelligentiam, sicut in seipso nunc exuperat aciem oculorum. Hac ferme ratione Deum qui in Sole posuit tabernaculum suum, ac Solē pro viribus inuenisse videberis. Denique sicut nihil alienius est à luce diuina, quam materia prorsus informis, ita nihil à luce Solis diuersus est, quam terra. Ideo corpora in quibus terrea conditio præualet, tanquam ineptissima luci, lumen nullum intus accipiunt. Non quia sit impotens lumen ad penetrandum. Hoc enim dum non illuminat intus lanam, aut folium, interim penetrat momento Christallum, alioquin difficilius admodum penetratu. Ita diuinum lumen etiam in tenebris animæ lucet, sed tenebræ non comprehendunt, non & hoc habet simile Deo: Quod Deus angelicis beatisque mentibus scientiam diuinorum prius inserit, mox amorem. Animus vero nostris hic vtrumque credentibus amorem accendit purgantem atque conuertentem, antequam diuinorum intelligentiam largiatur. Ita Sol perspicuas vbique purasque naturas, quasi iam cœlestes momento prorsus illuminat, opacas verò materias ineptas luci calefacit prius, & accendit, atque subtiliat, mox illuminat. Atque tàm calorem quàm lucem iam leues & peruias, nonnumquam eleuat ad sublimia. Hinc Appollo radiorum aculeis Pythoneam molem transfigit, purgat, dissoluit, attollit. Neque verò prætermittere fas est, quod quemadmodum speramus Christum tandem in suo regno venturum, & splendore sui corporis exundante humana è terra corpora prorsus suscitaturum, ita post hyemem letalem quotannis expectamus Solem in Ariete regnantem, semina rerum in terris quasi iam mortua animalia semiuiua ad vitam & pulchritudinem statim reuocaturum. Hinc Mercurius tanquam Solis Achates caduceo quodam excitare dicitur dormientes. Et Plato resurrectionem quandam quasi similem, in libro de Regno describit.

Sol primo creatus, & in medio cœlo.

CAPVT X.

QVæritur inter hæc, quid potissimum primo Deus creauit? Respondet Moses, lucem. Merito enim ab ipsa diuina luce plusquam intelligibili statim emanat lux omnium simillima Deo. Lux quidem intelligibilis in mundo supra nos incorporeo, id est purissimus intellectus, Lux autem sensibilis in mundo corporeo, id est, lux ipsa solaris. Sed hæc forte primo quidem sui gradu tanquam die primo, id ipsum simpliciter habet, vt luceat intus, illuminetque foris. Secundo vero, vt virtute calefactoria tum ipsa polleat, tum cætera vegetet. Tertio rursum, vt efficacia sua iussuque Dei seipsam propaget in molem. Quarto denique, naturæ ordinisque gradu quasi die quarto, vt molem suam ita sortiatur in orbem, quemadmodum diuinæ intelligentiæ lux vnde manauit, reflectitur in seipsam. Ideo Moses primo quidem die ipsam simpliciter lucem, quarto vero lucem rursus solari hac, id est, orbiculari figura præditam asserit procreatam. Plato quoque bis Solis constitutionem repetit in Timæo. Primo quidem in numero planetarum quasi consortem. Secundo diuinitus mirabili præcæteris luce regiaque authoritate donatum. Solem plerique Astronomorum in exordio mundi ad Orizontem primo habitabilem tradunt, in Ariete regno suo, medium cœlum, velut arcem atque caput, tanquam

regem cœlestium tenuisse. Moses quoque vbi ait, factum esse diem vnum, non mane quidem & vespere, sed vicissim vespere atque mane, designat post meridiem quo Sol est accensus, diem iam natum, deinceps in vesperam declinare, sequenti mane complendum. Authoritatem profecto Solis regiam confirmauit, vbi primum in mundo diem dominicũ assignauit, id est, solarem. Si enim Deus mundum sex quidem diebus absoluit, & septimo conquieuit, nimirum ab ipso Solis die, id est, potestate solari, mundi videtur auspicatus exordia. Saturnum verò à Sole remotissimum, generationibus actionibusque iudicauit aduersum vbi Saturni die præcepit ab actione vacandum. Nonne & author ille vitæ Christus quem expirantem Sol è medio cœlo quasi vates, obtenebrato vultu defleuerat, rursum die & hora Solis resurrexit ex mortuis, ita lucem nobis intelligibilem, sicut Sol visibilem redditurus.

Duo Solis lumina. Apollinis munus. Gradus luminum. Sol diuina omnia refert.

CAPVT XI.

SI Solem excogitemus in prima illa naturæ suæ proprietate, quam primo creationis suæ momento sortitus est, tanquam numeratus in consortio planetarum cognoscemus naturalem primamque lucem eius non fuisse tantam primo, quanta mox euasit. Non enim tantum stellas cęteras magnitudine superat quantum lumine. Nam magnitudinem quidem Iouis minus quam duplo, lucem verò forte centuplo superat. Horum quantitates certè comparatione terræ censentur. Quoties verò Sol terram contineat, diximus ab initio. Iupiter profecto quinquies atque nonagies terram adæquare putatur. Aliud igitur & aliunde prorsus eluxit lumen hoc immensum, naturali Solis luci desuper additum. Omnia sane cœlestia proprium lumen nascentia secum attulerunt, sed vel exiguum vel nobis occultum, siue raritate quadam & candore, siue alia de causa lateat. Simile quoddam lumen pauloque pro magnitudine sua maius ab initio Sol secum attulisse videtur. Verum præter proprium illud natiuumque lumen, vt ita loquar, obscurum, statim aliud hoc oculis potentissimum lumen diuinitus est adhibitum, tanquam expressior quædam intelligentiæ diuinæ & largissimæ bonitatis imago.

Deus, vt Theologi nostri tradunt, geminum mentibus dedit lumen, Primum quidem naturaliter his accensum. Secundum verò, iam quasi pro meritis necnon gratis insuper additum, largitate mirabili beatas efficiens. Cum igitur stellæ mentium sint imagines, consentaneum est, has duo similiter lumine suscepisse. Quemadmodum verò Deus lumen hoc ingens in Sole lumini Solis primo mirabiliter addidit, ita Sol statim vicarius in hoc officio Dei hoc additum sibi lumen natiuis stellarũ luminibus addidit. Imò verò sicut solemus lumen quod apparet in Luna, non ipsius Lunæ, sed Solis lucem dicere, per Lunam ad nos vsque demissam, ita secretissima Platonicorum ratione dicemus, splendorem tantum in Sole patentem, non ex ipso quidem, sed ex Deo per ipsum ad cuncta procedere, tanquam non globi illius, sed Dei ipsius lumen, ita iam oculis manifestum. Deus profecto dum solarem globum exiguam cœli particulam tanto splendote compleuit, vt ex vno fulgor exuberaret in omnia, absque dubio declarauit, & corpusculum Solis tam incomparabile munus non ex se, sed desuper accepisse, & ex vnò Deo Solis Sole cuncta prorsus bona per omnia propagari. Quemadmodum verò lumen hoc in Sole sensibile, sensibilia omnia sensusque collustrat, & vegetat, & format, & ad superiora conuertit, ita intelligibile quoddam in ipsa Solis anima lumen, intimos animorum oculos illuminat, accendit, & reuocat. Hinc Solem apud Theologos veteres Apollinem arbitror nominatum, & harmoniæ omnis authorem, ducemque Musarum, quoniam animos non tàm manifestis quam occultis influxibus radiorum à confusa quadam turba resoluat, & harmonicè moderetur, atque ad intelligentiam postremo perducat. Neque vero putandum est, lumen hoc amplissimum efficacissimum efficacissimumque, & inter mundana datum præ cæteris optimum donumque perfectum, originem primam ab exiguo Solis corpore ducere, sed ab ipso bono tanquam patre luminum, in quo quicquid est luminis, certè plus quam intelligibile est, omnem prorsus excedens intelligentiam. Sed inde in diuinum siue angelicum intellectum mox descendens, intelligibile iam euadit. Deinceps in animæ mundanæ mentem veniens, intellectuale mox, & insuper imaginabile iam efficitur, subinde in cœlum transiens, sensuale fit simul atque sensibile. Denique ad inferiora demissum iam quasi diuiditur, & alicubi quidem sensuale fit, id est, in oculis

oculis animantium. Alicubi verò sensibile, id est obiectis. In paucis autem seruat vtrumque, & his quidem nocte videntibus. Sed reuertamur ad prima. Tria Platonici principia ponunt. Ipsum bonum, diuinum intellectum, mundi animam. Lumen vnicum præceteris palam hæc omnia refert. Ipsum quidem bonum præfert, quoniam dum cuncta mirabiliter antecellit, interim per omnia se diffundit, & ad sublimia renocat, excellentia interim sua mirabiliter & puritate seruata. Intellectum verò diuinum, quoniam declarat omnia, & distinguit, & ornat. Animam quoq; mundanam, quoniam almo calore generat omnia, fouet, & vegetat, atque mouet. Rursus, quemadmodum ex tribus super cœlum mundi principiis in cœlum descendit, atque sub cælum, refertque vbique parentes: Ita in cælo quidem per solem repræsentat ipsum bonum, intellectum verò diuinum, id est plenitudinem idearum, per firmamentum stellarum plenum. Animam denique mundi quasi mobilem, per lunam luce mutabilem. Similiter & sub cælo primum quidem per ignem, secundum verò per aërem, tertium postremò per aquam. Denique, quemadmodum stellæ quidem superiores immutabiliter illuminantur à sole, luna verò mutabiliter inde lumen accipit, sic & Angeli à Deo immobiliter, animæ verò mobiliter illustrantur.

Similitudo Solis ad Trinitatem diuinam, & nouem Ordines Angelorum. Item, de nouem Numinibus in Sole, & nouem Musis circa Solem.

CAPVT XII.

Nihil in mundo diuinæ Trinitati reperitur sole similius. In vna enim solis substantia tria quædam inter se distincta sunt, pariter & vnita. Primum quidem naturalis ipsa foecunditas sensibus nostris prorsus occulta. Secundum manifesta lux eiusdem ex ipsa foecunditate manans, ipsi semper æqualis. Tertium ab vtroque calefactoria virtus, penitus par vtrisque. Foecunditas igitur Patrem refert, lux verò intelligentiæ similis, Filium intelligentiæ modo conceptum, calor amatorium Spiritum repræsentat. Circa diuinam Trinitatem Theologi nostri tres Angelorum Hierarchias excogitant, quamlibet tres ordines continentem. Primam Patri, secundam Filio, tertiam Spiritui consecratam. Similem quoque circa solarem trinitatem, nos ternarium inuenimus atque nouenarium. Siquidem ex ipsa solis natura foecunda, tres naturales foecunditates per cuncta procedunt. Prima quidem inde fit in natura cælesti: secunda verò in simplici elementorum natura; tertia denique in natura mixtorum. Rursus ex vitali calore solis passim vltra naturas propagatur & vita, eaque trina. Prima quidem vegetalis in plantis; secunda verò sensualis immobilis in Zoophytis; tertia sensualis atque progrediens, in perfectioribus scilicet animalibus. Ex luce deniq; solis tres fulgoris species deriuantur, siue per cælum, siue sub cælum. Aut enim omnino candidum lumen est, aut omnino rubens, aut mixtum. Cùm verò lumen & simillimum, & quasi principium cognitionis existat, præcipuè sensualis, meritò tribus luminis speciebus tria quoque genera sensuum respondere videntur. Rubori quidem sensus omnino corporei, tactus videlicet, atque gustus. Candori verò sensus plurimum incorporei, imaginatio scilicet atque visus. Sed lumini mixto sensus quoque inter incorporeos, corporeos medij, auditus scilicet & olfactus. Hactenus solis lumen non solùm imago est eiusmodi rerum, sed & causa. Puræ verò intelligentiæ solùm est imago: sicut enim intelligentia pura momento peragit, & profunda penetrat, atque declarat, ipsa interim nulli permixta, sublimis existens, ita lumen momento per omnia se dilatat, & singula patefacit, indiuiduũ simul est vbiq; totum, nulli permixtum. Siquidem abeunte sole ne momentum quidem lumen in aëre permanet, suum namque Phœbum passim comitatur euntem. Sed quoniam nescio quomodo hic sub Apolline quasi Poëtæ sumus, & si non boni, liceat parumper confabulari. Primo quidem de diis (vt Platonicè loquar) superioribus, deinde de Musis nouem, veteres in sole numina collocarunt. Nam aut substantiam eius contemplamur, aut vires, in substantia, essentiam, vitam, intelligentiam, essentiam cœlum, vitam Rheam, intelligentiam verò Saturnum, eorum more cognominamus. Si vires Solis post substantiam contemplemur, fœcunditatem quidem eius Iouem nominabimus & Iunonem, lucem vero Apollinem & Mineruam, calorem denique Venerem atque Bacchum. Iam vero Phœbum & Bacchum, qui præcæteris in Sole plurimum dominantur, antiqui semper iuuenes exprimebant, quoniam si quis nouerit lucem caloremque Solis, ea sinceritate prorsus & proprietate, qua illic existũt suscipere ad visumque suum, & modum accõmodare, iuuen-


tutem inde perpetuā reportaret, vel saltem centum atque viginti solis annos impleret. Verùm post nouem hæc numina intima Soli, ad nouem circa Solem Musas progrediamur. Quid igitur nouem circa Phœbum Musæ, nisi nouem Apollineorum genera numinum per sphęras mundi nouem distributorum? Octo namque cœlos tantùm veteres cognouerunt. Sub igne verò cœlesti, quasi nonum cœlum aërem purum adhibuerunt, qualitate videlicet motuque cœlestem. In qualibet verò sphæra diuinos spiritus oculis occultos disposuerunt gradatim stellis singulis dedicatos, quos Proculus etiam Angelos, & Iamblicus insuper Archangelos Principatusque cognominant. Sed qui inter eos vbique præcipuè sunt solares, antiquiores appellauere Musas scientiis quidem omnibus præsidentes, maximè verò Poësi, Musicæ, Medicinæ, expiationibus & oraculis atque vaticiniis. Iam reuertamur ad Solem. Minima quæque, si modo rarissima sint, inepti nimium admiramur, consueta verò vel maxima cæci pariter & ingrati iamdiu admirari desiuimus. Nemo miratur ignem, instar cœli Solisque feruentem, sine mixtura purissimum, perpetuo mobilem, longe lucentem, ex minimo statim maximum, dum omnia in se conuertit. Nemo Solem quantum fas est, miratur, incomparabiliter omnia superantem, genitorem omnium atque moderatorem, Solem exhliarantem tristia, nondum viua viuificantem, iam mortua suscitantem. Verum si semel quotannis panderetur domus omnipotentis Olympi, splendorque subito tantus suspiceretur, Solem supra modum omnes solum admirarentur, Solem omnes vel tanquam summum Deum suppliciter adorarent, vel saltem diuinitus missum minimè dubitantes, Deo quamuis occulto tanti muneris authori, ingentes quotidie gratias agerent. Iamblicus igitur Iulianusque Platonici iubent noctem fingere, absque vllo Lunæ stellarumque lumine, quo Solis quoque donum est manifestum. Vt certius cognoscamus quid absque Sole futuri simus, quantum huic Soli supernoque debeamus.

Solem non esse adorandum tanquam rerum omnium authorem.

CAPVT XIII.

SOcrates in castris sæpe sub dio Solem suspiciens orientem, stetit attonitus in eisdem vestigiis, immotis membris, inconninentibus oculis statuæ more, quousque Solem salutaret iterum resurgentem. Hi ergo Platonici similibusque signis adducti, Socratem fortè dicent Phœbeo quodam dæmone statim ab ipsa pueritia ductum, Phœbum ipsum venerari summopere consueuisse, eademque ratione sapientissimum Græcorum omnium Apollinis oraculo iudicatum. Ego verò quid de Socratis dæmone seu genio, siue Angelo affirmandum maximè videatur, in præsentia prætermittam. Id certè ausim affirmare, Socratem in eo mentis excessu non Solem quidem hunc admiratum fuisse, sed alterum. Cum enim admirationem sola nouitas afferre soleat, quid tantum stupeat hunc admirabundus Socrates, quem & quotidie videt, cuius & motus omnes viresque iamdiu Mathematica simul & Physica ratione comprehenderat. Quem, teste Platone, non Deum primum, sed Dei filium appellauit: Non filium, inquam, Dei primum, sed secundum iamque visibilem. Primum namque Dei filium non Solem hunc oculis manifestum, sed alterum hoc longè superiorem, intellectum scilicet primum, solo contemplabilem intellectu. Socrates igitur Sole cœlesti nonnunquam admonitus, Solemque inde supercœlestem auguratus, & illius maiestatem contemplabatur attentior, & patris illius incomprehensibilem bonitatem admirabatur attonitus. Hunc Iacobus Apostolus patrem luminum appellauit, luminum, inquam, plusquam cœlestium, apud quem non sit transmutatio, atque vicissitudinis obumbratio. Nam & supercœlestia illa facta putat naturaliter mutabilia, & cœlestia multa quoquo modo obumbrari non dubitat, subcœlestia verò quotidie. Quamobrem omne datum optimum scilicet menti naturaliter insitum, & omne donum perfectum, videlicet post naturales dotes adhibitum, non à Sole hoc stellisque mundanis, sed altius ab ipso patre luminum descendere, censet. Nam intelligentiæ viribus quasi gradibus quibusdam non quidem cœlitus, sed desuper acceptis freti, super cœlos ascendimus, vbique multa cœlis præstantiora cognoscimus, & amamus & colimus, ipsumque cœli fabrum ante omnia veneramur. Neque tamen possemus intelligentia incorporeum aliquid cœloque melius intelligere, vel amare, si cœlitus tantum intelligentiam haberemus. Iam verò ne quis Solem, Lunam, stellas, nimium admiratus & adoraret, & tanquam intellectualium munerum authores, & patres veneraretur, prudenter admonuit, Solem hunc non esse vniuersi principium.

Missas in præsentia faciam rationes, quibus in Theologia nostra principium vniuersi nec corpus esse, nec animam, nec intellectum, sed aliquid admodum excelsius affirmamus, à quo quidem Sol cœlestis longissimè distat, vt vmbra quædam illius esse iudicetur potius quàm imago. Rationes autem quas Iacobus hic attingit, breuiter in præsenti perstringam. Cum status tanquam principium & rector finisque motionis, sit omni motu perfectior, certè Deus ipse principium & rector omnium, mobilis esse non potest. Sol autem est assiduè mobilis. Preterea principij virtus tanquam immensa fortiter attingit omnia, nec vsquam cohiberi potest, Solis autem virtus per radios agens præpeditis passim radiis impeditur, defectum patitur obiecta Luna, sæpe nubibus coërcetur, terrena densitate repellitur, distantia loci debilitatur. Sol ipse quinetiam minima quædam est particula mundi, angusta quadam sede tenetur, trahitur à sphæra, rursumque retrahitur. Contraque sphæræ propriæ impetum à sphæra semper superiore reuoluitur, contrariisque signis impeditur & stellis, & aspectu (vt ita loquar) malorum nonnunquam debilitatur. Denique principium vniuersi omnia vbique & semper, & in omnibus operatur. Sol autem nec mundi globos ipse facit, nec quæcunque frigida vel humida sunt vel densa, similiaque ipse virtute propria potest efficere. Neque similes si quæ sunt in cœlo virtutes, vllam à Sole ducunt originem. Cęterum quamuis Sol ab authore mundi longissimè distet, cœlestia tamen omnia ad Solem vnicum, quoniam rectorem in cœlo mensuramque diuinitus redacta videntur. Vt hinc prorsus admoneremur, omnia quæ in cœlo sunt, & sub cœlo, & super cœlum, ad vnum cunctorum principium referri similiter. Idque considerantes tandem hoc ipsum ea saltem obseruantia veneramur, qua cœlestia Solem.




MARSILII FICINI FLORENTINI,

IN LIB. DE LVMINE,

Ad Magnanimum Petrum Medicem,

PROOEMIVM.



VM opusculum de Sole tibi clarissime Petre destinauissem, memini paulo post iamdiu me de Lumine libellum composuisse. Itaq; decere prorsus existimaui, vt lumen illud Solem hunc suum mox sequantur, quasi ducem. In terris quidem primus illucescentis auroræ fulgor, Solem præcedit è vestigio surrecturum. Sed in cœlo vicissim Sol ipse pater splendorem antecedit ex ipso manantem. Ordinem equidem terrenam iamdiu secutus lumen priusquam Solem, sum, nescio quomodo, cótemplatus. Nunc verò vicissim cœlestem ordinem imitatus, Solem lumini, patrem nato, vt par fuerat, anteposui. Neque verò in hoc libro vel in præcedente consilium fuit minutiores Mathematicorum de Sole vel Lumine quæstiones curiosè prosequi, sæpe non tam vtiles quàm certe difficiles. Sed horum potius exemplis comparationibusque quibusdam quasi gradibus mores animi contemplandi regulas diuina mysteria pro viribus assequi. Siquidem nullum adhuc planè perspicienda certius vel indicium, vel argumentum est quam lumen; nobis enim cœlestis ille pater Phœbea lustrauit lampade terras, non quidem vt sub tanto lumine, vt ita dixerim, muscas aucupemur, sed nos ipsos & patriam nostram patremque cœlestem suspiciamus, per eiusmodi videlicet lumen diuina videntes, quasi per quoddam speculum in ænigmate, aliàs autem per lumen excelsius faciè ad faciem quandoque visuri.



MARSILII FICINI FLORENTINI.

Quid sit lumen in corpore mundi, in anima, in Angelo, in Deo, discursio per omnes sensus.

CAPVT PRIMVM.



ODi maximè omnium tenebras, quarum culpa displicent mihi, quæcunque displicent, vel quod cùm illis sint, vel quod ab illis labentia relabantur, deprimantque ad illas. Amo ante omnia lumen, cuius gratia & cætera diligo, vel quod cum illo sint, vel quod ab illo fluentia refluant, reducatque ad illud. Ergo nuntiate mihi, obsecro, quid sit lumen? Respondet auditus. Aëreus sum, satis esto, si sonos tibi aëreos nuntiem. Respondet & odoratus. Equidem non sum adeò lucidus, vaporeus sum à me disce vapores. Quid aliena quæris, à me gustus ait? Nato equidem in liquore, indico tibi liquores. Noli à me, dicit tactus, extorquere quod nequeo, corpulentus sum, corpulenta nuntio, altius quære lumen.

Descriptio luminis visibilis.

CAPVT II.

HInc admonitus ab infimo quo cecideram, ad altissima mei corporis nunc ascendam, vt inde lumen læuius altiusque cunctisque accipiam. Eia agite oculi mei lucentes, per lumen illud obsecro, quo præ cæteris, imò quo solo delectamini tantùm, indicate Reginæ vestræ quid sit lumen. Respondet subitò visus, splendidus ego spiritus sum, & splendor sum spiritalis. Quocirca cùm à me iure propria officia postules, largior libentissime quantum habeo. Lumen est spiritalis quædam & subita, & latissima à corporibus natura eorum sine detrimento proprio emanatio, nitoris scilicet cuiusdam à diaphanis, id est, transpicuis. Coloris autem ab horum oppositis, quantitatis, figuræ, motusque ab omnibus. Congrega in vnum omne colorum genus, quid erit hoc vniuersum? Nisi lux quædam omnicolor, siue lumen factum in solidiore obscurioreque materia terræ iam opacum. Segrega terram illi permixtam. Quid erit reliquum, nisi qualitas quædam, imò claritas actusque perspicui, sicut color est actus opaci. Color quidem lux est opaca. Lux autem color clarus, imò perspicui corporis colorumque flos quidam & vigor quasi vnicolor actu, virtuteque omnicolor. Fortè verò & abeunte lumine non sunt colores. Siquidem sint lumen ipsum iam varium, alibi videlicet, aliter affectum atque reflexum. Fortè etiam in virtute luminis semper sunt ipsi colores, alibi aliter explicandi.

Nihil clarius quàm lumen ac Deus, nihil obscurius.

CAPVT III.

ADumbratio hæc est, ô mei oculi, potius quàm pictura. Nihil vnquam audiui obscurius definiri. O rem valde miram! Quonam pacto fieri potest, vt nihil sit obscurius lumine? Quo nihil est clarius, quando per illud clarent, declaranturque omnia. Ascendam igitur hinc ad sublimem mentis speculam, vt saltem hoc videam inde, præter quod aliud quicquam alicubi videre non possum. O mens quæ rectè cuncta metiris, dicito mihi, nunquid fortè lumen est ipse Deus, quo etiam nihil clarius est, nihil obscurius! Nihil clarius quàm Deum esse, esseque ad summum potentem sapientemque & bonum. Hoc enim auribus nostris quæcunque ab eo sunt facta

proclamat. Vt nemo sit surdior illo, qui tantum rerum omnium sonitum strepitumque non audit. Nihil contra obscurius, quàm quid sit Deus, vt nihil sit tenebrosius illo, qui sibi opinatur hoc esse clarissimum.

Lux intelligibilis est intelligibilium causa, visibilis visibilium.

CAPVT IIII.

RΕsPondet mens, Deum esse patrem luminum, apud quem non est transmutatio, per quam extinguatur vel minuatur. Neq; vicissitudinis obũbratio, per quã vel vicissim subeat noctem, vel patiatur eclypsim. Respondet rursus, Deum esse lucem, in qua tenebræ non sint vllæ. Id est, formam in qua nihil est informe Formositatem quoque in qua nihil est deforme. Deus certe sicut mens, quæ radius eius est, monstrat, lux est inuisibilis, infinita, veritas ipsa veritatis cuiusque, rerumque omnium causa. Cuius splendor imò potius vmbra, est lux ista visibilis atque finita, causæ visibilium. Quoniam verò lucis veritatisque natura est, vt cæteris alia verè declaret, Deo cuncta per se verè clareque conspicua sunt. Perinde ac si visibilis lux, cum sit oculorum visibiliumque fons, seipsam intueatur tãquam omnicolorem, atque in se colores omnes sensibiliaque omnia videat.

Lumen visibile, rationale, intelligibile, diuinum.

CAPVT V.

VΕrùm ad tam sublimem speculationem haud tam repente prosiliendum, sed gradatim ascendendum mens admonet, ne caligare cogamur, ac splendore nimio obcæcari. Noli ratio confidere sensibus, visus tibi non satis nuntiat, cæteri nullomodo Visus quia sensualis lux est, tantum sensibilem accipit datque splendorem. Atque è conuerso, quia sensibilem accipit datque splendorem, hunc sensualem quandam lucem esse cognoscis, vltra verò inde non licet progredi. Sed hinc à me discito, primùm quidem me, se intelligentiam, esse lumen quoddam intellectuale, quandoquidem obiectum meum est intelligibile lumen, quod in qualibet re quærenda quæro, & reperta reperio. Siquidem lumen cuiusque rei & ipsius veritas idem. Veritas est lumen intimum, lumen veritas se ad extima fundens. Discito deinde te, scilicet ratione esse lucem quandam rationalem rationemque lucentem. Siquidem rationem lucis tanquam originem tuam, ratiocinando tanta auiditate perquiris. Sed vis rationem lucis commodius assequi? In luce cuiuslibet rationis eam quærito. Ibi est ratio lucis, vbi & omnium, in veritate summa, quæ & ipsa summa certitudo & claritas est, reperies veritatem lucis & claritatem. Siquidem idem est huius lucis quam quæris claritas atque veritas. Quid lux in Deo? Immensa suæ bonitatis veritatisque exuberantia. Quid in Angelis? Intelligentiæ certitudo à Deo manans, profusumque gaudium voluntatis. Quid in cœlestibus? Copia vitæ ab Angelis, virtutis explicatio à cœlo, risus cœli. Quid in igne? Vitalis quidam vigor à cœlestibus insitus, & efficax propagatio. Deinde in iis qui sensu carent, effusa cœlitus gratia. In sentientibus exhilaratio ipsius spiritus, sensusque vigor. In omnibus summatim intimæ fœcunditatis effusio. Vbique diuinæ veritatis bonitatisque imago.

Quibus rationibus à luce visibili ad inuisibilem ascendamus.

CAPVT VI.

VΕrum ne fortè fingere pro arbitrio videamur, vbi substantiam quandam lucis incorporeæ penitus, & diuinæ, toties affirmamus, consideratione dignum est, lucem hanc oculis manifestam, esse non posse primam, tum quia proportionem aliquam habet cum corporeis oculis omnibus, vel quibusdam, tum quia mobilis est, atque est in alio, & ex aliquo pendet. Ad aliquam ergo superiorem lucem ascendendum est, eiusmodi conditionibus absolutam, per se iam & in se existentem penitus incorpoream. Quandoquidem & hæc manifesta nobis propemodum incorporea est, imaginumq; similiter incorporearum causa, nec vllis astricta dimensionibus, vel diuisionibus vel mixturis. Vnde constat ex mole vel forma, vel virtute corporea originem primam habere non posse, hanc igitur habet à luce corporibus altiore, ac supra modum ampliore, vt ita dixerim, atque clariore. Siquidem materia vel cœlestis ita lucem illic offundit diuinitus descendentem, sicut sub cœlo caliginosa moles susceptum cœlitus lumen obtenebrabat. Quamobrem operæpretium est, & hoc sub luna lumen à caligine, & cœleste illud à materia segregare & illinc ad lumen supercœleste conscendere, illinc rursus à rationali luce ad intellectualem, ab hac ad intelligibilem, ab hac pro viribus ad diuinam, vt reuelata facie ducti videlicet à Domini spiritu à clari-

tate gradatim in claritatem in eandem imaginem transformemur.

Ad numinum gaudium cœlestes ipsorum oculi rident, splendore motuque gestiunt.

CAPVT VII.

VIdemus postquam à cœlestium radiis qui à supercœlestibus per cœlestia tanquam per vitra quædam ad nos descendunt cunctis dari perfectionem suam, vitam, sensum, certitudinem, gratiam, atque lætitiam, necessarium est lucem in spiritibus super cælum esse formæ ipsorum perfectionem, fæcunditatem vitæ, perspicaciam sensus, clarissimam verissimæ intelligentiæ certitudinem, gratiæ copiam, gaudij vbertatem. Horum omnium imago est splendor cæli, imò ad horum claritatem, tanquam vmbra, quia minus potest corpus cœli exacte claritatem spiritus imitari, quàm terra cæli fulgorem. Ad ipsum mirabile cælestium gaudium cælum quasi corpus eorum, imò quasi oculus eorum (oculum enim Orpheus Solem appellat) ridet splendore, motuque exultat, sicuti terra tanquam ab illis remotissima luget tenebris, situque torpet & ocio, neque enim putandum est cælum moueri vel vi aliqua, vel defectu, cuius motus natura perpetuus est, locumque naturalem non relinquit, substantia quoque absolutissima, à qua nihil discedit sui, sed quodam excessu lætitiæ, ob quam gestiens quiescere nesciat. Ad gaudentium numinum cantum, vt Pythagorici arbitrantur, sphæræ choreas ducunt. Vnde ordinatissimis variisque motibus mirabilem conficiunt harmoniam, ad astrorum risum, qui præcipuè radiis indicatur, rident omnia quæ sub cælo sunt, quæ super terram, ad tenebras tanquam ad tristitiam omnia mœrent. Solemus enim ridentibus congratulari, flentibus contristari.

Risus cœli ex numinum gaudio proficiscens, id est, lumen omnia fouet atque delectat.

CAPVT VIII.

QVod lumen sit risus cæli ex spirituum cælestium gaudio proficiscens, indicant homines, qui quoties lætantur spiritu, ridentque vultu, splendent certe intus, dilatanturque spiritu, vultu quoque splendere videntur, oculis maximè, qui maximè sunt cælestes, quique in risu motum cæli instar efficiunt circularem. In lugentibus autem contrà obtenebrantur, restringuntur, torpent omnia. Radij verè ex stellis ridentibus tanquam diuinarum mentium oculis, benignissime lætissimeque directi in semina rerum, non aliter omnia fouent generantq; quam struthij aspectus in ouum. Illorum enim virtute calor naturalis cunctis inseritur, vnde vita oritur, alitur, augetur. Hinc fit vt omnia voluptatem appetant, quia non modo voluptate terrena, sed etiam cælesti lætitia generantur. Quis autem neget numina læto quodam affectu omnia mouere atque generare? Cum & ab animalium natura & ab arte omnia voluptate procreari atque perfici videamus.

Lumen est incorporeum, est forma, imò actus naturæ cœlestis. Esse potest sine corpore subdito, est vbique etiam sub terris vnà cum diaphano.

CAPVT IX.

SEd iuuat interdum vnà cum nostro Plotino, circa eadem latius peruagari. Lumen quo momento penetrat molle diaphanum transuerberat, vel durissimum. Item, quo breue spatium, eodem quoque longissimum. Incorporeum est igitur, cui neque duritia resistit, neque spatium. Veruntamen quoniam est cœleste, ideo obstaculum natura terreum atque sordidum, & si minus durum sit, non capit candidam luminis puritatem. Hinc Plotinus prohibet corporeas lumini tribuere passiones, id est accedere, recedere, diffluere, effluere, contrahi, dilatari. Sed potius dicendum putat, vbi coram lucido perspicuum quid exponitur, statim lumen illic existere, illic agere. Sin minus, non existere illic, non agere. Neque tamen simpliciter esse desinere, quamdiu corpus est lucidum. Sicut neq; radius visualis, quamdiu visus. Lux quidem est forma primi corporis prima. Itaque tam perfecta, vt non per modum ociosæ qualitatis cuiusdam ab actu distinctæ, sed potius per modum vegetioris actus existat, tam videlicet efficacis, vt momento per omnia sese porrigat, à fonte proprio non disiunctus.

Prætereà, in quocunque sub cœlo corpore præualet igneus quidam vigor igni cœlesti similis, emicat & inde lumen aut fulgor quidam quà familiaris color. Proinde cœli luminisque natura, vt foueat omnia, non cogitur de integro per cuncta discurrere, si verum sit paradoxon, hanc

esse semel cunctis infusam. Hinc Herus ille, qui apud Platonem surrexit ex mortuis, interea lumen inspexerat, cœlesti videlicet quodam visu, sed oculis caducis occultum; quod quidem per omnia prorsus extentum, regeret vniuersum. Luminis huius vehiculum, id est perspicuum, Iamblicus ex Theologia Phœnicum asserit, cunctis vel opacis infusum, siquidem his omnibus inest & color aliquis quædam portio luminis. Lumen autem seorsum à perspicuo in opacis esse non potest, quamuis forsitan in se penes luminosum esse possit. Si secretum Timei sensum rectè vaticinamur, ignem ipsum spiritumq; cœlestem proximum animæ mundanæ vehiculum, simul cum hac vbiq; vigere, cognoscimus. Hæc enim anima motu quidem vitali calorem edit vbique atque motum, intelligentia lumen, simulque luminis vehiculum vbique diaphanum. Neque tamen propriè lucere terram licet dicere. Siquidem neque perspicuum huic miscetur, neque lumen communicatur quamuis infusum. Si quis Astrologorum regula fretus consideret, quantam vim habeant innumerabiles vbique radij machinæ cœlestis immensæ ad penetrandam terram mundi punctum, hinc saltem cognoscet, per hanc quoque passim diffundi cœleste lumen atque diaphanum illic lumini necessarium. Quamuis oculis quamplurimis hæc in terra patere non possint. Patent verò fortè quibusdam illic degentibus animalibus. Aiunt enim Platonici, Sicut se habet frigus ad calorem, nigredoque ad albedinem, sic habere tenebras se ad lumen, vt tenebræ non sit priuatio pura luminis, sed lux minima vel opacissima. Nigredo minus opacum lumen. Perspicuum, quasi quædam paulo clarioris luminis inchoatio. Color quædam luminis terminatio. Quod quidem vnà cum colore quodam quodammodò sit vbique. Tam enim potente, tum animæ, tum cælestium lumine fieri, vt puris tenebris locus nusquam pateat. Siquidem & calorem ad amplitudinem luce debiliorem esse vbique sub terram, effectus multi testantur. Pythagorici forsan hinc adducti, nescio quam in centro mundi turrim Iouis ædificauerunt. Vestales certè (vt alibi diximus) ignem illic accenderunt. Ausi quoque sunt propterea terram stellam quandam cognominare. Vnà cum his Theologi veteres atque Plato, quod & effectus ipsi confirmant, flumina quædam ignea per terræ meatus deriuauere, igneosq; illic dæmones inuenerunt.

Aliud lumen est, aliud calor, atque lumen antecedit calorem.

CAPVT X.

QVod aliud fulgor sit, aliud calor, perspicuum est. Nam fulgent sine nitent quæ non calent, ac etiam frigida multa. Calida sunt etiam multa quæ fusca. Calor ignis penetrat sæpe qua non transit splendor, propagatur & splendor longius citiusque multo quam calor. Quod sit calor à lumine, inueniet quisquis cogitabit, etiam in spiritibus intelligentiæ claritatem origine quadam antecedere voluntatis affectum, & in mundi machina Solis radios sequentis caloris originem esse. In superioribus quidem regnat vnio, in sequentibus verò diuersitas. Itaq; in hoc apud nos igne, quamuis calor in eodem corpore sit, in quo & lumen, non tamen est in lumine, sicut neque elementalium quies est in motu. In cœlestibus autem est & in lumine calor quasi lumen & in cœli motu est ipsa cœli quies, vt Physicè loquar. Denique super cœlum in ipsa intelligentia est voluntas quasi eadem, & in voluntate gaudium velut idem.

Lumen non sit illuminati qualitas, sed est actus illuminantis. Neque lumina confunduntur. Lumen est vinculum vniuersi.

CAPVT XI.

CVm verò lumen causa sit caloris, neque tamen generis sit eiusdem, merito tanquam in superiori quodam genere constitutum, adeò hunc apud nos etiam antecellit, vt ipsum quidem à luminoso corpore tantum pendeat, sed à subiecto patiente nequaquam. Hic autem vtrinque dependeat. Lumen igitur solius illuminantis proprius & naturalis actus existit. Neque corporis illuminati fit qualitas, neque tam inest quam adest illuminato. Ideo neque diaphani naturam permutat, neque hoc per locum mutatio mutatur, neque certum per hoc habet spatium. Occurit enim vltra semper seipsum propagaturum, eodemque momento reflexiones multiplices agit, à speculis in specula, ab aqua in speculum, & hinc rursum in parietem, similiterque deinceps. Neque per reflexiones vsquam deserit illud vnde reflectitur. Et in quolibet aëris pũcto multiplices format rerum imagines spiritales. Per quas possit oculus rem totam in puncto quolibet contueri. Per hęc omnia confirmatur lumen non esse corporeum aliquid vel corporis qualitatem. Sed

vt redeamus parumper ad comparationem luminis cum calore, neque paulatim illuminat, neque hic vel parumper restat, illuminante desuper abeunte. Quod sæpe iam diximus. Calor autem vtpote qui aëris calefacti sit qualitas, paulatim accedit, atque recedit, & abeunte lumine residet in subiecto. Potest itaque lumen idem de substantia in substantiam pertransire, siquidem non sit subiecti alicuius accidens, aut qualitas, aut passio quædam, sed separabilis actus agentis. Merito inter substantiam quasi in se subsistentem & qualitatem, quæ ab agente simul & patiente dependet, existit luminosus actus solum agenti suspensus. Quando lumen calefacit aërem, calefactio à lumine dependet & aëre, atque inter lumen caloremque genitum, tenet medium. Cum igitur calor hic subducto lumine maneat, lumen aëre sublato penes Solem existere potest, quia proprium. Proprium enim inseparabile est. Sic inter lucem lucido corpori penitus intimam atque calorem iam aëri factum intimum, medium est lumen, partim quidem lucenti intimum, partim etiam extra procedens, vt radialis actus spectaculi directus in speculum, atque radius visualis ex oculo micans. Hinc patet lumen proprium esse naturæ cœlestis, neque corporibus vllis communicari nisi quod cœlestibus, id est, diaphanis & igneis, vt iam diximus, & in his quidem cœlestem conseruare proprietatem. Cuius munere neque diaphano miscetur illuminato, neque lumina luminibus confunduntur. Eiusmodi namque confusio non ad cœlestes actus atque virtutes, id est, ad radios, sed ad elementales pertinet qualitates. Quarum nulla est ad præsentiam luminis necessaria. Satis enim illi est, si terrenam opacitatem non offenderit, cœlestibus percipiendis ineptam, quasi lumen vbique sui iuris sit, nec vsquam cœlestem amittat sublimitatem. Lumina verò luminibus non confundi, hinc apparet, quod si ad tres lucernas deambulaueris, tres vmbras ex opposito reddes, videlicet propter tria lumina inuicem non confusa. Item si tribus his ingentem tabulam opposueris, in cuius medio vnicum sit foramen, tria statim lumina è tribus lucernis in oppositum resultabunt, quia videlicet non sunt confusa. Denique si lucernam vnam sustuleris, suum illam lumen quod comitari videtur, splendore communi interim diminuto.

Mitto nunc Dionysiacum illud, tres in vno splendore radios, diuinam nobis Trinitatem repræsentare. Mirabiles in radiis esse vires, sed occultas Astronomi comprobant, atque Magi. Sed res nimium admiranda est, quæ multis nota, vbi ex ære concauo radij ad centrum è conspectu quamplurimi per æquales quisque angulos repercussi, remotum etiam corpus, vel durissimum prorsus adurunt. Vnde constat insuper radios naturaliter esse calidos. Siquidem sola congregatione feruentissimi mox euadunt. Tanta proculdubio est potentia luminis, vt cœlestia alioquin à terrenis quod absque proportione distantia, facilè & subitò plurimumque conciliet. Neque solum virtutes stellarum omnes ad sequentia transferat, sed solem ipsum stellasque ad inferiora traiiciat. Quemadmodum spiritus noster, animæ vires, ipsamque animam ad humores traducit & membra, atque sicut in nobis spiritus est animæ, corporisque nodus, ita lumen est vinculum vniuersi. Sol enim & stella quælibet lumen suum non per tenuissimam quasi lineam iaculantur, sed toto suo ambitu circunfundunt. Sed hoc statim vndique colligit se in conum, ne fortè extra suum fontem profluens euanescat. Sic enim propter vnionem validius aget, & totum facilius erit vbique. Ac dum tota basis coarctatur in conum, stella tota omnisque virtus eius per angulum aderit, agetque potenter vbique, poteritque in angulo tota eius magnitudo videri. Sic etiam cum in stellis centrum & circunferentia sit lumen earum, quatenus à toto profluit ambitu, circunferentiam imitatur, quatenus autem colligitur in angustum, imitatur & centrum. Imitatur & ipsam (vt Platonicè loquar) mundi animam. Ipsam quidem eius intelligentiam claritate sua, vitam verò calore, motum denique motu. Sed de his omnibus satis in Commentariis in Plotinum atque Timæum.

Lumen imitatur Deum, gradus luminum, colorum scientiarum. Numerus septenarius atque nouenarius.

CAPVT XII.

QVodammodo etiam lumen imitatur Deum. Nullus enim oculus quantumlibet acer, lumen ipsum in se purum, solumque cernit, vtpote quod incorporeum est omnino proportionemque oculorum superat, vt diuinum. Vident verò lumen oculi dumtaxat in corpore illuminato, vel luminoso, & hoc quidem paulo densiore, videlicet oculis lumen contemperante. Forte verò illuminatum potius quam lumen cernunt. Debilissimi quidem oculi,

neque hoc etiam sustinent. Validiores hoc inueniuntur, sed non circa Solem, Vegetissimi circa Solem quidem, sed in Sole nequaquam. Similiter ad Deum intellectus varios se habere cognosces. Cognosce precor Solem vno quodam nutu posse simul omnia facere, vel remotissima quæque, lumine videlicet & calore. Deumque similiter facillime cuncta, intelligentia simul & voluntate. Cogita rursus, Deum tria rerum genera procreare. Angelos penitus incorporeos, item formas omnino corporeas, medias verò animas, incorporeas quidem substantia, sed affectu motuque quasi corporeas. Similiter Solem aspice, calore semper corporea generare, item lumine spiritales corporum imagines per aërem resultantes Medios verò colores. Septem præcipui sunt effectus, tum Solis circa corpora, tum diuini luminis circa mentes & animas. Nam penetrat, illustrat, accendit, excitat, amplificat, eleuat, format. Memento denique neque Solem neque aliud quicquam absque lumine Solis videri posse, siquidem omne lumen à Sole dependet. Similiter ad diuinam lucem, veritatem primam, verorum omnium plenitudinem, intellectus omnes se prorsus habere. Sed de his Theologia latissime. Quibus adde, quid sit lumen nullus absolute definit, sed quid non sit, semper argumentamur. Non color, non diaphanum, non imago cœlestium, quæ quidem simpliciter sit imago. Non enim imaginis est vltra imagines imaginariamque cognitionem, etiam substantias agere. Negationibus igitur comparationibusque quibusdam duntaxat lumen cognoscimus, sicut Deum. Iuuat verò parumper comparationes eiusmodi prosequi. At tu interim da verbis veniam lucis amice. Diuina lux per nouem Angelorum ordines distribuitur. Quem numerum in mentibus Platonici etiam receperunt. Ad similes verò gradus animæ quoque beatæ recipiunt. Similiter Solis lumen per nouem gradus præcipue distribuitur.

Primus quidem gradus luminis est in Sole, secundus luminis in firmamento candidi ob raritatem quoque nobis occulti, tertius conspicuæ lucis in stellis, sed hæc tibi trina sunt candida, rubea, mixta, sunt igitur huc vsque gradus quinque. Ad rubeam refertur ignis. Sextus in diaphanis sub Luna simplicibus: septimus in diaphanis sub Luna compositis ceu vitris atque christallis lumen minime conseruantibus: octauus in diaphanis compositis conseruantibus, quales sunt oculi multi. & noctilucæ, carbunculique. Quibus inest pinguis quædam cum perspicuitate tenacitas, luminis conseruatrix: nonus desinit in colores imaginesque colorum. Præterea si colores sunt quasi lumina quædam totidem ipsi quoque gradus. Extremi quidem sunt albus atque niger, horum medius æquè distans viridis. De quo satis in libro de vita secundo. Inter album atque viridem croceus est albo similior, rubeusque clarus prope viridem, Zaphirinus verò medius. Tres similibus quoque gradibus inter viridem sunt & nigrum ex antecedentibus trina proportione commixti. Cum verò scientiæ luminibus luminosisque coloribus comparari possint, meritò sunt & nouem, quasi Musæ sub Apolline nouem. Scientia quidem vel de rebus agit penitus separatis, vel omnino corporeis aut mediis, illa quidem diuina, ista naturalis, hæc Mathematica Harum quælibet secatur in tria. Diuina enim vel contemplatur Deum, vel substantias omnino diuinas, vt Angelos, vel intellectuales animas, natura quidem diuinas, sed quodammodo etiam vergentes ad corpora, sed interim separabiles. Huc vsque diuina scientia contemplatur. Naturalis autem tria quoque considerat, vel elementalia corpora, vel cœlestia, vel animas his coniunctas. Mathematica quoque triplex. Aut enim solam quantitatem tractat siue numeralem siue continuam, vt Arithmetica Geometriaque. Aut quantitatem eiusmodi cum ratione motus, vt Astrologus. Aut etiam cum ratione sensus, siue visus, siue auditus, vt perspectiua vel Musicus. Nouem igitur communia scientiarum lumina sunt. Sed longius iam digressi videmur.

Lumen est quasi spiritale quoddam. Et spiritus sunt lumina quædam. Similitudo luminis ad animam atque Angelos.

CAPVT XIII.

QVod lumen spiritale quoddam sit, potius quam corporale, ex eo constat, vt alibi diximus, quia passim sine tempore propagatur, sine offensione implet perspicua corpora, sine sui inquinamento se sordidis circumfundit. Præterea corporibus his facilius se largitur, quę longius à corpulenta mole discedunt. Vnde purissima corpora cœli & ignis, qui cœlestis est, vt Platonici putant, in se lucent, aër & aqua ab illis. Interea terræ neque ex se manifestè nitent, neque ex illis. In superficie terræ lumen mixtionibus diuersis elementorum quatuor maximè terrenis infusum, diuersorum colorum induit formas, qua corpuscu-

la, quorum quasi quædam animulæ sunt scintillæ luminis illis infusæ. Quas si ab illis mixtionibus segregaueris, atque seruaueris, videbis forte quales sint rationales animæ à corporibus separatę. Sunt enim lumina quædam olim in corporibus confusiora, sed iam in naturam propriam restituta, ideoque clarissima. Sic enim corpus ab anima diuersissimam illi quasi Eclypsim obducit, sicut Luna coniuncta Soli, imò verò sicut mixtio terrena à cœlo lumen reddit opacum, facitque colorem ex lumine, sic corpus circa animam reddit ex intelligentia sensum. Quemadmodum radius calorem quidem permiscet aëri, lucem verò retinet non permixtam. Sic anima corpori vitam communicat, intelligentiam verò nequaquam, instar lucis sine compressione sui se colligit in angustum, sine distractione rursus explicatur in amplum. Nec aucto corpore crescit ipsa, neque diminuto decrescit. Lumen ab amplo dependens se colligit per foramen, transuersisque radiis prosilit in oppositum, figuram pristinam, mox amplitudinem quoque paulatim subinde recipiens ad eandem denique rediturum. Similiter anima ab ampla diuinitate in angustum corpus affectumque apud nos redacta, potest hinc etiam incolumis emigrare, pristinam quandoque formam & amplitudinem receptura. Qualis etiam descensus ascensusque sit Angelorum, radij quoque declarant prosilientes huc resilientesque momento, & prosiliendo Solem minime deserentes.

Lumen in Deo, in Angelo, in ratione, in spiritu, in corpore.

CAPVT XIIII.

VErùm, vt redeamus vnde digressi sumus, cœlum, quamuis in se, non tamen ex se, sed ex superiorum claritate & gaudio refulget, & gestit, ceu oculus ex spiritus claritate animique lætitia. Spiritus autem lætatur maximè claritate sua solisque. Animus claritate spiritus atq; mentis. Videtur autem lumen hoc esse mens refulgens per corpus perspicuum quasi vitrum, & inde iam facta visibilis. Mens autem lux in se ob nimiam vbertatem tenuitatemque penitus inuisibilis. Siquidem lumen, & si est vbique die, nusquam tamen apparet, nisi vbi densum est aliquid atque resistens. Subtrahe densitatem, & si non videtur, est tamen ibidem. Adde iterum densitatem, statim rursus apparet. Hinc planè constat, lumen ipsum in se esse intellectuale quiddam. Quod quidem mox sensibile fiat, subdito videlicet denso, lateat verò subducto. Quomodo verò visibilem ex inuisibili lucem euasisse fingamus, quasi ex scintilla iam mota lucidum quendam circulum, in sexto Theologiæ tractamus. Proinde, lux in mente est veritas gaudens, gaudiumque verum, lumen à mente in corporibus est quædam veritatis rerum sensibilium declaratio, pulchritudinis flos, oblectatio sensus. Sed repete rectius. Nempe lux tanquam propria corporis circularis perpetuo reuertẽtis ad idem, imò & intelligentiæ seipsam reflectentis in orbem, nimirum vbique tangens, repetere videtur originem, dum sursum reflectitur in seipsam, nosque similiter contemplatione simul & amore sui reducit in patriam. Sed interim me quoque compellit, vt inter loquendum, nescio quomodo, circuli more iam sæpius reuertatur ad idem. Tu autem indulge, precor, prolixo huic amico lucis, ipse lucis amice. Bona igitur iam venia repetam. Lumen in diuina mente intelligentiam supereminet. Inde angelicæ menti lumen idem infusum, secundum intelligentiam redditur, sed super terminos rationis. Diuinum hoc angelicumque lumen in mentibus hominum secundùm rationem iam euadit, sed superat phantasiam. In spiritum secundùm phantasiam, super sensum, in corpore verò maximè oculis quasi cœlestibus animæ stellis, sensui iam familiare fit, sed non materiæ. Nam ipsum etiam pulchritudinis florem in corporibus apparentem Plotinus in quodam splendore non corporeo collocauit. Ipsa certè pulchritudo prima nihil aliud est, quàm splendor gloriæ penes patrem luminum, & figura substantiæ eius. Vnde triplex emicat pulchritudo. Prima quidem per Angelicos intellectus; secunda verò per intellectuales animas; tertia, per corpora vbique formosa quasi lumen vnum per tria quædam vitra, coloribus inter se varia, ideoque varium ex primo splendorem subinde reddentia. Ipsa igitur gratia pulchritudinis, quæ etiam in corporibus intuentes & cogitantes tam mirabiliter in se conuertit, nihil aliud est quàm splendor per gradus desuper emicans. Maximè verò per radios oculorum, & rapiens intuentes, & amatores occulto quodam calore mirabiliter in se transformans. Sed de his in libro de Amore satis. Ad institutum ordinem reuertamur. In omnibus mentibus lumen est vita exuberans, veritas clara certaque, lætitia plena, inde in corporibus est diuinæ explicatio & effusio vitæ, decla-

ratio veritatis rerum & authoris, gratia formæ, voluptatis incitamentum. Empedocles & Zeno volunt, quemadmodum se habet ad carbonem flamma, sic quodammodo se habere lumen ad flammam, atque flammam esse quasi lumen densum, lumen verò flammam rarissimam, vitamque cunctorum. Plotinus & Proculus arbitrantur esse visum quendam, aspectumque numinum per radios cœlestium oculorum procul emissum. Atque esse spiritum quendam diuinum, qui & omnia videat, & quantum in se est, ab omnibus videatur. Addunt, eiusmodi spiritum extingui nusquam, sed sydera sequi, sicut visualis radius animalium nocte videntium, nunc quidem emicat foras, nunc verò non emicat, nec interea prorsus extinguitur, vitam oculi sui continuè comitans. Si enim tota cœli natura sempiterna est, in hac autem nihil familiarius, pulchrius, efficacius, diuinius est quam lumen, nimirum & lumen est sempiternum. Forte etiam coniectare licet, ignem quoque sub Luna, lumenque suum sempiternum esse. Est enim portio quędam cœlestis ignis, celesti quodam impetu crassioribus inclusa corporibus Hunc Ægyptij cœlestem spiritum cognouerunt elementis infusum. Hunc Pythagorici Vestalem ignem inuenerunt, vel in centro mundi feruentem. Hunc Stoici intellectualem ignem per omnia discurrentem cogitauere. Hunc & Plato, qualem in Timæo probauimus, & Plotino. Hunc Theologi veteres, teste Marone, diuinum ætherem viuentibus haustum, dixerunt, ire per omnes terras, tractusque maris cœlumque profundum. Igneus est ollis vigor & cœlestis origo. Fortè igitur ignis cum videtur extingui in occultum resoluitur ignem, lumenque huius in lumen illius occultum.

Animæ & si nominantur lumina, tamen in vnum quasi commune lumen resolui non possunt.

CAPVT XV.

QVod modo fingebam, & si fortè non est verum, licentius tamen fingi potest. De anima verò fingi reuera non potest. Quæ enim communem inter se materiam habent, inuicem confundi possunt. Item quæ aliorum partes sunt, in illa restitui. Rursus quæ superioris substantiæ actus quidam pedissequi sunt, in illam quasi resolui, & quæ accidentia, facilius euanescere. Rationales autem animæ, substantiæ sunt incorporeæ, rectrices corporum, eisque repugnantes, per se agunt, à se conuertuntur, in se subsistunt, superiori etiam quandoque rebelles, inter se nimium discrepantes. A substantiis accidentia ratione distinguunt, à corporeis incorporea separant. Itaque neque confundi possunt, vel restitui, vel resolui. De his in Theologia & secundo Epistolarum libro latissime. Ac si animæ fingantur vt lumina, non quidem vt radij sunt, sed vt luces, & hæ quidem substantiales, sensibili luce longè præstantiores, similes quidem stellis potius quàm luminibus dependentibus, natiuo quodam lumine præditæ ferme sicut stellæ, aliud præterea lumen, sicut stellæ à Sole, diuinitus accepturæ. Sicut lucem visibilem non percipit nisi lux aliqua visualis, nec intelligibilem, nisi lux quædam intellectualis, ita neque substantialem distinctam sempiternam, nisi lux substantialis distincta sempiterna, præsertim si illa sit sub ipsa sempiternitatis ratione percipienda. Per hanc itaque rationem, quasi per speculam tibi prospicienti, propria statim nostræ mentis immortalitas rutilabit.

Lumen est quasi visibile numen, & Deum referens, & nos gradatim ad mores & diuina perducens.

CAPVT XVI.

DEnique, lumen est quasi numen quoddam in mundano hoc templo, Dei similitudinem referens Adeò, vt Plato noster in libro de Republica hoc ipsius boni filium nominauerint. Est enim instar Dei aspectu ante omnia venerandum. Est & amplificatio quædam subita & latissima absque detrimento sui ob exuberantem bonitatem largitatemque suam cunctis sese libentissime & felicissime largiens. Causa conseruatioque & exercitatio omnium quæ nascuntur. Proinde ad vitam, veritatem, lætitiam, vnde descendit, cætera subleuat. Absque huius pręsentia mori cuncta videntur, huius autem præsentia reuiuiscere. Interim verò dum ipsum non solum fit à Sole, sed etiam conseruatur, neque inde discedit, nos admonet, non solum à Deo fieri, sed seruari, atque ab illo minimè discedendum. Siquidem illud vbi longius distare iam videtur à Sole, vbi vehementius reflectitur erga Solem. Et si fortè videbor alicui curiosior, dicam tamen quod mihi nunc de iustitia venit in mentem, amore lucis & iustitiæ raptus. Quis enim modus adsit amori? Nempe videtur mihi lumen sæpe nos ad iustitiam cohortari, ab iustitia deterrere;


vbi quàm potens ipsa iustitia sit, quam impotẽs iniustitia manifeste declarat. Radius enim qui tanquam iustus incidit rectus, æquales vtrumque reddens angulos, potenter agit, & penetrat. Et vbi ex aëre transit in aquam, non frangitur per obliquum. Atque vbi tangit solidum, quasi fortis reflectitur in seipsum. Contra verò radius, qui tanquam iniustus decidit ex obliquo, angulos vtrinque faciens inæquales, tanquam debilis vix efficit quicquam, subitò frangitur in obliquum, nec in se redit vnquam, sed residit in aduersum. Quantum verò lumini tanquam diuino, constantia, æqualitas, puritas vbique sit grata, declarat ipsum in corporibus specularibus. In quibus & ex quibus ob hæc tria mirum in modum multiplicatur. Dixerit fortè Poëta quispiam, sicut Phœbus Daphnem, ita lumen amare virginitatem. Siquidem flos ipse candoris vnà cum virginitatis flore viget, simulque disperditur. Præsertim in orbibus oculorum, ex quibus etiam testificatur ingenium. Hinc certè Democritus puellam quam modo virginem iudicauerat, sagaciter deprehendit mox pollutam. Sed iam redeamus ad institutum. Lumen non solum nos in moribus instruit, sed etiam quod optimum est, diuinum humano generi commemoratur cultum, vt neque impij negare audeant esse Deum, cuius simulachro sensibus nihil clarius. Neque flagitiosi vel latere oculum, vel effugere manum eius se posse confidant, cuius simulachrum est ipsa claritas. Ac velocius quàm dici possit momento per omnia dilatatur, nec est qui se abscondat à calore eius. Vnus in omnibus & circa omnia lumen. Lumen in omnibus à Deo factis est quidam diuinæ claritatis splendor, atque (vt ita loquar) est Deus quasi seipsum finiens, & ad operum suorum capacitatem sese accommodans. Deus autem ipse est lumen immensum in seipso consistens, ac per se in omnibus & extra omnia per immensum. Fons ille vitæ, in cuius lumine (vt ait Dauid) videmus lumen. Oculus quoque quo omnes vident oculi, & vt inquit Orpheus, oculus qui cuncta in singulis inspicit, ac reuera omnia conspicit in seipso, dum esse se perspicit omnia. Constituit autem, vt in vno lumine cuncta conspicerentur, non corporea solum, sed etiam incorporea. Lumen vides in materia mundi plenum omnibus rerum omnium formis, atque volubile. Subtrahe materiam, relinque cætera, habes animam incorporeum lumen à corporibus separabilem, omniforme, mutabile. Deme rursus huic mutationem, es iam intellectum Angelicum consecutus, separatum lumen, & omniforme iamque etiam mutabile. Detrahe huic eam diuersitatem, per quam forma quælibet diuersa est à lumine, aliæque diuersæ sunt ab aliis, & infusæ insuper aliunde. Lumen hoc infinite lucet, quia natura lucet sua, estque simpliciter absolutum. Ita demum Deus mentis oculis per hoc lumen superiore quodam lumine coruscabit, vita sensuque plenissimum, quandoquidem imago eius, id est, Solis lumen, vitam omnibus sensumque largitur, & quanto lux illa excellentior est quam nostra, tanto maius menti gaudium quam hæc oculis afferet.

De statu beatorum sub diuino lumine, atque miserorum.

CAPVT XVII.

Sol in superna Hierusalem, vt Propheta inquit, est ipse Deus, qui cultoribus in terra suis in cœlestem patriam reuersuris, proculdubio promittit, vniuersæ veritatis lumen ac plenum in lumine gaudium. Lumen hoc præcipuè sapientibus, alios ad iustitiam instruentibus pollicetur. Fulgebunt (inquit Daniel) docti sicut splendor firmamenti, & qui multos erudierint ad iustitiam, tanquam stellæ in perpetuas æternitates. Non inquit, sicut Sol fulgebũt, Sol enim illic est ipse Deus. Splendor verò firmamenti est candor ille cœlorum, ob raritatem suam oculis nostris semper occultus. Cum enim totus ignis luceat, multo magis tota substantia cœli, vel vbi non sunt stellæ, lucet, sed velut ignis procul in materia tenuissima lucens, vix vlli conspicuus. Eiusmodi splendore fulgebunt sapientes illi, qui apud nos sola fuerint contemplatione contenti. Qui vero contemplati diuina, deinceps ad actionem se contulerint, erudituri cæteros ad iustitiam atque sapientiam, vberiore quadam atque manifesta, sicut stellæ, luce fulgebunt. Cum enim sapientes nihil aliud amauerint & coluerint quam lucem, hanc enim solam in qualibet veritate quærenda quæritant, merito lucis præmia referunt, & qui cæteros illuminant in perpetuum, non iniuria ipsi quoque in perpetuas (vt inquit) æternitates diuinitus illustrantur. Quemadmodum verò piorum præmium est mira quædam lucis participatio, ita supplicium impiorum est ipsa priuatio lucis. Imò verò ipsemet Sol diuinus, qui sanos vegetosque piorum oculos mirifice fouet, impiorum contra oculos languentes offendit, & conscientiam incendio vexat. Non aliter quam Solis lumen in aperto quidem

quidem delectat, in angustum vero coactum prorsus adurit; sed libenter reuertimur ab beatos. Gratum quidem apud nos aëris lumen omnibus, quia vitali animalique spiritu cognatissimum, rerumque innumerabilium varietate delectat. Gratius lumen in spiritibus corporis est sanguineis. Gratissimum lumen intimum menti beatis, vsque adeo mentem implens, vt inde statim exundet in corpus, in corpus, inquam, tum cœleste (vt Platonicè loquar) vniuscuiusque animæ proprium, tum etiam humanum, tandem iam quasi cœleste factum. Illic igitur vnusquisque tantus est oculus, totus vndique peruius, atq; lucens. Quamobrem singuli tam mentis quàm ocularis corporis radios in se inuicem iacientes, facillimo quodam nutu se mutuo prorsus intelligent. Singuli mutuo radiorum iactu in singulis coruscabunt. Deus autem, tanquam sol in stellis, quàm abundè, tam fœliciter fulgebit in cunctis.



MARSILII FICINI FLORENTINI adhuc Adolescentis,

Liber de Voluptate, ad Antonium Canisianum, Ciuem Florentinum.

PROOEMIVM.

Tria differendi genera.



Emini cum adessem vna tecum in Campolitano vestro, & cum regionis illius præcipua amœnitate tum variorum pomorum quibus ea villa imprimis abundat suauitate duceremur, nos in Voluptatis disputationem incidisse, quam ipse à me requisisti, & cum primum daretur ocium literis traderem. Hoc ergo ad te de Voluptate opusculum vt primum Figinum redij, summa ipsa cum voluptate conscripsi. Tria verò sunt vt hinc potissimum exordiamur apud Philosophos differendi genera; Vnum quo certam aliquam quæstionis partem disputando defendimus, atque approbamus, vt Peripatetici, ac Stoici effecere. Alterum quo quæstione proposita diuersas ad id, quod quæritur, sententias, rationesque referimus, vt propositis pluribus, inuicemque collatis, quid ex iis probabilius, verisimiliusque appareat eligamus, quo Academici, ac Socratici penè omnes vtebantur. Tertium verò genus Scepticorum maximè proprium est, qui cum omnia indifferentia esse putent, nec certum, aut probabile habebant quicquam quod sequantur, ea enim, quæ naturæ ordine seiuncta distinctaque sunt confundunt atque permiscent ab excellentioribus, quibusque Philosophis reiiciuntur. Ego igitur ex iis omnibus Academicorum, Socraticorumque, in differendo rationem hoc tempore proponendam mihi decreui. Etenim Plato, quem tanquam Philosophorum Deum sequimur, atque veneramur, vetat eos, qui adhuc in tenera ætate constituti sunt, suam aliqua de re sententiam afferre, ne, vt in iunioribus sæpe accidit, quod primis annis maximè probauerimus, id maturiori deinde ætate, & grauiori iudicio reuocandum, & in contrariam sententiam conuertendum sit. Satius igitur esse censui cæterorum Philosophorum de Voluptate sententias breui sermone concurrere, quàm meam exprimere, ne contra id, quod à Platone nostro docemur, aliquid imprudenter asseuerarem, & vt tuæ, quam noui in Philosophiæ studiis ardentissimam satisfacerem voluntati. Sed hac hactenus, ad Philosophorum iam opiniones deueniamus.

MARSILII FICINI FLORENTINI, DE PARTIBVS ANIMÆ,

CAPVT PRIMVM.

Item de lætitia, gaudio, & voluptate secundùm Platonem.



PLato igitur (vt ab eorum principe initium faciam) cùm animum in duas partes distribuisset, mentem scilicet, ac sensum, menti lætitiam, & gaudium attribuit, sensibus voluptatem. Verùm prima duo inter se differre putat, quod omne gaudium laude sit dignum, lætitia verò partim laudanda, partim vituperanda sit. Esse enim lætitiam in boni alicuius possessione quandam mentis elationem, quæ tamen modestiam excedere pariter, atque seruare queat, gaudium vero illam ipsam, quæ ex contemplatione, aut alio quopiam virtutum vsu suscipitur, iucunditatem. Itaque & ipse idem in Phædro, cùm de prima illa ac vera vita, qua in cœlorum sedibus animus fruitur, loqueretur, ait, Veritatis contemplatione nutritur, & gaudet, vnde sæpenumero gaudium mentis alimoniam vocitat, nam ipsam agro similem vult esse veritatem, frugibus verò veritatis ipsius contemplationem. Alimoniæ deinde, quæ ex iis duobus capitur gaudium, quo mens veritatis contemplatione perfruitur.

Quapropter, & idem in eodem Phædro, cùm de iis tenebris, in quas animus è summa, ac vera luce depressus, ac demersus est, disputaret, Vbi inquit, multus inest conatus veritatis campus, quonam sit intueri, nam conueniens animæ cibus ex illo extitit, & alarum natura, qua anima eleuatur, hac alitur. Alas Plato vocat, quibus animus ad supera, vnde ob terrenarum rerum cogitationem descenderat reuolat, id autem cum duabus virtutibus, Contemplatiua videlicet, atque Morali consequi possit, easdem Plato, vt ego interpretor; virtutes animæ ipsius alas intelligit, quas veritatis diuinarumque rerum contemplatione recuperet; quemadmodum horum appetitione terrenorum amiserat. Cùm verò per vtriusque Philosophiæ Naturalis, pariter & Moralis, exercitationem recuperatis alis ad superos reuolauerit, tum redeunti animo duo putat præmia reddi, & vnum quidem esse diuinitatis contemplationem; alterum perfectum quoddam, atque absolutum gaudium, quo in ea ipsa Dei cognitione animus perfruatur. Illud quidem ambrosiam; hoc nectar Plato in Phædro appellat his verbis, Quæ verè est speculata anima, atque iis enutrita, subiens rursus intra cœlum domum reuertitur. Cùm autem redierit auriga ad præsepe sistens, equos obiicit ambrosiam, & super ipsam nectar, potandum.

Aurigam more Pythagoræ, rationem vocat, equos verò cæteras animi partes atque naturas, quod illa ducat, reliqua verò ducantur omnino, atque regantur: atque idem arbitror à nonnullis præstantioribus Vatibus, cum aut ambrosiam, aut nectar, aut aurigam circa animum nominant plerumque significari. Hæc igitur ex diuina Platonis nostri de ipsius gaudij natura sententa, quod idem videtur

intellexisse Mercurius Trismegistus, cùm de summo Deo hæc diceret. Condonas nos ratione, sensu, intelligentia. Ratione, vt te suspicionibus indagemus, sensu, vt te cognouerimus, cognitione, vt te cognoscentes gaudemus, quòd te ostenderis nobis totum. Sed de gaudio hæc hactenus.

Quid sit voluptas, & quòd non sit per se bonum, multis rationibus secundum Platonem.

CAPVT II.

VOluptatem verò esse Plato vult suauem quandam motionem in sensibus, quæ ex indigentiæ repletione proficiscatur. Esse enim indigentiam eiusque repletionem inuicem quodammodo pugnantia, & ex illa cupiditatem, ac dolorem, ex hac voluptatem sensibus nostris accidere. Neque hanc ipsam de qua nunc loquimur voluptatem in bonis connumerandam putat, quod cum plurimis verissimisq; rationibus demonstrauerit, hæc tamen ex omnibus prima est, atque potissima. Quod quemadmodum caloris præsentia ea, ad quæ calor aduenerit callida efficiuntur, ita & eo, quod bonum est absistente bona fiunt omnia, quibus ipsa bonitas adsit.

Neminem autem voluptatis possessione meliorem fieri, cum & bestiis insit voluptas maior etiam, quam hominibus, quæ tamen ne dum his meliores, sed nec omnino bonæ quidem sunt. Mulieres præterea & pueri, stulti denique, atque ignaui omnes voluptatem sectentur, totisque complectantur viribus, multo etiam magis quam viri boni atque præstantes ingenio. At quã absurdum foret, si quod bonum sit magis improbis, atque ignauis, quam probis & præstantibus hominibus competat. petat.

Neque possunt, vt ille putat, contraria; inuicem commisceri, voluptatem verò etiam, vbi mala sunt proculdubio reperiri, cum improbis atque iniustis non desit. Nullo igitur pacto bonum esse. Etenim cum eo, quod malum esse congredi, bonum verò cum malo, quia repugnantia sunt, coire nullo modo posse. Adde illud, quod in Gorgia à Socrate dicitur, bonum ac malum nunquam simul in eodem homine reperiri. Eundem tamen eodemque tempore sæpenumero affici dolore pariter atque voluptate. Omnem quippe indigentiam dolorosam esse, omnemque eius repletionem sensibus voluptariam. Sitire autem indigentiam vocat naturæ, potare verò repletionem. Illud ergo molestum, hoc contrà iucundum: bibere porro ac sitire simul contingit, ex quo effici vult, vt dolorem simul, atque voluptatem habere quis possit. Imò cupiditatem, sollicitudinem, suspicionem, inuidiam, & misericordiam, quæ omnia dolorem in se contineant, voluptatis comites esse. Vnde timens cupidinem, inquit dolori simul, & voluptati permistam à sensibus proficisci, quo fit, vt voluptas cum dolore copulata confusaque sit. Cumque bonum malo non sit commistum, negat ille dolorem, malum, voluptatemque bonum esse posse.

Præterea cum omne bonum stabile, ac permanens esse debeat, quis dixerit voluptatem, quæ nullam stabilitatem habet, bonam esse? Atqui negari non potest. Siquis eius definitionem consideret, instabilem, atque incertam esse voluptatem, motio namque in definiendo (vt supra retulimus) appellata est. Nihil autem contrarium stabilitati magis est, quam motus, neque quisquam est, qui modo voluptatem corporis vllam gustauerit, qui nesciat quam fragilis sit, quam breuis, quanta celeritate labatur, ac defluat, quamque cito in contrarium conuertatur. Insuper quod bonum est, bono contrarium esse nunquam poterit. Voluptatem verò cum plurima, ac maxima bona impediat, bono contrariam esse quis dubitet?

Impediunt enim prudentiam voluptates, menti infundunt tenebras, deprauant iudicium, suisque blanditiis, ac lenociniis, quasi meretriculæ quædam mentes ad se alliciunt hominum, atque illaqueant, omnemque naturam hominis in vitiorum atque scelerum luto cœnoque prosternunt. Diuinè enim Plato in Epistola ad Dionysium, voluptas inquit hominibus detrimentum affert, inscitiam, inquietudinem, stultitiam, & petulantiam pariens. Præterea nullum bonum est, quod non aut laude, aut veneratione dignum sit. Voluptatem verò nemo sanæ mentis laudat, neque quisquam eo, quod maximis fruatur voluptatibus honore iudicatur esse dignus, & gloria. Sed potius, qui talis est, vt ea alto, atque inuicto animo aspernetur & negligat.

Accedit ad hæc, quod nullum bonum meritò nostrum dici posse videtur, nisi quod aut in ipsa cuiusque natura insit, aut à nobis ipsis profectum fuerit. Neque nos

aliud quicquàm sumus præter mentem & rationem. Corpus autem carcer, & sepulchrum est nobis. Sensus verò velut satellites quidam, atque insidiatores, qui id potissimum curare, atque contendere videntur, vt nos in huius carceris tenebris altius mergant, atque astringant, vt nec ad locum suum patriamque cœlestem animi reuolent nec auras respiciant clausi tenebris, & carcere cæco, quo efficitur, vt ea dumtaxat nostra, atque in nobis existere videantur, quæ ab animo, & ratione profecta sint, cætera verò à fortuna, vel ab inimico nobis carcere oriuntur, neque tam nostra sunt, quàm corporis, & fortunæ Recteque inquit Varro, nemo suum dicat, quod extra ipsum est.

Voluptas igitur cum in corpore, ac sensibus ingenita, & insita sit, qui eam in bonis nostris connumerauerit, absque dubio videbitur insanire. His adde, si placet, quod ait apud Platonem Socrates in Gorgia, omnia animi bona ab arte, rectitudine, ordineque, & electione proficisci, atque in hoc omnis etiam moralium Philosophorum disciplina consentit, omnem virtutis, bonorumque animi vim in electione consistere, voluptatem verò quis dixerit ab electione proficisci? nonne quæ in electionem cadunt, in iis prius oportet consilium, deliberationemque locum habuisse? nihil enim eligitur, nisi quod ante consultum, iudicatumque fuerit, voluptatem verò vt habeat in se nemo deliberat, ea namque nobis ingenita est, quapropter Socrates duas in vno quoque nostras ideas esse putat, quas sequamur, quocunque ducunt, vnam opinionem optimi affectatricem, alteram voluptatum cupiditatem, & illam quidem acquisitam, hanc autem innatam vocitat. Nec igitur artem, neque rationem, neque ordinem prorsus vllum voluptas sequitur, sed potius naturæ, ac sensuum repentino, & temerario quodam impetu, quàm aut certo aliquo iudicio, aut consilio excitatur in nobis, blanditur sensibus, corpus suauitate quadam perniciosa delinit, atque titillat, effœminat animum, atque è suo statu mentem, rationemque dimouet.

Insuper ea est bonorum natura omnium, vt futura dum sint, spem hominis erigant, cùm verò adsint, tranquillum efficiant animum possidentis, ac quietum, & eo, quod adest, contentum reddant, suaque expleant possessione, vt nullo vlterius egeat, nihil requirat, nil appetat, quasi id vnum possideat, quod sua sit natura sufficiens, atque perfectum, quod si quid vltra desideret, qui boni alicuius possessione fruitur, sollicitudine tamen, ac molestia penitus vacare videtur, futuræ autem voluptates intollerabili quodam cupiditatis ardore sensus afficiunt, cura accendunt, animum onerant sollicitudine, & (vt breui complectar) in furorem quendam rabiemque compellunt; cum verò qui eas, quarum cupiditate exarserat, voluptates præsentes amplectitur, continuo metum vna secum, suspicionemq; ducunt, obcæcantque nos, dum fruimur, & ad ferarum redigunt immanitatem, nec dum haustæ, imò (vt verius loquar) nec adhuc primis labris degustatæ incredibili quadam animum pœnitentia, verecundia, tædio, stomacho, languore prorsus afficiunt, vt verissimum sit illud Socratis in Phœdone, dolorem, ac voluptatem ex eodem capite ambo esse connexa, naturamque in vnum eorum apices coniunxisse.

Eaque de causa fieri, vt cuicùnque eorum alterum adsit, eandem postea sequatur & alterum, inde rursus cupidinis ignes exoriuntur, & quo auidius voluptates haustæ sunt, eo plura, atque vberiora libidinum germina, seminaque repullulant. Hinc (vt opinor) Poëtæ apud inferos Tityon inducunt.

Cui tota nouem per iugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis vultur adunco
Immortale iecur tondens, fœcundaque pœnis
Viscera rimatur epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur illa renatis.

Quapropter diuine Architas Tarentinus, ac Plato eiusmodi animum perforato vasi similem esse voluerunt, ob insatiabilem, atque infinitam voraginem appetendi, quod quæ nullis voluptatibus expletur. Epicarmus Pythagoricus, ac Socrates non modo perfracto vasi, verumetiam Euripo libidinosum animum comparauerunt, quod quemadmodum in Euripo aqua fluit ac refluit, & rursum deorsumque iactatur.

Ita & in huiusmodi animo, nunc cupiditas, seu voluptas insit, nunc cesset, ac fluat, & iterum renascatur, ac refluat modo lætetur, ac speret, & quasi sursum erigatur libidinosus animus, modo doleat, diffidat, metuat, sollicitetur, deorsumque cadat, tum id velit, tum nolit, imo eodem quoque in tempore, aliud quidem ratio velit, aliud sensus affectent, atque ita fit, vt eiusmodi animus non modo, tum ad hoc se, tum ad illud intendat; verumetiam vno in tempore in contrarios affectus, diuersasque sententias distrahatur.

Itaque Socrates malè dicebat, vt lyra sibi dissona foret, chorusque, quem duceret, & multos alios homines sibi contradicere, quam vt ipse vnus sibi ipsi contrarius ac dissonus esset, vnde rationabiliter Pythagoras harmoniam quandam virtutem nuncupat. Sequuntur deinde reliquæ tres contra Voluptatem Platonis argumentationes: Etenim contrariam ille boni, ac mali naturam esse censet, vt illud difficilè consequamur. In hoc autem veluti per lubricam viam quandam facilè dilabamur, igitur fore, vt mala quæ sunt, ita excrescant, vt omnem bonorum naturam deleri penitus, atque extirpari necesse sit, nisi huic tam perniciosæ pesti aptissimum quoddam natura remedium adhibuisset, ita enim institutum esse, vt singula bona ob maximam naturæ cognationem sese inuicem appetant, in vnumque tendant; nec vllo pacto ab inuicem discernantur, sed quadam quasi confusione coëant, & cui vnum aliquod ex iis adsit, nullum sibi bonorum deesse queat, virtutesque tanta connexione consequantur, vt qui vnam adeptus sit, omnium iam virtutum possessione fruatur. Quapropter laboriosis difficultatibusque bonorum consequendorum; eorumdem quoque coniunctionem, copulationemq; Deus opposuisse videtur. At vero mala inter se diffident, atque dissentiunt, nec vllo modo inuicem coïre, confundive possunt. Recteque Aristoteles, malum, inquit, seipsum corrumpit, quod si integrum vndequaque sit intolerabile est. Nec vnquam in eodem prodigalitas, atque auaritia, aut audacia, timiditasque conueniunt, eodemq; modo nec alia vlla vitiorum extrema, cùm penitus opposita sint, inuicem connectuntur. Quapropter optimum id aduersum delinquendi procliuitatem à natura remedium adhibitum esse videtur, vt qui ad lapsum est pronior, in omnem tamen præcipitij partem labi nequeat, qui vero summa difficultate ascendit, totum atque integrum deinde cacumen necessario consequatur. Cùm igitur malorum, bonorumque huiusmodi conditio sit, necessaria ratione concluditur, ea quæ sese minimè consequuntur bona esse non posse, voluptates autem nedum inuicem congrediantur, sed sibi quodammodo repugnare, sæpiusque impedimentum afferre videntur. Nam dum aliquis corporis sensus maxima suauitate mouetur, reliqui eorum, quæ sibi tum offeruntur, vix iucunditatem percipiunt, illud quoque accidit, vt alter altero plures, maioresque admodum voluptates persentiat, nec omnes animantes pariter delectentur, virtutes autem, & omnino quæcunque bona sunt, ob eam, quam paulo ante retulimus rationem, sic inuicem copulantur, vt cuncta simul eidem adsint, nec plura ex his vni, quam alteri adesse queant. Cum ergo bonorum atque voluptatum dissimilem inter se naturam esse perspicuum sit, nemo profecto corporis voluptatem, nisi qui nimium eius amicus existat, bonam dixerit. Altera deinde Platonis argumentatio eam esse probat bonorum proprietatem, vt ad communem humani generis vtilitatem salutemque tendat, voluptatem verò propriam dicit libidinem, amoremque gignere, & qui huic obnoxius est propriæ dumtaxat cupiditati semper intendere, nec vllam sibi alterius curam esse, modo propriæ voragini vigilantius obsequatur. Omniaque, quæ agit ad eam, quæ sensibus percipitur suauitatem iucunditatemque referre. Postrema Platonicorum ratio illa est, quæ bonum, ac finem idem omnino esse dicunt, finem verò id, ad quod quasi quiddam extremum appetitio referatur. Quapropter cum naturalis homini appetitio voluptatem alterius cuiusdam gratia solummodo concupiscat, nec sanè finem, nec omnino bonum, hanc esse quis sanæ mentis existimet? Etenim ob eam causam suauem eiusmodi perceptionem viuentibus à natura datam existimant, vt quæ ad viuendum necessaria sint, acquirant, & parent; quod enim viuit duobus potissimum indiget, vt quæ nocere possunt, reiiciat, atque repellat, quæ verò prodesse, capiat, atque asciscat. Cum verò illa à se propellere, hæc autem consequi laboriosum, atque difficile sit, ne ob hanc ipsam difficultatem viuentia ad ea, quibus indigent comparanda tardiora forent, in omni huiusmodi actione quandam natura voluptatem implicuit, quo fit, vt hac dulcedine, velut esca delinita, ac penitus capta, nec pericula vlla, laboremque fugiant, nec parandi victus difficultatemque percipiant, sintque ad paranda vitæ necessaria promptiora, quod autem horum gratia voluptas nobis à natura data sit, hoc velut signo demonstrant, quod omnes animantes, cum quid è corpore, quod superfluum sit expellunt, siue quod necessarium capiunt, hac, quam sæpe iam commemorauimus suauitate mouentur, quæque magis id agunt, maiorem quoque delectationem percipiunt. Cum verò naturæ indigentiam prorsus expleuerint, nullam vlterius voluptatem persentiunt, sed ea, quamdiu indigentiam replent, moueri videmus, quasi ad vitæ necessaria consequenda explendamque indigentiam sen-

suum voluptatem natura retulerit, vitæ igitur tum seruandæ, tum etiam generis propagandi gratia voluptas tradita est, nec propter se expetenda, neque finis, propterea que ne bonum quidem, vt sępius demonstrauimus appellari debet.

Architas quoque Pythagoricus, hac aduersus corporis voluptatem argumentatione vtebatur, quod causæ semper, eaq; quæ causas consequuntur, cognata esse dicebant. Ideoque nemini dubium esse putat, quin illud ex quo mala plurima consequuntur, bonum esse non possit, voluptatis autem gratia pestiferas omnes animi perturbationes, adulteria, stupra, homicidia, furta, dissensiones, scelera denique omnia nasci perspicuum esse. Ex quibus efficitur (vt ille putat) non modo non bonum, sed maximum quoddam malum, ac detestandum videri. eademq; ratione Antisthenes Socraticus extremum, summumque malorum corporis voluptatem esse probat, quia quod omnium malorum causa, & origo sit, cæterorum quoque pessimum merito iudicari possit, cumque delicta omnia ab ignorantia proficiscantur, nihilque esse possit, quod æquè, ac voluptas iudicium, consolidumque corrumpat, necesse est, vt ille concludit, ab hac & ignorantiam, & mala omnia proficisci. Vnde insania dicere solebat potius, quam voluptate corripiar. Prætereà, Mercurius Trismegistus, Ægyptiorum omnium sapientissimus, duabus potissimum rationibus hanc nefariam labem ex animis hominum extirpare conatur. Id enim cuique bonum esse censet, quod aut rem ipsam, cui quidem adsit, in propria natura contineat, aut ad meliorem frugem perducat. Primi generis esse virtutes eas, quæ in actione positæ sunt videmus, earum namque proprium est animum ab omni perturbationum tumultu liberum, tranquillumque reddere. Perturbationum verò detractio, & quasi quædam mentis serenitas sua cuiusque animi ac naturalis proprietas existit. Secundi generis eas virtutes, quæ in contemplatione versantur esse constat. Quippe cùm animum rerum diuinarum studio, intelligentiaque supra humanam quodammodo naturam erigant atque extollant, vt ad Dei vitam, quæ duntaxat in contemplatione consistit, quàm proximè videatur accedere, voluptatis vero conditionem vtrique contrariam esse patet. Ardentissimis enim innumerisque affectibus animum quasi quibusdam furiis agitat, vt longe absit ab illa, quam magnopere natura requirit, tranquillitate. Cùmque humanum genus inter Deum, ac bestias medium teneat, ob eamque causam vtrorumque participes esse meritò videatur, in alterum quoque migrare, & quasi conuerti posse Trismegistus existimat. Etenim qui mente præcipuè vtitur, eum profectò beatissimam Deorum immortalium vitam agere, qui verò corpore, ac sensibus, bestiarum. Quapropter cum voluptatis vsus in corpore sensibusque existat, qui maximè huic deditus est, non modo non ascendit ad ea, quæ meliora, diuinioraque sunt, sed ne propriæ quidem naturæ statum, dignitatemque retinet, ac velut ex animo ad corpus, ex mente ad sensus, ex homine ad bestias labitur. Diuinè apud Platonē Socrates in Phœdone, Voluptas inquit quasi clauum tenens animum corpori affigit, atque coniungit, efficitque, vt infectus corporea specie ea putet esse vera, quæ suadeat corpus. Nam cum eiusdem rebus commoneatur, atque eadem sentiat cum corpore, cogitur, vt puto, eorundem morum, atque eiusdem alimoniæ fieri. Ex iis altera quædam argumentatio à Trismegisto contexitur. In omnibus quippe rerum generibus vnum aliquod maximum, atque summum esse vult, cuius participatione reliqua in eodem genere reponantur, vt omnia, quæ calida sunt, ignis natura, cui summa caliditas adsit calida fieri, eodemque modo & bona quæcunque sunt, quod summum, primumque bonum sequantur, atque imitentur bona dici debere. Summum verò bonū esse Deum, qui dubitat, is nihil omnino intelligit. Quæcunque igitur bona dicuntur, quia Deum quodammodo imitentur, eiusmodi appellatione digna esse putat, vnde virtutes omnes, quod Deo cognatissimę sunt, nō immeritò perfectæ atq; optimæ iudicantur. Primi namque (vt suprà diximus) virtutum generis opus est tranquillitatem afferre. Alterius autem, ad veritatis cognitionem perducere. Tranquillitas verò, veritatisque scientia (vt Plato quoque disputat) diuinitatis maximè propria sunt. Quapropter nemini dubium esse potest, quin vtraque virtutum genera homines immortali Deo cognatos efficiant, at verò voluptati quæ potest esse cum diuinitate cognatio? Deus quippe ab omni corporis concretione solutus, ac liber existit, voluptas autem corpus mouet, sensibusque blanditur, efficitque vt in corporis luto sensibusque demersi, non modo ab immortalium deorum præstantia, sed ab hominum quoque natura degenerare videamur, omnemque humanam rationem exuti porcorum spurcissimas sordes induere. Quapropter non

immerito inquit Plato, voluptas à deorum natura sequestra est; sed quid verius aptiusque aduersus hanc pestem dici potest? quam quod ab Hippocrate diuino profecto viro dictum ferunt. Is enim cum de Veneris voluptate loqueretur, partem esse dixit illam morbi tetertimi, quem nostri comitialem vocant.

Obiectiones Peripateticorum contra Platonicam voluptatis definitionem.

CAPVT III.

HÆc igitur est diuina Platonis de voluptate sententia, in qua Mercurius Trismegistus, & Pythagorici omnes, ac Socratici quique excellentiores absque vlla dubitatione consentiunt. At verò Peripatetici acuti sane viri, sed hac in re contentionis forte studiosiores, quam veritatis, tam optimam, tamque diuinam Platonis sententiam suis quibusdam argutiis peruertere, atque deprauare contendunt. Tria verò sunt, in quibus nituntur Platonicos carpere. Primum quod Plato voluptatem motum in definiendo vocauerit, motum namque omnem velocem aiunt esse, vel tardum, voluptatem verò nullam velocem, aut tardam dici posse, sed aut breuem dici, aut diuturnam oportere, neque motum vllum simul totum posse consistere, sed alteram semper alteri motionis parti succedere partem, ita vt vna deficiente, nascatur & altera, neque possint duæ quædam motionis partes se inuicem expectare: voluptatem contra simul fieri totam, omnesque eius partes inuicem, vt ita dixerim, commanere. Nam cum animus boni alicuius possessione frui se nouerit, hunc statim putant voluptatem percipere. Itaque fieri, vt voluptas animi cognitionem perceptionemque sequatur, & vt percepto eo, quod bonum videtur, extrinsecus obiecto puncto temporis tota conficitur, sic voluptatem, quæ apprehensionem eiusmodi sequitur, puncto quoque temporis perfici. Quæ verò sic fiunt, tota simul ac pariter fieri, atque indiuidua quadam simplicique natura consistere. Ex quibus concludi volunt voluptatem sensibus simplici quodam puncto prorsus innasci, ac statim primo sui exordio totam perfectamque existere, nec partem alteram, vt absolutior sit, desiderare, quo fit vt motus esse non possit.

Deinde Platonem reprobant, quod repletionem indigentiæ vocauerit voluptatem, idque ob hoc falsum esse putant, quoniam in animo voluptas insit, repletio autem existat in corpore, nec omnem voluptatem consentiunt talem esse, vt cum indigentiæ repletione conueniat. Siquidem quæ oculis, auribus, ac naribus, ex somis, sonis, odoribusque percipiuntur voluptates, nullam priorem expleant indigentiam. Esse præterea in contemplatione quandam ineffabilem voluptatem, quæ nihil ingens impleat, eam quippe mentis propriam esse, mentem verò nec aliquo sustentaculo indigere, nec aliqua ratione repleri posse, impleri enim contraque exhauriri corporibus conuenire, quæ & plena esse possunt, & vacua. Animo autem, cum simplex atque incorporeus sit, illa nullo pacto posse contingere. Tertio verò loco id arguunt, quod voluptates nullas Plato bonas esse dixerit, plerasque malas. At illi plurimas arbitrantur optimas, & laude dignissimas, talesque esse illas, quæ ex honestis actionibus suscipiantur, videri namque actiones huiusmodi iucundissimas, eamque voluptatem, quæ in illis insit, optimam purissimamque existere.

Responsiones ad obiecta.

CAPVT IIII.

HÆ sunt Peripateticorum argumentationes, quibus ego respondere me posse diffiderem, nisi idem ipse, contra quem pugnant, suo, vt dicitur, se Marte defenderet. Prima igitur argumentatio, quá voluptatem nequaquam motum esse posse concludunt, etsi fortè vera sit, nihil tamen in Platonicos valet. Nam & ipse Plato docuit duo esse motuum genera, alterum quidem corporum, alterum animorum; motumque corporum eorum, in quibus est, naturam sequi; corpus siquidem indiuiduo, ac simplici statu collectum esse non potest. Sed alteram eius extra alteram partem iacere necesse est, alioquin diuisione careat oportet, quod verò indiuisum remanet, id iam naturam corporis exuit: quapropter cum omne corpus extensum atque diuiduum sit, necesse est si quando agat patiaturue quippiam, aut ex loco in locum alterum transferatur, propinquiores, anterioresque partes prius cæteris, vel pati, vel agere, vel conuerti. Itaque omnis corporum motus temporis spatium exigit & successione quadam ab eo, quod prius est in posteriora distenditur. Animus autem indiuiduus est, ac simplex, nullam penitus discretionem, distantiamque partium habens. Igitur animi motio indiuidua est, & simplex atque vno tempo-

ris puncto simul tota conficitur. Vnde Thales Milesius nihil animo inquit esse velocius. Cum ergo voluptas apud Platonem, non corporis, verùm animi motio diffinita fuerit, nihil sane prohibet eam motionem esse, ac etiam simul totam consistere, præsertim cum in Platonicis libris motio non modo fluxum, successionemque (vt Peripatetici volunt) verùm omnem quoque operationem actumque significet. Deinde quod aiunt Platonem voluptatem indigentiæ repletionem, indigentiam verò dolorem appellauisse, fortasse minus verum videri potest.

Nam & ipse in Gorgia vult voluptatem in repletione consistere, voluptatem vero in voluptate, aut aliud quippiam eorum, quæ natura fiunt in seipso consistere, præter eos qui Platoni dissimillimi sunt, nemo diceret. Præterea in eodem libro inquit, repletionem esse voluptariam, indigentiam verò plurimum dolorosam. At quis adeò inepte loquitur, vt voluptatem voluptariam, dolorem dolorosum vocitet? Quis item dixerit pulchram pulchritudinem? iustitiam iustam? eodem quoque modo nec Plato voluptariam voluptatem, nec dolorem dolorosum appellauisset. Non igitur dolorem indigentiam, nec repletionem voluptatem esse voluit. Insuper voluptatem inquit à repletione fieri, dolorem ab egestate. Ipse verò idem nihil existimat à seipso fieri posse. Quonam igitur pacto voluptas, si sit repletio, ab ipsa fiet repletione? aut dolor, si sit egestas, ab egestate nascetur? Quinetiam idem ipse in Timæo voluptatem in sensu ponit, eamque motum affectumque nominat, affectum verò sensusque motum repletionem esse vir tantus nunquam diceret. Quod si quis in Gorgia legerit voluptatem esse corporis repletionem, is attentius eum locum consideret, ac demum reperiet Platonem non id ipsum sentire, sed eam esse Calliclis voluptuosissimi hominis sententiam, aduersus quem Socrates acerrime disputat. Verùm dant hæc nobis Peripatetici, nonnulli, negant tamen omnem voluptatem ab ipsa repletione indigentiæ fieri, quippe cum illa, quam nobis affert contemplatio, quæque mente consistit, ex nulla fiat indigentiæ repletione, ego verò & si luce clarius ostendere id possim, illam quoque mentis, quæ ex contemplatione capitur iucunditatem ab ipsa repletione originem sumere, demus tamen hoc illis, ne videamur nimis forsan contentiosi, sit ita sane, vt volunt, quid tum?

Nonne Plato (vt superius quoque diximus) voluptatem in sensibus, gaudium in mente locauit? Si ergo Peripatetici eam in mente ponant, quid ad nos? Non enim hoc sentit Plato. Quod ergo in contemplando percipitur, non voluptatem, sed gaudium nuncupamus, Quod si minus à repletione nascatur, nihil contra Platonem, qui non gaudium, quod in mente est, sed voluptatem, quæ in sensibus insidet, inquit à repletione creari. Sed instat acrius Aristoteles in eo, qui de moribus liber est decimus, probans illam quoque, quæ fit in sensibus voluptatem, non semper ab ipsius repletione indigentiæ proficisci, id enim in tactu, ac gustu verum esse vult. At verò in his, quas ex odoribus, formis, sonisque capimus voluptatibus, nullo pacto contingere. Neque enim illum qui lætatur sonis, aut formis, his ipsis, in quibus oblectatur rebus vlla ratione repleri, neque his antea eguisse, nec verò, & si verisimilia forsan videantur, non tamen talia sunt, vt Platoni aliqua ex parte detrahere possint. Nam verba illa Platonis, quibus inquit voluptatem ab indigentiæ repletione gigni, duobus (vt videtur) modis possumus interpretari. Hæc enim duo, egestas, atque appetitio, ita inuicem sunt connexa, vt alterum nequeat ab altero separari. Ea namque quibus egemus appetimus, neque appetimus quicquam, quo non ante concupiscentiam eguerimus, neque quisquam est egens, quin appetat, neque appetit vnquam, qui non eget. Quo fit, vt vtraque sic inuicem videantur esse coniuncta, vt alterum semper alterum comitetur. Quapropter apud excellentiores quosque Philosophos hæc est consuetudo, vt sæpenumero egestatis nomine appetitum significent, eodemque modo & appetitionis nomine egestatem velint intelligi. Vnde recte Cicero, non caret inquit is, qui non desirat. Socrates quoque, opibus delitiisque nostris, quibus cæteri ardentissime student, egere se negabat, quod eas nequaquam appeteret. Epicurus autem, non qui parum haberet, sed qui plus cuperet egere dicebat. Itaque si quis velit egestatem pellere, non pecuniæ adiiciendum, sed cupidini potius detrahendum. Eodemque modo, cum Plato inquit, repletionem indigentiæ, appetitionis repletionem intelligi voluit. Repletur autem concupiscentia cum id, quod cupiebat assequitur. Repletio autem appetitionis nihil aliud est, nisi consecutio quædam eius, quod in concupiscentiam venerat. Ex his ergo, quæ diximus, sic Platonem interpretamur. Repletio indigentiæ causa voluptatis existit, hoc est cum

appetitio, quæ eget, quamque indigentiam appellamus, id quod exoptauit, adepta est, eiusque præsentia fruitur, & quasi repletur, sensibus statim ille motus innascitur, quam suauitatem, delectationem, voluptatemque dicimus. Vnde Epigramma Deliacum, iucundissimum esse inquit, re amara potiri. Hæc autem interpretatio cunctis in sensibus, ac etiam in mente (si quis velit) locum habet. Quippe cùm omnes sensus rem ipsam cuius cupiditas antecessit adepti, ineffabili quadam voluptate deliniantur. Atque primus est hic respondendi modus, quo Platonici Peripateticorum laqueos possint effugere, etsi cui forsan videatur hæc interpretatio durior, age tentemus aliam, ne nostri videantur illorum iaculis succubuisse. Explere igitur indigentiam quid aliud est nisi id, quo indigeas assequi? egemus autem quibus, nisi his, quæ vel salutem dum adsit nostram tueri, si amissa sit, reddere possint, vel alio quopiam modo nobis sint vtilitatem aliquam allatura? Nos verò homines sumus. Est autem homo, vt Peripatetici, ac Stoici arbitrantur, id quod ex anima rationali constat, & corpore. Pythagorici ac Platonici paulisper à cæteris discrepantes, hominem esse putāt diuinam quandam mentem terrenis vinculis alligatam, quo fit vt apud cæteros Philosophos animus naturam ac nomen cuiusdam partis hominis habeat, apud Platonicos animus noster homo totus existat. Quapropter Socrates à Critone interrogatus, quemadmodum se sepeliri iuberet; Vt libet, inquit, si modo comprehenderitis me, nec ego vos effugero. Atque idem apud Platonem cum Alcibiade disputans, pluribus rationibus hominem probat nihil aliud præter animum esse. Corpus autem non esse hominem, sed hominis. Externa verò non hominis, sed fortunæ. Nec tamen animum nostrum semper & vbique existentem hominem vocitat, verùm quamdiu in cœlestibus sedibus vitā agit, tū Deus, tum etiā dæmon à Platonicis nuncupatur. Cū verò habitaculis terrenis includitur, ab ipsa humi natura, in qua mersus est, humanitatis nomen accipit. Itaq; Origenes Platonicus nobilissimus, hominem in dęmonem ac Deū conuerti posse, & in bestias quoq; migrare nōnunquam asseuerat. Seneca item Platonis plurimū studiosus animū nostrum appellauit Deū, in humano corpore hospitatū. Sed ij omnes, & ipse etiā Plato, Heraclitū, Empedoclem, Pythagoram imitati sunt. Nam Pythagoras animum nostrum ex homine in Deum transferri his versibus asserit.

Corpore deposito, cùm liber ad æthera perges,
Euades hominem factus Deus ætheris almi.

Cùm igitur (vt ad propositum reuertamur) homo sit ex Aristotelicorū sententia, quod ex anima rationali constat, & corpore: vt verò Plato vult, diuinus quidam animus, qui terreni corporis ministerio vtitur, sequitur vt duarum profectò rerum animi scilicet & corporis cura nobis suscipienda sit. Animi quidem, vt ille iubet, sui tantum gratia, corporis autem cura omnis ad animum, quasi seruus ad dominum referri debeat. Eorum ergo quibus egemus duo sunt genera. Indigemus enim his quæ sint animo, & his, quæ sint corpori profutura. Prosunt verò corpori, quæ vitam, quæ valitudinem, quæ vires, quæ formam, quæ naturam propriam aut reficiunt, aut seruant. Animo autem ea conueniunt omnia, quæ ad mores optimos, quæque ad rerum cognitionem aliquid conferant. His adde illa præ cæteris, & animo prodesse, & corpori, quæ alterutri similia, & cognata videantur. Similia namque, vt dicitur, similibus conseruantur, & singula salutem propriam expetunt. Hæc ergo sunt, quibus homines indigent. Quapropter, quando hæc adsunt, vel ea saltem, quæ horum speciem quandam & similitudinem habeant, voluptate afficimur. Siquidem quæ bona nobis esse videntur, si præsentia sint, voluptatem afferunt. Quo fit, vt voluptatem præcedat opinio, vt enim placet Stoicis, nulli quicquam potest esse iucundum, nisi quod quisque sibi cognatum ac bonum existimauerit.

Cum verò voluptas corporis sensibus percipiatur, horum verò species quinque sint, erunt similiter quinque genera voluptatum, vna quidem tangendo, altera gustando percipitur, odores aliam præstant, aures, atque oculi reliquas suggerunt. Atque ij sensus ita se inuicem habent, vt ordinem quendam & loci pariter, & naturæ contineant. Oculi enim purissimi sunt, & vt Timæus Platonicus disputat, ac probat, ignis lucisque naturæ cognati. Aures secundum ordinem puritatis obtinent, atque aëri comparantur. Nares tertium deinde tenuitatis gradum possident, & crassiori quadam natura concretæ, medium inter aërem, aquamque continent. Deincepsverò gustandi organum crassius est, & aquæ naturæ simillimum. Postremo tenuitatis gradu hæ, quibus tangimus, partes distribuuntur, hæ namque ad corporis naturam accedunt propinquius, ac terræ crassitudini deputantur. Cernis hos quinque sensus gradatim dispositos sic inuicem sese habe-

re, vt qui eminentiori parte corporis collocantur, potiorem quoque ordinem puritatis obtineant,& aliis alij, diuersisque rebus cognati existât. Quod quia in his, quos in Platonis Timæum edidimus, Commentariis latius disputauimus, sufficiat hoc loco breuiter attigisse. Cum ergo tangendi sensui solida quædam & crassiora corpora admouentur, eadem prædita humoris calorisque natura, qua ipse quoque sensus affectus est, horum tunc præsentia corporum, quia sibi cognata sunt, quia eandem naturam habent, quia propriam eius concretionem, qualitatemque tuentur, exultat quodammodo ac gestit, totusque suauitate perfunditur. Gustus verò liquidioribus, vt patet, corporibus recreatur, delectatur enim saporibus his, qui humoris decocti, maturique naturam habent. Quippe cum & ipse, vt Platonici putant, eadem proportione concretus sit, quo fit, vt simili, & quasi suo quodam familiari accedente, cum eo suauissime conquiescat. Odorandi præterea vis odoribus iis reficitur maximè, qui inter aquæ aërisque naturam commisti sunt; quod in pomis, floribusque percipitur, siquidem, & ipsa eandem naturam ab origine sortita sit. Aures insuper eiusmodi delectantur sonis, qui ex purissimo aëre confecti sunt, atque ex eadem, qua & ipsæ harmoniæ consistât, itaque videmus ob naturæ diuersitatem hos remissioribus, illos vehementioribus, alios grauioribus, alios item liquidioribus concentibus delectari. Oculis autem, quod luci familiarissimi sint, ea videntur esse gratissima, quorum natura quam simillima luce temperata est; eiusmodi verò ea sunt omnia, quæ ex colorum, qui omnes à luce proficiscuntur, pulcherrima temperatione resultant. Nec solum rebus his, quas sensibus haurimus ad vitam augendam reparandamque naturam indigemus, verumetiam ad mentis peritiam consequendam, quo efficitur, vt sensus duabus de causis, optimis quibusdam rebus, quæ extrinsecus offeruntur indigeat, tum quia sibi cognata ac similia sint, singula verò similibus conseruari perficique necesse est; tum quod ad rerum atque artium cognitionem, quæ res maximè à nobis expetitur, instruere possint. Quoties igitur ea, de quibus diximus, sensibus offeruntur, admittunturque intro penitus ad fruendum, sensuum indigentia illa, quæ antea cupidinem peperit expletur. Eaque, quam quærimus, voluptas ex hac indigentiæ repletione contingit.

Hæc est igitur secunda Platonicæ definitionis interpretatio, quam neminem arbitror, modo sanæ mentis sit, vituperaturum; quapropter de his hactenus, pergamus ad reliqua. Tres sunt Aristotelicorum aduersus Platonem propositæ quæstiones: Prima, quòd falsò Voluptatem vocauerit motionem. Alia, quòd nec repletio, nec à repletione Voluptas omnis esse possit. His omnibus non meo quidem ingeniolo, nec enim tantùm mihi arrogo, sed his, quæ ab ipso Platone latissimè disputata sunt, satis iam responsum arbitror Postrema verò Aristotelis obiectio fuerat, quod plurimæ voluptates, contra Platonem, qui id negasset bonę honestæque forent, cuiusmodi sunt, quæ ex actione atque vsu virtutum, & contemplatione proueniant. Ego verò dixerim superius à principe ac præceptore nostro propositum esse, quod huic obiectioni respondendum sit. Quæ enim in mente consistunt, virtutesque sequuntur, Plato noster, vt supra retulimus, non voluptatis, sed gaudij nomine nuncupauit, quapropter quòd virtuti mistum sit, bonum esse, Aristoteli dabimus, nec tamen voluptatem dabimus bonam esse, sed gaudium, vtitur enim pro arbitrio suis quisque vocabulis, & nomine quidem discrepat Aristoteles à Platone, re congruit. Pythagorici verò, Stoici, ac Cynici cum nostris re pariter, ac nomine congruunt.

Opiniones variæ quid sit voluptas, Prima opinio Aristotelis.

CAPVT V.

Aristoteles autem, vt ad eius sententiã deueniamus, Voluptatis nomine vtitur latius, eoque vult non modo illam, quæ sensibus inhæreat iucunditatem, sed illam, quoque, quæ in mente consistat significari, quid verò ipsa voluptas sit, magis annuere, quam exprimere videtur. Verumtamen quæ de hac in septimo, ac decimo de moribus disputat, hoc quod dicam modo interpretari possumus. Tres sunt, vt Aristotelis verbis vtar, animi potestates, quarum vna nobis cum plantis cõmunis est, quam vegetandi vim nominant, cuius officia tria sunt, alere proprium corpus, atque augere, ac demum aliud extra se gignere simile, alteram deinde naturam animæ sentiendi vim vocitat, quæ nobis cum cęteris quoque animalibus communis existit. Sensuum verò, alios intimos, alios externos esse, externi autem, qui etiam ad propositum magis pertinent, quinque sunt, vulgari propemodum diuisione notissimi, tertia verò animi vis, solis ex omni animantium mortalium genere hominibus conuenit, eumque intellectum mentemque nuncupat. His addit

mouendi potestatem, sed eam, quòd ad propositum nil valeat, dimittamus, de prima verò animæ natura, quæ plantis conuenit Philosophi veteres diuersa sentiunt, siquidem Plato arborum herbarumque animas tacitam quãdam appetitionem, quem naturæ nixum vocat, habere putat. Empedocles non modo naturalem inclinationem, verùm sensum etiam plantis inesse voluit. Anaxagoras autem, ac Democritus voluptate doloreque eas affici, nec sentiendi modo, sed & cogitandi, & intelligendi vim habere censent. At verò Aristoteles, nec ratione, nec omnino sensu præditas, nec voluptatis alicuius participes arbitratur, quo fit, vt nutriendi augendique illa potestas nihil ad Aristotelis de voluptate sententiam conferat. Reliquæ igitur animæ vires, quibus voluptatem attribuit, duę sunt, ex quibus vnam, vt eius verbis vtar, intellectum, alteram sensum nominat, hisque suas actiones, quas cognitiones vocat, assignat, Intellectus igitur siue, vt Latinè loquar, mentis, atque rationis operationem, intelligentiam, cogitationem, contemplationemque dici vult. Visus verò visionem, auditus auditionem, odoratus, odorationem, gustus, gustationem, tactus denique tactionem, vt visus quidem ipsa sit animæ vis, ac natura, qua videre quis potest, visio verò actio ipsa, hoc est videre, eodemque modo in sensibus cæteris, visionem, aut, vt vnum pro singulis prosequamur, duo potissimum habere principia, à quibus veluti quibusdam causis oriatur, visum scilicet ipsum, in quo sit, & insuper rem externam, quæ cernitur, à qua visus excitatur, vt videat, & visum quidem animi vim, ac potestatem nominat Aristoteles. Quod autem visu cernitur obiectum, visionem verò perfectam esse dicendam, cum & animi vis optime affecta sit, & illud quoque, quod cernendum est, obiectum suapte natura sit optimum, & naturæ insuper animæ consentaneum, quod si alterutrum defecerit, visionem imperfectam fore, vtrisque verò concurrentibus, perfectam, quæ verò perfecta sit visio, eandem quoque iucundam esse, quæ perfectior, iucundiorem, quæ perfectissima, iucundissimam, Visionem igitur, vt idem repetam, quia perfecta sit, iucundam esse, perfectionem igitur visionis iucunditatem quandam videri. Quapropter & vice versa iucunditatem visionis perfectionem esse. Cum verò iucunditas, ac voluptas, vt ad propositum spectat, idem valeant, effici vult, visionis perfectionem esse voluptatem, quodque de visu dictum est, idem etiam de sensibus cæteris, deque ipsa mente intelligi volumus, in cunctis enim est operatio propria, in auditu quidẽ, auditio, in odoratu, odoratio, de cæterisque similiter. Voluptas igitur communi definitione apud Arist. nihil aliud est, nisi perfectio quædam operationis animi, idem autẽ cognitionis. Cumque omnibus sensibus voluptas inhæreat, voluptas visus erit visionis perfectio, auditus auditionis, gustus gustationis, ac de reliquis eodem modo, vt cuiusque voluptas sit propriæ operationis perfectio. Est autem apud Arist. perfectio duplex, altera quidem prima, annexa altera, prima verò illa est, quæ pars eius naturæ, cuius perfectio vocatur, existit, velut anima hominis, hæc enim hominis perfectio est & pars quædam humanæ substantię, annexam verò perfectionem illam dicimus, quæ cum nulla substantiæ pars existat, substantiam tamen ipsam consequitur, ac veluti comes rei ipsius, quam perficit, naturæ annectitur, atque adiungitur, cuiusmodi est in iuuentutis flore pulchritudo, nec enim pulchritudo iuuentus ipsa est, neque pars aliqua iuuentutis, sed ipsam sequitur iuuentutem, atq; ornat, perfectamque reddit: voluptas igitur cum sit operationis illius, quæ in sensibus, aut mente consistit, perfectio, quæ tandem perfectio hæc erit? prima ne? at hoc Arist. vtique negabit, Voluptas enim, quæ visu efficitur, nec ipsa visio est, nec pars aliqua visionis. Erit igitur voluptas in visu visioni quædam annexa, atque adiuncta perfectio. Nam & si in ipsa visione implicita sit, neque tamen visionis pars est vlla, neque visio tota. Alioquin absque voluptate visio, quam sępe iam commemoro, fieri nullo modo posset, verùm ab ipsa oritur visione, & quasi comes consequitur, miscetur illi, hæret, ornat, perfectamque efficit, nam & diligentius, & perfectius quisque id agit, quod delectat, quod profecto notius est, quam vt probatione aliqua indigere videatur. Quamobrem non absque ratione voluptas operationis illius, cui competit, vt contemplationis, visionis, auditionis, cæterarumque omnium adiuncta quædam perfectio definitur, quod si honestæ actionis fuerit, ipsa quoque voluptas honesta ab Arist. nuncupatur, sin turpis, & ipsa turpis, mediæ verò, voluptas quidem est media, qua quidem in re à plerisque veterum Philosophorum discrepat Aristotel. Alij namque voluptatem esse putauerunt rei cuiusdam, quæ nobis conueniat, naturam impositam sensibus, veluti suauem mellis linguæ saporem imbibitum. Alij verò voluptatem rei conuenientis perceptionem definire, veluti cum gustui dulcedo liquoris apponitur, nec dulcedinem ipsam,

neque liquorem, neque gustum voluptatem appellauerunt, sed ipsam potius gustationem, hoc est dulcedinis perceptionem, quorum sententiam Auicenna probare videtur. Nonnulli verò nec ipsam etiam suauis liquoris perceptionem voluptatem esse voluerunt, sed illud potius animi iudicium, quod primam sensuum apprehensionem, quam plerique phantasiam vocant, sequatur. Primo namque sensum, quod sapor dulcis sit, nosse, postmodum quòd bonus asciscendusque sit iudicare, id plerique iudicium voluptatis nomine significari putant. Nec defuerunt, qui neque suauem sensibus impositam qualitatem, nec eiusdem qualitatis perceptionem, neque iudicium voluptatem vocauerint, verùm commotionem quandam corporis, ac sensus, quæ quidem perceptionem ipsam iudiciumque consequitur, veluti liquefactionem, effusionem, elationem, exultationem, petulantiam, atque his similia. At verò alij quidem ipsam membrorum suauem, & gratam, quæ ante iudicium fit, concitationem, titillationemque, voluptatem esse iudicauerunt.

Opiniones Peripateticorum de voluptate.

CAPVT VI.

Aristoteles autem horum nihil Voluptatē nuncupare videtur. Cæterum apprehensionis ipsius quandam perfectionem, vt prior quidem dulcedinis perceptio sit, ex hac aliud quiddā nascatur, eius quasi comes, & annexa perfectio, eademque Voluptas existat. Quid verò sit huiusmodi perfectio, quam Voluptatem nominat, nunquam satis (vt videtur) explicuit. Peripatetici autem, qui fluxerunt ab Aristotele, dum id, quod ab eorum principe obscurè dictum fuerat, explicare, & in lucem edere vellent, in diuersas sunt sententias distributi. Nam alij quidem in sensibus, alij verò in eo, qui sensus sequitur appetitu Voluptatē collocauere. Et qui in sensibus, diuersis quoq; modis Arist. interpretātur. Etenim nonnulli duas in sensibus esse putant perceptiones, quarum ab iis, quæ extrinsecus offeruntur in animū quodāmodo proficisci, ac fluere videtur: altera verò ab animo magis profecta, ad ea, quæ extra sunt porrigi. Primò namq; animus, v. g. dulcedinem percipit, quæ prima perceptio ex ipsius rei, quæ obiecta est suauitate oriri videtur. Deinde considerat se dulcedinem consequutū fuisse, illā percipere, habere, eaque perfrui, atque hanc illi secundam animi perceptionem, seu cogitationem, siue meditationem, seu animaduersionem, Voluptatem appellādam esse ab Arist. censuerūt, vt Voluptas sit illa ipsa consideratio, qua bonorū præsentia se frui quis cogitat.

Nonnulli non sensum, cùm sese dulcedinem consequutum animaduertit offerri, & quasi erigi, & quandam veluthilaritatem concipere, ac per se ferre, eamque voluptatem ab Aristotele dictam arbitrantur. Itaque voluptatem esse eleuationem, siue hilaritatem animi adepti iam illud, quod cupierat bonum. At verò qui Voluptatem in ea parte animi, qua appetimus posuerunt, duas appetitus proprietates esse putant. Vna quidem moueri nos, ad eaque inclinari, quæ procul à nobis sunt bona, nec dum illa fuerimus consequuti Altera verò in eo, quod adepti iam consequutique sumus consistere; primam, cupiditatem; alteram, quietem nūcupant, & illam quidem molestia, sollicitudine, cura, anxietate, plenam esse volunt, hanc verò ineffabili quadam suauitate perfusam, eamque Voluptatem à Peripateticorum Principe nuncupari, vt nihil aliud Voluptas esse dicatur, nisi terminus quidam, siue quies, appetitus in bono, quod iam fuerit consequutus. Vnde Lucretius, Requies, inquit, hominum diuumque Voluptas. Cæterum, quid ipsa quies sit, non eodem omnes modo exposuerunt. Alij namque cessationem ipsam, ac velutifinem aliquem appetendi quietem definiunt. Appetitum etenim cum id, quod cupierat bonum adeptus fuerit, ab appetendo desistere. Itaq; sollicitudine & anxietate vacare, quæ vacatio quies ipsa sit, eademque Voluptas ab Aristotele nuncupata. Ideoque Voluptas est, vt isti definiunt, acquisitio, quod cupitum fuerat bono, ab omni appetendi sollicitudine & anxietate vacatio. Nonnulli verò Peripatetici aliquid huic vacationi aliud addiderunt. Carere quippè omni molestia nondū plenam, ac perfectā Voluptatis naturā possidere. Fieri vero integrā atq; absolutam, si in eo ipso statu sic omnis appetitio conquiescat, vt nō modo nō vlterius appetat quippiā, sed huic quo fruitur bono totis neruis, ac viribus hæreat, assentiatur sibi esse satis, atque in id penitus diffundatur. Est ergo, vt censent isti, Voluptas assēsio, atq; diffusio appetitus id id, quod possideat bonum, quo fit vt mediis in voluptatibus liquescere corpus totū, ac diffluere videatur, cum omnis animi, corporisq; vis, ac motus in id, quod extrinsecus obiicitur, inclinetur, ac penitus rapiatur. Eiuscemodi vero diffusio non modo in corporis membris partibusque, verumetiam, in appetitu naturaq; anima esse debet, neq; enim in rē aliquā corpus nisi appetit⁹ in pulsu animiq; potestate diffūditur.

Quapropter

Quapropter & ipsum quoque appetitum animumque diffundi necesse est, atque auidissime affigi, & hærere illi, quod propriæ videatur naturæ congruere. Omnis igitur huiusmodi animi, appetitusque nixus, copulandi, hærendi, affigendi ei, quod iam possidetur bono voluptatem continet, nec aliud quicquam, vt istis placet, voluptas esse videtur, nisi assentiri, hærere, affigi pręsenti bono, in idque diffluere, penitusque diffundi, modo hæc intelligas in animo, in eaque animi parte, quæ appetendi vis nominata est fieri. Nam huiusmodi motus in calore quoque, sanguine, spiritibus, totoque corpore reperitur, qui nec tamen voluptas est, nec pars aliqua voluptatis, verum ab ea quam in animo est diffusione, assensioneque, quam voluptatem dicunt, illa quoque corporis liquefactio, effusioque veluti vestigia quædam intimo voluptatis proficiscuntur. Nam qualia hæc in corpore sunt, talis & in animo voluptas existit.

Quæ Platonicorum cum Aristotelicis concordia, & quid Plato de sensibus, & affectibus.

CAPVT VII.

HÆc est igitur Peripateticorum de voluptatis definitione sententia, quam ipse arbitror, ne minima quidem in parte à Platonis nostri sententia discrepare, nisi quod Aristoteles latius loquitur eodem nomine voluptatis, & eam, quæ in mente est, iucunditatem, & eam quæ in sensibus nominans. Plato vero voluptatem vocat eam, quæ sensibus accidit, quod vero in mente est, id gaudium nuncupat. Quinetiam interdum & ipse Plato voluptatis & gaudij nomina confundit, vtroque vocabulo vtens ad vtrumque significandum, Nomine igitur vel nullo modo, vel vix, ac minimo discrepant, an verò re congruant testes esse possunt nonnulli Platonis libri, nec non Platonici plerique haudquaquam Philosophi contemnendi. Nam Apuleius, Calcidius, Contius, Ptolemæus Platonici nobiles eo, quem breuiter referam, modo Platonis sententiam obscurissimis in Timæo verbis positam, interpretantur, sensum profecto aiunt à Platone primam animi perceptionem, quæ ab ipsa corporis passione nascatur, intelligi. Etenim rerum omnium, quæ noscendæ sunt, species quasdam ad nos fluere, sensuum foraminibus hauriri in eo, qui in cerebri ventriculis est, spiritu imprimi, atque consignari, eiusmodi rerum species in spiritu, quod quidem corpus est tenuissimum, atque perlucidum figuratas pulsare animum, atque efficere, vt illa ipsa obiecta externa quorũ hæ sunt imagines, intueatur, atque percipiat, hanc animi perceptionem ab ipsa corporis passione impulsuque nasci videmus, spiritus siquidem ab externis motus corporibus, ipse animum consimili pulsat, formatque imagine. Cum igitur eiusmodi perceptio à spiritus impulsione nascatur, consequens est eam à corporis passione, id est, pulsu motioneque proficisci, quod imitatus Aurelius Augustinus Platonicus bonus in eo libro, qui de animi quantitate inscribitur. Sensus est, inquit, passio corporis per seipsam non latens animam, id est, per ipsam corporis speciem sensibus haustam eiusdem quoque passionem corporis, prima quadam, & propria imagine percipi. Ex quibus fit, vt gemina corporis passione sentiamus. Nam cerebri spiritusque impulsu externorum corporum passiones apprehendimus. Passionem vero illam, quam corpus proprium extrinsecus accipit, Platonici bifariam diuidunt, quarum vna leniat corpus, ac mulceat, nec tàm membra, visceraque pulset, quam palpet, atque titillet, altera vero asperius, ac durius agitet. Cum verò animus primæ illi corporis motioni, cuius mulcere proprium est, consentiat, voluptatem fieri, cum ab altera, quam asperam dicimus, abhorreat, atque desciscat, dolorem asserũt. Assentitur autem animus corporis motioni, cum ei libenter adhæret, affigiturque, copulatur, perfunditur, atque in ea suauissime conquiescit. Quapropter Aurelius Augustinus voluptatem definit appetitionis ipsius cum eo, quod amauerit vnionẽ. Nonne & hoc idem Peripatetici voluptatem superius definiere, requiescere animum, perfundi, ac penitus copulari? Quid ergo restat, cur non dicant Platonici, Peripateticique vnum, atque idem de voluptate, & dicere pariter & sentire? Quo alio discrepant? nisi quod illi consentire animum, isti quiescere, ac sistere dicunt, imò & ob hoc nihilo discrepãt, nec enim quiescit animus vnquam, nisi consentiat, nec consentit quidem, nisi pariter & quiescat.

Quomodo Peripatetici diuidant voluptatem, & de viribus animæ.

CAPVT VIII.

QVid ergo Platonici, ac Peripatetici de voluptatis definitione tradiderint, & quemadmodum in idem vtrorumque disputationes conueniãt, satis iã arbitror declaratum. Quod vero de voluptatis diuisione peripatetici sẽserint exequamur. Omnem Peripatetici naturam hominis ex anima constare putant, & corpore, ani-

mam vero in duas partes, vt ad propositã quęstionem pertinet, mentem videlicet, sensumque distribui, rursusque mentem vim pariter geminam, naturamque habe-te. Earum profectò vnam in veritatis indagatione, alteram in consultatione, & actione versari, atque illum (vt eorum verbis vtar) contemplatiuum intellectum, hunc actiuum nominant, illius proprium esse rerum earum, quæ naturæ ordine continentur, causas, proprietates, progressusque perquirere, solaque veritatis contemplatione contentum esse, huius autem opus dici volunt, quæ augenda, fugiendaue sint, consultando discernere. Sensuum vero alios quidem intimos, externos alios vocant. Intimos, vt vult Auerrois Peripateticorum interpretum acutissimus, quatuor in species diuidunt, quorum primus omnes, quæ per externos quinque sensus hauriuntur imagines colligat, atque percipiat, ob idque communem sensum appellant. Altera deinde vis imaginandi ab iis nuncupata est, cuius officium sit, cum ipsa nihil persentiat imagines, quæ à prioribus sensibus acceptæ sunt, retinere, easque tertiæ sentiendi naturæ, quam illi Phantasiam, existimandique, ac cogitandi vim dicunt, afferre, cuius opus esse arbitrantur, vt iis acceptis imaginibus, quid, aut quale sit id, cuius illæ imagines sint, iudicet, atque percipiat, eaque ipsa, quæ discreuerit, siue coniunxerit, seu conceperit iudicando, postremæ cerebri ipsius, sensusque particulæ, quam memoriam dicunt, seruanda commendet. Sensus verò illos externos qui ad id, quod quærimus magis valent, quinque in species, quæ cunctis notæ sunt, diuidunt, eosque sic inuicem sese habere putent, vt qui eminentiorem corporis locum possident, puriores simplicioresque sint, reliqui crassiores. Ideoque visum auditu, hunc odoratu, odorandi verò vim gustu, hunc denique tactu puriorem videri. Nam ad visum lux, atque colores, ad aures soni, ad nares odores, sapores ad gustum, soliditas vero, ac mollicies, calorque, & frigus ad tangendi vim pertinent. Quapropter quo lux, colorque sono, sonus odoribus, hi verò sapore, sapores autem iis, quæ tactui subiiciuntur puriores existunt, eo visus auditui, hic narium sensui, sensus hic gustui, gustus denique tactui, puritate, dignitateq; præstant. His autẽ quinque viribus sentiendi, quinq; pariter in corpore, vt illi vocant, organa atq; subiecta, & quasi fundamenta quædã attribuũtur. Nec aliud quicquã hæc esse vidẽtur, nisi corporis quædã affectiones, quas alij dispositiones, alij qualitates, nonnulli cõplexiones nominant, quæ elementorum varia commixtione diuersis in partibus corporis diuersæ nascuntur, ac sunt diuersorũ quoq; sensuũ fundamenta. Alia nãque corporis affectiõ est, qua vidẽdi potestas sustinetur, ac viget. Alia vero qua audiendi, idẽque est de reliquis omnib. iudicandũ. Præter has quinq; seu affectiones, siue subiecta, quinque pariter instrumenta, solidioraq; corporis mẽbra, quibus tum sensus, tùm etiam affectiones ipse inhæreant, velut receptacula quædam adinuenta, constitutaque sunt, oculi namque vasculorũ instar affectionem vimq; videndi recipiunt, cæteraq;, vt perspicuũ est, corporis mẽbra certo quodam ordine cæteris qualitatib. ac sensibus assignantur. His præterea mẽbris, instrumentisq; proprij quidã motus, qui cuiusq; affectum intimum demonstrare videntur, innati sunt. Itaque in ipsis animi perturbationibus, modo rubescere, modo pallescere, & alias quidẽ cõtrahi, ac rigere, alias vero diffluere, & quasi liquescere cernimus. Ad hæc omnia, quæ longo iã ordine dinumerauimus voluptatẽ, ita pertinere Aristoteles arbitratur, vt in ea mente, quã contemplatiuã appellat, perfecta quædã atq; absoluta voluptas insit. In cæteris deinde hominis partibus gradat[illegible] degenerat. Nam septẽ, vt putat, de causis, prima illa voluptas, altera, quæ in actiua mẽte ponitur, voluptate perfectior esse videtur. Omnis enim, quæ ex veritatis indagatione cõtemplationeque suscipitur voluptas, honesta est, ac laude dignissima. Cum vero mẽs altera de reb. agendis fugiendisque deliberat, gaudetque eiusmodi rerum electione, non omnis tamen voluptas illa laudari solet. Quæ ex his consiliis actionibusque quæ legibus optimis aduersantur, prouenit, merito vituperatur, veluti si mens consilio cõtra patriæ, parentumque salutem, contraque ius suscepto gaudeat, cum honestis actionibus delectatur, voluptas honesta est, cum vero mediis, illa quoque est media, quo fit, vt prima in mente, vnum duntaxat gaudij genus, idque laude dignum existat, in altera vero tria, vt diximus, genera, honestum, turpe ac medium reperiantur. Illa quoque ratio, qua ille in decimo de moribus vtitur, non parum ad id, quo de agimus valet, diutius enim contemplari nos inquit, quam aliud quiduis agere posse, cumque veritatis inquisitio firmior, stabiliorque, quam quodlibet agendi officiũ sit, necesse est eam quoq; quę ex illa prouenit voluptatem stabiliorem, ac perfectio-

rem existere. Adde quod sapientis vita cõtemplatioque pauciorum quam ciuilis indiget, quapropter illius voluptas, cum ipsa quoque paucis minimisque contenta sit, proculdubio magis ex seipsa sufficiet, ac perfectior iudicabitur. Est preterea pars ea mentis, cui naturæ contemplationem tribuimus, altera vt nemo, vtique negaret, perfectior, proptereaque præstantiorem cæteris omnibus voluptatem affert. Cumque actiuæ mentis motus agitatioque ad aliud quoddam, aut eligendum, aut reiiciendum feratur, primæ verò mentis contemplatio seipsa cõtenta sit, nec aliud omnino quicquam præter seipsa desideret, necessaria ratione conficitur, voluptatem, quæ contemplationi propria est, sui duntaxat gratia desiderari. Alteram verò aliud præter se quiddam velut finem expetere, atque idcirco primam illam admodum præstantiorem iudicandam esse. Accedit ad hæc, quod prima cuiusque pars atque perfectior, totius quasi vicem appellationemque gerit, ex quo sequitur, vt cum hominum quisque pluribus ex partibus constitutus sit, ea tamen, quæ contemplationi deputata est, quia cæteris dignitate præstet, integram penè naturam hominis cõplectatur, eaque maximè homo, vt Aristoteles inquit, existat, quamobrem, & illius actio nobis præcipuè congruit, atque ineffabilem continet voluptatem, quæ enim natura cognatiora sunt, maiorem vtique voluptatem afferre solent. Postrema verò Aristotelis argumentatio probat, propriã immortalium Deorum operationem in sola contemplatione consistere, ideoq; neq; quicquam in nobis præter primam (vt diximus) mentem contemplationemque, atque eam, quæ ex illa oritur, voluptatem, quod Deo cognatum sit, inesse videtur. quod si voluptas huiusmodi, quia sola Diis immortalibus conuenit, maximè diuina est, reliquis omnibus voluptatibus præstantior merito iudicabitur. His igitur argumentationibus, vt contemplandi voluptatem illi, quæ agendo percipitur, anteponeret, Aristoteles vtebatur, verùm ad eas iam, quæ quasi titillant sensus, & ad eos suauitate quadam affluunt, atque illabuntur, deueniamus. Has in duas ab Aristotele species diuisas comperimus, è quibus aliæ quidem naturales, aliæ contra naturam esse videntur, atque naturales eas vocat, quæ cum naturam reficiant, ab omnibus, aut pluribus appetuntur, easque pari quoque numero bifariam diuidit, quarum aliæ cunctis animantibus æquè cõmunes sunt, aliæ verè singulis pro diuersitate naturæ quodãmodo propriæ, atq; cognatæ, namque quod cibũ cuncta, potumque, ac Veneris vsum expetunt, communis naturalisq; libidinis, ac voluptatis est propriũ: quod autẽ singula pro naturæ diuersitate singulis, certisque rebus variè delectantur, aliisque alia gratiora contingunt, id naturali quidem, attamen propriæ voluptati competit, nam cum id voluptariũ cuique, quod eius naturæ congruit, videatur, diuersæque sint diuersorũ animantium affectiones, atq; naturæ, necesse est differentibus animalibus ea quoque, quæ congruãt discrepare, atque idcirco certam, & quasi propriã singulis animantibus cupiditatem (vt inquit Heraclitus) voluptatemq; competere. Delectat enim quemque, quod naturæ suæ sit aptũ, trahitq; sua quemque voluptas. Atque hæ sunt, quas naturales appellat, contra naturam verò eas esse vult, à quibus vniuersum penè hominum genus abhorret, easque in tria diuidit genera. Alias enim flagitiosa quadã corruptaq; natura, alias consuetudine pessima, nonnullas morbis, aduersisq; casibus euenire, peruersitate verò naturæ contigisse scribit Aristoteles, vt mulier quædam prægnantiũ viscera rescindere, puerosque vorare ardentissime niteretur: vel quod de efferatis quibusdam Gentibus circa Pontũ ferunt. Alios enim crudis, alios humanis carnib. delectari, nonnullos tradere natos inuicẽ, vt in conuiuiis comedantur. Trogloditas verò, serpentinis carnibus vesci. Diuturna quoq; consuetudine plerisque contingit, vt pilorum euulsione, aut vnguium esu delectentur. Sæpe etiã, aut animi, aut corporis morbis id euenit, vt ille, qui matrẽ immolauit, comeditque, & qui patris, ac filiæ carnibus, vt vesceretur vtrumque decoxit, quique conserui iecur ardenter concupiuit, eoque interfecto summa cũ voluptate vorauit. Nos quoque vidimus certo corporis morbo affectos, alios quidẽ lapillos, alios gypsum, nonnullos terram, quosdam carbones, alios calcem, vt prægnantibus sepe accidit, dentibus auidissimè terre. Tria hæc contra naturam genera voluptatum, non humani, sed ferini immanisq; esse putat ingenij, vnde eiusmodi voluptates, in eo, qui de moribus inscribitur septimus, immanes appellat. Ex his, quæ hactenus numerauimus, tria esse videntur apud Aristotelem genera voluptatum, prima quidem in contemplatione, altera verò in consultatione, atque actione versatur, & vtræque sane in mente, sed diuerso quodam (vt diximus) modo consistunt, tertia deinde in sensibus posuimus, eãque in duas

distribuimus species, naturalem scilicet, & contra naturam, naturalium vero alteram communem, alteram propriam nuncupamus, immanium prætera vnam corrupta, flagitiosaque natura, alteram vitiosa consuetudine, tertiam morbis contingere, primam igitur, quæ ex contemplatione nascitur voluptatem, quod Deo simillima sit, quodque non, vt homines, sed vt Dij sumus, nobis contingat, diuinam vocitat, eam vero, quæ actiuæ mentis est propria, honestam ane, non tamen diuinam nominat, est enim honestas non ipsa quidem diuinitas, sed perfectũ quoddam diuinitatis simulachrum, atque imago, vnde secunda mens, atque voluptas à prima degenerat, quod primæ diuinitas, alteri vero diuinitatis simulachrum tribuatur. Quæ autem corpus deliniunt voluptates, nec diuinitatis amplius, nihiloque magis honestatis participes essequeũt, quippe cum honestas solius mentis decor, pulchritudo, atque ornatus existat, atqui is ornatus partiumque omnium conuenientia in mentis habitu honestas, in affectibus moderatio, in actionibus modestia, in operibus ordo, in corpore forma à plerisque Platonicis appellatur, habẽt tamen & ipsæ, quæ sensus mouent voluptates exiguam quandam honestatis imaginem. Quæ enim ex iis mentis rationisque legibus obsequuntur, ob eamque causam moderatæ fiunt, ob hanc ipsam moderationem honesti, atque decori naturam imitari videntur, cumque honesti appellatione haud omnino dignæ sint, boni vocabulo ab Aristotelicis appellaturiã quæ effrenatiores, minusque rationis participes sũt, eas nec diuinas, nec honestas, nec denique bonas, sed vituperatione potius dignas, ac malas esse censet, cumque non adeò modum excesserint, vt ab hominum moribus ingenioque abhorrere penitus videantur, vitiosas quidem, humanas tamen voluptates nominat, easque in duas distribuit partes, alias enim appetitionem duntaxat corrumpere, vt qui his afficitur, appetat profectò præter rationem, & agat, neque id tamen consulto efficiat, nec agendum extra perturbationem constitutus existimet, sed quodam deinde ardore libidinis excrescente contra id, quod recta aut mens elegerat, inclinetur, atque trahatur, eiusmodi verò incontinentis animi voluptates esse putat, alias vero non modo appetitionem, verùm etiam mentis iudicium deprauare, vt & contra quam deceat concupiscat, & id ipsum agendũ bonumque mens iudicet, consultoque eligat pro viribus voluptati corporis indulgere, easque, quæ sic mentem occæcant intemperantis hominis voluptates esse probat. Omnes tamen, quas hactenus in sensibus posuimus humanæ videntur. At vero cum ab hominum consuetudine ingenioque alienæ voluptates homini cuipiam, vel pessimè nato, atque educato, vel morbis extra seposito dominantur, quoniam bestiarum potius, quam humani ingenij propriæ sint, seruiles, atque immanes appellat. Sed hæ omnes, quas sensus nobis porrigunt voluptates, in quinque veluti gradus, pro numero quoque sensuum ab Aristotelicis digeruntur, atque eas eundem, quem & ipsi sensus ordinem tenere censent, vt videndi voluptas, illa, quam aures præstant, purior, ac dignior sit, aliæque similiter aliis eodem ordine puritate dignitateque præstent.

Voluptates auditus, atque visus, excellentiores sunt cæteris sensuum voluptatibus. Item de omnibus sensibus, & instrumentis eorum.

CAPVT IX.

Est autem ratio quædam optima à Platonicorum principibus adinuenta, qua oculorum, atque aurium voluptates, cæteris, quas corpus offert, omnibus præferunt, soni quippe, & hæ quæ oculis cernuntur figuræ, optima quadam atque aptissima partium coniunctione conficiuntur. Id autem absque proportione fieri nequit, nec absque ordine est vlla proportio. Ordo autem maximè rationis est proprius, quo fit vt in plerisque sonis, figurisque, quibus ille compositionis ordo insit, vestigiũ quoddam rationis inesse videatur, quæ quidem rationis imago in cantuum, vocumque numeris, harmonia, in partium verò membrorumque conuenientia, pulchritudo à Platonicis nuncupatur, quo efficitur, vt hæc non modo auribus, atque oculis blandiantur, sed mentem quoq; rationemque his ipsis, quæ in se continent rationis vestigiis moueant, cumque maximam cum mente naturę cognationem habeant, occupant eam penitus, rapiuntque, ac ineffabili quadam complent animum voluptate, atque iis duabus imaginibus voluptatibusque duę quoq; furoris diuini species, vt in libello de diuino furore latius disputauimus, oriuntur. At verò odores, sapores, calidum, ac frigus, cæteraq; eiusmodi, quæ ad olfactum, gustum, tactũque pertinent, nec harmoniã, nec proportionẽ, neque ordinem, multoq; minus similitudinem aliquã rationis habere, aut præ se ferre videntur. Itaq; sensuũ duntaxat corporisq; naturã permulcent, mẽti vero haud

nullo modo, aut vix congruunt. Propterea que, quæ ex his proficiscuntur voluptates, nec rationis, nec dignitatis quicquam possident, nec aliquod menti (vt ita dixerim) pabulum afferunt. Accedit ad ea de quibus paulo ante Peripatetici disputabant, quod sentiendi vis, quo crassior est, eo pluribus animantibus competit. Vnde non omnibus viuendi, aut audiendi potestas à natura tributa est. Pluribus, odorandi, gustandi forte omnibus : tangendi denique quod omnibus animalibus insit, nemo vtique dubitaret. Eodem quoque modo horum sese voluptates habebunt, vt aliæ quidem aliis communiores, vilioresque iudicentur : verum ex omnibus eas, quæ in gustu, tactuque positæ sunt, communissimas, atque vilissimas esse constat, quapropter eas Aristoteles ferinas, seruiles, absurdas esse dicit. Plato incontinentissimas atque furiosissimas. Hippocrates autem (vt superius diximus) ex illis alteram comitiali morbo similem iudicauit. Nec vero illud parum valet, quod omnes penè, qui circa mores Philosophentur, eos, qui in his duabus voluptatibus modum excesserint, incontinentes, aut intemperantes dici volunt. At circa reliquas voluptates, quod magis admodum liberales sint, neque incontinentiam neque intemperantiam posuerunt. Hactenus tria, quibus voluptas tribuitur, mentem videlicet contemplatiuam, atque actiuam, sensusque retulimus. At vero post sentiendi vires, affectiones ipsæ, membraque corporis, quæ sensibus subiacent disponuntur, quæ cum nec delectationem, nec molestiam per seipsa percipiant : ipsis tamen motibus concitationibusque corporeis, quibus aut iucunditas, aut dolor infertur sensibus, subiiciuntur. Vnde fit, vt ipsa quoque membra voluptatis intimæ vestigia quædam tenere videantur. Atque hanc ipsam viscerum, partiumque corporis agitationem, quæ intra gaudendum dolendumque fit, plerique Philosophorum veterum voluptatem, ac dolorem appellauerunt. Alij vero ipsam naturæ manifestam sensibus refectionem, voluptatem eius autem, quod naturæ proprium est, resolutionem, imminutionemque dolorem esse censuerũt. Cæterum præter has intimas motiones externi quidam gestus, qui occultarum affectionum signa præbeant. subsequuntur, nec defuerunt, qui ea ipsa signa voluptatis, dolorisque nomine nuncuparent. Sed huius opusculi breuitas exigere videtur, vt Aristotelicæ disputationi finem imponamus, idque iam fiet, si hoc prius admonuerimus, vt quoties in hac ipsa disputatione voluptas à nobis in mente posita est, intelligatur in ea mentis parte, quæ appetit, & vult quippiam poni, mentis enim pars vna cogitat, consideratque, altera meminit, tertia vult, & si aliter diuidi queat, hæc tamen ad præsens sufficient. Nec est aliud quicquam mentis voluptas, nisi illa ipsa perfecta, grataque assensio, qua voluntas in eo, quo mens considerat, vtpote familiari, ac sibi proprio penitus conquiescit.

Opiniones Stoicorum, aliorumque, de voluptate, omnibusque affectibus.

CAPVT X.

HÆc igitur ad Aristotelis sententiam satis esse debent. Ad Stoicos deueniamus, Stoici igitur quorum princeps Zeno extitit, gaudium non secus, ac Plato definiunt, voluptatis verò, ac lætitiæ nomen confundunt inuicem sæpius, atque idem vtroque nomine disputando designant. Cum enim ita mouemur, vt in bono simus aliquo, dupliciter id contingere putant. Nam cum ratione mouetur animus, placidè, atque constanter id gaudiũ dici volunt, cum verò effuse inaniterque exultat, lætitiam gestientem voluptatemque nuncupant, quam ita definiunt irrationalem animi elationem existimantis magno quodam bono se frui : quanquam Cicero secundo de Finibus, iis nominibus ita nos Latinè vti vult, vt gaudium, lætitiaque sola in mente consistant, voluptas verò cum sensibus præcipuè tribuatur, ad mentem quoque transferri possit. Esse lætitiam mentis elationem existimantis se magno bono frui, gaudium vero rationalem mentis elationem, voluptatem esse illam, quæ sensibus percipitur, suauitatem eamque ad mentem quoque transferri posse, atque eam semper in mente esse vituperandam. Hæc ille cum de Philosophia disputat, cumque harum rerum differentiam exprimit. Reliquis verò in locis voluptatis nomen, & pro gaudio, & pro lætitia sæpius ponit. Aristoteles autem à Cicerone, ac Stoicis plurimum dissentire videtur, cum nec gaudium neque voluptatem aliquam lætitiam dici velit. Nam cum in eo, qui de moribus secundus inscribitur, affectus dinumeraret, lætitiam interposuit. Adiecit deinde eos esse affectus, quos voluptas, aut molestia sequitur, quo fit, vt voluptas apud Aristotelem affectus esse non possit, alioquin falsum esse,

quod paulo ante dixerat necesse est. Nam cum voluptas seipsam sequi nequeat, qui eam affectum vocauerit, is voluptatem omnes affectus sequi, quod posuerat Aristoteles, negare videbitur. Præterea, cum in eodem secundo affectus animi motus appellauerit, in decimo verò voluminis eiusdem voluptatem nullo pacto motum vocandam esse demonstret, quis non intelligat Aristotelem eam esse affectum penitus negauisse? Cum ergo voluptas huius sententia, neque motus, neque affectus sit, lætitiam verò affectum esse voluerit, necessaria ratione concluditur, voluptatem atque lætitiam inter se admodum discrepare. Nec verò lætitia apud Peripateticos talis est, vt animo dum bono præsenti fruitur, absit, esse namque illam animi motum, nemo inter Peripateticos dubitat. Etenim affectus, cum appetitus passiones quædam ab iis definiantur, passio verò eorundem opinione fluxus, motusque existat, motiones erunt. Itaque & lætitia affectus existens, necessariò motus esse videbitur. Animus autem id iam quod cupierat consecutus, non amplius mouetur quidem, sed cessat concitatio omnis appetendi, atque in eo, quod adeptus est bono suauissime requiescit, quocirca ab appetitu dum fruitur affectus, omnes qui circa id ipsum, quod adeptus est, versantur, amouere oportet. Ergo & ab illo cum bono aliquo fruetur, lætitiam amouebimus.

Quid sit ergo lætitia, quærat forte quispiam, si nec voluptas, nec gaudium est, nec in appetitu dum fruitur præsenti bono consistit, & si id non satis ab Aristotelicis explicatum fuerit, in hunc tamen modum arbitror me haud quaquam absurde Aristotelem interpretaturum. Cum nobis quippiam, quod bonum appareat, obiectum est, id primum iudicat animus capiendum, tùm appetitus ad id ipsum, quod iudicatum fuerit inclinatur, quam cupiditatem, seu libidinem dicimus. Deinde inquirit animus ipse secum, possit ne facilè quod cupiat adipisci, quam curam, solicitudinemque vocamus, quod si minus consequi se posse comperiat, tùm hæc ipsa opinio diffidentia dicitur, quam sequitur desperatio, id est, cum non amplius expectat se eo, quod cupiat, facilè fruiturum. Oritur hinc tristitia, id est, desperantis, diffidentisque animi depressio, atque obiectio, quanquam hæc in vultu non minus quam in animo ab iis, quibus latinè loquendi cura est, ponitur. Sin autem crediderit quis se id, quod cupit, facilè consecuturum, hæc ipsa fides confidentia nuncupatur. Spes deinde confidentiam sequitur, id est, futuri boni firma, ac facilis expectatio. Nascitur hinc lætitia, erectioquędam atque elatio animi sperantis se absque vlla dubitatione, quod petierit, possessurum. Etenim certa confidentia, spesque firmissima, & ipsius, quod speramus vehemens consideratio idipsum, quod petimus ita animo repræsentant, vt non multum absit, quin id omnino præsens esse videatur. Quo efficitur, vt quiddam voluptati simillimum, ex hac ipsa spe, & cogitatione nascatur, eamque lætitiam Aristotelem vocauisse arbitror imaginem quandam futuræ voluptatis, ac speciem, quam Lucretius Epicureus guttam Veneris appellauit, quod sit exigua quædam, ac leuis amatæ rei perceptio, voluptas verò perfecta absolutaque rei desideratæ (vt Platonice loquar) fruitio. Quapropter, & idem ipse Lucretius in quarto de natura rerum libro cum de hac prima gutta Veneris loqueretur, ait:

Namque voluptatem præsagit muta Cupido,
Hinc Venus est nobis, hinc autem est nomen amoris
Hinc illa te primum Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta, & successit feruida cura.

Id est, cum ipsa Cupido, quam amoamorem Venereum nominamus, muta, id est, adhuc latens, atque intimo motu, secum ipsa (vt ita dicam) considerans ob ipsam spem, ac confidentiam præsentit, ac velut prægustat futuram voluptatem, in ea statim prima illá gutta Veneris oritur, quá lætitiam nominamus. Sit igitur apud Peripateticos lætitia suauis quædam futuræ voluptatis ex ipsa spe nata præsensio, & qualis est in appetitu voluptas, dum fruitur, talis in eodem quoque dum sperat, lætitia. Atque hæc est de huiusmodi nominibus, lætitia, gaudio, voluptate inter Platonem, Aristotelem, Zenonem, & Marcum Tullium controuersia.

Sed vtantur suis, vt placet, nominibus, nos ad Stoicos redeamus. Est autem perturbatio (vt Stoicis placet) auersa à recta ratione contra naturam animi commotio, eamque ab opinione nasci putant. Nam simul vt obiecta cuiuspiam species est, id aut malum pestiferumque, aut bonum animus opinatur. Ex hac autem opinione quatuor animi perturbationes proficiscũtur. Nam quæ nobis obiiciuntur, seu mala illa quidem, seu bona sint, aut futura, aut præsentia esse videntur. quod si mala quędam futura animus cogitauerit, ab his statim declinare conatur. Quæ declinatio si cum ratione fiat, cautio appellatur, eaque

nec perturbatio est, nec à sapientis animo aliena. Quæ autem sine ratione, & cum examinatione humili atque fracta, nominatur metus. Est autem metus à ratione auersa declinatio, siue futuri mali sollicita expectatio. Cum verò iam illud, quod malum videtur, impendet, præsentiaque animum afficit, ea perturbatio, quam siue ægritudinem, seu dolorem nominant, oritur, ægritudo verò est animi aduersante ratione contractio, præsentis autem mali sapientis affectio nulla est. At cum species cuiuspiam, quod futurum bonũ appareat, offertur ad id adipiscendum, impellit (vt Stoicè loquar) ipsa opinio. Id cum constanter, prudenterque fit, eiusmodi appetitionem appellamus voluntatem, eam illi putant in solo esse sapiente, nec vllo modo perturbationem dici debere, quam sic definiunt, voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat, quæ verò ratione aduersa incitata est, vehementius ea libido est, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus stultis inuenitur. At cum ita mouemur, vt bono fruamur aliquo, duobus id modis contingit, nam aut grauiter aut tranquille mouetur animus, idque gaudium vocitant. Cum autem leuiter effuseque gestit, tùm illud lætitiam gestientem, voluptatemq; nominant, quam cum definierint irrationalem, & gestientem animi elationem æstimantis se magno bono frui, cum illis peritateticis, quorum opinionem superius, cum de Aristotele loqueremur, secundo loco retulimus consenserunt, vtrique enim in hoc congruunt, vt voluptas sit ipsa animi elatio existimantis se maximum quiddam bonum consecutum. Diuidunt autem Stoici voluptatem in partes plures, nam quinque in sensibus, quatuor in mente, dum sensibus assentitur esse censuerunt, quæ sensus mouent nec distincta nomina, neque propria apud Stoicos habent præter eam, quæ auditu percipitur, hanc siquidem delectationem illi vocant, atque ita definiunt. Delectatio est voluptas suauitate auditus animum deliniens, reliquæ verò, cæteris sensibus blandiuntur, verùm præter eas, quibus corpus afficitur, quatuor adinuentæ sunt, quæ in mente quoque, postquam ab appetitione deprauata est, comperiuntur. Hæ verò sunt oblectatio, effusio, iactatio, maliuolentia. Est autem oblectatio animi inclinatio ad voluptatem emolliens. Neque hanc quicquam aliud esse arbitror, nisi ipsam mentis mollitiem, atque assensionem, qua illi, quam sensus porrigunt suauitati libentissime iungitur, consentit, paret, atque obsequitur, effusionem verò definiunt virtutis animi remissionem, ac dissolutionem. Nec enim solum mens ipsa mollitie quadam, vt sensuum voluptatibus pareat, inclinatur, & trahitur, quod per oblectationem fieri diximus, verùm etiam quod maius est, omnis mentis nostræ vis, omnisque intentio præsentis boni dulcedine deliquescit, ac diffluit, sese que ad id fruendum effert, penitusque diffundit. Hanc igitur Stoici nominant (vt arbitror) effusionem. Sequitur deinde iactatio, voluptas gestiens, & se efferens insolentius. Hic quoque mentis est morbus, cum eius, quod bonum apparet, possessione exultat, & inaniter gloriatur. Maliuolentia verò est voluptas ex malo alterius sine emolumento suo. Nam cum ob vtilitatem propriam alterius malo quis afficitur voluptate, videtur potius beniuolentia in se, quam vlla in alios maliuolentia, hoc perpeti. Quapropter merito particula, in, definiendo illa adiuncta est sine emolumento suo.

Cyrenaici de voluptate, quod sit finis.

CAPVT XI.

HÆc igitur de Stoicorum sententia dicta sufficiant. Cyrenaicos iam philosophos audiamus, qui ab Aristippo Socratis discipulo fluxerunt. Cyrenaici duas posuerunt perturbationes, dolorem, & voluptatem: hanc lenem motum, illam verò motum asperum appellantes: nihil differre à voluptate voluptatem, neque plus altera mulcere alteram, atque hanc quidem omnes animantes adsciscere, illum autem aspernari: voluptatem verò corporis intelligunt, quam & finem esse dicunt, non eam, quæ in statu sit, & in doloris priuatione consistit, & veluti à perturbatione quietem agit, quam suscepit Epicurus, finemque constituit, testimonio putant esse nobis finem haberi voluptatem, quod à pueris hanc nobis natura conciliauerit, etiam absque iudicio rationis, cum animi iudicium, nec consuetudine aliqua deprauatum est, nec opinione informatum, quo fit vt solo naturæ instinctu voluptatem summum bonum existimare videamur. Cumque illa fruimur, nihil aliud præter eam inquirimus, quasi expetendorum omnium, vltimum, extremum, summum, ac finis existat, neque est quicquam, quod æquè ac dolorem naturaliter fugiamus. Itaque voluptatem maximè omnium expetimus: voluptatem præterea bonam esse etiam si à turpissimis rebus proueniat, & si

enim fœda sit, voluptatem tamen per se ipsam esse eligendam, bonumque existimandam porro illa doloris abiectio, quam tuetur Epicurus, eis non videtur voluptas esse, neque priuatio voluptatis dolor, vtraque enim esse in metu constituta, neque tamen corporis solum esse voluptates, verum animi etiam, quæ scilicet ex præteritarum rerum recordatione, vel spe futurorum bonorum, vel disciplinarum studiis percipiuntur. Longe tamen esse præstantiores corporis, quam animi voluptates. Deterioresque corporis dolores, quam animi, virtutes verò & omnino quicquid aliud præter voluptatem sit eius gratia bonum, & expetendum esse. Et quæcunque mala videntur, doloris causa mala, fugiendaque videri. Solam profectò voluptatem propter se bonam, atque expetendam: dolorem verò propter se malum, ac reiiciendum: voluptatem quoque & dolorem ex assensione, & compassione animi ad corpus contingere. Corpus namque variis diuersisque motibus agitari, his verò si lenes, blandique sint, assentiri animum atque id esse voluptatem. Sin autem asperiori quadam corpus passione pulsetur, contrahi animum, & compati, atque dolere. Quamobrem in hac doloris voluptatisque definitione, cum plerisque Platonicorum, Peripateticorumque consentiunt. Dissentiunt tamen cæteris nonnullis in rebus, vt ex iis, quæ retulimus esse potest perspicuum, & eo insuper, quod nec suaue quicquam, nam nec insuaue opinabantur, cæterum cuius vis rei, vel nouitate, vel varietate, vel satietate lætari alios, alios angi.

Opinio Eudoxi, quod voluptas sit summum bonum.

CAPVT XII.

EAdem fermè est Eudoxi Architæ auditoris sententia, ijs enim quas ponam rationibus voluptatem summum bonum probat. quod expetendum est inquit id bonum videtur. Quod vero magis expetitur melius. Quod denique maximè id maximum, ac summum esse bonum, nemo vtique dubitaret. Voluptatem vero præ cæteris experi, è duobus patere arbitratur. Nam nihil est ex omnibus, quod vehementius, ardentiusque quam voluptatem viuentia concupiscant. Nec bonum est aliquod præter eam, quod ab omnibus expetatur. Voluptatem quippe non solum homines, verum cætera quoque animalia omnia, infãtes pręterea statim, ut nati sũt. Iuuenes deinde, ac senes affectant. Nihil autem è cæteris bonis, quod ab iis omnibus appetatur reperiri potest. Item quod est secundum naturam maximè, summum id esse bonum nemo vel indoctus negaret, voluptatem verò potissimum naturæ congruere, ex his patebit, quod hac gignantur animantes, ipsique adeò generationi necessaria sit, vt plerique veterum Philosophorum plantas quoque inuicem vtriusque sexus commistione coire, ac per voluptatem gignere, surculosque emittere disputauerint, quodque eam viuentia vix in lucem edita euestigio concupiscant, ante quam aut aliud quicquam appetant, aut consilio aliquo id, quod quærunt, eligere valeant, voluptatis præterea illecebris ab ipso nutricis lacte, per omnem vitam nutrimur, educamur, atque augemur, huius delitiis erudimur, huius in gremio vitam agimus, hæc cunctis sensibus innata est, ac velut esca omnia vitæ necessaria perficiuntur officia, neque enim, aut quæ pestifera sunt expellimus, aut quæ vtilia sine voluptate consequimur, quapropter maximè naturæ congruere, ac generi nostro familiarissima (vt Aristoteles inquit) esse videtur. Præterea bonum, quo latius est, eo diuinus est existimandum, cumque voluptas omnibus animantibus competat, cunctisque bonis immista sit, quis eam dubitet latissimè patere, & vbique diffundi, nec vlla sane virtus est, quæ cæteris omnibus virtutibus insit, aut cunctis animalibus natura conueniat, voluptas autem omnibus virtutibus immista est, nec vlla omnino virtutum absque voluptate inueniri potest. Ipsa vero voluptas absque virtute in pluribus reperitur, nec esse potest vlla boni sine voluptate possessio, ex quibus concluditur eam cunctis bonis infusam, propterea que amplissimam, optimamque existere. Insuper nihil præter voluptatem, quod non ob aliud quiddam exspectamus. Imo quod maius videtur ob eam ipsam reliqua omnia concupiscimus, nec enim aliam ob causam vllam, quod bonum est affectamus, nisi vt eo tandem. si fieri vllo modo potest, acquisito fruamur; fruitionis ergo (vt ita loquar) gratia bona omnia perquiruntur, voluptas autem, cum nihil aliud sit, nisi suauissima quædam acquisiti iam boni fruitio, quis neget, eius gratia bona reliqua desiderari. nec vllus est, qui boni quippiam appetat, nisi, vt idipsum pro viribus consequatur, nec consequi vult, nisi vt possideat, atque in eo suauissimè requiescat, suauis autem

illa quies, siue quietis illa suauitas, qua bonum iã nacti perfruimur, voluptas ab omnibus penè Philosophantibus nominata est, eiusque gratia vt probauimus, & bona omnia desiderantur, nec vlli voluptas vnquam potest contingere, nisi prius, quod cupierit, bonum consecutus sit, quo sit, vt voluptas bonorum adeptionem sequatur: cumque id, quod aliud necessario sequitur, eius quoque finis existat, necesse est voluptatem eum profecto finem, cuius gratia bona omnia petamus, existere. Duo sunt igitur in Aristippi, Eudoxique disputatione præcipua, quod videlicet voluptas corporis potior sit, quam animi, quodque in ipsa corporis suaui commotione omnis beatitudo consistat.

Rationes Aristotelis contra Aristippum, & Eudoxum de voluptate probant voluptatem mentis potiorem esse corporis voluptate.

CAPVT XIII.

AT Aristoteles aduersus vtramq; sententiam rationes verissimas probatissimasque contexit. In primisque pluribus rationibus potiorem esse animi, quam corporis voluptatem demonstrat. Ex omnib. enim corporis voluptatibus vehementissimæ sunt, quæ tangendo, ac gustando percipiuntur, harum vero ea natura est, vt absque indigentia, aut nullo modo, aut certe vix corpus mouere possint, vnde Socrates cibi cõdimentum famem esse dicebat, potionis, sitim, omnis autem indigentia, cũ naturæ inimica sit, dolorem affert. Cumque eiusmodi voluptates sine indigentia fieri nequeant, necesse est doloris semper participes esse, proptereaque nec integras, neque puras haberi, præsertim cum pœnitentiam, satietatem, morbosque pariant, animi verò voluptas nullam penitus egestatem mistam habet, ob eamque causam nec doloris est particeps, nec vlla satietate aut molestia mentem afficit. Quid? quod sensuum delectationes, quo magis, atque auidius hauriuntur, eo citius in contrarium recidunt, mentis vero gaudium, quo magis quæritur, eo maius perfectiusq; habetur. Præterea voluptatis causæ, ac velut principia duo sunt, ipsa videlicet animæ vis, quæ motum eiusmodi recipit, idque insuper, quod extrinsecus nobis obiicitur, illud quidem voluptatis subiectum, hoc obiectum nominant: suauitatis corporeæ subiectum est sensus, obiectum verò, corporis qualitas, atque natura, quam sensibus haustæ species offerunt, eius autem, quo animus fruitur, gaudij subiectum quidem mens, obiectum, res incorporea, simplex, absoluta, æterna, veritasque existit, quo igitur huius, quam superioris illius voluptatis principia diuiniora sunt, eo hæc est, quam illa, perfectior. Et (vt disputat Auicenna) sensus rerum, seu superficies, siue proprietates quasdam extrinsecus attingunt, nec rebus ipsis, sed earum potius imaginibus copulantur, mens autem intimam atque absolutam naturam eius, quod obiectum est, inspicit, atque ita cum eo, quod considerat copulatur, vt vel è duobus vnum (vt vult Auerrois) fiat, vel, vt Aurelius Augustinus inquit, indissolubili connexione cohæreant, qua comprehensione, coniunctioneque maior admodũ mẽti, quam sensibus, qui id assequi nequeũt, voluptas contingit. His adde, quod mentis natura vna semper, eademque existit, & idcirco idem sibi semper simile, ac propriũ est, ex quo sequitur, huic idem semper esse iucundum, eandemque voluptatem adesse. Corporis autem natura, aut nunquam eodem in statu permanet (vt Eraclitus & Plato volunt) aut breui in multas affectiones transfertur (vt Aristoteles putat) aliasque alia eius qualitas est, quapropter neque idem omni tempore corpori congruit, quodque nunc secum natura consentire videtur, statim, aut certe paulo post dissentit, & diffidet, nec illi ob idem semper est voluptarium, quibus profectò intelligitur, mentis voluptatem certam, & stabilem, corporis verò breuem, fluxam, ac fragilem esse. Sensus item præsentiũ duntaxat suauitate rerum mouentur, nec ex aliis rebus vllis, nisi corporeis, voluptatem suscipiunt, mens autem præteritorum memoria, futurorum verò spe, præsentium contemplatione similiter delectatur, nec solum eorum, quæ carent corpore, verum etiam ipsorum corporum cognitione gaudere potest. Cumque animus, pars hominis omnium præstantissima sit, nemini dubium esse potest, quin id, quod menti consentaneum est, homini cognatius similiusque, quam quod sensibus conuenit, iudicari debeat, quod autem cuique cognatissimum est, idem proculdubio iucundissimum ex quo intelligitur, animi gaudium corporis dulcedine, maius ac præstantius esse. Accedit ad hæc, quod animus indiuiduus est, ac simplex, cognitio quoque veritatis pariter indiuidua, voluptas ergo mentis, cum ex iis duobus velut quibusdam causis profluat, simplex esse videbitur, nec seipsa minor maiorue fieri posse, quippe cum nec eius principia varietatem eiusmodi patiantur, sensus autem pe-

membra disseminati, distributique sunt, proptereaque multiplici varietate concreti, obiecta quoque sensuum nihil aliud esse videntur præter formas quasdam, qualitatesque corporum, quæ ex quadam partium ipsarum conueniētia proficiscuntur, vt figuræ, colores, soni, odores, cæteraque eiusmodi, cumque ea ipsa corporum proportio, qua sensus mouentur, proportioni quoque sensuum consona, ac similis est, asciscunt eam sensus vtpote sibi propriam, familiaremque, ac bonam, voluptateque afficiuntur, cum verò eiusmodi corporum harmonia magis minusque ad sensuum harmoniæ similitudinem accedere possit, consequens est, vt sensus eiusdem quoque corporis proportione maiorem alias, aliasque minorem suscipiat voluptatem. id autem in cantibus, ac sonis intueri licet, eodem namque temporis (vt ita dixerim) momento, eadem ipsa, quę ex eodem quoque cantu percipitur delectatio vocibus, modo suauius, modo absurdius editis vehementior, remissiorque efficitur, cum igitur voluptas animi simplex, immutabilisq; permaneat, corporis autem delectatio mista sit, ac maior, minorque fiat, nemo sanæ mentis illam hac præstantiorem esse, perfectioremque negabit. Postrema verò ad id ipsum Aristotelis argumentatio sic patet, quæ propter seipsa expetunt inquit iis, quæ alterius gratia, potiora videntur, gaudium verò mentis, propter seipsum amari, ex eo potissime declaratur, quod mens, eiusque motio cæteris omnibus, quę nobis insunt, dignitate magnopere præstant, vnde sequitur, nihil nobis inesse, ad quod illa, velut ad finem aliquem referamus, eademque ratione, neque eam, quæ illis inhæret, voluptatem propter aliud quippiam appetemus. Voluptatem verò corporis trium præcipuè rerum causa concupiscimus, horum sane vnum est, mens, naturæ indigentia reliquum, postremum dolor intimus, atque perpetuus. Etenim cum deteriora ad illa, quæ potiora sunt, natura retulerit, vt esset inexplicabilis quidam ordo rerum, ac partium inter sese perfecta connexio, necesse est, corporis quoque sensus, eorumque motus ad mentem velut ad dominam, reginamque referri. Deinde (vt supra etiam diximus) ob eam causam tàm vehementem sensibus natura voluptatem ingenuit, vt huius illecebris ad ea, quæ vitæ necessaria sunt cōparanda propensiores efficeremur, id autē ex eo maximè patet, quod quādiu id, quo natura indiget, in corpus admittimus, huiusmodi suauitate mouemur: postquā verò omnis naturæ egestas expleta est, non modo nullam amplius voluptatem gustamus, sed quæ maius est, aut pœnitentia, aut satietate afficimur. Id verò ea de causa natura institutum arbitror, vt quemadmodū voluptate allicimur ad indigentiā, sic pœnitentia ac satietate absterreamur, nec vltra quam opus sit, admittentes naturam lædamus. Doloris quoque occulti leniendi causa (vt septimo de moribus disputat Aristoteles) iucundum corporis motum veluti Medicinam quandam appetimus. Neque enim manifesti modo, verum etiā occulti quidam, mediique dolores contingunt, violenti quippe motus, qui extrinsecus inferuntur, manifestum dolorem efficiunt. Naturales autem, quæ intus fiunt agitationes, tacitum, atque medium. Inesse quidem nobis perpetuos arbitratur naturæ spiritus, sensuum mentisque motus. Nam & continet anima corpus, alitque, & gignit à membris præterea corporis ipsius ad membra humorem spiritumque alterno, ac perpetuo motu transfundit, vtitur deinde ad sentiendum corporis instrumentis, sensibus quoque ad contemplandum. Rationabile vero esse videtur, hos tantos, tàm varios, tamque perpetuos motus naturam defatigare, atque occulto quodam (vt ita dixerim) dolore afficere, quem idcirco minus aduertimus, quod huncà primo ortu dolorem ad extremum vsque diem perpetimur. Igitur diuturna consuetudo sensibus eum quodammodo familiarem efficit, ac mentis intentionem dissoluit. Cæterum ab ipsa rerum artifice, ac magistra natura institutum est, vt quod diuturna illa consuetudo deleuit, ne ob eam negligentiam animal deperiret, necessario quodam, cæcoque instinctu excitetur, quo quasi coguntur omnia, vt voluptatem corporis intimo huic dolori oppositam veluti Medicinam concupiant. Quapropter, & illi quoque, quibus nulla penitus manifesta egestas accidit, ob hanc tamen insitam cæcamque indigentiā voluptatem affectant, quo fit vt verissimum sit illud Platonis, de quo superius disputauimus: omnem scilicet voluptatem ab egestatis expletione proficisci. Nam quibus nulla aperta egestas apparet, his intima, & occulta, quamdiu viuunt deesse nunquam potest. Eaque ipsa de qua disserimus insita indigentia iuuenibus potissimum Melancholicisque contingit, illis profectò quoniam ob augendi, perficiendique corporis necessitatem plurimis vehementibusque motibus concitantur, quibus accidit, vt maiori egeant Medicina, maximeque om-

nium hac de causa voluptates sequantur. Quibus verò atra bilis, quam Græci, μελαγχολίαν dicunt dominatur, corpus (vt inquit ille) iugiter consumitur, atque ob eius humoris vehementem siccitatem arroditur. Propterea que, & ij magnopere voluptatibus obsequuntur, quapropter iuuenes, ac melancholici maximè omnium incontinentes, atque intemperantes esse solent. Medius verò dolor fames, atque sitis, & quæuis alia corporis concupiscentia dici potest, neque enim latens hic penitus dolor est, neque aperto, aut vehementiori motu corpus excruciat, vnde medius non immerito nominatur, cuius quoque pellendi gratia, vt nemo non videt, voluptates expetimus.

Rationes Aristotelicæ contra eosdem, quod voluptas corporis non sit summum bonum.

CAPVT XIV.

Longo iam ordine declarauimus Aristotelis sententiam iudicantis voluptatem animi, corporis suauitate præstare. Restat nunc alia aduersus Eudoxum, Cirenaicosque Aristotelis disputatio, qua corporis voluptatem summum nullo pacto esse bonum demonstrat. Summum profectò bonum Philosophorum omnium authoritate eiusmodi esse debet, vt nec præter ipsum melius quippiam sit, nec ipsum vllo modo ad aliud referatur, voluptas autem corporis, mentis gaudio (vt paulo ante monstrauimus) admodum deterior est, eiusque gratia, cæterorumque (de quibus diximus) desideratur. Insuper quod per se summum bonum est, semper atque omnibus bonum expetendumque videri debet, omnibusque eius ex partibus approbandum, neque tamen omnis corporis delectatio, neque semper, neque à cunctis expetitur. Nam quod vni voluptatem, molestiam alteri sæpe numero præstare solet, quæque pueris grata, viris molesta videntur, quodque sobrij dum sumus concupimus, postmodum saturi effecti eius etiam aspectu nauseamus. Ad id quoque facit, quod ea summi boni natura est, vt quicquid agimus, id eius gratia, quasi necessitate compulsi penitus eligamus. Hinc autem plurima laboriosissima negotia sunt, periculorumque officia quædam plenissima, quæ etsi certo sciamus nullam nobis voluptatem corporis allatura, honoris tamen, aut honestatis, aut mentis gaudii gratia, suscipere non dubitamus, quin & ad mortem fortissimi, ac sapientissimi plurimi viri certam sese pro honesto, pro patria, pro parentibus contulerunt, quos si quis dixerit ea suauitate corporis irretitos, aut libidine inflammatos effecisse, aut horum iudicio vulgi, ac bestiarum opinionem, impetumque prætulerit, is profecto stultissimus est omnium iudicandus. Potest præterea quiuis frui corporis voluptatibus vel abiectus quisque non minus quam optimus. At felicitatem nemo diceret abiecto competere. Nec rationabile est vilissimos, ac semiuiuos homunculos æquè, ac magnos sapientesque viros beatos asserere. Item cuiusque naturæ summum illi proprium esse debet, voluptas vero corporis, cum vix quoque viuentibus bestiolis communis sit, nullum pacto summum hominis bonum iudicari debet. An verò summum bonum tu dixeris id, quod ne bonum quidem esse videatur, quam verò turpis, quam pessima, quam pestifera sit inanis hæc sensuum elatio à Platone nostro superius satis arbitror persuasum. quo autem Eudoxus, atque Aristippus potissimum nitebantur, quod videlicet voluptas corporis ab omnibus expetatur, id Aristotelicis parum ad id, quod probare contendunt, valere videtur esse, namque putat varias diuersorum corporum affectiones, propterea quæ his natura cognata sint, atque ob eam ipsam cognationem, voluptatem pariant, inter se plurimum discrepare ex quo intelligitur varias admodum differentesque diuersis animantibus voluptates contingere, quod si omnes corporis voluptates percurreris, nullam tandem, quæ ab omnibus summopere cupiatur inuenies, mentem verò, aut in omnibus vnam, aut prorsus simillimam esse constat. Ideoque quod mentis proprium est, id omnium mente vtentium proprium cognatumque videtur. Mentis autem proprium est veritatis indagatio, atque cognitio. Id igitur cunctis hominibus consentaneum, ob idque desiderandum esse paret. Quapropter omnes vt Aristoteles inquit, homines scientiam natura desiderant, quod autem appetitur, si absit, molestiam, si verò presens fuerit, voluptatem gignere solet, cunctis ergo hominibus vnum natura cognatum, vnum omnibus expetendum, vnum denique iucundissimum, atqui id totum in veri contemplatione consistit, quod mentis (vt Plato inquit) est pabulum, atque ineffabili quadam complet animum voluptate. voluptates igitur corporis, aliæ quidem ab aliis appetuntur, mentis vero gaudium, vnum, atque idem à cunctis amatur.

Cur homines ad voluptatem corporis sint procliues.

CAPVT XV.

AT quærat forte quispiam, cur homines propemodum innumeri sint ad voluptates corporis proniores, huius profectò causam Aristoteles arbitratur, quod sensuum illa suauitas eius, quo mens alitur gaudij vmbra quædam, atque imago sit. Igitur à primis annis cum sensibus duntaxat vtimur, qui nec veritatis naturam, nec eius gaudium assequi possunt, eius voluptatis, ad quam naturæ prima intentio fertur, loco illam, quæ sensibus blanditur, hac decepti similitudine sequimur, auideque complectimur. Cum verò ætas iam adoleuerit, ac velut expergefactis animi oculis, veritatem suspicari, eiusque gaudium de gustare cæperimus, tùm quoque plurimi ante actæ vitæ cursum ad senectutem vsque prosequuntur, diu namque sensibus credere, eorumque motibus obsequi consueuere, eaque ipsa consuetudo radices altius iam, profundiusque egit, vt impossibile, aut certe difficillimum sit, eas iam solidas, atque altissimas extirpare, quibus perspicuum est, duo esse præcipua, ignorantiam videlicet, ac flagitiosam consuetudinem, quæ nos extra beatitudinis callem in miseriæ siluis versari cogant, quod Cicero in tertio Tusculanarum disputationum elegantissime describit his verbis. Natura, inquit, paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque deprauatis sic restinguimus, vt nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque in lucem editi, & suscepti sumus, in omni continuo prauitate summaque opinionum peruersitate versamur, vt cum ipsius nutricis lacte errorem suxisse videamur. Cum verò parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tùm ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat, hæc Cicero. Vt autem ad propositum redeamus, voluptas pro hominum diuersitate varia, & incerta est, mentis vero vnicum ab omnibus gaudium natura expetitur. Cumq; duo hæc contemplatio scilicet veritatis, eiusque voluptas in mente consistant, atque ex his summi boni natura constare videatur, vtrum sit horum ad beatitudinem potius, præstantiusque, Philosophi veteres dubitauerunt. Trismegistus enim, & Theodorus Dionysij dialectici discipulus, Democritus, Piro, Eurilochus, Philatimon, Philiasius, Nausiphanes, Theius, Epicurus, Origenes, Auicenna, Algalzel in beatitudinis natura gaudium, quod contemplationis comes est, præcipuum iudicare videntur. Thales autem, Bias, Anaxagoras, Socrates, Euclides Megarensis, Aristoteles, Herillus Calcedonius, Auerrois contemplationem ipsam præposuere, atque hæc quidem disceptatio, & controuersia vsque in nostram viguit ætatem, & inter Christianos quoque Theologos agitatur. Sed de hoc alias. Nunc vero admonuisse sufficiet, quemadmodum Aristoteles in duobus potissimum (vt supra declarauimus) ab Eudoxo & Aristippo dissentiat.

Quid de voluptate Sceptici senserint, quid Dionysius, quid Theodorus.

CAPVT XVI.

PIro quoque Eliensis, atq; omnes, qui ab eo fluxerunt philosophi sceptici nominati, hoc vno cum Aristippo Cyrenaicorum principe consenserunt, quod nihil ex omnibus rebus natura iucundum, aut asperum esse queat, voluptatemque ac dolorem, aut ab hominum opinione, aut vsu fieri, aut certa nostrorum corporum affectione, nam quod modo iucundum appareat, cras contra molestum futurum, quodque alteri asperum, alteri aliter affecto suauissimum, quod vero eiusmodi varietatem recipit, negat suapte natura quale videatur existere, verum pro diuersitate hominum, quæ sensibus admouentur, varia quoque videri putant. Dionysius autem Heracleotes, non modo id vnum, sed cuncta Cyrenaicorum instituta defendit, finemque bonorum dicit esse voluptatem, cum enim in dolorem oculorum incurrisset, noluit dolorem indifferentem dicere, cum illo fuisset acriter cruciatus, cumque Zenonem Stoicum audiuisset, post se ad Cyrenaicos cõtulit. Theodorus vero Dionysij dialectici discipulus, & ab hoc, & à Cyrenaicis plurimum discrepat, nam voluptatis, nomine solũ vtitur ad eã, qua tanguntur sensus suauitatem significandam, nec modo non summum bonum, sed ne bonum quidem eiusmodi voluptatem esse putat, summum quippe bonum mentis gaudium, eiusdemque ægritudinem summum malum, alterum quidem prudentia constare, alterum imprudentia: atqui bona, quibus beatitudinem comparamus, esse prudentiam, ac iustitiam, mala verò contrarios habitus, voluptatem autem, & dolorem, vt Stoici quoque putant, indifferentia.

Quid Epicurei de rerum primordiis, de Voluptate & affectibus, atque moribus.

CAPVT XVII.

At verò Epicurei Voluptatis nomen, veluti genus quoddam constituunt, cuius species duæ sunt: alteram porrò Voluptatem in motu, alteram in statu consistere arbitrantur: quæ verò in motu posita est, bifariam diuidunt: vnam quippe in mente esse, in sensibus alteram, illud gaudium vt plurimùm nominant, hanc verò lætitiam: gaudium definiunt suauem mentis commotionem, eo quod petierat, perfruentis, lætitiam verò iucundum motum, quo sensus hiant, ac diffluunt. Quemadmodum verò hæc ipsa, quæ ponitur in motu, iucunditas oriatur, sic docent. Rerum, aiunt, quæ sunt omnium primordia corpuscula quædam minima, ac penitus indiuidua, quas ob eam causam, quod insecabiles sint ἀτόμους nuncupant, easque magnitudine inter se, ac figura differre, vt hæc quidem semina maiora sint, alia minutiora, hæc rotunda, leuiaque, illa curua, & hamata, & aspera, hæc omnia immensum per inane perpetuis motibus volitare, contingere sese, ac fortuitis concursionibus cohærentia, quæcunque in rerum natura sunt constituere, horum concreatione tria præcipua rerum genera fieri putant. Quædam his atomis, quæ rotundæ, minutæ, leuesque sint, effici, alia maioribus asperioribusque. Nonnulla verò inter hæc duo medium obtinere, nec leuia esse, nec penitus aspera, corpus quoque nostrum, & animam iisdem seminibus concreta esse volunt, hoc interesse tamen, quod corpus amplioribus crassioribusque, hæc autem è minutis, leuibus, rotundisque conflетur. Inesse præterea inane cunctis mistum corporibus, atque naturis, quos meatus, porosque nominant, quibus efficitur, vt corpora sese mutuo capere, ac veluti combibere possint. Cum igitur prima illa seminum genera nobis obiecta sunt, quia (vt diximus) minima existunt, sine vlla offensione corpus, atque animam vndique penetrant, quia verò rotunda, & leuia, atque idcirco animæ naturæ cognata, mulcent continuo illam, ac sensibus blandiuntur, cuius generis mitia poma, mellisque, atque lactis liquores, cantus, odoresque suauissimos, cæteraque eiusmodi esse putant, Quapropter ea, quibus anima contexta est semina, cum lenibus hisce blandisque corpusculis attinguntur, assentiuntur illa quidem dulci huic commotioni, seseque in ea, quæ sensibus, ac meatibus hausta sunt corpuscula, maxima quædam auiditate diffundunt, iucunde adhærent, firmiter copulantur, suauissime complectuntur, eamque ipsam assensionem, effusionem, coniunctionem, complexionemque, voluptatem in motu positam arbitrantur: contra verò accidit, cum tertium illud corporum genus, quod asperis ponderosisque seminibus constructum est, sensibus admouetur, quod enim grandia sunt, quibus constant elementa, difficile corporis atque animæ foraminibus intruduntur, & vi quadam animæ corpuscula pulsant, perrumpuntque, ac distrahunt, quod verò aspera sunt, & hamata, mordent quodammodo animam acriter, corpusque compungunt, talia quidem esse censent absynthium, fel, colores, sonos, odoresque molestos: cætera denique omnia, quæ asperitate aliqua, & amaritudine sensus contingunt, horum quippe seminibus animæ primordia concita distrahuntur, horrent, diffugiunt, ac sese celeriter contrahunt, eiusmodi dispersionem, contractionemque dolorem secundum motum definiunt. Hæc Lucretius Epicureus nobilis in secundo de rerum natura, his versibus exprimit.

Vt facile agnoscas de leuibus atque rotundis
Esse ea, quæ sensus iucunda tangere possunt.
At contra quæ hamata, atque aspera, cumque videntur,
Hæc magis hamatis inter se nexa teneri,
Proptereaque solere vias rescindere nostris
Sensibus introituque suo perrumpere corpus.

Item eodem in libro hæc.

Præterea quoniam dolor est vbi materiali
Corpora vi quadam per viscera viua, per artus
Sollicita suis trepidant in sedibus intus.
Inque locum quando remigrant fit blanda voluptas.

At verò illa, quæ mediis quibusdam elementis coagmentata sunt, in plura genera partiuntur. Nam alia quidem ad lenia blandaque corpora propinquè accedunt, alia ad illa potius, quæ sensibus aspera quędam verò ab vtrisque æqua fermè differentia distant. Prima quidem tacito quodam motu animam ad voluptatem alliciunt, altera ad tristitiam, doloremque sensim, ac latenter incitare videntur. Illa verò, quæ dicuntur indifferentia, motum ambiguum dubiumque efficiunt. Quapropter horum impulsu pigrescit animus, ac torpet, nec ad agendum nisi nouo aliquo accedente motu excitatur. Neque verò silentio prætereundum puto, quod inter ea, quæ penitus lenia, rotundaque sunt, & ea insuper, quæ adunca omnino & aspera, medium quoddam genus corporum interponitur. Idque

his constat atomis, quæ nec rotundæ penitus, nec inflexæ, aduncæque sunt, sed angulis quibusdam exiguis, ac mollibus eminent, cuius generis vina quædam, ac poma, quæ agresti, & acri, atque (vt aiunt) acuto sapore modice temperata sunt, esse volunt. Hæc autem nec leniunt animum, neque dissipant, nihiloque magis languescere cogunt, verùm leuiter, ac modice pungunt, & quasi titillant, voluptatemque efficiunt. Id totum ex his Lucretij versibus intelligitur.

Sunt etiam quæ iam nec leuia iure putantur
Esse, neque omnino flexis mucronibus unca,
Sed magis angululis paulum prostantibus, & quæ
Titillare magis sensus, quam lædere possint.
Fecula iam quo de genere est, vinique sapores.

Quo fit, vt tres sint earum, quæ motum sequuntur in sensibus species voluptatum, vna quidem affectio quædam ad mollitiem, quam illectionem nuncupant, altera lenis, ac dulcis commotio, postrema verò exigua quædam compunctio, & (vt aiunt) velut pruritus, atque titillatio. Vtitur & alia quadam diuisione voluptatum Epicurus, alias enim naturales, & necessarias dicit, veluti quæ dolorem, ac vehementem naturæ concupiscentiam sedant cibis, atque potionibus, cæterisque omnino, ad quæ vehemens naturæ motus impellit, alias naturales quidem, non tamen necessarias, cuiusmodi sunt, quæ delectationem variant solum, nec dolores tollunt, nec voluptatem exaugent, naturæ siquidem expleta indigentia, eoque, qui hanc sequitur dolore detracto, putat Epicurus summam corporis terminari voluptatem, vt postea variari voluptas, distinguique possit, augeri, amplificarique non possit, hoc ergo secundo in genere eæ voluptates ab Epicureis positæ sunt, quæ condimentis variis, exquisitisque epularum delitiis percipiuntur. Tertium deinde genus addit voluptatum earum, quę nec naturales sunt, nec necessariæ, veluti quæ ex rerum externarum spectaculis nihil ad victum, aut peritiam pertinentibus, & omnino omnes, quæ ex immenso diuitiarum, atque opum cumulo capiuntur. Harum omnium voluptatum ea ratio est, vt earum, quæ necessariæ sunt libido, nec opera multa, nec impensa expleatur, nec naturaliũ voluptatum cupiditates multa desiderant, propterea quod ipsa natura diuitias, quibus contenta sit, & parabiles, & terminatas habet, inanium atque cupiditatum, quæ nec naturales, nec etiam necessarias voluptates affectant, nec modus vllus (vt ille putat) nec finis reperiri potest, vnde si ad naturam vixeris, inquit Epicurus, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam diues, sapientem quippe locupletat ipsa natura, cuius diuitiæ parabiles sunt: neque verò tenuissimo, & contemptissimo victu minores, quam ex rebus exquisitissimis ad epulandum voluptates percipiuntur. Paucis enim ac minimis natura contenta est. Nec eam solam Epicurus sequitur voluptatem, quæ suauitate aliqua naturam mouet, de qua satis iam diximus, sed maximam illam voluptatem existimat, quæ percipitur omni dolore detracto, quam in statu positam dicit: cumque eam esse voluptatem Cyrenaici negauissent, contra, Epicurus voluptatem hanc dici debere, sic docet, quoniam cum priuamur dolore, ipsa liberatione, & vacuitate omnis molestiæ gaudeamus, omne autem id, quod gaudemus, voluptas est, vt omne, quod offendimur, dolor, doloris omnis priuatio recta nominata est voluptas, vt enim cum cibo & potu fames, sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiæ, consecutionem affert voluptatis, sic in omni re, doloris amotio successionem efficit voluptatis. Itaque non placuit Epicuro medium esse quiddam inter dolorem & voluptatem. Illud enim ipsum quod quibusdam medium videtur, cum omni dolore caremus, non modo voluptatem esse, verumetiam summam voluptatem, quisquis enim sentit, quemadmodum sit affectus, eum necesse est, aut in dolore esse, aut in voluptate. Hanc præterea voluptatem in statu positam bifariam diuidunt; alteram quidem in animo ponunt, in corpore alteram, hanc indolentiam, illam verò tranquillitatem vocant. Est autem (vt placet his) in corpore indolentia doloris omnis detractio. Tranquillitas autem placida quædam, & constans animi ab omni perturbatione vacatio, nonnunquam verò vtramque voluptatem vno vocabulo complectuntur, absolutam, atque integram tranquillitatem appellantes, quo fit, vt duplex tranquillitas sit, vna solius animi totius hominis, altera ea, quæ perfecta omnino, atque absoluta.

Modus in voluptatibus, & quod felicius non sit in voluptate concitata, sed in tranquillitate apud Epicurum, atque Democritum.

CAPVT XVIII.

Omnem insuper voluptatem suapte natura bonam esse, atque expetendam, fugiendam tamen interdum alterius gratia, quæ enim ex immoderatis, & turpibus actionibus suscipiuntur, vitare ob eam

causam oportere, quod breuissimæ sint, ac fragiles, secumque ferant pœnitentiam, curam, sollicitudinem, atque dolorem. Dolores itidem per se fugiendos omnes esse, alterius tamen gratia, eos suscipiendos, qui cũ leues, ac breuissimi sint, maximas quasdam sint nobis voluptates, & commoda præstaturi, & si voluptates omnes bonæ sint, non tamen in omnibus suam esse beatam vitam, neque enim eam, quæ motu fit, ad beatam vitam seipsa contentam esse, nec ad beate viuendum sui gratia penitus necessariam, cæterum absolutam illam tranquillitatem, quæ placidam animi quietem corporisque continet, summum omnino bonum putant. His enim duobus omnem prorsus naturam hominis, corporis videlicet, atque animi pariter esseperfectam, atque hunc esse statum, ad quem omnia referantur negotia, siquidem labores subire omnes, vt in ocio, deinde & quiete esse possint, easque, quas in motione posuimus voluptates sequi, vt dolores pellant, naturæque indigentiæ satisfaciant, pellere verò dolorem, & indigentiæ satisfacere, vt omni dolore, qui ab egestate naturæ fit, soluti ac liberi simus. Atque hæc ea indolentia est, quam in statu intelligi volunt, quamque in felicitate censent partem alteram obtinere, alteram verò partem tranquillitatem animi regere, cuius gratia virtutes omnes quæsitæ sint. Quippe cum nihil aliud virtutes desiderent, nisi vt omni liberēt animum perturbatione, id vero est ipsa tranquillitas, quapropter tranquillitatis ipsius gratia virtutes omnes quæsitas esse volunt, & multo magis reliquas omnes hominum actiones. Præterea cum cætera hominis bona, aut animi dumtaxat propria sint, aut corporis, sola ex omnibus absoluta illa, ac perfecta tranquillitas vniuersam hominis naturam continet. Ideoque bonorum omnium præstantissimum merito iudicari debet Adhęc quoque non parum id valet, quod omnium Philosophorum authoritate confirmatum est. Id scilicet summum videri cui nihil vlterius addi possit. Tu verò quid tranquillitati adiicies? an verò id facies nisi quid illi desit? At si quid boni defecerit, necesse est eum, cui desit, illud appetere, qui verò cupit, tranquillus esse nullo modo potest, vbi igitur tranquillitas est, ibi appetitio nulla; vbi verò nihil appetitur, nulla est indigentia, vbi nulla egestas, ibi denique status perfectus, copia rerum expetendarum, bonorumque omnium absoluta complexio, vbi ergo tranquillitas est, ibi bona sunt omnia, vbi omnia sunt, & tranquillitas, quo intelligitur, ei nihil deesse, nihil omnino addi posse, bonorumque in se naturam omnium, rationemque comprehendere. Ideoque perfectum esse bonum, atque extremum, ad quod naturæ omnis appetitio referatur. Cumque bona plurima sint, aut vnum aliquod ex his beatitudo est, aut omnia inuicem congregata, aut quiddam potius, quod ex omnium cæterorum bonorum cumulata possessione conficitur. Aliquod verò bonorum secretum à cæteris, quoniam plurima sibi alia superaddi queant, summum nullo modo bonum videri potest, nec etiam simul collecta omnia. Beatitudo namque humanæ vitæ finis quidam vltimus, atque extremus existit, vltimus autem finis vnus, atque simplex esse debet, quapropter summum bonum erit, quod ex aliorum omnium acumulatione profectum sit. Id verò præter tranquillitatem esse nihil potest. Est enim bonorum natura duplex, nam & explent animum, & omni molestia liberant, eiusmodi verò expletio, atque liberatio, proculdubio est ipsa tranquillitas. Quæ quoniam cæterorum bonorum possessionem sequitur, consequens est, vt eorum omnium finis, atque extremum, ob eamque causam summum merito videatur, nec enim quiescit animus vnquam, nisi bona omnia consecutus fuerit, quies autem, & tranquillitas, vnum, atque idem est, bonorum igitur aliorum possessioni succedit, eius itaque gratia bona quæsita videntur omnia, quasi hic sit finis vltimus, atque optimus ab omnibus expetendus. Quapropter Epicurus beatam vitam censet in animi tranquillitate consistere, in ea vero tranquillitate, quæ animi simul & corporis indolentiam continet beatissimam. Sed ne videar ea, quæ de Epicuro relata sunt, ex me ipso asseuerare, primum voluptas, quæ motionir comes est, summum bonum non sit, ipse suis verbis testatur in Epistola ad Menecem inquiens. Cum itaque dicamus voluptatem finem esse, nec luxuriosorũ voluptates, easque, quæ in gustu sunt positæ, vt quidam ignorantes, & à nostra sententia dissentientes arbitrantur, sed non dolore, animoque tranquillum esse, & perturbatione vacare dicimus. Non enim conuiuia, & commessationes, non puerorum, mulierumque congressus, non piscium vsus cæterorumque, quæ affert pretiosior mensa, suauem gignit vitam, verùm ratio sobria, causasque perscrutans, quæque vel eligenda, vel fugienda sint, opinionesque expellens, per quas animos vt plurimùm tumultus occupat. Item in Epistola eadem. Doloris, inquit, perturbationisque vacatio constantes sunt voluptates, gaudium vero, ac lætitia

actio secundum motum dicitur. summa verò voluptas est doloris priuatio, & maiores quidem sunt animi, quam corporis voluptates, caro enim præsenti dumtaxat suauitate perfunditur, animus præteritarum, præsentium, futurarumque rerum cogitatione congaudet. Item in eadem Epistola, Non potest iucunde viui, nisi prudēter, honestè, ac iustè, viuatur, neque prudenter, honestè, iustè, nisi iucunde. Ex his ostendit Epicurus, nec in voluptatibus secundum motum, neque in his, quæ ex turpibus actionibus capiuntur, summum bonum consistere, verùm duo hæc indolentiam scilicet corporis, & animi tranquillitatem vitam efficere beatissimam. Idem quoque testatur Lucretius Epicureus in secundo libro de rerum natura, vbi dum inanes hominum cupiditates, luxuriosasque delitias vituperat, hæc inquit.

O miseras hominum mentes! ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc æui, quodcunque est nonne videtis.
Nil aliud sibi naturam latrare nisi vtque
Corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
Iucundo sensu, cura semota, metuque.

Hic ergo vituperans luxuriam hominum, eos cæcos vocat, & miseros quod omnibus sese molestiis onerent, neque videant, quid natura tanquam supremum finem bonumque desideret. Quid verò id sit ipse explicat dicens, hoc naturam appetere, vt dolor absit à corpore, quod illam, de qua diximus indolentiam significat, quodque cura metusque semota sint, quibus profectò verbis animi tranquillitatem vult intelligi, atque horum duorum numerum beneficio fruatur, ac sensu iucundo, & mente, quasi dicat, in his summam consistere corporis, atque animi iucunditatem. Quod ergo duobus his, indolentia scilicet, & animi tranquillitate vita consistat beatissima, hæc Epicuri, atque Lucretij testimonia satis esse debent, quod verò & ille, in quo mentis tranquillitas sit, quamuis membra corporis crucientur, beatus existat, testis est Epicurus in Epistola ad Metodorum dicens, eum, qui semel sit sapiens, in contrarium habitum transire non posse, neque perturbationibus cedendo errare, & siue crucietur, siue excarnificetur, sapientem nihilominus felicem fore. In Epistola quoque illa, quam moriens ad Hermacum scribit, hæc inquit, Cum ageremus vitæ beatum, & eundem summum diem, scribebamus hæc, tanti autem morbi aderant vesicæ, & viscerum, vt nihil ad eorum ægritudinem posset accedere, compensabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum, inuentorumque nostrorum. In his verbis beatum se diem dicit agere, & tamen maximis doloribus cruciari, atque eadem fuisse dicitur Leucippi, Democriti, ac Theodori sententia, vt in tranquillitate mentis beatitudo sit, quod si huic indolentia corporis adiungatur, in hac tum, affectione animi, corporisque absoluta, atque perfecta beatitudo consistat.

Hæc nos ad te à diuersis Philosophis de Voluptate disputata conscripsimus, quam verò ex his sequaris sententiam, volo tibi potius ab illorum, qui hic disputant, authoritate, rationibusque, quam meo iudicio suaderi. Mihi verò satis fuerit Philosophorum penè omnium opiniones exercendæ memoriæ gratia retulisse.

FINIS.

Marsilij Ficini Florentini de Voluptate Liber absolutus est, Figini III. Calendas Ianuarias. M. CCCC. LVII. *Anno ætatis suæ.* XXIIII.

SENTENTIAE PVLCHERRIMAE CVM MVLTARVM rerum Definitionibus:

EX

MARSILII FICINI FLORENTINI

PHILOSOPHI PLATONICI, MEDICI, & Theologi clarissimi, Operibus collectæ, secundùm Alphabetum distributæ.

Per ADAMVM HENRICVM PETRI.

OVID. LIB. III. ELEGIAR. DE TRIST.

Nempe dat & quotcunque libet fortuna, rapitque,
Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.
Singula quid referam, nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis.

Michael Petreius, Hammelburgensis Lectori, S.

QVisquis ades, doctique vides monumenta laboris,
Et pia, sed prisci temporis, acta legis.
Ingenium Authoris meritò digneris honore,
Et doctum grata suscipe mente librum.
Insignis iuuenis, clarus, nullique secundus
Arte tibi tantùm prodidit Author opus.
Quod cum virtutis, laudes, almæ pietatis
Tum solidæ flores vtilitatis habet.
Quæ fuerant etenim summo quærenda labore
Quæ clemens virtus :te liber iste docet.
Quicquid diuinis scriptum fuit vndique libris
Quod sacra iura docent, quod medicina potest:
Quicquid Marsilius scripsit sapientiæ amator,
Qui Phœbum coluit Pegasidesque Deas.
Cuncta sub hoc libro coëmis nunc ære sonante,
Atue studes, tenera si legis arte, Vale.





SENTENTIAE PVLCHERRIMAE, ex Marsilij Ficini Florentini Operibus collectæ, & secundùm Alphabetum distributæ.

Litera A.

Adolescens & Puer.



Dolescens curet vt seni similis, credat se posse senescere, seniorem honoret. Lib.3.Epist.

Puerorum curam parentes vel pædagogi habere debent, In Comment.Platon.

Adolescentes limites præceptorum & pædagogorum non prius transgrediuntur, quàm iniqua vulgi consuetudine deprauentur. Superiorem quippe viuendi normam domi inbibitam sequerentur, nisi ab ea improborum hominum, eorum præsertim qui illis blandiuntur, vsu consuetudineque deflecterentur. In Comment. Platon.

Adulator, & Adulatio.

Nemō pestilentior homicida quam adulator, qui quantum in se est, interficit animum. Lib.1. Epistol.

Memento Adulationem seruile vitium esse, imò etiam multo vilius quàm seruile: Nemo enim aptè adulari potest, quin à catellis longissimè superetur. Lib.3.Epist.

Adulatio est conuersatio ad voluptatem absque ratione boni habitus, ad oblectationem consuetudinis tendens, mediocritatemque transgrediens.

Æquitas.

Æquitas iustorum conducentiumque remissio, moderatio in commerciis, ordo rationalis animæ quo ad honesta & turpia.

Aer.

Aër elementum, cuius omnes loci mutationes secundùm naturam sunt.

Affinis.

Affinium est, vt meminerint se lege, quasi natura quadam ita esse coniunctos, vt rem operamque suam communicare sibi inuicem debeant. Lib.3. Epistol.

Agricola.

Agricolæ officium est, de agriculturæ opportunitate consulere, aerem, & agricolas seniores. Præterea tanta cum fide, liberalitateque hospitibus suis agri fructus offerre, quanto illi cum fœnore illos reddit ager. Lib.3. Epist.

Ambitio.

Ambitio habitus animæ omnes, honoris gratia sumptus admittens, præter rationis normam.

Amicus.

Cùm viri boni & amici agitur res, res agitur nostra. Lib.1. Epist.

Non est suauis absque amico suauissimo melodia. Lib.3. Epist.

Amicus in amico non imaginem suam tantùm inspicit, sed seipsum. Lib.3. Epist.

Nihil in rebus humanis vel rarius acquiritur, vel pretiosius possidetur, vel infelicius, periculosiusque amittitur quàm amicus. Lib. 3. Epistolarum.

Amicorum officium est, communi inter se consilio quærere verum, communi auxilio sequi bonum. Lib.3.Epist.

Nullos habere amicos nunquam statui, nisi quos iudicauerim vnà cum honestate morum, quasi cum Ioue Mercurium coniunxisse. Lib.11. Epistol.

Amicitia.

Veram Platonici Philosophi Amicitiam, stabilem vitæ duorum vnionem definiunt. Lib. 1. Epistol.

Non est inter Religiosos amicitia vera, nisi quam vera Religio conciliauit. Lib. 3. Epist.

Amicitia quæ breui vtilitate, vel voluptate contrahitur, breui tempore dissipatur. Lib. 3. Epistol.

Amicitiæ consensio in rebus honestis & iustis, eiusdem vitæ electio, consensus in deliberando atque agendo, concordia in communione vitæ cum beneuolentia, communio in dandis accipiendisque beneficiis.

Amor & Amator.

In hac vita humanus Amor in Deum humanæ præstat cognitioni, quia Deum nemo verè cognoscit. Lib. 14. Cap. 10. Theolog. Platon.

Amor animam naturalis corpori iunxit, amor eam naturalis in corpore detinet.

Amor idem quotidie ipsam ad cultum corporis prouocat. Lib. 16. Cap. 7. Theolog. Platon.

Ita natura comparatum est, vt neque Amor honestus sit, nisi Religiosus, neque Religio vera, nisi amore suscepta. Lib.1. Epist.

Si vis amari, ama. Lib. 1. Epist.

Vnus est vitæ custos Amor, sed vt ameris ama. Lib. 1. Epist.

Verus piusque Amator res creatas non ob aliā causam diligit, nisi quia creatoris Dei quē amat, vel imagines sunt, vel vmbræ, & quanto similiores apparent, tanto magis admira-

tur & laudat, simillimæ verò diuinæ mentis sunt mentes Deo, præ cæteris deditæ. Quamobrem eiusmodi mentes inextimabili flagrantia quadam amoris, dulcedine, & ad Deum & se prorsus inuicem afficiuntur, dum se tum illi sponte reddunt tanquam patri, tum sibi mutuo libentissime dedunt tanquam fratribus. Cæteræ quæ inter homines amicitiæ nuncupantur, nihil aliud sunt quàm rapinæ. Lib. 4. Epist.

Solus ille vir verus legitimusque amator appellandus, qui intelligit in omnibus bonis quæ passim sibi offeruntur, & placent, nihil reuera aliud sibi placere, quàm diuinum ipsum bonum, ex quo & per quod cuncta sunt bona, ideoque in iis omnibus ipsum amat, in ipso diligit omnia, ita vt neque ipsemet sibi vt dilectus, nisi in eo per quem hoc habet vt sit diligendus. Lib. 4. Epist.

Amorem cæcum Poëtæ ideo pingunt, quoniam amator, vbi vel de seipso vel de amata re iudicat sæpissime fallitur. Cum verò neminem vehementius quàm seipsos homines ament, certè à nullo magis quàm à seipsis decipiuntur. Lib. 5. Epist.

Amor perturbationum omnium principium est. Lib. 10. Epist.

Quemadmodum lumen ingens minora lumina prorsus extinguit, sic amor cura omnium ardentissima cæteras omnes longe propulsat. Lib. 10. Epist.

Amor circulus est bonus à bono in bonum perpetuo reuolutus. In Comm. Plat.

Simplex amor vbi amatus non amat amantem. In Com. Plat.

Angelus.

Angelicus duplex est circuitus, tum quia illuc redit vnde manauit, dum suum diligit & intelligit authorem, tum quia considerat semetipsum. Lib. 4. cap. 1. Theol. Plat.

Bono Angelo nihil post Deum melius, malo nihil peius. Lib. 1. Epist.

Animus.

Animus terrestris corpore circumseptus, ab amore Dei exordiatur oportet, vt amore purgatus, lumen sortiatur inde diuinum, & in lumine gaudium. 8. Epist.

Animus autem indiuiduus est, ac simplex, nullam penitus discretionem distantiamque partium habens. Lib. de Voluptate.

Tres sunt, vt Aristotelis verbis vtar, Animi potestates, quare vnà nobis cum plantis communis est, quam vegetandi vim nominant: Cuius officia tria sunt, alere proprium corpus, atque augere, ac denique aliud extra se gignere simile, alteram deinde naturam Animæ sentiendi vim vocitat, quæ nobis cum cæteris quoque animalibus communis existit. Sensuum verò alios intimos, alios externos esse. Externi autem, qui etiam ad propositum magis pertinent, quinque sunt vulgari propemodù diuisione nouissimi, tertia verò animi vis, solis ex omni animantium mortalium genere hominibus conuenit, eamque intellectum mentemque nuncupat. His addit mouendi potestatem. Lib. de Voluptate.

Cum animus pars hominis omnium præstantissima sit, nemini dubium esse iam potest, quin id quod menti consentaneum est homini cognatius similiusque, quàm quod sensibus conuenit iudicari debeat, quod autem cuique cognatissimum est proculdubio iucundissimum, ex quo intelligitur animi gaudium corporis dulcedine melius ac præstantius esse. Accedit ad hæc quod animus indiuiduus est, ac simplex, cognitio quoque veritatis pariter indiuidua. Lib. de Voluptate.

Humanus animus affectat qualia sint diuina intelligere, aspiciens in ea quæ sibi cognata sunt. In Com. Plat.

Animus in senectute perturbationibus sedatis quas secum affert iuuentus, segregatus à corpore diuina propius & apertius inspicit. In Com. Platon.

Animus.

Animus cum, vt Platoni nostro placet, duabus tantum alis, id est, intellectu, & voluntate possit ad cœlestem patrem & patriam reuolare, ac Philosophus intellectu maximè nitatur, sacerdos verò voluntate, & voluntatem intellectus illuminet, voluntas intellectum accendat, consentaneum est qui primi diuina per intelligentiam vel ex se inuenerunt, vel diuinitus attigerunt, primos diuina per voluntatem rectissimè coluisse, rectumque eorum cultum, rationemque colendi ad cæteros propagasse. Lib. De Christ. relig. in Prooemio.

Animus Deo plenus tantum in Deum erigitur, quantum & diuino lumine illustratus agnoscit Deum & diuino calore accensus sitit eundem. Lib. De Christ. rel. cap. 2.

Quid miraculosius, quid diuinius in terris, quam animus omnino corporis sui dominus? Lib. De Christ. relig. cap. 10.

Virtus animi est æqualitas quædam, vt Magi tradunt, per quam animus & sibimet & ipsi vero bonoque consonat. Lib. 8. Theolog. Platon. cap. 2.

Animus propria labe, id est, iniquitate non perit. Iniquus enim animus non minus est animus & vitalis quam sit æquus. Lib. 9. Theolog. Platon. cap. 5.

Viuet semper religiosius animus vt dignum suscipiat præmium. Viuet semper & impius, vt luat supplicia impietatis, qui infinite peccat, quoties pro finitis commodis Dei obliuiscitur infiniti, & malignum habitum contrahit indelebilem, per quem mille annorum millia sit peccaturus si vixerit, postquam statuit semel tam diu peccare, quàm diu viuet. Lib. 14. Theolog. Plat. cap. 10.

Animus est verus motor corporis. Lib. 15. Theolog. Plat. 12.

Pius animus ad Deum se conuertens, tribus quibusdam gratiis, diuinitus incedit munitus, fide vera, spe firma, charitate feruenti. Com. D. Pauli cap. 10.

Animus tanquam diuinus diuinis Theologiæ mysteriis expiatur. Lib. 1. Epist.

Videbat animus ipsam iustitiam, videbat sapientiam, videbat harmoniam, & quandam diuinæ naturæ mirabilem pulchritudinem, atque has omneis tum ideas, tum diuinas essentias, tum primas naturas, quæ in æterna Dei mente sic nominat, quarum perfecta cognitione, hominum mentes, quamdiu illic degunt feliciter mutantur. Lib. 1. Epist.

Solo enim diuino veritatis pabulo, reuera diuinus animus oblectatur, alitur, augetur. Lib. 1. Epist.

Diuinus animus nulla ex re alia pendere debet quàm ex Deo. Lib. 1. Epist.

O quàm malus est homo, cui canis & equus

melior est quàm animus, ô quàm deformis cui calceus, quantum in se est, pulchrior est, quàm animus. Lib. 3. Epist.

Nihil huic reuera bonum est, vel pulchrum, apud quem cuncta præter ipsum, id est, præter animum bona videntur & pulchra. Libro tertio Epistolarum.

Nihil pauperius & inanius illo, cuius horrea quidem plena sunt, animus verò vacuus. Lib. 3. Epist.

Honestis exhortationibus adolescentis animus ita formandus, vt moderatus pacatusque reddatur. Lib. 4. Epist.

Non attinget animus rationes rerum verissimas quæ sunt à corporibus separatæ, nisi ipse seipsum tum morum purgatione, tum speculationis intentione à corpore separauerit. Libro quinto Epistolarum.

Animi natura liberi non possunt aliter, quàm liberali quadam beneficentia vinci. Lib. 6. Epistolarum.

Animus noster (vt est apud Platonicos) mediam quendam inter æterna & temporanea obtinet regionem. Atque tanquam vtrorumque particeps, ad vtraque pro arbitrio voluitur. Quando temporalibus sese mergit, primo quidem breuem quandam falsamque dulcedinem sentire videtur, mox longa veraque amaritudine prorsus obruitur. At cum sese erigit ad æterna contra omnino se habet. Nempe post breuem quandam falsamque amaritudinem, dulcedine vera & diuturna perfunditur. Quippe cum non temporaneum, sed æternum sit æternæ intelligentiæ verum nutrimentum. Lib. 6. Epist.

Longè disiuncti sunt animi, quando alterum, alterius ingenium ignorat. Lib. 9. Epist.

Anima.

Est anima hominis quodammodo omnia, præsertim cum sit in corpore ex omnium viribus composito, cœlique temperatissimo. Lib. De Christ. relig. cap. 16.

Vita corporis anima est, animæ vita Deus. Lib. De Christ. relig. cap. 20.

Cur iudicamus animam corpore meliorem, nisi quia summæ bonitati propinquior. Lib. 2. Theol. Plat. cap. 3.

Ab anima superiorum virtute fit motus operis ordinati. Lib. 4. Theol. Plat. cap. 1.

Anima est triplex circuitus, quia respicit Deum, quia seipsam considerat, quia causis rerum ad effectus descendit, rursusque ab effectibus ascendit ad causas. Lib. 4. Theolog. Plat. cap. 2.

Anima est à Deo super materiam, vt eam non attingat elementorum procella, & iniquitas certantium qualitatum. Lib. 4. Theolog. Platon. cap. 4.

Anima est essentia, est & vita. Lib. 5. Theolog. Plat. cap. 14.

Rationalis anima vera naturalis vita est Lib. 5. Theol. Plat. cap. 6.

Indiuidua virtus animæ humanæ qualitas est. Lib. 8. cap. 1. Theol. Plat.

Animæ officium est, penetrare facillimè corpora, implere, mouere. Lib. 6. Theolog. Platon. cap. 6.

Præstantissimæ animæ partes sunt intellectus atque voluntas, quando circa corporalia occupamur, intellectus aut nihil cernit omnino aut non sincere discernit, sensibus, & phantasiæ deceptus, voluntas affligitur dum multis inde vexatur curis. Lib. 9. cap. 2. Theol. Plat.

Anima qua viuunt corpora, omnibus corporibus potior est, quia vitam dat corporibus. Lib. 12. Theol. Plat. cap. 5.

Tres rerum ordines ad humanam animam pertinere videntur. Prouidentia, Fatum, Natura. Lib. 13. Theol. Plat. cap. 2.

Anima est actus corporis physici, organici potentia vitam habentis. Lib. 15. Theolog. Platon. cap. 7.

Anima est principium viuendi, sentiendi, intelligendi. Lib. 15 Theol. Plat. cap. 7.

Anima est id quo viuimus, & quo sentimus ac intelligimus primo. Lib. 15. Theolog. Platon. cap. 7.

Quot corpora hominum sunt, totidem & vitales complexiones, totidem viuificæ, totidem animarum mentes. Libro 15. cap. 12. Theolog. Platon.

Confert descensus animæ in corpus ad animæ ipsius beatitudinem. Lib. 16. cap. 4. Theolog. Platon.

Anima hominis mentibus omnibus obtusior, comparatione indiget ad plenissimum rerum maximarum iudicium. Lib. 16. Theolog. Platon. cap. 4.

Animæ cedunt diuinæ voluntati. Lib. 16. Theolog. Plat. cap. 4.

Animas impiorum in ipso iudicij tempore, etiam nullo fugante, procul à diuini iudicis cultu pro viribus fugituras. Comment. diui Pauli. cap. 15.

In spiritu viget anima, in animo fulget intelligentia. Lib. De vita cœlest. compar. cap. 26.

Magnum es quiddam ô anima, te parua non implent, optimum quoque, si displicent tibi mala, pulcherrimum, si horres turpia, sempiternum, si temporalia paruipendis. Lib. 1. Epist.

Inter omnes animæ vires, quæ in cognoscendo versantur supremæ sunt, intellectus & ratio, infimæ verò gustus & tactus, hæ quidem ad naturam descendunt corporalem, illæ verò ad incorpoream ascendunt substantiam atque diuinam. Lib. 5. Epist.

Tanta est animæ excellentia, vt re prorsus nulla indigeat ad essentiam. In Com. Plat.

Vita sensualis est conflata ex proprietate indiuidua atque diuidua. In Com. Plot.

Anima non inest propriè corpori, sed adest. Ibidem.

Anima adest corpori separabiliter, sicut lumen aëri. ibid.

Quælibet vis animæ est in qualibet parte corporis tota, sicut anima. ibid.

Anima quod seipsum mouet, vitalis motus animantibus causa.

Animositas.

Animositas impetus violentus irrationalis animæ absque ratione & ordine mentis.

Ars.

Artium opera eatenus permanent incorrupta, quatenus vi naturæ seruantur. Lib. 2. Theol. Plat. cap. 7.

Quid est ars humana? Natura quædam materiam tractans extrinsecus. Lib. 3. Theolog. Platon. cap. 1.

Ars est recta efficiendorum operum regula. Lib. 1. Epist.

Astutia.

Astutia, affectio qua finem proprium coniectamus.

Attentio.

Attentio, intentio animi ad discendum.

Auaritia.

Auaritia libidinum explendarum gratia pecunias affectamus. Commentar. diui Pauli. cap. 10.

Audacia.

Audacia sine sapientia, est fera indomita, ac penitus effrenata. Lib. de Christiana Religione. cap. 3.

Audacia, securitas qua quis malum neque futurum expectat, neque præsens horrescit.

Aurora.

Aurora diei principium, primum à sole lumen.

Auxilium.

Auxilium expulsio mali vel adulti, vel etiam imminentis.

B

Beatitudo.

Beatitudo bonum, ex bonis omnibus accumulatum, potestas ad bene viuendum seipsa sufficiens, perfectio secundùm virtutem sufficiens, vitæ commodius.

Beatus.

Beatus ille futurus est, qui humiliter diuinæ legi se subiicit, miser verò qui eam superbè contemnit. Libro 18. Theolog. Platonic. capite 10.

Illi dumtaxat, quibus bona plurima adsunt, beati dicuntur. Hi tamen non prius beati sunt, quàm bona ipsis præsentia adsint, neque prosunt vnquam, nisi illis vtantur. Libro 1. Epistolarum.

Beatè viuere nihil est aliud, quàm veritate gaudere. Lib. 3. Epist.

Beneficentia, & Beneficium.

Quos beneficentia prosequeris, totidem & sequentur libenter & obsequentur. Toties bene vinces, quoties beneficio vinces. Libro sexto Epistol.

Iustum quidem, sed humanum est beneficium præstare merentibus, clementissimum verò est atque diuinum largiri etiam non merentibus. Lib. 11. Epist.

Beneuolentia.

Nihil ad egregias res agendas commodatius est quàm prudentum doctorumque virorum beneuolentia, nullum certius est argumentum, vel iustitiæ, prudentiæq;, quam si huiusmodi adsint, vel iniustitiæ, & imprudentiæ, quàm si desint. Lib. 1. Epist.

Beneuolentia electio hominis ad hominem grata atque accepta.

Bonitas.

Bonitas tanto interuallo, saltem mentem superat, quanto longius boni, quàm speciei tendit largitio: quo enim res quæque potentior est, longius operatur. Lib. 1. Theolog. Platon. cap. 6.

Bonitas ipsa munus suum impertit omnibus, id est, vnicuique aliquam bonitatem. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 1.

Viuit vt vult præ cæteris ipsa bonitas, cuius vitam vult voluntas omnis, præter quam nihil aliqua vult voluntas. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 12.

Sola diuina bonitas, est absolutum diuinæ mentis obiectum. Theolog. Platon. Libro 2. cap. 12.

Diuina bonitas non indiget creaturis. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 12.

Bonitas est affectio qua eligimus optima.

Bonum.

Bonum ipsum nunquam respuere possumus. Lib. 1. Theolog. Platon. cap. 6.

Bonum latius est, quàm vita, quia pluribus conuenit, magis quoque necessarium est mundo quàm vita. Libro 2. Theolog. Platon. capite 6.

Non desiderat vnquam nisi bonum, non reperitur vnquam nisi verum. Lib. 2. Theolog. Platon, cap. 6.

Bonum quod suiipsius gratia expetendum.

Bonum quod in omnibus quæ sunt, salutis est causa: causa omnis, quod ad ipsum tendit id, à quo veniunt quæcunque sunt eligenda.

Mortalia vsu comparanda esse. Naturalia ratione quærenda, diuina ratione à Deo petenda. Lib. 1. Epist.

Mortales quotidie à Deo petunt, sed vt bene illis vtantur, nunquam postulant. Lib. 1. Epistolarum.

In ore bonum gestamus, in pectore malè. Lib. 1. Epist.

A bono non proficiscitur, nonnisi bonum. Lib. 1. Epist.

Pudeat quandoque mortales, pudeat, inquam, dum non alia ratione, nisi quia bona mortalia diligunt, in iis diligendis æternum ipsum bonum negligere, vnde hæc id prorsus habeat vt sint bona. Bona quidem in seipsis omnia sunt, quoniam sunt ab ipso bono, bona rursus & nobis, quatenus referuntur ad ipsum. Libro 3. Epistolarum.

Non est bonum hæc habere quæ dicuntur bona, nisi bonis dignus fueris. Bonis enim non fruitur nisi bonus. Lib. 4. Epist.

Bonum ipsum, quia immensum est vbique viget atque exuberat vndique, & affectus noster benesequendi est aliquid proculdubio bonum. Solus autem qui bene vult sequitur bonum, qui summæ bonitatis ipsius gratia, per quam singula bona sunt, atque seruantur, passim bona singula sequitur. Lib. 4. Epist.

Est bonorum natura duplex: nam & explent animum, & omni molestia liberant, eiusmodi verò expletio atque liberatio proculdubio est ipsa tranquillitas. Quæ quoniam cæterorum possessionem bonorum sequitur, consequens est, vt eorum omnium finis, atque extremum, ob eamque causam summum merito videatur, nec enim quiescit animus vnquam, nisi bona consequutus fuerit, quies autem & tranquillitas vnum atque idem est, bonorum igitur aliorum possessioni succedit, eius itaque gratia bona quæsita videntur omnia, quasi hic finis vltimus atque optimus ab omnibus expetendus. Lib de Voluptate.

Bonum est principium, finis, & comprehensio omnium. In Comment. Dionys. Areopag.

Bonum est quod omnia entia appetunt. In Comment. Platon.

Plato in Republica. Si boni ipsius cognitio no-

bis desit, arte omnes alias & scientias inutiles, conatus irritos, noxias actiones fore. In Comment. Platon.

C.

Calumnia.

Calumnia dissensio amicorum verbis facta.

Cardinalis.

Legitimi Cardinales nihil aliud sunt, quàm quidam Christianæ Ecclesiæ Cardines, Apostolorumque vicarij, atque idcirco debent non proprio, vel suiipsius vel alterius commodo, sed communi Ecclesiæ bono consulere. Præterea nihil agere, vel cogitare, vel loqui quod non sit sanctitate Apostolica dignum. Qui verò contra faciunt, neque Cardinales, imò sacrilegos esse, neque Apostolorum vicarios sed inimicos. Lib. 5. Epist.

Castigatio.

Castigatio curatio animæ ob commissa scelera.

Cautio.

Cautio declinatio mali diligentia custodiendi.

Celebritas.

Celebritas tempus secundum leges sacrum.

Charitas.

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas timorem foras mittit. Libro De Christ. relig. cap. 6.

Nihil Deo gratius, quàm charitas. Libro 1. Epistolarum.

Diuina charitas, siue Paulum audiamus, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet neque excitit vnquam, siue Ioannem Euangelistam, timor in charitate non habitat; sed perfecta charitas timorem omnem expellit. Aurelius Augustinus noster exclamat. Solus nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittuntur. Lib. 4. Epist.

Vera charitas, sicut Paulus inquit Apostolus, non quæ sua sunt, sed quæ alterius sunt quærit. Lib. 4. Epist.

Diuina charitas, dum proprio gaudet bono commune omnibus amat curatque bonum. Charitas humana vicissim, quatenus communi omnium bono gaudet, eatenus proprium inde reportat bonum. Quamobrem qui manet in charitate, in Deo manet permanetque semper in gaudio, tum quia Deus ipse charitas est, tum etiam quia dum charitatis flammis animus ardenter affectus, Deum quidem excelsum in seipso, homines autem amat in Deo, interim ipso Deo, qui charitas est, afficitur mirabiliter Deusque efficitur. Lib. 8. Epist.

Charitas sola permanet, & qui manet in charitate in Deo manet, sed quonam pacto manet Deus in eo? In animo, inquam, finito ipse Deus immensus manet quidem animus noster in Deo comprehensus, manet autem Deus in animo comprehendens. Manet certè Deus omnipotens etiam vbi non est charitas, sed tanquam iudex acrior atque iudex exactor pœnarum. Manet rursus clementissimus Deus vbi viget charitas tanquam Eucharistia salutaris & gratiarum omnium abunde largitor. Libro octauo Epistolarum.

O charitatem omnipotentem, quæ Deus est, quæ facit, quæ seruat, quæ perficit omnia. O sapientissimam charitatem quæ diuinitus accendens animum ex animo mirabiliter transformat in Deum. O charitatem proculdubio benignissimam, quæ gratiam creatoris immensam cum finita creatura communicat Eucharistiæ sanctitate communione. Quæ Christus ipse propitius mundi seruator dum & in cœlo est nihilominus ad consummationem sæculi totus est vbique nobiscum. Libro octauo Epist.

Qui manet in charitatis ardore, statim in ipsa Dei luce manet, statim diuinum gaudium manet in eo. Lib. 8. Epist.

Charitas integra animi declaratio, ciuilis scientia honestorumque atque vtilium: scientia iustitiam inducens in Rempub.

Ciuis & ciuilitas.

Ciuis officium est considerare ciuitatem esse tanquam animal vnum, ex ciuibus tanquam ex partibus constitutum. Ac partem toti non parti totum seruire debere. Libro primo Epistolarum.

Ciuilitas monere videtur, vt ciues singuli, esse se quædam ciuitatis membra meminerint. Lib. 1. Epist.

Quam apud Platonem nostrum ideam optimi ciuis quotidie legimus, in hoc fermè iam agnouimus. Cui tam curæ publicæ sunt quam cæteris propria, in quo singularis magnanimitas & incredibilis mansuetudo inter se de puritate contendunt. In quo & prudentia liberalissima, & liberalitas prudentissima, in quo tanta cum grauitate benignitas, vt tot diligant, quot vident, tot ament coluntque, quot & norunt. Libro tertio Epistolarum.

Ciuis siue magistratus sit, siue priuatus officium est, tam diligens publici cura, quàm ingens amor proprij Lib. 3 Epist.

Oportet ciues, non sibi, sed ciuitati viuere. In Com. Plot.

Ciuilis homo.

Ciuilis homo peritus eorum quæ ad administrationem Reipub. pertinent.

Ciuitas.

Ciuitas habitatio multorum hominum communibus vtentium legibus: cœtus hominum iisdem legibus subiectorum.

Ciuitatis virtus recta Reipublicæ constitutio.

Ciuitas non diuitiis sed virtute seruatur, magnaque geruntur. In Com. Plat.

Cœlum.

Cœlum quanto minus crassum est, quam cætera, tanto luce, motu, effectu est admirabilius. Lib. 1. Theol. Plat.

Cœlum corpus est optimum, diuinitati quam proximum. In Com. Plot.

Cœlum corpus omnia complectens corpora, præter ipsum supremum aërem.

Color.

Color lux est opaca. Lib. de Lumine.

Communio.

Communio legum iusta institutio, qua quod præditum est probum dicitur: habitus concordiam præstans.

Concordia.

Concordia consensus, imperantium & subditorum in imperandi obediendius ratione.

Conferens.

Conferens quod in bonum fert.

Coniectura.

Coniectura rei latentis iudicium.

Consanguinei.

Consanguineorum est, se inuicem tanquam eiusdem corporis membra diligere. Libro 3. Epistol.

Conscientia.

Conscientia cogitatio tristis, absque ratiocinatione.

Consensio.

Consensio, communicatio rerum omnium, cogitationum, suspicionumque concordia.

Consultor.

Noli igitur tibi quicquam credere, noli rursus vnico te totum committere consultori, sed plures habeto, atque illos quidem admodum seniores quos experientia rerum diuturna docuerit, quorum mores tibi tanquam optimos constantissima commendet fama, acres ipsa manifestissimè probet. Quoties vnà cum tuis senioribus de re grauiore deliberas, curue tuam intelligant voluntatem, ne fortè cupiditatem tuam potius quàm vtilitatem, & dignitatem consulendo sequantur. Libro quinto Epistolarum.

Consilium.

Consilium admonitio alterius de agendarum rerum ratione.

Constantia.

Constantia potestas, perferendæ molestiæ sequentis exitus, quæ recta ratio iussit, potestas quæ nunquam deiicitur è rationis proposito.

Consultatio.

Consultatio consideratio futurorum, quonam pacto conferant.

Continens.

Continens est cuius ratio iudicat verè, affectus obtemperat ægrè. Libro 28. Theolog. Platon. cap.10.

Contrarietas.

Contrarietas distantia maxima illorum quæ sub eodem genere per quasdam differentias continentur.

Contumelia.

Contumelia iniuria quæ per contemptum infertur.

Conuiuium.

Conuiuium laborum requies, remissio curarum, ingenij pabulum, amoris & magnificentiæ argumentum, esca beneuolentiæ, amicitiæ condimentum, fomentum gratiæ, vitæ solatium. Lib.3.Epist.

Cor.

Cor principium est venarum scilicet angustissimarum, quæ in iecore dilatantur. In Comment. Platon.

Corpus.

Corpus apud Platonem ex materia quadam constat & quantitate, atque ad materiam extendi & affici pertinet solum, & ipsa extensio affectioque passiones quædam sunt. Lib.1. Theolog. Plat. cap.2.

Infinitam multitudinem corpus Pythagorici arbitrantur, quoniam absque fine diuiditur. Lib. 1. Theol. Plat. cap.2.

Præstantissima corpora sunt (vt ad Platonicos) cœlicolarum dæmonumque & hominum. Lib. 1. Theol. Plat. cap.2.

Inferiora corpora per superiora mouentur, superiora per naturam incorporalem, Lib.2. Theol. cap.2.

Præest mobilibus mundi corporibus, substantia incorporalis & stabilis. Lib.2. Theolog. Plat. cap. 7.

Sicut anima circa Deum, quasi centrum conuoluitur, ita corpus tractum ab illa semper circum animam quasi centrum reuoluitur. Lib. 4. Theol. Plat. cap.2.

Corpus & virtutum & vitiorum vnà cum anima est particeps. Libro 18. Theolog. Platon. capite 9.

Resurget corpus immortale. Lib.18. Theolog. Plat. cap.9.

Corpora idcirco resurgunt, vt præmia etiam & supplicia corporibus ita merentibus sempiterna in perpetuum persoluantur. Lib.18. Theol. Plat. cap. 9.

Corpus Medicinæ remediis curatur. Libro 1. Epist.

Patiuntur corpora & quæ corporibus sunt coniuncta, mens autem à corpore libera. In Comm. Platon.

Corpus apud Orpheum carcer dicitur atque sepulchrum, vtpote quæ in corpore tanquam mortua iudicetur. In Com. Plat.

Corpora animarum mentiumque vmbræ & vestigia sunt. In Com. Plat.

Crudelitas & Clementia.

Nullum certius est aut dementiæ indicium, aut miseriæ portentum quam crudelitas. Lib. primo. Epist.

Crudelitatem plurimum exercemus, crudelitas vicissim & nos exercet. Clementiam fugimus, fugit & nos clementia. Lib.4. Epist.

Cupiditas.

Cuiusque cupiditas, eo habitu quod volebat expletur. In Com. Plat.

Litera D.

Dæmones.

Socrates in Phædro Platonico inquit, malorum dæmonum præcipuum esse studium, animas seorsim à cœlesti patria in hoc exilio detinere superni patris oblitas longasque machinari moras, illecebris oblectamentisque terrenis, quibus profectò quasi poculis veneficę circes soporiferisq; Syrenum cantibus delinitæ, nunquam aut certe tardius in cœlestem patriam reuertantur. Contra verò dæmonicas insidias Prouidentia Dei statuit, dulcibusque quidem his lætiferis saporibus, sapores amaros interim cõmisceri, ne ab eiusmodi voluptate, quam Timæus escam nominat malorum, capiamur, vt pisces ab hamo: Hanc vtique Platonici, præcipuè Plotinus atque Synesius magna ex parte causam esse volunt, vt diuina prouidentia, tot tantisque perturbationibus animos in terris vexari voluerit. Lib.12. Epist.

Insaniam à dæmonibus humores mirabiliter irritantibus fieri. In Com. Plat.

Decretum.

Decretum ciuile ad certum tempus respiciens.

Definitio.

Definitio oratio ex genere differentiaque composita.

Degeneratio.

Degeneratio prauitas in natura: declinatio ab eo quod secundum naturam: morbus eius quod secundum naturam.

Delectatio.

Delectatio est voluptas suauitate auditus animum deliniens, reliquæ verò, cæteris sensibus blandiuntur: verum præter eas quibus corpus afficitur, quatuor adinuentæ sunt, quæ in mente quoque postquam ab appetitione deprauata est, comperiuntur. Hæ verò sunt Oblectatio, Effusio, Luctatio Maleuolentia. Est autem oblectatio animi inclinatio ad voluptatem emolliens. Lib. de Voluptate.

Demonstratio.

Demonstratio ratiocinatio vera: oratio ostendens aliquid per præcognita.

Deus.

Deus, qui infinita sapientia, bonitas, claritas est, ignorans vel ingratus, vel crudelis esse non potest. Lib. De Christ. relig. cap. 2.

Deus in seipso summum est bonum, veritas rerum, lumen fauorque mentium. Lib. De Christ. relig. cap. 4.

Deus in homine, hominem reddit diuitem meritò. Lib. De Christ. relig. cap. 16.

Dij plures esse non possunt, quia nequeunt plura esse principia. Libro 2. Theolog. Platon. cap. 2.

Deus summum est rerum principium.

Deus vnius mundi ordinator vnus est.

Omnis simplex infinitas Deus ipse est.

Nemo dubitare debet Deum semper esse, quando Deus est ipsum semper, imò sempiternitas ipsa est ipse Deus. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 5.

Deus omnia penetrat.

Difficile reperitur vbi sit Deus, quia nusquam est, quod nullius vel subiecti, vel loci limite cohibet.

Difficilius reperitur vbi non sit, quia in omnibus est, illud in quo sunt, per quod fiunt, per quod seruantur quælibet vbique.

Deus ideo est in omnibus, quia omnia in eo sunt, quæ nisi essent in eo, essent nusquam & omnino non essent.

Deus est omne bonum, Deus est omne verum. Adde quod amplitudo & plenitudo ipsa est. Lib. 2. Theol. Plat. cap. 5.

Deus per essentiam suam quasi quoddam exemplar circumspicit omnia. Lib. 2. Theol. Platon. cap. 10.

Idem in Deo est natura eius, atque intelligentia. Lib. 2. Theol. Plat. cap. 11.

Deus est actus peruigil, atque perpetuus, ex se, in se, circa se penitus. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 1.

Nihil extra Deum est, quod Deus excedere nequeat.

Cœlum Deus mouet tanquam finis. Libro 3. Theol. Plat. cap. 1.

Dei proprium est vnitas, mentis ordo, animæ motus.

A Deo solo prima ipsa fit vnitas in mundo, partium & totius. Libro quarto Theolog. Plat. cap. 1.

Deus circulus vnus est, quoniam à se est, circuli instar, & in seipsum, pro vt non habet extra se principium sui vel finem, sed in se incipiens desinit in seipsum. Lib. 4. Theol. Plat. cap. 1.

Deus verum bonum est, Angelus imago quidem est bonitatis, sed intellectus verus. Lib. 5. Theol. Plat. cap. 14.

Deus frequenter, vel bonos immunes, vel malos impunes relinquit, vt his indiciis vobis ostendat vitam alteram superesse, in qua iustitia quæ falli non potest pro meritis impleatur. Lib. 14. Theol. Plat. cap. 10.

Deus est animi vita, sicut anima corporis. Com. D. Pauli. cap. 10.

Deus vnitas stabilis est, & status vnicus. Quisquis igitur Deum assequi vult multitudinem pro viribus motumque deuitet. Libro primo Epistolarum.

Quos immortalis Deus coniunxit, homo non separet. Lib. 1. Epist.

Deus omnipotens mirabilia solus fecit. Lib. 1. Epist.

Amantur à Deo quicunque Deum pia mente colunt. Lib. 1. Epist.

Deus amore immenso gratis largitur omnibus omnia, solisque dat pauperibus. Nam omnes quamuis ditissimi videantur, omnino inopes sunt apud Deum. Meritò hac sola virtute Deum emimus, quoniam hæc sola eum verissimè imitamur. Nemo sapiens aut fortis aut temperans se iactat æmulati Dei. Lib. 1. Epist.

Cultus Dei virtutum virtus est, Consecutio autem præmium est virtutum. Libro primo Epistolarum.

Nihil penitus latere potest Deum, per quem solum patent, quæcunque vsquam patent. Lib. 1. Epist.

Deus prudentibus ad gubernandum vtitur. Lib. 3. Epist.

Soli Deo confide. Lib. 3. Epist.

Deus est charitas, & qui manet in Deo in charitate manet, & Deus in eo. Lib. 3. Epist.

Nulli vnquam, vt est apud Homerum & Platonem, Deus omnia dedit. Lib. 3. Epist.

Quando Deus ipse nostra firmitas est, infirmi vndique esse non possumus. Tunc enim animi firmitas corporis infirmitate perficitur. Mihi quidem adhærere Deo bonum est. Quoniam, vt inquit Augustinus, si in ipso non permanebo nec in me potero. Lib. 4. Epist.

Nullos Deus reprobat magis quam eos, qui sordidis vitiorum vasculis Nectar & Ambrosiam haurire confidunt. Nullos probat amatque magis (vt disputat Aristoteles) quàm qui mentem Deo simillimam imprimis colunt, & à corporis labe longe dissimili segregant, diuinumque lumen non nebulis obruere vitiorum, sed pura student mentis serenitate percipere. Libro quinto Epist.

Deus charitas est lucens, in qua odium non est vllum. Qui in luce clara, & charitate lucida manet, in Deo manet & Deus in eo. Libro 6. Epistolarum.

Deus lux est, Deus charitas est, Cui charus ante omnia Deus. Cui sol ille fulget, huic facile cuncta passim resulgent. Libro sexto Epistolarum.

Solum apud Deum, vbi bonorum omnium malorum viget bonum, reperiri potest Medicina omnium malorum. Lib. 6. Epist.

Tutus vbique Solus: cui Deus adest, Lib. 10. Epist.

Deum & summam esse charitatem, non tantum sonat Apostolica tuba, verumetiam, tota rerum natura proclamat. Omnis enim natura rerum ideo creata est atque seruatur, quoniam ab initio voluit atque vult Deus ipse creator. Voluntas autem proculdubio in Deo nihil aliud est

quam charitas atque Deus. Voluntas inquam penes Deum, non appetitio prorsus vlla, sed gaudium, gaudium propria bonitate gaudens. Lib. 8. Epist.

Deus ignis consumens est, non pugnis, id est, imaginatione, non affectu mortalium hunc potes apprehendere, etiamsi moratus fueris, nullo tamen imaginationis pugno diuinæ veritatis percipies lumen. Lib. 8. Epistol.

Deus nullius indigus, omne bonum, quo pacto ipse Deus est charitas, est in charitate feruor, est lumen & gaudium. Lib. 8. Epistol.

Deut veritas est & bonitas, ideoque omnia ex veritate & bonitate composuit. Res enim quælibet quantum permanet in integra sui puritate id quod à Deo facta est, vera denominatur. Quatenus verò aliis conducit ad aliquid, bona aliis nuncupatur. Item quatenus intra se aliud sui conducit ad aliud, bona sibi. Lib. 10. Epistol.

Dicitur vnusquisque Deus reuera bonus, tum quia bono suo nullum malum est admixtum, quia bonitas in eo non est habitus aliquis essentiæ additus, sed ipsa eius essentia. Non enim prius quidem Deus est. Deinde bonus existit. Eadem enim essentia sua formaliter & Deus æquè est & bonus. Sic igitur vnusquisque Deus ita suapte natura dicitur se ipso bonus, sicut Deus primus se ipso bonum. Proculus idem in Elementis Theologiæ probat, vnumquemque Deum ita esse formaliter bonitatem quandam essentialem, sicut primus est ipsum bonum super essentiam. Item ad ipsam Deitatem tria hæc formaliter pertinere; Bonitatem puram, potentiam non impeditam, Cognitionem nullius incertam Lib. 11. Epist.

Tota religio & opera sacerdotum & historia consentit, communisque hominum fama Deos sensibiliter apparere multasque offerre formas, variasque figuras. Lib. 11. Epistol.

Nihil clarius quam Deum esse, esseque ad summum potentiam, sapientiamque & bonum.

Nihil obscurius quam quid sit Deus, vt nihil sit tenebrosius illo, qui sibi opinatur hoc esse clarissimum. Lib. de Lumine.

Deus certe sicut mens quæ radius eius est, monstrat, lux est inuisibilis, infinita, veritas ipsa, veritatis cuiusque, verumque omnium causa. Cuius splendor imo potius vmbra, est lux ista visibilis atque finita, causa visibilium. Lib. de Lumine.

Deus tanquam Sol in stellis quam abundè, tam fœliciter fulgebit in cunctis. Lib. de lumine,

Summum bonum esse Deum qui dubitat, is nihil omnino intelligit. Lib. de Voluptate.

Deus non solum simplicissimum est, sed & ipsa simplicitas. In Com. Dionys. Areo.

Deus motus ad essentiam, acceptio essentiæ, processus in esse.

Est Deus vnitas non in re quauis vnita sedem habens, sed vnionis vnitatisque vbique causa. Essentia quoque, & intellectus dici potest, tanquã essentiæ omnis intellectusque causa, , non tanquam essentialis quædam intellectualisue forma. Dionysius Areop.

Deus nempe consilium, & consilij fons appellatur, quia veritas omnium est & bonitas. In Com. Platon.

Deus super æternitatem est, Angelus in æternitate ibidem.

Deus totius amoris & pulchritudinis fons est. Non negligit Deus minima gubernare, qui facere minima non neglexit. In Com. Platon.

Dictio.

Dictio vox hominis quæ scribi potest, & signum quoddam commune absque cantus harmonia significans.

Dies.

Dies solis iter ab ortu ad occasum, lumen nocti contrarium.

Dignitas.

Dignitatem mortales falsa definitione nihil aliud esse iudicant, quam digna honore nancisci. Ego autem veram dignitatem haud aliter definio, quam honore digna mereri. Lib. 6. Epist.

Discipulus.

Discipuli est præceptorem honorare tanquam intelligentiæ partem. Cauere tamen ne magistri vitia latenter imbibat. Lib. 3. Epistolarum.

Dicisplina.

Disciplina facultas manimam curans.

Discere.

Bene disce, & disce pre cor hodie, qui cras discit nunquam discit. Lib. 1. Epistol.

Nunquam nimis fit, quod nunquam satis fit. Nondum satis didicit, qui adhuc quicquam dubitat, dubitamus autem quamdiu viuimus. Tam diu igitur discendum nobis est, quamdiu viuendum. Lib. 1. Epistol.

Stimulus autem discendi vel reminiscendi. non in nostra voluntate, sed in opinione consistit. In Com. Platon.

Diues seu diuitia.

Diuites illi iniusti penitus habendi sunt, qui ob superbiam obliuiscuntur Dei, diuitiarum omnium largitoris, Pauperum quoque te nostros faciunt, & pecuniarum possessores se appellant, cum à pecuniis ipsi possideantur, contra verò iusti sunt & felices qui in summis diuitiis constituti se Dei ministros, pauperum tutores, pecuniarum distributores existimant. Lib. 1. Epist,

Tam maximè rerum omnium copia genus hominum impedit, quam inopia. Lib. 3. Epist.

Quemadmodum pauperes illos laudamus valde, qui in ipsa tunc paupertate sunt diuites, tum infima sorte sublimes, sic eos diuites nimium admiramur qui in summa rerum affluentia viuunt sobrij, & in excelsa fortuna sunt humiles, atque prudentes. Plerique cum possidere omnia videantur, existimant sibi cuncta licere, & obliti sortis humanæ se aliquid esse super homines arbitrantur, cum sæpe minus sint quam homines. Lib. 3. Epistol.

Diuinitas.

Duo sunt apud nos diuinitatis argumenta: vnum Propheria, alterum prodigiosorum operum demonstratio. In comment. Plo.

Diuinatio

Diuinatio scientia rerum absque demonstratione præsaga.

Doctrina.

Doctrina magna ex parte ad prophanos translata est, vnde vt plurimum iniquitatis euasit & lasciuiæ instrumentum, ac malitia potius dicenda est quam scientia. Lib. de Christ. religione in procemio.

Docilitas.

Docilitas ingenium animæ ad velociter percipiendum.

Dominus.

Domini officium est legi rationique seruire quo possit seruis legitimè & rationabiliter dominari. Considerare tàm seruum, quam Dominum hominem esse. Humanitatem semper cum dignitate miscere. Lib. 3 Epistol.

Quantum gaudes seruis extrinsecis dominari, tantum da operam vt & diuinis legibus seruias, & seruis intrinsecis, id est, sensibus domineris. Memento seruos tuos homines esse, tibique, æquales origine, neque metu aliquando, sed amore, humanum genus natura liberum vel debere vel posse ligari. Lib. 5. Epistol.

Dominatio.

Nulla facilior, præstantior, securior dominatio, quam amatoria. Lib. 4. & 5. Epistol.

Tamdiu securissimè dominaberis, quamdiu volentibus dominabere Lib. 6. Epist.

Illam dominationem esse censeo, quæ nulli seruiat seruo, quæ si quando seruit, tunc soli seruiat illi, qui solus nullius est seruus. Veram rursus tranquillitatem esse arbitror quæ ita instituta est, vt perturbationes vel nullæ contingant, vel si forte contigerint, tantum ipsi seruiant, quantum cæteris dominantur. Libro 6. Epistol.

Dominatio principatus iustus, nulli subditus.

Domus.

Domus tua sit Dei templum, prudentiæ oculus, libra iustitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar, charitatis splẽdor, fons gratiarum, Musarum chorus, Oratorum, Poetarumq; gymnasium, Philosophorum Theologorumque sacrarium, prudentum senatus, ingeniorum fomentum, præmium literatorum, pauperum mensa, bonorum spes, refugium innocentum, præsidium miserorum. Libro 5. Epistol.

Donum.

Donum mutua gratiarum relatio.

Dulcedo.

Dulcedo est sapor ex moderata humoris aërei concoctione proueniens. Lib. 16. capite 1. Theolog. Platon.

Dulcedo fit ex calidi & humidi permixtione. In Com. Platon.

E.

Educatio.

Delicata luxuriosaque educatio ingenia vel diuina deprauat. In Commentariis Platon.

Electio.

Electio approbatio recta.

Elementum.

Elementum vocis vox simplex causaque quod cæteræ voces, voces sint.

Elementum ex quo componuntur & in quod composita dissoluuntur.

Eques.

Equitis officium est fortitudo quidem in bello, in pace verò magnificentia. Lib. 3. Epist.

Error.

Minus errans, minus malè facit. Lib. 1. Epist.

Quoniam singulis penè momentis fallimur & erramus, nulla ad consequendam tranquillitatem, vel ad deuitandos errores via commodior, quam pauca & egregia cogitare, pauciora & electa loqui, agere paucissima, & illa quidem tam possibilia quam honesta. Multum errant atque laborant, qui multa loquendo vel agendo aggrediuntur, plurimum autem qui plura loquuntur, & agant quam cogitauerint. Lib. 3. Epist.

Eruditio.

Eruditio disciplinæ traditio.

Euangelium.

Euangelij prædicationem tria impedire posse videntur, pericula, labores, ignominia. In Commentariis D. Pauli.

Diuina virtus in Euangelio per tres potissimum gradus ad salutem felicitatemque perducet, & fidem quasi geminam atque iustitiam. Eodem Commentarios.

F.

Facundia.

Facundia perspicacia & facultas obtinendi quod propositum est.

Fatum.

Fatum est series animarum. Lib. 13. 2. Theolog. Platon.

Non aliter fatum dependet à prouidentia, quam à lumine calor. In Com. Plotin.

Felicitas.

Non datur perspecta felicitas, nisi animis perfecte purgatis, hoc non Mosaica, sed Christiana lex efficit. Lib. De Christ. relig. cap. 34.

Felicitas in prospera optati finis consecutione consistit, id autem in singulis facultatibus sapientia præbet. Lib. 1. Epistol.

Nulla videtur ad humanam quandam felicitatem via commodior, quam quod vt plurimum sua cuique placeant. Lib. 3. Epistol.

Duas ad felicitatem vias diuinus Iamblichus ex Ægyptiorum mente describit, alteram Philosophicam, alteram sacerdotiam, illam quidem aptiorem ad felicitatem inueniendam, hanc vero breuiorem ad consequendam, illam inprimis elegerunt Peripatetici, similesque Philosophi. Hanc maxime populus religiosus incedit. Lib. 9. Epistol.

Felicitas in sapientia iustitiaque consistit, infelicitas in contrariis. In Com. Platon.

Felix.

Solum felicem existimamus qui cum summa pietate seipsum Deo gubernatori commiserit, quicquid acciderit, vel tanquam à Deo factum probat, vel saltem laudat tanquam à Deo in bonorum ordinem redigendum. Lib. 6. Epistol.

Felix qui sua est fortuna contentus. Lib. 6. Epistol.

Ferocitas.

Ferocitas excessus audaciæ aut non metuens quæ metuenda sunt.

Fides.

Fides (vt Aristot. vult) est scientiæ fundamentum, sola fide, vt Platonici probant, ad Deum accedimus. Lib. De Christ. relig. cap. 37.

Fides amorem patrem suum fouet, atque hoc fomento ex amore generat amicitiam, iam natam alia fides eadem & auget quotidie seruatque penitus indelebilem. Lib. 1. Epist.

Diuina fides longe certior est quam hominum sapientia, credulitas illa semper vera scientia confirmatur. Lib. 5. Epistol,

Fides recta præsumptio quod sic se res habeat vt sibi videtur, morum stabilitas.

Filii.

Filiorum est, genitorem sequi quasi radicem atque caput, & tanquam Deum alterum venerari. Lib. 3. Epistol.

Finis.

Finis noster est per intellectum Deum videre, per voluntatem viso Deo frui, quia summum

senum nostrum est, summæ potentiæ nostræ obiectum summum siue actus perfectissimus circa ipsum. Libro 14. Theologiæ Platonis capite 2.

In sola Dei siue cognitione siue possessione, vltimus finis consistit humanus, quæ naturalem sola terminat appetitum. Lib. 14. Theologiæ Platon. cap. 2.

Est finis, cuius gratia omnia operantur bonum. In Com. Platon.

Fornicatio.

Fornicatio est concubitus omnis lege prohibitus. Com. D. Paul. cap. 10.

Fortitudo.

Fortitudo est status immobilis. Lib. 14. Theolog. Platon. cap. 6.

Fortitudo ad opera honesta promptior, abiicit à nobis timoris impedimentum, Libro 1. Epistol.

Fortitudo habitus animæ intrepidus, militaris audacia, peritia eorum quæ ad bellum spectant. Constantia animi aduersus illa, quæ terrere solent, audacia prudentiæ pedissequa. Intrepiditas in mortis expectatione. Affectione seruans in periculis rationale propositum. Robur contra periculum obsistens. Vigor tolerans omnia virtutis gratia. Perseueratio animi in iis quæ rectæ rationi audenda vel metuenda videntur, obseruatio eorum quæ ratio dictat in rebus patiendis. Rei militaris peritia, habitus in lege immobiliter.

Fortitudo scientia circa bona & mala audendi atque metuendi. In Com. Platon.

Fortuna.

O Fortunati quibus est fortuna parta iam sua. Ex Lib. 3. Epist.

Nihil fortuna relinquit intactum, vel illæsum, vel Deus inultum. Lib. 3. Epist.

Fortuna cum magnum affectat hominem facere, ingentem prius facit bestiam, venenoso fastigio turgidam. Vnde & ingenio & vultu tyrannus nascitur prius quam tyrannide potiatur, sic præter dignitatem in dignitatibus constituti, faciunt vt dignitates vlterius ipsæ probis hominibus non sint dignæ. Faciunt etiam vt interdum neque diuina prouidentia mundum, neque humana prouidentia genus humanum agi, sed casu credatur. Lib. 3. Epist.

Malis quidem bona, Fortuna fit mala, bonis autem mala, fortuna bona. Lib. 3. Epist.

Vir certe diuinus non vult fortunam sibi ducem, ceca enim est sępeque casu cadit. Non gaudet fortunę promissis, infida enim est vel suis quos propter dignitatem ad summum dignitatis culmen euexit. Lib. 3. Epist.

Nemo miserior illo qui veram felicitatem collocat in fortuna. Nemo felicior quam qui fortunæ prosperitatem reuera felicem esse nō iudicat.

Qui puerilem Fortunæ ludum cum Socrate calcat, sapiens & diuinus ab Apolline iudicatur. Lib. 3. Epist.

Cæci omnium maximè illi mihi videntur, qui fortunam ideo cæcam ducunt, quia vel benefaciat malis, quibus reuera nihil est bonum, vel malefaciat bonis, quibus denique nihil est malum. Qualis enim in se quisque est, talia cuique sunt quæ accipit. Lib. 4. Epist.

Sacra mysteria ordineique diuini, non à temeritate fortunæ sed ab æterna sapientia Dei proficiscuntur. Lib. 6. Epist.

Vbi Mars sæuit, maximè ibi Fortuna & plurimum, & facillime fallit. 6. Epist.

Nemo magis cæcus quam qui cæcam fortunam quasi ducem sequitur. Nemo sæpius fallitur, quam qui fallacissimæ credit fortunæ promissis. Lib. 6. Epist.

Fortunam plerique cæcam existimant, quod nunquam videat quibus patrocinetur, aut etiam aduersetur, sed absque delectu semper clientis cuiuslibet suscipit patrocinium, poterit & aliquis forsan fortunam fingere non cæcam quidem, sed inuidam potius ac prorsus ambitiosam. Quippe cum nolit viris ingenio prudentiaque excellentibus aspirare, quorum præclara facinora non sorti sed virtuti potius asseribuntur. Afflare verò soleat plurimum, vbi quicquid emerserit magnum fortunę solum possit attribui. Contra verò pro viribus bonos insequi conarique vsque adeo virtutem deprimere, vt nihil ab ipsa præclarum vel geri vel comparari posse putetur. Vnde omnes denique fortunam faciamus deam cœloque locemus. Lib. 8. Epist.

Neque cum sapientia rerum contemplatrice, facile rerum domina fortuna consentit. 1. Epist.

Ingenium & Fortuna diuisum in nobis habent imperium, hoc quidem in animi cultum plurimum dominatur, hæc verò quam plurimum in rebus externis. Hinc & Bona fortunæ dicuntur. Lib. 11. Epist.

Aristotelicum illud vbi plus intelligentiæ, ibi fortunę minus, vbi plus fortunæ, illic minus intelligentiæ, plerique forsitan sic accipient, vt sapientissimi quique philosophique minimè fortunati sint, quod & carmina Pythagorica comprobant, & res ipsa confirmat, nec non Astronomica ratio, pręcipuè per Mercurium atque Saturnum Philosophiam significari putant, hoc verò cum Ioue Sole, Venere, affluentiam rerum significantibus, nullum officij habere commercium. Denique legitimi veritatis contemplatores, & negligunt fortunæ bona, & ipsi à fortunatissimis negliguntur, neque principibus placent, neque vulgo probantur, vt non mirum sit eos minimum habere fortunæ, vicissim verò fortunatissimi quique plerumque negligunt sapientiam, plurimumque temerè & improuidè viuunt, fortunæ videlicet flatu confisi Lib. 11. Epist.

Fortunæ motus ab occulto in occultum casu quodam fœlicis actionis causa.

Fortunatus, & Infortunatus.

Fortunatus sciat bona fortunæ, soli bono esse bona, ac sereno aëri succedere pluuias.

Infortunatus cogitet mala fortunę, soli malo esse mala, ac post dies pluuios, serenos expectat esse. Lib. 3. Epist.

Fortunatus cui fortuna obtigit mediocris. Lib. 6. Epist.

Frugalitas.

Frugalitas rationalis vitæ simplicitas morumque bonorum studium.

Furor.

Furor corruptio & æstimationis veræ.

G.

Gaudium.

Gaudium lætitia in operibus temperantiæ.

Genus, humanum.

Cum humanum genus inter Deum & bestias mediū teneat, ob eamque causam vtrorūq; particeps esse meritò videatur, in alterum migrare &

quasi conuerti posse Trismegistus existimat. Etenim qui mente præcipuè vtitur, eum profectò beatissimam Deorum immortalium vitam agere, qui verò à corpore & sensibus, bestiarum. Lib. de Volup.

Generositas.

Generositas virtus ingenui moris, facilitas animi ad dicenda atque agenda pariter.

Gratia.

Plurimum virtuti gratia debet, quippe cum propter ipsam immortalis euadat. Audisti prouerbium illud, nihil citius gratia, quæ videlicet à rebus aliquando senescentibus oritur. Quæ verò à virtute semper viridi nascitur, arescit nunquam. Quidnam aliud sibi vult poëticum illud, Solis æterna est Phæbo Bacchoque iuuentus. Nempe nihil aliud gratia ipsa est, quam splendor atque lætitia. Splendor quidem ipse apud Poëtas appellationem Phoebi, lætitia verò Bacchi nomen accipit, virtus autem & menti splendorem, & voluntati lætitiam affert, viuentem semperque virentem. Lib. 6. Epist.

Gratia, voluntaria beneficentia, redditio boni, obsequi in tempore opportuno.

Gustus.

Gustus nihil aliud est quam tactus aliquis linguæ. Lib. Theolog. Platon.

H

Habitus.

Habitus affectio animæ secundum quam quales dicimur.

Homicida.

Non minus homicida censendus est qui hominem pręcipit nasciturum quam qui natum tollit è medio. Audacior quidem qui præsentem abrumpit vitam, crudelior autem, qui lucem inuidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat. In Com. Platon.

Homo.

Nullum bruta præ se ferunt religionis indicium, vt propria nobis sit in Deum cœli regem erectio, sicut corporis in cœlum erectio propria cultusque diuinus, ita fermè, hominibus naturalis, quemadmodum equis hinnitus canibusuè latratus. Lib. De Christ. relig. cap. 1.

Homo perfectissimum animal, ea proprietate maximè tum perfectione pollet, tum ab inferioribus discrepat qua perfectissimis, id est, diuinis coniungitur. Libro de Christ. religione capite 7.

Per Deum tanquam ducem, & tanquam lucem agit quodcunque agit quisque & quęrit alicubi. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 5.

Aquila visu hominem superat, multæ aues auditu, canes olfactu nullum vero animalium gustu & tactu. Libro 10. Theologiæ Platoniis. capite 2.

Homo omnia diuinæ naturæ opera imitatur, & naturæ inferioris opera perficit, corrigit & emendat. Lib. 13. Theolog. Plat. cap. 3.

Nec vtitur tantum elementis homo, sed ornat, quod nullum brutorum facit. Libro 13. Theo. Plat. cap. 3.

Non imperat bestiis homo crudeliter tantum, & gubernat etiam illas, fouet & docet. Lib. 13. Theolog. Platon. cap. 3.

Homo qui vniuersaliter cunctis & viuentibus & non viuentibus prouidet, est quidam Deus. Lib. 13. Theolog. Platon. cap. 3.

Nec superiorem vult homo neque parem, neque patitur superesse aliud ab imperio eius exclusum. Lib. 14. Theolog. Platon. cap. 4.

Duo sunt excellentissimi hominum actus, illi scilicet qui in excellentissima parte animæ sunt, & circa obiectum versantur excellentissimum: tales sunt, in mente nostra Dei cognitio atque amor. Lib. 14. Theolog. Plat. cap. 10.

Homo est temperans, continens, & è conuerso. Lib. 18. Theolog. Platon. cap. 10.

Omnino qui amorem gaudiumque suum non tam in Deo iam inuento quam in inuentione propria collocat, nunquam ineffabile lumen gaudiumque penes Deum vigens percipere potest, neque gustat vnquam, neque videt, quam suauis sit Dominus, neque thesauros illos apprehendit, quos abscondit Deus diligentibus se: quapropter, inanis, vacuus, obscurus, insipiens iudicatur. Comment. D. Paul. cap. 8.

Qui in omni ætate lautissima quadam curiositate viuunt, minus, sæpe tuti viuunt.

Qui verò adolescentes se minus assuefecerint, adulti saltem assuefaciunt, cautior ibus tamen & paulatim id tentantes. Libro De studios. sanit. capite. 5.

Quicunque inter res medicorum arte laudatas potissimum eas eligit, quæ corpori simul & ingenio prosunt, maximum vitæ sibi vendicat adiumentum. Lib. de vita ptoducend. cap. 15.

Nihil inuita agas Mineruа. Lib. de vit. coel. compar. cap. 23.

Omnes homines bene agere, hoc est bene viuere volunt, bene viuunt autem, si bona plurima illi ad sint. Lib. 1. Epist.

Solus homo infœlix animal quæ Deus coniunxerat, separauit, imperium suum quod natura fuerat amplum cohibuit in angustum. Lib. 1. Epist.

Sicuti vas, ita homo sono cognoscitur. Lib. 1. Epist.

Cuius vita non probatur, eius oratio reprobatur. Lib. 1. Epist.

Quod apud mortales nunc intermittitur, inter superos prorsus instauratur. Lib. 4. Epist.

Nihil à magno paruum contemnendum. Lib. 3. Epist.

Qui sequitur omnia nihil assequitur. Libro 3 Epistol.

Qui à rebus externis pendet, semper sollicitum miserrimeque, viuere & sæpissimè falli. Solus autem tranquillè certeque viuit qui non extra se in rebus mortalibus, sed inter seipsum æternis vitam agit, solus nunquam pauper qui meridiem suam non in opere ponit, sed in opera, solus nunquam infortunatus, qui non post & extra principium expectat finem, sed finem suum in principio collocat. Lib. 3. Epist.

Delige omnes, elige & ama vnicum. Libro 5. Epist.

Bonus cunctis subitò beneficus videbitur. Lib. 3. Epist.

Qui loquitur bene, agit autem male, hic frustra vel hominibus bona loquitur non credentibus, vel à superis bona petit non concedentibus. Lib. 4. Epist.

Leo & lupus & vulpes est hominibus homo, sicut optimum animalium est, si vsquam reperiatur, homo optimus, ita pessimum animal est homo pessimus, prudentissimus est qui cautissimus, omnium autem, & qui diligenter ca uet ab homine, sed hic opus Lynce atque

Oedyppo, hic opus est Argo Solus hominum ingenium consiliumque tenebit qui semper meminerit aut nullo pacto, aut certè rarò admodum difficillimeque posse teneri. Libro 3. Epistolarum.

Mala omnia vel bona vertuntur in malum, bona autem cuncta vel quæ videntur pessima in bonum conuertuntur. Lib. 3. Epist.

Vix fidem huic adhibemus, qui cuiuis vel homini vel iudicio properè præstat fidem. Quemadmodum ocius cadit, qui mouetur ocius, sic fallitur qui credit facile. Lib. 3. Epistolarum.

Homo consideret, cum nunquam in terrenis viuere possit se cœli quidem ciuem esse, incolam verò terræ, vt annitatur, nihil cogitare vel loqui vel agere, quod minus dicere videatur cœlestis patriæ ciuem. Lib. 3. Epist.

Qualis in se quisque est, talia cuique sunt quę accipit. Lib. 4. Epist.

Homines peripatetici ex anima corporeque componunt, hominis animam Christiani tradunt mox genito corpore procreari. Libro 10. Epistolarum.

Solis inter homines rationis oculis capti sunt, qui non vident, quam mirabili ratione singulæ mundi partes disponantur & moueantur, soli fortunæ cuidam, vt ita dixerim & iniustitiæ summæ subiecti videntur, qui vbi exactissimus ordo rerum infinitam indicat authoris potentiam, & sapientiam, & iustitiam, ipsi vel irrationalem putant imperare fortunam, vel de diuina gubernatione quasi minus iusta quæruntur. Lib. 4. Epistolarum.

Homo vel solus vel maximè omnium est animal, vt dicunt philosophi, sociabile, cui adhoc ipsum soli sermonis condendarumque legum, est à natura tributa facultas. Lib. 4. Epist.

Non creauit ad parua quędam Deus homines, sed ad magna, qui non implentur paruis, ac magna non nouerunt, imò verò solum vel infinita creauit eos, qui soli in terris infinitam reperere naturam, quibus finitum nihil, quamuis maximum, penitus satisfacit. Li. 5. Epist.

Noli altitudinis magnitudinisque humanæ viribus vllo pacto confidere, altissima quæque ventis atque fulgoribus sæpius quatiunt, molesque ingentes casu concidunt grauiore difficiliusque resurgunt. Lib. 5. Epist.

Sit tibi animus humilis pariter atque excelsus, grauitas comitate permixta, vita sobria, lingua veridica, sed parcissima, largissima manus, promissio non temeraria, firma fides, obseruatio plena, diuturnum consilium, prudentum sententia diligenter examinatum. Ne multi quotidie te facile fallant, neque multis ipse, neque facile credas. Non persuasio blanda, vel leuis quælibet, coniectura sed ratio duntaxat certa te moueat.

Neque aggrediare principium nisi finem ipsum tàm optimum quam certum ante prospexeris. Malos & infames deuita ministros ne malus ipse Dominus habearis. Lib. 4. Epist.

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci. Lib. 5. Epist.

Male sanis & inquietis nihil occurrit sanum nihilque quietum. Lib. 6. Epist.

Ego autem illos esse reuera altissimo iudicio, quos ob ipsam animi altitudinem, quasi in Olympi vertice constitutos, perturbationum nebulæ non attingunt. Cæteros omnes soleo aspernari. Eos postremò & acutissime cernere & rectissime iudicare omnia iudico, qui tanta esse singula, non quanta eminus prospicienti foris apparent, sed quanta intus reuera sunt, iudicant. Eos quoque tanquam magno animo iudicioque viros soleo magnifacere, qui haud tanti faciunt singula, quanti aliunde apparere fortè contingit, imò quanti ipsa sese sua virtute singula faciunt. Lib. 6. Epist.

Profecto compertum habemus magnis sæpe inceptis hominibusque futuris quandoque magnis ingentia passim imminere discrimina, siue magnanimi, grandia, dura, ardua moliantur, siue aduersa fortuna tentata sæpius atque superata, viros fortissimos prudentissimosque efficiat, siue communis liuor, plurimorumque ambitio. Lib. 6. Epistolarum.

Compertum habemus, homines quo prudentiores sunt, eo minus casu viuere, pauciora que in familia rebusque suis agi fortuitò Libro 11. Epist.

Propheticum, omnia vanitas, omnis homo mendax. Lib. 12. Epist.

Boni homines in aduersis discernuntur vt à malis, & exercentur, & probantur, probatio verò, & profectus & constantia bonum. Libro 10. Epistolarum.

Mortales profecto tam hebetes sunt, vt bonum non aliunde prorsus cognoscant, quam ex comparatione malorum, tàm ingrati, vt Deum bonorum omnium largitorem non facilè colant, nisi malis oppressi. Quamobrem morbis perturbationibusque frequentibus cruciati, ad Deum ipsum tanquam ad medicum opitulatoremque confugere compelluntur, coguntur que cognoscere non terrenam quidem prouinciam (vbi anguntur assiduè, nunquam vero quiescunt) suam fore patriam, sed cœlestem. Libro 12. Epistolarum.

Sæpe homines & priuatim & publicè tam extremis vndique coërcentur angustiis vt nusquam pateat exitus, nulla iam speretur humana salus, sed tamen diuina bonitas & potestas filiis suis piamente suppliciter obsecrantibus propitiam porrigens, ex alto manum declarat, Deum solum esse in extremis calamitatibus seruatorem. Lib. 12. Epistolarum.

Si fecit Deus hominem ad imaginem suam, certè est in homine statua Dei, quamuis additamentis abscondita. In Com. Dionys. Areo.

Hominem perditum etiamsi belle loquatur audiendum non esse, neque licere de moribus loqui nisi homini morato. In Com. Pla.

Homines à tenera ætate quemadmodum arbores à tenerioribus curandi sunt, & ad frugem optimam dirigendi. ibidem.

Homo denique totus est mundus, per intellectum quidem refert proportione aliqua firmamentum, per vtriusque expressionem Mercurium, per sensum imaginationemque Solem, per irascibilem Martem, per concupiscentiam Venerem, per vegetalem Lunam, per cœlum vehiculum, per corpus tractabile regionem Elementalem. In Com. Platon.

Homo bonus qui huiusmodi est, & homini bona reddat. Homines boni gaudiis semper bonis aluntur. Lib. 12. Epist.

Homo animal sine pennis bipes, latis vnguibus quod solum ex animantibus scientiæ rerum per rationes sit particeps. (Plat.

Homo ludus iocusque Deorum est. In Com.

Hominis virtus est affectio siue habitus animæ, quo potentia naturalis eius quam optime suum opus exercet. In Commentariis Plat.

Est homo, anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. In Commentariis Platon.

Honor.

Honor bonorum largitio propter virtutis officium, æstimatio ac dignitas virtute acquisita, figura venerationis, conseruatio dignitatis.

Humanitas.

Cætera bona liuorem irritare solent, sola humanitas mitigare. Lib. 3. Epist.

Sola humanitas esca est, qua homines capiuntur, sola hominum gratia prospere res humanæ geruntur. Lib. 5. Epist.

Est humanitas ipsa præstanti corpore Nympha, cœlesti origine nata, Æthereo ante alias dilecta Deo. Siquidem eius anima spiritusque sunt amor & Charitas. Oculi eiusdem grauitas magnanimitas. Manus præterea liberalitas & magnificentia. Pedes quoque comitas & modestia. Totum denique temperantia atque honestas, decus & splendor. O egregiam formam, ô pulchrum spectaculum. Lib. 5. Epist.

Humilitas.

Humilitas facilitas animę, omnis expers iracundię.

Imitatio.

Accommodatior ad virtutem via est imitatio quam lectio, sanè quemadmodum harmonia dū præsens aures nostras illabitur vehementius afficit, quam dum præterita cogitatur, ac prælium cum spectatur, acrius mouet, quam cum narratur, sic egregia viuentium heroum opera ardentius ad virtutem inflammant, exactiusque formant, quam veterum Philosophorum de moribus disputantium verba.

I.

Idea.

Omnes ideæ tanquam species quædam sunt intellectuales atque diuinæ.

Ignis.

Finis ignis est cœli vltimi concauum. Lib. 2. cap. 6. Theolog. Platon.

Ignorantia & confidentia.

Ignorantia & confidentia sui, nacta quidem potentiam terribilis est, si vero sit impotens ridicula fit. In Com. Platon.

Immortalitas.

Immortalitas essentia viuens & sempiterna perseueratio.

Impudentia.

Impudentia habitus animæ infamiam lucri causa subiens.

Incontinens.

Incontinens, in quo etsi non malè iudicat ratio, præualet tamen corporea perturbatio. Lib. 18. Theolog. Platon. cap. 10.

Incontinentia.

Incontinentia affectio trahens ad ea quæ iucunda videntur, præter rectæ rationis iudicium.

Indocilitas.

Indocilitas tarditas ad discendum.

Indolentia.

Indolentia habitus quo in dolores nunquam incidimus.

Indigentia.

Indigentia bonorum diminutio.

Industria.

Industria ingenium animæ quo quisque munitus est, in singulis quod decet facilè conijcit mentis acumen.

Ingenium.

Ingenium dicendi velocitas, geniture bona naturæ, virtus insita in natura.

Ingratitudo, & ingratus.

Iustè tibi ingrati sunt homines, quibus ipse non iustè donaueris. Quinetiam tu nunquam erga alium ingratus fuisti, vel hominem vel certè Deum ingratitudo punitur Lib. 3. Epist.

Iniquitas.

Iniquitas habitus qui leges despicit.

Iniustum.

Iniustum est, quod contra legem est. In Commentarius. D. Pauli. cap. 10.

Innocentia.

Innocentia sola optimam in posterum spem animo præbet, vnicum vitæ solamen. In Com. Platon.

Intelligentia.

Intelligentia cogitationis intentio.

Intrepiditas.

Intrepiditas habitus per quem timoribus nullis mouemur.

Intellectio.

Intellectio scientiæ principium.

Intemperans.

Intemperans in quo vel ratio consopita est, vel deprauata, affectu nimium dominante, vbi ad imperium phantasiæ omnia fiunt, neque affectui ratio aduersatur. Lib. 18. capite 10. Theolog. Platon.

Nullus intemperans prudens esse potest. In Commentariis Platon.

Inuidia.

Inuidia tristitia ex amicorum bonis siue præsentibus siue præteritis.

Inuoluntarium.

Inuoluntarium quod præter sententiam factum.

Ira.

Optimum tutissimumque est irasci nunquam, quid enim aliud est ira feruere, quam ebrium insanumque euadere? Vbi verò ira frenum excusserit, interea donec iracundia referuescat, fræno cohibenda est lingua. Lib. 5. Epist.

Ira prouocatio irascibilis animæ partis ad vlciscendum.

Iudicium

Iudicium rata pronunciatio de eo quod in disceptationem venit.

Iurisconsultus.

Iurisconsultus, qui lege vtitur non legitimè, & malus iurisconsultus est, & homo malus, Legitimus ergo iurisconsultus homo est, ciusque legitimus. Lib. 1. Epist.

Magna apud homines iurisconsulti dignitas est, hic publicus ciuium patronus, hic commune ciuitatis oraculum, hic diuinæ voluntatis & mentis interpres. Quid in terris pulchrius est æquo, æquitatis legumque interprete, in quo contra quid turpius, desideras arbitror legitimi iurisconsulti effigiem & indolem intueri, ô quam pulchrum spectaculum, quam mirabile, huius anima Dei est cultus, spiritus patriæ, legis cura, cerebrum, iudicium perspicax, oculi, linguaque doctrina, pectus memoria tenax, correcta voluntas, manus rectę voluntatis effectus, pedes perseuerantia, totum æquitas atque grauitas. Lib. 1. Epist.

Iurisconsulti officium, vt omnium grauissimus sit atque sciat, quod qui sacram adulterat legem, ceu sacrilegum seuiori censura plectendum esse quam qui nummos. Lib. 3. Epist.

Iustitia, Iniustitia & iustus.

Originalis iustitia humana non ex interioribus principiis eius habuit ab initio, sed gratiæ diuinæ dono, quod ab origine toti naturæ humanæ primo parente traditur fuisse collatum. Libro de Christ. religio. cap. 13.

Iustitia Dei per legem Euangelicam reuelatur. Comment. D. Paul. cap. 5.

Iniustitia auersio quædam est à Deo. In Commentariis D. Paul. cap. 5.

Perfecta iustitia, scilicet perpetua salute digna per solam legem gratiamque Euangelicam comparatur. Commentar. D. Paul. cap. 4.

Iusti officium est, suum cuique tribuere, maioribus honorem atque reuerentiam, æqualibus domesticam quandam consuetudinem, inferioribus opem atque consilium. Quantus iustæ actionis sit fructus hinc perspicuè declaratur, quod neque domus, neque ciuitas, neque exercitus, neque commercium prorsus vllum vel bonorum hominum vel malorum absque iusta distributione quæ fit promeritis consistere potest. Qui quidem si vsque adeò mundi machinæ necessaria est dici non potest. Nempe si desit hominibus siue congregantur in vnum, à se inuicem citò perduntur, siue disiuncta vixerint, à feris passim lacerabuntur, ô perpetuum humani generis vinculum, ô saluberrima nostrorum medicina morborum, ô publica ciuitatis anima, Iustitia quid lux in Deo? Immensa suæ bonitatis veritatisque exuberantia.

Quid angelis? Intelligentiæ certitudo à Deo manans, profusumque gaudium voluntatis. Quid in cœlestibus? Copia vitæ ab Angelis, virtutis explicatio à cœlo, risus cœli. Quid in igne? Vitalis quidam vigor à cœlestibus insitus, & efficax propagatio. Deinde in iis quæ sensu carent effusa cœlitus gratia. In sentientibus exhilaratio ipsius spiritus, sensusque vigor. In omnibus summatim intimæ fœcunditatis effusio, vbique, diuinæ veritatis, bonitatisque imago, id est, de lumine, lumen quo momento penetrat molle diaphanum, transuerberat vel durissimum. Item quo breue spacium, eodem quoque longissimum. Incorporeum est igitur, cui neque duritia resistit nec spatium. Lib. de Lum.

Lux est forma primi corporis prima. Libro de Lumine.

Cœli luminisque natura, vt foueat omnia, non cogitur de integro per cuncta discurrere, si verum sit paradoxon, semel esse cunctis infusam. Lib. de Lumine.

Aiunt Platonici, sicut se habet frigus ad calorem, nigredoque ad albedinem, sic habere tenebras se ad lumen, vt tenebræ non sit priuatio pura luminis, sed lux minima vel opacissima. Nigredinis opacum lumen, perspicuum quasi quædam paulò clarioris luminis inclinatio. Color quædam luminis terminatio. Lib. de Lum.

Lumen solius illuminantis proprius & naturalis actus existit. Lib. de Lum.

Quando lumen calefacit aërem, calefactio & à lumine dependet, & aëre, atque inter lumen caloremque tenet medium. Libro de Lumine.

Lumina luminibus non confundi, hinc apparet, quod si ad tres lucernas deambulaueris, tres vmbras ex opposito reddes, videlicet propter tria lumina inter se non confusa. Libro de Lumine.

Lux in mente est veritas gaudens, gaudiumque, verum lumen à mente in corporibus est quædam veritatis rerum sensibilium declaratio, pulchritudinis flos, oblectatio sensus. Lib. de Lum.

Lumen in diuinà mente lumen supereminat. Lib. de Lumine.

In omnibus mentibus Lumen est vita exuberans, veritas clara certaque, lętitià plena, inde in corporibus est diuina explicatio, & effusio vitæ, declaratio veritatis rerum & authoris, gratia formæ, voluptatis incitamentum. Libro de Lumine.

Lumen est quasi numen quoddam in mundano hoc templo, Dei similitudinem referens. Adeò vt Plato noster in libro de Republica hoc ipsius boni filium nominauerit. Est enim instar Dei & aspectu ante omnia venerandum. Est & amplificatio quædam subita & latissima absque detrimento sui ob exuberantem bonitatem largitatemque suam cunctis sese libentissimè largiens; causa conseruatioque & excitatio omnium quæ nascuntur. Proinde ad vitam, lætitiam, veritatem, vnde descendit cætera subleuat. Absque huius præsentia mori cuncta videntur, huius autem præsentia reuiuiscere. Lib. de Lumine.

Vnum in omnibus & circa omnia lumen. Lumen in omnibus à Deo factis est quidem diuinæ claritatis splendor, atque (vt ita loquar) est Deus quasi seipsum finiens, & ad operum suorum capacitatem sese accommodans.

Deus autem ipse est lumen immensum in seipsum consistens, ac per se in omnibus, & extra omnia per immensum.

Fons ille vitæ in cuius homine (vt ait Dauid) videmus lumen. Lib. de Lumine.

Occulta quidem lumina sunt intellectus Angelici animalesque. Manifesta vero sunt cœlestia lumina. In Commentaria Dionysij Areopagitæ.

M.

Magnanimus.

Magnanimi est prę magnitudine sua parui facere quę parua sunt & breuissima temporalia omnia, quorum quod est præteritum, non amplius, quod est futurum, nondum est, quod pręsens indiuisibile est, & incipit simul ac desinit. Lib. Epist.

Magnanimitas.

Magnanimitas moderatus contingentium risus, vrbana cum hominibus conuersatio, magnificentia animi cum ratione.

Magistratus.

Magistratus officium est, meminisse se non dominum esse legis, sed ministrum, tutoremque publicum ciuitatis, præterea se à Deo dum ipse homines iudicat, iudicari. Libro 3. Epistolarum.

Magistratui non proprium bonum, sed publicum cogitandum, non partem solum ciuitatis quandam, sed totam esse curandam Libro 4. Epist.

Plato sæpe numero magistratus optimos legibus anteponit, quod leges absque illis omnino videantur inutiles: eas enim seruabit nullus: Magistratus optimi ipsi sint leges. Sed ait magistratus non posse optimos fieri, nisi ciues sint optimi viri, neque viros fore tales nisi adolescentes quoque puerique sint tales. In Com. Platon.

Magister.

Magistri officium est doctrina & bonitate sua discipulum doctum atque bonum, quasi mentis suæ filium procreare. Lib. 3. Epist.

Maleuolentia.

Maleuolentia est voluptas ex malo alterius sine emolumento suo. Lib. de Volupt.

Malum siue mala.

Impossibile est mala penitus extirpare, necessarium est enim bono aliquid semper esse contrarium. Lib. 1. Epist.

Fugari non possunt aduersa, sed fugi. Libro 1. Epist.

Non est malum in hæc incidere, quæ vulgo dicuntur mala, nisi malis dignus fueris. Mala enim non patitur nisi malus. Lib. 4. Epistol.

Mala continuè cogitamus, non agitant vndique mala. Mala quotidie sequimur, meritò nos mala sequuntur. Lib. 4. Epistol.

Malum ab ipso summo bono permittitur gratia boni. Res enim difficiles & aduersa vitium quidem curabile purgant, incurabile verò puniunt. Illic igitur purgationis, hic iustitiæ lucet bonum. Lib. 12. Epistol.

Mansuetudo.

Mansuetudo animæ aduersus iræ impetum immobilis: moderata temperies animæ.

Maritus & vxor.

Mariti officium est, vxorem quasi corpus suum sensumque diligere, ac diligentissimè ducere.

Vxoris prudentem maritum suum veluti suum animum rationemque honorare atque libentissimè sequi Lib. 3. Epistol.

Matrimonium.

Quis nesciat creato quondam homini nihil prius antiquiusque à deo præceptum institutumque, quam matrimonium. Idque apud omnes gentes summopere celebrari? Hoc semper & honorauere potentes, & sapientes non contempserunt, vtpote qui videbant ad res quidem agendas conducere; litera autem si temperate viuas & parce tempus expendas non impedire. Lib. 4. Epistol.

Quicumque solus vixerit, intelligat se aut fortè maius aliquid homine esse, aut proculdubio minus, siquidem phœnice rarior est, qui inter homines vires humanas transcendat. Hic ergo præ cæteris humanitatis fungetur officio, qui continuam, domesticam, indissolubilem inierit societatem. Cuius commercio publicam ipsam generis humani societatem & seruare nitatur & gubernare perdiscat. Nempe quemadmodum ex domibus ciuitas, ita ex rei familiaris disciplina Reipublicæ peritia constituitur. Nesciet regere ciuitatem qui domum gubernare non didicit. Non amabit patriam qui vel bona illius vel mala parum ad se pertinere censebit. Non curabit fortè seipsum grauioribus imbuere moribus, qui cum solus viuat, non sit familiæ bonorum morum præbiturus exemplum. Ocio & licentia quadam negligentior quotidie deteriorque euadet, quisquis in re familiari non fuerit occupatus. Nesciet vere quenquam stabiliterque amare, qui verum indissolubilemque amorem coniugis & filiorum non experitur. Non discet pati foris & superare ferendo, nisi qui domesticum habuerit patientiæ præceptorem.

Non discet hominum misereri, qui vel coniugem vel filium nunquam senserit lamentantem. Siquidem mens non ignara mali, miseris succurrere discit. Quod verò omnium deterrimũ est, is cui neque sit suis prospiciendum, neque pro suorum salute Deus sæpe vocandus, humanas ex parte negliget leges, & homines ipsos cultumque diuinum. Denique difficillimum erit, non exuere hominem, nisi legitimum matrimonij pallium induerimus. Quamobrem si vultis amici homines esse, si filij legitimi Dei, legitimè genus hominum augere, & tanquam Deo similes instar Dei, filios vobis similes procreate, nutrite, regite, gubernate, Memento præterea in re familiari diligentissime gubernanda, vos ipsos colere, Reipublicæ terrenæ & peritiam discere & assequi dignitate, Reipublicæ munera promereri. Lib. 4. Epistol.

Medicus.

Medici officium est cogitare quando ægrotantes adit agi de vita, vt nihil sine ratione tentare audeat, nihil sine consilio. Lib. 3. Epist.

Medici humani officium est, & si minus sanitatem, saltem semper præstare prognosticon, diuini verò pariter vtrumque complecti. Libro 12. Epistol.

Memoria.

Memoria dispositio animæ inhærentem illi veritatem custodiens.

Mel.

Mel est apum succus gradu secundo calidus, virtute abstergens, sapore dulcissimus, tactu pinguis. Lib. 16. cap. 1. Theolog. Plat.

Mendacium & mendax.

In loquendo caueto mendacium, non minus quam scopulum nauigator. Cito mendacem detegit perditque mendacium. Libro 3. Epistolarum.

Mendacium ciuitatis calamitas est, videlicet quando priuati inter se mentiuntur, maximè verò si magistratibus mentiantur. Perinde ac si ægroti medico vel nautæ mentiantur gubernatori. Licet autem gubernatoribus interdum vti mendacio salutis publicæ gratia, & priuato quandoque erga priuatum, solum gratia mali, cuiusdam grauissimi deuitandi. Licet & confabulari de antiquis moderatè, quarum veritas ignoratur, & quasi per imagines quasdam resillas quarum certam formam vix habemus, effingere. In Commentariis Platon.

Mendacem quasi mancum & mutilatum à republica excludendum.

Mendax verò nominatur, & qui dedita opera mentitur aliis, & qui per ignorantiam mentitur ipse sibi ibidem.

Mens.

Eget mens veritate, veritas mente non indiget. Lib. 1. Theolog. Platon. cap. 6.

Mens humana quotidie à particularibus formis ad vniuersales absolutasque se confert Lib. 1. Theolog. Platon. cap. 3.

Omnia bonum appetunt, mentem vero non omnia, non enim assequi mentem & sapientiam omnia possunt, ideoque multa sunt quæ eam non appetunt, ne frustra appetant. Lib. 1. Theo. Platon. cap. 6.

Mens omnis aliquo modo æterna est. Lib. 1. Theolog. Platon. cap. 6.

Mens tàm sibi quam aliis præ cæteris significat naturam, consilium, affectum Dei, prodit ergo ex Deo tanquam verbum, imo tanquam verbi significatio à loquente Deo. Libro 2. Th. Platon. cap. 6.

Mens cogitatione affectuque immensa est, pro vt immensa machinatur & vult, perque immensum sua operatione discurrit. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 6.

Scopus finisque mentis est ipsum verum bonumque (id est) Deus. Huc essentiali quodam instinctu ignis instar currit prius quam vitali, & vitali prius quam intellectuali. Nihil est autem quod obsistat, quin essentia mentis vsque ad Deum penetret, corpus enim spiritui non resistit, multoque minus spiritus. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 6.

Omnes mentes Dei sunt instrumenta. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 9.

Mens quælibet volendo potius facit opera, quam viuendo. Lib. 2. Theolog. Plat. cap. 11.

A mente virtute Dei fit ordo partium vnitarum. Libro 4. Theolog. Plat. cap. 1.

Mens hominis infinitarum & distinctarum inuentrix rerum, vsu sermonis innumerabilis suffulta est: quasi quodam digno eius interprete: manibus quoque munita tanquam aptissimis instrumentis adinuenta mentis innumerabilia fabricanda, quæ quidem instrumenta, natura eadem dedisset & bestiis, si illis inesset artifex idem interior, talibus instrumentis vsurus. Lib. 13. cap. 3. Theolog. Platon. cap. 3.

Mens veritatis locus est. Lib. 15. Theologiæ Platon. capite 14.

Mens verò illa videtur esse verissima, quæ nihil vnquam falsi admittit, nihil prorsus ambigui. Libro 2. Epist.

Dementes nimium sunt illæ mentes & miseræ, quæ omnem, in hoc operam suam semper impendunt, vt corpus atque externa quam optimè ornatissimeque se habeant, vt autem bonæ ornatæque ipsæ sint penitus negligunt. Libro 3. Epist.

Sicut aër ad lumen solis, sic se mens habet ad veritatis & sapientiæ lumen. Libro 5. Epist.

Quod ad mentem est lingua, id fermè religiosa mens est ad Deum. Itaque non tam mens nunc tua Deo, quam Deus per mentem tibi tuam loquitur. Lib. 7. Epist.

Est mens vultus ad veritatem conuersus, huius duo oculi sunt, dexter & sinister, ille veritatem eorum, quæ in diuina mente sunt inspicit, hic eorum quæ ab illa. Ille intuitus sapientia, hic scientia. In Com. plat.

Duæ sunt mentium diuinarum dotes: vna quidem claritas intellectus omnia cernens: altera verò optimus vitæ habitus. In Plotin. Com.

Mensura.

Mensura medium excessus atque defectus.

Mercator & artifex.

Mercatoris officium est, veridica fide atque diligentia externis alimentis alere ciuitatem atque seipsum. Item. Mercatores & artifices & alij ita pecunias quærant, vt nemini noceant. Nam quicquid à malo surgit, in malum denique recidit, ita seruent vt neque frustra videantur, neque solum gratia quæsiuisse, sic expendant, vt diu possint expendere, atque honestè & vtiliter expendisse probentur. Lib. 3 Epist.

Meridies.

Meridies tempus in quo vmbræ corporum quam breuissimæ sunt.

Metus.

Est autem metus, à ratione auersa declinatio, siue futuri mali solliciti expectatio. Libro de Voluptate.

Metus concussio animæ in expectatione mali.

Modestia.

Modestia voluntaria ad id quod optimum iudicatur concessio, in gestu corporis compositio.

Moderatum.

Moderatum medium inter excessum atque defectum secundum artem sufficiens.

Monitio.

Monitio sermo ex sententia castigans, sermo ab erroribus absterrens.

Mors.

Mors diuisione & resolutione contingit. Lib. 1. Theolog. Platon. cap. 3.

Vitæ formæque vitali contraria mors quodammodo dicitur, seu aliqua mortifera qualitas formę, sicut frigiditati caliditas, humiditati contraria est siccitas. Lib. 5. Theolog. Platon.

Mors est animæ à corpore liberatio. Libro 16. Theolog. Platon. cap. 8.

Mores.

Mores viæ sunt vel ad inferos vel ad superos. Lib. 18. Theolog. Platon. cap. 10.

Mulier.

Mulier studeat quodammodo vt sit virilis, maximè verò pudica. Quantum enim virum magnanimitatem decet, tantum pudicitia mulierem. Lib. 3. Epist

Mundus.

Minus est mundus ad Deum, quam corpus ad animam, magisque eget Deo mundus, quam corpus anima. Lib. 2. Theolog. Platon. cap. 6.

Nec per mundum Deus, sed per Deum mundus quatenus potest extenditur. Theolog Platon. cap. 6.

Didici à magistro vitæ, mundum totum in maligno positum esse, bono tamen viro in bonum cuncta reuerti. Lib. 3. Epist.

Mundus certè quamuis à ratione quadam pulcherrima optimaque, pulcherrimè optimeque disponatur atque ducatur, tibi tamen immundus atque malus (tibi, id est, hominum generi) qui immundus viuis in mundo, malusque in bono. Prima tibi mundanorum malorum origo est, mundanorum bonorum nimius appetitus. Libro 3. Epist.

Mundus Deus statuam fabricatus est suam. In Com. Dionys. Areopag.

Est contra religionem mundum vituperare tanquam malum. In Com. Plotin.

Musicus & Musica.

Diuina Musica est rectus cogitationum, verborum actionumque concentus. Libro 1. Epistolarum.

Musici officium est, in sono gratiam, cantus

in cantu sermonis elegantiam imitari, meminisse etiam motus animi multò magis oportere consonantes esse quam voces. Inconcinnus enim alienusque à Musis est Musicus, cui dum consonat vox, lyraque, mens dissonat, iubet Dauid Mercuriusque quandoquidem Deo mouente canimus, canamus & Deum. Lib. 3. Epist.

Musæ.

Non decet Musam fieri mendicam, & innocentiam miserabilem. Lib. 1. Epist.

Nihil afferunt Musæ nobis aliud nisi patientiam, malorum virtutem perferendorum. Lib. 5. Epist.

Non decet Musas fieri aut lasciuiæ ministras, aut iniquitatis arma. Lib. 1. Epist.

Quantum igitur vsum ipsum laudamus Musarum, tantum vituperamus abusum. Quisnam maximè musis abutitur? Nisi qui aut harum vestigia temere importuneque sectatur, aut vulgarem Venerem imprudenter admiscet, aut eas à duce ipsarum Apolline segregat. Non capiunt scientiam inscij homunculi, sapientiam ipsam insipienter capessentes. Non rite camenæ canunt, sed silent aut strident, vbi petulans Veneris filius interpellat, non apte Pieridum saltat chorus, imò claudicat & vacillat, vbi dux chori procul abest Apollo. lib. 5. Epist.

N.

Natura.

Sicuti se habet ars ad naturam, sic & natura ad Deum. Lib. 2. Theolog. Plat. cap. 7.

Sicut natura operibus suis infert motum, sic natura præstat Deus esse. Lib. 2. Theol. Platoniis cap. 7.

Tamdiu existit natura, quamdiu Deus seruat eam existendo. Ibidem.

Quid est naturas natura quedam materiam tractans extrinsecus. Lib. 3. Theolog. Plat. cap. 1.

Natura cuiusque vna quædam forma virtusque ad vnum quoddam opus certo modo determinata, toto suo impetu faciens quicquid facit, & necessario faciens. Lib. 2. Theolog. Platon. capite 11.

Natura est series corporum. Lib. 13. Theolog. Platon. cap. 2.

Difficile est naturam prorsus exuere. Lib. 14. Theolog. Platon. cap. 10.

Natura in nobis corpus & spiritum cum anima coniunxit. Corpus quidem remediis medicinæ curatur, Spiritus autem qui aëreus sanguinis vapore & quasi quidam animæ corporisque nodus, aëreis quique odoribus, sonisque & cantibus temperatur & alitur. Animus vnum quiddam est, est anima & corpore, spirituque compositum. Lib. 1. Epist.

Natura nobis instrumenta quibus discamus multa largitur, oculos, nares, aures, gustumque & tactum, vnicum vero quo doceamus instrumentum dedit, scilicet loquendi se facultatem. Lib. 3. Epist.

Profecto sic natura sæpe vices rerum rependit, quandoquidem sunt & plerique senes etiam ingenio pueri. Lib. 8. Epist.

Natura (vt dicit Plato in Polit.) vel Deis ars est, vel artificiosum Dei organum. In Commentariis Patoni.

Natura instrumentum prouidentiæ est. In Commentariis Plotin.

Nomen.

Inter omnina Dei nomina præcipuum est ipsum bonum. Com. Dionys. Areopag.

Nomen dictio simplex significatiua eius quod secundum essentiam prædicatur, & omne quod secundum seipsum minime dicitur.

Nox.

Nox vmbræ diei contraria, solis priuatio.

O.

Oblectamenta.

Oblectamenta terrena non implent animum sed titillant. Lib. 14. cap. 7. Theolog. Platon.

Solent ea nos oblectare, quæ satis desideria faciunt. Lib. 9. Epist.

Occasio.

Occasio flos ipse temporis rebus agendis conferens: tempus bonum quandam ferens opem.

Officium.

Officium verè præstantissimum est, proculdubio quod & maximè necessarium, & inprimis ab omnibus exoptatum, efficere videlicet vt hominibus sit mens in corpore. sana in Apol.

Officium est actio vniuscuiusque propria, decorum honestatemque seruans, prout res, persona, locus, tempusque postulat. Lib. 3. Epist.

Opera.

Opera vehementius quam verba mouent, maximè mouet alios, quia ipse mouetur maximè, omnino autem offendit aures, qui aliter canitore, aliter pulsat lyram. Lib. 1. Epistol.

Operatio.

Perfectior est operatio stabilis, quæ vno momento perfectissime suum opus absoluit, quum quæ indiget tempore. Lib. 1. *Theolog.* Platoniis capite 5.

Operatio Dei est perpetua quædam in seipsum conuersio, per quam seipso fruatur & gaudeat. Lib. 9. Theol. Platon. cap. 6.

Opifex.

Vanus est opifex qui ab alio magis, quā ab ipso opere expectat honorem, non pendet operis virtus ex iudice, sed opus iudici commendat artificem. Lib. 1. Epist.

Opinio.

Opinio perceptio cum fide per ratiocinationem, rationis discursus, cogitatio in verum & falsum. Recta opinio vera per coniecturam probabilem æstimatio est. In Commentariis Platoniis.

Opportunitas.

Opportunitas tempus in quo vnumquodque aptum est, vel pati aut agere.

Opportunitas imminentia temporis in quo vel agere vel pati quicquam oporteat.

Opulentia.

Opulentia possessio rerum sic moderata vt ad felicitatem conferat, abundantia rerum ad beatitudinem conferentium.

Oratio siue precatio.

Quid potissimum sit in oratione petendum, eiisdem verbis propheta similiter aperit, cum enim tria hæc, Timor, Amor, Laus, efficiant vt impetremus, merito tria eadem, dum adoramus, nobis postulanda videntur. Concedit nobis videlicet Deus, vt eum timeamus rectè, amemus ardenter, ritè laudemus, summatim verò adorare docet & impetrare Dauid, vbi

ait, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Libro 10. Epist.

Oratio vox quæ scribi potest, pronuntiatiua cuiusque rei compositio ex verbo ac nomine fine harmonia cantus.

Orator.

Oratoris officium est, qui aliis suasurus est, sibi iam ipsi suasisse. Lib. 3. Epist.

Os.

Os medulla calore consolidata.

Ostentatio.

Ostentatio affectio, quæ sibi vendicat ea bona quæ minimè adsunt.

Ordo.

Ordo concentus operationum adinuicem communionis proportio, vicissitudinis in omnibus causa, contemplatio ad percipiendum idonea.

P.

Palma.

Palma, virtus, præmium, sui ipsius gratia exoptandum.

Pater familias.

Patris familias officium est filios colere, quasi propriæ vitæ propagines, atque optimo suo exemplo regere tanquam membra. Lib. 3. Epistol.

Patientia.

Patientia non vt agas præcipit sed patiaris. Quanto difficilius agere est quam pati, tanto difficilius bene agere est, quam benè pati. Cæteræ quidem virtutes omnes in benè agendo versantur. Patientia verò sola in benè patiendo consistit. Lib. 5. Epist.

O miram patientiæ potestatem, virtutes quidem aliæ contra fatum quoddammodo pugnant, patientia verò vel sola vel maximè omnium expugnat fatum; quæ enim fatum immutabilia necessariaque fore decernit, Patientia animi diuinæ prouidentiæ voluntate consentiens, ita quodammodo mutat, vt ex necessariis faciat voluntaria, sicut qui malè agit, bona sibimet conuertit in malum, ita qui benè patitur, mala sibi vertit in bonum, nempe in perferendis malis ipse bonus euadit. Lib. 5. Epist.

Patientia bonum vsque adeò bonum est, vt absque ipsa cætera hominum bona perfici nequeant. Lib. 5. Epist,

Tria præcipuè vt mihi videtur, patientia, præcipit, primum, vt mala libenter pati velis, quæ ipsa natura iubet vt pati nolis. Secundum, vt ipse tibi voluntaria facias, quæ fatum necessaria fore decreuit. Tertium, vt mala quælibet vertas in bona, quod Dei solius est officium, in primo quidem repugnare naturæ, in secundo verò expugnare fatum, in tertio iubet denique æquare se Deo Lib. 5. Epistol.

Pauor.

Pauor trepiditas in expectatione mali.

Pax.

Diuinæ pacis officium est vniuersi ordinem conseruare. In Com. Dionysi Areop.

Pax quies qua ab inimicitiis belli cessamus.

Peccatum.

Omne peccatum contra legem est diuinam & naturalem atque ciuilem. In Commentari is D. Pauli cap. 10.

Peccatum actio præter rectam rationem.

Peccator.

Nemo grauius miserabiliusque peccat, quam qui cum Angelo rebelli per ingratitudinem, & superbiam à Deo deficit, creatore bonorumque omnium largitore. In Commentariis D. Paul. cap. 9.

Nihil magis necessarium esse vtiliusque peccatoribus quam confiteri peccata, affici pœnitentia, pœnas à iudice petere, æquo animo ferre vt purgetur animus, antequam insanabilis morbus eius euadat. In Commentariis Plat.

Perseuerantia.

Quantum bonum perseuerantia sit hoc indicat, quod non cæteræ virtutes bona pollicentur, perseuerantia præstat, quæ quidem quanto difficilior est, tanto cæteris laudabilior. Libro. 1. Epistol.

Principium vel voluntatis vel sortis, perseuerantia vero virtutis. Lib. 1. Epist.

Sanè non in carceribus currentium præmium sed in calce locatur. Cursum aggredi cuiuslibet est, vel ignauissimi, peruenire verò paucorum.

Perseuerantia affectio quæ perficit quæcumque elegerat, id est, tolerantia voluntaria aduersus labores inconcussus habitus.

Perturbatio.

Perturbatio (vt Stoicis placet) est auersa à recta ratione contra naturam animi commotio, eamque ab opinione nasci putant. Libro de Voluptate.

Pietas.

Pietas iustitia erga Deum, affectu colens Deum, voluntaria veneratio Dei, recta honoris diuini scientia. Est pietas Dei patris agnitio. In Commentariis Plat.

Pietas sanctitatem excitat. In Com. Plat.

Φιλανθρωπία.

Φιλανθρωπία, id est, humanitas, affectio amicitiæ hominum conciliatrix, habitus hominibus beneficus, gratiarũ redditio, gratitudo benefica.

Philosophia & Philosophus.

Totum hoc Philosophiæ studium (vt inquit Plato) est meditatio mortis. Lib. 16. Theolog. Platon. cap. 8.

Philosophus diuina quærat diligentius, vt fruatur, perscrutetur, & naturali. vtatur. Lib. 1. Epist.

Tria sunt apud Philosophos præcipua, finis videlicet, origo, atque materia, quibus cuiusque doctrinæ perfectionem iudicare consueuerunt. Lib. 4. Epist.

Philosophiæ tres species à Platone adinuentas atque distributas, huic naturæ Trinitati ex omnibus suis partibus respondere. Vt ea philosophandi facultas quam de rerum causis, progressionibusque dixerit, Deo rerum principio congruat. altera vero qua disserendi origo modusque tractatur, Deo veritatis illustratori conueniat. Postrema philosophię pars, cuius pręceptis & institutis vitam agimus, nosque ipsos & familiam ac Rempublicã ad fœlicitatem consequendam dirigimus, Deo quoque beatitudinis largitori comparetur. Lib. 4. Epist.

Philosophia cum sit cœleste munus, terrena vitia procul fugat, fortunam fortissimè domat, mitigat mirificè fatum, mortalibus bonis certissimè vtitur. Immortalia munera largitur ad votum. Lib. 4. Epist.

Cum ab omnibus philosophia (vt nomen ipsum à Pythagora inductum perhibet) sapientiæ amor definiatur, sapientia verò diuinorum

contemplatio sit, certè Philosophiæ finis est cognitio diuinorum. Libro 4. Epistol.

Quicumque Philosophus futurus est, ab ipsa natura sic institutus esse debet, vt primo quidem ad omnia disciplinarum genera facilis ac promtus existat: Deinde, vt natura sit verax, ab omni mendacio penitus alienus, tertio loco, vt contemptis omnibus quæ corruptioni obnoxia sunt, illis quæ semper eadem permanent, mentem adhibeat. Magnanimus quoque & fortis sit necesse est, qui nec mortem metuat, nec inanem cupiat gloriam. Præterea temperatum hunc quodammodo nasci oportet, easque animi partes, quæ affectibus efferri solent, domitas à natura suscipere. Quisquis enim veritatis auidus ad diuinorum contemplationem mentem conuertit, voluptates corporis paruipendit. Oportet prætererea liberali animo Philosophum esse. Etenim rerum vilium æstimatio homini veritatem rerum contemplaturo aduersa est nimiumque contraria. Maxime verò omnium ingenij acumine atque memoria, & magnitudine animi illi opus esse videtur. Lib. 4. Epist.

Philosophia ascensus est animi, ab inferioribus ad superna, à tenebrisque ad lucem, principium eius diuinæ mentis instinctus, media vero ad facultates disciplinę quæ ex narrauimus finis summi boni possessio, fructus denique recta hominum gubernatio. Lib. 4. Epist.

Philosophia non docet nos vitam cum principibus agere, nam si id vetat omnino (vt certe vetat) nullo modo docet. Vetat autem penitus vt mihi videtur, quandoquidem contraria iubet, nempe inueniendo veritatis amore tranquillitatem animi, & libertatem vitæ desiderat, apud principes autem non veritas habitat, sed mendacia, simulationes, dissimulationes, obtrectationes, adulationes, non tranquillitas animi, sed cura, solicitudo, inuidia, & omnis denique perturbatio, non libertas omni charior auro, imò tam misera seruitus vt neque subditis parcat vnquam, nec principibus, eiusque finis sit vel seruitus vel ruina. Lib. 5. Epist.

Nemo vsque adeo sit humanæ facultatis ignarus, vt confidat se posse ritè libereque Philosophari ac simul securè tutoque vitam apud principes agere. Lib. 5. Epist.

Sola ex omnibus facultatibus & artibus hominum pia semper Philosophia omni studio prouidet, ne vel in cæcitatem tàm miseram corruamus vel tam graue odium subeamus, nullum enim aliud veri Philosophantis officium est, quam singulas tum partium, tum vniuersi rationes & causas excogitare semper atque docere. Libro 7. Epistol.

Virorum Philosophantium amicitia non minoris apud mortales videtur esse momenti, quam inter cœlicolas cœtus felicium planetarum. Lib. 10. Epist.

Deus ipse pro religiosa Philosophia, pro pietate pugnabit Lib. 10. Epist.

Est autem Philosophi officium diuina nosse, gubernare humana: in illo contemplatiua Philosophia, in hoc actiua compræhenditur. Philosophus itaque primo diuinam, id est, absolutam ipsius boni naturam per sapientiam contemplatur. Deinde ad id velut ad finem humanas operationes dirigens, humana gubernat. Eiusdem autem scire est recte hominem vnum, familiam, ac rempub. gubernare. Quamobrem qui moralis est, idem Dominus, ciuilis, rex idoneus esset. Ex quibus concluditur in ipso Philosophantis officio hęc omnia contineri, sapientiam, prudentiam, iustitiam moralem, domesticam, ciuilem, ac regiam disciplinam. Per sapientiam diuina cognoscit, per prudentiam iustitiamque humana gubernat, dum rem suam, rem in familiarem, rempublic. administrat. In Commentarius Platonis.

Philosophus est verus imitator Dei. In Com. Platon.

Philosophia appetitus sapientiæ, contemplatio veritatis, vt veritas est, cura animæ secundum rectam rationem.

Poeta.

Poëtæ officium est, vt naturam moresque pingere valeat, vtrumque vidisse. Lib. 3. Epist.

Possessio.

Mediocris rerum possessio, & temperatus fortunæ afflatus, vt securior est, & stabilior; sic ad Mineruam & Musas accmomodatior. Libro 3. Epistol.

Possessio rerum tam excedens quam deficiens, non solum motibus, & concordiæ, sed ingenio etiam & artibus obest. In Commentarius Platonius.

Potentia.

Summæ potentiæ sunt naturæ, mens, mentisque caput atque voluntas. Lib. 14. Theologiæ Platon. caput 7.

Potentia quæ est per se ipsum efficax.

Potestas.

Potestas excellentia in agendis seu dicendis habitus quo potentes efficiuntur.

Præceptum.

Mosaica præcepta in duo genera apud Theologos distinguuntur, alia ad naturale moraleque ius pertinent, alia ad ceremonias & iudicia, prima illa à Deo Mosi data sunt, secunda Moses ipse instituit diuinitus inspiratus. Rursus prima omni hominum generi semper seruanda mandatur, secunda solos Iudæos astringunt, videlicet vsq; ad Messiæ ipsius aduentum. Prima quæ diximus adeo communia sunt, vt cuique etiam non minus liberaliter instituto, vel solo naturali iudicio cognita esse potuerint. Quid enim in eis aliud continetur, præter Dei vnius cultum, vitamque Moralem. Lib. Epist.

Princeps.

Tres sunt præcipui (vt Magi tradunt) principes super mundum, Oromasis, Mitris, Arimanis, id est, Deus, mens, anima, Lib. 4. Theolog. Platon. capite 1.

Arbitramur à iustis principibus, iustè subditos gubernari. Lib. 3. Epist.

Principis virtus est, circumspecta prouidentia, iustitia clemens, sublimitas humilis, humilitasque sublimis. Lib. 3. Epist.

Principibus nullum præstantius prædiorum genus esse dicebat Plato, quam eorum qui familiaritates cauponari nescirent. Lib. 4. Epist.

Nihil periculosius est in principe, quam si quam plurimi eum contemnant, vel oderint vel nimis inuideant, contemptus quidem scientia, grauitate, integritate vitatur. Odium verò innocentia, & humanitate lenitur. Inuidia denique munificentia, liberalitate, magnificentiaque sedatur. Lib. 5. Epist.

Nunquam fore bonos in Republic. principes, nisi sint viri probatissimi, statim videlicet à tenera

pera ætate diligenter exculti. In Commentariis Plat.

Principatus.

Principatus prouidentia vniuersi.

Priuatus.

Priuati officium est tam libenter magistratuum parere mandatis, vt non legis necessitate compulsus, sed propria voluntate videatur adductus. Lib. 3. Epist.

Procrastinatio.

Sera nimis vita est crastina, viue hodie. Lib. 1. Epist.

Prorogatio vitæ etsi interdum morum emendatio est, sæpe tamen præteritæ prosperitatis abrogatio vel derogatio. Libro primo Epistolarum.

Propinquitas.

Propinquitas communio in eodem genere.

Prouidentia.

Prouidentia est series mentium. Lib. 13. Theol. Plat. cap. 2.

Prouidentia in rebus necessariis sua nunquam deserit. In Com. Plot.

Diuina prouidentia nunquam alios contrà omnem fortunæ fauorem, repentè ad imum è summo vestigio deiicit. Alios contra malignum fortunæ impetum euehit mirabiliter in excelsum, si quos aut vel superbos stare diu, vel humanos ad tempus cadere sinit, permittit etiam vt & illi tam deiecta miseraque mente sint, quàm alia sorte, & isti tam excelsa mente quàm humili & abiecta fortuna. Libro tertio Epistolarum.

Prouidentia præparatio ad futura.

Prosperitas.

Humana prosperitas, falsa quidem felicitas, ac veræ felicitatis impedimentum. Epistolarum Libro tertio.

Terrena prosperitas toties humano generi apertissimè mentita iam fuisse conuincitur, quot in vniuerso temporis cursu ab initio mundi, ad nos vsque momenta fluxerunt. Libro tertio Epistolarum.

Vberior vanæ prosperitatis afflatus, vanos mortalium animos inflat, tumidosque reddit atque ægros. Lib. 3. Epist.

Facillimè multis de causis quas intelligere quilibet facile potest, prosperitas nostra turbatur, atque perinde vt iactus in altum lapis quando altissimè ascendisse videtur, tunc subitò sine vllo temporis interuallo descendit, ita fortuna quæ ad summa euexit fastigia rerum, statim sine mora vel iubet eum velut è monte sponte descendere, vel ipsa præcipitat, sanè & grandioribus casus grauior, & altioribus ruina profundior imminet, sæpissime post blandas auras Zephyrosque suaues, repentè stridens aquilone procella velum aduersa ferit, fluctusque ad sydera tollit. Libro 3. Epist.

Diuina prouidentia statuit terrenam prosperitatem idcirco volantem, & fugacissimam esse, ne tenere diutius non procul à diuina beatitudine posset, cum ne momentum quidem à nobis vnum ipsa teneri possit. Atque etiam ne morbis frequentibus cogemur cœlestis Medici frequentius recordari. Meminisse præterea nos in regione, tam inquieta non esse tanquam in patria constitutos, sed quasi quodam exilio relegatos. Lib. 3. Epist.

Prosperitas vberiore afflatu animos inflata rerum copia immoderatos facit & negligentes, licentia reddit deteriores: ad scelera cuncta prociliores. Lib. 5. Epist.

Prudentia.

Prudentia notitia rerum priuatim & publicè rerum administrandarum. Libro primo Epistolarum.

Summa prudentia aut nunquam aut certè coacta, init cum fallacissima fortuna certamen. Lib. 6. Epist.

Prudentia vis quæ per seipsam ad beatitudinem humanam ducit: scientia bonorum & malorum, dispositionem felicem præstans, potestas qua quid etiam agendum sit & quid non iudicamus.

Prudentia scientia bonorum malorumue propriè ad hominem pertinentium. In Comment. Plat.

Tanta prudentiæ perfectio est, vt & optanda docet exoptare atque comparare, & comparatis ea potissimum vti ratione qua prosint. In Com. Plat.

Pudor.

Pudor audaciæ remissio, eiusque optimum apparet spontanea & liberis acceptio, formido vituperationis veræ.

Pulchritudo.

Humana pulchritudo, videtur priusquam ametur, Diuina verò amatur vt videatur. Lib. 2. Epistolarum.

Ipsa pulchritudo prima nihil aliud est, quam splendor gloriæ penes patrem luminum, & figura substantiæ eius. Vnde triplex emicat pulchritudo, prima quidem per Angelicos intellectus, secunda verò per intellectuales animas. Tertia per corpora vbique formosa, quasi lumen vnum per tria quædam vitra coloribus inter se varia, ideoque variam ex primo splendorem reddentia. Lib. De Lum.

Pulchritudo nihil aliud est quam summi boni splendor, fulgens præcipuè in his rebus, quod oculis, auribus, mente percipiuntur, perque illas ad ipsum bonum, visum, auditum, mentemque conuertens. In Com. Plat.

Purgatio.

Purgatio deteriorum à melioribus segregatio.

R.

Margaritæ autem religionis pretiosissimæ sæpe tractantur ab ignorantibus, atque ab his tanquam suibus conculcantur. Lib. De Christ. rel. in Proœm.

Si inanis religio esset, per eam rursus homo omnium esset imperfectissimus, quoniam per eam dementissimus atque miserrimus. Lib. De Chr. rel. cap. 1.

Communi quoque hominum vaticinio religio vera est, omnes namque semper vbique colunt Deum, vitæ futuræ gratia. Lib. De Christ. relig. cap. 1.

Religio est inimica corporibus. Lib 14. Theol. Plat. cap. 10.

Religio fatum damnat, asserit libertatem. Lib. 14. Theol. cap. 10.

Nusquam & nunquam religionis facta est intermissio, licet aliàs, & alibi aliter Deus honoratus sit cap 10. eodem Lib.

Nihil habent homines religione diuinius. Ibidem.

Cætera hominum studia, vt plurimum à diuinis seiungunt, mortalibus coniungunt, religio autem contra à mortalibus soluit, diuinisque religat, vbi Stygiis amarisque saporibus procul expulsis, nectarea nos suauitate perfundit, si quando aliàs religioni indulgendum fuit, hac tempestate potissimum est indulgendum, hoc enim malorum omnium sæculum est. Libro 6. Epist.

Tota religio naturalis homini, firmissimum immortalitatis fundamentum. Libro decimo Epist.

Oportebat religionem (quæ quidem ad felicitatem vnica est via) non rudioribus tantùm hominibus, verumetiam peritioribus commune fore. Qua quidem duce omnes ad beatitudinem cuius gratia nati sumus, & ad quam consequendam communi studio laboramus, facilius, rarius peruenire possimus. In Comment. Platon. in Procem.

Religio est, eius quod Deo redditum est assidua, iustisque operibus cum Deo ipso indissolubilis religatio, vt meritò sapiens ille dixerit, funiculum triplicem difficile solui, funiculum, inquam, ex pietate, sanctitate, religioneque connexum. In Comment. Plat.

Religio religat sanctitatem. In Comment. Platon.

Tota religio naturalis homini firmissimum immortalitatis fundamentum est. In Comment. Plot.

Res.

Res humanæ vmbris, cogitationesque somniis sunt consimiles. Lib. 12. Epist.

Respublica.

Beatissimas fore Respublicas, dicebat Plato, si aut Philosophi dominentur, aut saltem qui gubernent diuina, quadam sorte philosophentur. Nihil enim pestilentius esse potestate, & audacia quàm ignorantia comitetur. Tales quoque subditos esse solere quales magistratus. Lib. 4. Epist.

Resp. cœtus multorum hominum ad felicitatem per se sufficiens, legitima multitudinis conspiratio.

Rex.

Regi maximo curæ est re vera honorari, quam aut his aut illis gestibus honorari. Lib. De Christ. relig. cap. 4.

Rex imperans secundum leges nulli subiectus, irreprehensibilis, ciuilis ordinis institutor.

Robur.

Robur ins vnumquodque in natura sua seruans, eo quod detrimenta deuitat.

S.

Sacerdos.

Ad nullum magis quam ad pium sacerdotem pertinere singularis charitatis officia, quæ quidem in maximo omnium beneficio quam maxime lucent. In Apologia.

Nihil in terris honesto sacerdote pulchrius est, turpi verò nihil turpius. Ille religionis hominumque salus, iste pestis. Lib. 1. Epist.

Sacerdos est temporalis quidam Deus, Deus verò sacerdos æternus. Lib. 1. Epist.

Sacerdotis virtus & officium est, sapientia quedam pietate feruens, & pietas sapientia lucens. Lib 3. Epist.

Sacrificium.

Sacrificium hostiæ donum Deo exhibitum.

Sacrilegus.

Sacrilegi habendi sunt, qui iuniorem imò & quorumlibet animos verbis morbisue inficiunt. Lib. 1. Epist.

Sagacitas.

Sagacitas innata ratiocinandi virtus.

Salus.

Salus munitio ab omni damno secura.

Sanctitas, Sanctus, & Sanctum.

Vtrobique incidunt in Scyllam, cupientes vitare Charybdim: sancti enim deliramenta nugasque mortalium fugientes, in dæmones incidunt tentatores. Non enim his est certamen aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus (vt Paulus inquit) maleficos quosdam spiritus aëris caliginosi tyrannos. Lib. 12. Epist.

Sanctus est eius quod Dei est, Deo agnito retributio. In Com. Plat.

Sanctitas pietatem confirmat & sancit, sanctitas quoque religionem mouet. In Com. Plat.

Sanctimonia.

Sanctimonia vitæ doctrinam efficit venerandam, iuniores seniorum mores facilè ebibunt. Lib. 1. Epist.

Sanctimonia cautio declinans à peccatis quam aduersus Deum committuntur, diligens obseruatio diuini cultus secundum naturam.

Sanitas.

Sanitas animæ habitus affectibus non succumbens.

Scientia arbor etsi radices aliquantulum amaras habere videtur, fructus tamen profert quæ suauissimos. Lib. 1. Epist. & 5. Epist.

Scientia vel de rebus agit penitus separatis, vel omnino corporeis vel mediis, illa quidem diuina, ista naturalis, hæc Mathematica. Harum quælibet secatur in tria. Diuina enim vel contemplatur Deum, vel substantias omnino diuinas, vt Angelos vel intellectuales animas, nostras quidem diuinas, sed quodammodo etiam vergentes ad corpora, sed interim separabiles. Hucusque diuina scientia contemplatur. Naturalis autem tria quoque considerat: vel elementalia corpora, vel cœlestia, vel animas his coniunctas. Mathematica quoque triplex, aut enim solam quantitatem tractat, siue memorialem, siue continuam, vt Arithmetica, Geometriaque. Aut etiam cum ratione motus, vt Astrologus, aut etiam cum ratione sensus, siue visus, siue auditus, vt perspectiua, vel Musicus: nouem igitur communia scientiarum lumina sunt. Lib. De Lum.

Scientia comprehensio animæ immutabilis, ratione vis comprehensiua alicuius, vel quorundam ratione immutabilis, ratio vera in cognitione immutabilis.

Sapientia.

Sapientia sine audacia prodest quidem, quamuis non magnificè, sed obest nunquam. Lib. 1. cap. 1. De Christ. relig.

Sapientia in singulis humanis operibus nos voti compotes pro viribus efficit, neque aberrat vnquam, neque fallitur, alioquin sapientia reuera non esset. Lib. 1. Epist.

Sapientia est rerum diuinarum cognitio, res autem diuinas, Plato in Libro de Republica non aliter menti nostræ innotescere, posse, quam Deo nos illustrante, demonstrat, quemadmodum corporum formas oculis, non aliter, quam sole oculos, illuminante videri. Libro 1. Epistolarum.

Conducunt ad sapientiam defendendam, non tam Martis milites, quàm Palladis sacerdotes. Lib.1. Epist.

Principi non aliter necessaria est sapientia, quam corpori anima. Libro quarto Epistolarum.

Quisnam sapientiam rectè adorat, nisi quod sapienter? Sapienter autem hanc solus adorat, quod poscit à sapientia sapiētiam. Non possumus nisi per illam quicquam vel ab ipsa vel ab alio petere sapienter, non possumus quicquam ab illa sapienter petere nisi illam. Libro quarto Epistolarum.

Felix cui succedunt omnia benè, soli autem succedunt qui benè omnibus vtitur, solus benè omnibus vtitur, quod & suipsius & aliorum vires à sapientia didicit, felices igitur soli sapientiæ sacerdotes, quod vel in ipsa humana (vt ita dicam) miseria sunt beati. Lib.4. Epist.

Deus per Mercurium cœlestium minimam sapientiam, virtutum maximam significari voluit, vt meminerimus, minimam esse in hominibus sapientiam, quippe cum nobis à stellarum minima promittatur. Docuit præterea sapientiam nec in magnitudine corporis constitutam esse, nec ab ipsa mole materiæ proficisci. Nonnunquam homines corpore, audacia, fortuna, minimi, sunt sapientia maximi. Deinde Sol quidem Deum ipsum præfert, Mercurius sapientem, Mercurius igitur nunquam à Sole discedens, significat animum dumtaxat sapientem fore, quod nunquam discedit à Deo, Sol quinetiam principes significare putatur. Cum igitur Sol nullam stellarum propinquiorem habeat quam Mercurium, admonet interea, principes debere nullos habere familiaritate coniunctiores quam sapientes: quod autem Mercurius idem, sapientiam, eloquentiamque mittit, literarum studiosos iubet eloquentiæ studium cum studio sapientiæ copulare. Lib.10. Epist.

Mentis diuinæ idearumque cognitio sapientia dicitur. In Com. Plat.

Sapiētia scientia est quæ nihil penitus præsupponit: scientia eorum quæ semper sunt, scientia quod rerum omnium causam contemplatur.

Sapientia certa rei comprehensio est, quare prius ratione disiuncta sit res oportet, vt certo percipiatur. In Com. Plat.

Sapientia est absoluti diuinique boni scientia. In Com. Plat:

Sempiternum.

Sempiternum, quod per omne tempus & prius extitit, & nunc est, nulli corruptioni obnoxium.

Senectus.

Senectus decrementum vitæ tempore factum.

Senex.

Senex videat ne puerilis sit, recordetur iuuenem se fuisse. Lib.3. Epist.

Sensus.

Sensus ita se inuicem habent, vt ordinem quemdam loci pariter, & naturæ contineant. Oculi enim purissimi sunt, & vt Timæus Platonicus disputat, ac probat, ignis lucisque naturæ cognati. Aures secundum ordinem puritatis obtinent, atque aëri comparantur. Nares deinde tertium tenuitatis gradum obtinent & possident, & crassiori quadam natura concretæ, medium inter aërem, aquamque continent. Deinceps verò gustandi organum crassius est, & aquæ naturæ, simillimum. Postremo tenuitatis gradu hæ, quibus tanquam tangimus partes distribuuntur, hæ namque ad corporis naturam accedunt propinquius, ac terræ crassitudini deputantur. Lib. de Voluptate.

Sensus animæ progressus, mentis motus.

Sermo.

Loquendi vsus atque scribendi homini proprius, diuinam quandam indicat mentem nobis inesse qua careant bestiæ. Lib.13. Theolog. Plat. cap.3.

Ad excellentius aliquod opus est nobis sermo tributus, videlicet tanquam mentis Interpres, infinitorum inuentorum præco, atque nuncius infinitus. Lib.13. Theol. Plat. cap.3.

Sermo fœtens putridæ mentis est signum. Lib. 1. Epist.

Vt possis bona loqui, audi bona, vt etiam audias de te bona. Fieri enim non potest, vt qui malè loquitur non malè audiat. Libro primo Epistolarum.

Seruus & seruitus.

Serui officium est, existimare vitam suam esse domini, atque rationem domini suam esse. Lib.3. Epist.

Nulla arctior, iucundior, felicior seruitus quam voluntaria. Lib.4. & 5. Epist.

Quicunque verò voluptatibus pecuniisue aut gloriæ vel imperandi studio seruiunt insanabili quodam animi morbo, & multiplici dolore premuntur. Lib.5. Epist.

Moderata seruitus est qua Deo seruitur. In Com. Plat.

Spiritus.

Spiritus qui aëreus sanguinis vaporem & quasi quidam animæ corporisque nodus, aëreis quoque odoribus sonisque & cantibus temperatur & alitur. Lib.1. Epist.

Spiritus principalibus membris insident: vitalis viget in corde, naturalis in iecore, animalis in cerebro. In Com.

Societas.

Societas amicitia ex diuturna æqualium consuetudine conflata.

Sol.

Sol qui genuit ignem, ignis formator extitit. Lib.5. Theol. Plat. cap.8.

Sol inter cœlestia Dominus, in hoc vel maximè cæteras rerum naturalium causas antecellit, quod calore omnia quidem facit, lumine verò demonstrat. Libro duodecimo Epistolarum.

In cœlo Sol ipse solus fons luminis, omnibus dominatur, idemque apud Astronomos potentiam significat atque sapientiam, nona cœli plaga gaudens, velut æde Mineruæ. Cui etiam vicinitate Mercurius sapientis nomen obtinuisse videtur. Lib.12. Epist.

Solus Sol superare potest Iouem. Libro 12. Epistol.

Sol omnium maximè Deum tibi significare potest. Lib. De Sole.

Sol tanquam manifestus cœli Dominus omnia prorsus cœlestia regit & moderatur. Libro de Sole.

Meritò cum tempus à motu dependeat Sol per quatuor signa mobilia, tempora quatuor anni distinguit. Lib. de Sole.

Sol oculus æternus omnia videns, supereminens cœleste lumen, cœlestia temperans & mun-

dana. Harmonicum mundi cursum ducens siue trahens. Mundi Dominus, Iupiter immortalis, mundi oculus circumcurrens, habens sigillum, omnia mundana figurans, luna stellis granida, stellarum luna regina. Hæc Orpheus, apud Ægyptios Mineruæ templis aureum hoc legebatur inscriptum. Ego sum quæ sunt, quæ erunt, & quam fuerunt. Velum meum reuelauit nemo. Quem ego peperi fructum, Sol est natus. Vbi apparet Solem Mineruæ, id est, intelligentiæ partum, florem, fructum esse. Theologi veteres. Proculo teste, dicebant reginam omnium Iustitiam è medio Solis Throno percuncta procedere, omnia digerentem. Quasi Sol ipse sit moderator omnium, Iamblichus Ægyptiorum sententia, ita narrat, Quicquid habemus boni habemus à Sole videlicet vel ab ipso solo, vel si & ab aliis, id quidem vel à Sole absolutum vel à Sole per alia. Item Sol elementalium omnino virtutum Dominus, Luna virtute Solis generationis domina, Ideo Albumasar per Solem, inquit & Lunam vitam cunctis infundi. Moses cœlestium Dominum in die Solem esse, in nocte lunam, quasi nocturnum Solem. Lib. de Sol.

Solem esse regem, lunamque, quæ Solis & soror est & coniunx, esse reginam cœlestium ipsa signorum in Zodiaco dispositio manifestè declarat. Lib. de Sol.

Dominus noster Plato, Solem ipsius boni conspicuum filium nominauit. Arbitratus quoque est Solem esse perspicuam Dei statuam in hoc templo mundano, ab ipso Deo positum, intuentibus vbique præ cæteris admirandam. Hunc veteres, vt Plotinus ait, & Plato venerabantur vt Deum. In Sole prisci Gentium Theologi omnia Gentilium numina collocarunt. Quod quidem Iamblichus, Iulianus, Macrobiusque testantur. Denique quisquis non videt Solem in mundo, imaginem esse vicariumque Dei, is profectò, neque noctem considerauit vnquam, neque Solem suspexit exorientem, neque cogitauit quantum excedet sensum. Quàm subitò viua redeant, quæ procul ipso mortua putabantur. Neque munera Solis animaduertit, quibus solus ipse facit, quod stellæ cunctæ conficere nequeunt. Solem igitur vel Phœbum, Musarum, id est, intelligentiæ ducem, vnà cum Platonicis atque Dionysio imaginem Dei conspicuam conclude. Lib. de Sole.

Sol conspicuus in mundo nobis est imago. Sol tam visus generis quàm videnda suscitat ad agendum, cumque oculis videnda coniungit. In Com. Dionys. Areop.

Sol vnius est mundani omnis luminis principium. In Com. Plat.

Sol oculos generat vimque videndi illis præstat. ibid.

Sol cœlestis ignis qui solum ab ortu ad occasum ab eisdem aspici potest, animal sempiternum astrum animatum diurnum & maximum.

Sophista.

Sophista iuuenum nobilium atque diuitum mercenarius venator. Sophista ambitiosus & fallax Philosophi æmulator est. In Comment. Plat.

Sophista similis est illi qui piscatur hamo.

Sophista est mercator quidam qui disputationes, disciplinasque morum, eo consilio accumulat passim, vt mercede quadam commutet, atque vendat. ibid.

Sophista est auarus quidam artifex, qui quæstus gratia priuata illegitimè tractat, & docet, artemque contradictoriam profitetur. In Comm. Plat.

Sophista est versutus falsarum opinionum disseminator. In Com. Plat.

Sors.

Vbi plurimum sapientiæ, minima opus est sorte, vbi minimum sapientiæ, sors plurima dominatur. Et si interdum fortuna sapientiæ iungitur, non tamen simul vtraque regnat. Aut enim nullo pacto sors rationi coniungitur, aut seruit. Quamobrem sors, probis inuida viris totis obsistit viribus, ne proba vsquam ratio regnet, vtpote quæ illa regnante sit gloriam & imperium amissura. Sæpe sors dotat multum, quem parum natura virtusue dotauit. Neque ditat facile quem natura virtusue dotauit. Lib. 3. Epist.

Plura tibi admodum maioraque dona sors dabit vltro quàm lacessita. Quot enim violentiæ persequeris, totidem certè te fugient, atque quod absit, si quando poterunt, fortè fugabunt. Lib. 6. Epist.

Spes.

Spes expectatio boni.

Stultitia & miseria hominum.

Stultitia ridicula, miseria flebilis esse videtur. Stultitia quid aliud est quam iudicii deprauatio? Miseria quid, nisi appetitus afflictio, ex deprauatione iudicii proficiscens. Libro primo Epistolarum.

Illud in primis stultissimum non iudicare non possum, quod multi bestiam quidem suam imò feram noxiam & indomitam, hoc est, corpus pascant diligentissimè, seipsos autem, id est, animum ipsum, quantum in eis est fama perire permittunt. Lib. 1. Epist.

Stultitiæ fructus est miseria. Libro primo Epistolarum.

Sufficientia.

Sufficientia perfecta bonorum possessio, habitus quo vnusquisque suiipsius Dominus sit.

Superstitio.

Sæpe iners ignorantium ignauorumque cura superstitio potius quam religio est appellanda. Lib. De Christ. relig. in Procem.

Suppositio.

Suppositio principium indemonstrabile, sermonis summula.

T.

Tempus.

Nulla iactura grauior est quàm temporis. Lib. 1. Epist.

Tempus Solis motus, progressionis mensura. Tempus bonum.

Temperantia moderatio animæ circa naturales concupiscentias atque voluptates, compositio ordoque animæ ad naturales voluptates atque dolores, consonantia animæ ad imperandum & obediendum voluntaria, eorum quæ secundum naturam sunt actio rationalis animæ conuersatio quoad honesta & turpia, habitus quo decentia eligimus & seruamus.

Temperantia circa bona malaque similiter asciscendi atque metuendi. In Com. Plat.

Temperans.

Temperans qui medioeres concupiscentias habet.

Temperato viro pulchrum videtur omnia nosse, quod si fieri possit, secunda quædam, id est, tota nauigatio videtur, suam ignorantiam reco-

gnoscere, ac & rem ipsam ignoret, & ignorantium, nec dum quod ignorat tentat, aberret, neque indocilis sit, neque superbior, quod Plato in Alcibiade docet. In Com. Plat.

Terra.

Si quis quærat quam ob causam terra sit rotunda, respondet, quia videlicet rotunditatis idea participat, ad cuius similitudinem sapientia mundi idcirco terram disponit, quoniam iudicauit voluitque boni ipsius gratia fieri melius ita sese habere. Lib. 2. Theol. Plat. cap. 11.

Tollerantia.

Tollerantia perpessio molestiæ honesti gratia, perpessio laborum honesti gratia.

Tyrannus.

Tyrannus imperans ciuitati secundum sententiam propriam.

V.

Vaticinium.

Vaticinium scientia quæ dignoscitur quid adsit quidue futurum sit mortali viuenti.

Ventus.

Ventus agitatio aëris circa terram.

Verecundia.

Verecundia formido in expectatione infamiæ.

Veritas.

Veritas nihil de sua causa deprecatur, quia nec de conditione miratur, scit se peregrinam in terris agere. Lib. De Christ. relig.

Veritas non modo aliud est quam mens, sed & superius aliquid. Libro primo. Theolog. Platon. cap. 2.

Latius se fundit veritatis quam mentis impetium. Lib 1. Theol. Plat. cap. 6.

Diuina veritas omne rerum antecedit initium, omnium rerum fini succedit, nam & ante cuiusque principium, verum erat initium illud fore & post omnem cuiusque finem, verum erat finem illum fuisse, quicquid autem aliquando verum est, veritate verum est. Libro 2. Theolog. Platon. cap. 5.

Veritatis acquirendæ studio alimoniam corporis prætermittimus sæpenumero, neque tempori neque sumptibus parcimus, neque laboribus, eneruamus corpus, quo eneruato animus fit neruosior. Libro octauo Theolog. Platon. capite secundo.

Veritas non est corporea, alioquin rebus incorporeis non inesset. Libro 8. Theolog. Platon. capite 2.

Veritas mentis cibus est, quo fit vt se vicissim libenter adsciscant. Libro 15. Theolog. Platon. cap. 14.

Quia veritas impugnatores telis inuadit, pugnat vtcunque potest, qui autem veris aggreditur rationibus reuersa semper expugnat. Libro 3. Epist.

Absoluta veritas lux Dei est in seipsa. Rerum veritas est Dei splendor in ipsis. Ergo si vis veritate gaudere, ama, quære, considera Deum propter seipsum & cætera propter Deum. Libro 3. Epist.

Scito eas res dumtaxat veras existere, quam ad veritatis iudicem intelligentiam pertinent. Lib. 3. Epist.

Immensum est veritatis lumen, immensa potestas. Lib. 3. Epist.

Veritas rerum propriis vestigiis inuestigatur nonnunquam, certisque discerni potest indiciis, quoniam determinata pendet ex causa, semperque permanet eadem. Voluntas autem humana cum ob libertatem non habeat causam terminatam, ac momento quolibet permutetur, neque vestigiis, neque indiciis certis inuestigatur. Lib. 6. Epist.

Veritas est lumen optimum, lumen veritas se ad extima fundens. Lib. de Lum.

Tranquillitas veritatisque scientia, diuinitatis maximè propria sunt. Libro De Voluptate.

Veritas ex redargutione falsitatis elucet. In Com. Plat.

Veracitas.

Veracitas habitus in affirmando atque negando rectus, scientia veri.

Victoria.

Victoria vis in certamine superans.

Vicissitudo.

Omnium rerum vicissitudo est. Libro primo Epist.

Vinum.

Tantum imago vini alit sitim, quantum vinum alit sitibundum. Lib. 3. Epist.

Vir Sapiens, Felix, Prudens, Bonus, Iustus, Pius, Probus, & Prauus.

Sapienti viro lex Deus est, insipienti libido. Lib. 18. Theol. Plat. cap. 10.

Hi sapientes habentur, qui pro viribus intentionem animi auertunt à sensibus, ad intellectum verò conuertunt, vbi diuinam legem auscultant, officia iusta dictantem. Comment. diui Pauli cap. 15.

Virum sapientem felicemque eum puto, qui cum ex solo pendeat Deo, in mediis calamitatibus viuit lætus. Quem nec metus examinat, nec dolor excruciat, neque voluptas corrumpit, neque libido inflammat. Qui inter densissimas spinas molles speciososque flores legit, qui ex stercore margaritas eruit atque effodit, qui in profundis videt tenebris, qui compedibus grauatus & vinculis circumstrictus, veluti liber solutusque percurrit, quem denique spiritus cœlestis afflauerit. Lib. 3. Epist.

Nullus verbosus & loquax sapiens esse potest, docuit enim semper, didicit nunquam. Quisquis autem sapientiæ literis caret, non modo pauper, verumetiam cæcus & mutus iudicandus. Lib. 3. Epist.

Vir caueat ne vllo modo muliebris fit. Lib. 3. Epist.

Prudentum sententia est, virum grauibus negotiis occupatum, absque graui causa non esse interpellandum.

Solum felicem sapientes existimant, cui ad votum cuncta succedunt, soli ad votum cuncta succedunt, qui omnia quæ vult habet. Ille singula vult quæ habet, id est, quæcunque velle natura, vel sortè contingunt, qui primum quidem intelligit, nullum se bonum, nolle deberet. Lib. 5. Epist.

Vir prudens corpus quidem suum mundi membrum, mundi ipsius reuolutioni concedit, quocunque contigerit agitandum. Animum autem Dei filium à corporis commercio segregat, & diuinæ committit prouidentiæ, pro arbitrio gubernandum. Lib. 1. Epist.

Prudentis est & in sereno aëre pluuiam, & in pluuia expectare serenum, imò nihil in caliginosa

hac vita putare serenum, nisi sub mente serena. Lib.5.Epist.

Vir iustus, & pius, & probus, nonne Deo amicus est? Iniustus autem & improbus inimicus? Est profectò. Lib.12.Epist.

Bonus vir à Platone censetur, qui in se quidem temperatus, ad Deum autem pius est, ad homines verò iustus. Animus eiusmodi, propter similitudinem Deo præ cæteris est amicus, malus autem propter dissimilitudinem inimicus. Itaque cum Deus moueat & intrinsecus, & vbique prouideat, nimirum opiniones & imaginationes speciesque bonorum virorum, veræ frequenter euadunt, malorum verò falsæ, vtrique gaudia quædam excogitant, optant, sperant, hæc bonis viris tanquam diuinis atque veridicis, vera sæpè contingunt, malis verò falsa, mali enim tanquam sibimet mendaces, sicut frequenter opinione falluntur, ita falsa sæpius oblectamenta contingunt, denique si prauis tanquam à diuina veritate discordibus, succedere spes non debent, sæpè tamen in externis successum habere videntur, sequitur saltem, vt intrinsecus non succedant, semper ergo sollicitantur intus atque languent, eorumque voluptates similes sunt falsis voluptatibus ægrotantium, somniantium, insanorum. Libro 12. Epistolarum.

Prauis viris oblectationes quædam adsunt, sæpe confictæ, atque denique falsæ, falsis igitur voluptatibus praui sæpenumero gestiunt. Lib. 12. Epist.

Vir sanæ mentis ad id imprimis pecunias esse vtiles iudicabit, vt quicquid vel Deo nouerit, vel homini promiserit aliterque debuerit impleat, neque ob paupertatem adducatur, aut mentiri cuiquam, aut vlla in re defraudare, pecuniæ namque referendæ sunt ad iustitiam, iustitia verò ad vitæ alterius præmium. In Commentariis Platon.

Vires.

Æquales vires æqualia faciunt. Lib. 1. Theol. Plat.cap.3.

Virtus.

Naturalis virtus manet, quia naturalis eius vigor viget perennis, neque remittitur. Virtus acquisita mutatur, qui ex potentia in actum, ex actione transit in habitum, atque è conuerso. Lib. 1.Theol.Plat.cap.3.

Diuina virtus pura atque summa est. Libro 2. Theol. Plat.cap.4.

Infinita virtus nunquam minuitur. Libro 17. Theol.Plat.cap.2.

Virtutibus præmia, vitiis supplicia digna debentur, hæc cum in hac vita non tribuantur, tribuuntur in altera. Libro 2. Theolog. Platon.capite 10.

Cum virtute oritur præmium.Ibidem.

Virtus est exoriens præmium.Ibidem.

Virtus adolescens inuidiam concitat, adulta sedat, liuorem domat.Lib.1.Epist.

Virtus est habitus animi electione ad beatitudinem conferens.Lib.1.Epist.

Humanæ virtutis principium finisque est, meminisse non esse humanam virtutem absque diuinæ virtutis gratia & amore. Libro sexto Epistolarum.

Obesset autem laboriosa virtutis via bonis, atque è contra prodesset voluptuosa vita malis, nisi animus foret immortalis. In Commentariis Plat.

Virtus militaris experientia in bello.

Visus.

Visus quia sensualis lux est, tamen sensibilem accipit datque splendorem, hunc sensualem quandam lucem esse cognoscis, vltra verò inde non licet progredi. Libro De Lumine.

Visus habitus quo corporea discernuntur.

Vita.

Vita in virtute quadam indiuisibili consistit. Lib.1.Theol.Plat.cap.3.

Integrior vita est quæ tota simul est vnita secum, à seipsa non distans, quàm quæ per diuersa temporum momenta porrecta secundum actus affectusque intrinsecus, quodammodo à seipsa distrahitur. Libro primo Theolog. Platon. capite 5.

Vera vita per se corporis est formatrix & rectrix, ideoq. est corpore longè præstantior. Lib. 5.Theol.Plat.cap.15.

In Vita præsenti virtus nascitur & vitium.Lib. 18.Theolog.Platon.cap.10.

Nihil autem magis seruile, nihil magis negotiosum atque sollicitum cogitari potest quã anxia eius vita qui sensibus tanquam dominis seruit, & pluribus & insanis. Ac dum tyrannis insipientibus mancipatur sapientiæ insuper profitetur obsequium. Quoscunque igitur corpori seruire stultè deprehenderis, sapientes esse negabitis. Quos autem noueritis esse sapientes, hos non serui sui corporis seruos, sed dominos iudicabitis. Anxiè certè viuunt qui solis seruiunt corporis voluptatibus, sed multò magis anxij qui voluptates infimas cum supremis frustra copulare conantur, nam cum nimium vtrinque laborent neutra ex parte, vel mentis, vel corporis voluptatibus perfruuntur. Libro quinto Epist.

Tota hominum vita in hac mundi regione maligna, cœlestibusque contraria mentibus, nihil aliud esse videtur quàm morbus quidam dolorque perpetuus. Libro quinto Epistolarum.

Tres esse vitas, nemo ratione viuens dubitat, contemplatiuam, actiuam voluptuosam, quoniam videlicet tres ad fœlicitatem vias elegerunt homines, Sapientiam potentiam, voluptatem. Nos autem sapientiæ nomine, quodlibet liberalium artium studium religiosumque ocium intelligimus. Sub appellatione potentiæ, authoritatem in gubernatione ciuili pariter atque militari, diuitiarumque affluentiam & splendorem gloriæ, negotiosamque virtutem comprehendi putamus. Sub voluptatis denique cognomento, quinque sensuum oblectamenta, & laborum curarumque declinationem, contineri non dubitamus. Primam igitur Poëtæ Mineruam, Secundam verò Iunonem, Tertiam Venerem nominarunt.Lib. 10. Epist.

Beatam vitam esse putamus, non vitam talem aut talem, quasi additamenti alicuius egenam, sed vitam ipsam summo viuendi gradu vigentem. Vitam inquam, id est, actum essentiæ primæ directum naturaliter in ipsum bonum atque ita perfectum. In Com.Plot.

Vitium.

Cum vitio oritur supplicium. Libro decimooctauo. Theolog. Platonic. capite primo.

Vitium est supplicium nascens. ibid.

Vitij facilitatem, mox vitæ miserabilis difficul-

tas sequitur, dolorque perpetuus. Hinc illud Pythagoræ symbolum, Animal cauda nigra ne tangas, hoc est, fugito vitium cui mentis nigredo succedit, & voluntatis afflictio. Libro tertio Epistolarum.

Vltio.

Vlcisci cogitas? Caue moneo diligenter, nam si vlcisci tentaueris, secundam ac tertiam patieris iniuriam, ac studio perdendi alterius, ipse te perdes: apes minima iniuria lacessitæ pungunt, vitamque pungendo relinquunt. Libro tertio Epistol.

Vnitas.

Est vnitas secundum potentiam numerus omnis. Libro secundo. Theolog. Platon. capite decimo.

Voluntas & Voluntarium.

Quibus voluntas est eadem, nimirum inest & æqua similisque voluntas. Lib. 9. Epist.

Voluntas appetitus secundum rationem rectam affectus rationalis cum ratione secundum naturam tendens.

Voluntarium quod seipsum ducit, quod per seipsum eligendum, per cogitationem perficit.

Voluptas.

Voluptates corporis tamdiu percipiuntur quamdiu egestas & appetitio permanet. Lib. 14. Theol. Plat. cap. 7.

Voluptas spirituum esca quædam est. Lib. De Vita producenda. cap. 16.

Quod bonum est bono contrarium esse nunquam potest. Voluptas autem cum plurima, ac maxima bona impediat, bono contrariam esse quis dubitet? Impediunt enim prudentiam, voluptates menti infundunt tenebras, deprauant iudicium, suisque blanditiis, ac lenociniis quasi meretriculæ quædam mentes ad se alliciunt hominum, atque ita illaqueant omnem naturam hominis in vitiorum atque scelerum luto, cœnoque prosternunt. Diuinè Plato in Epistola ad Dionysium, inquit, voluptas hominibus detrimentum affert, inscitiam, inquietudinem, stultitiam & petulantiam parit. Preterea nullum bonum est, quod non aut laude, aut veneratione dignum sit. Voluptates verò nemo sanæ mentis laudat, neque quisquam, quod maximis fruatur voluptatibus honore iudicatur dignus esse, & gloria. Sed potius qui talis vt eas alto atque inuicto animo aspernetur & negligat. Lib. De Volup.

Rectè (inquit Varro) Nemo suum dicat quod extra ipsum est. Voluptas igitur cum in corpore ac sensibus ingenita, & insita sit qui eam in bonis nostris connumerauerit, absque dubio videbitur insanire. Lib. De Volup.

Neque igitur artem, neque rationem, neque prorsus ordinem vllum sequitur voluptas, sed potius naturæ, ac sensuum repentino, & temerario quodam impetu, quàm aut certo aliquo iudicio aut consilio excitatur in nobis, blanditur sensibus, corpus suauitate quadam delinit perniciosa, atque titillat animum effœminatum, atque è suo statu mentem rationemque dimouet. Insuper ea est bonorum natura omnium, vt futura dum sint, spem hominis erigant, cum verò adsint, tranquillum efficiant animum possidentis, ac quietum, & eo quod adest, contentum reddant, suaque expleant possessione, vt nullo vlterius egeat, nihil requirat, nihil appetat, quasi id vnum possideat, quod sua sit natura sufficiens atque perfectum, quod si quid vltra desideret boni alicuius possessione fruitur, sollicitudine tamen ac molestia penitus vacare videtur, futuræ autem voluptates intolerabili quodam cupiditatis ardore sensus afficiunt, curas accendunt, animum onerant sollicitudine, & (vt breui complectar) in furorem quendam rabiemque compellunt, cum verò qui eas, quarum cupiditate exarserat, voluptates præsentes amplectitur, continuo metum vnà secum suspicionemque ducunt obcæcantque nos dum fruimur, & ad ferarum redigunt immanitatem, nedum haustæ, imò (vt verius loquar) nec adhuc primis labris degustatæ incredibili quadam animum pœnitentia, verecundia, tædio, languore prorsus afficiunt, vt verissimum sit illud Socratis in Phœdone, dolorem ac voluptatem ex eodem capite ambo esse connexa, naturamque in vnum eorum apices coniunxisse. Lib. De Volup.

Cum bonorum atque voluptatum dissimilem inter se naturam esse perspicuum sit, nemo profectò corporis voluptatem, nisi qui nimium eius amicus existat, bonum dixerit. Libro De Voluptate.

Nemini dubium esse puto, quin illud ex quo mala plurima consequuntur, bonum esse non possit. Voluptatis autem gratia pestiferæ omnes animi perturbationes, adulteria, stupra, homicidia, furta, dissensiones, scelera denique omnia, nasci perspicuum est. Libro De Voluptate.

Cum voluptatis vsus in corporis sensibus existat qui maximè huic deditus est, non modo non ascendit ad ea quæ meliora, diuinioraque sunt, sed ne proprium quidem statum, dignitatemque retinet, ac velut ex animo ad corpus, ex mente ad sensus, ex homine ad bestias labitur. Diuinè apud Platonem Socrates in Phœdone, Voluptas inquit, quasi clauum tenens animum affligit, atque efficit, vt infectus corporea specie, ea putet esse vera, quæ suadeat corpus. Libro De Volup.

Voluptas à Deorum natura sequestrata est, sed quid verius aptiusque aduersus hanc pestem dici potest, quàm quod ab Hippocrate diuino profectò Viro dictum fuerat. Is enim cum de Veneris voluptate loqueretur, partem esse dixit illam morbi teterrimi, quam nostri comitialem vocant. Lib. De Volup.

Voluptas communi definitione apud Aristotelem, nihil aliud est, nisi perfectio quædam operationis, idem autem cognitionis, Cumque omnibus sensibus voluptas inhæreat, voluptas visus erit visionis perfectio, auditus auditionis, gustus gustationis, ac de reliquis eodèm modo, vt cuiusque voluptas sit propriæ operationis perfectio. Lib. de Volup.

Omnis qui ex veritatis indagatione contemplationeque suscipitur voluptas, honesta est ac laude dignissima. Cum vero mens altera de rebus agendis fugiendisque deliberat gaudetque eiusmodi rerum electione, non omnis tamen voluptas talis laudari solet. Libro de Voluptate.

Sapiens vita contemplatioque pauciorum quàm ciuilis indiget, quapropter illius voluptas, cum ipsa quoque paucis minimisque contenta sit, proculdubio magis seipsa sufficiet, ac perfectior iudicabitur. Libro de Voluptate.

Delectat quemque quod naturæ suæ est aptum, trahit sua quemque voluptas. Lib. De Volup.

Cum ab hominum consuetudine ingenioque alienæ voluptates homini cuipiam, vel pessimæ nato, atque educato, vel morbis extra se posito dominatur, quoniam bestiarum potius quàm humani ingenij propriæ sint, seruiles atque immanes appellat Aristoteles.

Sicut opinio, spes, formido, sic voluptas partim quidem vera, partim verò falsa esse potest. In Com. Platon.

Voluptas disciplinarum plura censetur, quia non necessariò dolorem habet admixtum. In Com. Platon.

Neque est aliud quicquam mentis Voluptas, nisi illa ipsa perfecta grataque assensio, qua voluntas in eo, quod mens considerat, vtpote familiari ac sibi proprio penitus conquiescit. Lib. De Volup.

Voluptates corporis trium præcipuè rerum causa concupiscimus, harum sanè vnum est mens, naturæ indigentia reliquum, postremum dolor intimus atque perpetuus. Lib. De Volup.

Voluptas corporis cum omnibus quoque viuentibus bestiolis communis sit, nullo pacto summum hominis bonum iudicari debet. Lib. De Volup.

Voluptas pro hominum diuersitate varia, & incerta est, mentis verò vnicum ab omnibus gaudium natura expetitur. Lib. De Volup.

Adhæsio voluntatis est voluptas. In Comment. Plat.

Vita voluptuosa seruilis, seruit enim indigentiæ corporali, est & aurea mixta, etenim voluptates cum doloribus habet, vt quando quis propter famem docet, sed interim propter spem mensæ statim futuræ lætatur. In Commentariis Plat.

Votum.

Votum precatio hominum ad Deum qua vel bona, vel quæ bona videntur efflagitant.

Votum est ardens affectus iusti animi, Deo deditus, & quod bonum videtur exoptans. In Com. Plat.

Vox.

Vox prolatio ex ore secundum cogitationem.

FINIS.